BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
E
1
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXIX
2
1

Digitized by Google

P. TERENTII AFRI COMOEDIAE SEX,

Ad fidem duodecim amplius Mſſtorum Codicum, et pluſcularum optimae notae Editionum recenſitae, et

COMMENTARIO PERPETUO

illuſtratae.

ACCEDUNT INTERPRETES VETUSTIORES,

AELIUS DONATUS, EUGRAPHIUS, CALPHURNIUS,

Quorum iſte maxime e duobus manu exaratis Libris, ille itidem e binis Mſſ. nunc primum integer, hic e Codice Mſ. et veteri Editione integrius quam antehac eduntur; additis

OBSERVATIONIBUS,

Quibus loca obſcuriora et depravata vel tentantur, vel reſtituuntur.

PORRO

FRID. LINDENBRUCHII OBSERVATIONES

In P. TERENTII Fabulas, et AEL. DONATI Commentarium, emendatius quam in ſuperioribus Editionibus exhibentur.

DEMUM

INDICES LOCUPLETISSIMI,

I. *Rerum et Latinitatis in Terentium, ejuſque Commentarium.*
II. *In Donatum, ſervatis Interpretis hujus verbis.*
III. *Auctorum veterum, qui in Commentario vel tentantur, vel explicantur.*
IV. *Teſtimoniorum Scripturae Sacrae.*
V. *Verborum et Phraſium Terentianarum.*

CURAVIT

ARN. HENR. WESTERHOVIUS.

TOMUS PRIMUS.

HAGAE-COMITUM,
Apud PETRUM GOSSE, Bibliopolam.
M. DCC. XXVI.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS,
ET SUMMIS QUIBUSQUE IN REMPUBLICAM MERITIS,

ILLUSTRIBUS VIRIS,

ARNOLDO VANDER BURCH, J.U.D. Reipublicae Goudanae Senatori et Conſulum Praeſidi; Aggeribus, vulgo in Stein, Willens, Korthaarlem, Vryehoef et Kalverenbroek tuendis Praefecto Ampliſſimo, earundemque Terrarum Praetori et Judici aequiſſimo; ſed et praeluſtris Collegii Architalaſſici, quod Amſtelaedami eſt, Adſeſſori digniſſimo; Gymnaſii patrii Curatori primario;

HUBERTO VAN EYCK, Inclutae Civitatis Goudanae Senatori, Sacris Goudanis inſpiciundis publica auctoritate Duumviro; Dynaſtiae, quam Vryenes vocant, Praetori; Agri Sluypwykienſis Judici;

GODEFRIDO CINQ, Florentiſſimae Civitatis Goudanae Senatori;

THEODORO JONGKINT, Reip. Goudanae Senatori, ejuſdemque auctoritate in Collegium Curatorum Indiarum Occidentalium adſcripto;

Clariſſimis cum maxime Conſulibus;

† MAT-

MATTHIAE DE GRANDE, Reipub. Goudanae Senatori; Quaeſtori publico; Copiarum Belgica ſtipendia merentium Luſtratori ordinario; auctoritate Quatuorvirorum Gymnaſio conſtituendo Bibliothecam publicam curanti;

BRUNONI VANDER DUSSEN, J. U. D. Inclutae Reipublicae Goudanae Senatori, et Syndico facundiſſimo; Illuſtriſſimor. et Praepotentium Belgicae Foederatae Ordinum decreto ad noviſſimae Pacis Ultrajectinae negotia curanda ſumma cum poteſtate Legato Splendidiſſimo, aliiſque Legationibus claro; Aggerum ad muniendum Agrum Schielandiae Curatori, ſed et Aggeribus, vulgo de Crimpenrewaard tuendis Praefecto; Goudanis ſacris auctoritate publica inſpiciundis Duumviro; pluribus praeterea primi ordinis muneribus apud Batavos functo;

DAMIANO VAN ABBESTEECH, J. U. D. Reipublicae Goudanae Senatori; Aedilium Curulium, et Baſilicae Praefectorum praecipuo; Viris Conſularibus, et Illuſtris Gymnaſii Curatoribus ſpectatiſſimis;

GERARDO VAN BRANDWYCK, G. F. Dynaſtae in Bleskinsgrave, JCto, et Ampliſſimis Civitatis Goudanae Coſſ. ab Actis et Secretis,

S. P. D.

ARN. HENR. WESTERHOVIUS.

PUB.

DEDICATIO.

PUB. TERENTIUS AFER, *Comicorum Latinorum facile Princeps, noſtraque cura nonnihil exornatus, ad Vos potiſſimum,* VIRI AMPLISSIMI, *adſectat viam, Veſtrum ſibi patrocinium, Veſtram tutelam et fidem implorans. Neque tantorum Virorum reſpectu, purpuraeve late ſplendentis fulgore deterretur; neque Dignitatis Veſtrae gravitatem cogitans retro ſibi eſſe ferendum pedem exiſtumat. Olim, jam olim Scipiones et Laelios, Romanorum nobiliſſimos in familiaribus ſuis numeratos, vere gloriatur. Ex eo autem tempore principibus quibuſque Viris, modo non omnino barbaris, et abs omni humanitate remotis, in ſinu ſe geſtatum comme-minit. Unde Vobis,* VIRI NOBILISSIMI, *non poteſt non gratiſſimus accidere tanti nominis cliens. In Veſtra porro Urbe novo hoc ornatu inſtructus, e Veſtro Gymnaſio elegantior, niſi me omnia fallunt, et nitidior, quam antehac unquam, prodit. Dicam etiam amplius, publica hujus Urbis Bibliotheca, inſtructiſſima illa et elegantiſſima, cujuſque praefecturam honori mihi duco, editionem hanc* AFRI *mei meditanti non contemnendam opem tulit, largiſſime ſaepenumero praebens ea, quae negabat curtior ſupellex domeſtica. Quanquam nullus diſſimulaverim, poſt excuſſos vel Erudito-*

† 2 *rum*

rum hominum Commentarios, vel meorum ſcriniorum loculos, quaedam Platonicis obſcuriora etiam videri numeris, quae donec priſci aevi homines ſuos pernoſcerent ritus, planiſſime dicta cenſebantur. Quid igitur aequius, quam ad Vos potiſſimum adlegari, Veſtriſque nominibus ſacrum fieri oppido elegantem Scriptorem, tantopere abs Eruditorum choro amatum, atque cujus novam hanc videre Editionem toties Voſmet deſideraſtis, quemque exponentem me Adoleſcentibus hiſce ſacris initiatis tanta cum voluptate identidem audire teſtati eſtis Vos, qui Gymnaſii Goudani ſupremam curam geritis. Magna mihi haec ſcribenti ultro ſeſe offert occaſio in Veſtras excurrendi laudes; ſed parco ſciens ea dicere velle, quae meam praedicationem nimium quantum exſuperant: neque id ſiverit vel meae frontis verecundia, vel Ampliſſimae dignitati Veſtrae juncta prope ſingularis quaedam modeſtia. Quid enim commemorare parem, quam prudenter, quoties ad clavum admoti fuiſtis, viſum a Vobis ſit, ne quid Reſpublica ſeu Batava, ſeu Goudana detrimenti caperet? Quam dudum civium Veſtrorum animos feceritis Veſtros, ſi nunc ediſſerere inſtituam, enimvero verear, ne illis, qui Veſtram in me benevolentiam, meam autem in Vos obſervantiam minus perſpectam habent, velle Vobis palpum facere videar. Ego vero, ſi quiſquam eſt, qui Germani candoris, vel, ſi

ma-

mavultis, Batavae ſimplicitatis amans abhorrere ſe a ſordida adulatione dicat, in his nomen profiteor meum. Nedum ut amoenitates Goudanas ordine recenſeam, quod quidam faceret. Quàm vere Gouda Veſtra prae quibuſque aliis oppidis ſoli Batavi corculum dicatur; quam mirifice, et prorſus ſine exemplo Iſalae alveo interluatur; quam Baſilicae magnificentia reliquis, quotquot ſunt, non jam Batavae, ſed Belgicae terrae Urbibus palmam praeripiat; quam porro cum publicorum, tum privatorum aedificiorum ſplendore, opportuniſſimi portus ſitu, arborum ripis urbanis utriuſque fluminis inductarum jucunda ſerie; ſoli quidem ubertate, coeli autem ſalubritate, et quae ſunt plura ejuſdem generis commoda, ſuperbiat, ſi pluribus exſequi velim, merito me quis alias res agere dixerit. Quae igitur magis ad eam rem pertinent, quam nunc ago, ea potiſſimum dicam, non longa oratione uſus, ne quid graviora negotia Veſtra morer. Quotuſquiſque eſt, ſi quidem a Vobis, atque oppido paucis Veſtri ſimilibus diſceſſero, a quo Humanitatis Literae reſpiciantur, curentur, foveantur? Fuit aliquando illa aetas, qua Veſtra civitas, reliquis terrae patriae oppidis praelucens, uberrimo ingeniorum proventu etiam cum exteris nationibus de palma certaret: hanc Vos avitam gloriam uti perpetuam propriamque obtineat,

neat, pro virili Veſtra adnitimini; idque tanto majore cum laude facitis, quanto torpor et veternus, quo oppreſſi quidam tenentur, gravior eſt. Ego vero, quod quidem in me fuit ſumma ope mihi ſtudendum credidi, ne vel Deceſſorum tropaea me dormire ſinerent, vel patriae mihimet terrae decus inerti ſomno deſeruiſſe viderer. Huc igitur omni cogitatione ferebar; in hac re vacuas a publico munere horulas, et vel animo remittendo datas, vel nocturnas quandoque ponebam, illud unice et ſedulo cavens, ne hoc agendo quid temporis provinciae mihi datae periret. Quod de quorundam torpore et veterno dixi, nae illi egregie falluntur, ſi qui autumant, ita demum res ſibi et rationes ſuas conſtabilitas, ita ſaluti publicae ſatis conſultum, ſi mercimoniis emundis et vendundis feliciter omnia gerantur. Si ita res eſſet, non olim prudentiſſimi Patriae Patres, vixdum naſcente Libera Septem Foederatorum Populorum Republica, ita Mercurio litandum, ne ſuis Muſis et Apollini deeſſet honos, ſanxiſſent. Idem vero Literarum in Batavis fatum jam dudum ſummi Viri deplorarunt, atque etiam nunc deplorant; veriti, quid denique futurum ſit. Et quaſi parum exiſtumetur, neglexiſſe bonas artes, atque omnia humanitatis ſtudia, ſi qui ſunt, qui pauci ſunt, quibus ab interitu vindicare aut retrahere elegantiores diſciplinas volupe eſt, hoſce undique, quaſi ex compacto res agatur, a vix ſemidoctorum inficeta

ceta

Digitized by Google

ceta turba ita adlatrari videas, ut non omnes ſimul doctrinarum humaniorum reliquias peſſum ire, dolere eos dixeris. Ut vero AFER *noſter olim habuit, quos obtrectatori L. Lavinio opponeret, nobiliſſimos qui tunc aevum agitabant viros, ita et nunc confidit, ſe Veſtro,* VIRI NOBILISSIMI, *praeſidio tutum a malevolorum injuria futurum. Cum autem* TERENTIO *meo conſultum cupio, tum quae ad me attinent, ne negligam, cautio eſt. Quantis nominibus Vobis,* AMPLISSIMI VIRI, *obſtrictus ſim, facilius fuerit cogitatione complecti, quam vel maxime meditata oratione exprimere. Honeſtiſſimo me apud Vos loco eſſe voluiſtis; vetuſtiſſimi in Batavis Gymnaſii moderandi et regendi munus Homini alienigenae, atque in confiniis Marſorum et Chamavorum, ubi nunc Marcani Comitatus Hammona metropolis eſt, nato, ultro obtuliſtis; annuum extra ordinem auxiſtis, ſpectatam Vobis in Sparta, quam nactus eſſem, ornanda fidem et induſtriam meam publice praedicantes. Si quid unquam fuit, ubi Veſtra ope, Veſtroque conſilio opus eſſe videbatur, expromtos, faciles, faventes Vos mihi praeſtitiſtis; idque aſſidue ita facitis, ut, quanti Vobis ſit opera, quam adoleſcentibus, Academiarum Candidatis navo, haud obſcure ſignificare videamini. Hujus igitur ſingularis benevolentiae Veſtrae, mei autem grati memoriſque animi pignus hoc et monumentum*

Vobis

Digitized by Google

D E D I C A T I O.

Vobis inſcriptum ea ut fronte admittatis, qua me vel vocatum, vel ſponte mea ad Vos adeuntem excipere conſueviſtis, Vos majorem in modum etiam atque etiam obſecro atque rogo. Illud bona fide adfirmo, atque ad me recipio, ſi Vobis, VIRI NOBILISSIMI, *quibus vel maxime rationem muneris mei reddendam intelligo, ſi porro quibuſcunque ſolidae eruditionis cultoribus meam hanc operam adprobavero, fore, ut malignum Momorum gregem ſuſque deque habeam, atque ad plura publice audenda incendar. Ita diu ſalvi et incolumes praeſitis publicis privatiſque rebus! ita decori, gloriae, dignitati, fortunaeque Veſtrae nulla unquam intercidat calamitas! Valete,* VIRI AMPLISSIMI ET NOBILISSIMI, *et me in Veſtris, Vobiſque addictiſſimis nunquam non habere perſeverate. Dabam e Muſeo, ipſis Kalendis Februariis, Anni* cIↄ Iↄcc xxvi.

PRAE-

PRAEFATIO.

QUI P. TERENTII AFRI laudes exaequare verbis voluerit, nae, is fruſtra operam ſumſerit. Nunquam quidquam ita magnifice dicetur, id virtus ejus quin multis partibus ſuperet. Neque adeo vel olim florentibus literis Romanis, vel majorum noſtrorum aevo renatis, temere quiſquam Scriptorum reperietur, qui ſummorum Virorum admirationem, curam, induſtriam aeque meruerit; Ciceroni, ſeu Laelio *familiaris* dictus, Eraſmi quieſcentis, ut Ariſtophanes Chryſoſtomi, cervicibus ſubjectus, maxime proprii, elegantiſſimique ſermonis, tum Varrone teſte, in Ethesin ſibi palmam poſcens, atque e cujus theatro, ob ſanctiſſima ſapientiae monita, nunquam exiiſſe leguntur rigidi Catones. Quid quaeris? Uſque adeo omnibus numeris abſolutum exegit opus, ut quamlibet poſt ſe praeclara ingenia a ſimili ſcribendi genere deterruiſſe videatur. Hic igitur quum dudum mihi in deliciis eſſet, jamque per pluſculos annos Adoleſcentibus in diſciplinam meam traditis, exemplo inſignium Deceſſorum, in quibus Cl. PETRUS NANNIUS facile familiam ducit, quamquam is, Miſcell. Lib. II. c. 6. dolet, ſibi nunquam eam adfulſiſſe felicitatem, ut ſcriptum aliquem TERENTIUM videret, exponeretur; auſus tandem ſum vires meas, ſi quae eae ſunt, periclitari, quodque multum legendo et indagando in Adverſaria relatum ſervabam, ad ἀκριβέστερον examen revocare, atque in dias luminis auras mittere, ut ita et otii mei ratio conſtaret Ampliſſimis maxime Viris, quorum munere haſce partes ſuſtineo, et, ſi quid poſſem, prodeſſem etiam publice. Neque ſane auſus fuiſſem, niſi auctoritas Clariſſimi Viri, JACOBI PERIZONII, quo ante quatuor jam luſtra harum Literarum Doctore uti mihi contigit, eodem anno, quo fato ſuo functus eſt, acceſſiſſet. Ex illo igitur tempore magis etiam attendere animum coepi, et quidquid TERENTIO illuſtrando facere videbatur, undique cum cura conquirere. Tum vero ſtimulabat me prorſus egregia illa Ciceronis vox, qua is A. Licinium Archiam defendens aliquando uſus, *Ego vero fateor*, inquit, *me his ſtudiis eſſe deditum: ceteros pudeat, ſi qui ita ſe literis abdiderunt,*

runt, *ut nihil poſſint ex his ad communem adferre fructum*, *neque in adſpectum*, *lucemque proferre.* Manifeſto autem in me injurius fuerit, qui eo me animo tantum moliri opus exiſtimaverit, uti Excellentiſſimorum in hoc doctrinae genere Virorum laudes obſcurare, aut cornicum, quod ajunt, oculos configere parem. Non ſum ita Suffenus. De memet modeſte, de Hominibus Eruditis ita uti par eſt, ſentio. Neque enim eorum mihi unquam placuit conſilium, qui in contumelia aliorum ſibi laudem eunt quaeſitum. Neque crediderim, vel olim fuiſſe, vel eſſe nunc, qui omnia Terentiana ita a ſe eſſe conſiderata autumet, ut exhauſtam ſibi cunctam vim et venuſtatem vere gloriari audeat; nedum ut ego id de me praedicare ſuſtineam. Uſque adeo verum eſt, quod ROB. STEPHANUS in Praefat. ſuae Editionis cenſet: *Si quis hic omnia requiret exactiſſima*, *huic* DONATUS *ipſe*, *qui id praeſtet*, *a mortuis erit excitandus.*

Accipe nunc, Lector Erudite, quibus praeſidiis inſtructus ad Comicorum Latinorum Principem edendum acceſſerim. Primum de Codicibus Mſſ. quos magno numero a me laudatos vides, exponam: poſt Editos, quibus maxime uſus ſum, commemorabo; tum, a quibus Interpretibus multum profecerim, profitebor: demum, quos vivos, ſicubi haeſitabam, conſuluerim, enarrabo. Quibus ordine expoſitis, de DONATO, CALPHURNIO, et EUGRAPHIO addam. Primum ſuo ſibi jure vindicant locum quinque Codices Mſſ. Leidenſes, quorum luſtrandorum mihi copia facta abs Illuſtribus Academiae illius Curatoribus, eorumque Collegis Ampliſſimis, Urbis Lugduno-Batavae Coſſ. Horum quidem Codicum incipit primus a verſu quarto et quinquageſimo, Act. I. Sc. 1. ANDRIAE; videturque manu pervetere exaratus, in membrana. Creditur autem olim fuiſſe Cl Viri, ANTONII OISELII. Paucae in eo ſunt vocum diſtinctiones, pauca ſcribendi compendia, pluſculae autem initiales literae omiſſae. Secundus variis figuris exornatus uſque ad mediam HEAUTONTIMORUMENON, in fine adſcriptum habet: *Calliopius recenſui. P. Terentii Afri Comoedia Phormionis Explicit. Amen.* Et hic Liber in membrana exaratus eſt, habetque diſtinctiones quamplurimas. Tertius eſt verſibus junctis, et more proſae orationis ſcriptus, itidem in veteri membrana. In hoc multae ſunt adſpirationes, ex. gr. *Holim*, *Hoſtium*, *michi*, *nichil*, tum bene multae vocum et ſyllabarum notae. Quartus eſt ſcriptus per Theodoricum de Palude, Anno MCCCCXLII. atque adeo naſcente jam Arte Typographica, etiam in membrana. Additum in fine:

Finito

P R A E F A T I O.

Finito Libro ſit laus & gloria Chriſto.

Scripta autem ſunt omnia verſibus junctis. Quintus codex eſt antiquus in membrana, cui Titulus: *Liber Eographii Argumentatorii Commentarii Andriae.* Progreditur ad Phormionem, etſi folia ſint lacera, nec adpareat finis EUNUCHI, aut initium HEAUTONTIMORUMENI. Tum ſequitur TERENTIUS integer, cui additur in fine: *P. Terentii Afri Comoedia Phormio bono ſcolaſtico Explicit Feliciter.* TERENTIUM Priſcianus excipit, De Metris Fabularum TERENTII, et aliorum Comicorum. Hujus tantum tria folia ſuperſunt. Idem hic Liber in plures Scenas diſpeſcit nonnullos Actus, quam quidem fit vulgo. Qui vero JUSTI LIPSII fertur Codex Mſ. is a me excuſſus eſt ante quam ex auctione publica addiceretur Leidenſi inſtructiſſimae Bibliothecae; cum parte Mſ. alterius, ejuſdem Cl. Viri. Sequuntur Libri tres, duo priores Academiarum Trajectinae et Oxonienſis, hic quidem e Bibliotheca Thomae Bodleji Equitis, cum tertio Markiano, qui quadringentorum fere annorum aetatem praeferens e ſupellectile Libraria Excellentiſſimi Ehrencronii emtus a Nobiliſſimo Viro, Henr. Hadr. van der Mark, van Leur, JCto, antehac ad B. Mariae Ultrajectinae Canonico. Horum mihi Varias Lectiones ſuppeditarunt Clariſſimi atque Amiciſſimi Viri, CAROLUS ANDREAS DUKERUS, ABRAHAMUS GRONOVIUS, et EDUARDUS ZURKIUS. His acceſſerunt alteri tres, Typographorum meorum opera mihi conciliati, ſed paullo ſerius, et parte operis jam typis exſcripta. Horum Codicum primus, ut reliquos aetate, ita lectionis praeſtantia vincit. Medius forma eſt minima, primus et tertius maxima: omnes tamen in membrana. Iſte antehac Illuſtris GRAEVII, viſus mihi ante aliquot annos apud Cl. Virum, JOH. THEOD. SCHALBRUCHIUM, Lycei Amſtelaedamenſis Profeſſorem, et Scholarum Rectorem, ſed uſibus meis negatus, demum poſt ejus fata in ſolidum mihi tributus: ille communicatus mecum a Nob. Viro, JOH. DE WIT, Ampliſſimi Viri, JOH. DE WIT, urbi Dordracenae nuper a Secretis Filio, Summorum quondam apud Batavos Virorum, JOH. et CORN. DE WIT Nepote: hic e Bibliotheca inſigni, Viri Nobiliſſimi, THEODORI BOENDERMAKERI, Canonici S. Martini apud Ultrajectinos, coëmtus. De aliis Libris manu exaratis, quibus GABRIEL FAERNUS, PHILIPPUS PAREUS, FRANCISCUS GUYETUS, JOHANNES HENRICUS BOECLERUS, ſed et plures alii dudum ſunt uſi, quoſque partim in partes vocavi, dicere nihil attinet. Nolim tamen exiſtimes, ita religioſe a me excuſſam Librorum

brorum omnium, quos laudavi, ſcripturam, ut omnes apices perſequendo nihil, quod a vulgata lectione abiret, non obſervatum dimiſerim. Ea mihi, ut verum fatear, inanis futura opera, obſcuraque viſa eſt diligentia, incertiorem factura Lectorem, quam is fuerat dudum. Quid quod ridendos paſſim propinarem publice bonos cetera Codices, ſi ſingula, quae in manifeſto cubare mendo nemo ſanus negaverit, identidem exſcribere, atque ad nauſeam uſque repetere voluiſſem. Non igitur me ſeculi faſtidium, ſed certa deterruit ratio. Quod ne gratis dixiſſe videar, eorum, quae mihi potiora ſectanti ultro ſe ingeſſerunt, bonam partem Tecum hic communicare viſum eſt. En igitur abſurdas optimorum Codicum lectiones: AND. Act. I. 1. 138. *Sine ut eveniat.* Act. III. 3. 24. *Inſperatae nuptiae hoc atque invito Pamphilo.* Act. IV. 1. 59. *Hem ſed maue.* Act. V. 1. 19. *Objurgantem ancillam.* EUN. Act. I. 2. 35. *Abreptam e Samo.* Act. II. 3. 7. *O fortunatum ſenem.* Ibidem 24. *Reddunt creatura junceas.* et 45. *Scilicet deſine.* Act. III. 1. 6. *Eſt iſtuc datum profectum.* Act. III. 5. 37. *Dianae miſiſſe.* Act. IV. 6. 31. *Animo potenti.* Act. V. 2. 8. *Miſerrimus feci fugitando.* HEAUT. Act. II. 1. 16. *Quod deinde ei, recte eſt.* Act. III. 3. 31. *Quantum tibi operis Di daut.* Act. V. 1. 1. *Idcirco ſcio.* ADELPH. Act. I. 2. 64. *Quum placeo.* Act. III. 2. 35. *Patrem ita obſecratum.* Act. III. 3. 23. *Congruum iſtum.* Act. IV. 2. 23. *Non puduit ſe.* et 28. *Referre non audebam.* Act. IV. 3. 14. *Et certo ſcio, quia neſcis eas.* HEC. Prol. Alt. 17. *Et inde terendo.* Act. I. 2. 15. *Conſilium contemplaſſe.* et 40. *Utcunque maxime.* Act. III. 3. 47. *Excitatum reddidit.* Act. IV. 4. 41. *Derelinquunt viri.* PHORM. Act. II. 1. 3. *Reverti ſaltem non pudore.* Act. III. 2. 39. *Quam addideras huic praeconſtituta.* Act. IV. 1. 20. *Quod ſi ſcit, ut me excutiat.* Haec et ſexcenta alia ſi ſingillatim ſuis locis adnotaſſem, enimvero vererer, ne operam luſiſſe me quis merito diceret. Neque tamen affirmare liquido auſim, nihil in tot Codicibus, tam difficilis ſaepe lectionis, quod quidem dignum fuerit obſervatu, meam induſtriam fugiſſe. Quamquam, ne id fieret, me feciſſe ſedulo, id ſcio. Sed et, ne Cl. DUKERI otio abuterer, ſatis habui, ſi, de quorum lectione addubitabam, quod commodo ipſius fieri poſſet, ea loca ad Codicem Trajectinum, chartaceum illum, et Anno MCCCCLIV. ſcriptum, exigeret. Idque ultro mihi oblatum, ſummaque fide praeſtitum, grato memorique animo agnoſco. Ubi porro minoris intereſſe videbatur, ſuppreſſis nominibus, Mſſtorum tantum mentionem feci. Atque haec quidem de Mſſ. noſtris bis ſenis, cum parte tertii decimi dicta ſunto.

In

P R A E F A T I O.

In Codicibus editis facile reliquis palmam praeripit princeps illa Editio Anni MCCCCLXIX. triennio ſuperans aetatem illius, quam Cl. Mich. Maittaire primam vocat. Hanc ego uſibus meis conceſſam a capite ad calcem percenſui ante quam Illuſtriſſimo Sunderlandiae Comiti ex auctione publica inſano prctio addiceretur, atque in Angliam portaretur. Vidit ibi, uſuſque eſt Cl. Vir, FRANCISCUS HARE, laudans in nupera ſua TERENTII Editione. Sed miror, videre potuiſſe, quod meam, pluriumque oculorum aciem fugerat, numerum illum, quem dixi, non typis impreſſum, ſed calamo adſcriptum fuiſſe. Addit tamen, neſcire ſe, an omnium princeps ſit; certe quidem antiquiſſimam eſſe fatetur. Librum hunc excipit Anonymus, pervetuſtus ille, cui nec Loci, nec Typographi nomen, neque adeo Anni numerus eſt additus. Sequitur Editio Tarviſiana, impreſſa per Magiſtrum Paulum Ferari, et recognita per Magiſtrum Aluiſyum Strazarolum, Anno MCCCCLXXXI. Sequuntur Venetae binae, Annorum MCCCCXC. et MDXII. Argentina, Anni MCCCCXCIX. Baſileenſis ex officina Frobeniana, Anni MDXXXVIII. Lugdunenſis MDXI. Pictavienſis, ſine anno adſcripto; Baſileenſis altera, Anni MDXLVIII. Pariſienſes duae, ex officina Rob. Stephani, quarum prior Anno MDXXXVI. in forma maxima, altera Anno MDXL. in minima prodiit. Haec quidem rarior videtur, pauciſque, qui poſtea TERENTIUM ediderunt, adhibita. Porro Lugdunenſis, more proſae ſcripta, Anni MDXX. Veneta, Anni MDLIX. apud Paulum Manutium, Aldi Fil. Rurſus Veneta, Anni MDXXI. ex officina Aldi; Antverpienſis, Anni MDLX. praeter Daventrienſem, Gryphii et Juntarum, cum nonnullis aliis. JOS. SCALIGERI Editionem diu fruſtra quaeſitam videre mihi non contigit; neque ſane quid compertum ſatis de ea habeo. Sunt, qui vidiſſe ſe, ſunt et, qui aliquando poſſediſſe mihi affirmarunt. Alii nunquam prodiiſſe contendunt. Plures tamen conſulere ſupervacuum viſum, ne mole et numero obruerer.

Eorum autem, quotquot ſeu in integrum Comicum noſtrum, ſeu in ſelecta ejus capita commentati ſunt, ne quos non adhiberem in conſilium, cavi ſedulo. Neque enim faciendum exiſtumavi, ut omnes omnium Interpretum Animadverſiones denuo ederem; cum quod magna earum pars non adeo rara ſit, ut merito deſiderari dicatur, tum quod ita pluſculae res plus vice ſimplice repetendae fuiſſent, noſtraque haec Editio nimia mole oneranda. Quamquam Hominibus Eruditis, qui aliter inſtituunt, quorundam integras, aliorum ſelectas Obſerva-

ſervationes edendo, nihil detractum volo. Ne de delectu quidem litem moveo; ne me Aedilitatem gerere ſine populi ſuffragio velle quis clamitet. Ut autem FR. LINDENBRUCHII Obſervationes integras in TERENTIUM et DONATUM ſeorſim ederem, non una me movit ratio, Oppido eruditas eſſe videbam, minus tamen, licet repetita Editione, vulgo obvias. Tum miſere nimis habitas, atque, ſi Auctores laudatos, eorumque verba ſpectes, peſſime editas dolebam. Viſum igitur fuit mihi faciundum, ut binas tanti interpretis Editiones inter ſe contenderem, quodque ab altera deerat, id adderem ex altera; ſed et ut loca perperam paſſim operarum errore citata, emendatius ederem. Egregiam in utraque re operam mecum navarunt Amiciſſimi Viri, ABR. WIELINGIUS, et ABR. DE ROUW, infra amplius laudandi. Porro autem inſigni mihi adjumento fuerunt, quae ſuis Codicibus adſcripſerant ſummi Viri, GERARDUS FALKENBURGIUS, JANUS GRUTERUS, FRANCISCUS GUYETUS, THEODORUS PULMANNUS; quos mihi Codices omnes, praeter primum, qui ex Editione MATTHIAE BERGII Brunſvicenſis prodiit Lipſiae, Anno MDLXXIV. et ſervatur in Bibliotheca publica Lugduno-Batava, indefeſſa cura conciliavit Vir optimus, Thomas Johnſonius, Typographorum meorum alter. In iis enim non pauca minime vulgaria, certe ante hunc diem ἀνέκδοτα reperi. Licet enim BOECLERUS dudum ediderit GUYETIANA, multis tamen partibus plura ejuſdem Eruditiſſimi Viri reliquit inedita. Uſum autem Boeclerum eodem hoc Codice, tanto magis mihi fit veriſimile, quod quae edidit, ita eadem ſunt cum gloſſis MſT. ut verbum de verbo expreſſum videatur, Quae edere neglexit, quaeque nunc primum a me eduntur, ita erant minutis literulis ſcripta, ut mirandum non ſit, ſi tantus Vir, tantiſque negotiis diſtrictus eorum ſenſui indagando ſuperſedit. Nunc vero foliorum margines ita putredine exeſi ſunt, ut aegre admodum literarum veſtigia vel ab acerrimo oculo ſatis deprehendantur. Quamquam, dicam enim, quoniam mentio de GUYETO incidit, acerbior ille mihi, licet cetera elegantioris literaturae, videtur Criticus, quam par eſt, et plus aequo moroſus Ariſtarchus, planeque immiſericors, delens atque expungens non jam voces verſuſque ſingulos, ſed integras Scenas ita notans obelo, et decuſſatis lineis, in illo, quo uſus ſum, Codice perſtringens, uti in Editione Boecleriana tranſverſo illinendas calamo cenſet. BOECLERUS vero cum praeclara multa habet, tum in artificio Comico inveſtigando et aperiendo regnat. Quod de GUYETO dixi, is ob nimiam licen-

licentiam merito ab Elegantiſſima DACERIA vapulat, ad PHORM. V. 7. 29. Digna ſunt Doctiſſimae ANNAE verba, quae commemorentur. Ita illa: *Ces trois dernieres Scenes ſont peut-être les plus belles de tout le* PHORMION. *Cependant M. Guyet leur a declaré une ſi cruelle guerre, qu'il les retranche tout d'un coup, ſans faire quartier à un ſeul vers. On ne peut s'empêcher de dire, que c'eſt là un degout d'un homme malade, plûtôt, que d'un Critique judicieux & delicat.* Quod eſt: *Poſſint tres hae noviſſimae Scenae fortaſſis haberi pro elegantiſſimis in omni* PHORMIONE. *Placuit tamen Guyeto bellum atrox illis indicere, atque ita omnes uno quaſi ictu reſecare, ut ne uni illarum verſui parceret. Id vero magis nauſeantis hominis, quam acris & elegantis Critici judicium eſt.* Redeo ad inſtitutum. Non neglexi etiam, quae rei Literariae facile Princeps, J. FR. GRONOVIUS in TERENTII Fabulas Auditoribus ſuis in ſcholis privatis dictarat. Et mihi haec saepenumero multiplici uſui fuiſſe, nullus diffiteor. Parce tamen uſus ſum, neque commiſi, ut evulgando ejuſmodi ſcripturae genus talis Viri fama quid detrimenti per me caperet. Excerpere igitur potiora malui, quam ſine diſcrimine omnia, etiam ea, quae inſignis ille Doctor, ſi etiam nunc per fata liceret, amplius conſideranda cenſeret, edere. Porro quaecunque ANTESIGNANUS, BARLANDUS, BARTHIUS, CASAUBONI, COLERUS, DACERIA, MARCELLUS DONATUS, ERASMUS, TANAQ. FABER, GEORG. et FRANC. FABRICII, FABRINI, FAERNUS, FARNABIUS, GLAREANUS, GOVEANUS, GRONOVII, GUIDO JUVENALIS, JANUS GUILIELMIUS, LAMBINUS, LATOMUS, MALLEOLUS, MARSUS, MURETUS, NANNIUS, PALMERIUS, PAREUS, PETITUS, PULMANNUS, RIVIUS, SCALIGERI, HENR. STEPHANUS, TURNEBUS, VICTORIUS, WEITZIUS, WILLICHIUS, ZWAARDECRONIUS, alii, aut pluribus verbis, aut ſtrictim ad Noſtrum obſervarunt, ita excuſſi, ut, ſi quid in Commentarium meum conveniret, inde transferrem, utererque pro meo. Paſſim tamen mea mihi vineta caeſa deprehendent, quibus volupe erit, quidquid id eſt, quod obſervavi, cum doctiſſimorum Virorum, quos laudavi, ſcriptis contendere. Ita vero reddidiſſe me quod debebam, praeclariſſimis ingeniis opinor, ne me falſo quis furti crimine arguat, et aliorum laborem meam laudem facere dictitet, quod non identidem nominaverim, quos vel auctores, vel duces ſequutus ſim. Laudavi autem paſſim, quantum ſatis eſt.

Acci-

Digitized by Google

Accidit enim haud raro, ut dudum ante quid obſervaverim, quam ab aliis intelligerem occupatum. Segniter quid a me deſcriptum, aut aliunde repetitum ne quis vere diceret, neu in eorum numero me haberet, qui ubi vident, ſe cantando, quod lepide ait Varro in Menippea, ex ara excantare nihil poſſe, deripere incipiunt, operam dedi.

Pluſculas vero difficultates ad Illuſtrem Ampliſſimumque Virum, CORNELIUM VAN BYNCKERSHOEK, Supremae Hollandorum, Zelandorum et Friſiorum Curiae cum maxime Praeſidem Splendidiſſimum, meaque laude majorem, retuli. Atque is quidem Vir Summus, quae eſt illius in Literarum Cultores propenſa voluntas, in me certe quidem prope ſingularis, ad cuncta quam humaniter reſpondit. Sicubi igitur ejus verba videbis interpoſita, velim ſcias, id eſſe factum auctoritatis gratia.

Quod in OBSERVATIONIBUS maxime ad DONATUM frequens vides ABRAHAMI WIELINGII nomen, hujus mihi Conſultiſſimi Amiciſſimique Viri in DONATO ſexcentis mendis obſito e conjectura reſtituendo inſignis opera fuit. Scilicet quum aliquando ad Ampliſſimum Virum, SAMUELEM HULSIUM, Haganae Civitatis Conſularem, praedivitis et ſane rarae Bibliothecae poſſeſſorem inviſerem, rogaremque, uti, ſi quae praeſidia meis uſibus apta haberet, ea mihi ne negare vellet, Μουσῶν ἐυμίλης ἀφθόνοι, reſpondit Vir Humaniſſimus, luſtrandorum Librorum copiam facit, moxque Catalogum percenſens praeſtantiſſimas quaſdam Editiones mihi ſeponit. Ego interea cupide omnia circumſpiciens incidi in DONATI Codicem Mſ. quantivis pretii. Et hujus mihi uſura eadem liberalitate facta, ut ſi quam inde veteri Interpreti opem ferre poſſem, id facerem. Ibi tum Eruditiſſimus Wielingius, cognito meo conſilio, quaecunque ſibi ad DONATUM obſervata eſſent, ultro mihi obtulit. Inde igitur non contemnenda OBSERVATIONIBUS noſtris acceſſio eſt facta. Sed et alterum ejuſdem DONATI Librum nactus ſum, itidem manu exaratum, junctum Codici illi Mſ. Boendermakeri, quem laudavi ſupra. Haec ego κειμήλια quanti fecerim, faciamque, verbis exprimere non poſſum; tanto magis, quod nullum ſibi divitis Academiae Oxonienſis, alioſque Britannorum loculos perluſtranti repertum DONATI ſcripti exemplum mihi affirmavit Doctiſſimus ABRAHAMUS GRONOVIUS. Atque o utinam integer supereſſet DONATUS! Ita vero multa in Comicorum Principe, quae etiam nunc quaſi in interiore angulo recondita latent, dudum illuſtrata cerneres. Verum, ut nunc eſt, contenti ſimus hoc Catone. Accidit nimirum optimo Interpreti,

preti, quod accidiſſe olim pluribus non peſſimae notae Scriptoribus merito dolent Eruditi, ut nimirum bona ſui parte mutilati ad nos pervenirent. Quid ERASMUS quidem de noſtro hoc DONATO cenſuerit, vel Titulus Editionis Frobenianae indicat, in quo haec leguntur: *Habes hic, Amice Lector*, P. TERENTII *Comoedias, una cum Scholiis ex* DONATI, ASPERI & CORNUTI *Commentariis decerptis.* ASPERI quidem vel DONATUS, vel quicunque alius meminit ad ADELPH. IV. 2. 20. ANNAEUS CELSUS et HELENIUS ACRON, Grammatici, qui TERENTII Interpretes fuerint, laudantur CHARISIO. De horum, ſed et de CAPRI, PROBI, aliorumque aetate dicere nihil habeo. Quid porro de judicio et auctoritate Grammaticorum ſtatuendum ſit, ediſſerit Illuſtriſſimus Scaliger ad Virgilii Copam. PETRUS vero NANNIUS, Miſcell. Lib. I. c. 6. *Aliquis indoctus*, inquit, *indoctiſſimis verbis paraphraſin ſcripſit in* DONATUM. *Id jam mundo obtruditur pro* DONATO. Loquitur autem de Commentariis in Virgilii Aeneida. Idem vero alibi de Terentianis agens *indoctiſſimum nebulonem* vocat, *qui pro Aelio Donato ſe venditaverit.* Nihilo mitius de eo judicium tulit TANAQUILUS FABER, ad Phaed. I. 4. *Dicam audacter, ſed vere, non magis Servium hodie habemus, quam* DONATI *in* TERENTIUM *Commentarios. Excerpta tantum ſuperſunt, & ſaepius a mala manu.* Temere loqui credis? *Quod demonſtrare*, addit, *ſi quis ſibi poſtulet, tam equidem id poſſim facile, quam oſtendere*, Δὶς δύο εἶναι τέτταρα. Quamquam eaedem res in DONATO nonnumquam bis terve repetitae, nonnumquam contrariae, ERASMI judicium firmare videntur. Ubi autem qui ante hunc diem prodierunt Libri, Commentarium DONATI turpiter et inſcite prorſus luxatum lancinatumque turbato ordine exhibebant, quod innumeris locis factum, qui volet, reperiet, emendatum nunc, reſtitutumque exhibeo.

JOANNES CALPHURNIUS ille BRIXIENSIS quiſquis demum fuerit, LAURENTII VALLAE aetate, id eſt, Seculo quinto decimo, vixiſſe videtur, cujus diſerte meminit ad HEAUT. IV. 5. 10. Hic cum praeter Commentariolum in unam illam Fabulam nihil Terentiani, quod ſciam, reliquerit, et haud raro quam proxime ad ipſum DONATUM accedere videatur, dignus mihi viſus eſt, qui junctim cum DONATO ederetur. Simul autem cavere volui, ne Latiniſſima TERENTII pars reliquis magis nuda prodiret publice. Si quis vero CALPHURNIUM poſſediſſe DO-

NATUM etiam in HEAUTONTIMORUMENON contendat, non valde repugnaverim. Certe quidem pluſcula Donatiana in eo inveniri, plus ſemel monui in OBSERVATIONIBUS. Ita NICOLAUM PEROTTUM, Sipontinum Pontificem, Phaedri elegantiſſimam Fabulam, cujus Lemma eſt: *Arbores in Deorum tutela*, olim pro ſua obtruſiſſe erudito orbi novimus. Alia de eodem ſive ex Paulo Jovio, ſive ex Henrico Stephano refert Vir Cl. TH. JANS. AB ALMELOVEEN, in Syllabo Plagiariorum. Quod autem et in Mſ. Boend. et Editis quibuſdam vetuſtiſſimis haud pauca offenderem addita illis, quae CALPHURNII feruntur in Editionibus vulgatis, ita quaeque ſuis locis addidi, ut, qualiacunque haec ſint, aſteriſcis notata facile a reliquis diſcerni queant.

Ut porro ea, quae EUGRAPHIUS, ſive is EOGRAPHIUS vero nomine vocandus ſit, in Noſtrum vel notaverat, vel notanda Diſcipulis praeceperat, huic Editioni quam maxime integra adderentur, operam dedi. Perpauca admodum, neque fere quidquam, praeterquam in Prologos Terentianos Fragmenta hujus Scriptoris, Decimi, ut videtur, id eſt, obſcuriſſimi Seculi, e ſuo Codice primus omnium dederat GABRIEL FAERNUS, nuper repetita, et novae Editioni Terentianae adjecta a FRANCISCO HARE. Haec vero bona parte poſt FAERNUM e Libro Mſ. auxit FRIDERICUS LINDENBRUCHIUS. Sed vel ita ingentes lacunae, hiatus vaſti reſtabant, HECYRA integra, praeter utrumque Prologum, integrae item PHORMIONIS Scenae deerant. Cum id dolebam, neque unde ſuppetiae tam miſere habito adfectoque Interpreti petendae eſſent, exputabam, commodum incidi in duplex exemplum, quod ſervatur in Bibliotheca Leidenſi, lacerum alterum, alterum multis partibus integrius; illud quondam IS. VOSSII, hoc DIONYSII PETAVII. In illo legebatur: Sc̄i *Petri Beluacenſis*. In hujus fronte adſcriptum erat: *Rufinus in Commentario de Metris Evanthium Sacerdotem in Terentium citat*. Porro autem: *Abbo Floriac. Abbas in Epiſtolis meminit Eugraphii*. Abbatem autem illum Floriacenſem Seculo X. floruiſſe conſtat. Unde de EUGRAPHII aetate conjectura fit. Viſum igitur fuit faciundum, ut ad utrumque illum Codicem et vulgatas Editiones exigerem, et quae ab his aberant, inde transſcriberem. Fateor, vel ſic multa in eo ſupereſſe, quae medicam manum deſiderent; ſed qualemcunque EUGRAPHIUM edere, quam nullum malui, maxime cum hujus inſtituti mei ſummos, quos laudavi, Viros auctores haberem; ut, ſi tanti eſt EUGRAPHIUS, Eruditiorum conje-

Digitized by Google

conjecturae et emendationi locus eſſet. Quae ipſe nonnunquam adſperſi, leviora ſunt, quam quae magnopere laudari mereantur. Neque enim perpurgando illi Augiae ſtabulo otium ſuppetebat. Cum enim nullo diſcrimine Terentiana Eugraphianis miſta corruptiſſime legerentur, iis utcunque concinnandis ſatis moleſtiarum profligandum, ſatis taedii devorandum fuit. Unde nemo, ſpero, mirabitur, ea ad quae diutius adhaerebam, intacta a me fuiſſe relicta. Sicubi tamen Ciceronem, Virgilium, alios abs EUGRAPHIO laudatos reperiebam, eundem ei honorem, quem DONATO et CALPHURNIO habui, loca ſubnotavi, novam acceſſionem uncinulis inſerui.

Sequitur, ut de INDICE VERBORUM ET PHRASIUM addam. Hunc nova prorſus methodo adornatum vides, ſed et ſolito copioſiorem. THESAURUM LATINITATIS TERENTIANAE eſſe volui. Quot poenarum facies hic unus labor habuerit, facile agnoſcent, quotquot unquam ſimile quid tentarunt. Vides hic in Nominibus et Pronominibus ita Generum et Caſuum ordinem ſervatum, eam in Verbis Modorum, Temporum, ſed et Numerorum et Perſonarum rationem habitam, ut quaevis dictio Terentiana facillima ſit inventu, et tantum non diverſitate literarum ad primum intuitum ſemet ipſa oſtendat; hic porro THESAURUS ad exemplar Nizoliani illius in Ciceronem adornatus, praefiſcine dixerim, BOECLERI Chreſtomathiam, KOCKERTI Syllabum, utilitatis ubertate multis partibus ſuperare videatur. Neque tamen diffiteor, viam mihi muniiſſe ad hanc rationem inſtituendam Codicem quendam Mſ. perquam liberaliter uſibus meis ſuppeditatum abs Ampliſſimo Viro, ADRIANO MOERINGIO, Reip. Goudanae Senatore, et cum maxime Collegio, quod Amſtelaedami eſt, rebus Indiarum Orientalium curandis Adſcripto, Excellentiſſimi Viri, CORNELII MOERINGII, ejuſdem Reip. dum fata ſinebant, Conſularis, et Foederatae Belgicae nomine ad Potentiſſimum Daniae Regem Legati Filio. Verum ita paſſim in eo Codice turbatus erat ordo; ita multa deerant, ita denique ſenſus plerumque laborabat, non Auctoris quidem, credo, ſed neſcio cujus, qui a manu fuerat, culpa; ut, niſi ἀκριβῶς a capite ad calcem recenſeretur, emendaretur, et, uti nunc quidem prodit, optima ſui parte augeretur ille INDEX; publice edendus non videretur. Quae vero meam curam, in tam vario argumento, ut fit, fugerant, ſumma ſua cura, et induſtria prorſus ſingulari, ex AUGUSTINO GAMBARELLIO, aliiſque addidit Experientiſſimus Vir, ABRAHAMUS DE ROUW, Affinis conjunctiſſimus, Fratriſque loco

mihi habitus et dilectus. Idem, qui ejus in me amor eſt, ſi quae in COMMENTARIO laudaveram Auctorum loca, quod uſu didiciſſet, facillimum in Libris Capitibuſque citandis eſſe lapſum, ſingula, quod ipſe prius feceram, denuo ad Scriptores ipſos excuſſit, et ſicubi me hallucinatum deprehenderet, reſtituit. Id publice fateri, hominis ingenui eſſe duxi. Et nullus dubito, quin velint vel primae claſſis hac noſtra aetate Viri, ſuis Operibus ſimilem operam ab amicis, rerumque gnaris hominibus navari: ita enim praeſtantiſſimos quoſque Libros emendatius multo, ſaltem quod ad hanc rem attinet, prodire cerneres. Illud igitur paullo poſt initium ANDRIAE coeptum, Editionem quidem noſtram hactenus multo curatiorem fecit.

De verbis autem ipſius TERENTII, ea maxime ad FAERNI Editionem exhibui; non ita tamen, ut, ubi ratio manifeſto aliud ſuadere videbatur, nunquam ſecus legendum edendumve exiſtumaverim. Ne quis credat, me GUYETI, Codices Mſſ. quibus uſus eſt FAERNUS, ad HEC. II. 2. 16. ſuggillantis auctoritate motum, a tanti Viri lectione nonnunquam receſſiſſe. Qui vero e tam grandi vetuſtiſſimorum Codicum, tamque varia confuſorum verſuum varietate verum et genuinum aliquando TERENTIUM nobis daturus eſt, nae, is magnus Apollo fuerit. Nec Bembinus ille Liber, quamlibet priſci aevi, ſemper ſatis placet Faërno. Quid quod GUYETUS ad EUN. II. 2. 20. Terentianas Fabulas jam ante Ciceronis aetatem, id eſt, proxime TERENTII obitum interpolatas et depravatas fuiſſe cenſet? Quodcunque fuerit, Ciceronem non longe adeo a TERENTII aetate remotum, corrupto jam exemplo uſum eſſe, vero admodum ſit ſimile.

Cauſas ignorantiae metricae in primis abolitam Romae ſub Auguſto antiquitatis memoriam vocat in *Senario* ſuo Cl. CHR. WASIUS, Tragicoſque juxta ac Comicos veteres Bibliothecis in Urbe publicis dejectos; quando Auctores vero honore fraudatos denuo deſcribere operae pretium non fuerit Librariis. Sed quum nec Lucilio, Magni Pompeji magno avunculo parceretur, quum a Nova Poëſi Ennii ſterquilinium, Attii veternus, Pacuvii verrucae cum faſtu repellerentur, et exoletorum verborum foetores procul furcillarentur, Terentiano ſaltem metro parcere debuerat faſtidioſum ſeculum, et ſatis habere naſcentis Eloquentiae jam inde a primis incunabulis et vagitibus per ſingulas aetates incrementorum veſtigia confudiſſe. Habebit igitur, in quo ſe exerceat Vir Cl. RICHARDUS BENTLEIUS, ſi, quod ad Horat. Serm. II. 5. 79. pag. 513. profitetur, aliquando novam TERENTII Editionem ad priſcos numeros adornaturus eſt.

Sane

Digitized by Google

Sane qui rationem metricam in TERENTIO certis legibus innixam adſtrictamque dare volet, TERENTIUM ipſum, forte et LAELIUM, et SCIPIONEM ab inferis excitet neceſſe eſt. Niſi crebras ſynaloephas, epiſynaloephas, colliſiones, eliſiones, ſexcentas licentias alias probe cognitas habeat, atque inde verſus catalecticos, acatalecticos, brachycatalecticos, hypercatalecticos conſtituat; niſi inter ſcribentis Poëtae, interque Hiſtrionum verba, ſed et Interpolatorum audaciam, demum inter innumera fere Variantium Lectionum divortia, a titubantis calami lapſibus orta, certiſſimum ubique, quod mihi quidem ἐν ἀδυνάτοις ſemper viſum fuit, diſcrimen indigitet, et quodnam potiſſimum iter inſiſtere oporteat, quaſi divinus Mercurius oſtendat, fruſtra futurus eſt, quicunque opus hoc moliri unquam volet. Fuerint haec olim apud ſeculum Comicum nota Latinis auribus; fuerint hae deliciae prolutis illis labris, Attico melli, Tuſco lepori adſuetis; enimvero alia noſtrae aetatis hominum ratio eſt; eſſetque alia, opinor, ſi maxime Scriptores Metricos, et περὶ τῶν ἐν ποιήμασι ταραχῶν, cum Graecos, tum Romanos longa dudum non deleviſſet dies. Dicam etiam amplius, facilius fuerit Taraxippo equorum in Hippodromo currentium pavores averruncare, quam ulli Scenico Numini Hiſtrionum offenſiones ſeu procurare, ſeu tollere. Aut igitur neſcio cui durae et caſcae licentiae indulgendum, aut bene multa ita in alias formas varianda, ut TERENTIUM in TERENTIO quaeras. Horum utrum minus neceſſe ſit, dicam quaſi a Cenſore rogatus, EX ANIMI SENTENTIA, Non video. Metri quidem mentionem facit DONATUS ad PHORM. I. 4. 48. et alibi nonnunquam; is vero, ſi GUYETUM ad AND. IV. 1. 3. audimus, *Rei metricae plane imperitus fuit.* Jam vero MURETUS ad AND. III. 2. 1. *Sunt hic aliquot*, inquit, *verſus, quorum dimenſionem explicare ex veteribus Libris non potui, ex ingenio nolui.* Idem, Var. Lect. III. 3. exiſtimat, Hiſtriones in recitandis Fabulis quaedam de ſuo addidiſſe, ut oratio quotidianae ſimilior videretur; atque hinc factum, ut verſus Terentiani ſaepe videantur metro laborare. PALMERIUS autem ad PHORM. V. 7. 77. verſus quoſdam juſto longius excurrere cenſet, non ſine magna gratia, ut talia extra numerum cenſeantur. FAERNUS teſtatur, ſe verſum tertium et vigeſimum, Act. II. Sc. III. PHORMIONIS, tum verſum quartum et quadrageſimum Act. V. Sc. VII. ejuſdem Fabulae pedibus metiri non poſſe. Alii ad alia adhaeſerunt. Neque P. ANTESIGNANI, ſingulis verſibus, tanquam proprios pedes ad oram adſcribentis, ſed inter Eraſmum et J. C.

Scaligerum ſemper dubii et fluctuantis nimia diligentia rem ſatis expedivit. *Profecto tanta*, verba ſunt JAC. PERIZONII ad Sanct. Min. p. 417. *invaluit licentia, ut vix inde quid certa ratione probare, vel refutare queas.* Et ſi, quod ſua jam aetate dicebat Cicero, Comicorum Senarii propter ſimilitudinem ſermonis ita abjecti ſunt, ut nonnunquam in his numerus et verſus vix intelligi poſſit, quid, amabo, aliis Carminum generibus, quibus Comoedia referta eſt, fiet? Viderunt id, qui temporibus Priſciani metra in TERENTII Comoediis eſſe negarunt. Quanquam quis id in univerſum affirmaverit? Neque tamen cum Quinctiliano plus gratiae habituras fuiſſe crediderim, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent. Grave enim videtur judicare de judicio talium Virorum, ad quorum ſcientiam cum in Poëtica, tum in Latini ſermonis elegantia, quotquot tot quidem ſeculis poſt haſce Artes tractarunt, vel etiam nunc tractant, vix comparandi ſunt, ne quid gravius dicam. Ita igitur ſtatuo, et arcanum Artis Metricae priſci illius aevi dudum eſſe deperditum, et verſus Comicos omnino ita abjectos eo conſilio, ut a ſermone vulgari parum aut nihil abirent, eoque haud raro miſcerentur. Vitam enim imitati ſoluta oratione potius inter ſe confabulari, quam numeris adſtricta, videri voluerunt. Idem tamen Cicero Parad. III. 2. *Hiſtrio*, inquit, *ſi paullum ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllaba una brevior aut longior, exſibilatur et exploditur.* Quod qui fieri potuerit in Scena Nova, ubi alternis tantum ſedibus Spondei recepti, vix intelligas; nedum, ſi de Veteri ſermo ſit, ubi Tragicos, Comicos, Satyricoſque Jambis Trochaicisque verſibus plures immiſcuiſſe Spondeos novimus. Quid quod numeri rebus paſſim parum conveniunt, variumque Carminum genus in eodem, idem in diverſo negotio adhibetur? Si tamen ea Carmina ſunt, unde niſi diverſiſſima pedum et metrorum genera vix exſculpas. Neque ſemper, credo, dignitas nobis videtur in tardis Spondeis, neque exardeſcens affectus in incitatioribus Dactylis. Illud confidenter dico, niſi quis multo maximam literarum partem Comicorum, et maxime PLAUTI et TERENTII aetate aliter ſcriptam, aliter pronunciatam, vel omnino in ſermone ſuppreſſam, quod nunc Gallis et Britannis perquam familiare eſt, oſtenderit; ſed et quae illius corruptae pronunciationis ratio fuerit, examuſſim indicaverit, nequidquam Licentiae Comicae Regulas nobis concinnabit. Si enim promiſcue ſyllabam contra quantitatis vulgatae, diphthongi et poſitionis naturam corripere fas ſit, quod contendit Cl. HARE; ſi non, *Eſtis vos*, ſed *éte vous*, cum hodiernis Gallis, *Yo* pro *Ego*, cum Hiſpanis dixiſſe

priſcos

priſcos Latinos credimus cum Cl. WASIO, quid ſonuerit viva Seculi Plautini et Terentiani vox, ſane aegre ex ipſis per ſe literis confici poſſe patet. Et quotuſquiſque eſt, qui non videat, eadem ratione cuncta vel Ciceronis, cui in ipſis orationis fulminibus ſaepius jambi exciderunt, vel cujuſcunque alterius Scriptoris opera ad metrum redigi poſſe? Adeo ardua res eſt, ad calculum revocare, quo pacto quid in veteri orcheſtra ad tibiam cantari et ſaltari ſit ſolitum. Vidit id, et ingenue profeſſa eſt Elegantiſſima ANNA, cujus veriſſima in fine Praefationis verba ſunt: „ On pourroit faire beaucoup de „ remarques ſur l'arrangement de mots, qui aſſez ſouvent ſont autre- „ ment placez dans ces Manuſcrits, que dans les imprimez; mais ce- „ la ſeroit ennuyeux; nous n'avons pas aujourd'hui l'oreille aſſez fine „ pour juger de cette difference. Et pour ce qui eſt de la meſure des „ Vers, il nous ſieroit mal de vouloir faire les delicats ſur une caden- „ ce, qui étoit tres-peu ſenſible du temps même de Ciceron, et que „ les plus grands connoiſſeurs ne démêloient qu'avec beaucoup de pei- „ ne. „ Quod eſt: *Poſſint multa notari ſuper ſerie vocum, quae frequentiſſime alia eſt in his Mſſ. alia in Libris impreſſis; ſed id odioſum foret: non ſunt nobis nunc ſatis delicatae aures, quae ſtatuant de hoc diſcrimine. Et quod attinet ad menſuram verſuum, parum nos deceret, de numeris arbitrari velle, quorum cognitio jam inde a Ciceronis aetate vix ſatis cognita fuit, quoſque vel peritiſſimi Viri non niſi difficulter expediverunt.* Lucubrentur ſane, mordeant ungues, extricent, quam velint, Viri docti, quibus otium eſt, tum demum vera eorum gloria praedicabitur, ubi utilitatem ejus, quod fecerint, adprobabunt, fortunaſque Graeciae in eo verti, demonſtrabunt publice. Enimvero tueatur quis rite ceteras partes, et facilis intricatiſſimi metri jactura erit; ſatis ſe ſuperque viva morum imagine, ſtilique elegantia commendabit TERENTIUS. Ego igitur ne quid adverſus Legem Corneliam, quae eſt de Falſo, committerem publice, meque turpiter darem, de Metro perparce diſſerui. Neque enim eſt noſtrum, quae ſuper eo argumento inter Eraſmum, Scaligerum Patrem, Anteſignanum, Glareanum, Goveanum, Scioppium, Tanaq. Fabrum, Joachimum Camerarium, Guyetum, alios, quanquam uti non aequales, ita nec per omnia pares, ſatis acriter ſunt agitatae, componere lites. Quo ſaepius autem TERENTIUM lego, eo magis fit mihi veriſimile, elegantiſſimum Scriptorem honeſtate verborum delectatum ſalebras verſuum ſuperare, quam quidquam de recto compoſitionis tramite deflectere maluiſſe. Et profecto, quantum decoris Virgilius ex Homeri imita-

imitatione conſequutus eſt, tantum e Menandri expreſſione TERENTIUS, aut plus eo. Contra ſi qui ſentiunt, nil ſentiunt. Audiant haec vel Volcatii Sedigiti Manes, palmam TERENTIO debitam, Caecilio dantis. Ducatur ſane huic laudi, auctore Horatio, *gravitate* viciſſe, modo de *Arte* lis nulla moveatur Noſtro. Quanquam quis in Socco gravitatem Cothurni magnopere admiretur? Certe quidem tenuitatem ſermonis in Comoediis Graecis Quinctilianum laudaſſe novimus. Unde dubium nullum eſt, manſurum TERENTIO ſuum honorem, Latinis dum manebit pretium Literis.

Tum alterum eſt, quod mihi parum etiam expeditum uſque adhuc videtur a Viris Eruditis, et vereor, ut unquam ſatis expediatur. Scilicet AFER noſter ita e MENANDRO, APOLLODORO, DIPHILO, multa tranſtulit in ſuas Fabulas, ut veteris Graeciae mores paſſim notare videatur; ita Romanis Romane ſcripſit, ut Romanorum ſui aevi inſtituta non raro tetigiſſe adpareat. Verum haec ubique qui certiſſimis argumentis diſcernere quiverit, videre me nondum memini. Eſt, ubi DONATUS ipſe dubitat, et nihil expedit.

Quam TERENTII Effigiem exhibeo, ea eſt expreſſa ad exemplar Vaticanum, fuitque aliquando FULVII URSINI. Sed et DONATI illam lubens addidiſſem, ſi vel Cl. Vir, PHILIPPUS STOSCHIUS, denuo Italiam luſtrans, vel Vir Ampliſſimus, HENRICUS BRENCMANNUS literis ad Amicos Italos datis ejus me compotem facere potuiſſent. De EUGRAPHII et CALPHURNII iconibus minus laboravi, utpote minorum gentium.

Atque haec fere erant, quae Te antea ſcire volebam, Erudite et Benevole Lector, quam ad Comicum noſtrum luſtrandum accingereris. Ita in eo exponendo brevitati ſtudui, ne quid perſpicuitati decederet. Sicubi ſeorſim a Viris Doctis ſentiendum videbatur, eorum exiſtimationi, uti par erat, conſului. Si quae obſcuriora, et uſque adhuc non ſatis explicita offendi, modeſte ſententiam interpoſui. Quid in univerſum praeſtiterim, Eruditorum eſto judicium. Meliora ſi quis dederit, TERENTIO quidem gratulabor, mihi gaudebo. Magna dicendi copia eſſet, ſi id nunc agerem, qui pro levibus cauſis plumbeas iras geſſerint, liteſque acerbiſſimas exercuerint; ſed et qui de graviſſimis rebus amice inter ſe et perquam familiariter diſceptaverint. In his quidem ſi plures hodie ſua nomina profiterentur, non adeo illiberaliter praeſtantiſſimorum Virorum famam et exiſtimationem publice lacerari cerneres.

res, et, quod merito indigneris, a puſillis quandoque et jejunis animis; multo autem melius Rei conſuleretur Literariae. Quid enim tanta induſtria elaboratum vel abs peritiſſimis Hominibus reperietur unquam, in quo non aliquid vitii reſidere deprehenderint alii? Ad Protogenis tabulam pictam, ubi inerat effigies Ialyſi, integro ſeptennio abſoluta, primum quidem obſtupefactus dicitur Apelles, mox vero gratiam operis deſideraſſe. Idem Librorum ferme omnium, ſi a Sacris diſcedas, fatum eſt. Reprehendant igitur et me Viri Eruditi, quam velint, modo conviciis abſtineant, et erudiant ſimul. Licet enim neque indoctiſſimis ſcripſerim, neque doctiſſimis, non tamen recuſo, ut olim Lucilius, quo minus omnes mea legant. Stili ne quando poenas publice darem, cautio fuit. Neque enim aegre feret, ſpero, JO. CLERICUS, Vir Clariſſimus, quod Criſi ſuae in TERENTIUM et DONATUM non acceſſerim. Plurima ejus merita lubens agnoſco et mirans laudo. Hominem tamen ſe eſſe, quin meminerit, cui in tam vario ſtudiorum genere facile ſomnus obrepat, dubium mihi nullum eſt. Zoilos autem, Momos, Μωροσόφους, homines moroſis et moris moribus moratos, qui ſuſpenſo nare, adducto ſupercilio ad aliena omnia nauſeant, quibuſque meliores carpere, in quovis loco vellicare, et turpi faſtu prae ſe contemnere, quin, ut ſapere videantur, coelum ipſum vituperare, id demum eruditionem ſuam oſtentare eſt, non moror; faſtidioſum genus hominum, nihil dignum ex ſeſe gignentium, aliorum laboribus inſidiantium, ſuo Genio relinquo, et faſtidio ultro; neque adeo contra eos aram mihi aut precatorem parabo.

Digitized by Google

PAEDAGOGIS
PHILIPPUS MELANCHTHON
S. P. D.

CUM Typographus hic Terentii Comoedias recudere pararet, rogavit, ut ſe in optimo auctore edendo recognoſcendoque adjuvarem. Ego vero tametſi non ſatis inſtructus eſſem veteribus exemplis, quibus in tali re oput erat: tameu homini amico, in ſanctiſſimo negotio nolui deeſſe. Nam mihi quidem praeclare mereri de Repub. videntur, qui hoc genus auctoribus edendis, publicis ſtudiis conſulunt. Praeſertim autem hoc tempore, cum in perniciem literarum pene conſpiraſſe chalcographi videntur: non mediocris gratia debetur iis, qui nonnullo rei familiaris periculo in veteribus tranſſcribendis ſumptus faciunt. Paſſim enim uovis et inſulſis libellis magno numero quotidie prodeuntibus, luculenta veterum ſcripta opprimuntur. Porro vix alius liber eſt, quem perinde omnium manibus teri referat, atque has Comoedias. Nam praeterquam quod honeſtiſſima civilium morum exempla hic proponuntur, ad parandam dicendi facultatem mirifice conducunt. Vincit enim proprietate ſermonis facile omnes Terentius, quae virtus in oratione citra controverſiam prima eſt. Deinde ea in exponendo ac narrando copia, ea diſpoſitio argumentorum, ea in ſenteutiis ac ſalibus venuſtas eſt prorſus, ut perfectius ne quidem ipſas Athenas, quat iu hoc genere regnaſſe ferunt, quicquam facere potuiſſe credam. Quare hunc auctorem edentibus non inviti operam dedimus. Quid praeſtiterimus indicabunt exempla, ſi cum aliis conferantur. Facta eſt copia nobis Terentiani Codicis, qui videbatur vetuſtior, ſed erant juxta proverbium, ἄνθρακες θησαυρός. Itaque nos non magnopere adjuvit. Utinam autem libeat iis, quos audio diu jam moliri emendationem, tandem aliquanto nitidiorem Tereutium in proſcenium producere. Neque enim alio beneficio majorem gratiam apud ſtudioſos omneis inire quiſquam poſſit. Me vero nou poenitebit hujus operae, ſi qui me auctore magis amabunt Terentium. Chryſoſtomum ferunt tantopere delectatum eſſe Ariſtophanis lectione, ut ſemper iu manibus haberet, dormiens etiam pro pulvino uteretur. Nec dubium eſt, quiu alendae locupletandaeque facundiae cauſa tam ſedulo legerit. Quanto pluris Terentius fierl meretur, cujus Fabulae cum obſcoenitate vacant, tum ſunt aliquanto quam Ariſtophanicae, niſi valde fallor, σεμνότεραι. Proinde paedagogos omnes adhortor, ut huuc auctorem ſumma fide ſtudiis juventutis commendent. Nam et ad judicium formandum de communibus moribus, mihi quidem plus conferre, quam plerique Philoſophorum commentariis, videtur. Et non alius auctor loqui elegantius docebit, aut utiliore genere orationis puerilem linguam imbuet. Beatas Reſpublicas, ſi hoc genere literarum dedolata juveutus, ad majores res gerendas acceſſerit! Nunc cum nullae literae, nulla ſcientia neque religionis, neque virtutis ſit in his, qui tenent Reſpublicas, videmus eorum inſcitia, omnia ſacra et profana, divina atque humana miſceri.

DES.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

JOANNI ET STANISLAO BONERIS

FRATRIBUS POLONIS S. D.

IN teneris, inquit ille, conſueſcere multum eſt: proiude conſultum eſt protinus optimis aſſueſcere. Sic enim fiet, ut quae uatura ſuut optima, eadem uſu fiant et jucundiſſima. Nibil autem eſt bomini melius pietate, cujus ſemina cum ipſo ſtatim lacte ſunt inſtillanda parvulis. Proximum locum babent diſciplinae liberales, quae licet per ſe virtutes nou ſint, tamen ad virtutem praeparant ingeuium, dum id ex ſylveſtri et immiti reddunt manſuetum ac tractabile. Porro quod Ariſtoteles negat adoleſcentes idoneos eſſe diſcendae morali philoſophiae, fortaſſis baud omnino falſum eſt. Verum id non tam accidit vel rei, vel bumani ingenii vitio, quam eorum culpa, qui vel ſero tradunt eam animis jam educatione prava corruptis, ac malis cupiditatibus occupatis: vel moleſte et operoſe tradunt, magis illud affectantes, ut ipſi videautur acuti, quam ut diſcipulos reddant meliores. Alioqui nibil magis ſecundum naturam eſt, quam virtus et eruditio, quae duo ſi adimas bomini, jam bomo eſſe deſiit. Unumquodque autem animal ejus rei maxime docile eſt, ad quam natura compoſitum eſt: velut equus ad curſum, canis ad veuatum, avis ad volaudum, ſimius ad luſum. Non eſt igitur quod naturam incuſemus, ſed magui refert, uude pietatis et eruditionis elementa primum bauriantur: tum quem ad baec ducem nanciſcatur puer, praeſertim rudibus illis annis, quibus ingeuium etiamnum a vitiis purum, veluti cera mollis in omnem ſingentis babitum ſequax eſt, et obſecundans. Itaque multis nomiuibus vos felices judico, ornatiſſimi pueri: primum quod boc ſeculo nati ſitis, quo ut verae pietatis, ita et melioris literaturae ſiuceritas mirifice revixit. Nam me puero multum ſuperſtitionis babebat religio, et in ſcbolis adoleſcentes ſummo cruciatu nibil fere diſcebant, niſi dediſceudum. Deinde quod is vobis pater coutigerit, qui liberos ſuos parum beatos fore judicat, ſi opum ac diguitatis, quibus inter Polonicæ gentis proceres praecipuum tenet locum, eos paraverit baeredes, uiſi et veris animi bonis tum locupletes reddiderit, tum expolitos. Nec enim ille ſibi videtur parentis munus ad plenum obiiſſe, uiſi quemadmodum genuit corpora, ita fingat et auimos, baud iguarus banc eſſe meliorem bominis partem, banc eſſe praecipuam bomiuis poſſeſſionem. Vir enim pius non tam ſibi vos educat, quam Chriſto et Reipublicae. Quod vos genuit, naturae eſt: quod vos curat ſtatim e nutricum ſinu egreſſos, boneſtiſſimis diſciplinis imbuendos, verae pietatis eſt: prudeutiae vero', quod ad baec Auſelmum Ephorinum delegerit, virum integritate, prudentia, fide, doctrina, vigilantiaque cum primis ſpectatum et exploratum. Quo nimirum acrius vobis euitendum eſt, ne quum omnia ad felicitatem ſuppeditata ſint, ipſi vobis ipſis defuiſſe videamini. Magna de vobis, de te praeſertim, Joannes Bonere, exſpectatio eſt. Declarant hoc tam multae principum virorum ad me literae, quibus indolem tuam mibi diligenter commendant: in primis prudentiſſimi Regis Sigiſmundi, dein ornatiſſimorum Praeſulum Cracovienſis et Plocenſis, cla-

riſſimi viri, Chriſtophori a Schydlovitz, Sarmatici regni praefecti: ne jam commemorem Antonium medicum, et Juſtum Regis a ſecretis, dignitate quidem inferiores, ſed benevolentia pares. Intelligunt enim regna nullis ornamentis melius decorari, quam viris eruditione, prudentiaque praecellentibus. Hanc laudis partem non minus ambit Rex hujus aevi Regum prudentiſſimus, quam tot ex hoſtibus victoriis delectatur. Et hactenus quidem ſat feliciter ſtudiis effloruit veſtra Sarmatia, et ſi quid erat nativae feritatis, commercio literarum exuit. Sed bona ſpes eſt fore, ut hoc ornamentorum genere cum qualibet regione certare valeat, praeſertim ductu auſpiciiſque Sigiſmundi Regis junioris, qui praeter alias virtutes excellenti principe dignas, optimis quoque literis ſeſe regno parat. Verum exhortandi gratia, nonnihil et antea ſcripſimus tibi, et in poſterum, quoties dabitur occaſio, ſcripturi ſumus. Nunc quo calcar aliquod addamus currenti licet, Terentii Comoedias, Bonerici nominis auſpicio prodire voluimus, ſed multo quam antea fuerunt caſtigatiores. Hoc ut vellem, effecit tua Staniſlaique Glandini ſamuli tui dexteritas, qui nobis interdum aliquot ſcenas tam feliciter agere ſoletis, ut et imitationem, primum ut ait Fabius, in pueris ingenii ſignum, et memoriam vehementer admirarentur, quicunque nobiſcum ſpectabant. Non ex alio ſcriptore melius diſcitur Romani ſermonis puritas; nec eſt alius lectu jucundior, aut puerorum ingeniis accommodatior. Caeterum id praeſtabit Ephorini praeceptoris dexteritas, ut et ad eloquentiam, et ad mores ſit utilis. Quemadmodum enim bona prudentiae pars eſt, noſſe varios hominum mores, et ingenium: ita decorum et tractatio affectuum, qui cumprimis adferunt jucunditatem orationi, Graeci vocant ἤθη, ex nullo Rhetorum melius diſcitur. Porro quum inter oratorias partes praecipua ſit argumentorum inventio, ad hanc quoque facultatem in omni cauſarum genere parandam Terentiana lectio conducit plurimum. Nec enim ſine cauſa Criticorum ſuffragia artem huic auctori tribuere. Plus enim exacti judicii eſt in una Comoedia Terentiana, abſit Nemeſis dicto, quam in Plautinis omnibus. Sed in tali auctore velut in tabula quapiam Apellis, magni refert, quis adſit commonſtrator. Qui ſi contingat egregius artifex, haec lectio non ſolum valebit ad exhilarandum animum, non tantum ad emendate loquendum, non modo ad uberiorem dicendi facultatem: verum etiam non parum adſeret philoſophiae moralis, quam unam Socrates exiſtimavit eſſe perdiſcendam homini, qui cupiat beate vivere. Itaque ni te ſponte currentem viderem, chariſſime Joannes, etiam atque etiam hortarer, ut reputes quantum ſis Deo nomen, cujus munificentia tam felicem indolem docileque ingenium ſortitus es, cui debes et parentem Severinum Bonerum, et Anſelmum parentem alterum: tum qualium virorum quanta de te ſit exſpectatio, et in te conjecti oculi: poſtremo quam iſthaec aetas ad honeſtas diſciplinas ſit appoſita. Nondum enim, ut opinor, annum decimumquartum exceſſiſti. Nam ad parandam eruditionem plus valet in teneris annis unicus, quam decem, ubi jam animus aliis occupatus curis, ad docilitatem induruit. Adde huc, quod ea demum in omnem vitam tenaciſſime haerent, quae pueri imbibimus. Dimittam te, ſi prius illud admonuero, ut in omni genere carminum temet diligenter exerceas, eo quod qui hanc eruditionis partem neglexerunt, minore tum fructu, tum voluptate verſantur in auctoribus, qui carmen conſcripſerunt. Iidem facilius labuntur decepti mendis codicum, quos ſaepenumero prodit metri ratio. Quoniam autem in hoc auctore perturbatior ac liberior eſt carminum ratio, pauca quaedam annotavimus, lucis ut opinor, nonnihil allatura parum exercitatis. Vale, et fruere. Friburgi Briſgaviae, prid. Idib. Decemb. Anno a Chriſto nato, M. D. XXXII.

CAROLO BORROMEO
S. R. E. CARD.
PETRUS VICTORIUS Sal.

MITTO ad te, Borromee Ampliſſime, Poëtam elegantiſſimum, familiaris tui opera ſtudioque olim expolitum: nunc autem, non ſine cura aliqua mea, formis excuſum atque divulgatum: cum enim domi tuae illum haberes, poſſeſque ſolus aut cum paucis, labore et induſtria diligentis et eruditi Viri frui, ut es omnibus in rebus publicorum commodorum ſtudioſiſſimus, maluiſti bonum hoc cunctis bonarum artium cupidis impertiri. Recte igitur feciſti, conſiliumque hoc tuum laudent omnes neceſſe eſt, qui non ſunt penitus averſi a Muſis; nec ſuas tantum propriaſque utilitates conſectantur. Ipſe vero libenter ſuſcepi hanc curam, dedique operam ut fideliter imprimeretur, ut ſervirem honori ac laudi Faërni, cum quo dum vixi, magna amicitia conjunctus fui: cum enim aliter nunc illum juvare non poſſem, hoc, non parvum ſane, beneficium me in eum collaturum eſſe exiſtimavi, ſi memoriam ipſius coluiſſem, et quantum per me fieri poſſet, vivam florentemque conſervaſſem. Cognovi etiam me veteribus ejus ſodalibus cupidiſque, ſi hoc egiſſem, gratum eſſe facturum, hominibus honeſtis, et qui plurimum Faërnum ob ipſius probitatem, eruditionemque diligebant: quorum etiam partim mei neceſſarii ſunt, partim vero, propter egregias animi dotes, et ipſi omnium amore digniſſimi. Iis igitur quoque placere volui: ſtuduique, nihil a moribus meis dignitateque alienum gerens, benevolentiam eorum mihi magis conciliare. Nam quantopere etiam ipſe eodem ſtudio delectatus ſim, et quantum diligentiae adhibuerim in bonis auctoribus et Graecis et Latinis emendandis et ab omni labe vitioque expurgandis, notum teſtatumque eſt. Quomodo igitur non debui eandem voluntatem in aliis fovere, qui in eodem curſu non ſine multa laude verſarentur? praeſertim cum quod moleſtiae in hoc munere obeundo omni tempore ſuſcepi, non oſtentandi ingenii honoriſque magni adipiſcendi cauſa ſuſceperim, ſed veteres auctores illuſtrandi, et e corpore ipſorum turpes maculas eluendi. Quare omnem hominem, qui in hoc ſtudio cum fide judicioque aliquo verſaretur, ſemper adjuviſſem: quod etiam arbitror me aliquando feciſſe: nonnulliſque ſuppeditaſſe ea auxilia, quae in me poſita erant, et ad finem illum obtinendum magnopere pertinebant. Quod alii fortaſſe, jejuni animi homines, et nimis avidi laudis, non feciſſent. Valuit etiam aliquid ad me impellendum, et ne declinarem hunc laborem, perſuadendum, quod et ipſe non parum hoc lepido nobilique Poëta delector: putoque ipſum valde utilem eſſe, et ad Latinam linguam puriter perdiſcendam, et ad vitam hominum ſuaviter excolendam. Nam quin accurata lectione Terentii mores emendentur et politiores integrioreſque reddantur, ſi quis con-

ſilium illius finemque attendat, corrigique ſe patiatur, dubitandum non eſt: ſunt enim fabulae ipſius (quantum ratio ejus poëmatis fert) honeſtae ac graves, remotaeque ab omni turpitudine verborum factorumque: talem autem ipſum fuiſſe natura moribuſque facile ſuſpicari poſſumus: cujus rei etiam indicium eſt, quod ille uſus eſt conſuetudine ſanctiſſimorum moderatiſſimorumque ſuae aetatis Virorum: qui non tantopere ipſum dilexiſſent, nec in amicitiam ſuam irrepere paſſi eſſent, niſi ſimilis ipſis parque ingenio ac vita fuiſſet. Facit etiam (niſi fallor) ut merito ille hominibus gravibus carus atque jucundus eſſe debeat, quia propoſuit ſibi ad imitandum Menandrum: cunctaſque ſuas fabulas, una aut altera excepta, ex eo Poëta expreſſit: de cujus ingenii ſuavitate ſalibuſque ita multa et doctiſſimi et honeſtiſſimi Viri memoriae prodiderunt, ut non mediocriter dolendum ſit illum e manibus ereptum eſſe, et ita quidem deletum, ut ne veſtigium quidem ullum Graecum ipſius appareat. Nam cum extiterint olim graviſſimi Viri Graeci: quique ſuis praeceptis ſcriptiſque magnopere pietatem noſtram Chriſtianam adjuverint, qui vehementer Ariſtophanem amaverint, nec unquam fere fabulas ejus e manibus dimiſerint, Plutarchus tamen de illo Poëta aliter ſenſit: longeque ipſi praeponendum eſſe Menandrum exiſtimavit: cum enim eum errorem ex animis quorundam evellere cuperet, ſedulo duos hos Poëtas inter ſe comparavit: quorum alter Veteris: alter vero Novae Comoediae auctor fuerat: collectiſque diligenter eorum virtutibus ac vitiis, vel potius alterius inſignibus vitiis; alterius ſummis virtutibus, praeferendum eſſe omnibus de cauſis Menandrum demonſtravit: in cujus laudes celebrandas ita ſe effundit, ut modum nullum ipſarum tenere poſſe videatur. Non neceſſe eſt autem me nunc argumenta illa huc transferre: unum tantum ponam, quod in primis aptum eſt ad Menandrum ornandum: ad alterum vero illum omni paene honore ſpoliandum. Quod cum facetiſſimus praeter ceteros lepidiſſimuſque Comicus Ariſtophanes et habeatur et dicatur, affirmat Plutarchus Ariſtophanis ſales, cum amari et aſperi ſint, vim quandam exulcerandi, mordendique habere: contra autem Menandri ſales ita lepidos ac venuſtos eſſe, ut ex illo ipſo mari, unde Venus orta eſt, nati eſſe videantur. Sed ut, relicto Ariſtophane, ad Noſtrum redeamus. qui Menandrum probant, ſummiſque laudibus in coelum efferunt, iidem manifeſto Terentium commendant: illius enim Graeci Latinus hic imago quaedam ſimulacrumque eſt, vel potius ille ipſe expreſſus, in aliumque ſermonem (hoc enim fere tantum diſcriminis eſt) converſus. Quod intelligitur etiam teſtimonio quodam Ciceronis, verſibus notato: legitur autem illud apud Donatum, in ipſius Poëtae vita. Nec tamen me fallit nonnulla in vertendo mutaſſe Terentium, quibuſdamque in rebus judicium quoddam ſuum adhibuiſſe: ut illud, quod e ſimplicibus duplices fere cunctas fabulas fecit. Qua in re cum placere voluerit ſpectatoribus, qui plerumque gemina compoſitione rerum, duobuſque ſimul ad exitum perductis argumentis capiuntur, diſceſſit non tantum a mente et quaſi praeſcripto Menandri, verum etiam a ſententia Ariſtotelis, arbitrantis alterum illud melius eſſe: judicantiſque uno in argumento, unaque in perſona manere Poëtas oportere: ſive Tragoediam, ſive Comoediam ſcribant. Nam quaedam etiam ipſum variaſſe, inſtituta nonnulla ad conſuetudinem moremque Romanorum hominum convertentem, apud eundem etiam veterem Grammaticum lectum eſt. Neque tamen hoc quin verum id ſit quod diximus facit, nullo inquam

alio

Digitized by Google

alio in loco planius ſpectari poſſe lepores venuſtateſque Menandri, quam in fabulis Terentianis. Ut taceam majores virtutes ab ipſo acceptas: quemadmodum cum Graecus ille fingat in meretriciis amoribus adoleſcentium libidinem exerceri ſolitam, nec feminae ingenuae pudicitiam expugnatam arte ulla in ſcenam referri, ſi quando tamen virgini civi ſtuprum infertur, numquam non inde nuptias naſci ſolitas: ut ex principio illo malo turpique, res bona atque honeſta proficiſcatur. Quod accurate, ut apparet, ſervavit Terentius, neglectum ab recentioris memoriae Poëtis, qui paſſim et his a bonis moribus alienis, et aliis turpioribus adhuc amoribus Comoediam inquinant, et ne dum vitam expoliant et corrigant, potius ipſam foedant, et omni dedecore contaminant. Eſt igitur omnibus his de cauſis, aliiſque nonnullis minime obſcuris, Terentius amandus; in ſinuque frequenter habendus: ac profecto bene omnis opera ponitur, quae in ipſo illuſtrando celebrandoque collocatur. Quod ipſum etiam me hortatum eſt, ut diligenter eum imprimi curarem; ſtudeo enim prodeſſe quacumque re poſſum, cupidis honeſtarum artium: nec ullum umquam laborem recuſavi, ut partem aliquam hujus laudis adipiſcerer. Coeperam autem multo antea hunc Faërni conatum adjuvare: et ut ex ipſius ſcriptis apparet, miſeram ad eum antiquiſſimum Terentii librum, quem domi habebam: cujus ille teſtimonio ſaepe utitur, et unde ſe plurimum in judicando adjutum fatetur. Eſt autem is multis in rebus ſimilis ei, qui Petri Bembi fuit. Nam nomina perſonarum Graecis literis notata ambo habent, non primis fere ſyllabis vocum illarum, quibus perſonae appellantur, cum ſtatim in fronte ſingularum ſcenarum declaratum ſit, quibus litteris perſonae, quae illic loquuntur, ſignificentur. Quae omnia (ut opinor) diligenter a Faërno expoſita fuiſſent, ſi extremam manum labori huic ſuo admovere potuiſſet: et non ante iniquiſſima morte praereptus eſſet. Ordo etiam Fabularum communis pervulgatuſque a nobis ſervatus eſt, qui fortaſſe verus non eſt, quod ſuſpicari licet, etiam ex faſtis: quia quod judicium de hac re ille feciſſet, compertum nobis non erat: nec quicquam ipſe de hoc litteris ſuis mandavit. In Bembi certe libro ADELPHI poſtremum locum tenent. Quia autem Faërnus ardebat cupiditate hunc optimum Poëtam juvandi, et omni ratione, qua poterat expoliendi: facereque multum ad eum reſtituendum intelligebat rationem verſuum, qui in conſuetudine Comicorum ſunt, tenere, ſcribere aggreſſus eſt librum de illo genere metrorum, quem tamen non abſolvit. Quod ſi ad exitum opus hoc perducere potuiſſet, cum in primis ejus rei peritus eſſet, multumque in hoc ſtudio verſatus foret, omnem illam materiam plene perfecteque tractaſſet: nec ullam quaeſtionem propriam ejus loci omiſiſſet: illum tamen ipſum qualem reliquit, vel potius ipſius initium, et non contemnendi aedificii veſtibulum occultare non libuit, ne qua ingenii ipſius monimenta perirent. Hoc autem rectum eſſe et fieri debere illi, quibus memoria Faërni commendata eſt, judicarunt, ſperantes omnia in bonam partem acceptum iri: et id boni quod in illo libello eſt, ſtudioſos hujus elegantis doctrinae prorſus laudaturos: ſi quid vero non omnino plenum perfectumque illic invenerint, ei veniam daturos. Nam quale opus ipſum integrum futurum fuerit, declarat quod auctor ipſius in primo ſtatim aditu, minime glorioſus homo, nec inanis laudis cupidus, de ſua facultate nonnulla praedicat, et quam haec doctrina hac aetate adhuc obſcura, tenebriſque multis involuta ſit, teſtatur.

Hos

Digitized by Google

Hos autem omnes optimi ingenii fructus, Antiſtes optime, (ut initio ſcripſi) ad te mitto, unde exierunt, et e cujus copioſa bibliotheca in manus eruditorum pervenerunt, ut a cunctis ſtatim intelligatur, cujus beneficio ipſi aucti ſunt. In quo arbitror etiam me Manibus Faërni gratum feciſſe, ſi haec poſt mortem curare hominibus mos eſt, qui te poſt Pium IV. Pont. Max. veterem ſuum patronum, auctoremque ſuorum omnium commodorum colebat: nec ſane aliter facere poterat, niſi a judicio ipſius ſapientiſſimi Viri diſcedere vellet: quod numquam commiſiſſet: videbat enim cum reliquis omnibus, qui in iſta celebri urbe ac regina omnium civitatum vivunt, quanto in honore apud ipſum eſſes, et quantum ille ingenio prudentiaeque tuae tribueret, cum bonam magnamque partem oneris ejus quod ſuſtinet, maximi omnium onerum, quodque vere Aetna gravius appellari poteſt, humeris tuis impoſuit. Sed ſua ſponte etiam ille de te egregie exiſtimabat; ac quem coleret, et tanquam Numen aliquod veneraretur, elegerat. Hos igitur tui magni amatoris labores fovebis, et ab omni injuria impetuque adverſariorum defendes. Quod vero nunc de illis conſilium captum eſt, ut ſcilicet ederentur, quia utiles illos magnopere avunculus tuus exiſtimabat, maluiſſet multo antea capi: ac memini etiam cum ille, minore adhuc in fortuna conſtitutus, hic mecum queſtus eſt, quod negotium hoc nimis lentum foret, pluſque quam oporteret, differret Faërnus monimenta haec publicare: ſe namque illi ſemper auctorem fuiſſe ut maturaret, praedicabat: et ut id facilius facere poſſet, pecuniam etiam, auxiliique omne genus ſolitum polliceri dicebat. Hoc igitur quoque nomine labores hos amabis, caroſque valde habebis. Non ſum tamen neſcius, ipſos ad te erudiendum magnopere aptos non eſſe. Nam aetas tua et dignitas et tantus uſus rerum longe aliam doctrinam requirunt, et quidquid temporis e magnis gravibuſque occupationibus eripere potes, in ſapientiae ſtudiis diviniſque noſtris litteris perſcrutandis collocas: una cum doctis et probis Viris, quos domi habes, legens ſemper aliquid noſtrae inſtitutionis proprium, ut magis adhuc perſonam iſtam quam ſuſtines, ornes: quae profecto ſatis jam ſatiſque ornata eſt: ſi modus ullus adhiberi, terminuſque in vita humana emendanda, omnique virtute expolienda, conſtitui debet. Cui enim nota non eſt probitas animi tui? cui non ſaepe audita vel ſpectata potius, incredibilis temperantia et caſtitas? quae cum in iſta aetate moribuſque horum temporum rara et infrequens ſit, domeſtica in te et a natura prope ipſa inſita videtur. De pietate vero erga Deum Opt. Max. quae mirifica in te viget, in oreque omnium populorum eſt, verbum facere non libet: metuo enim ne dum rem narrare velim, & oratione mea praeſtantiſſimam hanc et divinam virtutem, quae in te eſt, celebrare coner, ipſam potius conteram et extenuem. Sed, his majoribus virtutibus tuis nunc relictis, ad amorem, quo proſequeris honeſta ſtudia atque artes has liberales, revertar: de quo ſi forte aliquis dubitaret, praeclarum ſpecimen his ipſis diebus dediſti, cum curaſti ut Gulielmus Sirletus, Vir haud magna cum re, ſed fide plenus, ut de Q. Ennio M. Tullius litteris mandavit, in ampliſſimum veſtrum Cardinalium collegium cooptaretur. Dignus ille quidem per ſe erat omni honore, et praeclare de ipſo ſua ſponte avunculus tuus, optimus ac munificentiſſimus Pontifex exiſtimabat: jamque nonnullis eum beneficiis affecerat: ſed tamen exploratum eſt, illum tuae gratiae auctoritatique potiſſimum datum eſſe: teque ipſum tuis humeris ad ſublimem iſtum gradum honorum evexiſſe,

captum

captum doctrina hominis egregia, et vitae honeſtate ſingulari. Perge igitur graviora illa ſtudia colere, et diſciplinam propriam Chriſtiani hominis, ſummique Antiſtitis amplexari: nec tamen imaginem humanae vitae, accurate expreſſam a Terentio, et puram ipſius orationem, deſpice: putatoque cum ipſum legis, et ſi multo minores perſonas in fabulis his invenies, tenueſque demum homines, de rebus privatis humilibuſque inter ſe loquentes, P. Scipionem, C. Laelium, L. Furium loquentes audire: qui (ut memoriae proditum eſt) a Poëta perſonam mutuati, quae domi luſerant ipſi, otii honeſte conſumendi cauſa, in ſcenam Terentii nomine poſtea deferebant.

FLORENTIAE XVI. Kalend. Jun. MDLXV.

LECTORI
FRID. LINDENBRUCHIUS.

PUB. TERENTIUM *Afrum, Comoediae Latinae ſcriptorem undecunque elegantiſſimum, atque ingenii feſtivi, curatiore ſtudio recenſitum bono publico exhibere viſum fuit. Quem enim pueri amavimus, ejuſdem amoenitate ac Venere vel hac quoque aetate nos capi, non erubeſcimus: a cujus lectione etiam ipſos Romani eloquii principes, eoſque graviſſimos Viros, non abhorruiſſe conſtat: quorum ſane elogia ſuo loco digeſſimus, ut omnium oculis, qualenam aeſtimium veterum doctiſſimi quique de eo ſemper fecerint, velut in tabula exponeremus. Nam recentiorum encomia colligere, aut commendatitiam illius novam conſcribere, inſuper habendum duximus; ne laudatum ab omnibus concelebrare ſi vellemus, actam rem agere potius, quam novi aliquid dicere videremur. Quippe cujus ea gloria eſt, ut nullius laudibus creſcere, nullius minui poſſit. Ergo igitur id mihi in hac editione potiſſimum curae fuit, ne ad nitelam ejus et ſplendorem quod faceret, quidquam ſcienter omitteretur. Non denegarunt nobis hac in re operam ſuam amici noſtri, viri litterati. Inprimis vero multum adjuti ſumus favore celeberrimi Juriſconſulti, Franc. Pithoei Tricaſſinenſis, qui duo nobis Terentii exemplaria ſuppeditavit; alterum fratris B. M. alterum manu ſua emendatum: adſcriptis interdum Menandri, Apollodori, aliorumque verſibus; quos Terentium exprimere voluiſſe putamus. His acceſſit Mſ. codex qui in Bibliotheca Regis Galliae adſervatur: cujus ea viſa eſt antiquitas, nec minor bonitas, ut vel ſolus ſufficeret, cujus fidem ſequeremur. In quo etiam Terentii imago, plane ut eam ex Vaticana Bibliotheca Fulvius Urſinus V. C. edidit, antiqua manu depicta erat. Uſi ſumus et aliis ſcriptis libris, ſed qui perparum profuerunt: nam et recentiores erant; et ſi quid variarent, id levidenſe admodum atque exigui momenti.*

DONATI *duo exemplaria habuimus, et illa Pithoeorum accurata diligentia ad Mſſ. codd. Antonii Contii et Jacobi Cujacii Anteceſſorum Bituricenſium collata; quorum auxilio in hoc commentario plurimae lacunae ſuppletae, aliaque infinita errata integritati ſuae reſtituta ſunt. Juverunt etiam nonnihil Collectanea quaedam, quae in Bibliotheca Regia Pariſienſi, et ſchedae vett. Pet. Danielis Aureliani, Viri humaniſſimi. Sed*

*** *neſcio*

Digitized by Google

neſcio qui veluti de compacto factum, ut Graeca fere omnia in omnibus libris adeo vitioſe ſcripta, ut raro quid inde boni extricare licuerit, vel indagare, quod ſpecie recti placeret. Itaque non noſtro ſaltem ſed aliorum quoque judicio, characteres vitioſos proponere voluimus, ut cuilibet pro captu ac lubidine emendandi cauſa relinqueretur integra.

EUGRAPHIUM *non uni debemus. Praeter pauca enim illa, quae bujus Scholiaſtae Faërnus Vir diligentiſſimus olim in Italia provulgavit, alia longe plura ex antiquiſſimo libro Ant. Loiſelli J. C. nunc primum edita: et quae huic deerant, ex nobiliſſ. Franc. Olivarii codice ſuppleta ſunt. Cetera vero quae deſiderantur, ſi tanti videbuntur, a felicioribus meliori ſeculo fors fuat an in lucem proferri poterunt: nam ut nos hic Italis plura praeſtitimus, ſic alii diligentiam noſtram ſi ſupplebunt, non invidebimus. Laus eſt publica. Extat quidem Pariſiis in Bibliotheca Regia commentum in hunc Comicum,* EUGRAPHII *titulo inſignitum: ſed adeo ineptum, adeoque nugis plenum, ut vere quis ex Luciorum ſchola detonſi cujuſdam tenebrionis dixerit blatteramentum. Idcirco etiam ejuſmodi affaniis editionem hanc contaminare nobis religio fuit.*

Poſtremo: OBSERVATIONES *quaſdam adjecimus, breves illas, et noſtro more modoque factas. Magis ut de varietate lectionis et fide veri conſtaret, quam ut prolixe hic omnia explicarentur. Quod rectius hercle vero facient magiſtri in ludo et umbra, ne publice* τὴν ἀπειρίαν ἐκθεατρίζειν *neceſſum habeamus, aut cum inſanientibus furere; qui nullum amplius librum prodire patiuntur, niſi ingentibus Commentariis oneratum,* ὡς ἂν ἄχθος εἶναι ἡμιόνων πολλῶν. *Proinde Lector, ſi probus es, laus nobis tribuenda eſt, quod egimus, venia danda, quod reliquimus. Feliciter.*

BENEVOLO LECTORI
JO. HENR. BOECLERUS S. D.

EO ipſo tempore, quo ad edendum Comicorum, qui unquam vixere uſquam, principem, animum applicueram, Illuſtriſſimae Vir memoriae JACOBUS PUTEANUS, Lutetia ad me tranſmiſit GUYETI Commentarios; tanquam theſaurum quendam Variarum Lectionum, quae in optimis Galliae Italiaeque codicibus praeſertim reperirentur. Statim animadverti, eas eſſe Viri longe doctiſſimi curas, in quibus multum reconditae eruditionis, et literaturae exquiſitioris, congeſtum ac repoſitum inveniretur. Res loquetur ipſa; et veriſſima dulciſſimaque praedicatione, qui vitam ejus compoſuit Vir inter egregios primore loco colendus. De meis Animadverſionibus exiſtimabunt, quod videbitur, Eruditi. Neque enim obſcurum eſt, arbitror, quid conſtitutum mihi propoſitumque habuerim. Sicut haud aegre viciſſim fateor; non perveniſſe eo hunc laborem, quo deſtinaverat, ſi per temporis, quo incluſi ſumus, anguſtias, meo modo commentari licuiſſet. Qui nec Terentium, nec veteres ejus aut nuperos Interpretes noverunt, illis fruſtra, ni fallor, aliquid vel probavero, vel excuſavero. Eo vivimus ſaeculo,

ſaeculo, quo conſcientia quemque facti, et paucorum inter doctos exiſtimatio, tueri fere, ac ſolari conſuevit. Manuſcripti tres Codices, quibus uſi ſumus, (unum Bibliotheca Academica aſſervat) quin multum habeant adjumenti ad comparandas aut confirmandas lectiones et interpretationes plurimorum locorum, non dubitabit, qui excerpta leget. In quibus, ob cauſſas eruditis notas, ſaepe ea poſuimus, quae vitioſa eſſe dubitare non poteramus. Superſunt egregiae quaedam diſputationes de comparatione Plautinarum et Terentianarum fabularum, de ratione docendi diſcendique Terentianas Comoedias; de imitatione, qua tantus Poëta alios, alii ipſum imitati ſunt; de comico charactere, quatenus ceterae eloquentiae congruit aut diſcrepat; de aliis non minus elegantibus quaeſtionibus: quae in aliud tempus differuntur. Nec plura in hoc veſtibulo addimus. Vale, Lector benevole, et in cognoſcendo atque ignoſcendo aequum te praebe. *Argentorati* 10. *Martii* 1657.

PUB. TERENTII
AFRI CARTHAGINIENSIS
VITA.

Auctore SUETONIO TRANQUILLO, *aut, ut aliis videtur,* [a] AELIO DONATO, V. C.

(Quos huic vitae inſertos vides minores numeros, hi Lindenbruchii Obſervationes ſpectant. Tan. Fabri Notulae ſuis quaeque locis ſubjectae ſunt.)

PUBLIUS TERENTIUS AFER, Carthagine natus, ſervivit Romae Terentio Lucano Senatori: a quo ob ingenium et formam, non inſtitutus modo liberaliter, ſed et mature manumiſſus eſt. Quidam captum eſſe exiſtimant: quod fieri nullo modo potuiſſe *Feneſtella* docet: quum inter finem ſecundi belli Punici, et initium tertii natus ſit, et mortuus: nec ſi a Numidis aut Getulis captus ſit, ad ducem Romanum pervenire potuiſſet; nullo commercio inter Italicos et Afros, niſi poſt deletam Carthaginem, coepto. Hic cum multis Nobilibus familiariter vixit: ſed maxime cum Scipione Africano, et C. Laelio: quibus etiam corporis gratia conciliatus exiſtimatur. Quod et ipſum *Feneſtella* arguit, contendens utroque majorem natu fuiſſe. Quamvis et *Cornelius Nepos* aequales omnes fuiſſe tradat, et *Porcius* ſuſpicionem de conſuetudine per haec faciat:

[b] *Dum laſciviam nobilium et fucoſas laudes petit:*

*** 2 Dum

[a] Alii, [EX AELIO DONATO] quod falſum. Itaque hoc mutatum volui.

[b] *Dum laſciviam.*] Verſus lepidiſſimi ſunt, et ſane digni qui et iterum et iterum legantur, et amentur diu. Sunt autem illi Trochaici tetrametri catalectici, ut bene multi apud Terentium. Iſte, profecto, Porcius, horum verſuum auctor, homo fuit ſuaviſſimi ingenii, et quem Gratiae naſcentem placide et amanter viderant; ſed, malum, ille nobis

Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus:
[c] *Dum ad Furium ſe coenitare, et Laelium pulcrum putat:*
Dum ſe amari ab biſce credit, crebro in Albanum [d] *rapi*
Ob florem aetatis ſuae: ad ſummam inopiam redactus eſt.
Itaque e conſpectu omnium abiit Graeciam in terram ultimam.
Mortuus eſt in Stymphalo, Arcadiae oppido: nibil Publius
Scipio profuit, nibil ei Laelius, nibil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem babuit conductitiam:
[e] *Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.*

Scripſit Comoedias ſex. Ex quibus primum *Andriam* cum Aedilibus daret, juſſus ante *Caecilio* recitare. Ad coenantem cum veniſſet, dictus eſt, initium quidem Fabulae, quod erat contemptiore veſtitu, ſubſellio juxta lectulum reſidens, legiſſe: poſt paucos vero verſus invitatus, ut accumberet, coenaſſe una, deinde caetera percurriſſe, non ſine magna *Caecilii* admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas aequaliter populo probavit. Quamvis *Volcatius* de enumeratione omnium ita ſcribat: *Sumetur Hecyra ſexta ex his fabula.*

[f] *Eunuchus* quidem bis die acta eſt: meruitque pretium quantum nulla antea cujuſquam Comoedia, id eſt, octo millia nummûm: [g] propterea ſumma quoque titulo adſcribitur. Nam *Adelphorum* principium *Varro* etiam praefert principio Menandri. Non obſcura fama eſt adjutum Terentium in ſcriptis a Laelio et Scipione, quibuſcum familiariter vixit. Eandem ipſe auxit: nunquam enim niſi leviter ſe tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum:

Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, aſſidueque una ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis univerſis, et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore uſus eſt ſine ſuperbia.

Vide-

bis periit, et tot hodie venens, peſtes, et carcinomata Poëtarum ſuperſunt. Ceterum, nequis exiſtimet (*laſciviam*) hoc loco id eſſe quod in ſermone noſtro ſonat; nam *laſciviae*, hic quidem, nihil aliud ſignificat quam luſus liberiores, jocos, convivia, et quae id genus alia tenuiculis hominibus non licent; ſummis autem viris, qui eleganti ingenio ſint praediti, ea et licent, et bene ſuccedunt.

c *Dum ad Furium ſe coenitare, et Laelium, pulcrum putat.*] Crederes eſſe Jambicum tetrametrum: at non eſt. Nam Poëta *Furium* fecit diſyllabum per ſynizeſin; etſi nomen illud, tamen, ſit triſyllabum, ut ex verſibus infra poſitis, et Horatio conſtat:

Furius hibernas cana nive conſpuit Alpes.

d *Rapi.*] Abſolutum eſt, neque ab alio verbo regitur; alioqui contra rationem faceret Poëta. *Rapi* autem eſt, rheda aut equo vehi; Horatius, ubi de illo ſuo itinere agit. Serm. 5. lib. 1.

Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis.

e *Saltem ut eſſet quo referret obitum domini ſervulus.*] Hic verſus elegantia ſua exuperat ceteros. Quid enim venuſtius dicetis, quam, Emi domum, ſaltem ut ſit locus quo ſervulus poſt obitum domini rediens, et fores pultans ſuſpirabundus et gemens, atque exanimatus, dicat:

Heus, aperite, aperite, aliquis, herus eſt mortuus:
Nunc cicer, heu!
Nunc periere et allia,
Pernaque putrida, carpaque,
Omnia noſtris
Ventricellis
Quae ſolebant
Eſſe viatica,
Illa nobis
Cum domino periere ſimul, ſimul.
Heus, properate, aperite aliquis, herus eſt mortuus.

f *Eunuchus quidem bis acta eſt.*] Error. Qui enim? An tantum bis acta eſt Terentii Eunuchus! Ego millies arbitror. Lege igitur, ut cuidam viſum: (bis *die* acta eſt.) quae praecipua Fabulae laus, ut cum mane acta ſit, ea in veſperam a ſpectatoribus efflagitetur.

g *Propterea ſumma quoque titulo adſcribitur.*] Titulus hoc loco *Didaſcaliam* ſignificat. Ergo, ut hodie editur, mutila eſt.

Videtur autem ſe levius defendiſſe, quia ſciebat Laelio et Scipioni non ingratam eſſe hanc opinionem; quae tamen magis et uſque ad poſteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro ſe ait: *Pub. Africanus, qui a Terentio perſonam mutuatus, quae domi luſerat ipſe, nomine illius in ſcenam detulit. Nepos* auctore certo comperiſſe ſe ait, C. Laelium quondam in Puteolano [h] Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut diſcumberet, petiiſſe ab ea ne interpellaretur: ſerius tandem ingreſſum triclinium, dixiſſe; non ſaepe in ſcribendo magis ſucceſſiſſe ſibi: Deinde rogatum ut ſcripta illa proferret, pronuntiaſſe verſus qui ſunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promiſſa huc induxerunt.

Santra Terentium exiſtimat, [i] ſi modo in ſcribendo adjutoribus indiguerit, [k] non tam Scipione et Laelio uti potuiſſe, qui tunc adoleſcentuli fuere: quam C. Sulpitio Gallo, homine docto, (1) et qui [l] Conſularibus Ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popilio, Conſulari utroque, ac Poëta. Ideo ipſum non Juvenes deſignaſſe, qui ſe adjuviſſe dicerentur: ſed viros, quorum operam, et in bello, et in otio, et in negotio populus ſit expertus. Poſt editas Comoedias nondum quintum atque trigeſimum egreſſus annum, cauſa evitandae opinionis, quia videbatur aliena pro ſuis edere, ſeu percipiendi Graecorum inſtituta moreſque, quos perinde exprimeret in ſcriptis, egreſſus urbem eſt, neque amplius rediit. De morte ejus *Volcatius* tradit:

Sed ut Afer ſex populo dedit Comoedias,
Iter hinc in Aſiam fecit. (2) *Navim cum ſemel*
Conſcendit, viſus nunquam eſt. ſic vita vacat.

[m] (3) *Q. Conſetius* redeuntem e Graecia periiſſe in mari dicit cum centum et octo Fabulis, converſis e Menandro. Caeteri (4) mortuum eſſe in Arcadiae Stymphalo, ſive

*** 3 Leuca-

h Kalendis Martiis admonitum ab uxore.] Cur Kalendis Martiis? quia eo die regnum matronarum erat. Vid. Ovid. in Faſtis, et Horatii Oden, cujus initium eſt:

Martiis coelebs quid agam Calendis.

Ad eam dicunt Interpretes quod dici oportuit.

i Si modo in ſcribendo indiguerit.] Recte illud, *ſi modo*: quamvis enim admirabilis quaedam puritas germanitaſque Latini ſermonis in Terentii Fabulis ſit, non tamen inde probetur, adjutum eum fuiſſe a ſummatibus viris, cum Phaedrus Thracii generis ſervus, qui ſub Tiberio vixit, tam pure, tamque Latine, ſine omni tamen adjutoris ſuſpicione ſcripſerit. Quamquam circa Heautontimorumenon Terentii aliquid eſt, quod me movet tamen. Sed id alias fortaſſe agetur.

k Non tam Scipione et Laelio uti potuiſſe, qui tunc adoleſcentuli fuere.] Et tamen adoleſcentulus ille annum jam tunc viceſimum agebat. Sed et Salluſtius ulterius multo adoleſcentiam produxit; qui Pontificatum Maximum Caio Caeſari mandatum ait cum *adhuc adoleſcentulus* eſſet. Quot annos autem natus erat Caeſar? poteras dixiſſe XXXVI. et id oſtendet Manutius, ni credis.

l Conſularibus ludis.] Conjecit Muretus, (*Conſualibus ludis*) De iis ludis Plutarchus in Romulo, ut et Livius initio hiſtoriae. Sed mihi longe aptius videtur corrigere, *Cerealibus*, qui ludi in Circo celebrabantur magna et accuratiſſima pompa; iiſque Aediles praeerant. Adde quod haudquaquam veriſimile ſit, Fabulas datas non fuiſſe prius in ludis iſtis, quos Romanos vocat Muretus, imo, et contra facit Livius; at ego ſcio in Cerealibus ab initio non fuiſſe Comoedias; quia ſcilicet ludi triſtiores erant; ſed poſt ſecundum bellum Punicum aliquid in iis mutatum fuiſſe non ſine ratione ſuſpicari poſſis ex veteri hiſtoria.

m Conſetius redeuntem e Graecia periiſſe in mari dicit cum CVIII *Fabulis converſis e Menandro.*] Graviſſimum vero damnum, inquies. Verum ne lacryma, neque te afflictes, non quod illae Fabulae ſalvae ſint, ſed quia nunquam a Terentio ſcriptae fuerant. Id enim nec vitae tempus patitur, nec, ſi vel ſeculum expleſſet Terentius, centum et octo Fabulas e Menandro convertere potuiſſet, niſi ab Orco Graecus Poëta remiſſus fuiſſet qui novas denuo faceret. Nam ex his Comoediis, quae hodie leguntur, quatuor ſunt Menandri: Menander autem, uti ex Suida et veteribus magiſtris conſtat, CVIII. aut ad ſummum CIX. quamquam alii CV. tantum prodiderunt, ſcripſerat; at ex illis jam quatuor converſae fuerant a Terentio. Quamobrem bono Conſetio ob iſtam tam inſignem munificentiam vides quantum fidei debeatur. Antequam deſino dicendum aliquid arbitror de illo etiam quod multis perſuaſum eſſe video; fieri potuiſſe ut *ſecutus ſit Scipionem triumphantem Terentius pileo capiti impoſito, omnique deinde vita, ut dignum erat, liberta-*

tis

Leucadia, tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coſſ. morbo implicitum acri, dolore ac taedio (5) amiſſarum fabularum, quas in navi praemiſerat, ac ſimul fabularum quas novas fecerat. Fuiſſe dicitur mediocri ſtatura, gracili corpore, colore fuſco. Reliquit filiam, quae poſt Equiti Romano nupſit. Item hortulos xx. jugerum, via Appia ad Martis villam. Quo magis miror, *Porcium* ſcribere,

nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.

Hunc *Afranius* quidem omnibus Comicis praefert, ſcribens in Compitalibus:

TERENTIO *non ſimilem dices quempiam.*

Volcatius autem non ſolum Naevio, et Plauto, et Caecilio, (6) ſed Licinio quoque poſtponit. *Cicero* [n] in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui [o] *ſolus lecto ſermone, Terenti,*
Converſum expreſſumque Latina voce Menandrum

In

tri auctorem coluerit. Illa verba, quae Livii ſunt, editioni ſuae, quae omnium poliſiſſima eſt et venuſtiſſima, praefixit Vir Clariſſimus, cujus nomini parcendum. Sunt autem illa ex Livio lib. xxx. petita, ſed quae in Poëtam noſtrum haud conveniant. Is enim Terentius, quo de agitur, tunc Senator erat, ut ex ipſomet Livio conſtat; deinde Praetor, dein legatus quoque P. R. Carthaginem miſſus eſt. Adde quod et nomina diverſa utrique; nam Poëta dictus eſt P. Terentius, ille alter, Quintus Terentius Culleo. Sed Oroſius tamen diſerte ſcripſit: *Scipio jam cognomento Africanus, triumphans, Urbem ingreſſus eſt, quem Terentius, qui poſtea Comicus, ex nobilibus Carthaginenſium captivis, pileatus, quod indultae ſibi libertatis inſigne fuit, triumphantem poſt currum ſecutus eſt.* Ita, inquam, ſcripſit Oroſius, ſed nil eſt quod a vero magis alienum ſit; neque hoc in Oroſio novum. Si Livium diligenter conſuluiſſet, tale quid haud unquam ſcripſiſſet. Dein ea fabula, quoquo illam vertas, ſtare non poteſt; nam prior Scipio anno Urbis DLII. triumphavit; at cum ab Aemiliano capta fuit Carthago, Poëta noſter jam fato functus fuerat, uti ſuperius oſtendi; ſique adhuc in vivis erat, quod contra eſt, Romae tunc florere debuit. Videtur tamen et ei rumori ſeſe credulum praebuiſſe Quintilianus Declamatione IX. cui reſponderi haud neceſſe eſt, nam abunde dictum arbitror.

[n] *In Limone.*] Quid ſit Graece Leimon notiſſimum eſt, iis certe qui vel Homerum legerint. Ego autem, quantum conjectura poſſum aſſequi, ſic exiſtimo; Hic M. Tullii Ciceronis liber nihil aliud continebat niſi Epigrammata in viros claros, quocunque in genere praeſtantiae ſibi nomen paraſſent. Itaque cum de multis aliis prius dixiſſet Cicero, ab his verbis incepit: *Tu quoque.* At Julius Caeſar, qui Ciceroni aemulabatur, idem argumentum aggreſſus eſt. Sic itaque et ipſe incepit: *Tu quoque.* Sunt qui exiſtimant hos verſus a Grammaticis confictos olim fuiſſe; Non arbitror: ſunt enim nimium Latini et nimium ingenui. Adde quod et Auſonius, qui ſub Gratiano Imperatore floruit, eos imitatione dignatus eſt in protreptico ad Nepotem:

Tu quoque, qui Latium lecto ſermone, Terenti, &c.

Quod obſervare decuerat, non autem Latiniſſimos verſus damnare.

[o] *Solus lecto ſermone*] Id eſt, qui ſolus, inter veteres, lecto, terſo, venuſto, atque eleganti ſermone uteris. Quae laus, o Muſae, a tali potiſſimum ſcriptore!

Illa viam ſummo ſurgens affectat Olympo.

Sic alibi idem Cicero dixit: *Nulla femina lectior.* alibi: *lectiſſimus adoleſcens.* o Gratiae, vos haec feciſtis; at vos pauci noverunt!

[p] *Libertinus.*] Vides libertum et libertinum pro eodem ſumi, quamvis alter ab altero diſtet uno gradu; Horat. *Namque eſt ille, pater quod erat meus.* Sed et ſic locutus fuerat Plautus; quod, credo, Juris Interpretes annotaverunt.

[q] *Hae, quae vocantur, Fabulae cujus ſunt?*] Debet eſſe trimeter Iambeus, qui non eſt. Scribe:

Hae, quae vocantur, Fabulae cuju' ſunt?

Ex priſca ſcribendi conſuetudine.

[r] . . . *Jura populis recenſentibus, &c.*] Ob ſenſum et metri rationem legendum, *recenſens*, ut in quibuſdam libris ſcriptum eſt. At τὸ EN apud veteres et longum erat et breve.

Sed cum in iis, quae ſuperius a Suetonio ſcripta ſunt, bene multa reperiantur, quae exactiorem aliquam diſquiſitionem requirant: aliquod operae pretium fore arbitror, ſi in locum ſuum ea retraham, quae a me abhinc aliquot annis ſcripta ſunt de aetate Terentii. Aequi et ſtudioſi Lectores, ſpero, diligentiae noſtrae favebunt.

DE AETATE P. TERENTII.

Decrevi hodie quaerere diligentius paullo quam ab iis factum eſt, quos viderim, certiuſque et clarius tradere, quaenam Terentii aetas fuerit: tum difficultates nonnullas enodare, quae circa illam oriri ſolent, qua ex re aliquid utilitatis ad eos perventurum ſcio, qui illo ſcriptore delectantur. Id autem ut recte inſtitui, commodeque procedere poſſit, quatuor ſunt, quae mihi in primis ponenda et ſtabilienda videantur.

I. Quo anno Urbis conditae mortuus ſit Plautus.
II. Quo anno mortuus ſit Scipio Africanus Major.
III. Quo anno natus ſit Scipio Aemilianus.
IV. Quo anno natus ſit et mortuus P. Terentius Poëta.

His

(7) *In medio populi ſedatis vocibus effers;*
(8) *Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.*

Item, C. CAESAR.

Tu quoque tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam ſcriptis adjuncta foret vis
Comica, ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac (9) *deſpectus parte jaceres!*
Unum hoc maceror, et doleo tibi deeſſe, Terenti.

Haec *Suetonius Tranquillus.*

Nam duos Terentios Poëtas fuiſſe ſcribit [*] *Metius*, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter [p] libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis Fabulas edidiſſe Terentium, *Valgius* in Actaeone ait:

[q] *Hae, quae vocantur Fabulae,* (10) *cujae ſunt?*
Non has, qui [r] *jura* (11) *populis recenſentibus dabat,*
Honore ſummo affectus, fecit Fabulas?

Duae

His enim quaſi terminis depactis, facile, uti ſpero, veritatem indagabimus, et ita undique circuncludemus, ut ne amplius effugiat, ſed comprehenſa teneatur. Nihil autem aptius et magis e re fuerit, quam diagramma, ſeu ſeriem aliquot Conſulum ante oculos habere. Eo tibi.

SERIES CONSULUM.

Anni ab Urbe condita.
569 Claudius Pulcer, Porcius Licinius.
570 Q. Fabius Labeo, M. Claud. Marcellus.
571 L. Aemil. Paulus, Cn. Baebius.
572 P. Corn. Lentulus, M. Baebius
573 A. Poſtumius Albinus, C. Calpurnius Piſo.
574 Q. Fulv. Flaccus, L. Manlius Acidinus.
575 M. Junius Brutus, A. Manlius Volſo.
576 C. Claudius Pulcer, T. Sempronius Gracchus.
577 Q. Petilius Sp. Cn. Corn. Scipio Hiſpallus.
578 P. Mutius Scaevola, M. Aemilius Lepidus II.
579 Sp. Poſtumius Albinus, M. Mutius Scaevola.
580 L. Poſtumius Albinus, M. Popilius Laenas.
581 C. Popilius Laenas, P. Aelius Ligur.
582 P. Licinius Craſſus, C. Caſſius Longinus.
583 A. Hoſtil. Mancinus, A. Atilius Serranus.
584 Q. Martius Philippus II. Q. Servilius Caepio.
585 L. Aemilius Paulus II. C. Licinius Craſſus.
586 Q. Julius Paetus, M. Julius Pennus.
587 C. Sulpicius Gallus, M. Claudius Marcellus.
588 T. Manlius Torquatus, Cn. Octavius.
589 A. Manlius Torquatus, Q. Caſſius Longinus.
590 T. Sempronius Gracchus, M. Juventius Talna.
591 P. Cornel. Scipio Naſica, C. Martius Figulus.
592 M. Valerius Meſſala, Fannius Strabo.
593 L. Anicius Gallus, M. Cornelius Cethegus.
594 Cn. Corn. Dolabella, M. Fulvius Nobilior.
595 M. Aemilius Lepidus, C. Popilius Laenas II.
596 Sex. Jul. Caeſar, L. Aurelius Oreſtes.
597 L. Cor. Lentulus, C. Martius Figulus II.
598 P. Cornel. Scipio Naſica, M. Cl. Marcellus II.
599 Q. Opimius Nepos, L. Poſtumius Albinus.
600 Q. Fulvius Nobilior, T. Annius Luſcus.
601 M. Claud. Marcellus III. Valer. Flaccus.
602 L. Licinius Lucullus, A. Poſtumius Albinus.
603 L. Quintius Flamininus, M. Acilius Balbus.

Sub his Conſulibus III. bellum Punicum inchoatur; et anno 603 Scipio Aemilianus Carthaginem capit, diruit.

Primum igitur, quod de Plauti morte poſitum eſt, id ex Cicerone in Bruto conſtat: *Nam Plautus*, inquit, *P. Claudio, L. Porcio Coſſ. mortuus eſt Catone Cenſore*, id eſt anno U. conditae DLXIX. ſeu CLXXVII ante Chriſtum natum. Fallitur itaque Hieronymus cum in Chronico Euſebiano ſcribit. OLYMPIADE CXLV. *Plautus ex Umbria Sarſinas Romae moritur.* Dicendum enim fuerat OLYMP. CXLIX. Quod an obſervatum a Scaligero fuerit neſcio.

Scipio autem Major, avus Scipionis Aemiliani, per adoptionem filii ſcilicet, anno ſequenti, id eſt DLXX. ab Urbe condita, fato conceſſit, uti olim a Polybio ſcriptum fuerat, et ex eo docet Livius lib. XXIX Neque vero aliter ſenſit Cicero in admirabili libello de ſenectute.

At Scipio Minor, ſeu Aemilianus, qui naturalis Aemilii Pauli filius fuit, adoptatus autem a filio Scipionis Africani prioris, eodem plane anno natus eſt, quo denatus eſt Plautus; Urbis conditae ſcilicet, DLIX. id quod negaverit nemo, cum Livius ſcribat lib. XLIV. *Conſulem*, (id eſt Aemilium Paulum) *quoad ſe in caſtra victor recepiſſet, ne ſincero gaudio frueretur, cura de minore filio ſtimulabat. P. Scipio is erat Africanus et ipſe poſtea deleta Carthagine appellatus, naturalis Conſulis Pauli, adoptione, Africani nepos. Is ſeptimum decimum tunc annum agens, quod ipſum curam augebat, &c.*

Terentius denique ſub Conſulatu Cornel. Dolabellae et Fulvii Nobilioris mortuus eſt, uti ſcriptum a Suetonio fuerat, quem Donatus tranſcripſit. *Ceteri mortuum eſſe credunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coſſ.* quod in annum Urbis conditae DXCIV. incidat neceſſe eſt. Sed quo anno natus eſt? hoc enim quaeri utile fuerit. Id ita conſtitui poteſt: pro certo affirmavit Feneſtella, ſcriptor Antiquitatis Romanae peritiſſimus: *Inter finem ſecundi belli Punici, et initium tertii, natum eſſe et mortuum Terentium.* Verba hominis ſunt apud Suetonium, qui olim de Poëtis Latinis

Duae ab Apollodoro tranſlatae eſſe dicuntur Comico, Phormio et Hecyra: quatuor reliquae a Menandro, ex quibus magno ſucceſſu et pretio ſtetit Eunuchus fabula: Hecyra ſaepe excluſa, vix acta eſt.

Latinis ſcripſerat. At ſecundum bellum Punicum deſiit anno Urb. conditae DLII. Terentium autem inchoatum DCIII. Vides itaque annos XLIX. intra quos et natus ſit et mortuus. Sed tempus illud a Feneſtella poſitum, nec ab initio, nec a fine circumſcriptum eſt; atque adeo, ſi pauculi anni utrinque demantur, facile intelligis quam haec recte cum eo congruant, quod Suetonius obſervaverat, (*Ceteri mortuum eſſe tradunt Cn. Cornel. Dolabella, M. Fulv. Nobiliore coſſ.*) anni enim X aut XI. qui a fine ſecundi et ante finem tertii belli Punici inter utrumque terminum partiendi et diſtrahendi, rem claram et ediſſertatam dabunt. Quamobrem natus eſt Terentius anno urbis Romanae DLX. id eſt novem annis ante mortem Plauti, totidem annis ante ortum Scipionis Aemiliani, undecim autem ante obitum Scipionis Majoris, qui, primus, Africanus dictus eſt. Neque vero ultra hoc tempus Conſulis Fulvii ſcripſiſſe Terentium apparet, cum poſtrema omnium Fabularum, ADELPHI ſcilicet, edita fuerit anno Urbis DXCIII. L. Anicio Gallo, M. Cornel. Cethego Coſſ. quo tempore natus erat Terentius annos XXXIV. Hinc itaque eſt, quod, ubi de Plauto et Naevio loquitur, eos inter veteres Poëtas refert, in Prologo Eunuchi, ſcilicet,

Quare aequum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere,
Quae VETERES *factitarunt, ſi faciunt novi.*

Neque hoc minus verum eſt quod dicam: non potuiſſe juvari Terentium in Fabulis ſcribendis a Scipione Majore, cum circa obitum illius, undecim, non amplius, annos natus eſſet. Sed en tibi fontem erroris, ex quo tot portenta profluxerunt. Videlicet utrumque Scipionem confuderunt, et alterum pro altero ſumſere. Quo enim tempore edidit Adelphos Terentius, jam annos quinque et viginti natus erat Scipio Aemilianus, quo nihil majus habuit imperium Romanum. Verum enim Herois illius elogium eſt (*P. Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani paternisque L. Pauli virtutibus ſimillimus, &c.* INGENIIQUE AC STUDIORUM EMINENTISSIMUS, &c. Paterculus lib. 1) At, qui talis erat, facile, ut arbitror, Terentium, ſi fuiſſet opus, adjutare potuiſſet. Huic Paterculi teſtimonio addas licet quod de cura L. Pauli circa educationem inſtitutionemque liberorum, de tot magiſtris e Graecia petitis, qui illos in omni artium genere erudirent, a Plutarcho ſcriptum eſt: at non tranſcribam, cum totum id apud ipſum legere poſſis. Aliud quoque fuit, unde in errorem inducti homines fuere, nomen Laelii ſcilicet. At hoc meminiſſe decuerat, Scipionem Aemilianum Laelii opera uſum quoque fuiſſe, ſed illum Laelium prioris filium intelligi debere. Quid autem, ut ad Aemilianum revertatur oratio, an cuiquam minus credibile videatur, potuiſſe illum ea aetate (XXV. an.) Menandreas Fabulas Latine convertere, qua multi longe minori indole praediti quam qua ipſe erat, jam clariſſima ingenii ſui monumenta ſaepius ediderunt? An quod Menandri Fabulae difficiles erant? Imo nil facilius, nil apertius, uti ex latiſſimis fragmentis conſtat, quae paſſim apud auctores ſeu ſacros ſeu profanos reperias. Sed nunc, ut rem abſolvam, libet mihi illa percurrere, quae ea Suetonio excerpſit Ael. Donatus, aut, quod verum eſt, qui nobis Donatum mutilarunt. (*Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, ſed maxime cum P. Scipione Africano, et C. Laelio: quibus etiam corporis gratia conciliatus exiſtimatur, quod et ipſum Feneſtella arguit, contendens utroque majorem natu fuiſſe.*) Hoc dextra laevaque falſum eſt, et fieri nequit. Qua enim ratione fieri poſſit ut Scipione Africano aetate major eſſet Terentius, cum tanto tempore poſt Plauti obitum floruerit, ut eum veterem vocet, uti oſtendi ſuperius? at Plautus uno tantum anno ante mortem Scipionis Africani obiit. Quonam etiam pacto congruere haec poſſunt cum illis ejuſdem Feneſtellae verbis (*inter finem ſecundi belli Punici et initium tertii natum eſſe et mortuum Terentium?*) Itaque haec a Feneſtella ſcribi non potuerunt; ſed videlicet eum Epitomiſtes non eſt aſſecutus. Id enim ſcripſerit Feneſtella de Scipione Aemiliano; neque aliter ſentiebat Nepos, cum *aequales omnes fuiſſe tradidit*; quanquam, ut dixi antea, decem aut undecim anni inter aetatem Aemiliani et Terentii intercedunt.

PUB. TERENTII VITA,

Quam e Codice Mſ. Oxonienſi deſcripſit

ABR. GRONOVIUS.

COmicus genere quidem exſtitit Afer, civis vero Carthaginienſis: Scipione autem remeante victore Carthagine ad urbem Romam poſt interfectionem Hannibalis: iſte qui cum aliis multis Carthaginienſibus comprehenſus fuerat ante currum Scipionis ligatis retro manibus minatus eſt, ut captivus, ſed currum illius pileatus proſequutus eſt in urbem, quod erat in ſignum libertatis. Nam quicunque captivorum a victore libertate

tate

tate potiretur, pileum in capite habens currum illius proſequebatur; ut enim a Scipione agnitus eſt liberali ingenio, ſapientia florere, in tanto honore, tanta gratia apud eum habitus eſt, praeſertim quum liberis genitoribus ortus eſſet, ut ei eandem libertatem concederet, atque inter domeſticos ſuos praecipuam familiaritatem ei donaret. Romae autem dum moraretur, et videret frequenter populum in theatrum ad ſpectaculum convenire, ea ratione atque intentione exorſus eſt Comoediam ſcribere, ut populo recitationem Fabularum ſuarum conferret, ſibique eum conciliaret: ſed quum coepiſſent Fabulae ejus recitari, longe aliter viſum eſt, quam ſperaſſet, quia multos aemulos propter hoc contra ſe excitavit, qui ejus dicta reprehendebant. Scripſit autem nitidiſſimo ſtylo ſex Fabulas, ex unaquaque unum librum determinans, quas licet multi negent, mentiuntur, teſte Priſciano, qui de Metris Terentianis loquitur, et inſuper in libro Grammaticae ſaepe dicit, cujus genere metri conſtat exemplum, quod ponit; nec non etiam teſte Ruphino in eo libro, quem de Metris ſcripſit: ipſe quoque nihilominus in Prologis ſe Poëtam vocat. Omnes quidem ejus libri permaxime jambico metro conſtant, licet non uniformi. Prologi vero omnium librorum ternario jambico catalectico compoſiti ſunt, ſex pedibus pro tribus computatis. Nam diverſa ſunt genera jambici metri. Eſt enim monometrum, quod conſtat duobus jambis: eſt dimetrum, quod quatuor: eſt trimetrum, quod ſex: eſt tetrametrum, quod octo: eſt pentametrum, ſed raro invenitur: in quibus iſta lex obſervatur, ut ſemper duo jambi pro uno pede computentur, ob celeritatem temporis, quam occupant, teſte Horatio in libro Poëticae. Imitatur autem Naevium, Plautum, Ennium, veteres Comicos, praecipueque Menandrum, qui longe ante ipſum duas Fabulas deſcripſit, in qua tranſtulit quaedam ex Perinthia illius, quae convenere tam in ſenſu quam in ſtylo: idcircoque graviter reprehendebatur ab aemulis. At tamen notandum, inter omnes Comicos iſtum Terentium ab hoc principalitatem poſſidere, quum proprietatem verborum prae omnibus obſervavit. Illud etiam animadvertendum, has Fabulas non ab ipſo recitatas eſſe in Senatu, ſed a Calliopio clariſſimo Viro, ſatiſque erudito, cui ipſe praecipue adhaerebat, cujuſque ope ſuſtentabatur, et auctoritate audiebatur. Modulator autem harum Fabularum fuit Flaccus, quotieſcunque enim recitabantur, erat modulator, et alii, qui geſtu corporis eoſdem affectus agebant. Comoedia enim ita conſtat, ut non res geſtas more hiſtoriarum narret, ſed ex colloquutione perſonarum res geſta comprehendatur, quaſi inter eos tunc agatur. Hoc quoque notandum, quia non abſque re imagines Terentianae turgido et inflato ore pinguntur. Facundia enim et affluens eloquentia Comicorum per hoc innuitur, quia faſtuoſi loquuntur, ut Horatius,

Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

Nomina autem Fabularum, ſive Librorum hujus Comici ſunt iſta: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphoe, Hecyra, Phormio.

PUB. TERENTII VITA
DE DICTIS D. F. PETRARCHAE,

Quae eſt in Editione Mediolanenſi, Anni M. CCCC. LXXVI.

DE Terentii vita in antiquis libris multa reperiuntur; plura etiam in modernis, ſcripta per varios Scholaſticos rerum ignaros: eoque veris falſa miſcentur. Illud primum rei totius fundamentum. Multi pouunt Carthaginienſem patria fuiſſe Terentium. Quod haud dubie verum eſt, ſicut epitaphium ejus clare indicat. Quamvis hoc ipſum quidam negent, ut inferius patebit. Caeterum et qui hoc dicunt, vero huic falſum illud implicant. Dicunt enim Scipione Romam revertente everſa Carthagine, interfecto Annibale, hunc Terentium inter caeteros captivos ſolutum et pileatum inceſſiſſe poſt triumphalem Scipionis currum. Quae res multipliciter a veritate ſemota eſt. Nam in primis Scipio Carthaginem quidem vicit, et tributariam fecit, non evertit tamen ipſam Carthaginem; ſed nepos ejus adoptivus, Africanus minor. Annibalem praeterea bello vicit, fugavitque, ſed nequaquam interfecit. Nempe qui victus in Aſiam profugit et ſub Antiocho rege Syriae militans conſilio atque opera ſua et regis potentia novum cum Romanis bellum denuo geſſit. Quae hiſtoria omnibus, qui in talibus ingenium exercent, planiſſime nota eſt. Deinde Scipionis triumphantis currum non hic Terentius pileatus proſecutus eſt, ſed alter hujus nominis, Romanus civis: et ut Valerius Maximus teſtatur, praetoria familia ortus, et inter paucos Senatorii ordinis ſplendidus. Qui etiam poſt id tempus, tunc ſcilicet quum Scipionis frater accuſatus eſt Romae, praeturam geſſit. Hic ergo triumphantis currum Scipionis proſecutus eſt, pileo capiti impoſito, quod donatae libertatis ſignum erat. Quatuor millia ſiquidem Romanorum civium, qui bello Punico capti erant et in ſervitutem redacti, victor Scipio liberatos in patriam reduxit. Inter quos fuit hic Terentius, de quo dixi, et tam memor beneficii accepti, tamque ſingulariter ante omnes gratus, ut per omnem vitam liberatorem ſuum Scipionem omni obſequio ac patrociniis debita veneratione coluerit. Triumphi autem die poſt eum pileatus inceſſit, hoc eſt liberti habitu: quaſi per illius Viri virtutem ſe libertati redditum populo Romano pileo teſtante denuncians. Quae omnia apud Titum Livium celeberrimum Hiſtoricum nota ſunt. Sed minus miror Scholaſticos hoc errore deceptos, cum Paulus Oroſius hoc ſcripſerit; de quo admodum mirarer, niſi quod interdum magna quidem ingenia et in multis occupata et inter difficultates erecta equorum inſtar propter incautam ſecuritatem in plano ceſpitant. Identitas nominis, ni fallor, errorem fecit, quod ſcilicet uterque Terentius. Sed circumſpectus homo non vidit, quod ſe oculis ingerebat, in primis diverſitatem cognominum, quae ad diſcretionem nominum ſunt inventa, quod ſcilicet ille Terentius Culeo, hic Terentius Afer, ut tituli hujus operis indicant; ille Romanus, iſte Carthaginien-

ſis;

ſis; ille e ſervitute in libertatem, iſte autem contra e libertate in ſervitutem ductus; ille Senator, hic Poëta; ille jam ſenior eo, hic puer eo tempore, quo a Romanis Ducibus captus eſt: in qua captivitate ob elegantiam morum ad magnorum venit amicitias; utque ait Euſebius libro de Temporibus, ob ingenium et formam libertate donatus eſt. Inter tot diverſitates fallere una non debuiſſet identitas. Hic ſane Terentius a principio juventutis ſuae fertur a Terentio quodam Lucano emtus, a quo et nomen ipſum fortaſſe potuit accipere, aliter antea dictus apud ſuos. De hoc tamen praeter conjecturam habeo nihil. Id quod conſtat, litteras Latinas Romae didicit, ad Poëticam pronus, et praecipue Comoediam: quo in genere facile, ut mihi videtur, omnes ante ſe vicit. Nam ſequentes etiam a ſcribendo deterruit, nec fere, quem noverim, Comoediae ſcriptor clarus poſt Terentium fuit. Scripſit Comoedias forſan plures; ſed quae habentur in manibus, ſex ſunt, quae per ordinem hoc volumine continentur: quamvis ipſe ordo non in omnibus voluminibus unus ſit. Utcunque vero ſint aliae, ubique prima omnium eſt Andria: quam Comoediam priuſquam Aedilibus venderet, ut Euſebius idem ait, Caecilio multum ſe miranti legit. De materia Comoediarum loqui prolixum eſt: de expoſitione prolixius. Sed cujuſque materiam in argumento ejus perbreviter comprehenſam Lector inveniet; expoſitionem ſtudio et ingenio molietur. Genus Poëmatis carmen jambicum, ſed varium. Jambi enim materiae Comicae apti ſunt. In Comoediis quidem nuſquam Auctor loquitur, ſed introductae perſonae: quem morem hic ad Prologos tranſferre nititur; quibus ſcribendis aemulorum invidia cauſam dedit. Reſpondendum enim erat, ne forte procacitas gloriam mereretur, infamiamque modeſtia. Horum vero ſtimulis ac vocibus agitatus fertur Athenas petiiſſe, ut Graecorum penitus ingenia moreſque pernoſceret: et cum multis in Latinam linguam tranſlatis, poſt aliquod tempus voti compos Romam remearet cum ſarcinulis et Comoediis, quas ibi ſcripſerat, in navim impoſitis, ipſe terreſtri itinere Patras perrexiſſe: unde brevi tranſitu in Italiam navigaret. Ubi exſpectatae navis audito naufragio, quae circa Sinum Illyricum periclitata erat, tantae jacturae dolore permotus Stimphalim in Arcadiam deceſſiſſe: ibique defunctus ac ſepultus publice fuiſſe. Periiſſe eum in Arcadia, ipſo eodem teſte Euſebio notum eſt. Et in primis quidem quatuor Comoediis, ſcilicet Andria, Eunucho, Heautontimorumeno, Adelphis, Menandrum Comicorum principem Graecorum imitatus creditur; quod et rubricae vetuſtiſſimorum codicum innuunt. Quin partem ſcripturae, quia plus confuſionis, quam lucis habere viſa eſt, ſciens omiſi. Innuunt et Prologi quidam in reliquis duabus Apollodorum Corinthium. Vendidiſſe eum Eunuchum ſuam, fama eſt, viginti millibus nummum: quod pretium ante eum nullus acceperat. Ad ſummum, ſuo genere poëtandi tantus Vir fuit, ut Hieronymus inter quatuor Poëtarum, duos ſcilicet Graecorum et totidem Latinorum duces quartum hunc nominare non dubitet, hoc ordine, Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium: quam ſibi excellentiam non ſtili attribuit altitudo, qua a multis non dubie et Menander apud ſuos vincitur, et Terentius apud noſtros, et quae in Comoediis non modo non neceſſaria, ſed plerumque etiam vitioſa eſt. Quid ergo humanorum morum exacta notitia et ordo narrationis ab ipſo Cicerone laudatur, et ſtili jucunditas ac gratia? Sed ſuper omnia, ut quibuſdam placet, ſola proprietas haec facit; ut

enim primo Aeneidis commento ait Servius, ſciendum eſt, Terentium propter ſolam proprietatem omnibus Comicis eſſe praelatum: quibus eſt, quantum ſpectat ad caetera, inferior. Quod ultimum omnibus, quos legere potui, Commentatoribus excuſſis, Servii ſalva pace non approbo. Haec vel ad notitiam habendam, vel ad errorem declinandum, breviter de Terentio dicta ſunto.

ELOGIA VETERUM DE PUB. TERENTIO.

VARRO, *Parmenone.* NONIUS in *Poſcere.*

IN argumentis Caecilius poſcit palmam; in ethesin Terentius; in ſermonibus Plautus.

CICERO *de optimo genere Oratorum, cap.* 1.

In re enim, quod optimum ſit, quaeritur: in homine dicitur, quod eſt. Itaque licet dicere, et Ennium ſummum Epicum Poëtam, ſi cui ita videtur; et Pacuvium Tragicum; et Caecilium fortaſſe Comicum. Oratorem genere non divido: perfectum enim quaero. Unum eſt autem genus perfecti, a quo qui abſunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius, ſed in eodem non ſunt pares.

Et infra, cap. 6.

Iidem Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Caecilium, quam Menandrum legunt.

Lib. VII. Epiſt. 3. *ad Attic.*

Secutus ſum, non dico Caecilium, *Mane ut ex portu in Piraeeum*; (malus enim auctor Latinitatis eſt) ſed Terentium, cujus fabellae, propter elegantiam ſermonis, putabantur a C. Laelio ſcribi:

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piraeeum.

Et idem: *Mercator hoc addebat, captam e Sunio.*

In Laelio, ex perſona Laelii.

Neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria familiaris meus [Terentius] dixit:

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Et mox.

In obſequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur, comitas adſit.

HORA-

HORATIUS *lib. II. Epiſt. ad Auguſtum.*

Ambigitur quoties, uter utro ſit prior; aufert
Pacuvius docti famam ſenis, Attius alti;
Dicitur Afranî toga conveniſſe Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte;
Hos ediſcit, et hos arto ſtipata theatro
Spectat Roma potens.

Vincere Caecilius gravitate.] Quo loco *Acron* ait: Caeciſius libros vicit antiquiores, alta verba et ſonora in ſuo carmine ponere ſolitus.

Terentius arte.] Id eſt, proprietate verborum, et artis Grammaticae. unde principatum inter omnes Comicos habere dicitur.

OVIDIUS *Triſt. II.* 357.

Nec liber indicium eſt animi; ſed honeſta voluptas
Plurima mulcendis auribus apta ferens.
Accius eſſet atrox; conviva Terentius eſſet;
Eſſent pugnaces, qui fera bella canunt.

VOLCATIUS SEDIGITUS, *apud* A. GELL. *lib. XV. cap.* 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poëtae comico cui deferant.
Eum, meo judicio, errorem diſſolvam tibi:
Ut contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat.
Caecilio palmam Statio do Comico.
Plautus ſecundus facile exſuperat ceteros.
Dein Naevius, qui fervet pretium, tertiu' eſt.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Poſt inſequi Licinium facio Attilium.
In ſexto ſequitur hos loco Terentius.
Turpilius ſeptimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco eſſe facile facio Luſcium.
Decimum addo cauſa antiquitatis Ennium.

JOAN. GROLIERIO, *Chriſtianiſſimi Gallorum Regis Secretario, et primario Inſubriae Quaeſtori,* FRANCISCUS ASULANUS. S.

QUicunque Volcatius ille Sedigitus fuit, qui judicium de Latinis Comicis, in his qui circumferuntur iambis, tam audacter tulit, ut nihil eum qui contra ſentiat, ſentire dixerit, nae ille mihi omni ipſe prorſus videtur ſenſu caruiſſe. Caecilio palmam ſtatuit: facilius id fortaſſe, quam decuit. Quanquam enim de eo cujus nulla extent ſcripta, judicari nihil poſſit: non parvi tamen Ciceronis judicium, qui nunc *malum eum* eſſe *Latinitatis auctorem*, nunc *male locutum* dicit, faciendum eſt. Sed ob ipſam tamen hanc cauſam, quod omnia ejus ſcripta interciderunt, ne temere in eum quem non legimus, pronuntiaſſe quicquam videamur, cum praeſertim et Horatius etiam *gravitate* eum dicat *vincere*, condonemus ſane hoc Ciceronis judicium, et recte Caecilio delatam palmam exiſtimemus. Quid quod Plautum caeteros ſuperare, ac ſexto demum loco conſequi Terentium aſſerit? ullone id pacto aſſentiri poſſumus? Ego vero, tantum abeſt, ut in hac ſim ſententia, ut longo intervallo poſt Terentium Plautum arbitrer collocandum. Neque vero ut hoc ſentiam, ſermonis ſolum elegantia moveor, qua Terentium facillime omnes excellere nemo eſt qui neget: volo in hoc parem illi Plautum eſſe, volo quod hominis fortaſſe vitium ſit, aetati adſcribere. Durior eſt Plautus, aſperis quibuſdam atque obſcuris verbis utitur: ſic enim tunc loquebantur: non poterat ille alio, quam aetatis ſuae ſermone uti. Longe Terentius cultior, nihil in eo non lene, nihil non elegans: limatior tum ſcilicet Latina lingua facta eſt. Non ejus haec propria exiſtimanda laus, ſed communis illius aetatis omnium. Ut haec inquam ita eſſe concedam, quid caetera, quae multo majoris artis ſunt, poſſuntne ulla ratione paria in utroque

fieri? Omnibus mihi Plautus in rebus (liceat libere proferre quod ſentio) videtur nimius: ita illo Terentius parcior, ut nihil ab eo tamen, quod deſiderari poſſit, relinquatur. Hiant nonnunquam, neque ſatis cohaerent Plauti Comoediae. Ita omnia Terentii inter ſe nexa, ita ex omnibus unum quoddam conficitur, ut nihil aptius illius Fabulis, nihil magis fieri ad unguem poſſit. Atque hoc id eſt, quod praecipue praeſtari, & ab Poëtis, & ab Scriptoribus omnibus debeat, ac maximam, ſi aliud quippiam, artem exigat. Jam decorum illud, quod in omnibus tantopere cuſtodiendum rebus eſt, in Fabulis vero cui congrua unicuique perſonae effingenda ſunt omnia, niſi ſervetur, nihil prorſus fiat, nemo Terentio attentius obſervavit: at hujus nonnunquam Plautus obliviſcitur. Ac mihi quidem aliquando haec, quae diximus, conſideranti, ob id Plautus minus in his fortaſſe potuiſſe curae videri ſolet, quod unum illi ſtudium facetiarum fuit: nihil ille aliud propoſitum comico Poëtae credidit, quam populo riſum movere. Id dum unum captat, uni huic rei dum inſervit, ut id quod voluit maxime aſſecutus ſit, & urbaniſſimus ſit ſpectatoribus viſus, multa certe alia & potiora omiſit: atque ipſi tamen etiam illi ſales, dum undique eos colligit, undique ex omni re aucupatur, hebetes plerumque ac ſcurriles ſunt, nec quos extra illum in theatro concitati vulgi plauſum, ſedatus probare Lector poſſit. Qua in re ita ſibi Terentius moderatus eſt, ut in hoc quoque non minus, quam in caeteris, quae a nobis dicta ſunt, praeſtitiſſe omnibus videatur. Duo ſunt facetiarum genera: in re alterum, alterum in verbo eſt poſitum: multo id venuſtius & gravius, quod re tractatur: acutum nonnunquam et elegans, quod in verbo eſt: ſed frigidum tamen plerumque eſt, & facillime in ſcurrilitatem delabitur, ſi quis ſibi in eo non moderetur. Creber primo in genere, in ſecundo parcus Terentius: contra Plautus in primo rarus, in ſecundo frequentiſſimus. Hinc factum eſt, ut rudi fortaſſe populo & ſpectatoribus, quippe qui ſcurra ſaepius quam Poëta delectentur, ſalſior ſit Plautus viſus: peritis certe auribus, & ſapienti Lectori, nihil Terentio feſtivius videri debet. Illius quae lepide dicta ſunt, placere ſemel poſſunt: hujus quo magis inſpiciuntur, eo venuſtiora apparent. Riſum ille perſaepe, ſed & ſaepe cachinnum movet, nunquam cachinnum Terentius: atque ut uno omnia verbo complectar, in illo dicacitas, in hoc urbanitas conſpicitur maxima. Atque hanc quidem ego de Poëtis his, non tam libere fortaſſe dixiſſem ſententiam, niſi maximos quos ſequerer Viros, Horatium & Afranium eius auctores habuiſſem: quos multo ego pluris, quam Sedigitum hunc, neſcio quem, facio. Acerrimo inter Poëtas omnes judicio mihi fuiſſe Horatius videtur: nemo illo vetuſtiores Poëtas diligentius excuſſit. At is de Plauto:

At noſtri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati: ſi modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus et aure.

Et numeros, et ſales Plautinos non probat Horatius. Nos de ſalibus diximus multa: quae de numeris dici poſſent, ne longiores eſſemus, ac nimis omnia inquirere videremur, praetermittere ac condonare voluimus. Sed quid idem de Terentio Horatius;

Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.

Parem Caecilio Terentium facit, cum *gravitate* alterum, alterum *arte* dicit *vincere*. Atqui ego ne gravitate quidem video quomodo ab ullo vinci potuerit Terentius. Quaecunque in Comico eſſe aut poteſt, aut debet gravitas, in illo eſt. Quod ſi gravior Caecilius fuit, nae ille fortaſſe Comoediae ſit fines praetergreſſus. Quanquam enim tollit plerumque vocem Comoedia neceſſe eſt: ita tamen debet tollere, ut nullo illi pacto ad Tragoediam aſcendendum ſit. Ob hoc ego Afranio libenter accedo, qui *neminem Terentio dici poſſe ſimilem* affirmat: neque cujuſquam verius fuiſſe judicium arbitror. Probatiores alii fuerint populo: unius ego Afranii, qui ipſe egregie togatas ſcripſit, de comico Poëta judicium, longe omnibus totius victricis terrarum omnium plebis Romanae plauſibus anteponendum cenſeo. At in alia eſt ſententia Sedigitus. Gravis mihi auctor opponitur. Non Terentio is Caecilium ſolum et Plautum, ſed Attilium etiam, ſi Diis placet (ut omittam alios) praeferendum exiſtimat. Quid agis, bone Volcati? eumne etiam quem Cicero et *ferreum* eſſe *Scriptorem* Licinio aſſentitur, et ipſe *duriſſimum* vocat? Sed non eſt profecto quod admirer, non ſatis tibi elegantiſſimum hunc Poëtam placuiſſe: nec id quidem admirarer, ſi poſt Ennium, quem poſtremum cenſes, collocaſſes: hoc te ego ſenſiſſe, ſed dicere auſum non eſſe arbitror. Unum id admiror, inventum eſſe quempiam, qui tua iſta carmina tanquam oraculum quoddam ſibi proferenda duxerit. Sed valeat Sedigitus, nos Afranio aſſentiri non pigeat, ac Terentium omnibus praeſtitiſſe Comicis credamus: neque vim illam comicam, quam ei unam defuiſſe dolet Caeſar, (ſi modo ſunt illa Caeſaris carmina) deſideremus. Nihil illi deſuit: omnia quae comico Poëtae praeſtanda ſunt, praeſtitit: ſi quid deſiderandum in illo eſt, deſiderandum id eſt, ut ea aliquando in manus noſtras veniant exemplaria, ex quibus emendatiſſimus emitti, ac confuſi illius verſus reſtitui verius poſſint. Nihil eſt enim difficilius, quam hos diſtinguere. Simillimos ille eos proſae orationi eſſe voluit, ut nihil a ſermone differre viderentur. Ob id proximis his rudibus et bonarum literarum expertibus ſeculis, verſus crediti non ſunt, et ab exſcribentibus librariis confuſi. Reſtituit horum multos Aldus ſororius meus, dum viveret: multos nos, eo mortuo, ex veteribus libris correximus: neque tamen, quod audaciores alii affirmare auſi ſunt, reſtitutum omnino Terentium credimus. Erit fortaſſe cum id affirmari a nobis poterit: nunc ſatis nobis ſit, ex nulla unquam illum officina, poſt hunc exſcribendi libros modum inventum, caſtigatiorem prodiiſſe. Plures autem ob cauſas tibi is, G R O L L E R I Clariſſime, debetur liber; & promiſerat jam eum tibi Aldus; & nihil eſt, quod ſibi noſtro etiam nomine, et ego et Andreas pater non debeamus. Tu Aldum ſemper ſingulari quadam benevolentia proſecutus es. Tu eo defuncto, omnem in nos amorem illum contuliſti; neque unquam nova in nos quotidie beneficia congerere intermiſiſti: ex quo factum eſt, ut quo tibi pacto paria unquam referri a nobis poſſint gratiae, non videamus; neque tamen ob id hunc tibi a me librum dicatum quiſquam exiſtimet, quod plurimis ac maximis tuis in me meritis levi hoc munere ſatisfactum velim; tantum abeſt ut id cogitem, ut ob hoc tibi etiam magis debiturus ſim. Ob hanc enim praecipue cauſam ſub tuo nomine Terentium edimus, ut et is, et reliqua omnia, quae aut emiſſa a nobis ſunt, aut emittentur, patrocinio tuo defendantur, ac non parva ex tuo nomine auctoritas libris noſtris accedat. Quod autem tibi ego, cui me plurimum debere profiteor, plura etiam debere non vetear, ſingularis quaepiam, quae in te uno cernitur, in cauſa eſt beneficentia. Tum tu tibi cumulatiſſime relatum beneficium putas, cum novo cumulas, neque alium ex ipſa beneficentia fructum, quam beneficentiam ipſam, petis; ac oſtendunt ſe quidem reliquae in te virtutes omnes, ob quas tanquam aliquod e Gallia miſſum numen Inſubria te tota ſuſpicit: ſed neſcio, quo pacto tamen longe magis haec omnium in ſe oculos trahit, longe haec magis omnium ſermonibus celebratur: quippe et multo hanc ſibi omnes magis, quam caeteras, prodeſſe ſentiunt; neque alia virtus eſt, quae ſimiliores nos Diis efficiat. Atque hac tu quidem ita quotidie tibi multos devincis, ut difficile ſit, qui te noverit, et non tuo tibi aliquo beneficio obſtrictus ſit, reperire. Ego certe praeter caeteros tibi tantum debeo, ut tibi quidem ipſi ſatisfacere una tantum ratione, nova beneficia accipiendo, atque illuſtriorem beneficentiam tuam faciendo poſſim. Caeteris quo me pacto non ingratum eſſe oſtendam, non inveniam,

VEL-

Digitized by Google

VELLEIUS PATERCULUS, *lib. I. cap.* 17.

Dulceſque Latini leporis facetiae per Caecilium, Terentiumque et Afranium ſubpari aetate nituerunt.

FAB. QUINCTILIAN. *lib. X. cap.* 1.

In Comoedia maxime claudicamus; licet Varro dicat, Muſas, Aelii Stilonis ſententia, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent: licet Caecilium veteres laudibus ferant: licet Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, et plus adhuc habitura gratiae, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent.

Idem Declamat. IX. ſive Gladiator.

Terentium, quem inter ceteros captivos, ſecundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exſolverat, memoriae tradidere majores, inſigne receptae libertatis pileo teſtante in triumpho ducis eſſe conſpectum.

PLINIUS *lib. I. Epiſt.* 16.

Legit mihi nuper epiſtolas, quas uxoris eſſe dicebat. Plautum vel Terentium metro ſolutum legi credidi.

A. GELLIUS *lib. VII. cap.* 14.

Vera autem et propria hujuſcemodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro eſſe dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Idem lib. XVII. cap. 21.

Neque magno intervallo poſtea Q. Ennius, et juxta Caecilius, et Terentius, ac ſubinde et Pacuvius, et Pacuvio jam ſene Accius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

AUSONIUS *in Protreptico ad Nepotem.*

Tu quoque, qui Latium lecto ſermone Terentî
Comis, et adſtricto percurris pulpita ſocco,
Ad nova vix memorem diverbia coge ſenectam.

LACTANT. *de Falſa Sap. cap.* 4.

Nemo enim poteſt de ſe recte judicare. Quod nobilis Poëta teſtatur:
Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant, et dijudicent,
Quam ſua?

HIERON. *in Chronico, Olymp. CLV. ad an.* 3.

P. Terentius Carthaginienſis Comoediarum ſcriptor ob ingenium et formam li-

bertate

bertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam antequam Aedilibus venderet, Caecilio (Acilio) multum ſe miranti legit.

Idem: de optimo genere interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus et Caecilius veteres Comicos interpretati ſunt: numquid haerent in verbis? ac non decorem magis et elegantiam in tranſlatione conſervant, quam veritatem interpretationis?

Idem ad Suniam et Fretellam.

Hanc eſſe regulam boni Interpretis, ut idioma alterius linguae, ſuae linguae exprimat proprietate: quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in Oeconomico Xenophontis, et in Demoſthenis contra Aeſchinem oratione feciſſe convincimus, et Plautum, Terentium, Caeciliumque, eruditiſſimos Viros in Graecis Comoediis transferendis.

Idem ad Paulinum.

Habet unumquodque propoſitum principes ſuos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem: Poëtae aemulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

PAULUS OROSIUS *lib. IV. cap. 19.*

Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans Urbem ingreſſus eſt, quem Terentius, qui poſtea Comicus, ex nobilibus Carthaginienſium captivis pileatus, quod indultae ſibi libertatis inſigne fuit, triumphantem poſt currum ſecutus eſt.

Livius lib. XXX. 45. non Comicum hunc intelligit, ſed ad Q. Terentium Culeonem Senatorem Rom. refert, qui pileo capiti impoſito ſecutus eſt Scipionem triumphantem. Certe de alterutro Quintiliani etiam locus ex Declam. IX. intelligendus eſt.

SIDONIUS APOLLINAR. *Carm. XX.*

Quid vos eloquii canam Latini;
Arpinas, Patavine, Mantuane,
Et te, Comica qui doces, Terenti,
Et te, tempore qui ſatus ſevero,
Grajos, Plaute, ſales lepore tranſis?

RUFINUS *Grammaticus Antiochenſis.*

Agnovit metrum ſervatque Terentius artem;
Nam Prologos trimetro didicit componere verſu,
Scenarumque Actus primos pede claudit eodem.

SER-

Digitized by Google

SERVIUS *in illud lib. I. Aeneid. Verſ.* 414. Talibus incuſat.

Sciendum tamen eſt, Terentium, propter ſolam proprietatem, omnibus Comicis eſſe praepoſitum; quibus eſt, quantum ad caetera ſpectat, inferior.

FL. SOSIPATER CHARISIUS *lib. II.*

Ἤθη, ut ait Varro de Latino ſermone lib. V. nulli alii ſervare convenit, quam Titinnio et Terentio. Πάθη vero Trabea, inquit, et Attilius, et Caecilius facile moverant.

ISIDOR. *Origin. lib. I. cap.* 39.

Fabulas Poëtae quaſdam delectandi cauſa finxerunt, quaſdam ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati ſunt. Delectandi cauſa fictas, ut eas quas vulgo dicunt, vel quas Plautus et Terentius compoſuerunt.

Ex antiquo Cod. Mſ. in Bibliotheca Regis Gall.

Natus in excelſis tectis Carthaginis altae
Romanis ducibus bellica praeda fui.
Deſcripſi mores hominum, juvenumque, ſenumque,
Qualiter et ſervi decipiant dominos:
Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus;
Haec quicunque legit, ſic, puto, cautus erit.

DE AELIO DONATO.

HIERONYM. *in Chronico Olymp.* 284.

Victorinus Rhetor et Donatus Grammaticus praeceptor meus, Romae inſignes habentur: e quibus Victorinus etiam ſtatuam in foro Trajano meruit.

Idem Apolog. adverſus Rufinum.

Puto quod puer legeris Aſpri in Virgilium et Saluſtium Commentarios: Vulcatii in Orationes Ciceronis: Victorini in Dialogos ejus, et in Terentii Comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium, et aliorum in alios; Plautum, Lucretium, Flaccum, Perſium, atque Lucanum. Argue interpretationes eorum, quare non unam explanationem ſecuti ſunt, et in eadem re quod vel ſibi, vel aliis videatur enumerent.

HIERONYM. *in Eccleſ. cap.* 1.

Comicus ait: *Nihil eſt dictum, quod non ſit dictum prius:* unde et praeceptor meus Donatus, cum ipſum verſiculum exponeret, *Pereant*, inquit, *qui ante nos noſtra dixerunt.*

DE EUGRAPHIO.

GERBERTUS *quondam Scholaſticus ad Airardum Epiſt. VII.*

Petitionibus tuis annuimus: noſtra ut exequaris negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic poſtea PP. factus, Sylveſter dictus fuit, vixitque ſub Othone III. Imp. circa A. C. DCCCCXCVIII. Vid. Faſcicul. Tempor. Onuphrius Panvin. in Chron. Eccleſ. et alii.

DANIELIS HEINSII,

AD HORATII DE PLAUTO ET TERENTIO JUDICIUM,

DISSERTATIO.

At noſtri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati: ſi modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus et aure.

DUrum equidem judicium, et quod non nemo hac aetate de leporum omnium parente, ſummo Critico ac maximo Poëta excidiſſe nollet: cujus tamen vernae melius de Plauto judicabant, quam qui nunc familiam in literis tueri hac aetate creduntur. Qui nec ſaeculi, quo vixit. ei quo, cum Poëſis, tum Latina lingua, ad ſupremum culmen ac faſtigium evecta fuit, ignorare potuit judicium; vir tantus, et quod rei caput arbitror, principibus, qui inter ſe quotidie de iis judicabant, intime familiaris ac amicus. Auguſto autem, optimo ingeniorum judici, tam gratus atque acceptus, ut non raro lepidiſſimus homuncio ab eo diceretur, et quem, ſi antiquitati habenda hic fides, etiam habere ab epiſtolis optavit. Qui cum contra, tanti Terentii fecerit Fabellas, ut et integras ex iis ſcenas deſcripſerit, et ubique accommodet, ſoli denique artem tribuat; hominis αὐθάδους potius quam eruditi eſſet, ita diſſentire a tanto Viro, ut ne cauſſam prius cognoſcendam crederet. Quare videamus ſaltem, quid adferri pro utroque poſſit. Ne vel Flacci judicium in poſterum, ut ſolent, aut Terentium ſecure nimium damnare quidam pergant in Comoedia. Omnia autem pro Horatii judicio, qui Plautum ſic amamus ut e manibus rariſſime putemus deponendum, dicentur potius quam noſtro. Ac de numeris quidem nonnulla Donatus. qua etiam in parte haud parum veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem Grammatico, cum inquit:

Agno-

Agnovit metrum, ſervaſque Terentius artem:
Nam prologos trimetro didicit componere verſu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Quanquam certe Fabius, non ſtetiſſe intra trimetros deplorat. De quo forte alias dicturi ſumus. Ad alterum priuſquam veniamus, quaedam praemittenda erunt. Cum eaedem Comoediae propemodum ſint partes ac Tragoediae, finis quoque ex parte idem, ex parte diverſus, multa eſſe utrique communia neceſſe eſt. Delectare enim ac docere eſt Comoediae: neque minus Comici διδάσκαλοι et κωμῳδιδάσκαλοι, quam Tragici, a Graecis dicuntur. Nec movere riſum ſane conſtituit Comoediam, ſed plebis aucupium eſt et abuſus. Nam ridiculum, ut recte Ariſtoteles, *vitium eſt et foeditas, doloris expers; quae partem in homine aliquam corrumpit abſque morbo.* Sicut foeda et detorta facies, ſi nullo cum dolore hoc fiat, riſum movet. Unde ipſum quoque riſum, omnes fere antiquiſſimi Philoſophi indignum ſapiente judicarunt. Adeo ut Plato, tanquam ſacrilegum, traducere non dubitet Homerum, qui ridentes introduxit Deos: quod in homine non τῆς κατὰ λόγον, verum τῆς κατ' αἴσθησιν, quemadmodum Philoſophi loquuntur, διαθέσεως ſit ſignum; a qua longe abeſt Deus: αὐτὴ ἡ θεία λόγῳ, καὶ αὐτόνως. Unde Theſpis:

Ὁρᾷς ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
Οὐ ψεῦδος, οὐδὲ κόμπον, ἢ μωρὸν γέλων
Ἀσκῶν, τὸ δ' ἡδὺ μοῦνος οὐκ ἐπίσταται.

Quare divinitus ab Ariſtotele dictum eſt, partem turpitudinis eſſe, id quod eſt ridiculum. Diſerte enim ait, ὅτι τὸ γελοῖον, μόριον τοῦ αἰσχροῦ ἐστι. Ita quae vel in verbis auctorum vel ſenſibus, vel in ſermone hominum et factis, aut detorta ſunt aut depravata, animos plebeios vehementer movent, et hoc ipſo riſum ut plurimum excutiunt. Ideoque inuſitata dicta et obſcoena, optimorum cavillationes, ſingulorum contumelias, ſententias perverſas, ideoque inexſpectatas, aliaque id genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, et inprimis improborum) riſum maxime in Comoedia, quam Veterem dicebant, expreſſiſſe conſtat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus ſegetem largiſſimam vel unus Ariſtophanes ſuppeditat. Qui non modo Plautum, ſed quoſcunque hac in parte ſuperavit, omneſque τοῦ γελοίου modos ac figuras lepidiſſime expreſſit. Denique ut acetum, niſi vinum ſit corruptum, bonum nunquam erit; ita quae ſincera ſunt et vera, riſum nunquam excitabunt. Appoſite Quinctilianus, ubi de Ridiculo: *Et hercule omnis ſalſe dicendi ratio; in eo eſt, ut aliter quam eſt rectum verumque dicatur.* Quare et compoſitus ad riſum ſermo, ab oratione recta, quam πολιτικὴν magiſtri vocant, quam longiſſime abeat neceſſe eſt, cujus propriae virtutes, ἡ σαφήνεια, ἡ ἐπιείκεια, ἡ ἀφέλεια, ἡ ἀλήθεια, *perſpienitas, aequitas, ſimplicitas, veritas*, ponuntur. Qua in parte ſupra admirationem omnium Menander apud Graecos, Terentius Romanis fuerit neceſſe eſt: qui ut viris ſapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacunque ratione riſum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitae ſcilicet humanae, et inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicae potentiae, licentia Antiquae, ut obſervant Critici, defecit. Cujus locum occupavit Nova. Cujus et formam nondum penitus vidiſſe abſolutam, ſed jam concepiſſe animo, putatur Ariſtoteles. Ejus vero unicum propoſitum, humanos noſſe atque imitari mores. Quo et D. Hieron. Epiſtola ad Furiam, De viduitate ſervanda reſpicit, cum inquit: *Nec mirum, hoc figulum ſenſiſſe de vaſculo, quod ipſe fabricatus eſt, cum etiam Comicus, cujus finis eſt humanos mores noſſe atque deſcribere, dixerit:* SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS. Omnis autem imitatio, ut poſtea dicemus pluribus, natura placet et delectat. Hoc enim proprium eſt hominis, ut recte Ariſtoteles, qui et μιμητικώτατος τῶν ζώων, merito ab eo dicitur. Joci vero, ſi petantur undique, moleſti ac frigidi, aut theatrales fiunt, ſi a vita ſint alieni: qui ut plebi forte, ita doctis placere ac ſapientibus non poſſunt. Conſtantis enim viri ac ſapientis animus, laxari vult, non ſolvi. Illam autem conſtitutionem, καὶ τὸν, ut cum Stoicis hic loquar, ἐν ταὐτῷ τοῦ ἤθους μονὴν, riſus ſolvit. Quem praeclare, τῆς περιχαρείας ὑπερέχουσαν τῆς ψυχικῆς, antiqui vocant. Ideoque et Socratici, quorum libri penuarium leporum omnium fuerunt, ac facetiarum, quod e Xenophonte et Platone etiam hoc tempore apparet, χαριεντίζεσθαι, non γελωτοποιεῖν, ſolent. Ac ne ipſi quidem Siculi, ad feſtivita-

tem nati, et qui primi omnium Comoediae putantur inventores, alium illius finem, quam τὸ χρήσιμον, id eſt, utilitatem poſuerunt. De Epicharmo Theocritus:

Πολλὰ γὰρ ποτ]ὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα.
Μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Id quia ſecus in Comoedia Antiqua, ſtatim defecit; in qua omnia, a veritate et conſuetudine aliena, hoc eſt, vere γελοῖα, et ad riſum erant comparata. Quis non ridet, cum exemplum vitae, pater omnium virtutum, ipſa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates ridetur? cum in corbe feſtiviſſime philoſophatur? cum, quot pedes pulex ſaliat, ſubtiliter ac geometrice metitur? Pleraque enim falſa de ſententiis opinionibuſque veterum Philoſophorum, et ad riſum facta aut excogitata ſunt, quae praecipue hunc excitare ſolent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiem ridendi, quantam unaquaevis ex Ariſtophanicis, ſuppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Caeterum, ut modo dicebamus, quicquid maxime ab agendi conſuetudine aut dicendi alienum eſt, riſum maxime movere ſolet. In ſententiis, qualis illa Comici Nebulis,

Καί τοι πρότερον τὸν Δί' ἀληθῶς ᾤμην διὰ κοσκίνου οὐρεῖν.

In verbis, ut cum furaciſſimus ſervus, κλεπτίστατος a domino vocatur, qui laudare taciturnitatem in eodem videtur:

Α᾽λλ᾽ ὦ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
Πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπ]ίστατον.

Quod ipſum aliquanto caſtigatius Nero extulit, qui de tali ſervo, *Nulli apud ſe plus fidei habere* dicebat: *nihil enim ei neque incluſum neque ſignatum eſſe. Vox enim* κλεπτίστατος, tantum abeſt, ut ſermoni convenire poſſit, ὥστε οὐδὲ αὐτὰ τὴν διάλυσιν (dicerent ſubtiles harum rerum judices) πολιτικὴν εἶναι, hoc eſt, ut ne quidem voce alia quae eam exprimat, conſuetudini aut uſui accommodari poſſit. Itaque corrumpit vocem, plane ut faciem, qui ſic movere riſum cogitat: qualia prope infinita Ariſtophanis. Exemplo ſint diminutiva, quae tam diligenter tertio Rhetoricorum in illius Babyloniis Rex Criticorum Ariſtoteles notavit: χρυσιδάριον, λοιδορημάτιον, ἱματιδάριον, καὶ νοσημάτιον. Quod et in ſermone ejus paſſim et in ſenſibus obſerves, quos non raro riſus cauſa effert corruptiſſimos; ſaepe tamen cum illudit aliis. Quare voces, phraſes, ſenſus, etiam ſtructuram, Novae, ut imitari cuivis tutum eſt, ita Antiquam ſi quis imitari velit, maximo delectu ac judicio eſt opus: quod ſi quiſquam, recte Ariſtoteles notavit. Atque haec cauſa, cur, ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula, ſit Nova, in qua omnes, ut jam abſoluta, acquieſcunt. Cum antiqui Comici, iis pariter quae dicunt, et dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud ſpectarunt quam ridiculum, pleriſque in locis, imprudenter excedant: ideoque et vitium plerumque, quod βωμολοχίαν dixit Ariſtoteles, incurrant. Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, quae in primis locum in his habet, eoſdem et urbanos et honeſtos vocari ait: εὐτραπέλους enim, quaſi εὐτρόπους, dici. Sicut autem de corporibus ex motu, ita ex urbanitate judicari de animo: utrum nempe honeſtus ſit, an turpis. Qui de corporibus locus, cum obſcurus nobis videretur, neque quicquam in recentibus ſcriptoribus, qui interpretati eum ſunt, praeſidii ad manum eſſet, ad Andronicum Rhodium, cujus Paraphraſin in illos libros plane admirandam, primi et edidimus, et in Latinum convertimus ſermonem, ut ſaepe aliis, confugimus. Qui hoc modo: Η῾ δὲ μεσότης, εὐτραπελία, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτράπελοι, οἷον εὔτροποι· καὶ γὰρ τοῦ ἤθους δοκοῦσι τοιαῦται κινήσεις, οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παίζοντες ἐμμελῶς, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε. ὥσπερ γὰρ αἱ κινήσεις τὰ σώματα χαρακτηρίζουσιν· οἷον πῦρ μὲν ἡ εἰς τὸ ἄνω κίνησις καὶ πᾶν κοῦφον· βαρὺ δὲ ἡ εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως· οὕτω καὶ ἀπὸ τῶν ἔξω καὶ φαινομένων τοῦ ἀνθρώπου κινήσεων, αἱ ἕξεις τῆς ψυχῆς φαίνονται καὶ τὰ ἤθη. Quod eſt ex interpretatione noſtra: *Medium vero*, εὐτραπελία, *id eſt*, *urbanitas*, *quique in eo excellunt*, εὐτράπελοι, *quaſi* εὔτροποι, *hoc eſt*, *bene morati*, *dicuntur. Etenim potiſſimum a moribus videntur eſſe hi motus. Hi autem ſunt*, *qui concinne*, *et quemadmodum*, *et cum oportet*, *jocantur. Sicut enim corpora diſtinguunt ſui motus*, *ut*, *exempli gratia*, *ignem et quicquid leve eſt*, *motus qui in altum fertur*, *grave contra*, *motus qui ad medium*, *eodemque modo in aliis*; *ita ex iis qui extra ſunt*, *et qui in oculos incurrunt hominum motibus*, *habitus quoque apparent animae et mores.* Quia autem riſus iis, ut plurimum, qui minus ſunt honeſti, quales homines plebei ſunt aut ſcurrae, gratus eſſe ſolet; hinc ſit, inquit idem Ariſtoteles, ut qui ſcurriles ſunt, urbani etiam dicantur. Ad-

dit

dit autem, quod ſpectare huc propius videtur: *Diſcrimen vero ex Antiqua Comoedia apparet et Nova. Nam in illa id quod obſcoenum, in hac autem, quod ſuſpicionem tantum ejus moveat, riſum quoque exprimit; quae non parum differunt ad venuſtatem.* Idem de cavillis quoque addit et conviciis. Quibus abſtinuiſſe Plautum conſtat, cum obſcoenitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Ariſtotelis judicio diſcrimen videamus. Byrrhia apud Terentium Andria:

> *Ego illam vidi virginem: forma bona*
> *Memini videre. quo aequior ſum Pamphilo,*
> *Si ſe illam in ſomnis, quam illum, amplecti maluit.*

Vides in his, non obſcoenitatem, ſed ſuſpicionem rei parum verecundae, καὶ ὑπόνοιαν, quae tam eſt honeſta, ut a quavis virgine id, urbanitate ſalva, dici poſſit. Quid enim ſuavius, quam *in ſomnis amplecti*? et quidem, ſi de viro et formoſa conjuge dicatur! Non enim dicit βινεῖν, quod Ariſtophanes dixiſſet, nec quae in re tali Plautus uſurpare ſolet, qui nec honeſte ea dicit, et obſcoene circumloquitur. Nam qualia ſunt iſta Caſina!

> OL. *Ubi locus ſumptus porro eſt, continuo ſtricto gladio. atat! papae! papae!* CL. *Quid id papae?*
> OL. *Flagitium ob erat maximum. gladium ne haberet metui: id quaerere occepi.*
> *Dum gladium ne habeat quaero, arripio capulum.*

Nam caetera in quibus plane loquitur, praeſertim cum de Venere ἀῤῥήτῳ agit, ea vero, ne commemorare quidem malo. Puto autem ſatis eſſe manifeſtum, etiam cum circumloquitur quae parum ſunt honeſta, ne honeſte quidem, et cum honeſtarum aurium faſtidio, id fieri. Vides ergo paſſim Veteris imaginem, etiam, de quo mox paullo poſt, dicacitate ac maledicentia. Quae Athenis partim leges, partim metus, partim ipſa emendavit ratio: cum tamen ſola riſum feliciſſime moverent. Novae autem rex princepſque Menander fuit: cujus expreſſa imago ac effigies Terentius. Quem cum uterque accepiſſet, Ariſtophanis virtutes hac mercede expreſſit Plautus, ut nec omnes poſſet (quod et linguae diverſitas, et Romanorum leges, et tempora, ac Rerumpublicarum ratio vetabat, ſublata jam maledicendi libertate, quae praecipua, quod nemo neſcit, τοῦ γελοίου pars eſt,) et quaecunque in Ariſtophane Plutarchus, a communi conſuetudine loquendi abhorrere notat, retineret. Nam et κατὰ τὴν λεκτικὴν, ut Critici loquuntur, καὶ τὸν τῆς διανοίας τρόπον θυμελικὸς eſt, et theatralis, non πολιτικὸς, neque τῇ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἰδίᾳ διαπρέπων neque pauciora addidit, in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odioſus fit, quod non noſtrum, ſed Horatii judicium eſt, et Donati; quos utroſque emunctae naris, utroſque Criticorum primos ſuo tempore fuiſſe, conſtat. Sed et in dicteriis, de quo jam dicebamus, ita Veterem Comoediam amavit Plautus, ut ad eam ſaepe flectat, et quod proprium in illa erat, ἐπωνύμως, et expreſſo nomine, aut circumſcribendo, non tam vitam hominum, quam hominem perſtringat. Ut in illo:

> *Etiam Epidicum, quam ego Fabulam aeque ac me ipſum amo,*
> *Nullum aeque invitus ſpecto, ſi eum agit Pellio.*

Sed et crudeliſſime infelicem Naevium Milite excepit:

> *Nam os columnatum Poëtae ineſſe audivi barbaro,*
> *Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.*

Videtur audire κώδων Κρατίνου, et quae reliqua in Veteri Comoedia occurrunt, ὅσα πόνῳ. Nam ad Ariſtophanis τὸ εὔθικτον, fruſtra ſane aſpiravit. Quis enim riſu non emoritur, cum vinoſitatem Cratini excepit Irene?

> Ερ. Τί δὲ Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἐστιν; Τρ. Ἀπέθανεν,
> Ὅθ᾽ οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον. Ερ. Τί παθών; Τρ. Ὅ, τι;
> Ὡρακιάσας (οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο)
> Ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.

Id eſt:

> P. *Sapiens autem Cratinus quid agit?* TR. *Obiit,*
> *Cum Lacones huc irruerent.* P. *Quo morbo?* TR. *Quo?*
> *Miſere pallere coepit (ferre enim hoc non potuit)*
> *Frangi cum videret vino plenum dolium.*

Alter enim vitium Cratini ridet: alter Naevii miſeriam. Ridiculum autem a miſeria pru-

denter Ariſtoteles ſejungit. Riſus enim cum atroci alicujus malo aut calamitate ſi conjunctus ſit, immanis fit ac barbarus. Illa autem plane extra Novae legem Comoediae:

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium;
Qui mendacem et glorioſum, apud Cloacinae ſacrum.

Et quae deinde ſequuntur. Quod profecto eſt a pulpito ad plauſtrum redire. Legat caetera qui volet. Sed haec, ὡς ἐν προθυμίας μέρει, obiter ſint dicta. Nunc, ingenii exercendi cauſa ac judicii ad ſingula eamus, et utrumque paullo quam plerique accuratius inſpiciamus. Primum in Comoedia Tragoediaque, eſt Diſpoſitio. Neque dubitandum, quin cum Ariſtoteles de Diſpoſitione diſputat Tragoediae, etiam Comoediae ex iis convenire pleraque exiſtimaverit, niſi quod, ut Tragicus diſponit, ita Comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis: alter ipſe ſibi dat quod diſponendum eſt; niſi ſi ab alio deſumat argumentum, certe apud Graecos. Nam Latini Fabulas Graecorum, Diſpoſitione aliquantulum plerumque immutata et perſonis, expreſſerunt. Ut cum e Menandri Eunucho, ſuam paucis immutatis Terentius expreſſit. Ea ratione, ut Davus Parmeno, Chryſis Thais, Chaereſtratus hic eſſet Phaedria. Plautus in Tragico-comico Amphitryone, more Tragicorum Fabulam accepit et diſpoſuit: ſed et nomina retinuit ex parte, quod non ſolet in Comoedia: ex parte, fecit. Unde raro, inveniſſe argumentum Tragicus Poëta dicitur, (quod aut e relatione aliorum aut e ſcriptis, ut plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant.) contra autem Comici. Ariſtoteles, τὸ δὲ μύθους ποιεῖν, Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν. Ita eam vocem, non ut quidam, hic accipio. Μῦθος enim, ut ubique fere Ariſtoteli, non drama eſt, ſed ea actio, e qua drama conſtituitur, ἡ πρᾶξις, ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις. quomodo et accipit, cum dixit, μῦθος δ' ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ. Et ipſe, πολυμύθους eos vocat, qui vel varias, vel quae tempore eodem, ab alio, non uno, et eodem geſtae ſunt, conjungunt. Ideoque Fabulam eligere, et electam recte ac ordine diſponere, ut prima virtus, ita primum maximumque opus eſt. In Amphitryone maneamus. Nam ut argumentum hoc accepit, ita ipſe ex animi ſententia diſpoſuit. Quare potuit, ut voluit, ligare Fabulam ac ſolvere. In ea igitur divina δέσις: mira enim ratione impeditur Fabula et intricatur actio. At tranſitio, quae non eſt Tragica ſed Comica (μετάβασιν vocavit Ariſtoteles) pars quae opponitur τῇ δέσει (quam et λύσιν, ſeu ſolutionem vocant) ex ſententia ſuccedere non potuit. Quare impeditus et oblitus ſui, ire cogitur ad Deum; hoc eſt; ἀπὸ μηχανῆς finire: quod eſt ultimum refugium Poetae, cum τὴν δέσιν hoc eſt, nodum, quem ligavit ipſe, ſolvere non poteſt, et rem parum provide tractavit. Nam caeterae, quae ibi adhibentur machinae, ad ſcenae et choragii ornatum, καὶ τὴν ὄψιν, ut Philoſophus de iis loqui ſolet; referuntur. quale eſt bronteum, et ceraunoſcopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero quae a machina, lubentius in Tragico quam Comico excuſat Ariſtoteles; quia argumento Tragicus aſtringitur, quod accipit. Quanquam ne huic quidem eam fecit gratiam, cum inquit: Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν. id eſt, *Manifeſtum ergo eſt, etiam exitum Fabulae, e Fabula ipſa peti debere, non a machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis quae circa reditum Graecorum fiunt.* Medeam autem, non Euripedeam, ſed alterius intelligit Poetae. Idem et Horatius, e Pariano, credo, Neoptolemo, e quo pleraque praecepta ſua in hoc ſcripto hauſit, fugiendum monet:

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

Ubi *nodus* eſt ἡ δέσις, quae interdum ope humana ſolvi non poteſt. Qui quidem, niſi praeter Poetae voluntatem aut ex argumenti eveniat neceſſitate, non a Deo, quod cujuſvis etiam imperitiſſimi eſt hominis, verum a Poeta ſolvi debet. Rurſus, ſicut pictor primo ambitum delineat, deinde ſingula abſolvit, ita ſapiens Poëta actionem ſuam circumſcribit. Primum, ut ſit tota: hoc eſt, ut principium, ut finem habeat et medium: quae in minimis quoque eſſe poſſunt. Minima autem ſenſum vix admittunt: magna nimium diſpergunt. Sic formicam vix videmus: in conſpectu elephanti viſus vix colligitur. Quare Comoediae Tragoediaeque magnitudo, et periodus, ut cum Philoſopho hoc dicam, e natura utriuſque et ratione peti debent. Et, mutatione prima, hoc eſt, cum infelicitate ad felicitatem in Comoedia,

moedia, contra autem in Tragoedia mutari poteſt actio: ita ut ex argumento nihil, quod ad rem ſpectet, praemitti ſit neceſſe. Summus Ariſtoteli ambitus unius Solis eſt: poteſt eſſe aliquot horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiuſque. Plautus vero novem menſes uno dramate complexus eſt. Ut vix major ampliorque Homericae Iliados, quam Amphytrionis ſit periodus. Alcumena autem concipit et parit. Quod ſi fieret ubique, nullo epiſodio jam opus eſſet: ideoque nec ars eſſet, ſcribere Comoediam. Praeterquam quod ſit monſtri inſtar, et cum ratione ac natura pugnet, ut quae ſimul et concipiat et pariat. Qualia nonnulla in ſcriptore hoc ſummus Criticorum Caeſar Scaliger notavit. Atque haec vitaverant Poëtae Graeci, quorum ſcripta hic tantopere commendat Flaccus: Technici Graecorum, quomodo vitanda eſſent ac cavenda, ſaepe inculcarunt ſuis. Plautus ſuſque deque habuit, ut in Captivis. Quam incuriam Poëta cum videret, continere ſe non potuit, quin exclamaret:

vos exemplaria Graeca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Contra negligentiam ſuorum et incuriam graviſſime taxaret. Quidni enim qui hoc tum agebat, quod ante eum Ariſtoteles: qui ubique Euripidem et alios in illis reprehendit: nam de Comicis quae ſcripſit, hodie non extant. Porro ſimul ac Poëta Actionem habet, locum quoque ut actioni det, neceſſe eſt, quia ſine loco, fieri nil poteſt. Hic autem locus, σκηνὴ δράματος a Criticis vocatur, cujus finem tranſilire nefas. Nemo enim tempore eodem, quod a Plauto recte dicitur, alibi atque alibi verſari poteſt: niſi aliquid monſtroſum fiat in Comoedia. Idem tamen, cum Curculionis ſcenam Epidauri poſuiſſet, Romam tranſit in eadem, et in Romanorum mores, ſcenae ſuae jam oblitus, libere invehitur; et quidem, ut antiqui Comici, tributim, ita ut et ſingula deſcribat loca. Act. IV. Scena *Aedepol.* Jam τὰ ἄλογα in Fabulis quam multa? ita voco, quae nihil veriſimile habent. Tale eſt, Soſiclem Menaechmum, qui veniret e Sicilia, ſurreptum item qui in Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita ſimili fuiſſe, ut dignoſci a ſpectatoribus non poſſent; cum nil ſimile haberent iſtae gentes. Quod vitium, ne a chorago quidem emendari poteſt. Nam Mercurius Amphytrione et Jupiter, Dii ſunt: quibus omnia concedi, etiam hic, ſolent. Quare incurrere τὸ ἄλογον non poſſunt. Ubi enim Dii agunt, ceſſat ratio. Quidvis enim poſſe eos, nemo eſt qui non intelligat. In Terentio, cui ſoli Artem Flaccus noſter aſſignavit, nihil tale. Omnia cum judicio, cum ratione, circumſpecte, ex arte, et cum cura. Nam et Fabulae inſignem fere cum agnitione mutationem habent: quae inter τὰς μὲν ἁπλᾶς ſive πεπλεγμένας, eſſe perfectiſſimas neceſſe eſt. Qualis et in reliqua ubique Diſpoſitione eſt. Quod ad Dictionem autem, quis negabit, quaedam eſſe in Plauto, quae nec locum extra ſcenam, neque uſum niſi inter hiſtriones habent? unde ſolo et exiguo theatri ambitu circumſcribuntur. Nam et ἀγωνιστικὸν in foro, neque minus γραφικὸν, ſive uſitatum in ſcribendo characterem, longe excedunt: quo ubique Nova, et jam emendata, reſpicit Comoedia. Quare Varro cum ſermonis laudem illi tribuit, idem quod ubique in ſcriptis, quanti faceret antiquitatem, profitetur: ut qui τὰ ἀπηρχαιωμένα, quae in Plauto partim aevum quo haec ſcripſit, partim quae pleriſque placet, ipſa delita excuſat antiquitas, commendat. Unde et ipſe qui ſic judicavit, ut nimium antiquitatis in ſcribendo ſtudioſus, neque ſatis aevi ſui memor, Varro ab antiquis Criticis notatur. Qui cum ſentiant ſic, judicentque; nobis qui ab illis merito pendemus, equidem tacendum reor. Auctor de cauſis eloquentiae corruptae: *Neminem nominabo; genus hominum ſignificaſſe contentus: ſed vobis utique verſantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legant, quibus eloquentia tui Aufidii Baſſi, aut Servilii Noviani ex comparatione Siſennae aut Varronis, ſordet.* Quod ex vocibus antiquis patet, quas ex libris ejus Critici legerunt, cum non pauca alia ex ſcriptis ejus peti poſſint. Ideoque Cicero, qui de aetatis ſuae et ſermone et venuſtate maxima cum cura judicabat, laudem hanc Terentio ceſſiſſe merito pronunciat. Sic enim ad Atticum: *Secutus ſum, non dico Caecilium;* Mane ut ex portu in Piraceum: *malus enim Latinitatis auctor eſt: ſed Terentium, cujus Fabellae propter elegantiam ſermonis, putabantur a Laelio ſcribi:*

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piraceum.

Et Servius proprietate caeteris praepoſitum hunc notat. Idem de ſententiis, quas διανοίας vocant,

vocant, judicari poteſt. Omnes enim fere Plauti et θυμελικαὶ ſunt, et ab uſu alienae, quales paſſim habet. Inprimis cum philoſophatur καὶ γνωματευτεῖ. Ut ecce:

Inſanum eſt malum, in hoſpitium deverti ad Cupidinem.

Vere ſcenicum et illud:

Et poſtremo, niſi me auſcultas, atque hoc, ut dico, facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.

Et quis illud extra ſcenam uſurpare auſit?

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin ſint inepti, qui haec et alia id genus, ad ſerium dicendi genus transferunt. Conſequuntur enim, quod non vident, ut inviti riſum moveant; quod non pauci hodie in ſcriptis maximo molimine a Lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Ariſtoteles, in oratione, uniuſcujuſque inſtitutum indicat et voluntatem. Quod in ſingulis repraeſentare, niſi viri aut prudentis aut Philoſophi, nullius eſt. Nam quemadmodum e ſingulis experientia, ita nemo ſingulorum mores ſine hac exprimit. Quare omnium accuratiſſime et optime, quid ſit facere ut ſit ἠθικὴ oratio, Philoſophus oſtendit. Quod vel ſolum tanti eſt, ut nihil minus nonnulli, qui ad Rhetoricarum ſuarum leges magnorum quoque et ſublimium ingeniorum orationes exigere audent, hac in parte videant: in qua, ad ipſius quoque antiquitatis ſtuporem, Afer iſte regnat. Recte ergo Varro: *In argumentis Caecilius poſcit palmam, in ethesin Terentius.* Significat enim, Caecilium εὐρετικὸν, aut potius εὐοικονόμητον fuiſſe: quemadmodum ἀνοικονόμητος nonnunquam prae reliquis videtur Plautus, cui ſermonis idem aſſignavit laudem. Quod, ſi quicquam ſapimus, Terentium eſt Plauto praeferre. Ut cum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque cauſa fuit alia, quare, quod obſervant veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibuſdam praetulerit Terentium, exempli cauſa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, cum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, cum Tragoediae, Comoediae, ac Satyrae effingat formas, quid de noſtro judicet, diſerte expreſſit. Ubertatem enim tribuit Tragoediae, quam dat Pacuvio: gracilitatem Satyrae, quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero, Comoediae, quam dat Terentio. Ut ſi quis uberrimo ſermonis genere heroicum definiat Poëtam: et hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius lib. VII. cap. 13. *Vera autem et propria hujuſmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro eſſe dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.* Quae eſt de Comoediae, quemadmodum in ſcholis loquimur, eſſentia. Cum Plautus ſaepe Tragico, nonnunquam quoque ſerio, utatur. Quanquam ibi ſane ſermo, ut priore loco a Varrone accipitur. Sermo enim et τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentiſſimus, et foemina quae pure loquitur; qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, et humanam optime delineare vitam, ſummus atque extremus viri atque auctoris maximi conatus eſt. Recte Grammatici ad Sophoclem: Ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος. *Eſt autem illud maximum in Poëtice, exprimere ethos.* Debebat addidiſſe, *in Dramatica praeſertim.* Et Horatius tam multis, vitam Tragoediae τὸ ἦθος eſſe docuit. Ariſtoteles vero, etiam in Tragoedia, poſt Actionem, (quam Fabulam plerumque vocat) quae eſſentiae pars prima, partem eſſentiae ſecundam conſtituit τὸ ἦθος. Mirum eſt autem, locum Varronis a nemine intellectum. Qui cum palmam in argumentis Caecilio concedit, principem Comoediae haud dubio Caecilium conſtituit. Quare? Pars Tragoediae praecipua, eſt Argumentum. Ariſtoteles modo μῦθον, modo τῶν πραγμάτων σύνθεσιν, vocare ſolet. Qui et multis probat, eum qui hac parte excellit, etiamſi caeteris deſtituatur, Dramaticum Poëtam dici poſſe. Pars ſecunda eſt τὸ ἦθος, quod cum Terentio aſſignat Varro, locum illi proximum concedit. Quod non poteſt ignorare, qui antiquos Criticos, inprimis autem Ariſtotelem, cum cura legit ac intelligit. Sermonis enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum abeſt ut cum reliquis conferri poſſit, ut poſtremo loco, et poſt τὴν διάνοιαν, ponatur. Quare ex ſententia Varronis, qui hic Ariſtotelem expreſſit, primus eſt Caecilius, ſecundus eſt Terentius: quos deinde Plautus ſequitur. Quod debebat cogitaſſe Siren aevi noſtri Juſtus Lipſius: qui profecto locum ſummi Romanorum Critici non penetravit. Τὸ ἦθος autem Plauto Horatius abjudicat, cum inquit:

aſpice

Digitized by Google

aſpice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi.

Et videtur Charinum habuiſſe in animo, qui Mercatore, τὸ μανικὸν καὶ τὸ ἐρωτικὸν confundit ἦθος, hoc eſt, ita amat, ut Menaechmus furit. Furere autem prae amore, Comoediae non ἦθος, ſed Tragoediae eſt πάθος: ut ex Phaedria aliiſque patet. Quare? quia πάθος aliquod immane exſpectatur. Quod Tragoediam conſtituit, ut μετάβασις conveniat furenti. Sed haec triviales non intelligunt: qui ſummum Virum Ariſtotelem tam facile contemnunt, quam nos et judicia illorum et magiſtros merito contemnimus, quibus perſuaſum eſt, omnem veram eruditionem ex hoc uno fonte limpidiſſimo petendam. Charinus autem Plauti, ad frigiditatem uſque calet, quam non potuit vitare. Qualia ſunt iſta, Scena *Divûm atque hominum*:

jam Cyprum veni, &c.

Item,

Porro proficiſcor quaeſitum. nunc perveni Chalcidem.
Video ibi hoſpitem Zacyntho. dico quid eo advenerim:
Rogito quis eam vexerit, quis habeat ſi ibi inaudiverit.
Hoſpes reſpondit, Zacyntho ficus fieri non malas.

Vides hominem tam triſtem, ut feſtivus eſſe quaerat. At divinus hac in parte, duos amatores in Eunucho, ſuo more, Phaedriam et Chaeream, divinitus utrumque, ἠθικοῖ. Quare cum Poëtae omnes, quorum imitatione conſtat inſtitutum ac conſilium, pictorum inſtar, teſte Criticorum Rege ac Principe, aut ſimiles, aut (quod non raro evenit, vel imperite καὶ ἐξ ἀμαθείας, vel captandi riſus cauſa) nunc pejores quam ſunt exprimant, nunc meliores; ſervos pejores Plautus, ut plurimum; Terentius hos ſemper ſimiles, non meliores; meretrices vero partim ſimiles, partim meliores aliquando introducit. ſimiles, ut Thaidem; meliores, ut Bacchidem. Paraſitos ſemper deteriores et voraciores Plautus, nunquam meliores. Ut et Doſſennus, qui hos ſolos propemodum curabat, in perſonis reliquis ἐκπίπτων. Phormio Terentianus plane eſt admirandus: ut et Gnatho. Plautini quia riſum quaerunt, veritatem et ſermone et ſententiis amittunt. Tres virtutes enim ſermo, quem non ſine cauſa Ἠθικὸν dixerunt Graeci, nos Moratum dicimus, Aequitatem, nempe, Veritatem et Simplicitatem, poſtulat: quae τὸ ἐνδιάθετον, hoc eſt, id quod unicuique eſt inſitum, ob oculos proponit. Cum ridiculum, ut violentum, quia a natura alienum, quod recte de eo Ariſtoteles pronunciat, corruptum ſit, et a corruptis cauſis, quod jam dixi, moveatur. Moratum quia ſimile eſt naturae, leniter delectat: quod aetatum ſingularum, hominum, ac nationum, totiuſque vitae, ſimulachrum quoddam ac imaginem, in ſcena repraeſentat. Plane ut pictura quae a vero abit, et vel cubitalem naſum, vel diſtortum os facete repraeſentat, riſum movet: ſimilis delectat. Atque hoc eſt quod omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expreſſit. Ut Hermogenes: Παρά τε αὐτῷ Μενάνδρῳ ἂν μυρία εὕροις τοιαῦτα καὶ γυναῖκας λεγούσας, καὶ νεανίσκους ἐρῶντας, καὶ μαγείρους, καὶ παρθένους θρυπτομένας, καί τινας ἄλλους· ὅλως τε διὰ τὸ ὑποπίπτειν τῷ ἠθικῷ λόγῳ καὶ τῶν ὁμοίων, ταῦτά γε πάντα ἢ τάγε πλεῖστα αὐτῶν, ὑποκεῖσθαι τῇ ἀφελείᾳ δεῖ. Quemadmodum Hieronymus, Menandrum et Terentium cum maximo judicio conjungit. Ad Paulinum enim: *Poëtae aemulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.* Audi orationem patris irati. Heaut. Act. v. Scena IV.

non, ſi ex capite ſis meo
Natus, itidem ut ajunt Minervam eſſe ex Jove, ea cauſa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

Et quae ſequuntur. Audi mitis viri potius quam boni:

Auſculta, ne me obtundas de hac re ſaepius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi.
Is meus eſt factus. ſi quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obſonat? potat? olet unguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortaſſe excludetur foras.

* * * *

Feret

Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt, Dis gratia,
Et unde haec fiant, et adhuc non moleſta ſunt.

Et divina illa:

credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale. ſed vereor ne indiligens nimium fies.
In qua civitate tandem arbitrare te vivere?

Et quae ſine motu animi et ſuaviſſima voluptate legi non poſſunt Hecyra:

odioſa haec eſt aetas adoleſcentulis:
E medio aequum excedere eſt. poſtremo jam nos fabula
Sumus, Pamphile, ſenex atque anus.

Et caetera: pluſcula ſunt enim. Quis, cum illa Phormione legit, non uxorem honeſtam adulteri agnoſcit?

an quicquam hodie eſt factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum eſt, tum fiunt ſenes.
Haeccine erant itiones crebrae et manſiones diutinae
Lemni? haeccine erat quae noſtros fructus minuebat calamitas?
Quid? ego aequo animo cupio miſera in hac re defungier.
Sed quid ſperem? aetate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat ſenex, ſenectus ſi verecundos facit.
An mea forma atque aetas jam magis expetenda eſt, Demipho?
Quid mihi nunc adfers, quamobrem exſpectem, aut ſperem, porro non fore?

Et quandoquidem ſimplicitas, maxima moratae orationis virtus, ſi intendatur, ſuavitatem parit; nemo ſine incredibili ac ſumma voluptate illud Bacchidis leget:

recte amaſti, Pamphile,
Uxorem tuam. nam nunquam ante hanc diem meis oculis eam, quod noſſem, videram.
Perliberalis viſa eſt.

Ideoque Fabulae Terentianae, doctiorem hiſtrionem, quam reliquorum, deſiderabant. Semper enim quae morata eſt oratio, τῷ ὑποκρίτῃ fulcienda. Nam quae moribus affectibuſque deſtituitur, teſte Philoſopho, eſt ἀνυπόκριτος. Neque ulla fere apud eum ſyllaba extat, quae non animi aut affectus alicujus ſit index. Jam ut ad lepores, ſales, gratias, et venuſtates veniamus; certum eſt, fere omnes eas tolli a ridiculo, non ſecus quam in vita ab exceſſu morum virtus, ab exceſſu apparatus in ſcena tollitur voluptas. Quare Menandro ac Terentio lepores tribuunt antiqui, ſales Plauto Horatius concedit: quos nonnunquam inurbanos eſſe notat. Audi Paterculum: *dulceſque Latini leporis facetiae per Caecilium, Terentiumque et Afranium ſubpari aetate floruerunt.* Graeci χάριτας et χαριεντισμοὺς vocant. Remiſſiores ſunt enim, quam ut riſum violenter moveant: circumſpectiores, quam ut frigeant. Abſurdum enim ſaepe cauſa eſt riſus, aut inuſitatum. Contra autem ſermo, qui et uſitatus et moratus, quique leniter decorum ſervat, ſicut eo ipſo fit venuſtus et delectat; ita quidam eminere joci poſſunt. Qui quidem in hoc Afro, (niſi Laelio eos potius ac Scipioni tribuendos putes) et Menandro, ſi judicium Horatii et antiquorum ſequimur, ex eodem ſale, e quo nata Venus eſt, deprompti videntur. Ecce ſtatim Andria. Act. v. Scena iv.

Davo iſtuc dedam jam negoti. S. *Non poteſt.*
P. *Qui?* S. *Quia habet aliud magis ex ſeſe, et majus.* P. *Quidnam?* S. *Vinctus eſt.*
P. *Pater, non recte vinctus eſt.* S. *Haud ita juſſi.*

Jam Gnathonem vide. qui cum putidos Thraſonis mores Phaedriae ac Chaereae expoſuiſſet, contra autem illi perſuaſiſſet, & jam gratias ineptus homo ac ridiculus haberet:

bene feciſti: gratiam habeo maximam.
Nunquam etiam fui uſquam, quin me omnes amarent plurimum.

Reſpondet ad utrumque converſus:

Dixin' ego in hac ineſſe vobis Atticam elegantiam?

Certe

Certe tota Scena tertia tertii Actus in Adelphis, in qua luditur a Syro Demea, divina eſt. Qualia enim illa?

mihi quidem non placent,
Et clamo ſaepe: ſalſamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre.

Plane enim praeter exſpectationem omnia. Jam cum Vetus Comoedia, nihil aeque ac παρῳδίαν amet, quae plerumque et acerba eſt, et extra Scenam quaeritur, urbaniſſimus Virorum rationem, qua ex actione ipſa, parodiam, lepidam ſane et venuſtam, peteret, invenit. Nam cum Demea dixiſſet,

fit ſedulo,
Nihil praetermitto, conſuefacio: denique,
Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.
Hoc facito.

Et quae ſequuntur; Reſpondet Syrus,

Conſervis ad eundem iſtunc praecipio modum:
Hoc ſalſum 'ſt, hoc aduſtum 'ſt, hoc lautum 'ſt parum.
Illud recte: iterum, ſic memento. ſedulo
Moneo, quae poſſum, pro mea ſapientia.
Poſtremo, tanquam in ſpeculum, in patinas, Demea,
Inſpicere jubeo: et moneo, quid facto uſus ſit.

Ita ſane et Plato et Xenophon, omneſque Socratici jocantur. Nunquam frigide, nunquam obſcoene, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plautina quaedam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Ariſtophanis Theſmophoriazuſis de Euripidis matre adducit:

Ἄγρια γὰρ ἡμεῖς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακά,
Ἅτ' ἐν ἀγρίοις λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.

Cui illud, quamvis non in ſimili omnino genere, adjungas licet:

Nam mulier olitori nunquam ſupplicat, ſi qua eſt mala:
Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores θυμελικὸν, ſive theatrale, vocarent. Ridiculum enim potius quam feſtivum eſt: et ut ſit feſtivum, nemo, vere in his ſubactus, dixerit venuſtum eſſe: ab uſu enim quam longiſſime remotum eſt. Jam vero, cum, in verbis frigidum aut in rebus; de verbis Ariſtoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiae vicinum illud vitium (quanquam illud quoque habere hic locum poteſt) quod diſcedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut nonnihil a dicendi hic magiſtris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida tranſlatione. Ut cum dentes *calceati* dicuntur. Capt.

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et cum victus, *ſenteis eſitare*, & *ſcrupoſam viam commeare* dicitur. quae ſane frigent. Vel in minimis alluſiunculis et longe petitis. Ut Poenulo:

MI. *Aſſum apud te eccum.* AG. *At ego elixus ſis volo.*

Et quod illi placuit non ſemel:

magis calleo quam aprugnum callum callet,

Item,

callum aprugnum aeque callere non ſinam,

Et,

Quanta ſumini abſumedo, quanta callo calamitas!

Et Curcul.

facite ventum ut gaudeam.
PH. *Maxime.* CU. *Quid facitis? quaeſo.* PH. *Ventum.* CU. *Nolo equidem mihi*
Fieri ventulum. PH. *Quid igitur vis?* CU. *Eſſe, ut ventum gaudeam.*

Quas cum Grammatici Latini, qui citius coelum digito, ut ita loquar, expugnaſſent, quam ut minimam Horatii Oden expreſſiſſent, Morologias in Plauto dixerint; nondum video, quare Horatio, ut ſummo maximoque Poëtae, ita Critico incomparabili, quem acu-

tum doctumque Virum ipſe D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non licuerit. Ejus ſane generis ſunt, quae in Ariſtophane accuſat, quaeque trivialia potius, quam ut Viris eruditis, etiam in ſcena placere aut debeant aut poſſint, accuratus cenſor Plutarchus judicavit. *Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαίδευτος καὶ ἰδιώτης οἷς ἐκεῖνος λέγει ἁλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχεραίνει. λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα, καὶ ὁμοιόπτωτα, καὶ παρωνομασίας. τούτοις γὰρ ὁ μὲν μετὰ τοῦ προσήκοντος λόγου καὶ ὀλιγάκις χρῆται, ἐπιμελείας αὐτὰ ἀξιῶν· ὁ δὲ πολλάκις, καὶ οὐκ εὐκαίρως, καὶ ψυχρῶς.* Et adducit exemplum: ut cum, *τὰς ταμίας*, *λαμίας* vocat. Nam quae ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri poſſunt; in quo nihil putidum eſt aut ineptum. Quanquam multa quae notavit, potius Antiqui Comici virtutes, quam illius de quo ibi judicavit, vitia cenſenda ſunt. Princeps enim inter illos fuit, et ad leges eas plane ſe compoſuit. quod de Plauto nemo dicet. Eſt et frigidum, quod longe ab eo abeſt, quod aut eſſe aut poſſe fieri putatur. Quale eſt, *pugno frangere elephanto brachium*, *boriola in coelum pervenire.* Eſt et frigidum, cum ita a familiari ſermone oratio recedit, ut ad uſum amplius transferri nequeat. Tale eſt illud ibidem:

Si ante lucem ire vecipias a meo primo nomine,
Concubium ſit noctis, prinſquam ad poſtremum perveneris.

Creſcit tamen frigidum, cum addit alter:

Opus face eſt et viatico ad tuum nomen, ut tu praedicas.

Quae ſi pedem unum extra ſcenam feras; protinus putiſcent: neque ad uſum applicari poterunt. Qualia nec Scipio nec Laelius, flos nobilitatis, vel in ſcena, approbaſſent. Plutarchus certe, extra liberalium theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inepti ſunt, qui plebeis tantum ſcribi Comoediam exiſtimant; cum non minus eruditis ſcribatur. Quod et Flaccus ſcivit; qui non ſine cauſa:

Creditur, ex medio quia res arceſſit, habere
Sudoris minimum; ſed habet Comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus.

Deinde autem Plauti et Doſſenni utitur exemplo, quos ſecuros de judiciis doctorum ait. Et haec ad divinum, ut jam dixi, ac ſubactum in his Principem, cujus nec judicium nec caeterorum ignorare ea tempeſtate potuit. Et cujus judicium vereri debuiſſet, niſi idem aliorum fuiſſet. Jam illa Epicharmi imitatio, ut feſtiviſſima, ita, ſi ſit frequens, frigore non caret. Quae fit, cum vel falſa opponuntur, aut ſubjectum idem eſt cum praedicato. Ut eum Epicharmus dixit:

Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼ ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις.
Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.

Bis enim idem dicit; quae eſt fraus in verbis praeter exſpectationem. Idem autem eſt cum praedicato ſubjectum: ut in illis Curcul. Act. v. Scena IV.

Quoi homini Dii ſunt propitii, ei non eſſe iratos puto.

Sticho:

E malis multis, malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum.

Captivis:

Hos quos videtis ſtare captivos duos,
Hi ſtant, non ſedent.

Quae jam docti collegerunt. Unde et iſtam ſummi Critici cenſuram meruit:

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi
Dicitur.

Quanquam ſane, alibi non invenuſte iis uſus eſt. Quae Menander tamen, et imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanquam cum periculo conjuncta, ſerio fugerunt. Haec pro Viro maximo Horatio; neque adverſus Plautum dicta ſunt, quem amamus, ſuſpicimus, diligimus, ac veneramur; verum, ut judicium ſic acuamus; ſimul ut acuti iſti, quod videntur ſibi, ita facetiſſimum ſcriptorem ament, legant, tractent atque ediſcant (quod et recte et ordine ab iis fieri fatemur: neque enim ſatis commendari poteſt) ut nec plane et ubique veteribus probaſſe ſe meminerint: et, quod hic praecipue ſpectamus, de Horatio ejuſque criſi, minus libere loquantur: Terentii autem miram, ac prope ineffabilem amoeni-

Digitized by Google

amoenitatem, elegantiam, judicium ac venuſtatem, intelligere paulatim diſcant. Cujus incredibiles lepores, ut Joſephus Scaliger dicebat olim, vix centeſimus eruditorum quiſque videt. Ne cum illo ſimul et Afranium, antiquum Comicum, condemnent, cujus veriſſimum atque abſolutum extat judicium:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

Nobis Eruditi ignoſcent, quod haec fuſius, ſi cogitent praeſertim, munus veri Critici eſſe ac Cenſoris, non literulam ejicere alibi, aut innocentem ſyllabam damnare, vocem tollere alibi aut emendare, ſed ſincere de auctoribus ac rebus judicare: quod et ſolidae et abſolutae eruditionis eſt. Quo, ni fallor, omnes aſpiramus. Neque ulla in re magis antiquitas praeivit nobis. De Auctoribus autem Comicis, uter melius judicare potuerit; Iſne qui aetate illa vixit, quo ad ſummum culmen poëſis pervenit, qui Poëta ſummus, ſummus Criticus, familiariter cum Caeſare Auguſto ac Maecenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant; ipſi viderint.

PETITUS

DE

ORDINE COMOEDIARUM

PUB. TERENTII.

OMnia non ſunt plana atque liquida. Primam omnium ANDRIAM eſſe, liquet ex *Donato*, Praefatione in Andriam. *Haec prima acta eſt Ludis Megalenſibus*, &c. *Suetonius Tranquillus* in vita Terentii: *Scripſit Comoedias ſex, ex quibus primam Andriam, cum Aedilibus daret.* Quod et teſtantur hi verſus in *Andriae Prologo*:

Favete, adeſte aequo animo, et rem cognoſcite,
Ut pernoſcatis, et quid ſpei ſit reliquum:
Poſthac quas faciet de integro Comoedias,
Spectandae, an exigendae ſint vobis prius.

Editam teſtantur cum Didaſcaliae, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpitio Coſſ. hoc eſt, Anno ab Urbe condita DLXXXVIII.

HECYRA ſemel atque iterum exacta, tertio ſtetit; unde factum, ut quo loco edita primum ſit a Terentio, non ex vero proditum ſit a *Donato*, Praefatione in hanc Comoediam: *Factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio et T. Manlio Coſſ.* Atqui ſi facta editaque eſt Cn. Octavio, T. Manlio Coſſ., non igitur quinto loco: nam Cn. Octavius et T. Manlius Conſules fuerunt Anno ab U. C. DLXXXIX. Ergo facta eſt poſt Andriam, quam edidit Terentius anno proxime praecedenti; proinde Hecyra ſecunda eſt, ordine Fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit HEAUTONTIMORUMENOS, ut conſtat ex Didaſcaliis quae in fronte illius leguntur, in haec verba: *Acta tertia M. Juventio, et M. Sempronio Coſſ.* Qui Conſules fuerunt Anno ab U. C. DXCI.

Sequitur quarta PHORMIO, de qua *Didaſcaliae*: *Facta eſt IV. C. Fannio, M. Valerio Coſſ.* Quod etiam teſtatur *Donatus*, Praefatione in hanc Fabulam: *Edita eſt quarto loco M. Valerio et C. Fannio Coſſ.* Poſt Phormionem quinta eſt edita EUNUCHUS, iiſdem Coſſ. iiſdem Aedilibus; habes id ex *Didaſcaliis*, et *Donati* Praefatione in hanc Fabulam: Anno nimirum ab U. C. DXCIII.

Bis eodem die producta in ſcenam, tertium denique acta: pretium octo millibus ſeſtertiûm numeratum eſt Poëtae.

Adelphoe ſexta eſt Comoedia a Terentio facta, eaque edita eſt Lucio Anicio, M. Cornelio Coſſ. hoc eſt, Anno ab U. C. DXCIV. Ludis funebribus L. Aemilii Pauli, ut habes in *Didaſcaliis*. Iiſdem Ludis funebribus relata eſt Hecyra, ſed non placuit, ut eſt in Didaſcaliis. Prius tamen in ſcenam producta eſt Hecyra quam Adelphoe, ut colligo ex *Donato*, qui dicit: *Factam et editam Quinto loco.* Male, ut audivimus: niſi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Manlio Coſſ., quaſi omnino edita non eſſet, cum neque ſpectata neque acta tunc ſit: neque tum male dices *Quinto loco*, cum producta eſt his Ludis ſunebribus Aemilii Pauli ante Adelphoe. Quare audiendus nou eſt *Donatus*, qui eam *ſecundo loco actam dicit*, *etiam tum rudi nomine Poëtae*; *itaque ſic pronuntiatum*, Adelphoe Terentii, *non* Terentii Adelphoe. *Quod adhuc de Fabulae magis nomine Poëta*; *quam de Poëtae nomine Fabula commendaretur*. Quae futilis argumentatio eſt: nam nulla Fabularum Terentii prouunciata eſt Terentii, exempli gratia, Phormio, Heautontimorumenos, antequam tertium edoceretur Eunuchus. Idque obſervat *Donatus* Praefatione in Eunuchum, tertium editam fuiſſe poſt Adelphorum editionem.

EVANTHIUS

DE

TRAGOEDIA ET COMOEDIA.

(Numeri minores uncinulis incluſi ad Obſervationes Lindenbruchii ſunt referendi.)

INitium Tragoediae et Comoediae a rebus divinis eſt inchoatum: quibus pro fructibus vota ſolventes operabantur antiqui. Nam incenſis·jam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod ſacer chorus reddebat Libero patri, Tragoedia dicebatur, vel ἀπὸ τῦ τράγυ [1] καὶ τῆς ᾠδῆς, hoc eſt, ab hirco, hoſte vinearum, et a cantilena. Ejus ipſius rei apud *Virgilium* plena ſit mentio. Vel quod hirco donabatur ejus carminis Poëta; vel quod uter ejus muſti plenus ſolemne praemium cantoribus fuerat; vel quod ora ſua fecibus perlinebant ſcenici, ante uſum perſonarum, ab *Aeſchylo* repertum. Feces euim [2] dicuntur Graece τρύγες. Et his quidem cauſis Tragoediae nomen eſt inventum. At vero nondum coactis in urbem Athenienſibus, cum [3] Apollini Nomio, vel ΑΓΥΙΕΩ̃ id eſt, paſtorum vicinorumque praeſidi Deo, conſtructis aris in honorem divinae rei circum Atticae vicos, villas, pagos, et compita, [4] feſtum carmen ſolenniter cantarent: orta eſt Comoedia ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς compoſito nomine, vel ἀπὸ τῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod eſt, comeſſatum ire cantantes: quod a Poëtis ſolenui die, vel amatorie laſcivieutibus choris comicis, non abſurdum eſt. Itaque ut rerum, ita etiam temporum ipſorum coepto ordine, Tragoedia primo prolata eſſe cognoſcitur. Nam ut ab incultis et feris moribus paulatim perventum eſt ad manſuetudinem, urbeſque ſunt conditae, et vita mitior atque otioſior proceſſit: ita res Tragicae longe ante Comicas inventae. Quamvis retro autem priſca volventibus reperiatur *Theſpis* Tragoediae primus inventor: et Comoediae Veteris pater, *Eupolis* cum *Cratino Ariſtophaneque* eſſe dicatur: *Homerus* tamen, qui fere omnis poëticae largiſſimus fons eſt, etiam his carminibus exempla praebuit, et velut quadam ſuorum operum lege praeſcripſit:

ſcripſit: qui * Iliadem inſtar Tragoediae, Odyſſeam ad imaginem Comoediae feciſſe monſtratur. Nam poſt illius tale tantumque documentum, ab ingenioſiſſimis imitatoribus et digeſta ſunt in ordinem, et diviſa ea, quae etiam tum temere ſcribebantur adhuc impolita, atque in ipſis rudimentis haudquaquam, ut poſtea facta ſunt, decora atque laevia. At nos ea, quae proprie de Tragoedia dicenda ſunt, titulo propoſiti operis inſtantes, in alia tempora differamus: et de his Fabulis jam loquamur, quas *Terentius* imitatus eſt. Poſtquam demonſtrandae originis cauſa de utriuſque generis initio diximus: quod neceſſe eſt jam dicemus.

Comoedia fere Vetus, ut ipſa quoque olim Tragoedia, ſimplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc ſpatiatus, nunc conſiſtens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una perſona ſubſtituta eſt cantoribus, quae reſpondens alternis choro, locupletavit variavitque rem muſicam; tum altera; tum tertia; et ad poſtremum creſcente numero, per auctores diverſos, perſonae, pallae, cothurni, ſocci, et caeteri ornatus atque inſignia ſcenicorum reperta: et ad hoc unicuique ſuus habitus: et ad ultimum, qui primarum partium, qui ſecundarum, et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores eſſent, diſtributa et diviſa quinquepartita tota eſt Fabula: quae tamen in ipſis ortus ſui velut quibuſdam incunabulis, et vix dum incipiens; [5] κωμῳδία ἱστόντις καὶ ἀρχαία dicta eſt: ἀρχαία idcirco, quia eſt de nobis parum cognitis vitiis: [6] ἱστόντις autem, quia ineſt in ea velut hiſtorica fides verae narrationis, et denominatio omnium, de quibus libere deſcribebatur. Etenim per priſcos Poëtas, non ut nunc, penitus ficta argumenta: ſed res geſtae a civibus palam cum eorum ſaepe, qui geſſerant, nomine decantabantur. Ideo ipſa ſuo tempore moribus multum profuit civitatis, cum unuſquiſque caveret, culpa ne ſpectaculo caeteris eſſet, et domeſtico probro. Sed cum Poëtae abuti licentius ſtilo, et [7] paſſim laedere ex libidine coepiſſent plures bonos, ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata ſiluere. Et hinc deinde aliud genus Fabulae, id eſt, Satyra, ſumpſit exordium: quae a Satyris, quos illotos ſemper ac petulantes Deos ſcimus eſſe, vocitata eſt: etſi aliunde nomen traxiſſe prave putant alii. Haec, quae Satyra dicitur, ejuſmodi fuit, ut in ea, quamvis duro et veluti agreſti joco, de vitiis civium tamen ſine ullo proprii nominis titulo carmen eſſet. Quod item genus Comoediae multis obfuit Poëtis, cum in ſuſpicionem potentibus civibus veniſſent, illorum facta deſcripſiſſe in pejus, ac deformaſſe genus ſtilo carminis. Quod primo *Lucilius* novo conſcripſit modo, ut poëſin inde faceret, id eſt, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo ſupra diximus modo, coacti omittere ſatyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν κωμῳδίαν, hoc eſt, Novam Comoediam reperere Poëtae: quae argumento communi magis, et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: et minus amaritudinis ſpectatoribus, et eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumenta, conſuetudini congrua, utilis ſententiis, grata ſalibus, apta metro. Ut igitur ſuperiores illae ſuis quaeque celebrantur auctoribus: ita haec νέα κωμῳδία cum multorum antea, tum praecipue *Menandri Terentiique* eſt. De qua cum multa dicenda ſint, ſat erit tamen velut admonendi Lectoris cauſa, quod de Arte Comica veterum chartis continetur, exponere. *Comoedia Vetus* ut ab initio chorus fuit, paulatimque perſonarum numero in quinque Actus proceſſit: ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad *Novam Comoediam* ſic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, ſed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam poſtquam otioſo tempore, faſtidioſior ſpectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus Fabula tranſibat, conſurgere et abire coepiſſet: admonuit Poëtas, primo quidem choros praetermittere, locum eis relinquentes: ut *Menander* fecit, hac de cauſa, non, ut alii exiſtimant, alia. Poſtremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt Comici: unde apud illos dirimere Actus quinquepartitos difficile eſt. Tum etiam Graeci Prologos non habent more noſtrorum, quos Latini habent. Deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id eſt, Deos argumentis narrandis machinatos, caeteri Latini inſtar Graecorum habent: *Terentius* non habet.

* *Iliadem inſtar Tragoediae, Odyſſeam ad imaginem Comoediae.*] Aliter ſentit Ariſtoteles in lib. de re Poëtica. cujus auctoritate facile hujus Grammatici opinio praeponderatur. Muret.

habet. Ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id eſt, perſonas extra argumentum arceſſitas, non facile caeteri habent: quibus *Terentius* ſaepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etſi ipſi quoque in metris negligentius egerunt, jambici verſus duntaxat in ſecundo et quarto loco: tamen a *Terentio* vincuntur reſolutione hujus metri, quantum poteſt, comminuti ad imaginem * prorſae orationis. Tum perſonarum leges circa habitum, aetatem, officium, partes agendi, nemo diligentius *Terentio* cuſtodit. Quin etiam ſolus auſus eſt, cum in fictis argumentis fidem veritatis aſſequeretur, etiam contra praeſcripta comica, meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonae ſint, et voluptas per ipſum et cauſa non deſit. Haec cum artificioſiſſima *Terentius* fecerit: tum illud eſt admirandum; quod et morem retinuit, ut Comoediam ſcriberet, et temperavit affectum, ne in Tragoediam tranſiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a *Plauto*, et ab *Afranio*, et *Accio*, et multis fere magnis Comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus Fabulae eo ſunt temperamento, ut neque extumeſcant ad tragicam celſitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde quod nihil abſtruſum ab eo ponitur: aut quod ab hiſtoricis requirendum ſit, quod ſaepius *Plautus* facit, et eo eſt obſcurior in pluribus locis. Adde quod argumenti ac ſtili ita attente memor eſt, ut nuſquam [8] non caverit, aut curaverit ea, quae obeſſe potuerunt: tum quod media primis atque poſtremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, ſed aptum ex ſe totum, et uno corpore videatur eſſe compoſitum. Illud quoque mirabile in eo: primo, quod non ita miſcet perſonas quatuor, ut obſcura ſit earum diſtinctio. Et item quod nihil ad populum facit Actorem velut ex Tragoedia loqui: quod vitium *Plauti* frequentiſſimum eſt. Illud etiam inter caetera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad ſcribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor eſt, ceterae quinque binos adoleſcentulos habent, illud vero tenendum eſt, poſt νέαν κωμῳδίαν Latinos multa Fabularum genera protuliſſe: ut Togatas, a ſcenicis atque argumentis Latinis: Praetextatas, ab dignitate perſonarum, et Latina hiſtoria: Atellanas, a civitate Campaniae, ubi actitatae ſunt plurimae: Rhyntonicas, ab Actoris nomine: Tabernarias, ab humilitate argumenti et ſtili: Mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium perſonarum. Inter Tragoediam autem et Comoediam cum multa, tum inprimis hoc diſtat: quod in Comoedia mediocris fortunae hominum, parvi impetus periculaque, laetique ſunt exitus actionum. At in Tragoedia, omnia contraria, ingentes perſonae, magni timores, exitus funeſti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In Tragoedia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragoedia, fugienda vita; in Comoedia, capeſſenda exprimitur. Poſtremo, quod omnis Comoedia de fictis eſt argumentis: Tragoedia ſaepe ab hiſtorica fide petitur. Latinae Fabulae primo a *Livio Andronico* ſcriptae ſunt, † cum etiam tam ad cuncta recentibus, idem et Poëta et Actor Fabularum ſuarum fuiſſet. Comoediae autem Motoriae ſunt, aut Statariae, aut Miſtae. Motoriae, turbulentae: Statariae, quietiores: Miſtae, ex utroque actu conſiſtentes. Comoedia per quatuor partes dividitur, Prologum, Protaſin, Epitaſin, Cataſtrophen. Prologus eſt velut praefatio quaedam Fabulae: in quo ſolo licet, praeter argumentum aliquid ad populum, vel ex Poëtae, vel ex ipſius Fabulae, vel ex Actoris commodo, loqui. Protaſis, primus eſt Actus, initiumque dramatis. Epitaſis incrementum proceſſuſque turbarum: ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Cataſtrophe, converſio rerum eſt ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione geſtorum.

* *Prorſae orationis*] Proſam orationem qui dicunt, facere imperite exiſtimo. *Prorſam* antiqui rectum appellabant: inde *prorſi limites* apud Feſtum, eoque vocabulo in hunc ſenſum reperio uſum Senecam, his verſibus ex Troade:

Et quid renatum prorſus adſpiciens diem
Tepidum rubenti Tigrin admiſcet freto?

Sed et *Prorſam* vocabant Deam, quae rectos foetus adduceret: de qua locum hunc A. Gellii, l. XVI. 16. ita ſcriptum in Veteribus libris videre memini: *Hujus periculi deprecandi gratia arae ſtatutae ſunt Romae duabus Carmentibus: quarum altera Poſtverta nominata eſt, altera Prorſa: a recti perverſique partus et poteſtate et nomine:* nunc autem ibi quoque corrupte legitur *Proſa*. Quia igitur, *prorſum*, rectum eſt, ideo ſolutam orationem, *prorſam* nominarunt, quod eſſent in ea voces recto fere ordine, et ut naturae ferret impetus, collocatae: contraque *verſum* dixerunt, in quo eſſet orationis genus verſum atque mutatum, ut loquitur Cicero. MURET.

† *Cum etiam tam ad cuncta recentibus, &c.*] Hoc ſignificat, ideo eundem, et Poëtam et Actorem fuiſſe, quod Romani etiam tum ad omnia rudes eſſent. Vide Liv. 6. MOREL.

DONATI

DONATI FRAGMENTUM

DE

COMOEDIA ET TRAGOEDIA.

[9] COMOEDIA eſt Fabula, diverſa inſtituta continens, affectuumque civilium ac privatorum: quibus diſcitur, quid ſit in vita utile, quid contra evitandum. [10] Hanc Graeci ſic definiere, *κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή*. Comoediam eſſe *Cicero* ait, *imitationem vitae, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis.* Comoediae autem a more antiquo dictae: quia in vicis hujuſmodi carmina initio agebantur, apud Graecos: ut in Italia Compitalitiis ludicris, admiſto pronunciationis modulo, quo, dum Actus commutantur, [11] populus detinebatur. Aut *ἀπὸ τῶν κωμῶν*, hoc eſt, ab actu vitae hominum, qui in vicis habitabaut, ob medioeritatem fortunarum: non in aulis regiis, ut ſunt perſonae Tragicae. Comoedia vero, quia poëma ſub imitatione vitae atque morum ſimilitudine compoſitum eſt, in geſtu et pronuutiatione conſiſtit. Comoediam apud Graecos dubium eſt quis invenerit primus: apud Latinos certum eſt. Comoediam et Tragoediam Togatam primo *Livius Andronicus* reperit: aitque, *Comoediam eſſe quotidianae vitae ſpeculum:* nec injuria. Nam ut intenti ſpeculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione Comoediae imitationem vitae conſuetudiniſque, non aegerrime animadvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus, moribuſque, pervenit. Atheuienſes namque Atticam cuſtodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis laeti alacreſque veniebant, ibique cum nomiuibus, ſingulorum vitam publicabant: unde nomen compoſitum, ut Comoedia vocaretur. Haec autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant praemia, quibus ad ſcribendum doctorum provocarentur ingenia: ſed et Actoribus munera offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: a quo etiam Tragoediae nomeu exortum eſt. Nonnulli autem ex amurca olei fece, quae eſt humor aquatilis, Tragoediam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipſi Comoediarum Tragoediarumque Scriptores, hujus Dei velut Patris numen colere venerarique coeperunt. Cujus rei probabilis ratio extitit: ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes ejus et facta glorioſa celebrari proferrique conſtaret: tum paulatim fama hujus artis increbuit. *Theſpis* autem primus haec ſcripta in omuium uotitiam protulit. Poſtea *Aeſchylus*, ſecutus exemplum, publicavit. De quibus ita *Horatius* in Arte Poëtica loquitur:

Ignotum tragicae genus inveniſſe Camoenae
Dicitur, et plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis:
Quae canerent, agerentque peruncti fecibus ora.
Poſt hunc perſonae, pallaeque repertor honeſtae
Aeſchylus, et modicis inſtravit pulpita tignis:
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comoedia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex eſt accepta: choruſque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere Poëtae:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Graeca

Auſi

Digitized by Google

Auſi deſerere, et celebrare domeſtica facta;
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.

FABULA generale nomen eſt: ejus duae primae partes ſunt, Tragoedia et Comoedia. Si Latina argumentatio ſit, praetextata dicitur. Comoedia autem multas ſpecies habet. Aut enim palliata eſt, aut togata, aut tabernaria, aut Attellana, aut mimus, aut rhintonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem Actorum, qui non cothurno aut ſocco utuntur in ſcena, aut pulpito, ſed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quae perſonarum in turribus aut in coenaculis habitantium ſunt, ſed in plano et humili loco. Perſonati primi egiſſe dicuntur Comoediam Cincius et Faliſcus: Tragoediam [12] Minutius et Prothonius. Omnium autem Comoediarum ſcripta ex quatuor rebus omnino ſumuntur; nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brunduſina. Facto, ut Eunuchus, Aſinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comoediarum formae ſunt tres. Palliatae, Graecum habitum ferentes: quas nonnulli tabernarias vocant. Togatae juxta formam perſonarum, habitum togarum deſiderantes. Attellanae, ſalibus et jocis compoſitae, quae in ſe non habent niſi vetuſtam elegantiam. Comoedia autem dividitur in quatuor partes, Prologum, Protaſin, Epitaſin, Cataſtrophen. Prologus eſt prima dictio, a Graecis [13] dicta πρόλογος, id eſt, antecedens veram Fabulae compoſitionem elocutio. Ejus ſpecies quatuor ſunt. Συστατικὸς, commendatitius: quo Fabula vel Poëta commendatur. [14] Ἀναφορικὸς, relativus: quo aut adverſario maledicta, aut gratiae populo referuntur. [15] Ὑποθετικὸς, argumentativus: Fabulae argumentum exponens. Μικτὸς, miſtus: omnia haec in ſe continens. Inter Prologum et Prologium quidam hoc intereſſe voluerunt: quia Prologus eſt velut Praefatio quaedam Fabulae, in quo ſolo ſcillcet praeter argumentum, aliquid ad populum vel ex Poëta, vel ex ipſius Fabulae, vel Actoris commodo loquitur. Prologium autem eſt, cum tantum de argumento dicitur. Protaſis eſt primus Actus initiumque dramaris, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exſpectationem tenendam. Epitaſis eſt incrementum proceſſuſque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Cataſtrophe eſt converſio rerum ad jocundos exitus, patefacta cunctis cognitione geſtorum. In pleriſque Fabulis ipſarum nomina priora ponebantur, quam Poëtarum: in nonnullis Poëtarum, quam Fabularum. Cujus moris diverſitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui Fabulas ederent, ipſarum nomina pronuntiabantur ante, quam Poëtae pronuntiarentur, ne aliqua invidia a ſcribendo deterreri poſſent. Cum autem per editionem multarum, Poëtae jam eſſet auctoritas acquiſita, rurſus priora Poëtarum nomina proferebantur: ut per ipſorum vocabula Fabulis attentio acquireretur.

ACTAS diverſis ludis manifeſtum eſt inſcribi. * Nam ludorum quatuor ſunt ſpecies, quos Curules Aediles munere publico curant. Megalenſes, magnis Diis conſecrati, quos Graeci [16] μεγαλησίας appellant. Funebres, ad retinendum populum inſtituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene inſtruitur. Plebei, qui pro ſalute plebis eduntur.

* *Nam ludorum quatuor ſunt ſpecies.*] Difficile dictu eſt, hoc loco, non multis in verbis, quam multa peccata ſint. Primum quatuor tantum ludorum genera, ſive, ut iſte neſcio quis loquitur, ſpecies. Ubi igitur Florales? ubi Romani? ne caeteros perſequendo ſim longior. Deinde Apollinares ludos numerat inter eos, qui ad curam Aedilium Curulium pertinerent. Falſo. Exſtant apud Livium et Macrobium carmina Martii Vatis, quae eos ad Praetoris Urbani curam pertinuiſſe demonſtrant. Apollini cenſeo vovendos ludos, qui quotannis commoniter Apollini fiant. Iis ludis faciendis praeſit is Praetor, qui jus populo plebique dabit ſummum. Idem confirmat M. Tullius oratione decima in Antonium, ubi de Bruto loquens, *Qui*, inquit, *cum Praetor urbanus eſſet, urbe caruit, jus non dixit, cum omne jus populi Rom. recuperaſſet.* Et paullo infra: *Qui ne Apollinares quidem ludos, pro ſua Populique R. dignitate apparatos, praeſens fecit, ne quam viam patefaceret ſceleratorum hominum audaciae.* Errat etiam in eo, quod Megalenſes magnis Diis conſecratos fuiſſe arbitratur. Non enim Megalenſes, ſed Circenſes, ſive Romanos, Conſo et magnis Diis, ex Aſconio; Megalenſes autem magnae Deum matri ſacros fuiſſe, ex Livio et aliis cognoſcitur. Nam quod Antonius Goveanus, a Megalenſibus Megaleſia diſtinguere, Megalenſes autem eoſdem cum Romanis facere voluit, aeque in utroque falſus eſt. Locus eſt Ciceronis ex oratione de Reſponſis haruſpicum. *Nam quid ego de illis ludis loquor, quos in Palatio noſtri majores ante templum in ipſo Matris magnae conſpectu Megalenſibus fieri celebrarique voluerunt, qui ſunt more inſtitutiſque maxime caſti, ſolennes, religioſi: quibus ludis primum ante populi conſeſſum ſenatui P. Africanus iterum Conſul ille Major dedit, ut eos ludos haec lues impura pollueret. Quo ſi quis liber aut ſpectandi, aut etiam religionis cauſſa acceſſerat, manus afferebantur. Eo matrona nulla adiit propter vim conſeſſumque ſervorum. Ita ludos eos, quorum religio tanta eſt.*

Digitized by Google

tur. Apollinares, Apollini conſecrati. In Scena duae arae poni ſolebant, dextra Liberi, ſiniſtra ejus Dei cui ludi fiebant: unde *Terentius* in Andria ait: *Ex ara hac ſume verbenas.*

Hinc Ulyſſem palliatum ſemper inducunt: ſive quod aliquando inſaniam ſimulavit: quo tempore tectum ſe eſſe voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire, ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munituſque plurimum ſociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi ſemper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacae incolas, ſicut Locros, palliatos fuiſſe commemorant. Achillis et Neoptolemi perſonae, diademata habent: quamvis regalia ſceptra nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam eum reliqua Graeciae juventute ad gerenda eum Trojanis bella, ſacramenta conjurationis inierunt, nec unquam ſub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis ſenibus [17] candidus veſtitus inducitur, quod is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. Adoleſcentibus diſcolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditiores agant. Paraſiti cum intortis palliis veniunt. Laeto veſtitus candidus: aerumnoſo obſoletus: purpureus diviti: pauperi phoeniceus datur: militi chlamys purpurea: puellae habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum datur. Syrmata dicta ſunt ab eo, quod trahuntur: quae res ab ſcenica luxuria inſtituta eſt. Eadem in luctuoſis perſonis incuriam ſui per negligentiam ſignificant. Aulaea quoque in ſcena intexta ſternuntur, quod pictus ornatus erat, [18] ex Attalica Regia Romam uſque perlatus: pro quibus ſiparia aetas poſterior accepit. Eſt autem [19] mimicum velum, quod populo obſiſtit, dum Fabularum Actus commutantur. Diverbia hiſtriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a Poëta, ſed a perito Artis Muſicae factis. Neque enim omnia iiſdem modis in uno cantico agebantur, ſed ſaepe mutatis. Ut ſignificant qui tres numeros in Comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujuſcemodi modos faciebant, nomen in principio Fabulae et Scriptoris et Actoris ſuperponebant. Hujuſmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante diſcerent, quam Fabulam acturi ſcenici eſſent, quam omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, et dextris aut ſiniſtris. Dextrae autem et Lydiae ſua gravitate ſeriam Comoediae dictionem pronuntiabant. Siniſtrae et Serranae acuminis levitate jocum in Comoedia oſtendebant. Ubi autem dextra et ſiniſtra acta Fabula inſcribebatur, miſtim joci et gravitates denuntiabantur.

eſt, ut ex ultimis terris arceſſita, in hac urbe conſiderit, qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipſo et appetita religio externa, et Matris magnae nomine ſuſcepta declaratur, hos ludos ſervi fecerunt, ſervi ſpectaverunt, tota denique hoc aedili ſervorum Megaleſia fuerunt. Hunc locum totidem verbis citat Goveanus. et ex eo colligit, a Megalenſibus alia eſſe Megaleſia: quod Cicero Megaleſia Megalenſibus celebrari ſolita dicat. Deinde tradit ludos Megalenſes eoſdem eſſe, qui Circenſes Romani magni nominantur. Quae cum dicit, non animadvertit, in quam difficiles ſeſe rerum abſurdiſſimarum laqueos inducat. Non abutar pluribus argumentis, neque committam, ut mea oratio, hunc veluti patentem alienae reprehenſionis nacta campum, juveniliter in eo exſultare videatur. Tota res uno verbo confici poteſt. Nam ſi ludi Megalenſes committebantur pridie Id. April. ut ex Livio conſtat, ludi autem Romani pridie Kalend. Sept. ut e priore actione in Verrem cognoſcitur: quis eſt uſque eo hebes, qui non videat, ut iidem ſint Megalenſes et Romani, nullo modo fieri poſſe? Ego vero, ne dicam dolo, vocem illam, *Megalenſibus*, e Ciceronis loco, quem paullo ſupra recitavi, et expungendam puto, et e gloſſemate aliquo in ordinem Ciceronis verborum irrepſiſſe ſuſpicor. Sunt igitur eadem Megaleſia cum Megalenſibus, neque dicta ſunt ἀπὸ τῶν μεγάλων σιῶν, ut hic Grammaticus nugatur, ſed a Magna matre, cui dicata erant: cumque initio Megalenſia dicerentur, detrita, ut ſaepe fit, litera, Megaleſia nominata ſunt. Itaque Feſtus, *Megaleſia*, inquit, *ludos Matris magnae appellabant.* Muret.

DE

FABULARUM, LUDORUM, THEATRORUM, SCENARUM, AC SCENICORUM ANTIQUA CONSUETUDINE, LIBELLUS;

Ex optimis Auctoribus collectus, ad Comicos facilius intelligendos,

Praecipue conſcriptus in gratiam Studioſae Juventutis.

NUmquam exiſtimandum eſt cuiquam poſthac familiarem Plautum aut Terentium futurum; eorumque intimum artificium, orationis characterem, atque venuſtatem, aliaque id genus plura quemquam plane aſſequuturum, niſi Comicam omnem dignitatem, morem, et agendi conſuetudinem, quae ab antiquis in Fabulis ac Ludis obſervari ſolebant, exacte teneat. Ita fiet, ut poſtea nihil praeter metrorum rationem, ac verſuum menſuras deſiderare poſſit: quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum Grammaticorum cultiſſimo, et in hac re plurimum exercitato, deſumere licebit. Hic itaque libet adoleſcentulis bonarum literarum ſtudioſis breviter proponere: primum, unde nata ſit Comoedia, quoque pacto ante Comoediarum uſum antiqui Poëtae luſerint: deinde vero, quomodo Comoediae agi ac pronunciari ſolitae fuerint, ut quid *Ludi* ſint, quid *Theatra*, *Scenae*, *Actus*, *Perſonae*, et id genus cetera, facile intelligatur. Quod opus dum aggredimur, facilem atque attentum Lectorem eſſe cupimus, ut tandem intelligat, quid ſit Fabula, Tragoedia, Comoedia vetus, Satyra, et nova Comoedia.

QUID FABULA, TRAGOEDIA, SATYRA, COMOEDIA VETUS ET NOVA.

FABULAE generale nomen eſt, Tragoediam, Satyram, et Comoediam in ſe complectens. Eſtque Fabula, narratio quaedam conficta, et demiſſiore plerumque ſtilo ac verſibus conſcripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam *Poëmata* inter Fabulas a nonnullis connumerantur: quapropter quibuſdam viſus eſt Homerus Iliadem inſtar Tragoediae, Odyſſeam ad imaginem Comoediae conſcripſiſſe.

TRAGOEDIA autem Fabula eſt, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non ſolum privatis ac civilibus, ſed maxime arduis, et ad Principes attinentibus, minus rectum videbatur. In ea ſcenici amurca, et olei faecibus (quas Graeci τρύγας vocant) perlinebant ora, ante uſum perſonarum: unde Tragoediae nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum ſaepe ab hiſtorica fide: dictio ſevera, ſublimis, ſaepe tumida: tranquilla prima, exitus funeſti.

Poſt

Digitized by Google

Poſt Tragoediam inventa COMOEDIA, quae VETUS dicta eſt: in qua (ut in Tragoedia quoque) ſimplex carmen fuit: quod carmen chorus circa aras fumantes nunc ſpatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat: eratque primo una perſona cantoribus ſubſtituta, quae reſpondens alternis choro, locupletabat, variabatque rem muſicam. Chorus autem in Tragoedia, aut *Comoedia Vetere*, dicebatur multitudo coaevorum juvenum, aut minorum in ſacris, vel ſcena, cantantium atque ſaltantium.

Fuit *Vetus Comoedia* Graecis *Archaea* dicta, quia eſſet de nobis parum cognitis vitiis: item etiam *Eteonymos*, quia ineſſet in ea velut hiſtorica fides verae narrationis, et nominatio omnium, de quibus ſcribebatur. Sed cum Poëtae in Comoediis abuti licentius ſtilo, et paſſim laedere ex libidine coepiſſent plures bonos, lege lata, ne quiſquam in alterum infame carmen ſcriberet, tacuerunt.

SATYRA exinde ſumſit exordium. Eſtque genus Fabulae, quae ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos eſſe ſcimus, nomen ſumſit. Fuit autem ejuſmodi, ut in ea, quamvis duro et agreſti joco, tamen vitia hominum, ſine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per ſcirpos, et aenigmata, magnae res deſcriberentur. Id vero genus Fabulae multis obfuit Poëtis, quum in ſuſpicionem potentibus civibus veniſſent, quod illorum facta deſcripſiſſent in pejus, ac deformaſſent Fabulae genus ſtilo carminis.

Poſt exoletam Satyram, inventum eſt a Poëtis aliud Fabulae genus, quae COMOEDIA NOVA dicta eſt. Ea erat Fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum: qua diſcebatur, quid eſſet in vita utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, Comoediam eſſe imitationem vitae, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis.

Nomen habet *Comoedia*, vel a Como, Deo comeſſationis, vel ab eo, quod primum Athenienſes per vicos adhuc diſperſi ex omnibus locis laeti alacreſque conveniebant: ibique rudibus et incultis verſibus potentiorum, aliorumque item hominum vitia nominatim perſtringebant. Nomen autem compoſitum ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν. In ſumma, Comoedia eſt Poëma ſub imitatione vitae ac ſimilitudine compoſitum, in geſtu et pronuntiatione conſiſtens. In ea mediocres fortunae hominum, parvi impetus, pericula quotidiana, turbulenta principia, laetique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque choro nova Comoedia, contra quam Vetus paulatimque perſonarum numero in quinque Actus proceſſit: quod tunc, quum ad cantores ab Actoribus tranſibat Fabula, conſurgeret et abiret populus. In ea etiam perſonarum ornatus alius inventus eſt, pallia, ſocci, et id genus caetera.

Poſt novam Comoediam Latini multa Fabularum genera protulerunt, quae tamen Comoediae dicebantur. *Togatas* vocabant a ſcenicis indumentis, quae Romanam togam prae ſe ferebant, et ab argumentis Latinis; *Praetextatas* a dignitate et veſtitu perſonarum, et Latina hiſtoria: *Atellanas* ab Atella Oſcorum civitate, ubi inventae dicuntur: eae ſalibus conſperſae erant, ac jocis compoſitae, in ſe non habentes niſi veneſtam elegantiam: quales ſunt Plautinae: *Rhyntonicae* Comoediae dictae ab auctoris nomine: *Tabernariae*, ab humilitate argumenti, et ſtili; *Palliatae*, ab habitu et argumento Graeco. *Mimi*, ab inverecunda imitatione vilium rerum, et levium perſonarum. *Planipedia* quoque Comoedia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem Actorum, qui non cothurno, aut ſocco utebantur in ſcena, aut pulpito, ſed plano pede: vel ideo, quod non ea negotia contineat, quae perſonarum in turribus, aut in coenaculis habitantium ſunt, ſed in plano et humili loco.

Omnium autem Comoediarum ſcripta, quae Dramata Graeci vocabant, ex quatuor rebus omnino ſumuntur: Nomine, Loco, Facto, Eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brunduſina. Facto, ut Eunuchus, Aſinaria, Captivi. Eventu, ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur nova Comoedia in quatuor partes: *Prologum*, *Protaſin*, *Epitaſin*, *Cataſtrophen*.

Prologus eſt veluti praefatio quaedam Fabulae, in qua vel Poëta excuſatur, vel Fabula commendatur.

Protaſis eſt primus Actus Fabulae, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exſpectationem tenendam.

Epitaſis, incrementum eſt, proceſſuſque turbarum, & involutio argumenti, cujus elegantia connectitur.

Cataſtrophe, eſt explicatio Fabulae, per quam eventus ejus explicatur, atque approbatur.

Digitized by Google

DE LUDORUM ANTIQUORUM GENERIBUS.

VErum ut omnis Comoediarum ratio facilius intelligatur, atque adeo ea, quae omnem Comoediarum actionem ſpectant: attendendum eſt primum, quando fierent, quo loco, et qua forma. Hoc autem tum demum Lector intelliget: cum pernoverit, quid fuerint apud antiquos Ludi, Theatra, Actus, Scenae, et hujuſmodi cetera.

Vetus itaque Comoedia, item etiam Tragoedia, primum agi ſolebat a Graecis, in vicis et pratis mollibus, adſcriptis et propoſitis praemiis, quibus ad ſcribendum Poëtarum provocarentur ingenia: actoribus quoque munera offerebantur, caperque dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur Comoediae et Tragoediae apud vetuſtiſſimos in honorem Liberi Patris. In Italia primum actae ſunt Compitalitiis ludicris, admiſto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. *Compitalitii* autem ludi dicti, qui per compita fiebant; ſcenaeque ductiles in ploſtris ob id antiquis excogitatae. Poſtea vero factum, ut ludis publicis, et in Theatro agerentur Novae Comoediae apud Romanos.

LUDOS vocabant publica ſpectacula, quae tum in gratiam populi fieri ſolerent a ſenatu, et a Principibus inſtitui, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Caeſares feciſſe legimus) vel ad animorum relaxationem, et oblectationem. Multo magis ad religionem inſtituti ſunt Ludi. Nam Diis poſt ſacrificia etiam Ludos publicos conſecrabant.

Ludi igitur, et *Ludicra*, quae etiam *Certamina* vocarunt Latini, Graeci *Agonas*, multorum generum fuerunt: neque vero uno tantum ſpectaculo in publicis ludis detinebatur populus. Erant autem ludi *Gymnici* et *Athletici*: *Ludi Circenſes*: *Ludi Gladiatorii*: et *Ludi Scenici*, de quibus nunc ſingulatim eſt paucis differendum, partim ex Budaeo, noſtrae Galliae lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et *Athletici* ludi in Palaeſtris ac Gymnaſiis fiebant apud Graecos, quae loca fuerunt exercendis et corporis, et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis Palaeſtris aut Gymnaſiis exedrae fuerunt, in quibus Philoſophi Graeci ſedentes diſputabant. Sed et *Palaeſtrae* appellatio omnem Athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque: qua ſtatus, motus, flexuſque corporis, ac omnes omnino habitus venuſtatem quandam leporemque prae ſe ferunt: quam qui non didicerant, ii *Apalaeſtoi* ab antiquis dicti ſunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palaeſtra exercebantur, vel decertabant praemiis, *Palaeſtritae* vel *Palaeſtrici* dicti ſunt: Gymnicos Graeci etiam vocarunt, quod nudi athletae exercerentur. Caeterum in palaeſtra *Gymnaſii* (inquit Plautus) curſu, luctando, haſta, diſco, pugilatu, ſaliendo ſe exercebant Athletae. Hujuſmodi ludi in campo Martio apud Romanos fieri ſolebant.

Qui currebant in ludis Gymnicis, hoc eſt, curſu corpora exercebant, vel eo decertabant, Graecis *Dromi* appellantur, hoc eſt, curſores. Quorum alii *Stadiodromi* dicebantur, qui ſtadium percurrebant: alii *Diaulodromi*, a circumactu curriculi, id eſt, duplo curriculo, quod *Diaulon* vocabant: nam ii curſores quum ad metam pervenerant, flectentes, eo rurſus recurrebant, unde curſum inierant. Erant et *Dolichodromi*, qui ſexies ſtadium curriculo obibant: nam *Dolichos* longiſſimus curſus dicebatur.

Lucta, Graecis *Pale*, vel in coeno, vel arena, vel pulvere fiebat; unde luctatores in Ludis Gymnicis, aut *Palaeſtra*, Graecis *Paleſtae* appellati. Ii luctaturi, *Ceromate*, id eſt, oleo cerato perfundebantur: unde qui eos ungebant, *Ceromatiſtae* dicti. *Pulvere* quoque poſt unctionem inſpergebantur, ut corpora ceromate et ſudore lubrica mutuas luctantium prehenſiones admitterent: unde natum proverbium, *Citra pulveris tactum*, de iis, qui facile aliquid aſſecuti ſunt, et citra ſudorem, quod et *citra pulverem* dici poteſt. Eum pulverem Graeci *Aphen* dicebant. Inter luctatores quidam ſummis inter ſe manibus depugnabant, nullo complexu haerentes: eos *Acrochiriſtas* vocabant Graeci. Alii viciſſim feriebant arrectaria concertatione, hoc eſt, arrecti, et pulvere obſiti, alter alterum impetebant procurſu calci-

Digitized by Google

calcitratuque: calcibus enim, cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impetendi prehendendique modo: *Pancratiaſtae* vocati, et *Pancration* hujuſmodi certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione tranſigeretur.

Qui Diſco ſe exercebant athletae, *Diſcoboli* Graecis appellabantur, hoc eſt, Diſcum in ſublime jaculantes. Erat autem Diſcus lapis rotundus ac pertuſus, inquit Ammonius.

Pugilatus, quem Graeci *Pygmen* appellabant, caeſtibus exercebatur, quales a Virgilio lib. v. deſcribuntur: in eo qui exercebantur, *Pugiles* Latinis, Graecis *Pyctae* dicti ſunt: quod nomen ad gallinaceos pugnaces tranſlatum eſt.

Saltationum in ludis Gymnicis multa genera fuerunt, quemadmodum docet Lucianus. Erat enim ſaltatio *Pyrrhicha*, a Pyrrho inventa, a qua *Pyrrhicharii* et *Pyrrhichiſtae* dicti: quae eadem ſaltatio, *Enoplia*, id eſt, armata dicebatur: quod armati ſaltarent. Erat ſaltatio *Cordax* obſcoena, et comica: et alia ſaltatio ſatyrica, quae *Sicinnis* dicebatur. Fuit item *Emmelia* ſaltatio, pacata et honeſta. Qui vero ſaltus pernicitate contendebant in Gymnaſiis, *Haltici* a Graecis dicebantur, qui autem *Halmate*, id eſt ſaltu certabant, apud antiquos utebantur *Halteribus*: ſic enim vocabant plumbeas pilas, maſſulaſve, quibus utraque manu ſe librabant, ut certius aſſilirent. *Chironomia* quoque erat ſaltatio geſticulatrix, qualis eſt, quam Mauricam vocamus: unde *Chironomi* hujuſmodi geſticulatores dicti.

Circenses Ludi certamina erant curulia, quae in circo fiebant: qui locus erat ovata ſpecie conſtructus, undecunque ſpectaculis ornatus: e quibus innoxie Patres Equiteſque Romani proſpectare ſolebant: cujuſmodi quemdam Flaminius Romae conſtruxit: unde circum Flaminium legimus, et circum Maximum, a Caeſare dictatore exſtructum, cujus veſtigia adhuc hodie viſuntur Romae, juxta aedem D. Sebaſtiano ſacram. Fuit autem longitudine ſtadiorum trium, latitudine unius, cum aedificiis jugerum quaternûm ad ſedem ducentorum ſexaginta millium hominum. Erant in eo *Metae* depoſitae, duarum aut trium pyramidum formam referentes. In ejus ſummitate carceres erant, e quibus equi curribus juncti, ad curſum emittebantur, et quum ad ſummum deveniſſent, revolvebantur, donec ad priorem metam pervenirent. A curribus, hoc eſt, bigis, trigis, et quadrigis, Curules ludi dicti. Unde etiam dictos puto *Aediles Curules*, quod iis adminiſtrandis eſſent praefecti: erant enim omnium praeſtantiſſimi ludi. Nam in iis ſe exercebat, et magnis praemiis contendebat nobiliſſima Romanorum juventus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum apud antiquos inter enſes et flumina, ut ab utraque parte eſſet ignaviae praeſens periculum.

Agitatores dicti ſunt aurigae in curuli certamine et Ludis Circenſibus, quorum factiones erant a tunicarum coloribus: ut alii dicerentur Ruſſati, Albati, Praſini, Veneti: atque ita inſidentes curribus juvenes, velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et *Deſultores*, qui duos equos abſque ephippiis agitantes, ex altero in alterum ſubinde mira pernicitate deſiliebant: *Amphippos* Graeci vocant. Hinc *Deſultoria levitas* in proverbium abiit: et equi deſultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et *Celetizontes*, equites erant in certamine curuli non bigis aut quadrigis utentes, ſed equo uno inſidentes: cujuſmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi Gladiatorii plerumque poſt ſcenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces: quorum exempla apud auctores crebra ſunt. Horum inſtitutores ac magiſtri *Laniſtae* vocabantur. Non enim ignari gladiatoriae artis prodibant in publicum ſpectaculum, ad praemia conſequenda. Itaque apud Laniſtas prius exercebantur in *Umbratilibus pugnis*, quas *Sciamachias* Graeci vocarunt: quod hujuſmodi pugnae ſimulachra ſub tecto fieri ſolita erant, non ut vera pugna, in ſole et pulvere. Hujuſmodi Laniſtae ſunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur: qui docent omnes numeros impetendi, cedendique, vulnera inferendi, vitandique, aut ubi punctim, caeſimve feriendum.

Ludi vero Scenici, qui et *Agones Muſici*, et *Dionyſiaci* dicebantur, quaſi Libero Patri dicati, ad Comoediarum, Tragoediarum, aut Satyrarum recitationem pertinebant: item ad cantus et poëmata: Scena ob id in Theatro compoſita atque exſtructa ea ratione,

quam

quam mox deſcribemus. Qui ſe in his ludis exercebant, *Scenici* etiam dicebantur, et Dionyſiaci artifices.

Ludicrum, aut certaminum *Diis* conſecratorum, quatuor erant apud Graecos genera. Erant enim Nemea, Iſthmia, Pythia, et Olympia: quae omnium erant maxima ſpectacula. In his Ludis proponebantur victoribus magna praemia, quae qui cuſtodiebant, ludiſque praeerant, *βραβευταὶ* Graecis, Latinis *Deſignatores* appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et ſpectatores moderari virgarum terriculo. Unde *Maſtigonomi*, et *Rhabduchi* etiam dicti, quod virgas geſtarent, ut in officio continerent ſpectatores. Muſicis quoque agonibus erant *Critae*, id eſt, judices, a quibus *Critici*, id eſt poëmatum judices dicti ſunt.

Ludorum, qui Diis conſecrabantur, apud Romanos quatuor erant ſpecies. Eos ludos Aediles curules munere publico quotannis curabant. *Megalenſes*, ſive magni ludi dicti, quod magnis Diis conſecrati eſſent: quibus ludis quatuor actae ſunt Terentii Comoediae: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra. *Funebres*, aut Funerales ludi, ad retinendum populum inſtituti ſunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice inſtruebatur. His ludis acta eſt Comoedia Terentii Adelphi. *Plebeji*, ſive Romani ludi pro ſalute plebis edebantur: quibus Ludis acta eſt Phormio. *Apollinares* ludi, Apollini conſecrati, aut in honorem Apollinis inſtituti.

DE THEATRIS ET AMPHITHEATRIS ANTIQUIS.

QUo melius et commodius ſpectarentur Comoediae, Tragoediae, aut Ludi, ſive ii Gladiatorii, ſive etiam Scenici, vel alterius generis eſſent, inſtituta ſunt ab antiquis, quae *Theatra* vocabantur, a commode videndo ac proſpiciendo ſic appellata. Nam ante Theatrorum uſum, ſcenae ſuper *Plauſtris* ductilibus exſtruebantur, ac per compita ductae, populo praebebant oblectationem. Theatra autem erant aedificia, vel apparatus in populi gratiam inſtructi, ad hemicycli ſpeciem, ad ſpectandos ludos: *Spectacula* Latine poſſumus dicere. Cum forum inſtitutum fuerit, (inquit Vitruvius) tum Deorum immortalium diebus feſtis, ludorum ſpectationibus, eligendus eſt locus Theatro quam ſaluberrimus.

Fuerunt autem Theatra duorum generum: alia lignea et pluribus tabellationibus exſtructa, qualia ludis publicis quotannis fiebant Romae, atque ea perennia non fuerunt: alia ſumtuoſa et nobilia, ex ſolidis rebus, id eſt, ex ſtructura caementorum, lapide aut marmore conſtituta, quale eſt quod conſtruxit M. Scaurus in aedilitate ſua, item etiam Pompejus, et alii permulti. Ita autem compoſitum fuit antiquis Theatrum, ut eo conveniens, et commode ſedens turba, e longinquo facile ſpectare poſſet, concavo aequalique parietum circumjectu, ut vel leni ſono dicta verba, ad alterum theatri caput facilius ferrentur.

Poſtea vero excogitatum eſt Theatrum in rotundam formam exſtructum, alio multo excellentius atque capacius, magiſque ſumtuoſum: quod quia veluti ex duobus conſtaret theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id *Amphitheatrum* dictum eſt, quale eſt quod hodie Romae videtur, aliquando ab Antonino Pio aedificatum, et a Gotthis devaſtatum (*Colliſaeum* vulgus vocat) quod potiſſimum ad alia ſpectacula vulgo proponenda factum atque inventum fuit: nam ad ſcenicos ludos proſpiciendos, magis idoneum erat theatrum: ob quos praecipue inventum fuiſſe credibile eſt. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum propoſuit ſuam *Hecyram*, egiſſe *in Amphitheatro*: ſcena per medium ipſius exſtructa, et ad unum tantum hemicyclum ſpectante: nam ab utroque Amphitheatri ſemicirculo ſpectari non poterant Comoediae: quo factum, ut dum in aliud latus vacuum, alia ſpectacula confeſtim proponerentur, veluti pugiles, funambuli, et hujuſmodi caetera: populus ante abſolutam Comoediam illuc concurrerit, ad loca commodiora

Digitized by Google

modiora occupanda, quemadmodum ipſe Poëta conqueritur, neque propter ſtrepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem, abſolvi potuerit.

Quod ne accideret in publicis Ludis, exiſtimo potiſſimum moviſſe Cajum Curionem, qui bello civili in Caeſarianis partibus obiit, ut *Theatra duo lignea*, eaque ampliſſima excogitaret, in quibus etiam duae eſſent ſcenae, propter ſpectatorum commoditatem. Erant autem (quod mirum fuit) cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento, inquit Plinius, e quibus utriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito inter ſe averſis (ne invicem obſtreperent ſcenae) et repente circumactis, ut contra ſtarent; poſtremo jam die deſcendentibus tabulis, et omnibus inter ſe coëuntibus, faciebat Amphitheatrum, et gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Itaque vides, quemadmodum Scenici Ludi dum agerentur, averſis theatris agebantur, ne turba fieret: dum autem proponebantur, aut producebantur gladiatores, in Amphitheatri reducebantur formam, et in unum duo theatra coibant. Sed et noviſſimo die (ait idem) diviſis duabus per medium ſcenis, Athletas edidit Curio, raptiſque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gladiatoribus ſuis produxit. Vides, quemadmodum *Pulpitum* etiam auferebatur, dum gladiatores prodirent; nam ipſam aream occupabat: hoc autem factum fuit, feſſis turbatiſque volubilium theatrorum cardinibus. Nam ante non erat opus eximere pulpitum, cum contra ſtarent ſcenae, et locum praeberent circumactis theatris in amphitheatri formam, poſt ludos ſcenicos abſolutos.

THEATRI CONFORMATIO; EJUSQUE PARTES.

SEd quo tandem artificio, quave induſtria aedificatum fuerit apud antiquos Theatrum, proſpiciendis ſcenicis ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum praetermiſiſſe videamur, quae ad hunc ſermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quaſi ad unguem expreſſum, ſed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis deſcriptum, quae tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re ſcripſerunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum eſt (quemadmodum paullo ante docebamus) theatrum fuiſſe in ſemicirculi figuram compoſitum, atque ita conformatum, ut aeque geſtus proſpicerent, ac voces audirent (ſine tumultu tamen) qui ad latera et in ſummis ſederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta ſcenam.

CAVEAM vocare videtur Plinius, locum in theatro, gradibus ac ſedibus conſtructum atque compoſitum, in quo ſederet populus. Cavea ipſa (inquit de theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: cum Pompeji theatri (ſic enim legendum eſt: nam numquam Pompejus Amphitheatrum edidit) toties multiplicata urbe, tantoque majore populo, ſufficiat large quadraginta millia ſedere. Niſi mavis Caveam accipere pro tota theatri capacitate, ut etiam ſcenam ipſam comprehendas, quod tamen minus probaverim.

GRADUS autem dicebantur in ipſa leniter pendente theatri forma, ſedes lapideae, in hemicyclum etiam extructae, e quibus commode proſpiciebat populus. Super his Gradibus (quos non amplius quindecim eſſe conjecimus) ſedebant ſpectatores, et ad eos undecumque commeabant, nullo inter conſcendendum alteri noxam adferente. Illuc autem per Cuneos accedebant, qui tum in ima theatri cavea, tum etiam ſupra ipſam, adeo ingenioſe conformati erant, ut ab iis per alios ſcalares gradus ad quemlibet gradum ſpectatorium facilis pateret adſcenſus.

CUNEI ſpectaculorum (inquit Vitruvius) in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant aſcenſus, ſcalaſque inter Cuneos ad primam praecinctionem. Supra autem alternis itineribus ſuperiores Cunei medii dirigantur. Cunei in imo dirigentes ſcalaria, erant numero ſeptem.

Gradus ſpectaculorum, uti ſubſellia compoſita, erant non minus alti palmo pede, non

. .*. *.* plus

Digitized by Google

plus pede et digitis ſex, latitudines eorum non plus pedes duos ſemis, non minus pedes duos conſtituebantur, ut per id ſpatium latius, ſeu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas ſedes deerraret populus, abſque eorum incommodo qui jam conſediſſent. Poſt tres quoque ſingulos gradus, qui quartus in ordinem ſuccedebat, duplo latior erat caeteris, ad leviorem theatri proclivitatem, et ut ſingulis ordinibus ſinguli tres gradus relinquerentur. Ac ne petulanti aut inſolenti populo propter ſedes quantumvis acceſſu faciles, praeberetur rixae cauſa, cautum erat ne quilibet in quibuſlibet ſederent gradibus: ſed in tribus primis, qui proximi eſſent ſcenae pulpito, ampliſſimae et extremae dignitatis viri, in ſequentibus conſulares, in aliis patricii, ac deinceps plebeji in reliquis gradibus ſederent. Itaque veteres Architecti, naturae veſtigia perſecuti, indagationibus vocis ſcandentes theatrorum perfecerunt gradationes, et quaeſiverunt (inquit Vitruvius) per canonicam Mathematicorum, et Muſicam rationem, ut quaecunque vox in ſcena eſſet, clarior et ſuavior ad ſpectatorum perveniret aures, ac ne vox impediret, ita compoſiti erant gradus, ut linea quum ad imum gradum et ad ſummum extenta eſſet, omnia cacumina graduum, anguloſque tangeret

Atque ut vox Actorum ſuavior et delicatior ſpectatoribus videretur, antiqui Graecorum artifices, inter ſedes theatri CELLAS conſtituerunt ratione Muſica, in quibus VASA AENEA pro ratione magnitudinis theatri facta collocabantur, quae ita fabricata erant, ut quum tangerentur a voce, ſonitum facerent inter ſe. Eoque artificio collocata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque haberent locum vacuum, et ſummo capite ſpatium, ponebanturque et ſuſpenſa cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingreſſa, harmoniam efficeret, et gratiam quandam adferret ſpectatoribus, utque intellectu facilior eſſet. Tale quiddam audio adhuc hodie extare in quibuſdam templis antiquis, quae nunc quoque ſuperſunt integra, apud noſtrae tempeſtatis Graecos. In quorum fornice inferiore, atque ſuperiore, varia ſunt foramina hinc inde conſperſa, ac ſibi veluti ex diametro ab uno ad aliud latus correſpondentia, in quibus vaſa aenea impacta ſunt, quorum os (quod anguſtius eſt, quam ipſe venter) tantum exterius patet, non etiam prominet. In ea vaſa, vox in templo canentium incluſa, incredibilem efficit harmoniam, ſonoſque diſtinctiſſimos, et admodum gratos, atque auditu faciles. Sed in theatris vaſa reſupina ſuſpendebantur. Tale quid autem Romae factum fuiſſe ſuis temporibus negat Vitruvius, ſed in Italiae regionibus et in pluribus Graecorum civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum theatro ejus aenea vaſa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in oppidis non magnis theatra conſtruxerunt, propter aeris inopiam, *fictilibus doliis* ita ſonantibus electis, hac ratiocinatione compoſitis, uſi ſunt. Quapropter Plinius ait, in theatris vocem optime currere in doliis inanibus. In ligneis autem theatris (ait Vitruvius) quae Romae paſſim fiebant, non erat vaſis aeneis opus, cum tabulationes haberent complures, quas ſonare neceſſe erat.

ADITUS permulti et ſpatioſi diſpoſiti erant circa theatrum, nec conjuncti ſuperiores inferioribus, ſed ex omnibus locis perpetui et directi, ſine inverſuris: uti quum populus dimittebatur e ſpectaculis, non comprimeretur, ſed haberet ex omnibus locis exitus ſeparatos ſine impeditione.

Reliquum theatri artificium, a gradu omnium ſuperiore in altitudinem trium contignationum exporrectum erat, etiam in hemicyclum: atque ita exaedificatum, ut porticus efficeret: undecunque patentes, et columnis hinc et inde ornatiores factas, in quas populus ſe reciperet, ſi quando propter imbres, aut coeli tempeſtatem minus commodam, ludi interpellarentur. Eam theatri partem *Praecinctiones* videtur appellare Vitruvius: Plinius, *Parietem circumjectum.* Sed inferiores et imi theatri porticus duplices erant, mediaque ſpatia ſub divo inter porticus, viridibus adornabantur, quod (inquit Vitruvius) *Hypaethrae ambulationes* haberent magnam ſalubritatem.

Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci ſylveſtris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad odorem conciliandum.

Quin etiam ne ſolis ardor aut etiam conſpectus populum ab officio deturbaret: utque ſalubrius ſpectatores conſpicerent (nam porticus propter imbres tantum aedificatae fuerunt) exco-

excogitata ſunt VELA toto THEATRO, atque adeo ipſi theatri caveae ſupertenſa, quae ſpectatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbaſina deinde vela primus in Theatro duxiſſe traditur Lentulus Spinther, Apollinaribus ludis: mox (ait Plinius) Caeſar Dictator, totum forum Romanum intexit. Nero Caeſar velis, rudentibus ſuperſtratis et colore coeli ſtellati amphitheatrum contexit, ut ſolem defenderent.

Ima theatri ſedes vel potius id ſpatium quod ab ima ſede theatri interjacebat pulpito, ORCHESTRA dicebatur, quaſi ſaltatorium, quod illic apud Graecos, et apud Latinos antiquiores, ſaltantes hiſtriones populo oblectationem adferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam Thymelici, hoc eſt, Citharistae, Citharoedi, Tibicines ſuas praeſtabant actiones ipſis Graecis, atque id ſpatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum theatri ab imo gradu ad pulpitum uſque ſcenae vacuum relinquebatur. In theatrorum Orcheſtris (inquit Plinius) ſcobe aut arena ſuperjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter exiſtimo probe emundatum fuiſſe, ſi quando pugilum ludis arena conſperſa videretur. Noviſſime autem apud Romanos Orcheſtra Senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca deſignata, propter commoditatem: ut inde, non ſolum verba et geſtus, ſed etiam pedum motiones, et vel minima quaeque conſpicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito ſcenae, de cujus compoſitione mox dicendum eſt.

POSITIO, ET CONSTRUCTIO SCENAE IN THEATRO.

ANte theatrum, ceu frons quaedam ipſius, ſcena oppoſita fuit, pro re nata et agenda Comoedia aut Tragoedia exſtructa: uno aut altero tantum die uſui futura: niſi fortaſſe ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de ſcenis ſumptuoſis, et praeter conſuetudinem ſupra modum luxuriantibus hic non intelligimus. In hunc autem modum diſpoſita erat, quantum ego conjectura aſſequi poſſum.

SCENA binis pluribuſque contignationibus aut contabulationibus, ſi mavis, exſtructa fuit: circa quas ſingula ambulacra, aut porticus columnis pluribus diſtinctae videbantur. Atque ea frons ſcenae appellata fuit. In cujuſlibet contignationis frontiſpicio, quod theatrum reſpiciebat, portae ingenioſiſſime depictae et exitus varii fuerunt, in quibus praeſertim ſuperiorum contignationum, Mimi, Mirmillones, et caeteri Ludii varios geſtus ac geſticulationes edebant, unde *Scenici* proprie dicti. *Chorus* etiam, mea ſententia, in iis ſuperioribus contignationibus referebatur, dum agerentur Tragoediae, niſi mavis, poſt ſcenam in loco deſtinato fuiſſe chorum, et cantores ac tibicines, qui locus *Odeum*, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et Deorum deſcenſus, et caetera id genus, ad magnas et ſumptuoſas Comoedias apta. Exiſtimo tamen in humili Comoedia non fuiſſe tantum apparatum. Ima ſcenae contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quaſdam latiores ſub quibus caſulae et ruſtica domicilia in novis Comoediis, variis ſcenae locis conſtructa erant, urbes quoque, et loca remotiſſima referebantur in Tragoediis: e quibus prodibant actores, et illuc quoque ſe referebant ad tempus.

In eadem ſcenae parte excitatum fuit, quod PODIUM appellabant (etſi Podium in columnis id ſignificare ſoleat, quod vocant Pedaſte) circa ſecundae porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum capax, idque fere videbatur referre, quod in aedificiis nobilioribus circa ſecundam praecipue contignationem prominere videmus ad feneſtras, *Perronem* vulgus vocat, poſt Pulpitum exertum videbatur. Opertum erat tentorio quodam inſigni, et quod ipſum undecumque ambiret, ut in eo ſecretius et magis abdite ſpectarent Principes, qui nonnumquam illuc ſe conferebant. Nam e Podio ludos ac Comoedias ſpectaſſe Neronem ſcribit Tranquillus. Dictum ajunt, quod in eo ſpectatores aut etiam tibicines pedibus innixi eſſent, non ſederent: vel quod in eo nonnumquam pedibus geſticularentur hiſtriones in actuum commutatione.

*** *** *** 2 PULPI-

Pulpitum in ſcena, (Graeci λόγιον vocabant,) locus erat, in quem prodibant actores e caſulis aut domuncnlis ſuis ſcenicis, ad recitandum, noſtri vocant *Eſchaffault.* Fuit exactiſſime ſitum ante frontem ſcenae, et loco ipſius medio, qui theatri centro reſponderet, ſemper ligneum fuit, atque exemptile, etiam ſi ſcena ſtructili materia conſtructa fuiſſet. Eximebaturque iu Athletarum et gladiatorum ſpectaculis, ſcena nihilominus integra manente. Paullo altius videbatur ima ſcenae porticu, iu qua actorum domos conſtitutas eſſe dicebamus: ad eum enim leniter adſcendebant actores pronuntiaturi: haud aeque longum fuit atque ipſa ſcena, altum tantum erat pedes quinque, ut qui in Orcheſtra ſederent, facilius pedum motiones et ſingulos agentium geſtus perciperent.

Id ſpatium quod utrinque a Pulpito ad extremam Scenam vacuum relinquebatur, Graeci vocabant Proscenium, ne quis exiſtimet fuiſſe ſcenae latera.

Periacta vocarunt Graeci in ſcenis ſuis Turres, aut Machinas, trigonas habentes, vel triangulares, miro artificio conſtractas, in uno atque altero ſcenae latere poſitas, variis coloribus ſecundum angulos diſtinctas, verſatiles: ut inter ſpectandum, dum animi ad hiſtriones paullo attentiores eſſent, paulatim revolverentur, et modo rubrae, modo virides, aut alterius coloris apparerent: quae res non parvam oblectationem ſpectantibus adferebat. Hac, quum Fabularum mutationes erant futurae, ſeu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, verſabantur, mutabantque ſpeciem ornationis in frontes. Ex iis projectitios ignes vibrabant, in iis fingebant tonitrua, pluvias, et quidquid aliud iu Tragoedia admiratione dignum fuit: ſed hoc maxime in honorifico et ſumptuoſo Comoediarum aut Tragoediarum genere. Secundum περίακτα, nempe ad ſcenae latera itinera et *Verſurae* procurrentes erant, quarum una efficiebat, ut actores a foro, altera, ut peregre prodire, aut illuc regredi viderentur. In media ſcena *Valvae regiae* conformatae erant, circa quas utrimque fuerunt compolita *Hoſpitalia* quae vocat Vitruvius, e quibus actores prodiiſſe puto.

Omnium Scenarum, quas Romani in Theatro umquam conſtruxerunt, longe nobiliſſima fuit ea, quam *M. Scaurus* in aedilitate ſua conſtruxit. Eam triplicem fuiſſe refert Plinius, altitudine CCCLX. columnarum. *Ima* pars ſcenae marmoreos habuit parietes, non facile dixerim ſectos an ſolidis glebis politos. *Media* fuit e vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriae. Summae tabulis inauratis columnae, imae duodequadragenûm pedum. Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veſte, tabulis pictis, caeteroque choragio fuit, ut in Tuſculanam villam reportatis quae ſuperfluebant quotidiani uſus deliciis, incenſa villa ab iratis ſervis concremaretur ad ſeſtertium millies.

Scenarum autem (ait Vitruvius) genera ſunt tria, unum quod dicitur *Tragicum*, atque id omnium ſumptuoſiſſimum fuit: alterum *Comicum*: tertium *Satyricum.* Horum autem ornatus ſunt inter ſe diſſimiles, diſparique ratione: *Tragicae* enim deformantur columnis, faſtigiis et ſignis, reliquiſque regalibus rebus. *Comicae* autem aedificiorum privatorum et menianorum habent ſpeciem, proſpectuſque feneſtris diſpoſitos, ad imitationem communium aedificiorum. *Satyricae* vero ornantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquiſque agreſtibus rebus, in topiarii operis ſpeciem deformatis.

Poſt ſcenam *Porticus* erant conſtructae, quo quum imbres repentini ludos interpellaverant, actores ſe recipiebant ex Pulpito, aut in quibus veſtium commutationes, et perſonarum indumenta adſervabantur.

Ipſam autem perſonarum repraeſentationem iu ſcena, atque adeo compoſitionem Comoediae, Graeci *Drama* vocarunt. Sed et Scenam vocant Comici, quidquid duae aut tres perſonae ſermonis integri et abſoluti colloquuntur, illicque finit Scena, ubi aut aliqua perſona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad viciuam currit.

Actus autem plures ſcenas comprehendebat. Eſtque in Comoedia pars quodammodo abſoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens: ſed ita dimidiatam relinquens, ut reſpirent ſpectatores, et facilius commutetur, quidquid in reliquis Comoediae partibus ſupereſt: id autem *Actus commutare* dicebant. Interea Mimi dicteria et diverbia referebant, recitabanturque neſcio quae jucunda, quae populum alia oblectatione afficerent. In Comoedia vero plures erant hujuſmodi Actus, ſecundum rei gravitatem, aut rationem. Comoedia-

Digitized by Google

moediarum autem recitatio in Scena, *Actio* dicebatur: unde etiam qui agebant et Fabulas pronuntiabant, *Actores* dicti. Actio quoque ad orationis pronuntiationem transfertur: ut etiam ipſa oratio Rhetoris vel ſcripta vel pronuntiata Actio dicatur.

SCENICORUM ACTORUM DIVERSITAS.

IN Scenam non ſolum Comoediarum aut Tragoediarum *Actores* (qui Tragoedi et Comoedi dicebantur) prodibant in ſpectaculum, ſed etiam Mimi, Pantomimi, Archimimi, Ethologi, Ethopoei: omnes uno nomine, *Hypocritae* (id eſt, alienae perſonae ſimulatores) dicti: et eorum actio, *Hypocriſis*, id eſt, alienae perſonae ſimulatio, Latinis *Hiſtriones*, *Ludionesque*, aut etiam *Ludii* dicuntur.

Mimi imitatores ſunt geſtuum, vocum, aut greſſuum alicujus perſonae inter alias: cujus ridicula ſit vox, aut aliud quidpiam.

Pantomimi omnium perſonarum imitatores ſunt effictoreſque: ut et mulieres, et ſenes, et juvenes, ac cujuſcumque aetatis perſonas confingant: etiam ita ex geſtibus deſcribunt, ut id quod agunt videre videare. Hujuſmodi ſunt quos Itali *Buffones* vulgo vocant.

Archimimi principes ſunt hiſtrionum, hoc eſt, inter hiſtriones ſolertiſſimi et excellentiſſimi.

Ethologi mimi, aut *Ethopoei*, morum ſunt effictores, affectuumque cujuſcumque perſonae quam ſuſtinent, aut quam agunt et referunt in ſcena, unde *Ethopoeia*, morum alienorum imitatio: et *Ethici* pictores ac ſtatuarii dicti, qui ſuas imagines ita depingunt, aut caelant, ut ſenſibus expreſſis propemodum ſpirent.

Thymelici inter ſcenicos actores fuere, hoc eſt, Citharoedi, Cithariſtae, Lyriſtae, Tibicines. *Citharoedi*, qui et fidicines dicuntur, citharae accinebant. *Cithariſtae*, citharam tantum pulſabant, non autem accinebant. Hujuſmodi Thymelici per orcheſtram praeſtabant actiones ſuas.

Ludii, ſive *Ludiones* (ut jam dictum eſt) ii erant qui Comoediam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a Poëta, ſed a perito artis muſicae factis: neque enim omnia iiſdem modis in uno cantico agebantur, ſed ſaepe mutatis: ut ſignificant, qui tres numeros in Comoediis ponunt, qui tres continent *Modos* cantici illius. Qui hujuſmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulae et Scriptoris, et Actoris ſuperponebant. Hujuſmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante diſcerent, quam Fabulam acturi ſcenici eſſent, quam omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebatur autem *Tibiis* paribus, aut imparibus; et dextris, aut ſiniſtris. *Dextrae* autem tibiae ſua gravitate ſeriam Comoediae dictionem pronuntiabant. *Siniſtrae* et *Serranae* acuminis lenitate jocum in Comoedia oſtendebant. Ubi autem dextra, et ſiniſtra acta Fabula inſcribebatur, miſtim joci et gravitates denunciabantur.

Mimi aut Ludii, dum agebant, aſſumebant capiti perſonas, hoc eſt, confictas variarum perſonarum facies: vel reticulo denſo facies obvelabant, ne agnoſcerentur. Ita etiam inſtituti erant hujuſmodi Hiſtriones, aut Mimi, ut et corporis motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes ſecundum modos edocti erant, quae mirum in modum populum afficiebant. Hi ſimul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut ſaltantes appellabantur *Chorus*: diviſi in duas partes, *Semichoria*. In actione autem Comoediae, eorum aliqui primas partes, alii ſecundas tenere dicebantur, pro variis actuum rationibus: eorum enim alii Prologum dicebant, alii in nuntios, exploratores, cuſtodes, ſervos, heroas, deos, ſenes, amatores, meretrices dividebantur, perſonaſque in orcheſtra aſſumebant, pro ſua actione ac ludo.

Digitized by Google

APPARATUS SCENAE IN VICIS ET THEATRIS.

APparabatur Scena apud antiquos Graecos in agris, verno tempore, cum aedificiis et habitationibus triplicibus, inſtructis culminibus, peripetaſmatis, tapetibus, linteiſque candidis. Additae poſtea ſonantes pelves, igneſque manibus exeuſſi: cavernae quoque ſubterraneae ac putei confingebantur: figuris maris, tartari, fulminum, tonitruum, noctis, coeli, diei, regiarum, praetoriorum, ingentes aulae, fornices ad viarum ſimilitudinem. Apud Romanos *Aulaea* in Scena primum ſternebantur quum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipſa ſcena *Sipariis*, quae poſterior aetas pro aulaeis ſumſit, ut etiam ſiparia humi ſterneret. Erat praeterea velum minutum quod populo obſiſtebat in ſcena, dum actus commutabantur.

In Vicis ſi fiebat ſcena, arboribus in ſe cubantibus ac reflexis componebatur: quaſi concamerata quaedam denſatio, ut ſubterpoſitos tegere poſſet, unde ab inumbratione dicta. *In Theatro* autem (ut jam dictum eſt) fiebat Scena, camerato contextu, binis pluribuſque contignationibus extructa. Picta erat undique, ſuas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim ſe conferebant actores. Duas Aras utrinque habebat: dextram Liberi Patris; ſiniſtram ejus Dei, in cujus honorem ludi fiebant. Unde illud: *Ex ara hinc ſume verbenas.* Atque is demum erat ſcenae apparatus in Theatro.

DE HISTRIONIBUS ET MIMIS SCENICIS.

OMnis Tragoediarum ac Comoediarum gratia, et Scenae decus, in *Hiſtrionibus* conſiſtebat. *Hiſtriones* enim et *Mimi* in Scena Comoedias recenſebant ſecundum ſuos modos & cantica. Nam cantica, ut paullo ante docebamus, temperabantur modis, non a Poëta, ſed a perito Artis Muſicae factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant hujuſmodi carmina ad tibias: ut his auditis, multi ex populo ante diſcerent, quam Fabulam acturi eſſent ſcenici. Unde illud eſt Ciceronis: *Non intelligo* (inquit) *quid metuat, quum tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiam. Tibicines* appellabantur qui hujuſmodi cantica ad tibiam fundebant, antequam ageretur Comoedia, vel inter ipſos actus. Unde illud Plauti: *Tibicen vos interea hic delectabit.* Ludiones autem et hiſtriones ad tibicinis modos ſaltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronunciabant. Unde Livius: *Ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, aut indecoros motus more Thuſco dabant.* Proprium enim ludiorum ac morionum erat motus decoros, ac geſtus omnino decentes oſtendere. Tibicinum autem erat decorum, modos, hoc eſt, menſuras in cantu obſervare, remiſſoſque aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio.

In *Tragoedia* et *Satyra ſexdecim* numero interveniebant *Moriones* et *Hiſtriones*; in *Comoedia* etiam *quatuor* et *viginti.* Qui ſimul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum eſt, *Chorus* vocabantur: diviſi in duas partes, *Semichoria:* ubi autem geſtus et cantus abſolverant ſuos, tum in partes plures dividebantur: ut alii eſſent qui ſenes, alii qui amatores, mulierculas, ſervos luderent, perſoniſque ac veſtium varietate inducerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

AMICTUS

Digitized by Google

AMICTUS ET PERSONAE HISTRIONUM SCENICORUM.

PErſonati *Hiſtriones* agebant Comoediam, neque agnoſcebantur. Sed ita compoſitae ac conflatae erant perſonae, ut referrent id ipſum quod a mimo agebatur: liceretque ſub ipſis vocem ejus audire liberam. Nam quod nonnulli dicunt Hiſtriones tantum geſtibus Comoediam egiſſe, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum eſſe videtur. Veſtiebantur quoque Hiſtriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc eſt, vel ſervorum, vel ſenum, vel alterius perſonae diverſis modis.

Senibus Comicis candidus *veſtitus* dabatur, qui etiam antiquiſſimus fuiſſe memoratur.

Adoleſcentes diſcolori veſte contegebantur.

Servi Comici amictu veſtiebantur exiguo, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditius agerent.

Paraſiti cum intortis palliis prodibant.

Milites chlamyde purpurea utebantur.

Puellae habitus erat peregrinus.

Leno pallio varii coloris veſtiebatur.

Meretricibus dabantur *ſyrmata*, hoc eſt, veſtes expanſae, et quae longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, ſeu pulla geſtabant luctuoſa funeralibus, quae incuriam ſui per negligentiam ſignificabant.

Sed ſi quando variandum in Comoediis erat, veſtituſque commutandus pro affectibus, quos ex Comoediae actibus ſignificabant, laetis veſtitus dabatur candidus: aerumnoſis obſoletus: diviti quoque purpureus: pauperi phoenicius.

Tragici aut Tragoedi actores calceamentorum genere a Comoediis variabant, eoque diſcernebantur. Utebantur enim Tragici in Theatro *Cothurnis*, quod tale genus erat calceamenti, ut dextro laevoque pedi conveniret: caeterum altum et promineus, actoreſque proceriores efficiens ac referens: varii coloris, et honeſtum atque elegans: uſque ad ſuram plerumque devinctum, more Punico.

Comici actores, aut Comoedi in ſcenis ſoccis utebantur: quod calceamenti genus optime ſub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac ruſticorum veſtimentum fuit Pallium, ita etiam *Soccus* altum fuit calceamentum ruſticis proprium, propter imbres et lutum, atque hybernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quintilianus: *Comoedia in cothurnos non aſſurgit: nec contra Tragoedia ſocco ingreditur.* Tragoedia enim, quum grave et magnum argumentum, magnaſque et ingentes perſonas prae ſe ferret, cothurnis uti debuit. Comoediam autem, quum eſſet humilis, et ruſticos proponeret in ſcena, palliis et ſoccis commodius erat ornari.

Quod praeterea de his rebus dici poſſe quiſquam judicabit, id in aliud tempus exſpectet neceſſe eſt: non enim hic omnia ſimul diſcutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tum vero quia per negotia minus fuit commodum.

Digitized by Google

L. VICTORIS FAUSTI

DE COMOEDIA

LIBELLUS.

Sim brevis uſque licet veterum de more libellus,
Meque ſuum quiſquam nequeat adſerere:
Nec triviis volgata feram, decerptave paſſim,
Nec proinde elata fronte ſuperbus eam:
Attamen egregium nihil undique, et undique terſum eſt.
Nam quod miraris, ridet id alter opus.

EDITURUS ego libellum de triplici Comoediarum ſectione, Triviſanorum decus, Andrea, tibi, quanquam praetextato, mutus dicare decrevi. Non equidem admiratione bonorum corporis aut fortunae, qua merito Venetiis et in adeo excellenti familia veneraremur: ſed quoniam ingenio te ſingulari adoleſcentem multis jampridem indiciis ipſe cognoveram. Etenim vere, quod de ſe jactabat Hermogenes, aetatem virtutibus, haud indole praevenisti. Quocirca nemini videatur alienum, ſi quod ab ingenio proficiſcitur, ingenio praeſtanti adoleſcentulo nuncupatur. Caeterum arbitror me meis, quotquot potuerunt intendi, viribus conſecuturum, ne amplius quid novum aut vetus, quidve medium, et cur in Comoedia dicatur, ullus ignoret. Quod hactenus vel omiſſum a Latinis, vel abolitum vetuſtate ſecula noſtra deſiderarunt. Multa quidem egregie Donatus, multa Diomedes, et adeo bonis auſpiciis protulerunt, ut ea Grammatici paſſim in ſua transſcribant: ſed tamen huc illa parum videntur, immo nihil pertinere. Quaedam igitur a Graecis auctoribus et Latinis haudquaquam nominatim pertractata, verum obiter diſſerta collegimus: quaedam ipſi collatis inter ſe multis elicienda, ac breviter curavimus annotanda, quae tibi pauca parvus ego devovi, perinde atque ſuam Virgilianus ille Micondianae venationem. Fatemur enim et eorum quae nos minime praeterierint, ſubticuiſſe complura. Jam itaque noſtram hactenus obligatam fidem abſolvamus. Comoediae nomen a Daemone Como religioſe admodum arbitramur eſſe deductum, quoniam et comeſſari de nomine dictum Philoſtratus affirmat, cujus ſcilicet numinis dexteritate quaelibet hominibus fauſta comeſſatio daretur. Quid autem ſit comeſſari, Philoſtratus imagine Comi facilius tibi, quam ego poſſim, demonſtrabit, ubi fingit eum ferveſcente mero ſupinum dormitare, facieque prae nimio potu ſcintillante, rhonchos ab imo pectore ſtertere deducentem. Utriuſque vero ſexus homines, id quod ipſe deſiderat, gregatim veſtibus permutatis, plauſuque concinno, qua maxime poſſunt genio indulgere. Quod ipſum in hac urbe ſaepius vidiſti, quum mimariae (ut ajunt) ſaltationes hybernis noctibus debacchantur, quae teſte Polluce, κίρδακες appellari conſuerunt. Noli igitur eos audire, qui comeſſari dictum putant ab eſu, quoniam ſ ſimplici neceſſario ſcriberetur, nec ſecus eruditi veterum codices haberent. Nam Graecum illud κωμάζω, quemadmodum z literae natura deſiderat, duplici ſſ Latine quidem annotatur, ſicuti φιλιππίζω, philippiſſo eſt. ita κωμῳδία quaſi κωμαζῳδία, videlicet comeſſantium hominum cantilena. Quae Graecorum et Donati ſententia maxime placet; quum praeſertim doctiſſimus quiſque fateatur in Dionyſiacis comeſſationibus id genus poëmatis a veteribus fuiſſe celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri poſſunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienſes (apud quos natam fere,

ſere, et auctam eſſe Comoediam nemo ambigit) δήμους vocarunt, quae ab aliis κῶμαι fuiſſent appellatae. Enimvero illud unum mihi negotium facit, ne ſcilicet Comum ἀπὸ τῶν κωμῶν Graecia dixerit: quemadmodum Romani Fornacaliam ſervatis ab incendio coluere fornacibus: et Robigum, ſive Rubiginem, atque alios complures, a quibus praeeſſent rebus appellavere. Utcunque tamen ſeſe res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari Comoediam affirmo: quoniam etſi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμῳδία quaſi κωμαζόντων ᾠδὴ nominatur. Verum ex ipſo jam nomine patuit quaenam definitio poſſit Comoediae convenire, poëma ſcilicet demulcendis hominum mentibus, excutiendiſque potiſſimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, & illi Graecorum, qui Θάλειαν Muſam Comicis praeſidere cecinerunt. quae ſcilicet feſtivis pullulans jocis, ad riſum uſque delectet. Hoc etiam Ariſtoteles comprobavit, inquiens, quod in turpitudine ridiculum eſt, Comoediam imitari. Quandoquidem illud in primis Poëtae rebus, et verbis efficere conabantur: ipſa quidem re bifariam, videlicet vel opinione ſua, vel alterius perſuaſione deceptas fingendo perſonas: deinde magna nomina, vel Deos mortalium poſtremis componendo, ſicuti Plautus in Amphitryone Mercurium ſimulat agere Soſiam: vel contra, quemadmodum in Ranis Ariſtophanis Fabula Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis ſeptem Comici riſus excitabant: vel ſcilicet plura ſignificans verbum uſurpantes, quod Grammatici dicunt ὁμωνυμίαν: vel plura ſignificationis ejuſdem, quod vocant συνωνυμίαν: vel proprium aliquod ludentes nomen ea quidem ratione, qua nos interdum oratorem dicimus aratorem, quod illi nuncupant παρωνυμίαν, vel eadem ſaepius non invenuſte repetendo, quod appellant ἀδολεσχίαν: cujuſmodi eſt illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc *fruſtra* et *fruſtrari*, decies eodem loco inculcatur: vel aſpernandi ſtudio diminutiva formantes: vel aliquam haud abſurde literam mutantes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus, aut rude ingenium exprimentes, theatrum omne riſu diffundebant. Verum haec univerſa nihili nonnunquam erant, niſi vocem hiſtriones ſingulis adhibuiſſent accommodatam: quandoquidem omnis oblectatio Comoediae propemodum in actione conſiſtit. Hactenus autem quae diximus, bono omine procedant: ne (licet huic libello de perplexis adeo quaeſtionibus propoſitum non ſit diſputare) nimis multa eſſe videantur.

Si funditus Latinae Comoediae quaeras perſpicere conditionem: in primis ejus originem par eſſe arbitror non ignorare: quippe quum ad nos e Graeco fonte derivata per Latinos quaſi traduces emanarit. In veterum itaque Fabulis quinque perhibent eſſe differentias, temporum ſcilicet, ſtili, materiae, numerorum, et apparatus. Nobis igitur tempora conſiderantibus, tria Comoediarum genera ſeſe offerunt diſtinguenda. Primum enim eſt, quod una cum Peloponneſiorum imperio, Suſarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod ab impoſitis per Lacedaemonios Athenienſium cervicibus, triginta quaſi jugo tyrannis ad aetatem uſque Philippi Macedonis eſt propagatum, videlicet per annos circiter ſexaginta. Tertium, quod ab Alexandri temporibus adeo fauſtum ſumpſit initium, ut etiam a Latinis in praeſentia celebretur. Veruntamen ego Comoediam Graecum eſſe inventum minime arbitror: neque (ut Thomas Magiſter, et eum ſecuti, videntur aeſtimare) ab agricolis civium injurias conquerentibus eſſe derivatam. Hoc nempe cauſam aſperitatis, et jurgiorum in Veteri Comoedia reddit: quam mox ipſi longe aliam eſſe docebimus: neque videtur quicquam, ut reor, ad Comoediae primordia pertinere: quoniam Orpheus, quem conſtat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vixiſſe, ſub Laomedonte ſcilicet, ac Athenis Aegeo imperante, Bacchi myſteria ab Aegyptiis tralata ſuis Thracenſibus indicavit. Atqui Comoediae, quemadmodum idem aſſerit Thomas, veris tempore in Bacchanalibus agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri ſacra in dextro latere ſcenae, quemadmodum ait Donatus, vel orcheſtrae, ut Pollux, ſemper erigebatur, quod maximum eſt argumentum, a Bacchi myſteriis omne Fabularum genus eſſe depromptum. Id Horatius innuit, quum ſpectatorem et ſacris functum, et potum appellat. Par eſt igitur arbitrari, prima Comoediae ſemina per Orpheum ab Aegypto in Graeciam fuiſſe delata: unde complura non Orpheus modo, verum et alii tranſtulerunt. Celebres enim erant et Phoeniciae literae, nondum Graecis ſexdecim a Palamede Naupii filio configuratis: ac plurimi

ſtudia poëtices habebantur: proindeque ſapientes illi numeris omnia componebant: quae una cum caeteris apud tum Aegyptios floruiſſe nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam, qui Fabularum initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Ariſtoteles in Poëticis ait, quoniam Epicharmus Comicorum antiquiſſimus Poëta illinc eſſet oriundus. Syracuſanus enim revera fuit, duplicesque Graecorum literas ζ ξ χ primus omnium excogitavit, ſicut in Iliados alpha Grammaticus Johannes ſolerti vir ingenio mecum ſentit: ubi longas η et ω per Simonidem Poëtam in inſula Chio natum ſcribit eſſe formatas, aſpiratarumque characteres θ φ χ Cadmo illi Mileſio teſtatur effictos: licet haec Plinius quinquageſimo ſexto libri ſeptimi capite longe aliter tradat: niſi ſit error in codicibus, aut Graeci ipſi non ſatis ſibi conſtent, quos ille potiſſimum fuerit ſecutus. Satius tamen arbitror haec elementa ſingula ſingulis inventoribus addixiſſe. Ea igitur aegrotantium ſomnia praetermittas: unum hoc ſciens ab Aeſchylo, et qui eum ſecutus eſt, Cratino, Fabulas in ſuam formam eſſe tandem redactas. Siquidem ante devictos Perſas ad Salamina, cujus victoriae Fabulam quae nunc extat, Aeſchylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comoediarum itaque prima ſemina ad Aegyptios referamus, formulam earum et ordinem Cratini temporibus adſcribentes. Stili cum caeteris ſcripturis eadem eſſe differentia videtur: antiqua enim Comoedia gravis, et elata ſemper incedit, ac nonnunquam obſoletiora quaedam verba ſectatur: at contra recentior perſpicuum ſermonem affectat, utpote quae novis ac politioribus utatur Atticiſmis.

Materiae quum tres eſſe nemo ambigat ſectiones, quaedam altius videntur nobis eſſe repetenda. Per Atticae urbis incrementa potiſſimum vigente republica, quum ſcilicet omnia populi arbitrio regerentur, Poëtae qui Fabulis operam dabant, ab inſectatione aliena ſtilum minime poterant continere: ſeu quoniam Attici ſuapte natura naſutiores eſſe dicuntur: ſive potius quod plebeji ſemper innato odio patricios proſequuntur. Etenim praepotenti morem populo gerentes, et judices et praetores maledictis inſectari minime dubitabant: ac nihilo ſecius privatos, ſi quis vel avarus, vel impurus eſſe videretur: maximeque dabatur laudi, ſi Poëta quiſpiam e ſcena gravioribus, ac plene cenſoriis verbis id genus homines, veluti jaculis confeciſſet. Hoc namque multi domeſtico probro quaſi flagello quodam vexati, cum mores praeteritos mutare, tum vel eſſe frugi, vel ſaltem apparere cogebantur: ne denuo ſeſe male gerentes, male identidem audirent: cujus rei numeros omnes Cratinus dicitur impleviſſe: quippe caeteris auſteritate praeſtans, acerbiſſima jurgia procaciter exſpuebat. Hac etiam in parte bonus ille Ariſtophanes non dormitavit. Ejus enim Veſpae Fabula, quotquot erant Sycophantae, quos quidem ipſe vocat ἠπιάλους, fecit ab incoepto deſiſtere, quo inter caetera facinore tantum placuit, ut oleagina, quae par eſt aureae coronae, donaretur. Deinde labefactatis populi viribus, quum ſcilicet imperium ad paucos omnino recidiſſet, nulla Poëtis amplius libere loquendi facultas concedebatur, ſed poenas dare potentioribus neceſſe erat, ſi quis vel minimum eſſet obloquutus. Idem enim Ariſtophanes, quemadmodum in Acharnenſibus Fabula de ſe ipſe meminit, quinque talentorum mulctam perpeſſus eſt, propterea quod Cleonis cujuſdam ex Athenienſium optimatibus impotentiam et peculatum per Equites Fabulam detegere conaretur. Etenim illi adeo fuit infenſus, ut quoniam ab opifice perſonam Cleoni ſimilem habere non poſſet, ſibi multo caeteriſve id genus fucis concinnarit: hiſtrionibuſque prae nimio metu e ſcena prodire non audentibus, Cleonis perſonam ſolus agere non dubitarit. Eupolis vero praeceps in mare datus eſt, eo quod potentiores aliquot in Baptis Fabula momordiſſet. Quum igitur haec animadverterent Poëtae, decreverunt ſibi fore prorſus a maledictis illis temperandum. Itaque ſtili naſum ob imminens vitae diſcrimen alio converterunt, Poëmata ſcilicet Homeri, vel alterius in ludibrium ſaepe quidem injurioſe vertentes: quorum maxime Cratinus ſcenae populoque (ut ajunt) ſervire contendit. Noverat enim (arbitror) id quod in oratione de corona Demoſthenes aſſerit, eſſe natura comparatum, ut homines libenti animo calumnias aliorum audire videantur. Ulyſſes itaque plurali numero Fabulam dedit, quae totius Odyſſeae calumniaretur hiſtoriam. Ariſtophanes quoque poſtquam ſuo malo contra ſtimulum calces nihil valere didiciſſet, in alteram ſe formam quaſi Protheus convertit, Aeolum ſcilicet Fabulam a Tragicis olim celebratam, in Comicam ἀλληγοριῶν deridendo permutavit. Ille idem Ariſtophanes

nes (mirum dictu) novae etiam initium Comoediae dedit, quod velim ejus egregia laude dictum arbitreris. Quippe quum unus ipſe queat triplicis argumenti Poëta reperiri, ſiquidem et aliam, cui nomen eſt Cocalo, Fabulam commentus eſſe dicitur, in qua virginum compreſſiones, agnitaeque agitarentur affinitates. Demum Athenis Macedonum petulantia ſubjugatis, eas continuo Fabellas edere ſtuduerunt Poëtae, quibus illorum impuritati ſatisfactum eſſe videretur. Quandoquidem vel ex Athenaei monumentis facile poſſumus conjectare, quod gulae, ventriſque ſervitio Macedones fuerint emancipati. Menander itaque ſuae tempeſtati morem geſturus, Comoediam ab Ariſtophanis Cocalo foeliciter admodum eſt auſpicatus: cui ſic Ovidius alludit Amorum ſecundo, nobis obiter quaenam fuerint ejus argumenta demonſtrans,

Dum fallax ſervus, durus pater, improba lena
Vixerit et Meretrix blanda, Menandros erit.

Quod nos cum Graeco carmine ludentes in egregiam Terentii laudem vertiſſemus, tibi pulcherrimos condendi Jambos dediſſe anſam videmur. Caeterum fuit octo tantum annis junior Alexandro, ſanguine nobilis et morum integritate praeclarus. Alexideque (ut arbitror) praeceptore jam adoleſcens dare Fabulas coepit, quae centum et octo numero coram doctiſſimis quibuſque ſteterunt, vel quinque ſupra centum, ut cecinisse Apollodorum Gellius ſcribit. Tandem Athenis in patria duos et quinquaginta natus annos obiit mortem, decimo ſcilicet ante bellum Macedonicum anno, quod Pyrrhus cum populo Romano geſſit acerrimum. Nec ſolae quidem hae Menandri Fabulae Macedonum lumbos (ut his utar Perſii verbis) intravere, ſed et aliae Diphili Sinopei centum, Philemoniſque Syracuſani Menandrum aemulantis fere totidem acceſſerunt. Praetereo quas Apollodorus, Poſidippus et Philippides addiderunt, ac caeteri, quos Nova Comoedia celebravit. Profecto mira fuit Ariſtophanis foelicitas: cujus una Cocalus e quinquaginta quatuor (tot enim vidiſſe ſe Thomas Magiſter ait) adeo multas diverſorum Poëtarum Fabulas procrearit, quae cum parente ſuo reliquiſque veterum pene omnibus ab uſu noſtro ſuffurante tempore exciderunt. Utinam extarent vel dimidiatae, non adeo forſan in praeſentia Fabulas perſpiciendo caecutiremus: nec eſſet cur ego vos ſemicaecus ducere conarer. Sed acta ne agamus, vitium hoc et praeteritam calamitatem his quaſi frugibus, quotquot extant, Ariſtophanis Fabellis compenſantes. Duplex eſſe numerorum differentia videtur: quandoquidem veteres illi Comoediam variis diſtinguere verſibus ſtuduerunt, eo quod laudi maxime daretur, ſiqui novum carminis genus adinveniſſent. Unde Phrynicus in Ionico minori catalecticon tetrametrum excogitavit, Pherecrateſque ſibi verſum e ſpondeo, dactylo, et trochaeo pulcherrimum concinnavit: nec ſecus Eupolis tetrametrum ex trochaeis conglutinavit. Verum Ariſtophanes, ut in omnibus eſt ποιητικώτατος, in hoc etiam nulli cedere noluit. Jambicum enim hypercatalecticum monometrum, et brachycatalecticum trimetrum, eſt mira ſuavitate modulatus. Inſuper ex anapaeſtis trimetrum acatalecticum, ex choriambis vero monometrum primus omnium temperavit, atque alia complura per Servium, et illius interpretes Fabularum annotata, quae mortalibus adeo placuerunt, ut barbaros etiam Perſarum animos potuerint demulcere. Etenim apud eos Ariſtophanem accepimus praeſertim a rege celebratum. Contra vero Nova Comoedia Jambos, ut plurimum ſolet, uſurpat: quemadmodum a Stobaeo, Plutarcho, Gellio citata Menandri carmina demonſtrant.

Binas apparatu differentias extitiſſe Grammatici tradiderunt, cum ſcilicet in perſonis, tum in ipſa ſerie, Comoediarumque contextu. Platonius enim auctor eſt veteris Comoediae Poëtas e ſcena ſolitos eſſe eos educere perſonatos, qui ſtatim ex ipſa facie quos eſſent toto opere carpturi, ſpectatoribus indicarent: ut ſi forte quis non audire carmina cogeretur, de perſona tamen, quiſnam eſſet deridendus, agnoſceret. Sed Comici recentiores ad excutiendos potiſſimum riſus, hiſtrionum facies configurarunt. De induſtria quidem monſtroſos hominum vultus effingere conabantur, ne cuipiam forte fortuna Macedoni tunc praefecto ſimiles eſſe viderentur: proindeque miſer ille Poëta non ſecus ac ſi barbarum principem data opera ſubſannaret, publice multaretur: adeo nobilis illa Graecorum majeſtas impuris obtemperabat. Quippe diſtorta corpora Menander (ſi Platonio credimus) planeque communem hominum excedentia naturam perſonis imitabatur, profecto ſapienter, Quoniam,

inquit ille, non ſolum malum, ſed et mali vitanda eſt ſuſpicio. Quod autem ad Fabulae pertinet contextum, Chorus in cauſa eſt cur inter ſe veteres novique non quadrent: quandoquidem illi varia quaedam modulamina temperabant, quae Chorus ſingulis actibus intercinendo plebem ſine taedio, quouſque novi egrederentur hiſtriones, detineret. Populus enim Athenienſis, quatenus rerum dominus habebatur, quotannis Aediles creabat, qui ſumptus alendis puerorum choris ſubminiſtrarent. Caeterum Chorus quatuor et viginti viris, pueriſve, aut feminis inſtruebatur, ſicut Ariſtophanes in Avibus Fabula numerat. Si vero promiſcue viri feminaeque ad explendum Chori numerum adhiberentur (quod feciſſe dicitur primus omnium Tyrtaeus) mares dimidium excedebant. Si pueri, tum feminis illorum major numerus erat. Sin autem viri tantum, juvenes ſcilicet ac ſenes, identidem Poëtae majores tredecim, minoribus undecim admiſcebant, utpote quorum de nomine Chorus appellaretur. Quilibet autem ex his Chorus in quatuor (ut ajunt) ζυγὰ dividebantur, quorum ſingula ſex continerent ſaltatores. Comicus inquam hoc pacto Chorus apparabatur. Nam ſicut Aeſchylus canit, quinque tantum et decem in Tragoedia conſtabat. Interdumque dimidiato numero (ſicuti Pollux ait) Semichorum induci facile admodum eſt videre. Idem attamen ſcribit in Veteri Tragoedia, Chorum ſaltatores habuiſſe quinquaginta: verum quoniam Aeſchylus totidem Eumenidas induxiſſet, quae totum prae multitudine theatrum conſternaſſent, cohibente lege ad pauciores eſſe deventum. Arbitror etiam in Comoedia cum Donato longe plures ab initio fuiſſe Cantores, quoniam (ut Ariſtoteles in naturali quadam ſentit quaeſtione) multi facilius ſervare numeros poſſunt. Quum igitur poſt Fabulae prologum eſſet orcheſtram ingreſſurus, ſi ruſticis conſtaret, a dextro latere ſolebat emitti: ſin autem urbanis, a ſiniſtra parte prodibat, quadrataque forma conſiſtens recedentes hiſtriones obſervabat. Deinde converſus ad ſpectatores, quorſumcunque ſepties theatrum intuebatur, totidemque cantilenas moderato geſtu pronuntiabat: quod omne παράβασις ab Ariſtophane pluribus in locis nuncupatur. Prima igitur cantilena ſtatim ab hiſtrionum diſceſſu prolata, κομμὸς communi nomine dicitur. Nam quicquid perſona quapiam recedente cantatur, Grammatici Comicos exponentes κομμάτια ſolent appellare. Κομμάτιον vero proprie dicitur, quatenus de choro amputata reciſaque particula videtur: id a quibuſdam εἴσθεσις χοροῦ nominatur. Secunda, παράβασις, non ſecus ac tota ſaltatio dicitur: quoniam illinc, ubi conſtiterat chorus, populum verſus incedit: ſive ἀνάπαιστος, eo quod frequenter hujuſcemodi cantus anapaeſtos uſurparet. Tertia πνῖγος, aut μακρὸν, cantilena ſcilicet (ut Pollux ait) una ſpiritus contentione prolata, quae tria ſejunguntur ab invicem, cum alterum alteri nullam habeat rationem. Quae vero ſequuntur, inter ſe quadam ſunt ratione conjuncta, videlicet στροφὴ vel ᾠδὴ, ſive μέλος, ἐπίῤῥημα, ἀντίστροφος, vel ἀντῳδὴ, et ἀντεπίῤῥημα, quod loco ſeptimo cantabatur. στροφὴ enim ſive ἀντίστροφος membris et carminum genere quadrat. Rurſus ἐπίῤῥημα undecunque tibi conveniens ἀντεπίῤῥημα ſolet habere. Quoniam utrobique fere ſemper chorus ex Jambis tetrametra ſexdecim modularetur, totum hoc ſimul χορικὸν appellatur, quando Comoediae partem volumus aſſignare; quatuor enim ſunt, videlicet πρόλογος, qui ad egreſſum uſque chori prorogatur: deinde χορικόν: et quod interponitur choris, ἐπεισόδιον: poſtremo ἔξοδος, quae ſcilicet a choro in calce Comoediae pronuntiatur, ut Pollux in quarto ſcriptum reliquit. Ea igitur παράβασις, auctore Demetrio Triclinio, quae nullas harum partes omittit, perfecta ſolet appellari: qualem Ariſtophanes in Equitibus Fabula concinnavit. Verum complures imperfecte pro arbitrio Poëtarum inſeruntur: id quod idem in Nebulis Fabula fecit: ubi ſolum ἐπίῤῥημα, quod eſſet vitiis carpendis accommodatum, induxit, ac in Ranis quatuor illa tantum conjuncte repoſuit. Sed illud eſt animadverſione dignum, quod ἐπίῤῥημα et στροφὴ ſive μέλος, quando nullam ἀντεπιῤῥήματος, aut ἀντιστρόφου reditionem exſpectant, in fine ſemper habent παράγραφον, ut non eſſe κατάσχεσιν, id eſt obnoxie poſita videantur: quandoquidem haec linea tranſverſa παράγραφος ſcilicet, tria illa, quae diximus, inter ſe diſcreta continuo claudit. Verum ſi futuram exſpectant reditionem, στροφὴ tum haec linea, cum non ſecus ac ἐπίῤῥημα, duabus aliis terminatur, quarum coëuntium angulus vergat introrſum: contra vero ἀντίστροφος lineis clauditur binis, quarum extrorſum utrique anguli vergant, hinc inde finale membrum, carmen ſcilicet ultimum amplectentes. verum ex iis duntaxat uno ſolet ἀντεπίῤῥημα concludi. quae plane ſigna

Digitized by Google

gna prout anguli ſeſe habent, vel futuram, vel praeteritam reditionem oſtendunt. Hoc Demetrius ille Triclinius ſcribens in Ariſtophanem, excogitavit. Veruntamen inter cantus, Poëtae nonnunquam perſonas educere ſolent, quarum diſſertatio σύστημα κατὰ περικοπὴν appellatur: interdum verſibus alternis contendentes aliquot proferunt hiſtriones, vel chorum etiam reſpondentem: quod Hephaeſtion videtur ἀλλοιόστροφα appellare. Verum has et alias conſulto praetermittendas eſſe arbitror quaeſtiones, quae mira Poëtarum licentia gignuntur: conſtat enim illis nihil unquam non audendum. Quocirca nobis de Choro certiora conſectatis, pro materia ſatis abundeque dictum eſſe videatur, quomodo praeſertim in Nova Comoedia Chorus nullum habeat vel habere potuerit locum. Siquidem Athenis, quum omnia potentiores ad arbitrium ſuum revocare coepiſſent, nulli amplius creabantur Aediles: perindeque ſumptibus ad alendos juvenum choros inſtitutis populus abuti prohibebatur: quod particulatim a Platonio legimus diſputatum. Id itaque animadvertentes Poëtae, quemadmodum lata lege de non carpendo nominatim, materia mutabatur, ita etiam Cantilenis abſtinere penitus decreverunt: quodque ſapientes, quum tempori cedendum eſt, efficere ſolent, quae erat neceſſitas, in virtutem egregiam tranſtulere. Nam actus Fabulae ſic agebant colligatos, ut per intervalla, quae quidem erant minima, ſaltem unus hiſtrio relinqueretur, aut frequentius complures alternis inter ſe verſiculis differentes. Denique nihil vetuſti chori proprium obſervabant: quemadmodum in Ariſtophanis Pluto Fabula tute jampridem vidiſti. Id Horatius ita cecinit,

lex eſt accepta: chorusque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Miror autem quaſi monſtrum conſpicatus, illum cujus ſcripta ſub Acronis nomine circumferuntur, vel ſi eſt ipſe Acro, dixiſſe id lege cautum ſub Auguſto. poterat mediusfidius perſpexiſſe (modo Plautum aut Terentium legerit) an ante Auguſtum actae Fabulae quemquam momordiſſent. O quam egregie vetuſta novis, Latinaque Graecis non hic modo, verum et alii fortuna ſimiles confuderunt. Quippe hoc Athenis decretum Patricii promulgavere vix anno urbis Romae quadrageſimo ſeptimo ſupra ter centum, videlicet quum Tribuni Militares imperio Conſulari crearentur.

Comoediam itaque tempus et materia, ſicut diximus, in tria genera dividunt, Antiquum ſcilicet, & Novum, et Medium. Stilus vero, numeri, et apparatus duplici tantum ſectione partiuntur: diverſa tamen ratione: quoniam ſtilus et numeri vetuſtiora duo ſimul componunt, quae ad Alexandrum uſque pervenere: ſed apparatus medium illud annectit recentiori. nam in utroque (ſi Grammaticis credendum eſt) nulla Chori modulamenta reperiuntur.

Non autem eſſe arbitror alienum in praeſentia quaedam particulariter conſiderare, quae profecto multa non erunt: quoniam facile videtur ex hactenus dictis fere omnes tum Graecas, tum Latinas metiri Comoedias, ſi temporum praeſertim ullam habere volueris rationem; quando ſcilicet in ſcena floruerit unuſquiſque Fabularum Poëta. Primam igitur Romae Fabulam dare Lucius Livius occoepit decimo ſupra quingenteſimum Urbis anno: qui quidem, Gellio reſte, quinquageſimus ſecundus ab obitu Menandri numerabatur: vigeſimo fere poſtea quam Romani primum Carthaginienſibus bellum indixiſſent: tunc enim pace compoſita, quae populo tanto opere expetebatur, id genus oblectamenti relaxandi animi gratia receptum eſt. Deinde ſpatio novem annorum interjecto, C. Naevius data Fabula ſpectandi copiam fecit. Poſt eum Plautus, anno fere decimo quinto: ſubinde ſeriatim Q. Ennius, Caecilius et Terentius floruere: poſtea non multo Pacuvius, qui jam ſenex Accio ceſſit. Poſtremo Lucilius fuit, qui medium illud argumentum, lacerandi ſcilicet aliorum poëmata, ſectabatur. Hunc enim Gellius in Accium, et Pacuvium magna laude ſtilum exercuiſſe teſtatur. Fabulas igitur iſti de Graeco petitas argumento, Latinis ſalibus condire ſtatuerunt: quemadmodum in Terentii, vel Plauti, quae circumferuntur, Fabulis eſt videre: Novamque penitus Comoediam ſunt imitati, nullam Chori modulantes Cantilenam: ſed Actus (ut ait Porphyrio) tibiarum concentu dirimentes. Ubi operae pretium eſt animadvertere Tibias Chori proprietatem aemulari. Nam (ut auctor eſt Donatus) quae Fabulae graves haberentur et ſeverae, Tibiis Dextris agi conſueverunt: quae vero jocis et urbane dictis undique ſcaterent, continuo Siniſtris. Pollux enim auctor eſt quinque olim in ſcena januas extitiſſe:

Digitized by Google

quarum media illius omuino domicilium eſſet, qui primas in Fabula partes haberet: altera, dextra ſcilicet, huic proxima, illius eſſe conſuevit, cui partes darentur ſecundae: tertia, ſiniſtra, vel maxime tenuis, aut nullius erat perſonae, vel deſolatum aliquod ſimulabat ſacellum. At reliquarum dextra eos emittere ſolebat, qui non ab urbe, ſed aliunde proficiſcerentur: ſiniſtra vero contra, quotquot venirent, urbanos producebat. Ab hac (ut arbitror) ejus Fabulae chorus prodire conſuevit, quae ſalibus, jociſque referta eſſe videretur. Quippe, quod facete dicitur, ſolemus urbanum appellare. Verum ab altera, ſi ruſticos Fabula contineret, quadam ſevera, gravique ſimplicitate chorus emittebatur. Etenim eos potiſſimum ruſticos vocamus, qui ſemper obducto ſupercilio facetias averſantur. Unde Palamedes apud Philoſtratum ab Achille dicitur ἀγροικότερος, quoniam ut erat uudique ſeverus, in deliciis etiam nihil haberet.

Caeterum, licet multa ſint genera Tibiarum, tamen duo ſcenam potiſſimum frequentabant, videlicet Phrygiae: quarum nouuullae modo dextrae, modo ſiniſtrae ponebantur. Dextrae, quae foramen unicum haberent; ſiniſtrae, quae duobus eſſent foraminibus diſtinctae. Quippe Servius Varronem ſecutus, duas impares cavernas hujuſcemodi tibiis fuiſſe teſtatur, ac foramina totidem. Unde Virgilius earum biforem cantum appellat, propterea quod graves et acutas emitterent pro tibicinis arbitrio voculationes. Alterae ſunt Serranae, ſic (arbitror) appellatae, quoniam iis ſaltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non ſecus atque ſectores, qui ſerra adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompejus ait ſerram ld praelium dici quo frequenter acies et accedere et recedere ſoleret. Hac ſemper erant ſiniſtrae, pareſque, id eſt aequales caveruis: proindeque parem concentum, acutum ſcilicet emittebant, quemadmodum Servius haud perplexe ſcriptum reliquit. Veruntamen Diomedes tibias pares et impares videtur numero definire: quod equidem non video cur poſſit admitti: nam par et impar qualitate fere ſemper accipitur a Latinis. Exemplo ſit hoc Ovidianum,

Par erat inferior verſus.

Et illud Virgilianum,

Formoſum paribus nodis.

Ac illud,

Impar congreſſus Achilli.

Sed quo tandem ſum incurioſe digreſſus? Egone ut magna nomina ſugillarem? Minime, ſi meum mihi vitae inſtitutum permanebit. Quocirca ne nobis aliquid Eupolidis infortunio ſimile contingat, perfecto jam operi paragraphum ſtilus obducat.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGUS

EDITIONUM

P. TERENTII AFRI.

SErvaturus inſtitutum illorum, qui hodie priſci aevi Scriptores edunt, multo maximam Editionum Terentianarum partem, quarum vel Jo. Alb. Fabricius et Michaël Maittaire meminerunt, vel quas aliunde conlegi, publice exhibere viſum fuit.

Sine anno { TERENTIUS Poëta, cum Commento Donati Grammatici. 4to.

TERENTIUS. cum vett. variorum Commentariis. Venetiis, fol.

TERENTIUS. ſine diſtinctione verſuum, per Joh. Hugonis de Gengenbach. fol. }

1469. TERENTIUS.

1470. ——— per Anton. Zarotum, impendio Jo. Legnani. Mediolani.

1472. ——— per Conradum Sweynheim et Arn. Pannartz. Romae, fol.

1474. ——— ſine diſtinctione verſuum. fol.

1474. ——— cum Donato et Calphurnio. Tarviſii, fol.

1475. ——— cum Commentariis Donati et Calphurnii, per Hermannum Levilapidem Colonienſem. Vicentiae.

1476. ——— Mediolani. fol.

1476. ——— cum Comment. Donati et Calphurnii, per Jacobum Rubrum. Venet. fol.

1477. ——— cum Comment. Donati et Calphurnii, per Herm. Levilapidem Colonienſem Tarviſii, fol.

1479. ——— cum Comment. Donati, recognitus a Franciſco Diana. per Nicolaum Girardengum. Venet. fol.

1480. ——— ex caſtigatione Auli Sabini. Venet. fol.

1480. ——— cum caſtigationibus Pomponii Laeti. Parmae.

1481. ——— impreſſus per Magiſtrum Paulum Ferari, et recognitus per Magiſtrum Aloiſium Strazarolum. Tarviſii.

1481. ——— ſine diſtinctione verſuum. Neap. fol.

1482. ——— cum Comment. Donati. Venet. fol.

1483. ——— cum Comment. Donati, per Andr. de Aſula, et Barthol. de Alexandria, ſocios. Venet. fol.

1483. ——— Mediolani, fol.

1485. ——— cum Comment. Donati, Venet. fol.

1487. ——— cum Comment. Donati et Calphurnii, per Andr. de Paltaſchichis Catarenſem. Venet. fol.

1488. ——— cum Donato. Venetiis.

1490. ——— cum Comment. Donati, per Magiſtrum Theodorum de Regazonibus de Aſula. Venet. fol.

1491. ——— cum Comment. Donati et Calphurnii. Venetiis fol.

1492. ——— cum Comment. Donati, per Peregrinum de Paſqualibus de Bononia; Venet. fol.

1492. ——— cum Comment. Guid. Juvenalis, opera Georg. Wolff. Pariſ. fol.

1493. ——— ſine diſtinctione verſuum, cum figuris, et Guid. Juvenalis interpretatione. cura atque impenſis Johannis Trechſel. Lugd. 4to.

1494.

Digitized by Google

1494. TERENTIUS cum Comment. Donati, Calphurnii et Guid. Juvenalis, per Simonem Papienſem, dictum Bevilaqua. impenſis Lazari de Iſoardis de Savilla. ſine diſtinctione verſuum. Venet. fol.

1494. ——— cum Commentariis Italicis. Venet. 4to.

1496. ——— cum Directorio, Gloſſa interlineari, Commentariis et figuris. per Joh. Gruninger. Argent. fol.

1497. ——— cum Comment. Donati, Guid. Juvenalis et Calphurnii, per Simonem, dictum Bevilaqua. Venet. fol.

1499. ——— cum Directorio, Gloſſa interlineari et Comment. per Joh. Gruninger. Argent. fol.

1499. ——— cum quatuor Commentariis. Venet. fol.

1503. ——— Pariſiis, 4to.

1503. ——— cum Comment. Donati et Calphurnii. apud Jo. Gruninger. Argent. fol.

1504. ——— cum Notis Jodoci Badii Aſcenſii. Pariſ. 4to.

1504. ——— Venetiis, fol.

1505. ——— Comoediae cum Comment. Donati. Argent. fol.

1505. ——— apud Juntas. Florent. 8vo.

1506. ——— cum Comment. Petri Marſi et Pauli Malleoli. Argent. 4to.

1508. ——— Comoediae cum Guid. Juvenalis familiari explanatione, ab Jod. Bad. Aſcenſio recognitae, impreſſae quam diligentiſſime per Nicolaum de Pratis. Pariſ. fol.

1508. ——— Lipſiae.

1509. ——— apud Juntas. Florentiae 8vo.

1509. ——— Pariſ. 4to.

1511. ——— Pariſ. 4to.

1511. ——— cum explanationibus Guid. Juvenalis, et Jodoci Badii Aſcenſii; ſine verſuum diſtinctione. Lugd. 4to.

1513. ——— Argentorati.

1516. ——— Tubingae.

1517. ——— in aedibus Aldi et Andr Aſulani. Venet. 8vo.

1519. ——— cum Petri Marſi et Pauli Malleoli annotationibus. Argent. 4to.

1519. ——— apud Rob. Stephanum. Pariſ. fol.

1519. ——— Adelphi et Heautontim. Daventriae, 4to.

1520. ——— cum Comment. Guid. Juvenalis, ex recenſione Badii Aſcenſii; ſine verſibus. Lugd. 4to.

1521. ——— apud Froben. Baſil. 8vo.

1521. ——— apud Aldum, Venet 8vo.

1522. ——— Edit. correctiſſ. Baſil.

1523. ——— Textus, apud Joh. Gymnicum Colonienſem.

1526. ——— cura Philippi Melanchthonis. Antverp. 8vo.

1527. ——— Lugduni, 4to.

1528. ——— Comoediae, apud Petrum Vidouaeum. Pariſ. 12mo.

1529. ——— ex officina Roberti Stephani. Pariſ. fol.

1530. ——— cura Adr. Barlandi. Lovan. 4to.

1531. ——— ex officina Rob. Stephani. Pariſ. 8vo.

1532. ——— cum Scholiis Melanchthonis, apud Sebaſt. Gryphium. Lugd. 8vo.

1532. ——— Pariſ. 12mo.

1532. ——— ex recenſione Eraſmi, apud Froben. Baſil. fol.

1533. ——— Pariſ. 8vo.

1533. ——— cum Donati argumentis et verſuum generibus, per Eraſmum, quarta editio. ex officina Rob. Stephani. Pariſ. 8vo.

1534. ——— apud Froben. Baſil. 8vo.

1534. ——— ex officina Rob. Stephani. Pariſ. 16to.

1535.

Digitized by Google

1535. Terent. cum Scholiis per Diethelmum Cellarium collectis. impreſſit Chriſtoph. Froſchoverus, Tiguri, 8vo.
1535. ——— quarta editio, ex officina Rob. Stephani, Pariſ. 8vo.
1536. ——— Comoediae, apud Sebaſt. Gryphium, Lugd. 8vo.
1536. ——— apud Rob. Stephanum. Pariſ. 4to.
1536. ——— ſine Commentariis, apud Rob. Stephanum, Pariſ. 8vo.
1536. ——— apud Rob. Stephanum. Pariſ. fol.
1536. ——— apud Rob. Stephanum. Pariſ. 8vo.
1537. ——— cum Scholiis, apud Joh. Gymnicum. Colon.
1537. ——— Comoediae cum Comment. Donati et Guidonis Juvenalis. Lugd. 4to.
1538. ——— cum Scholiis ex Donati, Aſperi et Cornuti Commentariis decerptis, cura Eraſmi, apud Froben. Baſil. fol.
1538. ——— Andria, apud Rob. Stephanum. Pariſ. 4to.
1538. ——— Eunuchus et Adelphi, apud Rob. Stephanum. Pariſ. 4to.
1539. ——— Venetiis, folio.
1539. ——— Phormio, apud Rob. Stephanum. Pariſ. 4to.
1539. ——— Heaut. Adelphi, Hecyra. Impreſſit Simon Colinaeus. Pariſ.
1539. ——— Hecyra, apud Rob. Stephanum, Pariſ. 4to.
1540. ——— apud Rob. Stephanum, Pariſ. 24to.
1540. ——— apud Gryphium. 8vo.
1541. ——— apud Aldum. Venetiis 8vo.
1541. ——— apud Robert. Stephanum. Pariſiis, 4to.
1541. ——— apud Rob. Stephanum, Pariſ. 8vo.
1541. ——— apud Rob. Stephanum, Pariſ. 12mo.
1542. ——— apud Sebaſt. Gryphium. 8vo.
1542. ——— Pariſ. fol.
1544. ——— ex editione Sebaſt. Gryphii.
1545. ——— apud Rob. Stephanum, Pariſ. 8vo.
1545. ——— apud Vaſcoſan. 4to.
1546. ——— Andria, omni interpretationis genere in adoleſcentulorum gratiam facilior effecta: ut ex hac Comoedia omnes deinde alias ab eodem Comico conſcriptas nullo negotio aſſequantur juvenes bonarum literarum ſtudioſi. apud Rob. Stephanum, Pariſ. 8vo.
1546. ——— cum annot. Bergii. Miſniae, 8vo.
1546. ——— Afri Comoediae omnes, Donati, Aſperi, Cornuti, Jo. Calphurnii Commentariis illuſtratae. Antverp. 8vo.
1547. ——— cum argumentis ex Donato. Pariſ. 4to. apud Fr. Steph.
1547. ——— apud Gryphium, 12mo.
1548. ——— cum Commentariis Donati, Calphurnii, Melanchthonis, Fr. Fabricii, et Theod. Pulmanni. Baſil. 8vo.
1551. ——— cum Variorum notis. Pariſ. fol.
1551. ——— apud Gryphium. Lugd. 12mo.
1551. ——— apud Rob. Stephanum. 8vo.
1552. ——— cum Commentariis et annotationibus Melanchthonis, Eraſmi, Goveani, J. C. Scaligeri, L. Victoris Fauſti, P. Bembi, Donati, Calphurnii, Barlandi, Latomi, Marſi, Rivii, Doleti, Glareani, Jo. Theod. Bellovaci, et Jodoci Willichii. Pariſ. fol.
1552. ——— cura Goveani. Lovanii, 4to.
1553. ——— cum Commentariis Donati, Guid. Juvenalis Cenomani, Petri Marſi in omnes Fabulas, Stephani Doleti in Andriam et Eunuchum, Calphurnii in Heaut. apud Barthol. Caeſanum. Venetiis fol.
1553. ——— Venetiis, fol.
1554. ——— Latine et Gallice cum Scholiis. Lugd. 8vo.
1555. ——— cura M. Ant. Mureti, apud Aldum, 8vo.

1555. TERENT. Lugd. 12mo.
1555. ——— cum Comment. Jodoci Willichii. Colon. 8vo.
1557. ——— Argentinae, 8vo.
1558. ——— Pariſ. 4to.
1558. ——— Venetiis, fol.
1558. ——— cum M. Ant. Mureti, quatuor Codicibus Mſſ. uſi, argumentis et notis. apud Paul. Manutium, Venetiis, 8vo.
1558. ——— cura Mureti, Pariſ. 12mo.
1559. ——— Pariſ. 4to.
1559. ——— cum Scholiis M. Ant. Mureti. apud P. Manutium, Aldi Fil. Venet. 8vo.
1560. ——— cura Theod. Pulmanni, Antverp. 24to.
1560. ——— cura Petri Anteſignani. Lugd. 4to.
1560. ——— cum P. Anteſignani Comment. Lugd. 8vo.
1561. ——— ab Ant. Goveano. Pariſ. 4to.
1561. ——— Baſileae, 8vo.
1561. ——— Venetiis, fol.
1564. ——— Duſſeldorpii, 4to.
1565. ——— cum Mureti argumentis et notis. Antverp. 12mo.
1565. ——— cum notis Goveani. Venet. apud Gryphium, 8vo.
1565. ——— emendat. a Gabr. Faërno, cura P. Victorii. Florent. ap. Juntas. 8vo.
1566. ——— cum notis Mureti apud Aldum. Venet. 8vo.
1566. ——— cum notis Ambroſii Berndtii, in Acad. Wittenb. Oratoriae Profeſſoris, Lutheri affinis, compoſitis 1540. et editis a Stephano Riccio.
1566. ——— Leucopetrae, 8vo.
1567. ——— cum Comment. Donati. Baſil. 8vo.
1567. ——— cum Comment. Donati. Venet. fol.
1567. ——— Antverpiae, apud Plantin. 8vo.
1568. ——— cura Steph. Riccii, Mulhuſae, 8vo.
1570. ——— cum notis Mureti. apud Aldum, 8vo.
1570. ——— cura Steph. Riccii. Gorlici, 8vo.
1573. ——— Lugduni, 8vo.
1574. ——— e caſtigatione et cum Comment. Matthiae Bergii. adjunctis Joach. Camerarii, Joh. Rivii, Georg. et Fr. Fabricii caſtigationibus et annotationibus. Lipſ. 8vo.
1574. ——— cura Steph. Riccii. Gorlici. 8vo.
1574. ——— cura P. Anteſignani. Pariſ. 12mo.
1574. ——— ex emend. et notis Mureti. Francof. 8vo.
1575. ——— apud Aldum. Venet. 8vo.
1575. ——— ex Eraſmi et Melanchthonis recognitione. Francof. 8vo.
1576. ——— apud Plantinum. Antverp. 12mo.
1577. ——— cum Hiſpanica verſione Petri Simonis Avril. 8vo.
1580. ——— cum Commentariis Hetruſca lingua ſcriptis, cura Joh. Fabrini. Venetiis, 4to.
1580. ——— apud Gryphium. fol.
1580. ——— a M. Ant. Mureto emendat. apud Plantinum. Antverp. 8vo.
1580. ——— Venetiis, fol.
1582. ——— cum Hiſpanica verſione Petri Simonis Avril. Compluti, 8vo.
1583. ——— cura et notis Petri Anteſignani. Pariſ. 12mo.
1584. ——— cum notis brevibus Chriſtoph. Coleri. Francof. 12mo.
1585. ——— cum not. brev. Chr. Coleri. Francof. 12mo.
1586. ——— apud Gryphium. Venet. 8vo.
1587. ——— cum Emendat. Gabr. Faërni, apud Commelinum. Heidelb. 8vo.
1587. ——— cura Petri Victorii. Florent. 8vo.
1592. ——— cum argumentis et notis M. Ant. Mureti. Francof. 8vo.

Digitized by Google

1592. TERENT. cum notis, indicibus et medulla, ſive Phraſeologia Terentiana Martini Hayneccii. Lipſ.
1592. ——— cura Melanchthonis. Francof. 8vo.
1593. ——— a M. Ant. Mureto emendatus, cum Indice vocum antiquarum Lugd. Bat. 8vo.
1593. ——— cum notis Chriſtoph. Coleri. Genevae, 12mo.
1594. ——— cum Commentariis Italicis Joh Fabrini. Venet. 4to.
1597. ——— Franeq. 8vo.
1597. ——— Index cura Auguſt. Gambarellii. Bergomi, 8vo.
1599. ——— cum Hiſpanica verſione Petri Simonis Avril. Barcinone, 8vo.
1602. ——— cum Donati et Eugraphii Commentariis ad Mſſ. Codices recenſitis, additis Faërni Obſervationibus. cura Frid. Lindenbruchii. Pariſ. 4to.
1603. ——— Venetiis.
1604. ——— Latine et Gallice. 12mo.
1606. ——— cura Martini Hayneccii. Lipſ. 8vo.
1607. ——— apud Commelin. Heidelb. 8vo.
1610. ——— cura Joh. Weitzii. Lipſ. 8vo.
1614. ——— cura et notis Petri Anteſignani. Pariſ. 12mo.
1614. ——— cum notis, indicibus et medulla, ſive Phraſeologia Terentiana Martini Hayneccii. Lipſ. 8vo.
1614. ——— cura Steph. Riccii. 3. vol. Lipſ. 8vo.
1616. ——— cura Martini Hayneccii. Lipſ. 8vo.
1616. ——— cum Donato. Baſil. 8vo.
1618. ——— cura Dan. Heinſii. Amſtelaed. 12mo.
1619. ——— ex editione Joh. Philippi Parei. Neap. Nemetum, 4o.
1619. ——— Heinſii. Amſt. 12mo.
1623. ——— ex editione Frid. Lindenbruchii. Francof. 4to.
1624. ——— cum Comment. Martini Hayneccii. Lipſ. 8vo.
1624. ——— cum Germanica verſione editus a Davide Hoeſchelio et Matthia Schenkio. Auguſtae Vindel. 8vo.
1629. ——— Latine et Anglice. Londini, 4to.
1634. ——— curante Martino Hayneccio. Lipſ. 8vo.
1635. ——— typis Elzevirianis. Lugd. Bat. 12mo.
1641. ——— cum commentario Steph. Riccii. Lipſ. 8vo.
1642. ——— typis Regiis. Pariſ. fol.
1644 ——— cum notis Variorum. Lugd. Bat. 8vo.
1647. ——— cum notis Joh. Nardi Florentini. Florent. 4to.
1648. ——— Latine et Belgice, cura et notis Henr. Zwaardecronii. Roterod. 8vo.
1651. ——— cum locupletiſſimo Indice philologico verborum phraſiumque, et collectaneis Jac. Kockerti. Lubecae, 8vo.
1651. ——— cum notis Th. Farnabii in 4. priores, et Merici Caſauboni in 2. poſteriores. Londini et Amſtelaed. 12mo.
1651. ——— cum notis variorum. Lugd. Bat. 8vo.
1657. ——— cum notis variorum, curante Corn. Schrevelio. Lugd. Bat. 8vo.
1657. ——— cum annotationibus et Chreſtomathia Terentiana, ſive ſelecto Indice locutionum. Cui editioni additae a Joh. Henr. Boeclero Franciſci Guyeti in Terentium notae. Argent. 8vo.
1658. ——— cum Comment. Donati et aliorum. Venet. fol.
1660. ——— cum notis Thomae Farnabii in 4. priores, et Mer. Caſauboni in 2. poſteriores Comoedias. Amſtelaed. 12mo.
1660. ——— cura et cum notis Michaëlis de Marolles. Pariſ. 8vo.
1661. ——— cum notis Heinſii. Amſtelaed. 12mo.
1662. ——— cum notis variorum, curante Schrevelio. Lugd. Bat. 8vo.
1661. ——— cum notis Farnabii. Amſt. 12mo.
1663. ——— cura Henr. Zwaardecronii. Roterod. 8vo.

1667. TERENT. cum Indice Philologico et Collectaneis Jac. Kockerti. Lubecae, 8vo.
1669. ——— cum notis Farnabii et Caſauboni. Amſtelaed. 12mo.
1670. ——— cum notis Joh. Minellii. Roterod. 12mo.
1671. ——— cum notis Tanaq. Fabri. Salmurii, 12mo.
1673. ——— cum verſione Gallica et notis Gallicis. 12mo.
1673. ——— Bremae, 12mo.
1674. ——— Andria, cum notis Lymbergeri. Rintl. 8vo.
1675. ——— cum notis Nic. Cami, in uſum Delphini. Pariſ. 4to.
1678. ——— cura doctorum Virorum emendat. ap. Gaesbeck Lugd. Bat. 12mo.
1680. ——— cum notis Minellii. Roterod. 12mo.
1681. ——— cum notis Thomae Farnabii. Amſtel. 12mo.
1685. ——— curante Chriſtophoro Colero. Francof. 12mo.
1686. ——— cum notis Variorum. Lugd. Bat. et Amſtelaed. 8vo.
1686. ——— cum verſione Gallica a Martignac. Pariſ. 8vo.
1688. ——— cura Dacerii. Pariſ. 12mo.
1688. ——— cum verſione Gallica et notis Annae Daceriae, 3. vol. Pariſ. 12mo. et iterat. Amſtelod. 1703.
1688. ——— cum interpretatione ac notis. Rotomag 12mo.
1688. ——— cum notis Nic. Cami, in uſum Delphini recuſus. Londini, 8vo.
1690. ——— cum notis Minellii. Roterod. 12mo.
1691. ——— cum notis Minellii. Hamburgi, 12mo.
1697. ——— ex recenſione Heinſii, Amſtelaed. 24to.
1700. ——— cum notis Nic. Cami, in uſum Delphini, recuſus Londini, 8vo.
1701. ——— ex recenſione Boecleri, cum Indice vocabulorum et phraſium abſolutiſſimo, Martini Hugenii. Amſtel. 12mo.
1701. ——— Cantabrigiae, 4to.
1702. ——— cura Chriſtiani Junkeri. Lipſ. 12mo.
1709. ——— in uſum Delphini. Lond. 8vo.
1710. ——— cum Martini Hugenii Indice, et imitatione Plautina. Amſtelaed. 8vo.
1711. ——— ex recenſione Heinſii. Amſtelaed. 12mo.
1713. ——— in Corpore Poëtarum, poſt Genevenſes et Lugdunenſes auctiore, per Mich. Mattaire. Lond. fol.
1715. ——— cura Mich. Mattaire. Lond. 12mo.
1716. ——— Comoediae expurgatae. Interpretatione ac notis illuſtravit Joſephus Juvenalis, S. J. Pariſ. 8vo.
1717. ——— Comoediae, captui puerorum accommodatae per Emanuelem Sincerum. Auguſtae Vindel. 8vo.
1717. ——— cum verſione Gallica Annae Daceriae, additis iconibus ex antiq. Mſ. Biblioth. Regiae. 8vo. 3. vol. Roterod.
1718. ——— cum locis parallelis et Indice formularum, cura Dav. Hoogſtratani. Amſtelaed. 12mo.
1723. ——— Cantabrigiae, 12mo.
1724. ——— cum verſione Gallica et notis Annae Daceriae. 3. vol. Amſtelaed. 12mo.
1724. ——— Comoediae ad exemplar Faërnianum a Petro Victorio editum, anno 1565. ſumma fide recenſitae; additis Faërni emendationibus. cura Franciſci Hare. Lond. 4to.

TERENTIUS cum pluribus Mſſ. diligenter collatus, et uberioribus Commentariis illuſtratus a Chriſtophoro Waſe, numquam prodiit; ut poſt Henr. Newtonum teſtatur Joh. Alb. Fabricius.

Editiones omiſſae.

1512. ——— cum quinque Commentis, Donati, Guidonis, Calphurnii, Aſcenſii et Servii. Venet. fol.
1521. ——— Donati et aliorum, apud Gr. de Ruſconibus. Venet. fol.

AELII DONATI

ARGUMENTA

IN P. TERENTII COMOEDIAS.

IN ANDRIAM.

CHREMES Atticus, pater Paſibulae et Philumenae, cum ex his duabus ſe Paſibulam perdidiſſe falſo crederet, relictam Athenis, nec viſam poſtea multo tempore, tanquam unicam ſibi putabat Philumenam: quam Charinus adoleſcens Athenienſis adamabat unice, et ſibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio ultro deſponderat: qui Pamphilus contra ſororem Chryſidis, ac peregrinam tum creditam, Paſibulam ſupradictam, alteram Chremetis filiam, ſub nomine Glycerii, latenter ſic amavit, ut ex ea filium ſuſcepiſſet inſcio patre. Qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falſas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis a Davo ipſe deluditur ſervo: periculoque Charini et Pamphili motus error in Fabula, uſque ad eum finem ductus eſt, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito, rem aperiat, et nodum Fabulae ſolvat: per quem agnita Paſibula recipitur a parentibus, et traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino deſpondetur, et trsditur exoptanti. Perſpecto argumento, ſcire debemus, hanc eſſe virtutem poëticam, ut a noviſſimis argumenti rebus incipiens, initium Fabulae, et originem narrative reddat ſpectatoribus: auctoremque praeſentem ſibi exhibeat, ubi finis eſt Fabulae. Hunc enim orbem et circulum poëticae virtutis non modo ſecuti ſunt Tragici Comicique Auctores: ſed Homerus etiam et Virgilius tenuerunt. Diviſionem Actuum in Latinis Fabulis internoſcere difficile eſt. cauſam jamdudum demonſtravimus. Unde autem, aut quomodo, quamvis aegre, tamen intelligi diſtinguique poſſint, eſt operae pretium dicere. Principio dicendum eſt, nullam perſonam egreſſam quinquies, ultra exire poſſe. Sed illa re plerumque decipimur, quod perſonam, cum tacuerit, egreſſam falſo putamus: quae nihilominus in proſcenio tacens, loquendi tempus exſpectat. Eſt igitur attente animadvertendum, ubi et quando ſcena vacua ſit ab omnibus perſonis, ut in ea Chorus, vel Tibicen audiri poſſit: quod quum viderimus, ibi Actum eſſe finitum debemus agnoſcere. Confundit ſaepe lectorem id, quod perſona in ſuperiori ſcena deſinens, et in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingreſſa: quod ipſum experientes, ſtatim dijudicant de rerum ac temporum quantitate. Poteſt enim fieri, ut et ingreſſa ſit ac egreſſa, quam prave credimus de proſcenio non receſſiſſe. Poſſe autem quinto egredi perſonam, non et neceſſe eſſe dicimus: ut appareat ultro exire non poſſe. In Tragoedia et parcius exire, et ſolere pariter, et licere. Primus Actus in Andria, narrationem Simonis apud Soſiam continet argumenti: quod populus hac occaſione perdiſcit: mox querelam apud ſe Davi de domino, et ejuſdem cum domino verba, et rurſus ejuſdem ſervi deliberationem, quid rerum gerat. Secundi Actus haec ſunt: Charini verba primo cum Byrrhia ſervo, et poſt cum ipſo Pamphilo de nuptiis Philumenae: Davi interventus, et cum eo diſputatio de nuptiis Pamphili: Pamphili ſermo cum patre, dolo conſentientis in nuptias: Byrrhiae verba: Davi callida oratio adverſum ſenem. Tertio Actui haec attribuuntur: Myſidis cum obſtetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus: partus Glycerii ſuſpectus ſeni: et Davi apud eum fraudulenta ſermo-

cinatio. Simonis verba cum Chremete de nuptiis : Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum Actum per haec intelligimus. Prima Charini verba ſunt, indignantis velut fidem ſibi non ſervatam a Pamphilo: tum Myſidis verba apud Pamphilum, ejuſdemque queſtus : Davi adminiſtratio doli adverſus Chremetem. In quinto Actu: Simonis et Chremetis prope jurgium, diſputatio; tum detectio fallaciarum Davi; tum indignatio patris adverſus filium; tum Critonis interventus: et per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiverant, Pamphilo et Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum Actuum diſtinctione videntur de proſcenio non diſceſſiſſe perſonae quaedam: ſed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem feciſſe in principio, ut modico receptu et adeſſe et abeſſe perſonam intelligamus. Nihil ergo ſequius factum eſt ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas Fabulas diviſerunt.

IN EUNUCHUM.

RAPTA quaedam ex Attica virgo nobilis, atque adducta eſt Rhodum : ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data eſt, et educata velut ſoror, una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas ſe contulit: ab eoque haeres Inſtituta mortuo, mox a milite Thraſone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperiſſet, et eam virginem, quam diximus, ab haeredibus mortuae animadvertiſſet venum eſſe propoſitam, quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen; et dono amatae Thaidi vexit Athenas. Verum poſtquam adveniens rivalem Phaedriam apud amicam reperit, quem per ejus abſentiam ſibi meretrix conciliarat: affirmavit ſe non ante daturum promiſſam virginem, quam Thais foras aemulum pepuliſſet. Illa igitur, etſi amaret Phaedriam, cupiditate tamen recuperandae virginis et civis Atticae, et quam a parvula ut ſororem dilexerat, excludit Phaedriam. Hinc ille primo Iraſcitur: poſt accepta facti ratione, a Thaide lenitur: et in bidui ſpatium ſponte concedens militi, rus proficiſcitur : ſtatimque ne ab aemulo muneribus ſuperaretur, Eunuchum et puellam Parmenoni jubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chaerea frater Phaedriae tunc ephebus, viſa in via virgine inflammatur amore ejus; atque eo evaſit vehementi ardore, ut pro Eunucho ipſe deduceretur ad Thaidem. Hac occaſione vitiata virgo, et mox civis, et nobilis cognita, datur uxor Chaereae. Phaedria vero et miles rivales, ambo concordes per paraſitum redditi, communi amica ſine certamine potiuntur. In primo Actu Phaedria exclusus a Thaide, et ſecum primo, et mox cum Parmenone, conqueritur fortunas ſuas: et ad poſtremum coram accuſat Thaidem. Rurſus permulcetur ab eadem, et voluntate digrediens, rus ſeſe conceſſurum in ſpatium bidui eſſe promittit. Secundus Actus, profectionem Phaedriae continet, delegantis ſervo deductionem Eunuchi et puellae ad Thaidem. Tum paraſitum loquentem, per quem virgo a milite dono amicae miſſa eſt. Tum interventum Chaereae, amantis virginem, ejuſdemque cum Parmenone conſilium de eadem potienda per fallaciam: quia pro Eunucho ipſe ſupponitur Thaidi. Tertius Actus characterem exprimit militis et paraſiti per ridiculum colloquium. Tum invitationem ad coenam Thaidis. Tum oblationem velut Eunuchi Chaereae et puellae ex Aethiopia per Parmenonem factam. Tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem. Antiphonis Chareaeque colloquium de vitiata per dolum virgine. In quarto Actu Dorias nuntiat jurgium inter militem et Thaidem: tum reditum habet ex villa Phaedriae, et querelam Pythiae de vitiata virgine apud Phaedriam: et eundem ſtupentem quod audiebat. Errorem ebrii Chremetis: et verba petulantia Thaidis adverſum militem, et militis adverſum Thaidem: parata praelia, ridiculeque depoſita. Quintus Actus haec continet, querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, poſtea cum ipſo Chaerea: tum interventum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem

bationem Parmenonis per dolum Pythiae; atque ejus indicio per ſenem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias: et ad ultimum reditum in gratiam militis cum Phaedria et Chaerea.

IN ADELPHOS.

EX duobus Atticis fratribus, alter quidem, Demea nomine, rus coluit, uxorem duxit, filios ſuſcepit duos, Aeſchinum et Cteſiphonem. At alter, Micio nomine, uxorem non duxit, et filios procreare noluit: ſed ſibi filium fratris Aeſchinum adoptavit: atque ita indulgenter eduxit a parvulo, ut effuſe luxuriatus adoleſcens, ad poſtremum civem Atticam virginem vitiaret, captus amore ejus: quo facto, et cum matre puellae pepigit nuptias ejuſdem quam vitiavit. Quumque rem geſtam ad patris, a quo adoptatus fuerat, conſcientiam jam jamque perlaturus eſſet, precibus Cteſiphonis fratris ſui, qui apud durum patrem atque agreſtem Demeam parcius atque arctius haberetur, impulſus eſt, et, ut eidem a lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur Fabula. Nam et Demea cum hoc ipſo, id eſt, cum Micione litigabat, tanquam cum eo qui corrupuerit adoleſcentem adoptatum in mores perditos, neſciens ſuum ſibi filium Cteſiphonem eſſe corruptum: eluditurque a Syro et Micione per totam Fabulam. Et mater puellae, jam decimo menſe poſt raptum virginis, Aeſchinum credit ſibi ipſi rapuiſſe meretricem. Quae perturbatio, cito in tranquillum redacta eſt. Nam re comperta de vitio virginis, Micio dat civem Aeſchino quam concupierat, ejuſque matrem ipſe accipit. Deprehenſo vero Cteſiphone in amore meretricis, primo iraſcitur Demea: poſt lenitur, atque habendae ejus meretricis licentiam praebet. Primus Actus haec continet; Micionis ſolius primo verba; et poſt, ejuſdem et Demeae jurgium. Secundus Actus haec continet; Lenonis alteram rixam adverſus Aeſchinum pro puella: ejuſdem apud Syrum querelas: laetitiam Cteſiphonis: obſeſſionem amicae: et ejuſdem gratiarum actiones apud Aeſchinum. Tertius Actus haec continet; Trepidationem matris Soſtratae et Cantharae nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Aeſchino: Getam nuntiantem dominae ſuae per errorem, quod ſibi rapuerit Aeſchinus meretricem: reditum in ſcenam Demeae: ejuſdemque cum Syro ludificante ſermocinationem: interventum Hegionis; cum querela apud eundem Demeam de facto Aeſchini, et conſolatione Soſtratae. Quartus Actus haec continet: Cteſiphonis cum Syro colloquium: deluſionem Demeae: ejuſdemque in ſcenam interventum, atque ſecundam fruſtrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione ſermonem: querelam Aeſchini de rebus ſuis, ejuſdemque cum Micione patre facetiſſimam diſſertationem: Demeae reditum in ſcenam ex errore, in quem eum conjecerat Syrus: et renovatum cum fratre ejuſdem jurgium: proceſſionem in ſcenam temulenti Syri. Quintus Actus haec continet; deprehenſionem Cteſiphonis cum meretrice: tertium cum Micione jurgium Demeae; ejuſdemque vitae priſtinae correptionem: et per eum multa in Comoedia nova, hoc eſt, blandimentum circa Aeſchinum, et affabilitatem circa Getam: conciliationem Syri et uxoris ejus: et veniam circa Cteſiphonem: permiſſionemque habendae meretricis. Servatur autem per totam Fabulam mitis Micio, ſaevus Demea, Leno avarus, callidus Syrus, timidus Cteſipho, liberalis Aeſchinus, pavidae mulieres, gravis Hegio. In dividendis Actibus Fabulae identidem meminerimus; Primo, paginarum dinumerationem neque Graecos, neque Latinos ſervaſſe: quum ejus diſtributio hujuſmodi rationem habeat, ut, ubi attentior ſpectator eſſe potuerit, longior Actus ſit: ubi faſtidioſior, brevior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem Actum poſſe conjici et tres et quatuor ſcenas introeuntium atque exeuntium perſonarum. Facta autem haec una eſt de duabus Fabulis, Adelphis Menandri, et Commorientibus Diphili.

IN HECYRAM.

VITIATAM in tenebris ante nuptias, cui annulum extorſerat, meretricem amans dum ignorat Pamphilus, duxit uxorem gravidam ex compreſſu ſuo. Quam peregre profeſtus, quum reliquiſſet domi, rediens parientem offendit furtim et apud matrem ſuam. Qua re commotus, dum repudium, invitis parentibus, et cauſam repudii neſcientibus, parat, per meretricem, apud quam annulus inventus eſt, cognoſcit tandem ita, a ſe vitiatam uxorem, et ex ſe natum filium. Primus Actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lenae Syrae inter ſe primum, deinde cum Parmenone: ut per harum perſonas, quae προτατικαὶ dicuntur, argumentum ſpectator addiſcat. Secundi Actus tenor in hoc eſt: Immeritam uxorem, veluti malam ſocrum, accuſat Laches: et convenit Phidippum de eadem cauſa. Statim poſt quorum colloquium conqueſtio inducitur Soſtratae, quod falſum crimen invidioſumque ſuſtineat. Tertio Actui haec adſcribuntur; Conqueſtio Pamphili peregre redeuntis, de amore ſuo circa uxorem. Partitudo Philumenae. Soſtratae verba ſuper aegritudinem nurus, quam morbo credit afflictam. Fletus Pamphili errantis, quum putat non ex ſe filium natum eſſe. Colloquium Parmenonis cum pueris a navi venientibus, ut mox loquatur cum ipſo Pamphilo; a quo in arcem mittitur. Item Lachetis, Phidippique, et Pamphili verba de reconcilianda illi conjuge: et eorum ab invicem litigioſa diſſenſio. Quartum Actum haec complent; Perturbatio Myrrhinae ex interventu mariti: et ejuſdem cum eo nimis callida ac muliebris aſtutiae diſceptatio: Soſtratae, Pamphili, Lachetiſque colloquium: Inclamatio patris et ſoceri adverſum Pamphilum uxorem recuſantem: Conventio meretricis promittentis ſe juſjurandum matronis exhibituram de non admiſſo ad ſe Pamphilo. In quinto Actu Bacchidis narratio de intus geſtis, et colloquium cum Parmenone inducitur: quem nuntium mittit ad Pamphilum: Pamphilique ad ultimum actio gratiarum apud ipſam Bacchidem. Docet autem Varro, neque in hac Fabula, neque in aliis eſſe mirandum, quod Actus impares ſcenarum paginarumque ſint numero: quum haec diſtributio in rerum deſcriptione, non in numero verſuum conſtituta ſit; non apud Latinos modo, verum etiam apud Graecos ipſos.

IN PHORMIONEM.

QUUM Chremes Demiphonis frater, adſcito ſibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem ſe dici fecerat, duas eodem tempore habuiſſet uxores, Athenis divitem, pauperem Lemni: ex divite ſuſtulit filium, qui dictus eſt Phaedria: ex paupere furtim ſuſcepit atque educavit filiam, Phanium nomine, eamque conſilio cum fratre habito deſtinavit filio ejus Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis ſenes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad arceſſendam filiam, quae jam illinc cum matre navigaverat, occaſionem dederunt amandi adoleſcentibus: Nam ſtatim Phaedria Cithariſtriam ſub lenone coepit ardere: Antipho illam filiam patrui Phanium deſponſatam ſibi, neſciens neſcientem, mox ut Athenas venit, nec patrem reperit, falſa duplici ejus nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamavit: conſilioque et opera Paraſiti, ſecundum leges Athenienſium, quaſi ſibi cognata eſſet, tanquam in jure victus et velut coactus, eam accepit uxorem per abſentiam patris. Qui quum adveniſſet, et vellet eam expellere: primo confutatur

futatur per impudentiam Paraſiti. Poſt cum ſuo fratre ſic decipitur, ut, dum eam credit ab Antiphone poſſe disjungi, eam Paraſitus ipſe ducat uxorem: et det ducturo xxx. minas praeſenteis dotis, puellae nomine: quas Phormio acceptas Phaedriae dedit: ille lenoni ad Cithariſtriam redimendam. Quibus geſtis tandem Chremes agnoſcit filiam ſuam conjunctam eſſe fratris filio. Quare dum mutato conſilio xxx. minas a Phormione per rixam conatur exigere, per eundem proditus uxori ſuae Nauſiſtratae eſt: et factus libidinis reus, non ante veniam meruit a matrefamilias, quam et xxx. minarum, et amoris Cithariſtriae veniam dediſſet filio. Primus Actus eſt in colloquio Davi et Getae: per quos diſcit populus argumentum. Secundi Actus tenor continet adventum Senis turbulentum, et ejuſdem jurgium adverſus Getam et Phaedriam. Tertio Actui attribuitur litigium Senis et Phormionis: tum conſultatio cum advocatis: tum Antiphonis in ſcenam reditus, colloquiumque cum Geta: tum lenonis et Phaedriae colluctatio: tum adhortatio Getae de inveniendo argento ad redimendam Phaedriae Cithariſtriam. Quartum Actum iſta concelebrant: adventus Chremetis, ejuſdemque cum fratre deliberatio per errorem de ejicienda Phanio. Getae verba de fallendis ſenibus. Antiphonis oratio apud ſemet ipſum de amore tractantis. Getae rurſus cum ſenibus callida, et mox cum Antiphone de eadem cauſa ſimplex diſputatio: ſenum inter ſe colloquium de expulſione mulieris: et ad extremum verba Chremetis, agnoſcentis nutricem, ac per eam filiam ſuam cum Antiphone conjunctam. In quinto Actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine: et convenitur Nauſiſtrata, ut exire domo compellat Phanium. Nuntiatur Antiphoni et Phormioni per Getam, Phanium a patre agnitam, permiſſamque ut uxor habeatur. Quae quum ita nupta ſit, expoſcitur argentum a Phormione per rixam ſenum: a quibus ille oppreſſus, rem omnem aperit Nauſiſtratae. ad quod primum irata, ut in tali re, uxor mox lenitur in fine Fabulae, et tutiſſimum a patris iracundia praeſtat Phaedriam.

* * * * * * * * * *

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NActus quoſdam Mſſ. & editos Codices, parte Commentarii jam profligata, quod in Praefatione monui, continuo impetum cepi, ſingula eorum ad vulgatam lectionem cum cura contendere, & quae opere jam typis exſcripto obſervaveram, ſuis quaeque locis inſerere. Simul occaſio nata, quae Cl. Viro, Franciſco Hare ad Afrum obſervata ſunt, ad examen revocandi. Quae ex Editione Bentleiana, prelo Wetſteniano commiſſa vidi, horum, ubi commodum erat, mentionem feci. In Donato reſtituendo novam mihi opem prae ceteris tulerunt bini Codices, Mſ. alter Boendermakeri, alter editus antiquiſſimus & fortaſſis princeps, e Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Du Bois. Utraque ADDENDORUM nomine Commentario & Indicibus ſubjungere viſum fuit. Quid ſeu in ipſo Comico, ſeu in ejus Interprete porro illuſtrando praeſtitum ſit, tuum, Erudite Lector, judicium eſto. Quae vero poſt aſſiduam & ſummam curam ſeu noſtro, ſeu operarum errore, ut ſunt humana, irrepſerunt mendae, eas iſtiuſmodi eſſe confidimus, ut facili negotio deprehendi & emendari queant. Quae inſigniores videbantur, partim in ADDENDIS indicare, partim hic ſubjicere viſum fuit.

ERRATA.

IN TERENTIO.

Pag. 292. *lin.* 1. *lege*, *Pa.* Quid.
339. *lin.* 4. quod dicam. *lege*, quid dicam.
409. *lin.* 4. *Th.* Eho! *lege*, *Py.* Eho!
457. *lin.* 1. cui *lege*, cur.
506. *lin.* 5. Clin. *lege*, Clit.
545. *lin.* 3. ſit *lege*, fit.
561. *lin. ult.* quid iam *lege*, quod tam.
743. *lin. ult.* eſt ortum? *lege*, eſſe ortum?
970. *lin. ult.* hanc ſuſpicari *lege*, hunc ſuſpicari.

IN DONATO vel CALPHURNIO.

Pag. 387. *Col.* 1. *lin.* 6. *dele alterum* non.
400. *Col.* 1. *lin.* 10. rerum *lege*, reum.
509. *Col.* 1. *lin.* 10. expurgendam, *lege*, expurgandam, *vel potius*, expingendam.
728. *Col.* 1. *lin.* 4. *τῶ γᾶς*, *lege*, *τᾶς γᾶς*.
1112. *Col.* 2. *lin.* 3. ALICINDE, *lege*, ALICUNDE.
Ibid. lin. 7. FACALEUS *lege*, FACILIUS.

IN OBSERV. IN DONAT.

Pag. 143. *Col.* 1. *lin.* 1. *Ἕνδει lege*, *Ἔνδει*.
172. *Col.* 2. *lin.* 3. Adone *lege*, Adeone.
317. *Col.* 2. *lin.* 5. Sc. III. 8. *lege*, III. 3. 9.
365. *Col.* 2. *lin.* 6. dubitas, *lege*, dubites.
371. *Col.* 1. *lin. ult.* delegens, *lege*, delegeris.
673. *Col.* 1. *lin.* 8. in Monoſyll. *lege*, Griph. 65.

IN COMMENT.

Pag. 35. *Col.* 2. *lin.* 16. *ἀοδᾶς lege*, *ἀοιδᾶς*.
65. *Col.* 2. *lin.* 11. *θίρας lege τίρας*.
145. *Col.* 1. *lin.* 2. *a fine* Jug. 52. *lege*, Catil. 52.
185. *Col.* 1. *lin.* 1. Fam. *lege*, Fam. VII. 5. & 19.
202. *Init. Comment.* OBSERV. IN DONAT. *lege*, COMMENTARIUS.
272. *Col.* 2. *lin.* 13. Joh. Bernh. *lege*, Bernh. Henr.
542. *Col.* 1. *lin. ult.* *βαρεῖ lege*, *βαθεῖ*.
518. *Col.* 2. *lin.* 14. *Χ᾽οὐδὲν lege*, *Κοὐδέν*.
622. *Col* 2. *lin.* 19. dicat *lege*, dicunt.
753. *Col.* 2. *lin.* 13. Donatum *lege*, Donatus.
899. *Col.* 1. *lin.* 3. partem *lege*, partum.
1041. *Col.* 2. *lin.* 16. cita, *lege*, citat.
1076. *Col.* 1. *lin.* 2. luduum, *lege*, ludum.
1112. *Col.* 2. *lin.* 10. foenarerent, *lege*, foenerarent.
1119. *Col.* 2. *lin.* 3. *a fine dele*, Eun. IV. 4. 14.
1168. *Col.* 1. *lin.* 9. *Πάνταν lege*, *Πάντων*.
1196. *Col.* 1. *lin.* 7. *a fine* Menandrum, *lege*, Apollodorum.
1215. *Col.* 2. *lin.* 4. ollium *lege*, allium.
1231. *Col.* 1. *lin. ult.* Scholis *lege*, Scholiis.

IN EUGRAPHII COMMENT.

Pag. 3. *Col.* 1. *lin.* 5. *a fine* exo-luit *lege*, exol-vit.
24. *Obſerv. ult. lege*, Hoc eſt, dicta dicere, maledicere.
62. *Col.* 1. *lin.* 17. repetit, *lege* reperit.

IN OBSERV. LINDENBR.

Pag. 112. *Col.* 2. *lin.* 22. *dele*, Miſer homo eſt.
143. *Col.* 1. *lin.* 15. pereat, *lege*, pereant.

P. TE-

P. TERENTII
ANDRIA.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, M. FULVIO ET M. GLABRIONE AEDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, ET L. ATTILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII FILIUS, TIBIIS PARIBUS, DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA. EDITA M. MARCELLO ET CN. SULPICIO COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.

BYRRHIA, *ſervus Charini.*

CHARINUS, *adoleſcens, amans Philumenam.*

CHREMES, *ſenex, pater Philumenae.*

CRITO, *hoſpes ex Andro.*

DAVUS, *ſervus Simonis.*

DROMO, *lorarius.*

GLYCERIUM, *quae & PASIBULA, amica Pamphili, filia Chremetis.*

LESBIA, *obſtetrix Glycerii.*

MYSIS, *ancilla Glycerii.*

PAMPHILUS, *adoleſcens, filius Simonis:*

SIMO, *ſenex, pater Pamphili.*

SOSIA, *libertus Simonis.*

PERSONA MUTA.

ARCHILIS, *ancilla, adſtetrix Glycerii.*

Digitized by Google

C. SULPITII APOLLINARIS
P E R I O C H A
IN TERENTII ANDRIAM.

SORORĒM falſo creditam meretriculae,
Genere Andriae, Glycerium vitiat Pamphilus:
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem ſibi
Fore hanc; nam aliam pater ei deſponderat,
Gnatam Chremetis: atque ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias; cupiens, ſuus
Quid haberet animi filius, cognoſcere.
Davi ſuaſu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recuſat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium inſperato agnitam
Hanc Pamphilo dat, aliam Charino conjugem.

AELII

Digitized by Google

AELII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMAE,

PRAEFATIO IN ANDRIAM TERENTII.

COmoedia ANDRIA, cum Palliata ſit, de loco nomen accepit, a Menandro prius, et nunc ab ipſo Terentio: qui, cum de Chryſide loqueretur, ſic ait: *Hei, vereor, ne quid Andria apportet mali.* et hoc commune vocabulum eſt et in Graeca, et in Latina lingua. Haec majori ex parte Motoria eſt; continetque actus amatorum adoleſcentium, et patrum piorum. Sunt ibi callidi ſervi, aſtutae ancillae, ſeveri ſenes, adoleſcentuli liberales. In hac, primae partes ſenis Simonis ſunt, ſecundae Davi, tertiae Chremetis, et deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, et in adverſarios non mediocriter exaſperatus, ſed tamen id ſubtiliter, ut omnia laceſſitus facere videatur, ac dicere. Hic protaſis ſubtilis, epitaſis tumultuoſa, cataſtrophe pene tragica; et tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Haec prima acta eſt ludis Megalenſibus, M. Fulvio, et M. Glabrione, Aedilibus Curulibus. Egerunt L. Attilius Praeneſtinus, et L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus, dextris et ſiniſtris. Et eſt tota Graeca, edita M. Marcello, et CN. Sulpicio Coſſ. Pronunciataque eſt ANDRIA TERENTII, ob incognitum adhuc nomen Poëtae, et minoris apud populum auctoritatis, ac meriti. Diverbiis aut canticis lepide diſtincta eſt: et ſucceſſu ſpectata proſpero, hortamento Poëtae fuit ad alias conſcribendas. Initium autem προτατικὸν πρόσωπον, id eſt, adventitiam perſonam recepit Soſiae, propter evolvendam argumenti obſcuritatem. Perſona autem protatica ea intelligitur, quae ſemel inducta in principio Fabulae; in nullis deinceps Fabulae partibus adhibetur. * Adnotandum ſane, puellarum liberalium nullam orationem in proſcenio induci, in Comoedia Palliata, praeter invocationem Junonis Lucinae; quae et ipſa quoque poſt ſcenam fieri ſolet.

* ADNOTANDUM SANE, PUELLARUM.] *Falſum eſt, quod hoc loco monet Donatus, puellas liberales nuſquam in Palliata Comoedia loqui: loquitur enim in Heautont. Antiphila, in Plauti Curculione Planeſium, in Epidico virgo illa Stratippoclis, aliae alibi.*

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

CHremes & Phania fratres Athenienſes fuerunt. Eorum Chremes profecturus in Aſiam, Paſibulam filiolam, quam tum unicam habebat, fratris fidei credidit. Profecto eo, contigit, ut in Graecia magni bellorum motus excitarentur; quos fugiens Phania, quum, impoſita ſecum in navim puella, ad fratrem iter cepiſſet, vi tempeſtatis fracta navi, apud Andrum inſulam ejectus eſt. Ibi applicat ſe ad Andrium quendam, hominem haud magna in re: a quo tamen benigne humaniterque exceptus, non ita multo poſt moritur. Hoſpes Andrius relictae apud ſe puellae commutat nomen, & pro Paſibula Glycerium nominat; quumque per aliquot annos eam cum filia Chryſide, pari utram-

utramque ſtudio, educaſſet, decedit ipſe quoque de vita. Chryſis, quae ſe & orbam & inopem videret, abrepta ſecum Glycerio, Atheuas navigat: ubi quum aliquamdiu vitam lana telaque toleraſſet, ad poſtremum, adoleſcentum blanditiis & pollicitationibus victa, quaeſtum corpore facere incepit. Ventitabat ad eam inter caeteros Pamphilus, Simouis filius, probus & liberali praeditus ingenio adoleſcens; qui non Chryſidis ille quidem, ſed ipſius Glycerii mirifico quodam amore percuſſus, primus, ſolusque cum ea rem habuit, fidemque jam gravidae dedit, eam ſibi uxorem fore. Suſceperat & poſtea Chremes aliam filiam, Philumenam nomine, eamque (jam enim nubilis erat) Pamphilo, boua adoleſcentis impulſus fama, collocare cupiebat. Quid multa? ultro ad Simouem venit, cum eo negotium conficit. Inſcio Pamphilo, de communi ſenum ſententia, faciundis nuptiis conſtituitur dies. Adhuc haec erant, quum Chryſis moritur. Ibi primum Simo de filii amore cognovit: nam cum ambo una in funus prodiiſſent, accidit, ut, poſita in ignem Chryſide, Glycerium ſe, prae doloris impatientia, eodem conjectura videretur. Adcurrit Pamphilus, eamque mediam amplexus, ita conſolari coepit, ut plurimas minimeque dubias totius rei ſignificationes daret. Itaque venit ad Simonem poſtridie Chremes, conditionem renuuciat: comperiſſe ſe, Pamphilum peregriuam illam habere in uxoris loco; neſcius, ex ſe uatam eſſe eam, quam ita coutumeliae cauſſa peregrinam uominaret. Gaudere, ea re intellecta, Pamphilus: dolere contra, ac riugi Simo. Adveuit interea dies, qui uuptiis initio fuerat praeſtitutus. Simo, veteratoria quadam calliditate, ſimulandas ſibi, ad pertentandum filii auimum, nuptias ſtatuit: hoc cogitans, ſi abnueret filius, veram ſibi objurgaudi illius cauſſam fore; quae ad eum diem nulla ſatis juſta fuerat: ſin annueret, facile ſe, quod vellet, a Chremete impetraturum; atque ita veras nuptias, Diis adjuvautibus, factum iri. Praeteriens igitur apud forum, ſecuro jam, & nihil tale metuenti filio, Pamphile, inquit, abi domum, ac Deos comprecare; uxor tibi ducenda hodie eſt. Hoc dicto, velut improviſo quodam jaculo, ſauciatus adoleſcens, quid ageret, aut quid conſilii caperet, neſciebat: quum ad eum Davus, vaſro admodum, ac verſuto iugenio ſervus, auimadverſa ſenis aſtutia, accurrit. Erat tum una cum Pamphilo Charinus, qui adoleſceus miro quodam amore Philumenae incenſus, fruſtra ſaepe tentatis illius nuptiis, ad poſtremum audito eam eo die uupturam Pamphilo, in ſummam deſperationem adductus, eum orabat, ſi ſe ſalvum vellet, ut vel eam ne duceret, vel ſaltem nuptiis dies aliquot produceret. Pamphilus eum ſua quidem cauſſa bono eſſe animo, atque omnia ad impediendas uuptias moliri jubebat: ſe, quantum iu ſe eſſet, effecturum, ea ut ne daretur ſibi. Adveuiens, ut dixi, Davus, Chariuum, jam ſpei plenum, abire ad ambieudos ſenis amicos jubet: deinde ſeorſum Pamphilo conjecturas ſuas aperit, perſuadetque, ut patri dicat, ſe paratum eſſe uxorem ducere; nam eo pacto, inquit, & patri omnem jurgaudi occaſionem praecideris, & uou erit tamen vereudum, ue nuptiae fiant: uumquam enim Chremes tibi, ſemel repudiato, filiam ſuam iterum commiſſurus eſt. Haec ita de ſervi conſilio acta, longe aliter cecidere, ac putabantur: exorat enim Chremetem Simo. Ita res in verarum nuptiarum diſcrimen adducitur. Forte eo ipſo die Glycerium, exactis temporibus, puerum peperit: eum puerum Davus, quum aliter nuptias diſturbare nou poſſet, prae foribus aedium Simonis ab ancilla collocandum curat. In eum quum iucidiſſet Chremes, & e Pamphilo natum eſſe cognoſſet, rurſum abducit animum a nuptiis. Turbae maximae concitantur: donec advenit Crito Andrius, qui, quod Chryſidi geuere proximus fuiſſet, ad cernendam illius haereditatem Athenas venerat. Ejus interventu Chremes filiam aguoſcit. Ita, ſumma omnium laetitia, Charino Philumena, Glycerium Pamphilo nubit.

PUBLII



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI
Digitized by Google

PUBLII TERENTII CARTHAGINIENSIS ANDRIA.

PROLOGUS.

POETA, quum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id

DONATI.

POETA QUUM PRIMUM ANIMUM AD SCRIBENDUM APPULIT.] Principium factum eſt à commendatione perſonae, quod prudens, quod honeſtus *Terentius*. Et honore majore *Poëtam* potius, quam *Terentium* dixit: ut illum hoc ipſo, de quo laborat, nomine ornaret. POETA QUUM PRIMUM.] Omnis hujus prologi intentio hoc agit, ut novo Poëtae veniam paret, & veteri odium: & ut, quam maxime modeſtum minimeque errantem *Terentium* probet. POETA QUUM PRIMUM ANIMUM AD SCRIBENDUM APPULIT] Senſus hic eſt: Propoſuerat quidem Poëta noſter, ut in Prologis argumenta narraret: ſed hoc imputat *Lucio Lavinio* adverſario, qui eum facere non permiſit, quod propoſuerat; maledictis ſuis ad reſpondendum eundem provocans. APPULIT.] *Appellere* proprie dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus acceſſerit. [1] *Virgilius*:

Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.

APPULIT.] In ſecunda lectione ATTULIT fuit, ſed APPULIT magis: nam poſtea ſic, *Animum ad uxorem appulit.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius.*] Locus eſt Aeneid. III. 715.

COMMENTARIUS.

1. ANIMUM AD SCRIBENDUM APPULIT] Metaphoram eſſe, deſumtam ab iis, qui ex pelago aut freto ad littus acceſſerunt, recte notavit Donatus. Eadem tranſlatione Noſter uſus infra II. 6. 15.

Animum ad uxorem appulit.

Et navis fracta ad ſcopulum *appelli* dicitur. Cicero de Orat. II. 37. *Valde hercle, inquit Catulus, timide, tanquam ad aliquem libidinis ſcopulum, ſic tuam mentem ad Philoſophiam* appuliſti. Imitatus Plautus Bacchid. III. 1. 10.

Quibus patrem & me, teque amicoſque omnes
affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere *&*
perdere.

Queritur paedagogus de herilis filii nequitiis. Subinnuit autem Prologus, Poëtam aliquandiu incertum conſilii fuiſſe, qua via potiſſimum ad gloriam contenderet; demum ſtetiſſe ſententiam, animum ad ſcribendas fabulas appellere. Ita quibus conſilium pectore nondum conſiſtit, ſeu, qui futurae ſortis ſuae ſunt neſcii, eadem metaphora *fluctuare*, & *fluctuari animo*, ſed & *aeſtuare* & *jactari* dicuntur.

AD SCRIBENDUM] Proprie de Poëtis. Adelph. Prol. 1.

Digitized by Google

Id ſibi negoti credidit ſolum dari,
Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit:

Nam

DONATI.

2. In NEGOTI.] Modo pro moleſtia & cura; non labore.

3. POPULO UT PLACERENT.] *Ut*, ne non ſignificat; nec eſt modo conjunctio. FABULAS.] Ad FECISSSET retulit FABULAS, non ad PLACERENT. Et eſt figura ſyllepſis. FECISSET.] Bene *feciſſet*, non *ſcripſiſſet*. Unde & Poëtae *ἀπὸ τοῦ ποιεῖν*, id eſt, à faciendo dicti ſunt. Sic [2] *Virgilius*:

Pollio & ipſe facit nova carmina.

4. VERUM ALITER EVENIRE MULTO INTELLIGIT.] Sic [3] *Virgilius*:

-- *Major rerum mihi naſcitur ordo.*
Majus opus moveo. ----

Non enim hoc ſe elegiſſe dicit, ſed quaſi ex of-

OBSERV. IN DONAT.

2. *Virgilius.*] Ecl. III. 86.

3. *Virgil.*] Aeneid. VII. 44. 45.

COMMENTARIUS.

Poſtquam Poëta ſenſit, ſcripturam *ſuam*
Ab iniquis obſervari.

Ibid. v. 16. Vide porro Prologos reliquarum Fabularum. Cicero pro Arch. cap. 3. *Nam ut primum ex pueris exceſſit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad* ſcribendi *ſtudium contulit.* Horat. Serm. I. 10. 72.

Saepe ſtilum vertas, iterum, quae digna legi ſint,
Scripturus.

2. ID SIBI NEGOTII CREDIDIT SOLUM DARI] Quum heri ſervis, magiſtratus civibus dicantur *negotium dare*, poſſit videri Terentius, ſi minus Scipionem & Laelium, certe Aediles & *πέντε κριτὰς τῶν κωμικῶν* intellexiſſe. De quibus Lindenbruchius ad h. l. Ita infra III. 2. 41. Davus ad Simonem:

Poſtremo id *mihi* da negotii.

Et V. 4. 50.

Davo ego iſtuc dedam *jam* negoti.

Salluſt. Catil. 40. *Igitur P. Umbreno cuidam* negotium dat. Suet. Aug. 40. Negotium *Aedilibus* dedit. Dicitur autem NEGOTIUM plerumque de re gravi, atque ad quam opus eſt multo labore & ſtudio. Unde Cicero Tuſc. I. 6. *Quid* negotii *eſt haec Poëtarum & Pictorum portenta convincere?* Ita quod facile fit, *nullo negotio* fieri dicitur. Sed Jureconſultis *Negotium dare* ſimplicem ſignificatum habet mandandi ſeu committendi. Vid. Paul. leg. 6. §. 1. D. Quod cuj. univ. nom. Ubi vero addit SOLUM, id vult, omnia ad favorem Populi eſſe relata. Unde adeo metri negligentior fuit. Sic Phaedrus de ſeſe, Lib. II. Prol. 6.

Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum.

3. POPULO UT PLACERENT] Pareus diſtinguit: ID SIBI NEGOTI CREDIDIT SOLUM DARI POPULO; UT PLACERENT. Additque, POPULO valere idem quod A POPULO. Dure, & praeter mentem, opinor, Poëtae. Ordo autem eſt, *ut* (fabulae) *placerent populo, quas fabulas feciſſet.* Sic Eun. IV. 3. 11.

Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit!

Cic. Fam. IV. 1. *Rem vides quomodo ſe habeat.* Ubi tamen alii *Res* legunt. Dicuntur autem PLACERE Fabulae, quum non exiguntur & exploduntur. Hec. Prol. II. 12.

Perfeci ut ſpectarentur. ubi ſunt cognitae,
Placitae ſunt.

Imitatus Horatius Carm. IV. 3. 24. ad Melpomenem:

Quod ſpiro, & placeo, *ſi* placeo, *tuum eſt.*

Suet. Ner. 42. *Cuidam Scenico* placenti *nuncium miſit, abuti eum occupationibus ſuis.*

FABULAS] Quemcumque ſermonem *Fabulam* primitus dixere veteres. Unde Plautinum, *Lupus in ſermone*, Terentius ita extulit, *Lupus in fabula.* Haeſit demum vox in ſermone anili & ficto. Unde quod ficta eſſent ludorum & dramatum argumenta, FABULAS appellari placuit. Vide porro G. J. Voſſii Etymol.

4. EVENIRE] Culpam omnem à ſe remoturus hoc

Digitized by Google

Nam in prologis ſcribundis operam abutitur;
Non qui argumentum narret, ſed qui malevoli
Veteris Poëtae maledictis reſpondeat.

Nunc,

DONATI.

ordine ipſo natum ſibi eſſe. INTELLIGIT.] Quod credimus, plerumque falſum; quod intelligimus, certum eſt. ALITER autem, contra ſignificat. [4] *Virgilius*:

Dis aliter viſum.

VERUM ALITER EVENIRE MULTO INTELLIGIT.] Adeo nec praeparaverat, nec intenderat quenquam laedere, ut ſpe falſus, laceſſituſque hoc faciat.

5. OPERAM ABUTITUR.] *Utimur* fructibus rei, [5] quæ ab amantibus ſalvo uſu nobis ſubminiſtratur: *Abutimur*, quando deperdimus & rem, & fructum. Nam uſui eſt ager, domus: abuſui vinum, oleum, & caetera hujuſmodi. *Cicero*: *Non debet* (inquit) *ea mulier, cui vir bonorum ſuorum uſum fructum legavit, cellis vinariis & oleariis plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. uſus enim, non abuſus, legatus eſt. ea inter ſe ſunt contraria.* [6] Haec in Top.

6. NON QUI ARGUMENTUM NARRET.] Quod vere prologi eſt officium. QUI.] Pro *ut*: ergo non eſt modo pronomen. SED QUI MALEVOLI VETERIS POETAE.] Primum à natura, MALEVOLI: deinde à tempore, vel ab invidia, VETERIS: a ſigno aemulationis, POETAE.

7. VETERIS.] *Vetus* plerumque ad laudem: inter-

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius.*] Aeneid. II. 428.

5. *Quae ab amantibus.*] Locum vitioſum pronunciat Lindenbruchius, citans e lib. Dan. *Quae amantibus*, Excerpt. Reg. *Quae a manentibus*. Boeclerus in Chreſtomath. v. *Abuti* itidem intactum reliquit. Mſ. Hulſt. & impreſſi veteres legunt, ut vulgo editur. Placet autem conjectura politiſſimi, mihique conjunctiſſimi viri, Abrahami Wielingii, verba corrupta ex ſiglis ita legentis & reſtituentis: QVOI. AP. A. MANSOL. VSVS. Quod eſt, *Quojus jure apud alium manente ſolius uſus nobis ſubminiſtratur*. Et ſane firmat hanc lectionem Iſidorus de Orig. V. 25. Donati verba, ut ſolet, ſua faciens. Erudite itidem legit vir doctiſſimus, *quum ea manente ſalva uſus nobis ſubminiſtratur*, quod optime & rei naturae & huic loco convenit.

6. *Haec in Top.*] cap. 1.

COMMENTARIUS.

hoc verbo utitur. Eveniunt enim fere, quae caſu vel divinitus citra culpam hominum accidunt. Sic infra V. 6. 3.

more hominum evenit.

Heaut. II. 3. 114.

Hic ſi quid nobis forte adverſi evenerit.

5. IN PROLOGIS SCRIBUNDIS] Recte hinc conficitur, jam ante ANDRIAM plures Prologos, atque adeo plures etiam Fabulas ſcripſiſſe Terentium.

OPERAM ABUTITUR] Id vult, ſe opera & ſtudio largiter eſſe uſum in refutando vetere Poëta. Plancus Ciceroni, Fam. X. 15. *Obſequioque meo, ſi ita faceret, ad omnes res* abuteretur. Idem Att. XII. 6. *Pro iſto aſſe ſole, quo tu* abuſus es *in noſtro pratulo, à te nitidum ſolem unctumque repetemus*. Unde eadem vox pro utendo conſuetiere uſurpatur. Cato R. R. 76. *Donec omne caſeum cum melle* abuſus eris. Plaut. Aſin. I. 3. 44.

AR. *Ubi illaec, quae dedi ante?* CL. abuſa.
nam ſi ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te, nunquam quidquam poſcerem.

Idem Perſ. II. 3. 10.

Nam hoc argentum alibi abutar.

Pareus ex Mſſ. Pall. OPARA tuetur. Sed & ita eſt in Mſ. Bodl.

6. QUI] Quum Pronomen hoc elegantem uſum habeat in cauſa reddenda, non placet cum Donato pro *ut* accipere. Sic Eun. Prol. 27.

Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia 'ſt
Poëtae; non qui *furtum facere ſtuduerit.*

Plaut. Bacchid. I. 1. 58.

Sumne autem nihili, qui *nequeam ingenio moderari meo?*

Virgil. Aeneid. XI. 218. de Turno:

Ipſum armis, ipſumque jubent decernere ferre;
Qui *regnum Italiae, & primos ſibi poſcat honores.*

h. e. utpote qui.

7. VETERIS POETAE] Pro Donati *Lucio Lavinio* Dacieria reponit Luſcium Lanuvinum. Quia

 vero

Nunc, quam rem vitio dent, quaeſo animum advortite.
Menander fecit *Andriam* & *Perinthiam:*
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita diſſimili ſunt argumento, ſed tamen

Diſſi-

DONATI.

interdum ad vituperationem, ut hic, & alibi, *Vetus, veternoſus ſenex.* VETERIS.] Pro carioſi & quaſi rancidi poſuit, atque ideo malevoli; non criminibus, ſed maledictis. Quid autem inter *maledictum* & *crimen* interſit, docet *Cicero* [7] in Tuſculanis. VETERIS.] Ratio invidiae. POETAE.] Cauſa inſectationis. MALEDICTIS.] Criminatio adverſarii. VETERIS POETAE.] Quia ſenex *Lucius* edebat fabulas, adoleſcentulo tunc *Terentio.* Et eleganter, MALEVOLI VETERIS POETAE MALEDICTIS: commendatio Poëtae à perſona adverſarii. RESPONDEAT.] Excuſatio reſpondentis, quod non obſiſtat, ſed reſpondeat.

8. NUNC QUAM REM VITIO DENT.] Utrum, nunc animadvertite, an, nunc vitio dent? Et oratorie quaſi multos facit, cum unum ſupra dixerit. Ut [8] *Virgilius:*

Deſiſte manum committere Teucris.

NUNC QUAM REM VITIO.] Propoſitio eſt. QUAM.] Qualem. VITIO DENT.] Vituperent, culpent. *Vituperare*, eſt mala vitio dare, & etiam bona. ADVORTITE.] Legitur & ATTENDITE. Unde manifeſtum eſt, & ADVERTITE, & ATTENDITE, non eſſe plenum, niſi addideris ANIMUM.

9. MENANDER FECIT ANDRIAM.] Narratio eſt. Et proprie FECIT. ſcribit enim *Terentius*, qui verba adhibet tantum: facit *Menander*, qui etiam argumentum componit. Sed ſaepe ad laudem *Terentii*, FECIT, pro eo, quod eſt, tranſtulit.

10. UTRAMVIS.] Prima ſcena Perinthiae pene iiſdem verbis, quibus Andria, ſcripta eſt; caetera diſſimilia ſunt, exceptis duobus locis, altero ad verſus XI. altero [9] ad verſus XX. qui in utraque fabula poſiti ſunt. [10] QUI NORIT UNAM, AMBAS NOVERIT.] Omnem rem uno verſu noverit. UTRAMVIS.] Deeſt *harum.*

11. NON ITA DISSIMILI SUNT.] Ordo, Ita non ſunt. Ergo *ita* ſubdiſtingendum: NON ITA DISSIMILI SUNT ARGUMENTO.] *Ita*, pro valde, & caute; potuit enim dici, Quomodo ergo ſunt duae diſſimili oratione? ITA.] Ne *Menandrum* culpare videatur, *Ita* adjunxit, quod laudis eſt. SED TAMEN.] Diſcretio eſt à ſuperioribus, & eſt [11] *ἀνακόλουθον*, non enim ſupra poſuit *quidem.*

OBSERV. IN DONAT.

7. *In Tuſculanis.*] Quid interſit inter *maledictum* & *crimen*, non memini me legiſſe in Tuſculanis Quaeſtionibus. Niſi forte è memoria laudavit Donatus locum, qui eſt Tuſc. IV. 15. ubi ita Cicero: *Hujus igitur virtutis contraria eſt vitioſitas; ſic enim malo quam malitiam appellare. Nam* malitia *certi cujuſdam vitii nomen eſt*, vitioſitas *omnium.*

8. *Virgilius.*] Aeneid. XII. 60.

9. *Ad verſus XX.*] In antiquis Codicibus impreſſis eſt, *ad verſus XII.*

10. *Qui norit unam.*] Legendum: *Qui utramvis norit.* Sunt enim verba ipſius Comici.

11. *Ἀνακόλουθον.*] Ita infra I. 1. 67. & Phaed. IV. 5. 4.

Aegre recepti tamen *evaſerunt necem.*

COMMENTARIUS.

vero calor poëticus juventuti magis eſt proprius, *veterem* per convicium dixit. Quod & facit in Prologis Heaut. & Phorm.

9. PERINTHIAM] Dictam à muliere, quae ex Perintho Thraciae urbe venerat Athenas. Uti mulier ex Andro inſula ANDRIAE nomen fecit.

12. DISSIMILI ORATIONE SUNT FACTAE AC STILO] Vulgo cum Donato ita diſtinguit Interpretum chorus, ut *oratio* notet *διάνοιαν*, *ſtilus λέξιν*. Cicero Bruto 45. *Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene Attico* ſtilo *ſcriptae eſſe videantur.* Phaed. III. Prol. 39.

Librum exarabo tertium Aeſopi ſtilo.

Poſſit & Hendiadys videri, ut ſenſus ſit, *Diſſimili*

Diſſimili oratione ſunt factae, ac ſtilo.
Quae convenere in Andriam, ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe, atque uſum pro ſuis.
Id iſti vituperant factum; atque in eo diſputant,

DONATI.

12. ORATIONE AC STILO.] *Oratio* in ſenſu eſt, *ſtilus* in verbis. *Oratio* ad res refertur, *ſtilus* ad verba. *Stilus* non eſt [11] in tempore, ſed [12] prolata oratione. *Oratio* autem eſt & in cogitatione, & in prolatu. Orationem in ſententiis dicunt eſſe, ſtilum in verbis, argumentum* in rebus. Ergo [14] in poëmate oratio eſt.

13. QUAE CONVENERE IN ANDRIAM.] Apparet, non de induſtria, ſed caſu eſſe tranſlata ea, quae de Perinthia in Andriam eodem ſenſu, iiſdemque verbis perſcripta fuerunt. QUAE CONVENERE IN ANDRIAM.] Unam ergo, non duas tranſtulit. QUAE CONVENERE IN ANDRIAM.] Quae apta & commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Graecam, fatetur tranſtuliſſe. Sed quare ſe onerat *Terentius*, cum poſſit videri de una tranſtuliſſe? Sic ſolvitur: Quia conſcius ſibi eſt, primam ſcenam de Perinthia eſſe tranſlatam, ubi ſenex ita cum uxore loquitur, ut apud *Terentium* cum liberto: at in Andria *Menandri*, ſolus ſenex eſt.

15. ID ISTI VITUPERANT FACTUM.] *Iſti*, ad reprehenſionem ſumitur perſonae: interdum rei reprehenſionem ſignificat: ut [15] *Virgilius:*

— Quid petis iſtis?

VITUPERANT.] Vitium rei parant. DISPUTANT.] Immorantur, calumniantur, argumentantur.

OBSERV. IN DONAT.

12. *In tempore.*] Videtur ex compendio ſcribendi ipre ignorantia Librariorum natum illud *tempore*, quum notaret *ipſa re.* Et crediderim ſane id voluiſſe Donatum, in ipſa re non eſſe ſtilum. Unde mox addit, argumentum eſſe in rebus. Tum aliena eſt in hoc negotio temporis mentio, ne dicam abſurda.

13. *Prolata oratione.*] Mſ. Hulſt. *probatione.* an, *proba oratione?* Lindenbruchius ex ſuo Mſ. citat, *probata oratione.* Mihi lectio vulgata tuenda videtur, tanto magis, quod continuo addit Interpres: *Oratio autem eſt & in cogitatione, & in prolatu.* Quae verba aliter legi ſalvo ſenſu nequeunt.

14. *In poemate oratio eſt.*] Mſ. Hulſt. *Et poema oratio eſt.* quomodo & in Excerpt. Reg. & Dan. legi teſtatur Lindenbruchius. Malim: *ergo & in poemate.*

15. *Virgilius.*] Aeneid. XI. 94.

COMMENTARIUS.

mili oratione ſunt ſcriptae. Sic Phorm. Prol. 5.

Tenui eſſe oratione *&* ſcriptura *levi.*

13. QUAE CONVENERE IN ANDRIAM, EX PERINTHIA FATETUR TRANSTULISSE] Ita diſtinxi cum Donato. Vulgo:

Quae convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe.

Scilicet quum Terentius binas Menandri Fabulas, ANDRIAM & PERINTHIAM in unam ANDRIAM eſſet redacturus, mutuatus eſt EX PERINTHIA, quaecunque exiſtimaret convenire IN ANDRIAM ſuam. Eadem conſtructionis ratio eſt Heaut. V. 1. 3.

In me *quidvis harum rerum* convenit.

Cicero pro Roſc. 23. *Erat porro nemo*, in quem *ea ſuſpicio* conveniret. Poſt TRANSTULISSE autem repetendum ἀπὸ κοινοῦ, IN ANDRIAM. Eun. Prol. 31.

eas ſe non negat
Perſonas tranſtuliſſe *in* EUNUCHUM *ſuam.*

Cicero Fam. III. 8. *Ut de tuo edicto totidem verbis* transferrem *in meum.* Unde vulgo perperam *transferre* pro *vertere* uſurpant.

14. USUM PRO SUIS] Id vult, ita iis uſum Poëtam, quaſi non Menander, ſed ipſe primus eorum auctor eſſet. Aliter Cicero Offic. III. 14. *Venales quidem ſe hortos non habere, ſed licere* uti *Canio, ſi vellet*, ut ſuis.

15. IN EO DISPUTANT] Uſitatiſſime *Diſputare* notat diſſerere & ſermocinari, etiam nullo contradicente. Unde *Diſputationes* ſunt ſermones, quos vulgo *Diſcurſus* vocant. Juſtin. XX. 4. Dicitur autem Latine, *diſputare rem*, *ad rem*, *de re*; rarius, *diſputare in aliqua re.* Eadem ratione dixit Cicero Fam. VI. *Qua in re tibi gratulor.* Et Nepos Att. 11. *Cavit, ne qua in re jure plecteretur.* Virgil. Aeneid. X. 446.

Miratus ſtupet in Turno.

Contaminari non decere fabulas.
Faciunt, nae, intelligendo, ut nihil intelligant;
Qui cum hunc accuſant, Naevium, Plautum, Ennium
Accuſant; quos hic noſter auctores habet:

Quo-

DONATI.

16. CONTAMINARI.] Proprie *contaminare* eſt, manibus luto plenis aliquid attingere. [16] & *contaminare* attingere eſt & polluere. [17] *Virgilius.*

Linquere pollutum hoſpitium.

id eſt, contaminatum. CONTAMINARI.] Tangi & relinqui polluta manu, ac per hoc velut foedari aut maculari. ut ipſe ait: *Ne hoc gaudium contaminet vitam aegritudine aliqua.* CONTAMINARI NON DECERE.] Id eſt, ex multis unam non decere facere.

17. FACIUNT NE.] *Ne* quidam corripiunt, & cum interrogatione pronuntiant; quidam producunt. Quorum alii *ne* pro *nec* accipiunt, id eſt, non. Alii *ne* pro valde, nimis, multum, plurimum. ut: *Ne ego homo ſum infelix.* Et [18] *Cicero: Ne illi vehementer errant.* Et hoc melius: nam ſtatim infert,

18. QUI CUM HUNC ACCUSANT, NAEVIUM, PLAU-

OBSERV. IN DONAT.

16. *Et contaminare attingere eſt & polluere.*] Mſ. Hulſt. *contaminare & contingere eſt & polluere.* rectius, opinor.

17. *Virgilius.*] Aeneid. III. 61.

18. *Cicero.*] Catil. II. 3.

COMMENTARIUS.

Sed & τὸ *diſputare* ad cogitationem ſolam refertur. Plaut. Moſtell. I. 2. 3.

in meo corde, ſi quod eſt mihi cor,
Eam rem volutavi; & diu diſputavi.

16. CONTAMINARI NON DECERE FABULAS] Tan. Faber, Daciera, Farnabius, alii, CONTAMINARI exponunt *miſceri* & *confundi.* Praeivit Donatus, modo *pollui*, modo *ex multis unam fieri* exponens. Mihi eſt *mutilari.* Facit huc locus, quem fruſtra pro ſe adducit Farnabius, Heaut. Prol. 17.

Multas contaminaſſe *Graecas, dum facit*
Paucas Latinas.

Eodem ſenſu valde proprie dixit Horatius Carm. I. 37. 9.

Contaminato *cum grege turpium*
Morbo virorum.

id eſt, ſpadonibus, quibus integritatis teſtes non ſunt, ut loquitur Phaedrus. Tum *integrum* diſerte opponit *contaminato* Noſter, infra 26.

Poſthac quas faciet de integro *Comoedias.*

Ad quae verba Donatus: *An denuo? An ex integris Graecis?* Et Cicero Top. 18. anteponit *integra contaminatis.* Contaminabat igitur Terentius Fabulas, transferens ex Perinthia, quae in Andriam convenire credebat. Pro DECERE autem in quibuſdam Mſſ. eſt DEBERE.

17. FACIUNT, NAE, INTELLIGENDO, UT NIHIL INTELLIGANT] Illuſtriſſimus Vir, Joſephus Scaliger ad Propert. IV. 2. 68. legebat,

Faciunt, ne intelligendo ut nihil intelligant.

Quaſi duae negativae unius vicem ſuſtineant. Duriuſcule, ſi quid video. Turnebus mallet interrogative,

Faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant?

Quo modo tamen plures jam dudum ante eum legiſſe, Guido Juvenalis auctor eſt. Quin jam Donati aetate ita à quibuſdam lectum, palmario argumento utitur Turnebus, quod τὸ NAE, formatum è Graeco Ναὶ, ſit fere initiale. Contrarium autem eſt vel Heaut. V. 1. 45.

At, nae, illud haud inultum, ſi vivo, ferent.

Cum Turnebo tamen videntur facere Tanaq. Faber, & Dacieria. Gravior autem erit ſententia, ſi legas, ut edidi, utque eſt in vulgatis. Latiniſſime porro dixit, *Faciunt, ut nihil intelligant*, pro eo, quod eſt ſimpliciter, *nihil intelligunt*, phraſi Ciceroni amata. Noſter Heaut. II. 2. 3.

faciam,
Ut tibi concedam.

vide Boecleri Chreſtomath. Eſt vero ὀξυμώρῳ ſpe-

Digitized by Google

Quorum aemulari exoptat negligentiam
Potius quam iſtorum obſcuram diligentiam.
Dehinc ut quieſcant, porro moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.
Favete, adeſte aequo animo, & rem cognoſcite,

Ut

DONATI.

Plautum, Ennium accusant.] In ſingulis magna emphaſis auctoritatis: ſed ordo non eſt ſervatus. *Ennius* namque ante *Plautum* fuit: ſed quod eſt ſummae auctoritatis, *Ennium* ultimum dixit. Qui cum hunc] *Terentium*, inquit, ſpecialiter accuſantes, neſciunt ſe bonis omnibus maledicere, quos ille imitatur. & argumentum eſt ab exemplo & auctoritate.

22. Dehinc ut quiescant.] Recte; [19] nam *quieſcere* ille dicitur, qui eſt inſolens & inquietus. Porro.] In futurum, dixit. Moneo.] Terribiliter dixit. [20] *Cicero: Moneo, praedico, ante denuncio.* Liberatus culpa [21] etiam terret, alibi etiam criminaturus adverſarios.

24. Favete.] Jam ad [22] auditores convertitur, à quibus favorem captat. Favete.] Quaſi dicat, Hoc adverſarii faciunt. Vos autem, quod

OBSERV. IN DONAT.

19. *Non quieſcere ille dicitur.*] Mſ. Hulſt. *Non quieſcere ille dicitur.* Placet vero obſervatio Lindenbruchii, ex Mſ. citantis: *Nam* quiesce *illo dicitur.*
20. *Cicero.*] Verr. I. 12.

21. *Etiam terret.*] Mſ. Hulſt. *Liberatus culpe enim reſpondet.* Non male; niſi quod praeſtare videtur, *Liber à culpa.*
22. *Auditores.*] Malim, *Spectatores*. Certe quidem hanc vocem hoc loco habet paraphraſis Guidonis Juvenalis.

COMMENTARIUS.

ſpecies; quales illae, infra II. 1. 14.

id aliquid nihil eſt.

Eun. I. 1. 18.

ut cum ratione inſanias.

Cicero Orator. III. 58. *Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis.* Eadem ratione Graeci *γάμον ἄγαμον, δῶρα ἄδωρα* dixere.

19. Auctores habet] H. e. Ita ſibi praeeuntes, ut eorum veſtigiis tuto inſiſtere queat. Eſt autem *Auctor*, peculiari quadam notione apud JCtos, qui ita nos auxit, ut inde jus quoddam in nos tranſeat. Neque aliena haec ſignificatio videtur ab hoc loco. Unde Heaut. Prol. 20.

Habet bonorum exemplum, quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

Horat. lib. 1. Sat. 4. 122.

Ut facerem quid: habes auctorem, *quo facias hoc.*

20. Negligentiam] Illius ſcilicet legis, quam ferre videbatur vetus Poëta, quaſi non deceat aut fas ſit contaminare Fabulas aliorum, ſcribendo novas. Unde autem ſua hauſerint Naevius, Plautus, Ennius, quum Terentii aetate fortaſſe conſtaret, noſtra minus conſtat, ob tantum vetuſtiſſimorum Scriptorum naufragium. Niſi forte Ennius, qui fuit major natu, quam Plautus & Naevius, auctorem habuit Livium Andronicum. Hic certe quidem primus Fabulam dedit anno ante natum Ennium, qui erat U. C. fere ccccx. Ipſe vero Livius poterat jam conſulere ſcripta Menandri, Euripidis, Sophoclis, Heſiodi, Homeri. Vide Cic. Tuſc. Quaeſt. I. 1. Gell. XVII. 21.

21. Obscuram diligentiam] Intelligit ignobilem, & quae auctoritate exemplisque veterum careat, quibus ſe praeſtare contendit, laudi ſibi ducens, quod iſti in vitio ponebant.

22. Moneo] Comminandi vim habet. Sic Eun. Prol. 16. *Is ne erret*, moneo, *& deſinat laceſſere.*

Desinant maledicere, malefacta ne noscant sua] Scilicet id ſibi juris ſumebant veteres. Unde Crito conviciis proſciſſus à Simone, infra V. 4. 17.

Si mihi pergit quae vult dicere, ea quae non vult audiet.

Phaed. I. 26. 1.

Nulli nocendum. ſi quis vero laeſerit,
Mulcandum ſimili jure, fabella admonet.

Ibid. 12.

Sua quiſque exempla debet aequo animo pati.

24. Adeste] Non tantum cauſarum Patroni, ſed

Ut pernoſcatis, & quid ſpei ſit relliquum,
Poſthac quas faciet de integro Comoedias,

Spectan-

DONATI.

quod in vobis eſt, FAVETE. Vos ergo favorem facite. Et ADESTE, non ut abſentibus dicit, quippe qui corporibus praeſto erant: ſed, intenti eſtote, favete, ſilete. Sic & Pontifices dicunt, *Favete linguis. Favete verbis.* [23] Unde *Virgilius:*

Ore ſavete omnes.

ADESTE.] Animis ſcilicet auxilium praebete: ut advocatus reo dicitur ADESSE. AEQUO ANIMO.] Ab honeſto. ET REM COGNOSCITE] A juſto. COGNOSCITE.] Pernoſcite. Sic dixit, COGNOSCITE UT PERNOSCATIS, quemadmodum in Hecyra:

Orator ad vos venio ornatu prologi,
Sinite exorator ut ſim.

25. UT PERNOSCATIS.] Ab utili. RELLIQUUM.] Sunt qui pro *relliquorum* accipiant: ut ſit ſenſus, de hac ſabula ſumite ſpecimen, ut ſciatis an caeterae vobis ſpectandae ſint. Nam poſtmodum dictum alio prologo, *Alias cognoſtis ejus, quaeſo hanc noſcite.* RELLIQUUM.] Quaſi diceret, Poſtremum. ergo adverbium eſt, id eſt, τὸ λοιπόν. Sed ſive *hoc relliquum* dicit, ſive *relliquum* pro *relliquorum*, geminato *ll* ſcribitur.

26. DE INTEGRO.] Utrum denuo, an ex integris Græcis? QUAS FACIET COMOEDIAS.] Syllepſis, ut ſupra, ad verbum enim FACIET declinavit, non ad SPECTANDAE SINT.

OBSERV. IN DONAT.

23. *Virgilius.*] Aeneid. VI. 71.

COMMENTARIUS.

ſed & Arbitri *adeſſe* dicuntur, quibus operam dant. Facit autem Arbitros ſpectatores, ſed AEQUO ANIMO praeditos, non ſtudentes partibus. Heaut. Prol. 35.

Adeſte aequo animo.

De cauſarum Patronis locus eſt Phorm. II. 3. 3.

Adeſte, quaeſo.

ubi vide Donatum.

Eſt vero *aequus animus*, qui nihil gratiae dat, nihil odio.

REM COGNOSCITE] Ita Eun. Prol. 42.

Quare aequum eſt, vos cognoſcere.

Erat vero Judicum pedaneorum, ſed & Praetoris, *noſcere*, &, *rem cognoſcere*. Unde Adelph. Prol. 4.

Indicio de ſe ipſe erit; vos eritis judices,
Laudin' an vitio duci id factum oporteat.

Et Heaut. Prol. 25.

Arbitrium veſtrum, veſtra exiſtimatio
Valebit.

25. UT PERNOSCATIS] Mallet Pareus: UT PERNOSCAT IS, intelligens Poëtam. Sed invitis Muſis.

ET QUID SPEI SIT RELLIQUUM] Id dicit, Quid porro exſpectandum ſit. *Spes* enim, & *ſperare* ſunt voces mediae, quae tam de re mala, quam bona uſurpantur. Virgil. Aeneid. XI. 275.

Haec adeo ex illo mihi jam ſperanda *fuerunt*
Tempore.

Certe quidem hoc loco dubia exſpectatio Comoediarum vel ſpectandarum vel exigendarum ſignificatur. Sic Phorm. III. 1. 10.

& quid ſpei porro eſt?

Sed & ἐλπὶς & ἐλπίζω praeter καλάχοντο uſurpantur Graecis de exſpectatione rei ingratae. Expreſſi autem ET QUID, pro ECQUID, quod ita eſſet in pluſculis Mſſ. Sic Virgil. Ecl. I. 27.

Et quae *tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?*

Ovid. Metam. I. 498.

Et quid *ſi comantur? ait.*

26. DE INTEGRO] Latine, *de*, *ab*, *ex integro*; barbare, *de novo* dicitur. Heaut. IV. 2. 7.

ratio de integro *ineunda eſt mihi.*

Adelph. I. 2. 73.

ecce autem de integro.

Phorm. I. 3. 22.

Cui de integro *eſt poteſtas etiam conſulendi,*
quid velis?

Virgil. Ecl. IV. 5.

Magnus ab integro *ſeclorum naſcitur ordo.*

Juſtin. II. 15. *Urbem* ex integro *condere moliuntur.*

Digitized by Google

Spectandae, an exigendae ſint vobis prius.

DONATI.

27. SPECTANDAE.] Proprie, ut fabulae, id eſt, probandae. EXIGENDAE.] Excludendae.

COMMENTARIUS.

27. PRIUS] Jac. Perizonius, Vir Cl. ad Sanctii Minerv. IV. 11. 3. Synchyſin ſtatuit in hiſce poſterioribus verſibus, referens τὸ PRIUS ad illa, UT PERNOSCATIS. Quae conjectura ſi minus placet, addit alteram, ſcilicet, SPECTANDAE, AN PRIUS EXIGENDAE SINT. h. e. perſpectandae, an prius explodendae. Videtur autem τὸ *ſpectare ἀντὶ τοῦ perſpectare*, ſeu ad finem uſque Fabulae ſpectare etiam uſurpari Hec. Prol. I. 3. & II. 12. Perizonio ſeculo ante praeivit Fabrini, conſtruens: *Ut pernoſcatis prius, an ſint ſpectandae, an exigendae vobis.* Vertitque: *Acciocche perfettamente conoſciate innanzi che voi l'udiate, dico quelle che farò da qui innanzi, ſe elle ſiano degne di lode, o ſe pure elle ſian degne d'eſſere eſcluſe, e di non eſſer udite da voi.*

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

SIMO. SOSIA.

Si. VOs iſthaec intro auferte: abite. Soſia,

Adeſ-

DONATI.

VOS ISTHAEC INTRO AUFERTE.] *In hac ſcena haec virtus eſt, ut argumenti narratio actio ſcenica videatur, ut ſine faſtidio longus ſermo ſit, ac ſenilis oratio.* VOS ISTHAEC.] *Haec ſcena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae jaciuntur: ut virtute Poëtae, ſine officio prologi, vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, & periocham comoediae populus teneat, & res agi magis, quam narrari videatur.*

1. VOS ISTHAEC INTRO AUFERTE: ABITE.] Molliter, retenturus & experturus Soſiam, imperat ut remaneat. addit etiam cauſam aliis abeundi, dicendo ISTHAEC INTRO AUFERTE: ne ſuſpicionem injiciat, Soſiam communicandi ſecreti cauſa remanſiſſe. Et bene, AUFERTE: [1] *Auferimus* enim

OBSERV. IN DONAT.

1. *Auferimus enim ea, quae cum faſtidio cernimus.*] Boeclerus in Chreſtomathia, v. *Auferre*, merito intempeſtivam vocat hanc Donati annotationem. Sane enim & res gratae auferuntur. Eun. IV. 3. 19. Phorm. III. 2. 28.

COMMENTARIUS.

1. VOS ISTHAEC INTRO AUFERTE] Opſonia, olera, piſciculos intelligi per ISTHAEC, vetus opinio eſt Interpretum. Thomas Farnabius primus, opinor, de qneribus, mercibus, aulaeis, tignis

Adeſdum: paucis te volo. *So.* dictum puta:
Nempe ut curentur recte haec. *Si.* Immo aliud. *So.* quid eſt,
Quod tibi mea ars efficere hoc poſſit amplius?
Si. Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem quam paro;
Sed

D O N A T I.

nim ea, quae cum faſtidio cernimus: *Ferimus* ea, quae cum honore tractamus. Deinde quaſi reſpicientes increpat, dicendo ABITE. ABITE] concitatius legendum eſt: [a] quia & reſpectantes properant, & diſcernit a Soſia. Soſiae perſona protatica eſt: non enim uſque ad finem perſeverat; ut eſt Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis & Syrae.

2. ADESDUM.] *Ades*, imperativum eſt, *dum* παρέλκον: eſt enim productio, & adjectio syllabae: ut *Ehodum ad me*. PAUCIS TE VOLO.] Deeſt *colloqui verbis*: & eſt figura ellipſis. DICTUM PUTA.] Ad hoc reſpondet, ut agi res videatur, quemadmodum ſupra diximus.

3. NEMPE UT CURENTUR.] Diligenter coquantur. *Curatio*, proprie medicorum eſt: *cura*, reliquorum: ſed coquina, medicinae [s] famulatrix eſt. HAEC.] Δεικτικῶς. NEMPE UT CURENTUR.] Deeſt *vis*: ut ſit, *nempe vis*. IMMO ALIUD.] Bene ἀντίθηκεν τὸ *Immo*: & deeſt *volo*.

4. MEA ARS.] *Ars* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta eſt per ſyncopam. ἀρετὴ autem virtus eſt. Virtutis vero quatuor generales ſunt [4] partes; [5] Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia. ſed Prudentia, in multis rebus deſcendit. EFFICARE] Facere, eſt in opere eſſe: ſed *efficere*, perfectionem deſignat.

5. NIHIL ISTAC OPUS EST ARTE.] Mire ait: *arte opus* non eſt, ſed *opus eſt artibus*.

O B S E R V. I N D O N A T.

2. *Quia & reſpectantes properant, & diſcernit à Soſia.*] Ita vulgo editur, ſed perperam. Rob. Stephanus *properant &* mutavit in *properanter*. Omnino crediderim, legendum eſſe, ut eſt in Mſ. Hulſt. & edit. Venet. 1490. aliiſque impreſſis vetuſtis: *Quia & reſpectantes properat, & diſcernit a Soſia.* Ut adeo τὸ *properat* ſit tranſitivum ſeu ἐνεργητικὸν, & ad Simonem referatur. Eandem lectionem in Mſſ. ſuis Lindenbruchius reperit. Quem uſum vocabuli quod ignorarent quidam Librariorum, *properant*, ſubſtituerunt. Atqui non properaſſe κωφὰ illa πρόσωπα, indicio eſt, quod ubi Simo dixiſſet, *auferte*, continuo reſpectantibus quaſi interminatus addit, *abite*.

3. *Famulatrix.*] Mſ. H. *adulatrix*. Ita & Mſ. Lindenbr.

4. *Partes.*] Mſ. Lindenbr. *Species*. rectius.

5. *Prudentia, juſtitia, fortitudo & temperantia.*] Mſ. H. *Prudentia, juſtitia, patientia & fortitudo.* Sed & in Mſ. Lind. legebatur *patientia*. Idem tamen ex Hieronymo, Donati diſcipulo recenſet quatuor virtutes Stoicorum, *prudentiam, juſtitiam, fortitudinem & temperantiam.* quod pro vulgata lectione videtur facere.

C O M M E N T A R I U S.

rignis aliove apparatu ad ſimulandas nuptias explicuit. A qua explicatione cavendum eſſe monet Tanaq. Faber, quod *Curare* verbum ſit culinae proprium. Certe quidem eo ſenſu uſurpavit Plautus, Perſ. I. 3. 5.

Curate *iſtic vos, atque approperate ocius.*

Quanquam & *Curari* dicitur, quidquid conficiendum ſuſcipitur. Addo aliud, quo dubium omne tolli poſſe videtur; ſcilicet locum Plauti, unde haec deſumta ſunt. Is eſt Merc. IV. 5. 62.

Uxor, heus, uxor, quanquam tu irata es mihi,
Jubeas, ſi ſapias, haec intro auferrier.
Eadem licebit mox coenare rectius.

2. DICTUM PUTA] Id dicit. Intelligo, quid velis, licet nullus dixeris. Atque adeo, puta te dixiſſe. Sic Phorm. II. 2. 76.

omnia haec
Illum putato, *quae ego nunc dico*, dicere.

Non ſat commode a Pareo & aliis, cum hac locutione componitur illa Phorm. III. 3. 8. & Plauti Perſ. IV. 7. 19.

dictum ſapienti ſat eſt.

quorum verborum ſenſum nos ſuo loco illuſtratum damus. Noſtrum imitatus Ovidius Metam. IV. 476.

Facta puta, *quaecunque jubes.*

4. MEA ARS] Non moneo, *Artem* notare quam-

Digitized by Google

Sed iis, quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide & taciturnitate. *So.* exſpecto quid velis.
Si. Ego poſtquam te emi, a parvulo ut ſemper tibi
Apud me juſta & clemens fuerit ſervitus

Scis.

DONATI.

6. SED HIS QUAS SEMPER IN TE INTELLEXI SITAS.] Ipſe hic ſignatiſſime oſtendit, multas variaſque artes eſſe, id eſt, ἀρετὰς, quae [6] virtutes intelliguntur. SED HIS.] Zeugma, a ſuperiore, quod ſubauditur, *artibus*. SITAS.] conſtitutas, poſitas.

7. FIDE ET TACITURNITATE.] *Fides*, eſt commendatorum fidà executio, vel obſervantia: *Taciturnitas* verò, obſervantiae genus, in ſilentio conſtituta, & in celando ſecreta. Quaerit autem taciturnitatem, ne prodat Pamphilo ſecretum, quod ei commendaturus eſt. Fidem, ad complenda: taciturnitatem, ad celanda mandata. EXSPECTO.] *Exſpecto*, deſidero: ut [7] *Virgilius*:

Exſpectate venis.

QUID VELIS.] Deeſt, [8] *ſcire*: nam ſi dixiſſet, *quod velis*, nihil deſideraſſet.

8. EGO POSTQUAM.] Commendatio perſonae potius, quam ſervi: ne contra filium levi ſervo aliquid committi indecore videatur. TE EMI A PARVULO.] Tale eſt, *Parvulum ego te Jugurtha.* apud [9] *Salluſt*. A PARVULO.] Non enim a parvo, ſed *a parvulo*. SCIS.] Hoc eſt, a parvulo ſcis. SEMPER.] Continuationem ſignificat *ſemper*.

9. JUSTA ET CLEMENS.] Ita dixit *juſta*, ut alibi, *Non neceſſe habeo omnia pro meo jure agere.* Quid enim non juſtum domino in ſervum? JUSTA, in qua nihil iniquum jubetur: CLEMENS, in qua etiam de juſto multum remittitur. APUD ME JUSTA.] Id eſt, moderata, aequalis. cui contrarium ait [10] *Virgilius*,

—— Et iniquo pondere raſtri.

Et:

[11] *Injuſto ſub faſce viam dum carpit.* ——

Nam qui *juſtam*, debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad juvandam ſententiam. CLEMENS FUERIT SERVITUS.] Libertatem imputaturus, clementem intulit ſervitutem. SERVITUS.] Mire *ſervitutem* pro dominatu poſuit. Sic [12] *Salluſtius*, *Dein ſervili imperio* [13] *P.C.*

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virtutes intelliguntur.*] Mſ. H. *Virtutes vitae intelliguntur.*
7. *Virgilius.*] Aeneid. II. 283.
8. *Scire.*] Omnino legendum videtur; *dicere*, vel, *ſcire me*.
9. *Salluſt.*] Bello Jug. cap. 10.
10. *Virgilius.*] Georg. I. 164.
11. *Injuſto.*] Virgil. Georg. III. 347.
12. *Salluſtius.*] Locus incertus.
13. *P. C.*] Lindenbruchius citat, *patres plebem.* In Mſ. Hulſt. eſt *Patres C.*

COMMENTARIUS.

quamcunque peritiam & induſtriam, ſive in re bona, ſive mala, haud aliter, quam Graecorum τέχνην. Unde *iners*, qui nec novit, nec praeſtare boni quidquam poteſt. Id magis notandum, emphaticum eſſe τὸ MEA. Unde Simo δεικτικῶς quaſi reſpondet,

Nihil ISTHAC *opus eſt arte.*

Intellige artem coquinariam; qualis & fuiſſe videtur in Sanga illo, quem Gnatho ſubmonet, Eun. IV. 7. 45.

Domi focique fac viciſſim ut memineris.

9. JUSTA] Eſt *ſervitus juſta* tolerabilis, non dura. Juſtinus contra XI. 1. *Alii quippe* injuſta ſervitute *oppreſſi ad ſpem ſe libertatis erigebant.* h. e. gravi & iniqua. Virg. Georg. III. 347.

Injuſto *ſub* faſce *viam dum carpit.*

Flor. II. 18. 10. Injuſtis *& ſervilibus maxime operibus attriti.* Alia eſt notio ex uſu ICtorum; iis enim *juſta ſervitus* eſt vera, non opinione talis. CLEMENS] Eadem ratio hujus vocis, quae ſuperioris. Non enim ipſe homo tantum clemens dicitur; quomodo Cicero Fin. II. 4. Clemens *in diſputando*, h. e. placidus, non effervеſcens; ſed & conditio hominis. Adelph. I. 1. 17.

Ego hanc clementem *vitam urbanam, atque otium*
Sequutus ſum.

Scis. feci, e ſervo ut eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſerviebas liberaliter.
Quod habui ſummum pretium, perſolvi tibi.

So.

DONATI.

10. Feci e servo ut asses libartus mihi.] Dulcem libertatem fecit operatione & tractatione verborum, dicendo, ex ſervo libertum, non enim tantam haberet gratiam, ſi dixiſſet, *feci libertus ut eſſet*, quam ſi dicat, *feci e ſervo ut eſſes libertus.* ac ſi quis dicat, *feci ut eſſet ſanus*, non tantam haberet gratiam, quam ſi dicat, *feci ut ex aegro ſanus eſſet.* Et mihi, emphaſin habet: quod *mihi* libertus factus ſis, non filio. [13] Aut ideo *mihi* additum eſt: quia libertus ad aliquid dicitur. Et bene *mihi*, non *filio*, ne pertimeſceret filium, cui nec liberti munus debeat. E servo.] Mire addit *e ſervo*: ut vim beneficii exprimeret.

Scis. feci e servo ut esses libertus mihi] Hinc [14] *Virgilius*:

> *Nympha, decus fluviorum, animo gratiſſima noſtro,*
> *Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae*
> *Magnanimi Jovis, ingratum aſcendere cubile,*
> *Praetulerim, coelique libens in parte locarim.*

11. Liberalitar.] Bene: quia omne bonum libero aptum eſt, malum ſervo. Idem alibi, *Factum a vobis duriter, immiſericorditerque: atque etiam ſi eſt, pater, dicendum magis aperte, illiberaliter.* Et bene admonuit, cur dederit beneſicium, eadem & nunc officia quaeſiturus. Nunc enim dicit artificioſe, quia ſupra ait, *Nihil iſthac opus eſt arte.* Serviebas.] Bene imperfecto tempore, non perfecto uſus eſt: ut oſtendat, eum potuiſſe ſibi etiam atque etiam ſervire: quale eſt illud [15] *Virg.*

> *Atque omnes pelagique minas, coelique ferebat*
> *Invalidus.* ----

Ut oſtendat eum, quamvis invalidus eſſet, tamen adhuc potuiſſe laborem exercitiumque ferre.

12. Summum pretium.] Libertatem dicit. Persolvi tibi.] Quia pratium dixerat, persolvi dixit proprie. Persolvi tibi.] Modeſte pretium redditum dixit, non [16] beneficium erogatum.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Aut ideo* mihi *additum eſt, quia libertus ad aliquid dicitur.*] Haec a MS. Hulſt. abſunt. Lindenbruchius ex Reg. Excerpt. tuetur *ad aliquid.* Malim, *ad aliquem.* Senſus enim eſſe videtur, libertum dici cum relatione ad Patronum.. Ut ſi dicas, Tiro libertus Ciceronis.

14. *Virgilius.*] Aeneid. XII. 142.

15. *Virgilius.*] Aeneid. VI. 114.

16. *Beneficium erogatum.*] Lindenbruchius invenit, *Beneficiis prerogatum.* M. Hulſt. *Beneficium prrogatum.* Editio Veneta 1490. *Beneficium praerogatum.* Rob. Stephanus edidit ut eſt in vulgatis, & ſine dubio rectius.

COMMENTARIUS.

10. E servo ut assas libertus] Eleganter, pro eo, Quum antea ſervus eſſes. Virgil. Aeneid. X. 221.

> *Nymphaſque e navibus eſſe.*

Phaed. I. 14. *Ex ſutore medicus.* Noſter imitatus Menandrum, in cujus λειψάνοις ſunt haec ἐκ τῆς Ἀνδρίας:

> Ἐγώ σε δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον.
> *Ego te ſervum exiſtentem feci liberum.*

11. Serviebas liberaliter] Guietus praefert, Servibas. Idem in V. C. Pariſ. legi, Pareus auctor eſt. Menander:

> Ἐλευθέρως δούλευε· δοῦλος οὐκ ἔσῃ.
> *Liberaliter ſervito: ſervus non eris.*

H. e. ut decet hominem liberum & honeſtum. Florus I. 6. de Servio Tullio: *Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil* liberaliter *educaverat.* Noſter Adelph. V. 5. 5.

> *Servum haud* illiberalem *praebes te.*

Summum pratium] Ἀγαθὸν σοι δοκεῖ ἡ ἐλευθερία τὸ μέγιστον. Ex Arriano citat Gerardus Falkenburgius in Scholiis Mſſ. Ovid. Triſt. V. 14. 14.

> *Quo dare nil potui munere majus, habes.*

Eſt vero *pretium ſummum* merces ſumma pro liberali ſervitio. Libertas autem merito res inaeſtimabilis audit in Jure Civili.

13.

So. In memoria habeo. *Si.* haud muto factum. *So.* gaudeo.
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo,
Et id gratum fuiſſe advorſum te, habeo gratiam.

Sed

DONATI.

13. IN MEMORIA HABEO.] Hoc eſt, non ſum ingratus. Plus dixit, *in memoria habeo*, quam ſi dixiſſet, *ſcio*. Nam quae ſcimus poſſumus oblivisci: quae vero memoriae commendamus, nunquam amittimus. HAUD MUTO FACTUM.] Vetuſte: non me poenitet. nam ſi quid poeniteret, *infectum velle* dicebant. [17] an ſecundum jus, quod adverſus libertos ingratos eſt, ut in ſervitutem revocentur? ſed hoc non convenit ſenem dicere. Legitur & MULTO, hoc eſt, damno, reprehendo. quod ſi eſt, ſic intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim poteſt factum infectum reddere. Sed [18] adverbialiter dixit: ut dicimus, *nollem factum*, *nollem huc exitum*. Ergo HAUD MUTO FACTUM, non poenitet me facti.

14. SI TIBI QUID FECI, AUT FACIO.] Et feciſſe ſe, & adhuc facere oſtendit, [19] quamvis eum manumiſiſſet. GAUDEO SI TIBI QUID FECI, AUT FACIO QUOD PLACEAT.] Felicitatis eſt, ut ea quae facta & facienda ſunt, grata ſint. QUID, pro, aliquid.

15. ADVORSUM TE.] Apud te, & penes te.

Ad-

OBSERV. IN DONAT.

17. *An ſecundum jus.*] Citat Lindenbruchius L. 6. §. 1. ff. de Alend. & Agnoſcend. Lib. & l. 5. pr. ff. de jur. patronat. & L. 2. Cod. de Libert. & eorum Lib.

18. *Adverbialiter.*] Ita ex MSſ. & Excerpt. Reg. citat Lindenbruchius. Alii, *admirabiliter*. quomodo ſaepius loquitur Donatus. Utraque vox videtur corrupta.

19. *Quamvis eum manumiſiſſet.*] Lego: *Quamvis jam manumiſſus eſſet*.

COMMENTARIUS.

13. IN MEMORIA HABEO] Sic Eun. I. 2. 90.

haec habui in memoria.

Plaut. Poen. V. 4. 108.

Patrue, *facito* in memoriam habeas.

Caeſ. Lib. de Analogia apud Gell. I. 10. Habe *ſemper* in memoria *atque in pectore*, *ut tanquam ſcopulum*, *ſic fugias inauditum atque inſolens verbum*. Sed *memoria teneo* Ciceronianum eſt.

HAUD MUTO FACTUM] Id dicit, Non nollem factum; non poenitet me facti. Plaut. Bacchid. V. 2. 39.

ego quod dixi, haud mutabo.

Cicero Fam. XI. 28. *An*, *quod adoleſcens praeſtiti*, *quum etiam errare cum excuſatione poſſem*, *id nunc aetate praecipitata* commutem, *ac me ipſe retexam?* Eodem ſenſu Jupiter ad Cytheream, Virgil. Aeneid. I. 264.

neque me ſententia vertit.

Poterat vero mutare factum Simo, ſi in memoria non habuiſſet tantum beneficium Soſia, pro jure ſcilicet Attico, quo licebat in ſervitutem retrahere ſervos ingratos. Vide Val. Max. II. 6. 6. & quae ad eum locum notavit Colerus. Idem Romanis in uſu fuiſſe diſcas ex Tacito, Annal. XIII. 26. Obſervat autem Popma ad Cic. Att. VII. 2. fin. licuiſſe dominis ſervos libertate Latina ſive non juſta donatos, utpote inter amicos, aut in convivio, aut per epiſtolam manumiſſos, in ſervitutem retrahere; non item eos, quibus erat juſta libertas data cenſu, vindicta, teſtamento; quales plenam libertatem & jus Quiritium accipiebant, dum illi à vera libertate & jure civium arcerentur. Adfert Popma locum Taciti citatum. Idem ibidem notat Lipſius, laudans Plauti illud ex Menaechm. V. 9. 82.

Sed meliore eſt opus auſpicio, *liber perpetuo ut ſiem.*

Verba ſunt ſervi, cui Dominus ſimpliciter dixerat, *Liber eſto*: Vide porro Torrentium ad Suet. Claud. 25: Ceterum Libertinorum mores depictos dedit Plautus Perſ. V. 2. 57. Alii legunt, HAUD MUTO FATUM. h. e. quod in fatis fuit, lubens ſequor. Praeſtat vero lectio vulgata.

14. SI TIBI QUID FECI, AUT FACIO] Ita infra 85.

quid hic mihi faciet, *patri?*

Et Eun. IV. 1. 10.

Voluit facere *contra* huic *aegre*.

15. ID GRATUM FUISSE ADVORSUM TE] Dixit ADVORSUM TE; pro *Tibi*. Sic infra I. 5. 30.

die-

Digitized by Google

Sed hoc mihi moleſtum eſt: nam iſthaec commemoratio,
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii. 17
Quin tu uno verbo dic, quid eſt, quod me velis.
Si. Ita faciam. hoc primum in hac re praedico tibi;

Quas

DONATI.

Advorsum ſine dubio praepoſitio eſt. *Adverſus* participium poteſt eſſe, ab eo quod eſt *adverto*, ſicut alibi. Ergo ADVORSUM TE dixit, quod apud te.

17. Exprobratio.] *Exprobratio* eſt commemoratio beneficii cum enumeratione ſactorum. Quasi exprobratio.] Recte oſtendit, ſe in memoria habere. Sunt qui ad beneficium referunt, *immemor*: ut, [20] *Memorem Junonis ob iram.* ut ſit ſenſus, Iſthaec commemoratio, quaſi eſt exprobratio immemoris beneficii, id eſt, cujus nemo meminerit.

18. Quin tu uno verbo.] Uno verbo, uno ἀξιώματι, una ſententia. Nam ἀξίωμα ſententia eſt, vel enunciatio, uno verbo nexam continens & perſectam intelligentiam. ἀξίωμα enim conſtat ex nomine & verbo. Sed hie quod eſt ἀξίωμα? hoc eſt, *Has bene ut adſimules nuptias.* ergo omnis virtus, adſimulatio eſt. Quin tu uno verbo.] Una ſententia: ut in Adelphis:

— non meum illud verbum facio, quod tu, Mitio,
Bene ac ſapienter dixti dudum: vitium commune omnium eſt,
Quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus.

[21] Nam male intelligit qui putat, *adſimules*, *verbum* ſignificare.

19. Ita faciam.] Hoc eſt; uno verbo dicam.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Memorem.*] Virgil. Aeneid. I. 4.

21. *Nam male intelligit, qui putat*, adſimules, verbum *ſignificare.*] Haec manifeſte locó mota ſunt, ſubjungenda illis, quae continuo ſequuntur.

COMMENTARIUS.

aliquid de illa adverſum *hunc loqui.* Plaut. Amph. III. 2. 55.

Nam jusjurandum verum te advorſum *dedi.*

Tum ἀνακόλουθον eſt, id GRATUM FUISSE, pro, *ſi id gratum fuit.*

16. Isthaec commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii] Cicero Amicit. cap. 19. *Odioſum ſane genus hominum officia exprobrantium; quae meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit.* Verba e Terentio expreſſa. Seneca Benef. II. 10. eundem locum in animo habuit, quum ſcripſit: *Beneficium in acta non mitto. Quidni? ego illi non ſum indicaturus, me dediſſe: quum inter prima praecepta ac maxime neceſſaria ſit, ne unquam exprobrem, immo ne admoneam quidem. Haec enim beneficii inter duos lex eſt: alter ſtatim oblviſci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat animum & premit frequens meritorum commemoratio.* In Graecorum ſententiis eſt:

χάριν λαβὼν μέμνησο, δοὺς ἐπιλάθου.

Beneficium ubi acceperis, memento, ubi dederis, obliviſcere. Demoſthenes περὶ Στεφ. τὸ γὰρ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν. *ſua ipſius beneficia commemorare fere idem eſt, quod exprobrare.* Guietus ſollicitat locum, legens IMMEMORI, & referens ad Soſiam, non ad beneficium. Aſſentitur Boeclerus, vulgatam lectionem pravae Latinitatis inſimulans. Quidni vero *immemor beneficium* eadem ratione dicatur, qua *ſervitus juſta & clemens?* Uti enim Dominus juſtus & clemens juſtam & elementem facit ſervitutem, ita immemor accepti beneficii ipſum beneficium quaſi immemor facere videtur. Si haec durior explicatio, notandum, quia verbalia in io utramque & activam & paſſivam ſignificationem fere admittunt, τὸ *exprobratio* ſatis Latine & Simoni & Soſiae tribui. Senſus igitur erit: iſthaec commemoratio quaſi exprobratio eſt mei immemoris, ſeu qui non ſim memor beneficii accepti. Sed & ita cepit Eugraphius, cujus haec ſunt verba: *Beneficiorum commemoratio cum oſtenditur, ingrati exprobratio dicitur. Exprobratio ingrati, & exprobratio immemoris, una phraſis.*

19. Hoc primum in hac re praedico tibi] Emphaſin habet illud PRAEDICO. Scilicet ne exiſti-

Quas credis eſſe has, non ſunt verae nuptiae.
So. Cur ſimulas igitur? *Si.* rem omnem a principio audies;
Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces; & quid facere in hac re te velim.
Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia,

Libe-

DONATI.

eam. & quod verbum promittit, ibi dicit, *Nunc tuum officium eſt, has bene ut adſimules nuptias.*

20. QUAS CREDIS ESSE HAS.] Sylleplis.

21. CUR SIMULAS IGITUR?] [22] Virgilius:

Et quae tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?

22. EO PACTO.] *Pacto*, modo, quoniam antecedit pactum, modus ſequitur. Ergo [23] ab eo quod praecedit, id quod ſequitur, dicit.

ET GNATI VITAM, ET CONSILIUM MEUM COGNOSCES: ET QUID FACERE IN HAC RE.] Nam iſtae diviſiones ſunt. GNATI VITAM: quoniam dicturus eſt, *Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia.* CONSILIUM MEUM: quia dicturus eſt, *Et nunc id operam do.* ET QUID FACERE IN HAC RE TE VELIM: quia dicturus eſt, *Nunc tuum eſt officium.*

ET GNATI VITAM, ET CONSILIUM MEUM COGNOSCES, ET QUID FACERE IN HAC RE TE VELIM.] Tripartita diſtributio. ET GNATI VITAM. Vitam filii in duas partes dividit in narratione: in ante actam bonam, & praeſentem malam. Et incipit mala ibi, INTEREA MULIER QUAEDAM. Et bene actae vitae narratio ad eam rem valet, ut oſtendat, [24] quam juſtus dolor patri ſit ſpe decepto.

24. NAM IS.] Neceſſario IS poſitum pro nomine. ἀναφορὰ ad illud GNATI VITAM: nam ſi non poſuiſſet hoc pronomen, Soſia erat intelligendus. NAM IS.] Pamphilus. POSTQUAM EXCESSIT EX EPHEBIS.] Argumenta per conjecturas. EX EPHEBIS.] *Ephebia* prima aetas adoleſcentiae eſt, adoleſcentia eſt extrema pueritiae. EXCESSIT EX.] Cum ſufficeret unum.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Virgilius.*] Eclog. I. 27.

23. *Ab eo, quod praecedit, id quod ſequitur.*] Mſ. Hulſt. *Ab eo, quod ſequitur, id quod praecedit.* Idem in Reg. Excerpt. Lindenbruchius legit.

24. *Quam juſtus dolor patri ſit, ſpe decepto.*] Mſ. H. *Quam juſte doleat patri ſic ſpe decepto.* Utrum praeferatur, ciccum non interdum.

COMMENTARIUS.

exiſtimaret Soſia, UNO VERBO ſibi poſſe dici, quae dicturus erat Simo, ante quaedam dicenda erant de ſimulatis nuptiis. Neque enim futura tantum *praedici* dicuntur, ſed & quae in dicendo praemittuntur. Nep. Themiſt. cap. 7. *Cum his Collegas ſuos Themiſtocles juſſit proficiſci: eiſque* praedixit, *ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipſe eſſet remiſſus.* Seneca, Epiſt. CII. *At niſi aliquid* praedixero, *intelligi non poterunt, quae refellentur. Quid eſt, quod* praedicere *velim?* Perperam igitur haec Terentii verba citantur in Fabri Theſauro.

22. EO PACTO] Cicero Inv. I. 23. *Partitur apud Terentium breviter & commode ſenex in* ANDRIA, *quae cognoſcere libertum velit*,

Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces, & quid facere in hac re te velim.

Itaque quemadmodum in partitione propoſuit, ita narrat gnati vitam,

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia,
Liberius vivendi fuit poteſtas.

Deinde ſuum conſilium,

Et nunc id operam do.

Poſthac quid Soſiam velit facere, id quod poſtremum poſuit in partitione, poſtremum dicit,

Nunc tuum eſt officium.

24. NAM] Elegantem habet uſum in tranſitione. Coelius ad Cic. Fam. VIII. 11. plus ſemel. vid. Manut.

EXCESSIT EX EPHEBIS.] Imitatus eſt Graecorum, ἐξελθεῖν ἐξ ἐφήβων. Plaut. Mercat. I. 1. 40.

Principio atque animus ephebis *aetate* exiit.

& 61.

extemplo ex ephebis *poſtquam* exceſſerit.

Eſt

Digitized by Google

Liberius vivendi fuit poteſtas: nam antea
Quî ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum aetas, metus, magiſter prohibebant? *So.* ita eſt.
Si. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,

Ut

DONATI.

25. Liberius.] *Liberius*, non eſt comparativus gradus: non enim potuit libere ante vivere, dum aetas, metus, magiſter prohibebant. Ergo deeſt *aliquanto*: ut ſit, aliquanto liberius. Liberius vivendi.] Deeſt *ei*.

26. Quî scire.] *Scimus* quod certum eſt: *Noſcimus* quae adhuc incerta [25] deſideramus. Idem alibi, *forma in tenebris noſci non quita eſt.*

27. Metus, magister.] *Magiſter*, paedagogus. Ita est.] Intercidit [26] Poëta, ne ſolus Simo loqueretur: caeterum non erat reſpondendi locus neceſſarius.

28. Quod plerique omnes.] Haec adjectio dicitur, in primo poſita loco. adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo plerique, ex abundantia po-

OBSERV. IN DONAT.

25. *Deſideramus.*] Forte legendum, *conſideramus.*

26. *Poëta.*] Legendum, *Soſia.*

COMMENTARIUS.

Eſt vero ἔφηβος quaſi ἐφ' ἥβης, pubertati proximus. Cicero Orat. pro Arch. 3. *Ubi primum ex pueris exceſſit Archias.* Diſcrimen vero inter παῖδα, μελλέφηβον, ἔφηβον & ἐξέφηβον notavit Cenſorinus de Die Natali, cap. 14. Epheborum porro aetas maxime Gymnaſiis dabatur. Unde Auguſtus *ſpectavit aſſidue & exercentes ephebos, quorum aliqua adhuc copia ex vetere inſtituto Capreis erat.* Suet. Aug. 98. Pars autem palaeſtrae inde ἐφηβεῖον dictum.

25. Liberius vivendi] Quantam vim habeat haec locutio, vel Themiſtoclis exemplo patet, qui, *quod &* liberius vivebat, *& rem familiarem negligebat, à patre exheredatus eſt.* Nep. Themiſt. 1. Ex Liv. xxiv. 4. *Puerum vix dum* libertatem, *nedum dominationem modice laturum.* Eſt igitur *liberius vivere*, licenter & diſſolute vivere. Unde Philolachus adoleſcens apud Plautum, Moſtell. I. 2. 53.

Nam ego ad illud frugi uſque & probus fui,
In fabrorum poteſtate dum fui.
Poſteaquam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illico oppido.

vide integram Scenam.

27. Aetas, metus, magister, prohibebant] Eleganter, pro aetate puerili magiſtrum ſeu paedagogum metuente: quos plerumque fuiſſe ſervos, paſſim e Comoediis conſtat. Cicero Philippica II. 36. *Te bonum timor faciebat, non diuturnus magiſter officii.* Et Fam. VI. 7. Caecina de filio ſuo: *Adoleſcens eſt; omnia excogitare vel ſtudio, vel aetate, vel metu non poteſt.* Graphice autem hanc puerilem vivendi rationem deſcripſit Plautus Bacchid. III. 3. 17.

Eademne erat haec diſciplina tibi, quum tu adoleſcens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiae,
Digitum longe à paedagogo ut efferres aedibus.
Ante ſolem exorientem niſi in palaeſtram veneras,
Gymnaſii Praefecto haud mediocris poenas dabas.

Ubi pro *ut efferres* omnino legendum videtur, *ut te efferres.* Et paullo poſt:

Inde de hippodromo & palaeſtra ubi reveniſſes domum,
Cincticulo praecinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres:
Quum librum legeres, ſi unam peccaviſſes ſyllabam,
Fieret corium tam maculoſum, quam eſt nutricis pallium.

28. Plerique omnes] Heaut. IV. 7. 2.

dixi pleraque omnia.

Nepos Eum. cap. 12. *Hic quum* plerique omnes *primo perturbari admirarentur.* Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. xviii. citans haec verba, addit,

Atti-

Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos:
Horum ille nihil egregie praeter caetera

Stu-

DONATI.

poſitum: OMNES vero, neceſſario additum eſt. Et alibi, *Caleſcos plus ſatis.* In ultimo; ſicut, *Interea loci, interibi.* Attendenda eſt ſane locutio, QUOD PLERIQUE OMNES. Aut enim *quod* in *quae* vertendum eſt, ut ſit, *Quae plerique omnes.* aut *quod* ad ſingula eorum ſtudiorum adjungendum erit, *Equos alere, canes ad venandum.* Aut certe erit figurata locutio, ut eſt illud:

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minime multos laedere:
In his Poëta hic nomen profitetur ſuum.

Et alibi, *Aperite actutum oſtium.* PLERIQUE OMNES FACIUNT.] Ἀρχαϊσμὸς eſt. Nam errant, qui *plerique* παρέλκον intelligunt: aut qui ſubdiſtinguunt *plerique*, & ſic inferunt *omnes.* hoc enim pro una parte orationis dixere veteres. Eodem modo Graeci πάμπολλα, & Latini *plus ſatis.* *Naevius* in bello Punico, *Plerique omnes ſubiguntur ſub ſuum judicium.* Figurate *Terentius.* παρέλκον τῷ ἀρχαϊσμῷ QUOD PLERIQUE OMNES FACIUNT, pro, quae faciunt plerique adoleſcentuli. ADOLESCENTULI.] Bene diminutive, ut propter aetatem facile ignoſcatur.

30. AUT EQUOS ALERE, AUT CANES AD VENANDUM.] Si & equos ad venandum aiunt, quomodo & canes? quod multi docti improbant: & dicunt ſeparata eſſe: & AD VENANDUM [27] extra orationem, pro ad venatum: ut [28] *Venatum Aeneas, unaque miſerrima Dido.* AD PHILOSOPHOS] Ellipſis pulchra & familiaris Terentio. nam poſſumus ſubaudire audiendos, ſive ſectandos. AD PHILOSOPHOS.] Vitium eſt: quia dixit, *ad aliquod ſtudium.* Aut ſi ad Philoſophos, ſeparanda locutio eſt, ſic, *ut animum adjungant ad Philoſophos.*

31. HORUM ILLE NIHIL EGREGIE.] Eſt ergo figurativum: quod eſſet rectum, *Quae plerique omnes faciunt adoleſcentuli, horum ille nihil egregie praeter caetera ſtudebat.* EGREGIE.] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur. ſed hic *egregie*, valde, nimis. non eſt ergo ad laudem poſitum. Haec, inquit, ut caetera, ſimiliter ſtudebat. [29] PRAETER CAETERA] Mediocriter. ergo non extenuavit rem, ſed ad laudem retulit.

OBSERV. IN DONAT.

27. *Extra orationem*] Mſ. Hulſt. *Extra rationem.*
28. *Venatum*] Virgil. Aeneid. IV. 117.
29. PRAETER CAETERA] Haec explicatione carent, quae excidit ſcilicet. Reliqua ita legenda: MEDIOCRITER] *Ergo non extenuavit rem, ſed ad laudem retulit.*

COMMENTARIUS.

Atticos ad eundem modum dicere: Πλείους δὲ πάντες τοῦτο λέγουσιν ἄνθρωποι.

29. AUT EQUOS ALERE, AUT CANES AD VENANDUM] Plane ut eſt in Ariſtoph. Pluto 157.

Ὁ μὲν ἵππον ἀγαθόν, ὁ δὲ κύνας θηρευτικάς.

Hic quidem equum generoſum, ille autem canes ad venandum. ſub. petit. ſermo eſt de frugi adoleſcentibus Atticis. Horat. Arte 161.

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis canibuſ*que*, *& aprici gramine campi.*

Salluſt. Catil. cap. 14. *Aliis* canes *atque* equos *mercari.* Suet. Ner. cap. 22. Equorum *ſtudio vel praecipue ab ineunte aetate flagravit.* Plin. II. epiſt. 8. *Studes? an piſcaris? an venaris? an ſimul omnia?* Alebant vero equos ad certamina equeſtria: quod nobilium erat de palma certantium. Juſtin. XII. 16. Quae vero Turnebus congeſſit quaſi παράλληλα illis, CANES AD VENANDUM, ἀπροσδιόνυσα ſunt. Neque enim eadem ratione *ſervus ad manum* Cicero, neque *cuſtos ad limina* Propertius dixit. Ut de aliis taceam. Si ita dixiſſent, *ſervus ad currendum, cuſtos ad excubandum*, Terentianam phraſin imitati fuiſſent. Propius accedit Livii illud XXII. 52. *Praeda ingens parta eſt, & praeter equos viroſque, & aliquid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat,* (*namque* ad veſcendum *facto perexiguo, utique militantes, utebantur*) *omnia caetera praeda diripienda data eſt.* Jul. Firmic. Aſtron. lib. V. *Accipitres tamen, falcones, aſtures, aquilas & aves hujuſmodi*, equoſque ad venandum. Quos binos

C locos

Studebat; & tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. *So.* non injuria: nam id arbitror
Adprime in vita eſſe utile, ut NE QUID NIMIS.
Si. Sic vita erat: facile omneis perferre ac pati;
Cum quibus erat cumque una, iis ſeſe dedere;

Eorum

DONATI.

33. GAUDEBAM.] Non dixit *laudabam*, ſed *gaudebam*. *Laudat* enim etiam alienus: *Gaudet* qui pater eſt. NON INJURIA.] Intempeſtive Soſia reſpondet: ſed prudentia tantae ſententiae, compenſavit importunitatem.

34. APPRIME.] Adjectio eſt confirmationis. UT.] Admirabiliter dixit. UT NE QUID NIMIS.] Sententia non incongrua ſervo, quia eſt pervulgata. & non refertur ad perſonam domini dicentis: & de quo dicitur. an magis quia Soſiae convenit ejuſmodi character in verbis? NE QUID NIMIS.] Deeſt *agas*: ut ſit, Nequid nimis agas.

35. FACILE OMNES PERFERRE.] Latens argumentatio eſt, qua filium ad meretricem commeaſſe errans pater, non ad corruptelam, ſed ad obſequium amicorum [29] crediderit. PERFERRE AC PATI.] *Ferre*, eſt cum certo tempore: *Perferre* finem expectat effectus. Feruntur onera, & ſuſtinentur ſupplicia. PERFERRE.] Mediocriter ſtultos odioſoſque.

36. CUM QUIBUS ERAT CUMQUE.] Figura τμῆσις. DEDERE.] Plus eſt *dedere*, quam *conſentire*: quemadmodum in hoſtium poteſtatem hoſtes ſe dedunt. *Dedere* ergo, pertinacibus. IIS SESE DEDERE.] *Dedere* ſe & obſequi ſuperioribus: non adverſari paribus, non ſe praeponere inferioribus.

OBSERV. IN DONAT.

29. *Crediderit*] Mſ. Hulſt. *Duxerit*. Veteres editiones: *Quia filium ad meretricem commeaſſe narrat pater, non ad corruptelam filii, ſed ad obſequium amicorum.*

COMMENTARIUS.

locos obſervavit ὁ πάνυ J. Fr. Gronovius. Venationem vero Martis quoddam ſimulacrum fuiſſe, Graecamque juventutem ad bella gerenda venando ſeſe exercuiſſe, ex Athenaeo & Ariſtide notat Lindenbruchius ad h. l.

32. OMNIA HAEC MEDIOCRITER] Cicero Offic. l. 25. Mediocritatem *illam tenebit, quae eſt inter nimium & parum.*

33. UT NE QUID NIMIS] Expreſſit Graecum Μηδὲν ἄγαν. Menandri illud fertur:

Ἡ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλέστερον.

Et:

Τὸ μηδὲν ἄγαν πανταχοῦ 'στι χρήσιμον.

Cleobuli autem Apophthegma erat, Ἄριστον τὸ μέτρον. Cicero pro Muraen. 30. Platonem & Ariſtotelem laudat, cenſentes, *omnes virtutes* mediocritate *quadam eſſe moderatas.* Plautus Poen. I. 2. 34.

Modus omnibus in rebus, ſoror, optimum eſt habitu.

Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

Plura vide apud Eraſm. in Adag. Citat Terentii verba Servius ad Virg. Aen. X. 861. excuſans Terentium ſervis quidem prudentiſſimas ſententias tribuentem, ſed quales ſe per naturam offerant cunctis.

36. CUM QUIBUS ERAT CUMQUE UNA] De Tmeſi in ligata & ſoluta oratione conſule Gudium ad Phaed. Lib. I. Fab. 1.

IIS SESE DEDERE] Locutio petita a victis, ita ſe dedentibus hoſti, ut ad ejus voluntatem ſe cogantur componere. Unde Thraſo Eun. V. 7. 2.

Egone? ut Thaidi me dedam, *& faciam, quod jubeat.*

Paulo leniori ſenſu *dare* ſe quis alteri dicitur. Eun. III. 3. 10.

mihi ſeſe dare.

Cicero Fam. II. 8. *Da te homini.*

38.

Eorum obſequi ſtudiis; advorſus nemini:
Numquam praeponens ſe illis. ita facillume
Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.
So. Sapienter vitam inſtituit: namque hoc tempore
OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT.

Si.

DONATI.

37. EORUM OBSEQUI STUDIIS.] [30] Commodiorum, ſcilicet. EORUM OBSEQUI STUDIIS.] Talem eſſe Pamphilum, adjuvat argumentum fabulae, ſimul & Charinum.

38. ITA] Deeſt *faciens*, *volens*, *agens*. ITA FACILLIME SINE INVIDIA] [31] Salluſtius: *Et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus eſſe.*

39. INVENIAS] Secunda perſona pro tertia: ut [32] *Migrantes cernas.*

40. NAM [33] HOC TEMPORE, OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT] Improbatur a Sapientibus haec ſententia. Nam obſequium aſſentator debet, veritatem amicus; ſed in theatro dicitur, non in ſchola.

41. OBSEQUIUM AMICOS] [34] Hic verſus per improperium eſt. VERITAS ODIUM PARIT] Falſum eſt autem quod *Cicero* dixit [35] *obſequium* primum dixiſſe *Terentium*; eum & *Plautus* & *Naevius* ante dixerint: & eſt ſententia *παράδοξος* & magis theatro apta, quam officio, de qua *Tullius* multa dixit. OBSEQUIUM AMICOS] Sententia probabilis magis, quam neceſſaria & honeſta.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Commodiorum ſcilicet*] Lege omnino: *Commodis eorum, ſcilicet.* Studia enim *commoda* interpretatur.

31. *Salluſtius*] B. Jug. cap. 6.

32. *Migrantes cernas*] Virgil. Aen. IV. 401.

33. NAM] Lege, NAMQUE.

34. *Hic verſus per improperium eſt*] Ita & Rob. Stephanus edidit. nullo ſenſu. Lege, *Hic verſus perimproprius eſt*. Unde adeo mox ſententia *παράδοξος* dicitur. Sed & ita legit editio Argentinenſis.

35. OBSEQUIUM *primum dixiſſe Terentium*] An ideo id credidit Donatus, quia Cicero de Amicitia cap. 24. *Obſequium* dixit *verbum Terentianum*? Idem cum Donato credidit Quintilianus, Inſtit. Orat. Lib. VIII. cap. 3. Verba Quintiliani: *Idem* (Cicero) *putat, a Terentio primum dictum eſſe* OBSEQUIUM. Quum autem non videatur Cicero ignoraſſe, etiam Plautum dixiſſe *Obſequium*, Bacchid. IV. 10. 7. & dudum ante Naevium, puteni *verbum Terentianum* vocaſſe, quia ex ſententia hac Terentiana eandem vocem jam tertium repetebat, aliam ejuſdem ſignificationis vel neſciens, vel adhibere nolens. Atque haec quidem ſimpliciſſima mihi Ciceronis verba interpretandi ratio videtur; quanquam ſcio, aliter placere hominibus eruditis.

COMMENTARIUS.

38. ILLIS] In vetuſtiſſimis editionibus, ſed & Mſſ. quibuſdam ALIIS legitur.

39. INVENIAS] Acquiras, pares. Eun. II. 1. 4.

Utinam tam aliquid invenire *facile poſſis, Phaedria,*
Quam hoc peribit.

Horat. Art. 170.

Quaerit, & inventis miſer abſtinet, & timet uti.

Juſtin. III. 7. *Atque ita, unde periculum quaeſitum fuerat, ibi maximam gloriam* invenit. Eundem uſum habet Graecorum *εὑρίσκειν*.

40. SAPIENTER VITAM INSTITUIT] Plaut. Amph. III. 3. 4.

Atqui ita ſervum par videtur frugi ſe inſtituere,
Proinde heri ut ſint, ipſe item ſit.

Cicero Orat. pro Flacco cap. I. *Quam ipſius virtuti atque* inſtitutae *adoleſcentiae convenires.*

HOC TEMPORE OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT] Dixit OBSEQUIUM, quod Simo dixiſſet, OBSEQUI STUDIIS. Tum laudat Pamphilum tempori ſervientem. Ubi enim addit, HOC TEMPORE, non dicit, quid fieri oporteat, ſed quid temporis & morum iniquitate fiat: quod Donatus non cepit. Citat Cicero de Amic. 24. *Neſcio quomodo verum eſt, quod in* ANDRIA *familiaris meus dicit*, OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT. Additque veriſſimam *ἐπιχεῖον*: *Moleſta veritas, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiae. Sed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri ſinit.*

Si. Interea mulier quaedam, abhinc triennium,
Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia & cognatorum negligentia

Coacta,

DONATI I.

42. Interea] *Interea* eſt, cum habet inſtantiam ſuperiorum actorum. Mulier quaadam] Sic dixit, non quaſi ignoraret nomen ejus, paulo poſt *Chryſidem* nominaturus: ſed ideo, ut gratam expectationem faciat, ſimulque lectorem avidum nominis reddat. Ut [36] *Virgilius*, paulo poſt nominaturus ait,

Ecce manus juvenem interea poſt terga revinctum.

Interea mulier] Hic digreſſio eſt. nam propoſuit gnati vitam dicere. Abhinc triannium] Artificioſe dixit *triennium*, cum poſſet plus minuſve temporis ponere: ut ſit veriſimile, unum annum fuiſſe pudicae parcaeque vitae: ſequentem, conditionis acceptae: tertium, mortis. Primo ergo anno ignorata eſt domus Chryſidis Pamphilo: ſecundo, Glycerio cognitus: tertio, nupſit Glycerium Pamphilo, & pariter invenit parentes.

43 Huc viciniaa] *Viciniae* παρέλκον. huc loci, vel huc locorum. Legitur & huic viciniaa.

44. Inopia, et cognatorum nagligentia] Laudatis Pamphili moribus, qui mox ducet uxorem, ſupereſt ut futurae quoque matronae, id eſt, Glycerio probitatem debitam pro perſona reddat: quae quia honeſta nunquam eſſe poterit, ſi ſic eam conſtet ante nuptias impudicam ductam eſſe, partim defendenda, partim laudanda eſt Chryſis, cum qua commorata eſt: quam quoniam neceſſe eſt meretricem fateri, in conditione turpiſſimi nominis multum ſumitur excuſatio voluntatis. Et cognatorum] Hic nos jam parat ad Critonis adventum.

OBSERV. IN DONAT.

36. *Virgilius*] Aeneid. II. 57.

COMMENTARIUS.

42. Quaedam] Ita ſolent per contemtum de ignotis, tanquam vilibus humilibuſque. Eun. V. 6. 12.

emit quendam *Phaedria*
Eunuchum,

& mox verſu 15.

tum quandam *fidicinam amat hic Chaerea.*

Adelph. IV. 5. 13.

Habitant hic quaedam *mulieres pauperculae.*

Tac. Hiſt. II. 61. *Mariccus* quidam *e plebe Bojorum.*

43. Huc viciniae] Plaut. Mil. II. 3. 2.

hic proximae viciniae.

Ut adeo non opus ſit tueri huic viciniae, quod ex Nonio, Priſciano & Chariſio laudant Muretus, Lindenbruchius & Pareus. Eſt autem vicinitas prima Pamphilo peccandi occaſio. Sic Thais vicina Phaedriae, Eun. II. 3. 67. Neque id inſolens in Comoediis. Unde Cicero Orat. pro Coel. 31. *Fama adoleſcentis paullum haeſit ad metas notitia nova mulieris & infelici* vicinitate, *& inſolentia voluptatum.*

44. Inopia et cognatorum negligentia] Menander ἐν τοῖς Ἀδελφοῖς:

ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
Πτωχοῦ 'στιν· οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ
Αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
Δεόμενον· αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Sic Phorm. II. 3. 10.

Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parens.

Eſt vero negligantia contemtus, & *negligere* non curare, ſpernere. Adelph. IV. 3. 14. Hec. IV. 4. 48. Horat. Carm. III. 2. 29.

ſaepe Dieſpiter
Neglectus *inceſto addidit integrum.*

Et Ode 6. 7.

Di multa neglecti *dederunt*
Heſperiae mala luctuoſae.

Huic contrarium eſt *colere*. Sic Adelph. III. 2. 54.

nos coluit maxime.

Erat vero in Legibus Atticis, ut cognati ope & conſilio tuerentur viduas & orbas. Cujus rei exemplum eſt Hegio, Adelph. III. 5. 47. 48.

45.

Coacta, egregia forma, atque aetate integra.
So. Hei vereor, ne quid Andria adportet mali.

Si.

DONATI.

45. Egregia] Id eſt, eminenti, praeſtantique. Atque aetate integra] *Integra* eſt *aetas*, quae in flore conſiſtit, cui neque addendum jam ſit, neque quidquam adhuc ſit imminutum. ut [37] *Virgilius:*

—— integer aevi
Aſcanius ——

Et contulit duo ad quaeſtum meretricium congrua.

46. Hei vereor, ne quid Andria adportet mali] *Andria.* mire. audivit enim exceſſiſſe ex ephebis Pamphilum, illatamque mentionem mulieris peregrinae, adoleſcentulae, pulchrae. Ne quid Andria] Eleganter, ex Andro. Andria, nomen oſtendit & mulieris & fabulae. Et bene, Adportet: quia *portare* ignotis eſt.

OBSERV. IN DONAT.

37. *Virgilius*] Aeneid. IX. 255.

COMMENTARIUS.

45. Egregia forma, atque aetate integra] Scilicet ſolent ita jungi *aetas* & *forma.* Sic Chryſis de Glycerio, infra I. 5. 51.

Mi Pamphile, hujus formam *atque* aetatem *vides.*

Eun. III. 2. 20.

Quam liberali facie, *quam* aetate *integra!*

Plaut. Perſ. II. 2. 47.

Tempori hanc vigilare oportet formulam
atque aetatulam.

Rud. IV. 1. 3.

forma *ſcitula atque* aetatula.

Suet. Calig. 25. *Caeſoniam neque* facie inſigni, *neque* aetate integra, *matremque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriae ac laſciviae perditae & ardentius & conſtantius amavit.* Etiam in viris. Virgil. Aeneid. VII. 473.

Hunc decus egregium formae *juvat atque* juventae.

Sumitur autem vulgo *aetas integra* pro flore ipſo; neque id attinet firmare auctorum teſtimoniis. Sed quid ſi notet pariter aetatem rudem annoſque ſimplices? Quomodo Salluſtius Jug. 68. de Mario: *Inter artes bonas* integrum *ingenium brevi adolevit.* Clarius etiam Cicero de Nat. Deor. III. 3. ex perſona Cottae: *Quaſi nihil unquam audierim de Diis immortalibus, nihil cogitaverim, rudem me diſcipulum, &* integrum *accipe, & ea, quae requiro, doce.* Tale certe fuit ingenium Chryſidis ante pretia amantium, ignarae ſcilicet artis meretriciae. Demum *integra aetas* eſt, quae florem jam ſuperavit. Afranius Divortio:

Vigilans ac ſolers, ſicca, ſana, ſobria;
Viroſa non ſum; & ſi ſim, non deſunt mihi,
Qui ultro dent. aetas integra *eſt, formae ſatis.*

Suet. Tib. 10. *Tot proſperis confluentibus,* integra aetate *& valetudine, ſtatuit repente ſecedere, ſeque e medio quam longiſſime amovere.*

46. Adportet] Emphatice dictum, primum quia ex Andro venerat; quae enim e terris longinquis adferuntur, *adportari* dicuntur. Plin. H. N. VII. 56. *Plumbum ex Caſſiteride primus* adportavit *Midacritus.* Tum quia mala quaevis *adportari* paſſim leguntur. Cicero Caton. cap. 8. *Senectus* adportat *vitia.* Noſter Hec. III. 5. 63.

Porto *hoc jurgium*
Ad uxorem.

Lucret. V. 179.

cur anni tempora morbos
Adportant?

Virgil. Aeneid. III. 539.

bellum, ô terra hoſpita, portas

& Aeneid. V. 840.

tibi triſtia ſomnia portans.

Sed & nova dicuntur *adportari.* Infra II. 2. 1.

Di boni, boni quid porto!

Et V. 2. 17.

Quidnam adportas?

Si. Primum haec pudice vitam, parce, ac duriter,
Agebat, lana ac tela victum quaeritans:
Sed poſtquam amans acceſſit, pretium pollicens,
Unus, & item alter; ita ut ingenium eſt omnium
Homi-

DONATI.

47. PRIMUM HAEC] Defendit ut diximus, vitam Chryſidis; ut potuerit apud eam recte morata eſſe Glycerium, quae ex argumento matrona erit. PRIMUM HAEC PUDICE] Bene HAEC quidem, id eſt, illa quae coacta eſt. DURITER] Contra rationem regulae: debuit enim dicere *dure*, ab eo quod eſt *durus*. Et tamen eſt differentia. Eſt enim *duriter*, ſine ſenſu laboris: *dure* autem, crudeliter. illud, ad laborem: hoc, ad ſaevitiam relatum eſt. [35] Sed *dure* in alterum: *duriter* in nos aliquid facimus.

48. LANA AC TELA] Subdiſtingue *tela*: finis enim eſt laboris. VICTUM QUAERITANS] ut [39] *Virgilius*,

---- Cum foemina primum,
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva
Impoſitum cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes.

Deinde finem laboris intulit, non cibum, ſed *victum*. *Cibus* enim eſt, qui etiam delicatis praebetur. *Victus*, in parvis aridiſque alimoniis eſt conſtitutus. Unde [40] *Virgilius*,

Victum infelicem, baccas lapidoſaque corna,
Dant rami. ----

Et poſt tantum laborem, *victum*, non cibum dixit: ut [41] *Virgilius*,

At patiens operum, parvoque aſſueta juventus.

Et non *quaerens*, ſed QUAERITANS, dixit. *Quaerit* enim, qui ad plenum & perpetuum reponit: *Quaeritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. LANA AC TELA VICTUM] Artificioſe, ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari poſſe, quam meretricem neceſſitas fecit.

49. SED POSTQUAM AMANS] *Amator* fingere poteſt: *Amans* vere amat.

50. UNUS ET ITEM ALTER] Poſt unum duo, ex quibus alter, ut ſint tres; inquit enim poſt,

Nam hi tres tum ſimul amabant: ut,

Alter

OBSERV. IN DONAT.

35. *Sed* dure *in alterum*, duriter *in nos aliquid facimus*] Non obſervata Scriptoribus haec Donati eſt differentia. Adelph. IV. 5. 25.

Factum a vobis duriter, *immiſericorditerque.*

39. *Virgilius*] Aeneid. VIII. 408.
40. *Unde Virgilius*] Aeneid. III. 645.
41. *Ut Virgilius*] Georg. II. 472.

COMMENTARIUS.

47. PARCE AC DURITER] Sic Adelph. I. 1. 20.

parce ac duriter
Se habere.

contrarium eſt Adelph. III. 5. 56.

Quam vos facillime agitis.

48. LANA AC TELA VICTUM QUAERITANS] Utrumque ita occupavit femineum ſexum, ut nuptae, innuptae, viduae, anus, lanam feciſſe & telas texuiſſe legantur. Mulieribus Graecis & Romanis id aeque ſtudium erat. Theocritus Idyll. I H. 32. de Helena:

Οὔτέ τις ἐν ταλάρῳ πανίσδεται ἔργα τοιαῦτα,
Οὔτ᾽ ἐνὶ δαιδαλέῳ πυκινώτερον ἄτριον ἱστῷ
Κερκίδι συμπλέξασα μακρῶν ἔταμ᾽ ἐκ καλεόντων.

Nulla in calatho pingit tam varia opera,
Neque in variegata prudentius ſtamen tela
Radio intextum longis incidit ex ſurculis.

Inde nova nupta in pelle lanata conſidere ſolebat, vel propter morem vetuſtum, quia ſcil. antiquitus homines pellibus erant induti, vel quod teſtaretur, lanificii officium ſe praeſtituram marito. Sed & hinc in veteri epitaphio matronae eſt:

DOMUM. SERVAVIT.
LANAM. FECIT.

Ubi τὸ SERVAVIT notat *prole auxit*. Utrumque itidem conjunxit Theocritus Idyll. K H. De matronis illuſtria prae caeteris exempla ſunt Penelopes & Lucretiae. Res antiquiſſima, nec ſacris

Digitized by Google

Hominum ab labore proclive ad lubidinem;
Accepit conditionem, dein quaeſtum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, ſecum ut una eſſet, meum.

Ego-

DONATI.

[42] *Alter ab undecimo.*

Ergo ALTAR non eſt ſecundus, ſed tertius. UNUS AT ITEM ALTAR] Id eſt plures. Poſtquam acceſſit unus & item alter, quaeſtus jam meretricius factus eſt. UT INGANIUM EST OMNIUM HOMINUM] Alia defenſio Chryſidis: ut quae ante fecerat ipſius ſint; quae poſtea peccaverit, naturae hominum adſcribantut.

51. PROCLIVA] *Proclive* eſt porro inclinatum, vel pronum inclinatumque.

52. ACCEPIT CONDITIONAM] Cum uno quaeſtus non eſt: eum altero non eſt: cum multis ſit: CONDITIONAM] *Conditio* eſt pactio, certam legem in ſe continens.

54. PERDUXERE] Invitum iſſe Pamphilum his verbis ſignificat. *Perducuntur* enim neceſſitate coacti. Hoc etiam verbum judices pronunciare ſolent. Et hoc eſt quod ſupra ait,

Iis ſe dedere, eorum obſequi ſtudiis.

UT UNA ESSET, MEUM] Et producte legitur ESSET, ut cibum caperet. & correpte, ut alibi:

Eſſem una qua cum cupiebam, Antipho.

UNA ESSET] Simul, id eſt, una cibum caperet. PERDUXERUNT ILLUC SECUM] Secum duxére, ut ſecum eſſet.

OBSERV. IN DONAT.

42. *Alter ab undecimo*] Virgil. Eclog. VIII. 39.

COMMENTARIUS.

ſacris ſcriptoribus ignota. Confer porro Heaut. II. 3. 34. & 44.

VICTUM QUAERITANS] Utraque vox Chryſidis ſummam egeſtatem indicat. Vide quae Germanus notavit ad Virgil. Aeneid. III. 649.

49. SED POSTQUAM AMANS ACCESSIT, PRETIUM POLLICENS] Sic Ovidius Amor. III. 8. 33.

Sed poſtquam ſapiens in munera venit adulter,
Praebuit ipſa ſinus, & dare juſſa, dedit.

ubi malim *in munere*, h. e. munus quaſi manu ferens. Sic Phaed. V. 8. 1. de occaſione, *in novacula*, ſeu gerens novaculam. Eodem modo eſſe in ſagittis, jaculis, armis, arcu, remis, dixerunt Poëtae. Idem *pretium* dixit Ovidius Amor. I. 10. 47.

Parcite, formoſae, pretium pro nocte paciſci.

50. UNUS ET ITEM ALTER] Eleganter junguntur *&* *item*. Sic Adelph. II. 2. 22.

& item *hinc alia, quae porto Cyprum.*

Plaut. Caſin. prol. 49.

Amat efflictim, & item *contra filius.*

Gell. praefat, *Atque alius* Α'θηνῶν, & item *alius* Ε'ρμηνάτων. Lucret. IV. 548.

& item *laevor laevore creatur.*

51. A LABORE PROCLIVE AD LUBIDINEM] Vide Parei Electa Plautina, Tit. *Amoris & Otii.*

52. ACCEPIT CONDITIONEM] Intelligit vitae genus. Gall. *le parti.* Fabrini vertit *il partito.* Vid. Gaj. L. 2. ff. de Divort. ubi haec repudii formula: *Conditione tua non utor.*

QUAESTUM OCCIPIT] Turpi fere ſenſu *occipiendi* verbo utuntur. Plaut. Capt. I. 1. 30.

Nunc hic occepit quaeſtum *hunc filii gratia*
Inhoneſtum.

Idem Ciſtell. I. 1. 70.

Gy. *Amat haec mulier.* Si *cho, an amare* occipere
amarum eſt, obſecro?

Sed & *quaeſtus* pro quaeſtu meretricio frequens apud Comicos. Unde *quaeſtuoſa mulier* dicitur Plauto. Mil. I. 1. 190. quae alit corpus corpore. Recentiores *quaeſtuariam* dixerunt. Vid. Lindenbr.

53. ITA UT FIT] Formulae ſpeciem habet, notans, ut fieri ſolet. Juſtin. V. 1. Ut fit; *quo ſe fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.*

54. PERDUXERE ILLUC, SECUM UT UNA ASSET] Ita quaedam editiones recte exhibent. Vulgo, *Perduxere illuc ſecum, ut una eſſet.* Eſt autem

Digitized by Google

Egomet continuo mecum: Certe captus eſt!
Habet! obſervabam mane illorum ſervulos
Venientes aut abeuntes: rogitabam, Heus puer,
Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit? nam Andriae
Illi

DONATI.

55. EGOMET CONTINUO MECUM] Bene MECUM: ut appareat nihil temere conſtitutum, vel prolatum foras; hoc ipſum ſatis quaeſitum eſſe, quod ſtatuit de falſis nuptiis, & infenſus eſſet filio. EGOMET CONTINUO MECUM] Deeſt volvebam, cogitabam, verſabam. CAPTUS EST] Tenetur & irretitur: ex tranſlatione ferarum, atque venatus.

56. HABET] Id eſt, vulneratus eſt. *Habet* enim qui percuſſus eſt: & proprie de gladiatoribus dicitur: quia prius alii vident, quam ipſi ſentiant, ſe percuſſos. HABET] Sic dicitur de eo, qui letaliter vulneratus eſt. [43] *Virgilius*;

Hoc habet, haec melior magnis data victima divis.

Ergo quid ſequitur captum, niſi occidi? CAPTUS EST] [44] Salluſtius: *Sin captus pravis cupidinibus.* CERTE] Sine dubio: pro certo captus eſt: *ἰδιωτισμός.* OBSERVABAM MANE] MANE adverbialiter. OBSERVABAM] Deeſt *tamen*, hoc eſt; quamvis captus erat, & haec tamen obſervabam.

57. ROGITABAM] Non *rogabam*, ſed ROGITABAM: quia ſedulo faciebat.

58. DIC, SODES:] *Dic*, imperativum eſt: ideo temperavit injuriam blandimento, SODES eſt autem, ſi audes; ut *ſis*, ſi vis: nam delirat qui *σῶς ζῇς*, interpretatur *ſodes*. DIC SODES] Exhortantis eſt vox, *Amabo*, *Rogo*. QUIS HERI CHRYSIDEM HABUIT? NAM ANDRIAE ILLI ID ERAT NOMEN] Opportune nomen intulit Chryſidis. Et bene ILLI quaſi dicat, quam tu Andriam nominaſti. NAM ANDRIAE ILLI ID ERAT NOMEN] Attico more, peregrinae mulieri a patria nomen impoſuit. Et ſimul celebrat nomen Comoediae, dicendo, *Ex Andro commigravit:* Et nunc, NAM ANDRIAE ILLI ID ERAT NOMEN.

OBSERV. IN DONAT.

43. *Virgilius*] Aeneid. XII. 296.
44. *Salluſtius*] Jug. cap. 1. Haec vero, & quae proxime ſequuntur, loco mota ſunt, referenda ad verſum ſuperiorem.

COMMENTARIUS.

autem integra phraſis, *una cum aliquo eſſe*, vel ſimile. Adelph. IV. 3. 7.

Sed quaeſo, ut una mecum *ad matrem virginis* eas.

Phorm. III. 3. 23.

Una tecum *bona*, *mala* tolerabimus.

Sin vulgata diſtinctio retineatur, τὸ UNA ESSET abſolute dicta videbuntur. Quanquam tunc praeſtabat legere, UNA ESSENT. qui enim unus homo commode dicetur *una* quid facere vel eſſe? Certe ita Cicero Att. VII. 10. *Erimus una.* niſi ſi *cum* addatur, ut in exemplis allatis; & infra 80.

Cum illis, *qui amabant Chryſidem*, una *aderat frequens*;

Curabat una *funus.*

55. CAPTUS EST! HABET!] Haec recte explicata dedit Donatus. Adde Plautum Moſtell. III. 2. 26.

Hoc habet.

Ubi itidem Donatus: Hoc HABET, *&* HABET, *vox propria in gladiatores vulneratos aut irretitos; vel inſultantis adverſarii; vel vulgi acclamantis.* Vide porro Cerdam ad Virgil. Aeneid. XII. 236. Imitatus Cicero Att. XII. 1. *Hoc igitur habebis.* Nec minus eleganter Plautus Trin. II. 1. 16.

Quam extemplo ſaviis ſagittatis percuſſus eſt!

Eſt vero *ἀπροσδιόνυσος* locus Eun. III. 1. 11. a Pareo citatus.

56. OBSERVABAM] Uſurpatur vox de exploratore, qui clam ſpeculatur. Sic infra verſu 142.

obſerves filium.

ubi vide plura. & conſule Th. Munkerum ad Hygini

Illi id erat nomen. *So.* teneo. *Si.* Phaedrum, aut Cliniam, Dicebant, aut Niceratum; nam hi tres tum ſimul Amabant. Eho, quid Pamphilus? Quid? ſymbolam Dedit, coenavit. gaudebam. Item alio die

Quae-

DONATI.

61. QUID? SYMBOLAM DEDIT] " Subdiſtingue, *Quid?* ut ſit vox quaerentis, quid dicat de Pamphilo. SYMBOLAM DEDIT] Mire. nulla pro Pamphilo negatio facti eſt poſita; ſed per puerilem ſimplicitatem omnia geſta narrata ſunt. & quidem tacitum eſt, non celatum: ſed ut non factum eſſe ita videatur. EHO, QUID PAMPHILUS?] Primo ſic egit, ut de Pamphilo quaerere videretur, ad ultimum adjecit nomen: ne quid reliqui faceret.

62. COENAVIT] Caetera in geſtu ſunt quaerentis, quid dicat de Pamphilo, nec invenientis.

ITEM ALIO DIE] *Item*, ſimiliter. & vide, diligenter tempus adjectum, quaſi non ſufficeret unus dies.

OBSERV. IN DONAT.

45. *Subdiſtingue*] Mſ. Hulſt. apertius: *Non*, QUID SYMBOLAM DEDIT? *ſed ſubdiſtingue* QUID? *ut ſit vox quaerentis, quid dicat de Pamphilo.*

COMMENTARIUS.

Hygini Fab. 189.

ILLORUM SERVULOS] Videntur intelligi Paedagogi, quibus id negotii dabatur abs heris, ut filios heriles comitarentur, quocunque irent. Unde adeo VENIENTES ET ABEUNTES occurrunt. Niſi mavis internuncios intelligi.

58. SODES] Cicero Orator. 45. *Libenter etiam copulando verba jungebant, ut* SODES, *pro, ſi audes*, SIS, *pro, ſi vis.* Et quae ſequuntur.

QUIS HERI CHRYSIDEM HABUIT?] τίς εἶχε; Horum verborum explicatio omnino excidiſſe videtur è Donato. Idem vero ad Adelph. III. 4. 25. *Haberi mulier dicitur*, inquit, *quum coit.* Sic Plaut. Bacchid. IV. 10. 6.

> *Duxi*, habui *ſcortum*, *potavi*, *edi*, *donavi.*
> *& enim id raro.*

Cicero Fam. IX. 26. *Ariſtippus*, habeo, *inquit*, *non* habeor *a Laide.*

61. SYMBOLAM DEDIT] Ex more ſcilicet adoleſcentum. Unde Eun. III. 4. 2.

> *In hunc diem ut de* ſymbolis *eſſemus.*

Qui vero ei rei, hoc eſt, communi coenae apparandae praeficiebatur a reliquis, *ſymbolarum collator* dicitur Plauto, Curc. IV. 1. 13. Ceterum & praeſens pecunia, & anuli, & quaecunque arrhae loco dabantur ab iis, qui communi ſumtu erant una coenaturi, ſymbolarum nomine veniunt. Si quis immunis adhiberetur huic convivio, ἀσύμβολος dicebatur. Phorm. II. 2. 25. quo eleganter alluſit Gellius VI. 13. Praeſtar vero SYMBOLAM legere, quam SYMBOLUM, quod eſt in nonnullis Mſſ. & recepit nuper Dacieria. Vid. Henr. Steph. ad Plaut. Epid. I. 2. 22. In fragmentis Eubuli, Athenienſis Comici, περὶ παρασίτων & haec ſunt:

> Ὅστις δ᾽ ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν᾽ ἢ ξένον
> Καλέσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο,
> Φυγὰς γένοιτο, μηδὲν οἴκοθεν λαβών.
>
> *Quiſquis autem vel amicum, vel hoſpitem ad coenam*
> *Vocaverit, & inde ſymbolas exegerit,*
> *Exul fiat, nihil ex aedibus auferens.*

Plaut. Stich. III. 1. 28.

> *eo condixi, in* ſymbolam
> *Ad coenam.*

& mox:

> *eadem* ſymbolam
> *Dabo, & jubebo ad Sagarinum coenam coqui.*

Latini eaſdem *collectas*, Graeci etiam ἐράνους vocitant. Cicero de Oratore II. 57. *Ego vero, inquit ille, quoniam* collectam *a conviva, Craſſe, exigis, non committam, ut, ſi defugerim, tibi cauſam aliquam dem recuſandi.* Symbolarum vero etiam meminerunt ſeptuaginta Interpretes, Proverb. XXIII. 20. Μὴ ἴσθι οἰνοπότης, μηδὲ ἐκτείνε συμβολαῖς Vide Caſaub. ad Athen. & Salmaſ. de Uſur.

Quaerebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum
Quidquam adtinere: enimvero ſpectatum ſatis
Putabam, & magnum exemplum continentiae:
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi,

Neque

DONATI.

63. Comperiebam] Vide ſi non verba patris ſunt, & de rebus venereis circa filii mentionem agentis. Nihil ad Pamphilum quidquam] Παρέλκον. nam abundat quidquam. nam, *nemo quiſquam*, non dicitur.

64. Spectatum] Ad *Pamphilum*, non ad *exemplum* refertur: &, spectatum, probatum.

65. Et magnum exemplum continentiae] Ὑπερβολὴ laudis. Pamphilus exemplum continentiae.

66. Nam qui cum] Qui, animus ſcil. aut certe *homo* ſubaudiendum. Cum ingeniis] *Ingenia* pro hominibus poſuit. Conflictatur] Id eſt, atteritur. *Conflictatio* eſt tactus corporum invicem, & colliſio.

COMMENTARIUS.

64. Attinere] Lindenbruchius & Pareus ex Mſ. Parif. attingere citant.

Spectatum satis] Ad *Pamphilum* refertur, non ad *exemplum*. Gr. *δοκιμασθέντα*. Eſt enim *ſpectare* explorare. Infra IV. 1. 22. & V. 2. 1. Locutione tranſlata vel à gladiatoribus, vel ab hiſtrionibus. Utrique, ſi ſaepius ſpectarentur, probati erant. Ovid. Metam. VIII. 301.

Tyndaridae gemini, ſpectatus *caeſtibus alter,*
Alter equo.

Poſſit & metaphora eſſe a metallis deſumta, quae in ignibus ſpectantur. Unde vir *ſpectatiſſimus*, cujus virtus & peritia ſatis eſt cognita.

65. Magnum exemplum continentias] Sic de Phaedria Eun. II. 1. 20.

hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeverus quiſquam, nec magis continens.

Eſt autem *continentia* illa virtus, qua quis ſuos affectus cohibere poteſt & ſolet, opponiturque proprie intemperanti libidini, uti abſtinentia cupiditati alienae pecuniae. Horat. Carm. III. 4. 78.

Incontinentis *nec Tityi jecur*
Relinquit ales.

66. Qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi] Vulgo per ingenia haec intelliguntur Phaedria, Clinia & Niceratus amantes. Malim referre ad Chryſidem & ingenia meretricum. Confirmant hunc ſenſum, quae continuo ſequuntur, Neque commovetur animus in ea re tamen. Intellige rem Veneream. Eun. III. 5. 19.

In hac commotus ſum.

Cicero aliter, Fam. IX. 26. *Me vero nihil iſtorum ne juvenem quidem* movit, *ne nunc ſenem.* Tum conſuetudo eum aequalibus illis amantibus *conflictandi* verbo ſatis apte exprimi non poterat; quod nemo dicitur conflictari, niſi vel cum adverſariis hominibus, vel cum fortuna ſeu re adverſa. Phorm. III. 2. 20.

Nec cum hujuſmodi unquam uſus venit, ut conflictares *malo.*

Unde quia *conflictares* dicit, Muretus mallet legere,

Nam qui cum ingeniis conflictat *ejuſmodi.*

Plaut. Trin. II. 2. 24.

Qui homo cum animo inde ab ineunte aetate depugnat *ſuo,*
Utrum is itane eſſe mavelit, ut eum animus aequum cenſeat,
An ita potius, ut parentes eum eſſe & cognati velint:
Si animus eum perpulit, actum eſt. animo ſervibit, non ſibi.
Sin ipſe animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet.
Tu ſi animum viciſti, potius quam animus te, eſt quod gaudeas.

Guyetus ſuo Codici Terentiano adſcripſerat: *Qui ſe frotte à ces ſortes de gens là.* Donati interpretationem ſequutus ſcilicet.

67. Tamen] Mſ. Mark. Tum. Guyetus delet, legens,

Neque commovetur animus in ea re, ſcias,
Poteſſe habere jam ipſum ſuae vitae modum.

Sed

Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias poſſe habere jam ipſum ſuae vitae modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,

Qui

DONATI.

67. NEQUE COMMOVETUR] Utrum animus, an homo? NEQUE COMMOVETUR ANIMUS] Utrum deeſt *ejus*? An ordo eſt, *qui animus cum ingeniis conflictatur ejuſmodi, neque commovetur in ea re tamen.* ἀνακόλουθον: eo quod non praemiſſo *licet*, vel *quamquam*, ſubjecit *tamen*. [46] Salluſtius: *Atque edita undique, tribus tamen cum muris & magnis turribus.*

68. SUAE VITAE MODUM] Moderationem, regimen.

69. CUM ID MIHI] CUM, id eſt, praeterquam quod. TUM UNO ORE OMNES] OMNES, ne pater amore falli videretur. & ideo mox ait, BENE DISSIMULATUM AMOREM, ET CELATUM INDICAT.

70. LAUDARE FORTUNAS MEAS] Ἐμφατικώτερον FORTUNAS, quam *fortunam*. & de more. ut,

[47] *Qui te tanti talem genuère parentes.*

Et, [48] *Vade, ait, ô felix nati pietate.*

Et, [49] *Plautus:*

Fortunatus qui illum eduxit ſibi.

OBSERV. IN DONAT.

46. *Salluſtius*] Fragmentum incerti libri.
47. *Qui te*] Virgil Aeneid. I. 610.
48. *Vade, ait*] Virgil. Aeneid. III. 480.
49. *Plautus*] Locus eſt Bacchid. III. 3. 51. Ubi tamen hodie ita legitur: *Fortunatum Nicobulum, qui eum produxit ſibi.*

COMMENTARIUS.

Sed & TUM legebant Goveanus & Fr. Fabritius. Pareus τὸ TAMEN fruſtra mutari ait. recte; nam & Donatus legit, & appoſitum magis eſt, praeterquam quod in pleriſque omnibus Mſſ. legitur.

68. HABERE JAM IPSUM SUAE VITAE MODUM] Eun. I. 1. 12.

Here, quae res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet *ullum, eam conſilio regere non potes.*

Salluſt. Catil. cap. 11. *Neque* modum, *neque modeſtiam victores* habere. Eſt vero *modus* vox a re muſica translata, notans eam vitae rationem, qua nihil nimis agimus. Horat. Lib. II. Epiſt. 2. 44.

Sed verae numeroſque modoſque *ediſcere vitae.*

Et Lib. I. Sat. 1. 108.

Eſt modus *in rebus, ſunt certi denique fines.*

69. UNO ORE] Sic Phorm. IV. 3. 20. Graece μιᾷ φωνῇ καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος. Cicero Fam. IX. 14. *Atque haec* una vox *omnium eſt.* Et Philipp. III. 4. *Atque ut vos* una mente unaque voce *dubitare vos negatis.* Confer VI. 1. & VII. 8. Ovid. ad Liviam 201.

Omnibus idem oculi, par eſt concordia flendi.

OMNES OMNIA BONA DICERE, ET LAUDARE FORTUNAS MEAS] Pub. Syrus:

Cui omnes bene dicunt, populi poſſidet bona.

Eſt igitur *omnia bona dicere & laudare fortunas*, εὐφημεῖν, felicemque & fortunatum praedicare. Plaut. Rud. II. 6. 39.

O ſcirpe, ſcirpe, laudo fortunas *tuas*,
Qui ſemper ſervas gloriam aritudinis.

Locutio tranſlata a ſacris. Tibull. II. 2. 1.

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras.

Plura collegit Briſſonius; quem vide. Scoppa tamen FORTUNAS pro divitiis accipit. Fabrini melius: *La mia fortuna, la mia felicità*, interpretatus eſt, ex mente ſcilicet Terentii. Anteſignanus ad eundem modum: *Et me diſoit-on, que j'étois heureux.* Et Dacieria: *Tout le monde auſſi la louoit tout d'une voix, & ne parloit que de mon bonheur.* Eſt autem elegans repetitio in OMNES OMNIA. Adelph. III. 2. 1.

Si omnes omnia *ſua conſilia conferant.*

Cicero Fam. VII. 32. Omnia omnium *dicta; in his etiam Seſtiana, in me conferri.*

Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.
Quid verbis opus eſt? hac fama impulſus Chremes,
Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio uxorem ut daret.
Placuit; deſpondi: hic nuptiis dictus eſt dies.

DONATI.

72. HAC FAMA] An vere laudatus ſit, ſingula haec pro argumentis ſunt: & excuſatio eſt, non eſſe ſtultitia falſum, ſed impulſum. IMPULSUS] Bene IMPULSUS: ultro enim venire impulſus eſt, qui daret contra officium ſoceri.

73. UNICAM GNATAM SUAM] Abundat quidem SUAM: ſed tamen aſſeverantius eſt. UNICAM GNATAM] [50] Quid ſi taedio multorum filiorum? at unicam.

74. CUM DOTE SUMMA] Quid ſi pauper eſt? at cum dote ſumma.

75. PLACUIT] Cum pronuntiatione, *placuit.* PLACUIT] Συντομία. adeo bona conditio fuit, ut quamvis ultro objiceretur, tamen ſtatim placeret. DESPONDI] Ex veteri more, quo ſpondebat etiam petitoris pater: unde *ſponſus* & *ſponſa* dicitur. DESPONDI] Proprie. Nam de ſponſo dicitur, quia *ſpondet* puellae pater: *deſpondet*, adoleſcentis. HIC DICTUS EST DIES] Utrum conſtitutus? an dicatus? ut,

[51] *Junoni infernae dictus ſacer.*

OBSERV. IN DONAT.

50. *Quid ſi taedio multorum filiorum? at* UNICAM] Haec, & quae ſequuntur, omnino ita videntur legenda: *Quid ſi taedio multarum filiarum?* ait UNICAM. CUM DOTE SUMMA. *Quid ſi pauper eſt?* ait CUM DOTE SUMMA. Certe quidem τὸ *ait* eſt in Mſ. H. & quibuſdam edd. vetuſtis.

51. *Junoni infernae*] Virgil. Aeneid. VI. 135.

COMMENTARIUS.

73. ULTRO] Servius ad Virg. Aeneid. II. 145. ULTRO *non eſt* ſponte, *nam jam rogaverat*, *ſed* inſuper, *& venit ab eo*, *quod eſt* ultra, *quia plus quam rogaverat*, *praeſtiterunt.* Scilicet amplius quid notat *ultro* quam *ſponte.* Id enim *ultro* fieri dicitur, quod praeter exſpectationem fit, & praeter quam fieri aſſolet. Sic Eun. I. 1. 1.

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Quum arceſſor ultro?

& mox, 24.

te ultro *accuſabis*, *& dabis ei*
Ultro *ſupplicium.*

Id igitur vult Simo, veniſſe Chremetem praeter morem gentis Atticae, & praeter ſuam ipſius ſpem.

74. CUM DOTE SUMMA] Decem ſcilicet talentorum. infra V. 4. 48. Ipſam autem Dotem etiam ſponſam dictam, ex Naevio auctor eſt Varro L. L. lib. 5.

75. DESPONDI] Non valet diſtinctio, quam hic facit Donatus inter *ſpondere* & *deſpondere* Nihil enim *deſpondere* aliud eſſe videtur, quam *valde ſpondere.* Scilicet praepoſitio *de* auget ſignificationem, ut ait Ulpianus in *L. 1. pr. ff. Depoſ.* Sic in deamo, defleo, depugno, & ſimilibus. Sponſio autem, vel quod perinde eſt, ſtipulatio, olim in nuptiis Intercedebat ſaepe inter ipſas partes contrahentes, *l. 2. ff. de ſponſal.* Unde, *ſibi uxorem deſpondere* Ulpianus dixit in *l. ult. §. ult. ff. de Divort.* Haec ex Ampliſſimi Viri, Cornelii van Bynkershoek humaniſſimis ad me literis didici. Hinc Plaut. Trin. V. 2. 32.

Filiam meam tibi deſponſatam *eſſe*
audio. Ly. *niſi tu nevis.*

Tum idem Plautus *deſpondendi* verbo promiſcue de filio & filia utitur. Quin & Noſter, Heaut. IV. 5. 31. & 36. & IV. 8. 26. & V. 1. 18. Diſtinctio autem JCtorum inter ſponſalia, nuptias, matrimonium & connubium, non eſt hujus loci.

HIC NUPTIIS DICTUS EST DIES] Locutio e ure deſumta. Valet vero h. l. conſtitutus, praefinitus. De quo praeter rationem dubitat Donatus.

70.

So. Quid obſtat, cur non verae fiant? *Si.* audies.
Fere in diebus paucis, quibus haec acta ſunt,
Chryſis vicina haec moritur. *So.* o factum bene!
Beaſti; metui a Chryſide. *Si.* ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chryſidem, una aderat frequens;
Curabat una funus; triſtis interim,

Non-

DONATI.

78. CHRYSIS] Commemorat nunc quae eſſet Chryſis. VICINA HAEC] Supra enim ait, *Ex Andro migravit huc viciniae.* VICINA HAEC] Ἀνάμνησις. O FACTUM bene!] Animadverte, ubique a Poëta ſic induci comicas mortes, ut cum ad neceſſitatem argumenti referantur, non ſint tamen tragicae. Nam aut meretrix ſumitur, aut ſenex, aut de duabus ſimul uxoribus una uxor. Itaque hujuſmodi obitus, aut mediocri triſtitia excipitur, aut etiam gaudio. O FACTUM BENE!]. Quaſi qui dixerit, *Vereor ne quid Andria apportet mali.*

79. BEASTI] Artificioſe quidem gaudium ſubjecit, ne mors in comoedia, luctus in tragoedia perſonaret. METUI A CHRYSIDA] *Metuo illum* dico, qui mihi ** ipſi aliquid facturus eſt. *Timeo ab illo*, cujus cauſa poſſum aliquid mali pati, etiam ſi ipſe nihil in me mali conſulat. METUI A CHRYSIDE] Ἀρχαϊσμός.

80. UNA ADERAT FREQUENS] Ut ſupra,

Cum quibus erat cumque una, iis ſeſe dedere.

ADERAT FREQUENS] Poſſumus enim adeſſe, & frequentes non eſſe, ſi praeſentes non adhaeremus his, quibus adſumus. Et *frequens*, ut miles apud ſigna.

81 CURABAT UNA FUNUS] *Funus*, eſt pompa exequiarum: dictum a funalibus. Etenim noctu efferebantur, propter ſacrorum celebrationem diurnam. CURABAT UNA FUNUS] Ut non potuerit in exequiis videre patrem. INTERIM] Deſcriptio eſt hujus rei, quae ad narrationem pertinet ſuperiorem.

OBSERV. IN DONAT.

52. *Mihi ipſi*] Lege, *mihi ipſe.*

COMMENTARIUS.

76. QUID OBSTAT?] In Mſſ. quibuſdam & editionibus vetuſtiſſimis, QUID IGITUR OBSTAT?

77. FERE IN DIEBUS PAUCIS] H. e. intra paucos dies. Suet. Caeſ. 66. *Scitote*, pauciſſimis his diebus *regem affuturum.* Idem Tib, 60. In paucis diebus, *quam Capreas attigit, piſcatori, qui ſibi ſecretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem piſce faciem juſſit.* Catull. XIII.

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me,
Paucis, *ſi tibi Di favent*, diebus.

78. O FACTUM BENE] Formula gaudentis & gratulantis. Explicat Plautus Mercat. II. 2. 27.

Bene, *hercle*, factum, *& gaudeo.*

Contrarium eſt apud Ciceronem, Att. XVI. 1. ô factum male *de Alexione.*

79. BEASTI] Formula laetum nuncium accipientis. Eodem ſenſu, quanquam εἰρωνικῶς, Gnatho ad Parmenonem, Eun. II. 2. 46.

Sex ego te totos, Parmeno, menſes quietum reddam;
Ne ſurſum, deorſum, curſites, neque uſque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te?

80. AMABANT] Mallem, ſi per Codices liceret, AMARANT. Scilicet facilis fuit permutatio literarum R & B. Neque enim AMABANT mortuam, ſed AMARANT vivam.

ADERAT FREQUENS] Erudite obſervat Donatus, FREQUENS, *ut miles apud ſigna.* Certe non multus tantum, ſed & creber ſeu aſſiduus fere praeſto ad ſigna miles frequens dicitur.

81. CURABAT UNA FUNUS] Suet. Ner. 49. *Curando mox cadaveri.* Scilicet cadavera lota aro-

matibus

Nonnunquam conlacrumabat. placuit tum id mihi:
Sic cogitabam; Hic, parvae conſuetudinis
Cauſa, hujus mortem tam fert familiariter:
Quid, ſi ipſe amaſſet? quid hic mihi faciet, patri?

Haec

DONATI.

82. NONNUNQUAM CONLACRUMABAT] Illis enim magis cauſa flendi fuerat, qui, quam amabant, amiſerant. hic amore propter ſuam Glycerium conlacrumabat, qui alienis lachrymis ſuas ?? commodabat.

83. SIC COGITABAM] Ac ſi diceret, HOC COGITABAM. Senſum tantum cogitationis dicere debuit: ſed quia SIC COGITABAM dixit, ipſum geſtum cogitantis exponit, & dicitur μίμησις. HIC PARVAE CONSUETUDINIS CAUSA] Hoc eſt, convivii tantum: & quia dixerat puer, hoc ſolum egiſſe Pamphilum, nihil aliud, SYMBOLAM DEDIT, COENAVIT.

84. TAM FERT FAMILIARITER] Id eſt graviter. nam quae nobis ſunt familiaria, gravia ſunt animo noſtro. FAMILIARITER, quaſi familiaris: an potius familiariter.

85. QUID HIC MIHI FACIAT, PATRI?] MIHI, circa me. Et poſtquam MIHI dixit, pondus intulit nominis, dicendo PATRI. QUID HIC MIHI] Vide quam venuſte repetierit HIC.

OBSERV. IN DONAT.

53. *Commodabat*] Malim, *accommodabat*. Quomodo & Petronium ſcripſiſſe crediderim: *Adſidebat aegrae fidiſſima ancilla, ſimulque & lacrumas accommodabat lugenti.*

COMMENTARIUS.

matibus variiſque odoribus conſperſa atque uncta, ita demum curata ſervabantur ad funus. Eſt igitur *curare* ἐνταφιάζειν. Melior adeo Chryſidis conditio, quam matris illius virginis, Phorm. I. 2 57. quod

neque illi benevolus,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quiſquam aderat, qui adjutaret funus.

Ex quo loco ſimul liquet, eos, qui curando funere fuerint occupati, in ipſis aedibus curam geſſiſſe cadaveris, non apud rogum. Donatus aliter cepiſſe videtur, ſi modo ea Donati, ſcribens inde factum, quod Pamphilus in exequiis non potuerit videre patrem. Verum quidni viderit, aut certe videre potuerit patrem, ipſe in funus prodiens, videnſque prodeuntem Glycerium? Ideone id credidit Donatus, quia non videatur veriſimile, Pamphilum praeſente patre accurrentem ruiſſe in complexus mediae mulieris? At honeſtam habebat orationem, prohibuiſſe ſe & ſervaſſe, quae ſe in ignem voluerit conjicere. Sed *funus facere* eſt ſepelire. Vid. Plaut. Menaechm. III. 1. 27. & ibi Interpretes. *Funere operam dare* valet, prodire in funus. Cicero Att. XVI. 1.

TRISTIS INTERIM] Diſtinctionem inter Triſtem & Moeſtum obſervat Cerda ad Virgil. Aeneid. XI. 211. quamvis ea non perpetuo obtineat, ut ſcilicet moeſtus amplius quid notet quam triſtis.

82. CONLACRUMABAT] Cicero Ennii auctoritatem ſequutus mortem lugendam eſſe negat. Sed ſi verum eſt Graecorum verbum: Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες, *Boni lacrimare parati*, quidni ob mortem? Neque a lacrymis temperarunt heroës illi Homerici & Tragici.

83. CONSUETUDINIS] Intelligit id, quod poſterior aetas *converſationem* dixit. Aliam *conſuetudinis* notionem vide infra I. 5. 44. Cicero de Orat. I. 40. citat haec:

hic parvae conſuetudinis
Cauſa hujus mortem tam fert familiariter.
Quid ſi ipſe amaſſet? quid hic mihi faciet, patri?

84. FAMILIARITER] Quae hic notavit Donatus, mutila ſunt. Id autem vult Simo, ita graviter tuliſſe Pamphilum Chryſidis mortem, uti, ſi ejuſdem fuiſſet familiae; quum interim parva tantum inter eum & mortuam interceſſerit conſuetudo ſeu familiaritas.

85.

Haec ego putabam eſſe omnia humani ingenî,
Manſuetique animi officia. quid multis moror?
Egomet quoque ejus cauſa in funus prodeo,
Nihil ſuſpicans etiam mali. *So.* hem, quid eſt? *Si.* ſcies.
Effertur: imus. Interea inter mulieres,

Quae

DONATI.

86. Haec ego putabam] *Putare* eſt ejus, qui ſimplicitate pectoris aberravit. [54] Cicero: *Non putavit, lapſus eſt.* Haec ego putabam] Cum adhuc nihil peccationis oſtenderit, tamen dolor in futura prorumpit: ut,

[55] Et gener auxilium Priamo, Phrygibuſque ferebat.

Humani ingenii] Circa Chryſidem.

87. Mansueti] Circa amicos.

88. Egomet quoque] Ut & ipſe Pamphilus, aut etiam ego, quem minus crederes. Ejus causa] Ejuſdem manſuetudinis & humanitatis, & ejus Pamphili. In funus prodeo] In funus: in pompam exequiarum, quod a funalibus dictum eſt, & uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, & [56] [in genu] cerei fomites inſiguntur.

89. Nihil suspicans etiam mali] Bene ſuſpendit auditorem. Etiam] Alia eſt ſuſpenſio audientis, & excuſatio alia. Etiam] Adhuc. Hem] Perculſi ae metuentis.

90. Effertur] Ἐκφέρεται. Graecum eſt. quod vitans [57] *Virgilius*, ne diceret *effertur*, inquit,

---- tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Efferri proprie dicuntur cadavera mortuorum & *ire* proprie ad exequias [58] *Virgil.*

Ite, ait, egregias animas, quae ſanguine nobis,
Hanc patriam peperere.

OBSERV. IN DONAT.

54. *Cicero.*] Orat. pro Ligar. cap. 10.
55. *Et gener*] Virgil. Aeneid. II. 344.
56. *In genu*] Scabra lectio. *Ingenuum* citat Lindenbrochius; quod & in Mſ. Hulſt. eſt. Integrum locum ita legerim: *Quod a funalibus dictum eſt aduncis, vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, & ingentes cerei fomites inſiguntur.* Juvat hanc lectionem Iſidorus, Origin. Lib. XX. cap. 10. *Funalia candelabra apud veteres exſtantes ſtimulos habuerunt aduncos, quibus funiculi cera vel hujuſmodi alimento luminis obliti figebantur.*
57. *Virgilius*] Georg. II. 255.
58. *Virgilius*] Aeneid. XI. 24.

COMMENTARIUS.

85. Quid hic mihi faciet, patri?] Minimam στιγμὴν poſui poſt Faciet, quod ita ἐμφατικώτερον videretur τὸ patri; tum quod Donatum ita pronunciaſſe viderem. Citat Cicero Fam. IX. 7.

86. Humani] Hinc ultimum officiorum omnium, quae praeſtantur alteri, κατ' ἐξοχὴν *Humanitas* dicitur. Juſtin. XI. 12. *Exſequiaſque benigne proſequutum: idque eum non amoris, ſed* humanitatis *cauſa feciſſe.*

88. In funus prodeo] Cicero Att. XVI. 1. Venerat *enim* in funus, *cui funeri ego quoque operam dedi.* Petronius Arbiter *funus proſequi* dixit. Gr. ἐπ' ἐκφορὰν ἀκολουθεῖν. Indictivum autem, an tacitum fuerit Chryſidis funus, vix diſcernitur; quod praeconis nulla mentio. Quo per jocum reſpexit Phormio, Phorm. V. 8. 37.

90. Effertur] Proprie. Plaut. Aulul. II. 1. 34.

Cras veniat, perendie foras feratur.

de uxore. Cicero Att. XVI. 1. *Cn. Lucullus familiaris noſter, matrem* efferebat. Nepos Attico 22. Elatus eſt *in lecticula, ut ipſe praeſcripſerat.* Efferebantur autem honeſtiores lectica hexaphoro, tenuiores ſandapila, ab hominibus quatuor. Tempus ſepulturae matutinum fere erat, pauperiorum veſpertinum. Theocr. Idyll. XV. 132.

Ἀῶθεν δ' ἄμμες τυ ἅμα δρόσῳ ἀθρόαι ἔξω
Οἰσεῦμες ποτὶ κύματ' ἐπ' ἀϊόνι πτύοντα.

Mane autem nos eum frequentes ſeras efferemus ad undas in litus excreantes. Cicero Orat. pro Cluent. 9. *Ille ſe Tarentum proficiſci quum ſimulaſſet, eo ipſo die puer, quum hora undecima in publico valens*

Digitized by Google

Quae ibi aderant, forte unam adſpicio adoleſcentulam,
Forma! *So.* bona fortaſſe. *Si.* & voltu, Soſia,
Adeo modeſto, adeo venuſto, ut nihil ſupra.

Quia

D O N A T I.

91. UNAM ADSPICIO] Ex conſuetudine dicit UNAM, ut dicimus, *Unus eſt adoleſcens.* tolle *unam*, & ita fiet ut ſenſui nihil deſit: ſed conſuetudo mirantis non erit expreſſa. UNAM ergo τῷ ἰδιωτισμῷ dixit: vel *unam*, pro [59] quadam.

92. [60] FORMA ET VOLTU] Et hic duo ſunt, & aetas & forma. quibus additur pudor. quia meretrix non eſt. FORMA ET VOLTU] Forma immobilis eſt & naturalis: vultus, movetur & fingitur. ET VOLTU SOSIA, ADEO MODASTO] Quia formae laudatio cum meretrice [61] commiſſa eſt, progreditur artifex Poëta ad laudanda ea, quae honeſtiora ſunt, quam forma. ET VOLTU SOSIA] Quid hic deeſt, ut eam nurum dignetur Simo, niſi ſola cognitio? & formam probat in puella Pamphili pater, & matronalem modeſtiam miratur in vultu, & venuſtatem ſtupet. Nonne ergo jam cernimus hoc praeſtruxiſſe Terentium, ut cum Chremetis filiam eſſe cognoverit Simo, hanc potius eligat, quam Philumenam, nurum? quanquam [62] ex ſororis pulchritudine, & amore Charini, & Davi laudatione, id ipſum quoque probe monſtraverit nobis. VOLTU] Haec laus adjuvat, poſt cognitionem, futuram nurum.

93.

O B S E R V. I N D O N A T.

59. *Pro quadam*] Lege, *pro quandam*, cum Lindenbr.
60. FORMA ET VOLTU] Et hic duo ſunt, AETAS, & FORMA. Atqui ſic edendum fuerat, uti eſt in Mſ. Hulſt. & edit. Lind. ADOLESCENTULAM FORMA ET VOLTU. Ubi enim ADOLESCENTULAM dixit, aetatem deſignavit.
61. *Commiſſa eſt*] Senſus poſtulare videtur, ut legatur, *communis eſt*.
62. *Ex ſororis pulchritudine*] Mſ. H. & edd. vetuſtae, *Ex ſororia pulchritudine.* Quomodocunque legas, non videntur haec, & quae de amore Charini, tum Davi laudatione narrantur, eſſe a manu Donati. Quid enim eſt *ſororia pulchritudo*? Sive enim Chryſidis intelligas, ſive Philumenae, nihil ea facit ad pulchritudinem Glycerii.

C O M M E N T A R I U S.

lens viſus eſſet, ante noctem mortuus, & poſtridie, antequam luceret, combuſtus eſt. Unde faces praelatae funeri. Cicero autem de Oratore II. 8. laudat hanc Terentii narrationem a brevitate & venuſtate. Exiſtimat Pareus, *Efferri* ita de funere dici, uti *duci* de ſupplicio. Fallitur autem, quia & funus dicitur duci. Cic. de Orat. II. 70. *Quum funus quoddam duceretur.* Plura de his habet Kirchmannus de Funer. Romanor. I. 4. & II. 9.

IMUS] Scilicet exſequias. Sic Phorm. V. 8. 37.

Exſequias Chremeti quibus eſt commodum ire,
hem, tempus eſt.

Ex veteri nimirum funeris indicendi formula. Imitatur Ovidius Amor. II. 6. 1.

Pſittacus Eois imitatrix ales ab Indis
Occidit. exſequias ite *frequenter, aves.*
Ite, *piae volucres.*

Quod Faſtor VI. 663. dixit.

pompam qui funeris irent.

Juſtin. XI. 12. *Exſequiaſque benigne proſequuntum.*

INTER MULIARAS] Vel hinc patet, etiam mulieres apud Graecos prodiiſſe in funus. Quod de Romanis mulieribus diſcas ex Cicerone, Orat. pro Cluent. 71. & Suetonio, Caeſ. 84. Atticis vero non licebat intereſſe orationibus funebribus, quod ex Libanio obſervat Meurſius, Them. Attic. II. 9. Verba Libanii: Οὐ γὰρ νόμος τοῖς περὶ τῶ θανάτω λόγοις ἐκείνων παρεῖναι. Apud Meſſenios vero probro habitum fuiſſe, ſi mulieres in funus prodirent, aperte dicit Kirchmannus de Funerib. Roman. II. 10. citans verba Aeliani Var. Hiſt. VI. 1. mox vero ſubdubitat. Et ſane, quae Lacedaemonios coëgiſſe Meſſenias mulieres teſtatur Aelianus hiſce verbis, Καὶ τὰς γυναῖκας τὰς ἐλευθέρας ἐς τὰ πένθη βαδίζειν ἠνάγκαζον, καὶ τὰς ἀλλοτρίους, καὶ μηδὲν σφίσι προσήκοντας νεκροὺς κλαίειν, ea conjunctim accipienda, & ad lamentationes praeficarum referenda erudite obſervat Vir Cl. Jac. Perizonius. Unde quod mox Glycerium *lamentari viſa eſt*, in praeficis non eſt numeranda,

Quia tum mihi lamentari praeter caeteras
Viſa eſt; & quia erat forma praeter caeteras
Honeſta & liberali; accedo ad pediſequas;

Quae

DONATI.

93. ADEO MODESTO, ADEO VENUSTO] *Modeſtus*, ad probitatem vultus & morum pertinet. *Venuſtus*, ad naturam corporis. Atque adeo ſibi vultum fingere multi poſſunt: formam nemo. UT NIHIL SUPRA] Ἔλλειψις Terentiana. nam non neceſſe eſt ſubjungere *ei* duos verſus.

94. QUIA TUM MIHI] Excuſatio neceſſaria. PRAETER CAETERAS] Id eſt, plus quam caeterae.

96. HONESTA AC LIBERALI] HONESTA, ad formam, LIBERALI, ad vultum retulit.

OBSERV. IN DONAT.

63. *Duos verſus*] Senſu haec carent, niſi legas, *duas voces*. Sub. dici queat, vel ſimiles.

COMMENTARIUS.

da, utpote civis Attica & libera. Sed *illae lacrimae* ceciderunt proximae cognatae Chryſidis, cujus ipſa dicta & habita ſemper fuerat ſoror. Quin nec Romanis mos erat, ut ingenui plangerent in funere. Unde in publico ipſius Augusti funere id fieri vetuit Senatus. Suet. Aug. 100.

91. UNAM ADSPICIO ADOLESCENTULAM] παρέλκει τὸ UNAM. quod Plauto familiare. Truc. II. 1. 39.

Sed eſt huic unus *ſervus violentiſſimus.*

Cicero de Orat. I. 29. *Id enim eſt maxime vitandum, & de hoc uno minime eſt facile praecipere, non mihi modo, qui ſicut* unus *paterfamilias his de rebus loquor, ſed etiam ipſi illi Roſcio.* Ut adeo Voſſius immerito reprehenderit veterem Interpretem & Eraſmum, qui Matth. VIII. 19. *εἷς γραμματεὺς* verterunt, *unus ſcriba.*

92. FORMA!] Ita diſtinxi, ut major emphaſis in pronunciando appareret. Ita enim efferendum, ut vox narrantis & admirabundi Simonis ſuſpenſa videatur. Unde quia prae admiratione nihil addiderat, Soſia continuo, BONA FORTASSE, inquit, h. e. pulchra. Sic Heaut. III. 2. 13. itidem de forma:

Ita non ut olim, ſed uti nunc, ſane bona.

Suet. Calig. 33. *Tam* bona *cervix, ſimul ac juſſero, demetur.*

93. VENUSTO] H. e. cui Venus laetos afflarat honores. Unde adeo *venuſtiſſima Venus* dicitur Plauto, Poen. V. 4. 4. Hinc quae multum gratiae habent, *venuſta* dicuntur. *Invenuſtus* contra eſt, cui Venus parum aequa eſt in amoribus. Unde & pro infelici uſurpatur. Et junctim infra I. 5. 10.

Adeon' hominem eſſe invenuſtum, *aut* infelicem *quenquam, ut ego ſum?*

Suet. Ner. 51. *Vultu pulcro magis, quam* venuſto. h. e. qui magis virum deceret, quam feminam.

UT NIHIL SUPRA] Sub. dici vel cogitari queat. Sic Eun. III. 1. 37.

facete, lepide, laute, nihil ſupra.

παράλληλον eſt illud Ciceronis Fam. II. 18. *Ut nihil addi poſſe videatur.* Et Fam. III. 1. *Sic a me hoc contendit, ut nihil unquam magis.* Imitatus Martialis II. 31.

Supra quod fieri nil, Mariane, poteſt.

Et Virg. Aeneid. XI. 509.

eſt omnia quando
Iſte animus ſupra.

Latinorum *nihil ſupra* reſpondet Graecum ὑπέρτερον. q. d. Belgice, *overſchoon.*

94. LAMENTARI] ὀδύρεσθαι. Et ineſt magna vis; quam declarat Pacuvius apud Ciceronem, Tuſc. Quaeſt. II. 21. Ita igitur ille in extremis Niptris:

Conqueri fortunam adverſam, non lamentari *decet.*
Id viri eſt officium: fletus muliebri ingenio additus.

96. HONESTA] h. e. decora, pulcra. Eun. III. 2. 21.

Ita me Di ament, honeſtus *eſt.*

Virgil. Georg. II. 391, de Baccho.

Et quocumque Deus circum caput egit honeſtum.

h. e. pulcrum. Sed & *honeſti ſpadices* memoran-

Quae ſit, rogo. ſororem eſſe aiunt Chryſidis.
Percuſſit ilico animum: At at! hoc illud eſt!
Hinc illae lacrimae! haec illa 'ſt miſericordia!

So.

DONATI.

98. Percussit] Hoc eſt, ſuſpicio, vel aliquid tale. At at] Interjectio admirantis. Hoc illud] Δεικτικὸν ejus rei eſt, quam in animo conceperamus. [64] *Virgil.*

Hoc illud, germana, fuit?

99. Hinc illae lacrimae] Hinc, ex hac cauſa.

100. Quam timeo] Non videtur adhuc Soſiae plenum amoris argumentum: adeo pendet ad ea quae dicturus eſt Simo. Evadas] Id eſt, exeas, vel pervenias. Funus procedit] *Funus* a funalibus dictum eſt, ut ſupra notavimus. & eſt funus, pompa exequiarum. Et bene, *funus procedit, nos ſequimur*, dixit, [65] quaſi poſt ipſam morituri: unde *exequiae* dicuntur. Funus interim procedit] Ἀσύνδετον.

OBSERV. IN DONAT.

64. *Virgilius*] Aeneid. IV. 675.

65. *Quaſi poſt ipſam morituri*] Appoſite citat Lindenbruchius, quod eſt in vett. Inſcript.

VALE. DULCISSIME. NOS.
TE. QUO. FATA. JUSSERINT.
ORDINE. SEQUEMUR.

COMMENTARIUS.

tur Virgilio, Georg. III. 81. *Honor* autem & pulcritudinem notat. Virg. Aeneid I. 591.

laetos oculis afflarat honores.

Liberali] h. e. qualis decet virgines liberas & honeſte educatas. Unde *conjugium liberale* dicitur infra III. 3. 28. quod initur a libero cum libera. Eodem ſenſu *liberales nuptias* dixit Plautus, Caſin. prol. 74.

Pedisequas] Chryſidis ſcilicet. quod munificentiae amantium, & ipſius Chryſidis luxus ſignum.

97. Quae sit, rogo] Priſcianus Lib. XVIII. reddit Graece: τίς ἄρα εἴη. fortaſſe e Menandro.

98. Percussit illico animum] Proprie de vulnere, quod infligitur corpori. Unde ad animum vehementer commotum transfertur. Cicero Att. IV. 8. *Audivi ex Garrio hoc Firmano, Romae eſſe hominem, & fuiſſe aſſidue.* Percuſſit animum. Idem Orat. pro Dejot. cap. 6. *Hac ſuſpicione ſum* percuſſus. Virgil. Aeneid. V. 869.

Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici.

Et Aeneid. XI. 451. Qui perculsit defendunt, in Grammaticam peccant.

Hoc illud est] Μίμησις eorum, quae cogitaverat Simo. Plaut. Bacchid. V. 1. 13.

Hoc, hoc eſt, *quod peracescit*, hoc eſt, *demum, quod percrucior.*

Et Caſin. 2. 8. 26.

Illuc eſt, illuc, *quod hic hunc fecit villicum.*

Ovid. Metam. XI. 694.

Hoc erat, hoc, *animo quod divinante timebam.*

Habet enim confirmationem rei, quae vel ſimpliciter jam dicta erat, vel incertior antea videbatur. Eleganter autem quaſi δεικτικῶς junguntur *Hic ille, Haec illa, Hoc illud.* infra IV. 4. 48.

Hic eſt ille.

Et mox Noſter:

haec illa *'ſt miſericordia.*

Virgil. Aeneid. IV. 675.

Hoc illud, *germana, fuit.*

99. Hinc illae lacrimae] Imitati ſunt plures, de quocunque triſti caſu. Cicero Orat. pro Coel. 25. Hinc illae lacrimae *nimirum, & haec cauſa eſt horum omnium ſcelerum atque criminum.* Horat. Lib. I. Epiſt. 20. 39.

Non ego nobilium Scriptorum auditor & ultor,
Grammaticas ambire tribus, & pulpita dignor.
Hinc illae lacrimae.

Videtur igitur quaſi in proverbium abiiſſe.

100. Evadas] Priſcian. Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. Evadat. vertitque Graece: ὡς δέδοικα, ποῖ ἄρα ἀποβαίη.

101. Sepulcrum] Manifeſte notat ipſum locum, ubi comburebatur cadaver. Sequitur enim.

Digitized by Google

So. Quam timeo, quorſum evadas! *Si.* Funus interim
Procedit: ſequimur; ad ſepulcrum venimus:
In ignem impoſita 'ſt: fletur. Interea haec ſoror,

Quam

DONATI.

101. Ad sepulcrum] *Sepulchrum κατ' ἀντίφρασιν* ut diximus, quod ſine re pulcra ſit. an quod ibi ſine pulſu ſint, id eſt, mortui? an quod illic animae a vivis ſepeliantur, id eſt, ſeparentur? Et ſepulcrum dixit futurum, non quod jam eſſet. *Sepulcrum* enim a ſepeliendo dictum. [66] *Virgilius* proprie.

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Impoſuit. ——

102. In ignem posita est] Ἔλλειψις. non enim eſt quae. Et mire. cum *funus* ſupra dixerit. Fletur] Hic bene imperſonaliter, fletur ab omnibus. extrema enim quaeque mortuorum omnes commovent ad lacrimas. Haec soror] Id eſt, quam dixi eſſe ſororem Chryſidis.

OBSERV. IN DONAT.

66. *Virgilius proprie*] Aeneid. VI. 232.

COMMENTARIUS.

enim continuo: in ignem imposita est. Pariter Tacitus Annal. II. 73. *Corpus, antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochenſium, qui locus* ſepulturae *deſtinabatur, praetuleritne veneficii ſigna, parum conſtitit.* Florus III. 21. 21. *Quinctius Mucius Scaevola Pontifex, Veſtales amplexus aras, tantum non eodem* ſepelitur *igne.* Cicero pro Flacco cap. 95. *Qui vos in complexu conjugum veſtrarum trucidatos incendio patriae* ſepelire *conatus eſt.* Et Fam. IV. 12. Sulpicius ſcribens de Marcelli funere locum rogi itidem *ſepulturam* vocat. Nec aliter intelligendus locus Nepotis, Eum. cap. 13. *Antigenus autem Eumenem mortuum propinquis ejus* ſepeliendum *tradidit. Hi militari honeſtoque funere, comitante toto exercitu humaverunt, oſſaque ejus in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberoſque ejus deportanda curarunt.* Suet. Domit. cap. 15. Sepeliri *quoque accuratiſſime imperavit. Quod cum fieret, evenit, ut repentina tempeſtate dejecto funere ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes.* Eodem reſpexit Plautus Menaechm. I. 2. 43. ubi cyathos ſorbillando diem producturus Menaechmus inquit:

Clam uxorem ubi ſepulcrum *habeamus, atque hunc comburamus diem.*

Verum, ohe, ſatis teſtimoniorum. An ideo locus rogi *ſepulcrum* dictus, quod quandoque oſſa ſepelirentur eodem loco, quo cadaver erat combuſtum? Exemplum refert Virgilius Aeneid. XI. 211. Cicero tamen de Legib. II. 23. Hominem mortuum, *inquit Lex in XII. Tabulis,* in urbe ne sepelito, neve urito. Additque, *Credo vel propter ignis periculum. Quod autem addit,* neque urito, *indicat, non qui uratur, ſepeliri, ſed qui humetur.* Scilicet humandi ritus antiquior apud Graecos & Romanos, quam comburendi.

102. Imposita] Ita edidi ex Mſſ. quibuſdam. Sed & ita recenſuit olim Heinſius.

Fletur] A praeficis maxime naenias canentibus; ſed & a Glycerio & pediſequis. Vide Aelian. Var. Hiſt. VI. 1. & quae ibi notavit Cl. Perizonius. Graphice autem hunc morem deſcribit Theocritus. Idyll. XV. 134.

Λύσασαι δὲ κόμαν, καὶ ἐπὶ σφυρὰ κόλπον ἀνεῖσαι,
Στήθεσι φαινομένοις, λιγυρᾶς ἀρξώμεθ' ἀοιδᾶς.
Et ſolutis crinibus ac veſte ad talos demiſſa,
Pectoribus apertis canorum incipiemus cantum.

Adde Ciceronem Tuſc. Quaeſt. III. 26. Sed & tibiae in funeribus adhiberi ſolitae, quarum cantus proprie θρῆνος dictus. Donatus ad Adelph. V. 7. 7. Suet. Caeſ. cap. 84. Propinqui autem & amici mortuum *deflere* dicebantur. Ovid. Metam. II. 338.

Nymphae paſſis fonteſque lacuſque
Deflevere *comis.*

Et Metam. XV. 486.

Extinctum Latiaeque nurus, populuſque, patreſque
Deflevere *Numam.*

 Unde

Digitized by Google

Quam dixi, ad flammam acceſſit imprudentius,
Satis cum periclo: ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene diſſimulatum amorem & celatum indicat.
Adcurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut conſuetum facile amorem cerneres,

Re-

DONATI.

103. Ad flammam] Innuit affectum ſororis, unde omnes [67] vinceret: caeteri enim flent: haec flammae ſe ingerit. [68] *Virgil.*

Extinctum Nymphae crudeli funere Daphnim,
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

104. Ibi tum exanimatus] A voluntate, a facultate, a ſummo ad imum, ubi ſunt dicta & facta, ibi eſt πάθος. Et mire *ibi.*

105. Bene diſſimulatum] Bene, multum. an quaſi dolens, quod etiam negaturus ſit Chremeti, dixit *bene?* Indicat] Omnia ſignificanter. non *oſtendit*, inquit, ſed *indicat*, non accedit, ſed *adcurrit*, non veſtem aut manus, ſed *mediam mulierem*, non tenet, ſed *complectitur.* & quia his tribus rebus inducitur in alicujus rei geſtionem perſona: affectu, facto, dicto. Affectus eſt, quod ait, Ibi tum exanimatus Pamphilus. Factum, quod ait, Adcurrit, mediam mulierem complectitur. Dictum, quod ait, Mea Glycerium, quid agis? cur te is perditum? Indicat] *Indicium* proprie eſt oris & linguae: factus ergo indicat: non enim dixit, *amo.*

106. Adcurrit] [69] Virgilius:

Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos.

107. Mea Glycerium] Mea, quaſi amator, Glycerium, quaſi familiaris dixit. Quid agis?] Quaſi perturbatus. Cur te is perditum?] Quaſi conſolaturus.

108. Ut conſuetum facile amorem cerneres] Mire, non [70] ſuſpicaretur dixit, ſed *cerneres.* & eſt ordo, ut facile cerneres. ſed *cerneres*, ſicut ſupra, *Laudem invenias & amicos pares.*

OBSERV. IN DONAT.

67. *Vinceret*] Mſ. Hulſt. *Vicerit.* rectius.
68. *Virgilius*] Eclog. V. 20.
69. *Virgilius*] Aeneid. IV. 645.
70. *Non ſuſpicaretur, dixit*] Lege, *Non ſuſpicareris, dixit.*

COMMENTARIUS.

Unde *indefleti* & *vagari* dicti ſine ſepultura mortui. Ovid. Metam. VII. 611.

Qui lacriment, deſint, indefletaeque vagantur
Natorumque virûmque animae, juvenumque, ſenumque.

Virgil. Aeneid. XI. 371.

Scilicet ut Turno contingat regia conjux,
Nos animae viles, inhumata infletaque *turba*
Sternamur campis.

Eadem *funera tacita* dicta. Ovid. Triſt. I. 3. 21.

Quocunque adſpiceres, luctus gemituſque ſonabant,
Formaque non taciti funeris *intus erat.*

107. Glycerium] Appoſitum meretriculae nomen a *dulcedine* dictum. Plauto *Glycera* dicitur, & Martiali XIV. 187. unde ὑποκοριστικὸν eſt Γλυκέριον.

Quid agis?] Formula reprehendendi & a conſilio avertendi alterum. Cicero Catil. I. 11. *Marce Tulli*, quid agis? Ovid. Metam. II. 74.

Finge datos currus. quid agas?

Cur te is perditum?] Plaut. Truc. II. 7. 7.

ipſus perditum ſe it.

109. Rejecit se in eum, flens, qdam familiariter] Sequutus ſum hanc diſtinctionem, ut pateret, verum ſenſum eſſe, Glycerium flentem ſe rejeciſſe quam familiariter, atque inde conſuetum utriuſque amorem potuiſſe cerni. Neque enim Flens quam familiariter ſatis Latine dicitur. Pareus non minus ſignificanter edidit:

Rejecit ſe in eum flens. quam familiariter!

Omnino autem videtur a tergo adcucurriſſe Pamphilus, mediam Glycerium amplexus, quia ipſa

Rejecit ſe in eum, flens, quam familiariter.
So. Quid ais! *Si.* Redeo inde iratus, atque aegre ferens.
Nec ſatis ad objurgandum cauſae. diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?
Quae ſeſe in ignem injicere voluit, prohibui;
Servavi. honeſta oratio eſt. *So.* Recte putas:
Nam ſi illum objurges, vitae qui auxilium tulit;

DONATI.

109. REJECIT SE IN EUM] Objicitur ei quod a Glycerio factum eſt: ut, *Quis enim unquam tam palam de honore, tam vehementer de ſalute ſua contendit, quam ille atque illius amici, ut ne haec mihi delatio detur?*

110. QUID AIS!] [71] Non interrogantis, ſed mirantis eſt. IRATUS ATQUE AEGRE FERENS] IRATUS, culpa, AEGRE FERENS, quia praeter ſpem.

111. NEC SATIS] Mire expreſſit indulgentiam patris erga filium. Erat, inquit, cauſa: ſed pro amaritudine objurgationis non erat ſatis, hoc eſt, non idonea videbatur. NEC SATIS AD OBJURGANDUM] Deeſt *habui*, vel *erat.* [72] *Virgilius:*

—— *Nec ſat rationis in armis.*

& hic, *erat* vel *habui*, deeſt ad ſententiam. DICERET] Deeſt *enim.*

112. QUID FECI?] Mire fiduciam praetulit argumento, quod eſt in ſequenti verſu.

QUID FECI, QUID COMMERUI, AUT PECCAVI] Αὔξησις a majoribus ad minora. Et FECI quaſi facinus dixit. *Facere* enim quis & homicidium dicitur. *Commerui*, minoris culpae eſt: *Peccavi*, [73] multo minoris & levioris.

113. QUAE SESE] Illic, *mea Glycerium*, hic pronomen dixit. Mira diſſimulatio, tanquam illam praeter periculum neſciat.

115. NAM SI ILLUM] Argumentum per ratiocinationem a contrario. ut ſi dicas, *Viro forti praemium debetur, ſi deſertori poena conſtituta eſt.* TULIT] Pro attulit. Sed multa ſignificat. Et alias *pertulit.* [74] *Virgilius:*

Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Choroebus.

Alias *ſuſtulit*: ut [75] idem,

Omnia fert aetas, animum quoque.

pro *aufert.*

OBSERV. IN DONAT.

71. *Non interrogantis, ſed mirantis*] Vere haec Donatus. Unde interrogandi ſignum tollendum recte monuit Tanaq. Faber, ſcribendumque, QUID AIS!

72. *Virgilius*] Aeneid. II. 314.

73. *Multo minoris & levioris*] Mſ. Hulſt. *Multo majoris vel gravioris.* Et paulo ante, *a minoribus ad majora.* Ubi vulgo, *a majoribus ad minora.*

74. *Virgilius*] Aeneid. II. 407.

75 *Idem*] Eclog. IX. 51.

COMMENTARIUS.

ipſa REJECIT SE IN EUM. Sic Phaed. V. 2. *Rejecta penula.* h. e. in tergum remota. Ubi peſſime Interpres Gallus: *jettant ſon manteau par terre.* Suet. Aug. 26, *Princeps legationis* rejecto *ſagulo oſtendit gladii capulum.* Fuit igitur Glycerium reſupinato vultu & reflexa cervice. Fabrini ſubobſcure: *Si laſciò andar nelle ſue braccia.* quod eſt, immiſit ſe in ejus amplexus. Anteſignanus ſervata eadem voce: *Elle ſe rejetta ſur lui.* Dacieria nihilo melius: *Elle ſe laiſſa aller ſur lui.* Quae Donatus h. l. habet, corrupta videntur, & ἀπροσδιόνυσα

111. OBJURGANDUM] Lenius quid eſt *objurgare*, quam accuſare. Unde Cicero Att. II. 1. *Quod me quodammodo molli brachio de Pompeii familiaritate* objurgas, *nolim ita exiſtimes.* Objurgantur autem maxime filius, diſcipulus, amicus. De diſcipulo Quinctilianus Inſtit. Orat. I. 3. *Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit* objurgatio.

114. HONESTA ORATIO EST] Imitatus Cicero de Orator. II. 20. *Dictu quidem eſt proclive,*

Digitized by Google

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes poſtridie ad me, clamitans,
Indignum facinus! comperiſſe, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. ego illud ſedulo

Ne-

DONATI.

116. Illi] Pro illo. Dederit damnum aut malum] Damnum, rei eſt: malum, ipſius hominis.

117. Venit Chremes] Argumentum ex conjectura, de teſtibus. Et mire ſupra, *Ultro venit ad me.* Ergo hic cauſa juſti doloris oſtenditur, quia dolet etiam Chremes: nam potuit, non daturus filiam, non venire. Poſtridie ad me, clamitans] Ut ſine dilatione ſciri poſſet. & clamitans, indignantis eſt, ut, *Clamant omnes.*

118. Indignum facinus] Diſtinguendum, ut per ſe intelligatur *indignum facinus*; & ipſe doleat Pamphilum corrumpi. Comperiſſe] Ergo ab aliis. [76] ut appareat verum quod ait. *Tum uno ore omnes.* &, *Hac fama impulſus Chremes.* Indignum facinus comperiſſe] Deeſt *ſe*: [77] incertaque diſtinctio. Pamphilum] Cum emphaſi dixit, id eſt, pudentem & bene moratum. Et non amicam, ſed pro uxore. Mire ergo, quaſi non hoc doleat quod amet, ſed quod *pro uxore* habeat. Et ſimul excuſatur filiam denegaturus ſocer.

119. Hanc peregrinam] Hanc, cum contemptu dictum eſt. & peregrinam, ut alibi: *Adeone eſt demens? ex peregrina?* nam hoc nomine meretrices etiam nominabantur. Ego illud ſedulo] Quanto affectu pater factum, quod viderat, negabat! Sedulo] Quomodo ſedulo, ſi negabat? an *ſedulo*, ut Soſiae? id eſt, ſimpliciter. Sedulo] Quia non ſemel negavit, vel ille inſtitit.

OBSERV. IN DONAT.

76. *Ut appareat verum*] Mſ. H. & Lindenbr. *ut appareat everſum.* Et ſane melius.

77. *Incertaque diſtinctio*] Atqui modo dixit, *diſtinguendum, ut per ſe intelligatur*, indignum facinus. Quis igitur credat, utrumque eſſe ab eadem manu.

COMMENTARIUS.

itaque vulgo loquuntur, ſe in beneficiis collocandis non mores hominum, ſed fortunam ſequi. Honeſta oratio eſt. H. e. ſpecioſa, vel virum honeſtum decens. Unde Ratio, quod eſt in quibuſdam Mſſ. non placet. Liv. I. 4. *Quia Deus, auctor culpae* honeſtior *erat.* h. e. ſpecioſior ad excuſandum.

116. Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?] Priſcianus Lib. XVIII. forte e Menandro: τί ἂν ποιήσαις ἐκείνῳ, ὃς ἄρα δέδωκας ἢ ζημίαν, ἢ κακόν; Plaut. Menaechm. II. 1. 42.

Mes. *Quid metuis?* Me. *Ne* mihi damnum *in Epidamno* duis.

Truc. II. 1. 26.

meretricem eſſe ſimilem ſentis condecet.
Quemquam hominem attigerit profecto aut malum aut damnum dari.

Valer. Max. V. 1. 2. Extern. *Si eos, qui nos amant, interficimus, quid his faciemus, quibus odio ſumus?*

118. Comperiſſe] Mſ. Mark. & duo Leidenſes, comperiſſe se. Trajectinus haec judigit, indignum facinus compariſſe. Incertam diſtinctionem dicit Donatus. Praeſtat vero lectio vulgata; ἐμφατικώτερον enim erit, ſi ſenes ita facias loquentes:

Chr. *Indignum facinus!* Si. *quidnam id, obſecro, eſt?* Chr. *comperi, Pamphilum pro uxore habere neſcio quam peregrinam.*

119. Pro uxore] Elegans eſt ſimilitudinis ſignificatio in voce pro. Eun. III. 5. 25. Et Plaut. Ciſtell. I. 3. 24.

educavit eam ſibi pro filia.

Poen. V. 5. 4.

me reliquit pro atrienſi *in aedibus.*

Liv. II. 20. *Dat ſignum: ut quem ſuorum fugientem*

Negare factum: ille inſtat factum. denique
Ita tum diſcedo ab illo, ut qui ſe filiam
Neget daturum. *So.* Non tu ibi gnatum? *Si.* Ne haec quidem
Satis vehemens cauſa ad objurgandum. *So.* Quî, cedo?
Si. Tute ipſe his rebus finem praeſcripſti, pater.

Pro-

DONATI.

120. FACTUM] Imperſonaliter. NEGARE FACTUM] Officium patris, & ſimul per hoc expreſſio probationis. ILLE INSTAT FACTUM] [78] *Plautus*, *Inſtare factum*: ſimilis eſt ἀρχαϊσμός. INSTARE FACTUM] Vetuſte, id eſt, inſtat dicere factum eſſe. DENIQUE] Quid denique? ad ſummam properat, & ad finem dictorum. DENIQUE] Id eſt, poſtremo.

121. DISCEDO] Proprie. non enim abeo. Unde *diſceſſio*. UT QUI SE NEGET] Probavit; quod non volebat ſenex, Soſiae: adhuc ſupereſt ut oſtendat, [79] quod non ſit iraſcendum, quin juſte iraſcatur.

122. NON TU IBI GNATUM] Ἀποσιώπησις, vel ellipſis. deeſt, invaſiſti, objurgaſti, adortus es. AD OBJURGANDUM] Incuſandum, inclamandum.

124. TUTE HIS REBUS] Modo non addidit, *diceret*.

OBSERV. IN DONAT.

78. *Plautus*] Merc. II. 1. 18. Eſt vero corruptiſſima Donati lectio, ita reſtituenda ex ipſo Plauto: *Inſtare factum Simia. Eſt* ἀρχαϊσμός.

79. *Quod non ſit iraſcendum, quin juſte iraſcatur*] Mſ. H. *Quod non ſit iracundus, qui juſte iraſcitur.* Verba erudita, & Donato digna.

COMMENTARIUS.

gientem viderint, pro hoſte *habeant*. Aliter Plautus Truc. II. 4. 38.

qui quaſi uxorem
Me habebat.

120. INSTAT FACTUM] h. e. contendit, urget. Plaut. Curc. III. 6.

Si magis me inſtabunt, *ad Praetorem ſufferam.*

Inde *inſtantia*, Graece ἔνστασις.

DENIQUE] Valet, ut paucis dicam. Vide Heaut. I. 1. 17. & Graevium ad Cic. Fam. X. 10.

121. UT QUI] Horat. Serm. I. 1. 23.

ne ſic, ut qui *jocularia ridens*
Percurram.

Et I. 3. 9.

Nil aequale homini fuit illi. ſaepe velut qui
Currebat fugiens hoſtem; perſaepe velut qui
Junonis ſacra ferret.

Similem vim habet *quaſi*. Phaed. III. 2. 7.

abeunt ſecuri domum,
Quaſi *inventuri mortuam poſtridie.*

124. TUTE IPSE HIS REBUS FINEM PRAESCRIPSTI] Mſ. Mark. TUTE, HIS REBUS FIN. PRAESCR. Codices Leidenſes omnes, TUTE IPSE. Gulielmius componens cum verbis Ciceronis Verr. V. 63. *Statui egomet mihi tum modum orationi meae*, Noſtrum ita citat: TUTE IPSE HUIC REI STATUISTI MODUM, PATER. Crediderim, memoria lapſum, non inſpecto Comico. Fallitur vero doctiſſima Dacieria, ſcribens: *Quand les Latins ont dit au pluriel*, hae res, his rebus, *ils ont toûjours parlé de l'amour.* Contrarium enim vel ex ipſo Terentio conſtat. Si enim maxime Adelph. IV. 5. 37.

auctor his rebus *quis eſt*?

de amoribus intelligendum; certe Soſtrata, Hec. IV. 2. 17. amicas, cognatas, feſtos dies intelligit, quum dicit,

nihil pol jam mihi iſthaec res *voluptatis ferunt.*

Adde Phorm. IV. 3. 60.

Uxori emunda ancillula 'ſt, tum pluſcula
Supellectile opus eſt, opus eſt ſumtu ad nuptias.
His rebus *ſane pone*, *inquit*, *decem minas.*

Alios Scriptores mitto.

125.

Prope adeſt, quum alieno more vivendum 'ſt mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus eſt objurgandi locus?
Si. Si propter amorem uxorem nolit ducere;
Ea primum ab illo animadvertenda injuria 'ſt.
Et nunc id operam do, ut per falſas nuptias
Vera objurgandi cauſa ſit, ſi deneget.

Si-

DONATI.

125. PROPE ADEST] Prope adſunt nuptiae: in proximo ſunt metae libertatis: & ideo avidius voluptaria ſub finem carpenda ſunt. QUUM ALIENO] QUUM, pro *quo*; hoc enim ſignificat *quum*. MEO ME VIVERE INTEREA MODO] MEO MODO, mea voluntate, meo arbitrio.

127. RELICTUS EST OBJURGANDI LOCUS] Mire OBJURGANDI: tanquam incenſus pater in filium videretur. Nam ſupra commotus, plus per *ἀποσιώπησιν* ſignificaverat.

123. SI PROPTER] Hoc erat ſecundum in diviſione: ET CONSILIUM MEUM COGNOSCES. SI PROPTER AMOREM] Initium conſilii ſui demonſtrandi. NOLIT] Legitur & NOLLET.

129. AB ILLO ANIMADVERTENDA INJURIA] Nota participium a paſſivo. ANIMADVERTENDA, caſtiganda, vindicanda eſt. AB ILLO INJURIA] Quam facit, non quam patitur. EA PRIMUM ANIMADVERTENDA] Ut jam hoc ſit peccatum, quod recuſat nuptias, non quod peccat adoleſcens. Ideo ergo primum dixit, animadvertenda injuria eſt, vindicanda, exequenda eſt. Et bene EA AB ILLO dixit INJURIA. certiſſimam enim notat perſonam, quae debeat pro injuriis poenas ſolvere. quod ſi dixiſſet, *Injuriam ejus*, *ἀμφιβολίαν* feciſſet, utrum quam paſſus eſt ab alio, an quam ipſe aliis intulit.

130. ET NUNC ID] Hic reddit quod dixerat, *Conſilium meum cognoſces*. ID] Id eſt, *propter id*.

131. VERA] *Ἀντίθετον*. quia [80] *falſa* dixit, intulit *vera*.

OBSERV. IN DONAT.

80. *Falſa*] Lege omnino, *Falſas*. Dixerat enim, *per falſas nuptias*.

COMMENTARIUS.

125. ALIENO MORE] Arbitrio, lege. Heaut. I. 2. 29.

Hunccine erat aequum ex illius more, *an illum ex hujus vivere?*

Virgil. Aeneid. I. 268.

more*ſque viris & moenia ponet.*

Ubi Servius leges etiam mores dici ait.

126. SINE NUNC MEO ME VIVERE INTEREA MODO] Mſſ. quidam: SINE NUNC ME MEO INTEREA VIVERE MODO. Dixit autem MEO MODO, pro, meo arbitrio.

Eun. V. 3. 11.

Spero, me habere, qui hunc meo *excruciem* modo.

Heaut. II. 4. 21.

Hoccine me miſerum non licere meo modo *ingenium frui!*

129. AB ILLO ANIMADVERTENDA INJURIA] Dixit, INJURIA AB ILLO, pro, injuria ab illo profecta, ſeu, injuria illius, locutione comica. Sic infra III. 1. 3.

Ab Andria *'ſt ancilla haec.*

& paſſim alibi. Lucret. II. 50.

neque fulgorem reverentur ab auro.

Virgil. Georg. II. 243.

dulceſque a fontibus *undae.*

Henr. Swaerdecronius mallet, AB ILLO dictum, pro, illi, ut ſenſus eſſet, Haec injuria animadvertenda eſt ab illo. h. e. oportet Pamphilus animadvertat, ſe eſſe injurium in me. Praeter mentem, opinor, Terentii. Oportebat id jam dudum

Simul ſceleratus Davus ſi quid conſilî
Habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli:
Quem ego credo manibus pedibuſque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obſequatur gnato. *So.* Quapropter? *Si.* Rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego ſi ſenſero!
Sed quid opus eſt verbis? Sin eveniat, quod volo,

In

DONATI.

134. Manibus pedibusque] Proverbiale, id eſt, [81] omnibus membris. Obnixe] Cum conatu, inſtanter contra conantem.

135. Magis id] Id, propter id. Incommodet] Noceat, incommodum afferat. Mihi ut incommodet] [82] Non enim, inquit, prodeſt filio amare meretricem.

136. Quapropter] Mire Soſia interrogat, quaſi nulla cauſa ſit fallendi dominum.

137. Mala mens] Voluntas eſt mens; etiam ratio. Mala mens] Argumentum a natura, & an aliquis ſine cauſa malus, an ab impulſione. Mala mens] Quia dixit, Magis ut laedat, quam ut proſit. Quem quidem ego si ſensero] Ἀποσιώπησις eſt, graviſſimam poenam oſtendentis.

OBSERV. IN DONAT.

81. *Omnibus membris*] Quod Lindenbruchius teſtatur eſſe in Mſ. idem praefert Mſ. Hulſt. ſcilicet, *omnibus verbis.* Scripſerit igitur Donatus: *omnibus nervis.*

82. *Non enim, inquit, prodeſt filio amare meretricem*] Lege: *Non enim illi prodeſt, filium amare meretricem.*

COMMENTARIUS.

dudum animadvertiſſe Pamphilum. Aliud igitur quid quaerebatur, locus ſcilicet objurgandi & dictis confutandi Pamphili, atque ita uti par erat, in eum animadvertendi. Infra IV. 4. 28.

o facinus animadvertendum!

132. Davus] Daci olim Davi dicti. Eſt vero dudum obſervatum eruditis, ſervis nomina a gente, unde oriundi erant, eſſe data. Ita enim Scholiaſtes Theocriti ad Idyll. V. Εἰώθασι δὲ οἱ παλαιοὶ τοῖς δούλοις ὀνόματα τιθέναι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν. Interpres Juvenalis ad Sat. VI. 351. *Antiquitus ſervis nomina ex gentibus ſuis ponebantur.* Varro tamen aliter, De Analogia Lib. I. *Tres quum emerent Epheſi ſingulos ſervos, nonnunquam alius declinat ab eo, quod vendidit Artemidorus, atque Artemam appellat; alius ab regione, quod ibi emit, ab Ionia Ionem; aut ab urbe Epheſo Epheſium; ſic alius ab alia aliqua re, ut viſum eſt.* Unde apparet, non ſemper a gente, ſed & a venditoribus, a novis dominis, vel ab aliis quibuſcunque rebus eſſe dictos.

133. Ut consumat nunc] Eodem ſenſu *conſilia conſumi* dicuntur, quo dixit in Prologo, *operam abutitur.* Eſt enim omnes nervos intendere, nec quidquam intentatum relinquere. Cicero Fam. VI. 14. *Me ſcito omnem meum laborem, omnem operam, curam, ſtudium in tua ſalute* conſumere. Ovid. Metam. VIII. 106.

Conſumtis *precibus violentam tranſit in iram.*

Obsint] Ita Mſſ. & editiones veteres, quas vidi, omnes. Faërnus obsunt malebat, cui adſentitur Guyetus. Non male, niſi auctoritate deſtituerentur.

134. Manibus pedibusque] Sic infra IV. 1. 52.

Conari manibus pedibuſque, *noctes & dies.*

Ex Aeſchylo, Καὶ χειρὶ, καὶ ποδὶ, καὶ πάσῃ δυνάμει, laudat Gerardus Falkenburgius in Scholiis Mſſ. Homericum eſt, χερσίν τε ποσίν τε. Vid. Eraſm. in Adag.

135. Mihi ut incommodet] q. d. incommodum det. Contrarium eſt Hec. V. 1. 33. & apud Ciceronem, Fam. XIII. 35. *Omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis*, ei commodes.

137. Mala mens, malus animus] Videtur dictum Ariſtophanis in animo habuiſſe, qui in Irene. verſu 1068. ita de Laconibus: δολιαὶ

F ψυχαί,

In Pamphilo ut nihil ſit morae, reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt; & ſpero confore.
Nunc tuum eſt officium, has bene ut adſimules nuptias:
Perterrefacias Davum: obſerves filium,
Quid agat, quid cum illo conſilii captet. *So.* Sat eſt.

Cu-

DONATI.

140. EXORANDUS] Legitur & *expurgandus.* Si *expurgandus*; lege *cui*, non *qui*: quia *cui* per Q veteres ſcripſere. CONFORE] Ab eo quod eſt *confit*, id eſt, perficitur, futurum tempus infinitivi modi *confore*, id eſt perfectum iri. Sic in Adelphis,

Verum quid ego dicam? hoc confit quod volo.

Conferi, id eſt, perfici; unde *confectum negotium* dicitur, vel *confecta res*: quae ad plenum perficitur. [83] *Virgilius*:

—— nunc qua ratione quod inſtat,
Confieri poſſit, paucis, adverte, docebo.

141. NUNC TUUM EST OFFICIUM] Hoc ad illud tertium reſpicit, quod dixit, *Et quid facere in hac re te velim.* HAS BENE UT ADSIMULES NUPTIAS: PERTERREFACIAS DAVUM] hoc erat tertium de his, quae dicturum ſe promiſerat. ADSIMULES] Hoc eſt unum verbum. ADSIMULES: quod dixit, *Quin tu uno verbo dic, quid eſt quod me velis.*

OBSERV. IN DONAT.

83. *Virgilius*] Aeneid. IV. 115.

COMMENTARIUS.

ψυχαὶ, δόλιαι φρένες. Porro autem modo animum menti, modo mentem animo tribui, recte notavit Boeclerus in Chreſtomathia, v. *Animus.* Quare haec ſollicite diſtinguere non placet, neque *mentem* pro tota indole, *animum* pro conſiliis & voluntate ſumere. Adelph. V. 3. 43. junguntur *ingenium atque animus.* Plaut. Epid. IV. 1. 4.

Pavor territat mentem animi.

Cicero Philipp. II. 12. *Aliis conſilium, aliis animus, aliis occaſio defuit; voluntas nemini.*

140. CONFORE] E ſacris petita vox, qua Augures extis inſpectis rem feliciter ſucceſſuram pronuntiabant. Adelph. V. 8. 23.

hoc confit, *quod volo.*

141. BENE UT ADSIMULES] Ita dixit BENE ADSIMULES, uti Phaedrus I. 10. *pulcre negas*, h. e. callide. vel poſſit τὸ BENE h. l. eſſe particula αὐξητικὴ, notans etiam atque etiam, vehementer. Lucret. V. 706.

Donicum eum contra pleno bene *lumine fulſit.*

142. OBSERVES FILIUM] Bene Donatus: *Obſervatio in duabus rebus eſt, in obſequio, & ſpeculando.* Praecipit igitur perpetuam quaſi curam & cuſtodiam Pamphili, ne vel ſolus quidquam agere, vel cum Davo quid conſilii capere poſſit, quin Soſia illud quaſi ex ſpecula animadvertat. Infra II. 5. 1.

Herus me, relictis rebus, juſſit Pamphilum
Hodie obſervare, *ut, quid ageret de nuptiis,*
Scirem.

Plaut. Menaechm. V. 2. 38.

Quid ille faciat, ne id obſerves.

Seneca Epiſt. XLI. *Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum* obſervator *& cuſtos.* Plin. Paneg. cap. 40. *Nemo* obſervator, *nemo caſtigator adſiſtet.* Idem & *ſervare dixerunt.* Infra I. 3. 7.

Me infenſus ſervat.

Eandem vim habere Graecorum τηρεῖν & φυλάσσειν, ſed & Hebraeorum שמר, pluſculis exemplis docet Thomas Gatakerus, Diſſert. de ſtilo Novi Teſtam. cap. 18.

144.

Curabo, eamus jam nunc intro. *Si.* I prae; ſequar.

DONATI.

142. Perterrefacias] Venuſte & poëtice. Observes filium] Obſervatio in duabus rebus eſt, in obſequio, & ſpeculando.

144. Curabo] Ut coquus: & ſupra ſic; *Nempe ut curentur recte haec.* I prae] Figura ἀναςροφὴ, quod nos *praei* dicimus.

OBSERV. IN DONAT.

84. *Ut coquus*] Nihil ineptius. Neque enim coenam coquere juſſus erat. Et *curari* dicitur, quidquid conficiendum ſuſcipitur.

COMMENTARIUS.

144. Jam nunc] Particulae hae eleganter junguntur. Heaut. II. 3. 135.

Jam nunc *haec non eſt tua.*

Ovid. Arte Am. Lib. III. 59.

Venturae memores jam nunc *eſtote ſenectae.*

Habet vero *jam* majoris celeritatis ſignificationem, quam *nunc*. Sic infra III. 6. 16. IV. 1. 59. Heaut. IV. 6. 18. maximam vero celeritatem *jam jam* indicat.

Sequar] Faernus, Victorius, Guyetus, sequor. Sic Plaut. Amph. II. 1. 1.

Amph. *Age, i tu ſecundum.* So. Sequor; ſubſequor *te.*

ACTUS PRIMI

SCENA SECUNDA.

Simo. Davus.

Si. Non dubium eſt quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere ſenſi, ubi nuptias

Fu-

DONATI.

Non dubium] *Narratione jam habita, perſona Soſiae non erat neceſſaria: ergo ſubſiſtit ſenex, per quem agenda ſunt reliqua.*

Non dubium] Ad hoc certus inducitur Simo, ut magis perturbetur inopinata conſenſione Pamphili ad ducendam uxorem, & praeterea nihil agat cum Chremete de tradenda filia, confirmandiſque nuptiis.

2. Ita Davum modo timere sensi] Non receſſit de loco ſenex: *Senſit* ergo ante, quam cum

OBSERV. IN DONAT.

1. *Narratione jam habita*] Mſ. Lindenbr. *Narratione peracta.* Mſ. Hulſt. *Peracta narratione.*

COMMENTARIUS.

1. Non dubium est] Quatuor hi verſus in quibuſdam Mſſ. etiam in Donato manu exarato, Scenam II. conſtituunt.

2. Timere sensi] Ubi id ſenſerit? certe non in theatro; ergo vel intus, vel apud forum.

Futuras eſſe audivit. ſed ipſe exit foras.
Da. Mirabar, hoc ſi ſic abiret: & Heri ſemper lenitas
Verebar quorſum evaderet.
Qui poſtquam audierat non datum iri filio uxorem ſuo,
Nunquam cuiquam noſtrum verbum fecit, neque id aegre tulit.

Si.

D O N A T I.

cum Soſia loqui coepiſſet: Ita modo] Argumentum quod ſupra, ab eo quod noſtri faciunt. Modo] ante quam cum Soſia loqui coepiſſet Simo. Et Davus non recte ſcribitur. *Davos* ſcribendum: quod nulla litera vocalis geminata unam ſyllabam facit. Sed quia ambiguitas vitanda eſt nominativi ſingularis, & accuſativi pluralis: neceſſario pro hac regula digamma utimur, & ſcribimus, [2] *DaFus*, *ſerFus*, *corFus*.

4. Mirabar hoc] Hic locus eſt, in quo Davus inſinuatur, ſpectatoribus multa geſturus. Si sic] Sic, pro leviter & negligenter, quod Graeci οὕτως dicunt. [3] ſignificat autem οὕτως, *ſic*: & eſt de his, quae adjuvanda geſtu ſunt: ut, *tantillum puerum*: &, *Hujus non faciam*. Lenitas] Clementia, facilitas. cui contraria aſperitas & difficultas. Et heri semper lenitas. An *ſemper lenitas?* vt ſit ἀεί. [4] *Lucretius*:

---- *Semper florentis Homeri.*

Semper lenitas] Ac per hoc ſimulata uſque nunc lenitas: nam nemo in diverſis actibus ſemper lenis eſt: niſi forte fictus aſſimulator & callidus. Semper lenitas] Sine differentia eſt importuna lenitas.

5. Quorsum evaderet] Ad quam partem erumperet. Et *evadere*, eſt per quamcumque difficultatem ad aliquid pervenire.

7. Verbum fecit] Non dixit litigium, aut rixam, ſed verbum. [5] Iſtae exiguitates, aſſeverationes dicuntur. & cum pronuntiatione: ut intelligatur: *ne verbum quidem*. Neque id aegre tulit] Hoc eſt, *ſemper lenitas*.

O B S E R V. I N D O N A T.

2. Davus, servus, corvus] Rob. Stephanus, Davus, servus, corvus. Mſ. Hulſt. omittit.

3. *Significat autem οὕτως ſic*] Atqui id jam dixerat. Sunt igitur verba Interpolatoris.

4. *Lucretius*] Lib. I. verſu 125.

5. *Iſtae exiguitates, aſſeverationes dicuntur*] Mſ. Hulſt. *Iſtae exiguitates aſſeverationes dicuntur.*

C O M M E N T A R I U S.

4. Mirabar, hoc si sic abiret] Quod impune fit, *abire* dicunt. Catull. XIV. 16.

Non, non hoc tibi, falſe, ſic abibit.

Eadem ratione homines *auferre* quid inultum dicuntur. Par vocum conſtructio occurrit Phorm. III. 2. 5.

Mirabar ſi *tu mihi quidquam afferres novi.*

neglexit Hugenius in Indice.

Heri semper lenitas verebar quorsum evaderet] Adſentior Guyeto, Hyphen non agnoſcenti in his verbis, ſed ita ordinanti: *ſemper verebar, quorſum heri lenitas evaderet*. Similis tranſpoſitio frequens apud Comicos. Caeterum exempla τῶ ἀεί ab Emmeneſſ. collecta vide ad Virg. Ecl. 1. 7.

Namque erit ille mihi ſemper Deus.

ubi τὸ *ſemper* notat Servio *& poſt mortem*, *& dum vivit*. Deſcribit autem hanc lenitatem patris ipſe Pamphilus. infra I. 5. 27.

qui me tam leni *paſſus eſt animo uſque adhuc,*
Quae meo cumque lubitum eſt animo, facere.

5. Verebar, quorsum evaderet] Sic ſupra I. 100.

Quam timeo, quorſum evadas!

Adelph. III. 5. 63.

illaec licentia
Profecto evadet *in magnum aliquod malum.*

7. Cuiquam nostrum] Intelligit conſervos ſuos. Intra III. 2. 38.

omnes nos quidem
Scimus, quam miſere hanc amaris.

Vsa-

Si. At nunc faciet; neque, ut opinor, ſine tuo magno malo.
Da. Id voluit, nos ſic nec opinantes duci falſo gaudio,
Sperantes jam, amoto metu; interea oſcitantes opprimi;
Ne eſſet ſpatium cogitandi ad diſturbandas nuptias.

Aſtu-

DONATI.

8. FACIET] Subaudiendum *verbum.* & eſt *faciet* perſona tertia, pro prima. FACIET] Id eſt, iraſcetur, denuntiabit, loquetur. SINE TUO MAGNO MALO] Id eſt, comminabitur tibi, & minas contemnes, ut ad poenas pervenias.

9. ID VOLUIT] Aut abſolute accipiendum ID: aut ID, quomodo SIC, demonſtratio eſt, ut magis geſtu quam ſenſu intelligatur, ut ſupra diximus. NEC OPINANTES] Υ'φὶς. DUCI] *Ducere* eſt expectatione longi temporis malum ptolatare: vel *induci*, ut ferae in retia. FALSO GAUDIO] Velut ex ira, & vitae ſenis iracundia.

10. AMOTO METU] Iſta ſingula ſunt. Et AMOTO METU, ſic dixit, quaſi metus ſit corpus brutum, quod cum molimine movetur. OSCITANTES] *Oſcitatio* eſt animi otium & ſecuritas, dictum ab *ore ciendo*, id eſt, commovendo. *Oſcitantes*, ſecuri, id eſt, nihil providentes.

11. COGITANDI AD DISTURBANDAS] *Miranda locutio: ut ſi dicat, *Cogitat ad dicendum.*

OBSERV. IN DONAT.

6. *Miranda locutio*] Mſ. Hulſt. *Mira locutio.* Quanquam nec miranda locutio, nec mira, ſi, quod obſervat Boeclerus in Chreſtomathia, τὸ *cogitandi* ſeorſim ſumas.

COMMENTARIUS.

VERBUM FECIT] Stomachatus eſt. Catull. LXXV. 6.

verbum *non* faciet *patruus.*

ſed & *verbum* ſimpliciter pro altercatione & jurgio. Hec. III. 1. 33.

Fortaſſe unum aliquod verbum *inter eos iram hanc conciverit.*

Magis proprius ejuſdem locutiouis ſenſus eſt infra IV. 4. 13.

verbum *ſi mihi*
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, *cave.*

9. DUCI] De ſimplicibus maxime dicitur & incautis. Notat vero in longam ſpem trahi, atque ita eludi. Plaut. Moſtell. III. 2. 26.

Hoc habet. reperi, qui ſenem ducerem.

Capt. IV. 2. 7.

Hic ille eſt ſenex ductus, *quoi verba data ſunt.*

Unde & tempus & res dicuntur duci, h. e. proferri. Tacit. Annal. II. 34. *Sermonibus variis* tempus *atque iter* ducens. Gell. IV. 10. *Ejus rei gratia* ducendae *longa oratione utebatur, eximebatque dicendo diem.*

10. SPERANTES JAM] Integrum hunc verſum, ut nothum, rejicit Guyetus, haud cogitans, non cohaerere ita, quae ſequuntur, NE ESSET SPATIUM COGITANDI AD DISTURBANDAS NUPTIAS. Sane enim ſi opprimerentur necopinantes Pamphilus & Davus, OMNE SPATIUM COGITANDI eadem opera illis adimeretur. Adelph. II. 2. 20.

illud vide,
Ut in ipſo articulo oppreſſit!

Diſtinxi autem, SPERANTES JAM, AMOTO METU; contra ac vulgo fit. vulgo ita: SPERANTES, JAM AMOTO METU. Sed minus apte.

OSCITANTES] H. e. ſecuros, non advertentes animum. Cic. Mil. 21. proprie: *Adde inſcitiam pranſi, poti,* oſcitantis *ducis.* Plaut. Menaechm. V 2. 80.

Ut pandiculans oſcitatur.

de inſaniam ſimulante. Appoſitus eſt locus Gellii IV. 20. *Deliberatum eſt de nota ejus, qui ad Cenſores ab amico advocatus eſt, & in jure ſtans, clare nimis ac ſonore* oſcitavit: *atque inibi, ut plecteretur, fuit; tanquam illud indicium vagi animi foret & allucinantis, & fluxae atque apertae ſecuritatis.*

11. UT NE ESSET] Mſſ. quidam, NE ESSET. DISTURBANDAS] H. e. omni ope impediendas, quo fierent minus, & quaſi turbine quodam diſſipandas. Cic. Fam. XI. 21. Diſturbavi *omnem rem, totamque nobis integram reſervari.*

Aſtute! *Si.* Carnufex, quae loquitur! *Da.* Herus eſt, neque provideram.

Si. Dave. *Da.* Hem, quid eſt? *Si.* Ehodum ad me. *Da.* Quid hic volt? *Si.* Quid ais? *Da.* Qua de re? *Si.* Rogas?

Meum gnatum rumor eſt amare. *Da.* Id populus curat, ſcilicet! *Si.*

DONATI.

12. ASTUTE] Hoc & geſtu, & vultu ſervi-ſi, & cum agitatione capitis dixit. CARNUFEX] Aut excarnificans dominum, aut ipſe dignus carnifice, ut caro fiat, id eſt, lanietur. *Lucilius*:

Carcer vix carcere dignus.

NEQUE PROVIDERAM] Providentia duplex eſt: aut enim animo, aut oculis providemus.

13. HEM] Quaſi correptio totius corporis. EHODUM] Nutus eſt, intentionem animadverſionemque depoſcens ejus, cum quo vult loqui. EHODUM] *Dum*, παρέλκον eſt hoc loco. QUID HIC VOLT] More ſervili, & vernili geſtu. ſic enim vocati a dominis ſervi vultuoſe [a] agunt. QUA DE RE] Negantis vim habet haec interrogatio. plus eſt enim QUA DE RE, quam *nihil*. ROGAS] Hoc cum interrogatione indignantis.

14. MEUM GNATUM RUMOR EST AMARE] Mire apud ſervum diſſimulat id, quod jam probavit. MEUM GNATUM RUMOR EST AMARE] Graviter, conſtanterque ſenex nondum ſe fatetur credere, nec verum ſcire: ne amittat vim vindicaturi, ſi reſcierit. ID POPULUS CURAT, SCILICET!] Quia rumigeratio populi eſt. ſed hoc averſus ab illo, contumaciter. ſic [b] *Virgilius*:

Scilicet is ſuperis labor eſt. ——

Scilicet, ſemper cum εἰρωνείᾳ ponitur.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Vultuoſe agunt*] Lego: *Vultuoſe ajunt.*

8. *Virgilius*] Aeneid. IV. 379.

COMMENTARIUS.

12. PROVIDERAM] Quidam Mſſ. Libri & editi, PRAEVIDERAM. Sic & Mſ. Donati. Plaut. Aſin. II. 4. 44.

Non hercle te providetam *quaeſo ne vitio vertas.*

13. QUA DE RE?] Formula eorum, qui vel ignorant, vel ignorare ſe fingunt, de qua re quis loquatur. Infra V. 4. 6.

S. *Itane huc paratus advenis?* CR. Qua de re?

14. ID POPULUS CURAT] Ita reſpondet, quia dixerat Simo, RUMOR EST. q. d. in ore eſt omni populo. Dixit autem proprie. Unde imitatus Cicero Attic. XIII. 34. *De quo quae fama ſit, ſcribes.* Id populus curat, ſcilicet. *non mehercule arbitror.* Et Fam. XV. 17. Populus non curabat. Ad. Q. Fr. III. 9. *De dictatore tamen actum adhuc nihil eſt. Pompeius abeſt: Appius miſcet: Hirrus parat: multi interceſſores numerantur*, populus non curat: *principes nolunt: ego quieſco.*

15. HOCCINE AGIS? AN NON?] Formula eſt, qua utimur in eos, quos ad ſermonem noſtrum non advertere animum credimus. Et ſane, ubi Simo dixiſſet, *meum gnatum rumor eſt amare*, Davus, quaſi id non audiviſſet, nihil quidem reſpondet Simoni, ſed ad ſpectatores converſus ſalſe inquit, *Id populus curat, ſcilicet.* Simo igitur nihil ſibi reſponderi a Davo cernens, iracunde dicit, *Hoccine agis, an non?* q. d. audis tu, quae dico, & ea conſideras, an non? Mox ergo Davus, ne heri iram in ſe concitet, *Ego vero iſthuc*, inquit, ſub. ago. Sic Eun. II. 3. 56.

CH. *alias res agit.*
PAR. *Iſtuc ago quidem.*

Eſt autem formula a ſacris deſumta, teſte Plutarcho in Numa: Ὡς γὰρ φασὶ τοὺς Πυθαγορικοὺς οὐκ ἐᾶν ἐκ παρόδου προσκυνεῖν καὶ προσεύχεσθαι τοῖς θεοῖς, ἀλλ' οἴκοθεν εὐθὺς ἐπὶ τοῦτο γνώμῃ παρεσκευασμένους βαδίζειν, οὕτως ᾤετο ὁ Νυμᾶς χρῆναι τοὺς πολίτας μήτε ἀκούειν τι τῶν θείων, μήτε ὁρᾶν ἐν παρέργῳ καὶ ἀμελῶς, ἀλλὰ σχολὴν ἄγοντας

Si. Hoccine agis, an non? *Da.* Ego vero iſtuc. *Si.* Sed nunc
ea me exquirere,
Iniqui patris eſt. nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi, animum ut expleret ſuum:
Nunc

D O N A T I.

15. Hoccine agis] *Agis*, id eſt, audis. Alibi ſic, *Hoc age, amabo.* [9] Plautus: *Hoc agite ſultis, ſpectatores, nunc jam.* Pronuntians ſimul demonſtrative, veluti aurem ſuam tangens. Istuc] Deeſt *age*, vel *audio*.

16. Iniqui patris est] Iniqui eſt, ſi nunc velim quaerere actus liberos adoleſcentis. Nam quod antehac fecit] Pro *antehac*, conſuetudine magis, quam ratione dicitur. Nihil ad me] Id agit, ut ſuperius conſilium ſe ſervare oſtendat.

17. Dum tempus ad eam rem tulit] Abſolute. & deeſt *ſe*: ut ſit, Dum tempus ſe praebuit: quia ſupra dixit, *Tute his rebus finem praeſcripſiſti, pater.* Sivi, animum ut expleret suum] Mira ratio cur ſiverit, ut & hoc quod permiſit: ad bonam frugem permiſerit, non ad luxuriam. Sivi autem diſtingue: eſt autem sivi, modo, permiſi, ceſſavi. Sivi, antique. Aliter in Adelphis:

Non ſivit egeſtas facere hoc nos,

OBSERV. IN DONAT.

9. *Plautus*] Aſinar. Prol. verſu 1.

COMMENTARIUS.

τας ἀπὸ τῶν ἄλλων καὶ προσέχοντας τὴν διάνοιαν ὡς πράξει μεγίστῃ τῇ περὶ τὴν εὐσέβειαν, ψόφων τε καὶ πατάγων καὶ στεναγμῶν, καὶ ὅσα τοιαῦτα τοῖς ἀναγκαίοις, καὶ βαναύσοις πόνοις ἕπεται, καθαρὰς τὰς ὁδοὺς ταῖς ἱερουργίαις παρέχοντας. Ὧν ἴχνος τι μέχρι νῦν διασώζοντες, ὅταν ἄρχων πρὸς ὀρνίσιν ἢ θυσίαις διατρίβῃ, βοῶσιν Ὅκ ἄγε. σημαίνει δὲ ἡ φωνή, τοῦτο πρᾶσσε, συνεπιστρέφουσα, καὶ κατακοσμοῦσα τοὺς προστυγχάνοντας. *Siquidem, ut Pythagoraeos ajunt non permittere, ut obiter quis adoret & ſupplicet Diis, verum ut domo ſtatim mente ad id meditatus accedat, ita cenſuit Numa decere, nihil ut cives rei divinae audirent vel viderent perfunctorie vel ſolute, ſed vacui curis aliis velut ſummo negotio religionis adverterent animum, viaſque a ſtrepitu, crepitu, gemitu & omnibus quae comitantur neceſſarias & vulgares operas, ad ſacras praeſtarent puras. Quorum veſtigium nonnullum vel hoc aevo manet Romae. Quum conſul auſpicatur vel immolat*, Hoc age, *proclamant. qua voce eos, qui aſſiſtunt, admonent, ut componant ſe ad id, quod agitur.* Idem in Coriolano: Ὅταν ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς πράττωσί τι τῶν θείων, ὁ κῆρυξ πρόεισι μεγάλῃ φωνῇ βοῶν. ὍΚ ἌΓΕ. Σημαίνει δ' ἡ φωνή, τοῦτο πρᾶττε. προσέχειν κελεύουσα τοῖς ἱεροῖς. *Nam quum Magiſtratus & Sacerdotes quid rei divinae faciunt, antecedens praeco magna voce clamat,* Hoc age. *qua voce rebus divinis jubens intentos eſſe.* Vide porro Briſſon. de Form. Lib. I. Eun. I. 2. 5.

Hoc agite, amabo.

Phorm. II. 3. 3.

Quin tu hoc ages.

Senec. de Clement. I. 12. *Et cum in vicino, ad aedem Bellonae ſedens, exaudiſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito ſenatu,* Hoc agamus, *inquit, P. C. ſeditioſi pauculi meo juſſu occiduntur.* deſcribitur tyrannis Sullana. Suet. Calig. 58. Galb. 20. Sed nunc ea me exquirere, iniqui patris est] Nota corruptos Atticae diſciplinae mores. Cui gemina ſunt exempla Chremetis, Heaut. I. 2. & III. 1. Lachetis Hec. IV. 4.

16. Quod] Sunt ex Mſſ. & editionibus vetuſtis, in quibus eſt quae. & mox, attinent.

17. Dum tempus ad eam rem tulit] Locutio rarior. Uſitatius adoleſcentia, aetas, tempus, tempus aetatis, res, *ferre quid* dicuntur, non, *ad quid.* Neque Donati expoſitio ſatis placet. Si enim tempus maxime ſe dare & praebere dicitur, *Tempus ſe tulit*, ἄκυρον tamen videtur. Conjunxerim igitur tempus ad eam

rem,

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat. [viam.
Dehinc poſtulo, ſive aequum 'ſt, te oro, Dave, ut redeat jam in
Da. Hoc quid ſit? *Si.* Omnes qui amant, graviter ſibi dari
uxorem ferunt.

Da.

D O N A T I.

18. Nunc hic dies aliam vitam adfert] Hoc eſt, recte, & ſevere, & inexorabiliter denuntiat. Aliam vitam, pro diverſam & contrariam. Sic & [10] *Virgilius*:

Dis aliter viſum ——

19. Te oro Dave] Gravius illud fecit, nomen appellando. Ut redeat jam in viam] Jam modo tarditatis eſt ſignum. & in viam dixit, quaſi qui devius ſit, & errarit a recta via. Ut redeat jam in viam] Proverbiale. Sive aequum est] Ἐπανόρθωσις.

20. Hoc quid sit] Ἔλλειψις. deeſt enim *quaeris*.

O B S E R V. I N D O N A T.

10. *Virgilius*] Aeneid. II. 428.

C O M M E N T A R I U S.

rem, quando tulit erit *ſivit*, *permiſit*. Sic *occaſio ad eam rem* dixit Plautus, Bacch. IV. 4. 22. Quin noſter Eun. IV. 1. 7.

ad eam rem tempus non erat.

Senſus igitur erit, dum tempus amorum & liberioris vitae ſivit, ſivi ut expleret animum ſuum. Quomodo & major oppoſitio erit in iis, quae continuo ſequuntur: *Nunc* hic *dies* aliam *vitam adfert*, alios *mores poſtulat*. Atque ita plana ſunt omnia, opinor, in loco adhuc ab Interpretibus intacto.

Animum ut expleret suum] Explemus & noſtrum & alterius animum. Hec. V. 1. 28.

exple animum his.

utrumque animo morem gerere eſt, ſeu obſequi animo.

18. Hic dies] Nuptiarum ſcilicet. Supra I. 1. 75.

Hic nuptiis dictus eſt dies.

Infra I. 5. 33.

diem

Quia elim in hunc ſunt conſtitutae nuptiae.

Alios mores postulat] Hoc illud eſt, quod dicturum Pamphilum narrat Simo, ſupra I. 1. 125.

alieno more *vivendum eſt mihi.*

Plaut. Mil. IV. 8. 48.

Quum venit mihi in mentem, ut mores mutandi ſient,
Muliebres mores diſcendi, obliviſcendi ſtratiotici.

Citat locum Cicero, Fam. XII. 25. ſed unius vocis mutatione: *Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores poſtulat, ut ait Terentius.* Zenobii fertur illud: Ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα.

19. Sive aequum est] Senſum commodum non video, ſi τὸ sive h. l. ſit disjunctivum, ut, eſt in Fabri Theſauro. Malim igitur dictum pro, vel si aequum est. poterat enim iniquum videri, ſervum orari abs hero. Infra I. 5. 58.

Sive *te haec ſolum ſemper fecit maximi.*

Res plana ex Cicerone, Fam. IX. 13. *Peto igitur a te*, vel, ſi *pateris*, *oro*.

Oro] Sic infra III. 4. 16.

Nunc te oro, *Dave.* Mirum vero, Terentium facere Simonem, qui per totam fabulam nihil de paterna ſeveritate remittit, ſervo ſupplicantem. Sed & pater filium orat, Hec. I. 2. 41.

Quum pater, uxorem ut ducat, orare *incipit.*

Ad quae Donatus, *maxima neceſſitas eſt orans pater.* Ita igitur & h. l. maximae neceſſitatis indicium eſt orans herus. quanquam ſimul vim jubendi intendit. Unde veriſſime Servius ad Virg. Aen. VI. 116.

Idem orans mandata dabat,

haec notat: *Major enim ad impetrandum vis eſt, eum rogare, qui poſſit jubere.*

Ut redeat jam in viam] Cic. Philipp. XII. 2. *Quod ſi eſt erratum, P. C. ſpe falſa atque fallaci*, redeamus in viam. Eun. II. 2. 14.

teta

Digitized by Google

Da. Ita ajunt. *Si.* Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum,
Ipſum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.

Da.

DONATI.

21. ITA AJUNT] Haec credunt & loquuntur univerſi. & eſt " trepida confeſſio, & quaſi inviti reſponſio: ut in Heautont. *Ita credo:* monente patre filium. TUM SI QUIS MAGISTRUM] Μεταφορικῶς. an quia & paedagogus eſt magiſter? ut Geta in Phormione,

Me filiis relinquunt quaſi magiſtrum.

AD EAM REM] Id eſt, ſuper eam rem; hoc eſt, ſuper amorem.

22. ANIMUM AEGROTUM] Pro *aegrum.* nam animus aeger, corpus aegrotum.

OBSERV. IN DONAT.

21. *Trepida confeſſio*] Mſ. Hulſt. & Lindenbr. *tepida conſenſio.*

COMMENTARIUS.

tota erras via.

Adelph. V. 3. 43.

quovis illos tu die
Reducas. Sub. in viam.

Sed & hinc decedere de via eſt errare, peccare. Cic. pro Coel. 16. *Huic triſti ac directo ſeni reſponderet Coelius, ſe nulla cupiditate inductum de via deceſſiſſe.* Sermo eſt de illicitis amoribus. Plaut. Caſ. II. 7. 17.

Tandem redii vix veram in viam.

Perſ. I. 1. 1.

Qui amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris vias.

Apulej. Apolog. II. *Quid multis? juvenem ſimplicem, praeterea novae nuptae illecebris obfrenatum ſuo arbitrio de via deflectit.*

20. HOC QUID SIT] Mſ. Mark. MIROR, HOC QUID SIT. Leidenſis Codex primus addit, NESCIO, ſecundus, IGNORO, ſed utrumque diverſa manu. Fabrini bifariam reddit: *io non ſo, che coſa ſia queſta. Io mi maraviglio, che coſa ſia queſta.* Phorm. V. 3. 23. diſertius:

miror, hoc quid ſit.

Pareus ex Mſ. Palatino citat, DA. HOC QUID SIT, NESCIO. SI. HOC QUID SIT, DICAM. OMNES QUI AMANT. Gloſſemata ſunt omnia; quale & illud, quod in Mſ. Argentorat. vidit Boeclerus: HOC QUID SIT, NESCIO. S. SI QUAERAS, DICAM, OMNES. Optime omnium ellipſin ſupplevit Donatus, niſi quod ἀντὶ τοῦ QUAERIS, legendum QUAERO. meditabundi enim vultum fingit ſcelus. Cic. Fam. V. 1. *Quod cujuſmodi ſit, ſatis intelligere non poſſum.* Poſſit tamen fortaſſe interrogative dictum eſſe, HOC QUID SIT? pro, Quid dicam hoc eſſe? Virg. Aen. X. 19.

Namque aliud quid ſit, quod jam implorare queamus?

Quando nihil ſubaudiendum. Sic Plaut. Amph. II. 2. 137.

Quid hoc ſit hominis!

Quae explicandi ratio ſi minus placet, poſſit abruptus Davi ſermo videri per Simonem continuo narrare pergentem, connectendus cum illis,

Non, hercle, intelligo.

Certe quidem ejuſmodi loquendi ratio frequens eſt in Comoediis.

UXOREM] Quidam libri ſcripti & editi, UXORES.

21. ITA AJUNT] Formula non ex animo aſſentientium, & cum contemtu. Infra II. 1. 21.

CH. *hodie uxorem ducis?* P. ajunt.

Adelph. V. 8. 7.

D. *Proba & modeſta.* MI. ita ajunt.

MAGISTRUM] h. e. conſultorem, conſilii auctorem. Seneca in Thyeſte Act. II. 311.

Saepe in magiſtrum *ſcelera redierunt ſua.*

Phaed. II. 6. 15.

Simul & magiſtrae *large diviſit dapem.*

de cornice, quae conſilium dederat aquilae. Cic. Fam. IX. 7. *Vel jam ſciemus: adventat enim Dolabella. Eum puto* magiſtrum *fore.*

22. IPSUM ANIMUM AEGROTUM AD DETERIOREM PARTEM PLERUMQUE APPLICAT] Si τὸ IP-

Da. Non hercle intelligo. *Si.* Non? hem. *Da.* Non: Davus ſum, non Oedipus.

Si. Nempe ergo aperte vis, quae reſtant, me loqui? *Da.* Sane quidem.

Si. Si ſenſero hodie quidquam in his te nuptiis
Falla-

DONATI.

23. Hem] Interjectio eſt iraſcentis. Davus sum, non Oedipus] Multiplex contumelia. poteſt enim ſenem quaſi ſphingem dixiſſe, id eſt, deformem monſtrique ſimilem. poteſt etiam inhumanum & ferum, ut ſphinx. Poteſt etiam per Oedipum ſe ultorem promittere futurum, atque oppreſſorem ſapientiae ſenis. Davus sum, non Oedipus] Facete ſe negavit Oedipum, ut ſenem ſphinga eſſe confirmet, non Oedipum. Imitationum duo ſunt genera: quandam neceſſitas, quandam introducit voluntas. Non Oedipus] Si Latine pronunties, genitivus *Oedipi* faciet: ſi Graece, *Oedipodis.*

24. Sane quidem.] Sane, valide: quia qui ſanus; & validus eſt.

25. Si sensero] Comminatio, [12] & fit pronuntiatio, ut in ſingulis verbis ardeant minae. Hodie] Non ad tempus non plenum, ſed ad comminationem refertur. ut [13] *Virgilius: Nunquam omnes hodie moriemur inulti.* Et *dies* pro nocte accipitur: ut hoc ipſum,

Nunquam omnes hodie moriemur inulti.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Fit pronunciatio*] Lege, *ſic pronunciatur.* τὸ *ſic* eſt in MS. Hulſt.

13. *Virgilius*] Aeneid. II. 670.

COMMENTARIUS.

sum referas ad animum aegrotum, languere videtur ſententia. Crediderim igitur, ſcripſiſſe Poetam, ipsu' animum, h. e. ipsus, idque a Librariis mutatum in ipsum. Praeterquam quod offendit ſaepius repetita terminatio in vocibus, *improbum, ipſum, animum, aegrotum.* Melius vero, quod ad rem, Strobilus Plauti, Aul. IV. 1. 7.

Si herum videt ſuperare amorem, hoc ſervi eſſe officium reor,
Retinere ad ſalutem: non eum, quo incumbat, eo impellere.

Idem officium Phaedriae praeſtat Parmeno, Eun. I. 1. Ut vero Noſter dixit animum aegrotum de juvene in viam reducendo, ita Ciceroni Catil. II. 5. *Sanare* eſt in viam reducere. Et Caeſari B. C. I. 35.

23. Davus sum, non Oedipus] Multo elegantius erit dictum, ſi verum eſt, quod habet Gloſſarium: *Davus,* ἄφρων, ἄπειρος. Eurip. Hippolyt. 346.

Οὐ μάντις εἰμὶ τἀφανῆ γνῶναι σαφῶς.

verba ſunt nutricis. Ex Epicharmo citat Guyetus, quod tamen in fragmentis ſententiarum illius non reperi:

Ο'ιδίπυς τύνη πότ' ἂν
Α'ινίγματ' ὐ νοεῖς.

Plautus Poen. I. 3. 34.

Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo
Opus eſt conjectore, qui ſphingi interpres fuit.

Pſeud. I. 5. 49.

cenſeas,
Non Pſeudolum tecum loqui, ſed Socratem.

Quod vero de *contumelia* dicit Donatus, vereor ne acutius dictum ſit, quam verius.

25. Hodie] Eleganter comminationi inſervit. Infra V. 2. 25.

Age nunc jam ego pol hodie, *ſi vivo, tibi*
Oſtendam, herum quid ſit pericli fallere, &
Illi patrem.

Virg. Aen. II. 670.

nunquam omnes hodie *moriemur inulti.*

Plaut Curc. V. 3. 11.

Th. *quia ego ex te* hodie *faciam pilum catapultarium,*

Atque

Digitized by Google

Fallaciae conari, quo fiant minus:
Aut velle in ea re oſtendi, quam ſis callidus:
Verberibus caeſum te, Dave, in piſtrinum dedam uſque ad necem;
Ea lege atque omine, ut, ſi te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid?

DONATI.

26. Quo FIANT MINUS] Quo MINUS, hoc eſt, quo impeditius.

28. VERBERIBUS CAESUM TE, DAVE, IN PISTRINUM] Vult in pronomine & nomine exagitare comminatione ſervum, ne quid relinquat iracundiae. DEDAM] *Dare*, eſt quod repetas: *Dedere*, eſt ad perpetuum. *Damus* & amicis: *Dedimus* tantum hoſtibus.

29. EA LEGE ATQUE OMINE] LEGE, ad homines: OMINE, ad rem divinam refertur. [14] id eſt firmamentum, per humana & divina. *Omen* autem eſt, quicquid ore dicitur. EA LEGE ATQUE OMINE] Bene LEGE ATQUE OMINE, quia leges [15] auſpiciis ſervatis ferebantur. Ergo ſic intellige, quaſi dixerit, ea lege & conditione. Et antiqui auſpicato [16] omina faciebant, quae rata eſſe vellent.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Id eſt firmamentum, per humana & divina*] Lege, *Et eſt firmamentum per hum. & div.*

15. *Auſpicis ſervatis*] Mſ. Hulſt. *auſpiciis ſervatitiis*, quod & Lindenbruchius invenit in Excerpt. Reg. & Mſ. Cod. Dan.

16. *Omina faciebant*] Lege *omnia faciebant*. Ita eſt in Mſ. Hulſt. & editione Rob. Stephani.

COMMENTARIUS.

Atque ita te nervo torquebo, itidem ut catapultae ſolent.
PH. *Delicatum te* hodie *faciam cum catello ut accubes,*
Ferreo ego dico.

27. OSTENDI] Ita poſt Faërnum plures legendum eſſe contendunt. Ego nullus dubitem, quin ſcripſerit Terentius, OSTENDERE, cum quod quidam libri ſcripti & editorum vetuſtiſſimi ita legunt, tum, quod Latinius dictum videtur, CONARI, AUT VELLE OSTENDERE. Cic. Fam. III. 10. *Aut ea in re animum oſtendere inimicum, quum nihil obſis.*

28. VERBERIBUS CAESUM TE, DAVE, IN PISTRINUM DEDAM] Forte ſcripſerat Menander:
Μαςιγωθέντα σ' εἰς τὸν μύλων' ἐμβαλῶ.
Plaut. Epid. I. 2. 18.
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo.
Aſin. I. 1. 22. locum eum lepide vocat,
ubi vivos homines mortui incurſant boves.
Servius vero ad Virg. Aen. I. 183. auctor eſt, ante molas inventas torreri ſolitum frumentum, tum in pilum, ſeu vas ſaxeum injectum pinſi, id eſt, contundi; quod proprie dictum pinſere fruges, inde pinſores, poſtea piſtores dictos, uti locus ipſe piſtrinum. Ceterum piſtrinenſe illud ſupplicium fuiſſe graviſſimum abunde conſtat, cum ex Noſtro, tum e Plauto, aliiſque. Fuit tamen, teſte Aeliano V. H. XIV. 18. Chius quidam homo, qui lenius id exiſtimavit. Verba Aeliani: *Ἀνὴρ Χῖος ὀργιζόμενος τῷ οἰκέτῃ, ἐγώ σε, ἔφη, οὐκ εἰς μύλην ἐμβαλῶ, ἀλλ' εἰς Ὀλυμπίαν ἄξω. Πολλῷ γὰρ ᾤετο πικροτέραν, ὡς τὸ εἰκὸς, εἶναι τιμωρίαν ἐκεῖνος, ἐν Ὀλυμπίᾳ θεώμενος ὑπὸ τῆς ἀκτῖνος ὀπτᾶσθαι, ἢ ἀλεῖν μύλῃ παραδοθέντα.*

29. EA LEGE] Loquendi ratio a JCtis petita. Legem enim ſeu conditionem pacto contrahentes adjicere ſolent. Unde Brocardicum: *Pacta dant legem contractui.* SI TE INDE EXEMERIM, EGO PRO TE MOLAM] Similis locutio illa Plautina, Menaechm. V. 8. 9.
ME. *Liberum ego te juſſi abire?* MES. *certo.*
ME. *quoi certiſſimum eſt*
Mepte potius fieri ſervum, quam te unquam emitti manu.
Ubi *mepte* valet *memet*,

Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem?
Da. immo callide:
Ita aperte ipſam rem modo locutus, nihil circuitione uſus es.
Si. Ubivis facilius paſſus ſim, quam in hac re, me deludier.
Da.

DONATI.

30. AN NONDUM ETIAM] Quartum παρέλκον, quia abundat ETIAM.

31. IPSAM REM] Ipſam rem, id eſt, voluntatem ſuam, aut interminationem ſuam: hoc eſt, piſtrinum & poenas ſerviles. NIHIL CIRCUITIONE] NIHIL, pro non. CIRCUITIONE; periphraſi. USUS ES] Legitur & USOR ES.

32. UBIVIS FACILIUS] Admonitio. UBIVIS FACILIUS] Cicero: *Non eſt in hac cauſa peccandi locus ullus.*

COMMENTARIUS.

30. QUID? HOC INTELLEXTIN'? AN NONDUM ETIAM NE HOC QUIDEM?] Sic Plaut. Amph. II. 1. 30.

33. BONA VERBA, QUASSO] Id Graeci in ſimili re εὐφήμει, εὐφήμει, εὐφήμιτον dicebant. Ariſtoph. Nub. III. 1. 20. Plaut. Caſin. II. 5. 38.

Benedice. Dis ſum fretus. Deos ſperabimus.

Sic Aul. IV. 10. 57.

NIHIL ME FALLIS. SED DICO TIBI] Neſcio quomodo h. l. non placet τὸ SED. Si conjecturam facere fas eſt, dixerim literam *S* repetitam ex praecedente FALLIS, *D* vero ex ſequente DICO, atque adeo legendum eſſe, EDICO, totumque locum ita diſtinguendum: IRRIDES? NIHIL ME FALLIS. EDICO TIBI, NE TEMERE FACIAS Scilicet, cum geſtu joculari dixerat Davus, BONA VERBA, QUAESO. Quod intelligens Simo, IRRIDES? inquit, NIHIL ME FALLIS. Ubi vero videt, ne vel ita ullum metus ſignum indicare vultum Davi, intendit vocem, EDICO TIBI, NE TEMERE FACIAS. Certe huc reſpexit Simo, quum Davo haec in memoriam redigens ait infra III. 2. 15.

edixin' tibi?
Interminatus ſum, ne faceres? num veritus?

Sed & Magiſtratus civibus, heri ſervis proprie *edicere* quid dicebantur. Unde *Edicta Praetorum.* Plaut. Capt. IV. 2. 31.

Baſilicas edictiones habet.

Infra III. 2. 15.

Edicis, ne vir quiſquam ad eam adeat.

Dubium omne tollit Donatus ad III. 2. 15. illa notans: *Hic illud redit*, EDICO TIBI, NE TEMERE FACIAS.

34. NE TEMERE FACIAS] h. e. calide, audacter. Senec. Epiſt. XIX. *Cogita quam multa temere pro pecunia, quam multa laborioſe pro honore tentaveris: aliquid & pro otio audendum eſt.* Hinc *temeritas* pro audacia. Senec. Benef. VII. 3. *Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculiſque veſtigia felix temeritas egit.*

NEQUE TU HOC DICAS TIBI NON PRAEDICTUM] Ita Mureto auctore vulgo nunc editur. Olim ita: NEQUE TU HAUD DICAS. Quod praetulerim. Certe neque ſummorum Criticorum auctoritate caret, neque aliter legendum Donato placuit. Graeciſſat locutio, majoremque vim habet, quam ſi ſimpliciter dixiſſet, NEQUE DICAS. Georg. Fabritius inter παρέλκει ſpecies refert, ad Heaut. IV. 3. 7. dicens, eſſe *pernegantium.* Et citat Gudius ad Phaed. I. 25. Et ſane haud raro Latini Graecos imitati per duas negationes non affirmant, ſed fortius negant. Plaut. Epid. IV. 1. 6.

Neque ea nunc ubi ſit, neſcio.

h. e. plane neſcio. Cic. Attic. III. 3. *Quem quidem ego nec quomodo viſurus, nec ubi dimiſſurus ſim, neſcio.* Ita enim pro vulgato *ſcio* legunt Victorius & Graevius. Infra Eun. V. 9. 47.

Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex uſu tuo
Nemo eſt.

Cato apud Feſtum: *Lapideo corde ſunt multi, quos non miſeret neminis.* Cic. Verr. II. 24. *Debebat Epicrates nullum nummum nemini.* Proxime vero ad locum, qui prae manibus eſt, accedit illud Plauti Bacchid. IV. 9. 114.

Neque ego haud committam, ut, ſi quid peccatum ſiet,
Feciſſe dicas de mea ſententia.

Uti vero Noſter, NEQUE TU HAUD DICAS, TIBI

Digitized by Google

Da. Bona verba quaeſo. *Si.* irrides? nihil me fallis. ſed dico tibi,
Ne temere facias: neque tu hoc dicas, tibi non praedictum. Cave.

DONATI.

33. Bona verba quaeſo] Hic in εἰρωνείᾳ eſt εὐφημισμός. Quaſi dicat, meliora loquere, rogo te. ergo cum admonitione, Bona verba, inquit, rogo. Nihil me fallis] Non te ignoro, non me decipis. Sic *Menander*: τοῦ καί οὐδὲν λέληθάς με ἄν. Nihil me fallis] Figura eſt ἑλληνισμός. a loco οὐδέν με λανθάνοις ἄν. Fallis] Lates, ut ſic οὐδέν με λέληθας. Nihil me fallis] Nihil, pro *etiam nunc*.

34. Neque tu haud dicas, tibi non praedictum] Duae negativae faciunt unam affirmativam: tres negativae pro una negativa accipiuntur: ut hic, *Neque haud non.* [17] Salluſtius, *Haud impigre, neque inultus occiditur.* Vera ergo lectio eſt, Neque tu haud dicas. Quod plurimi non intelligentes, hoc dicas legunt. Neque haud tu dicas] Vera lectio, *Neque haud dicas*, eſt enim quintum παρέλκον. Plautus [18] in Bacchid.

Neque haud ſubdititia gloria oppidum arbitror.

OBSERV. IN DONAT.*

17. *Salluſtius*] In fragmentis.

18. *Bacchid.*] Atqui hodie non comparent haec Plautina in Bacchidibus. Poſſint videri excidiſſe ex Actus IV. Scena IX. ubi multa eſt mentio jocularis oppidi.

COMMENTARIUS.

bi non praedictum. cave; ita Plautus Pſeud. I. 5. 102.

Praedico, ut caveas: dico, inquam, ut caveas. cave.

Demum, ſi accuratius Simonis ſententiam conſideres, omnino languere videbitur τὸ hoc, nec ſatis dignum ſtilo Terentiano. Sive enim ita ordines: Neque tu dicas, hoc tibi non praedictum, ſive, quomodo eſt in uno Mſſtorum Leidenſium, neque hoc tu dices, tibi non praedictum, laborabit elegantia. Primum enim, hoc praedictum non magis ſe approbat, quam ſi Davus, litigans cum Simone, dixiſſet, hoc renunciatum, infra III. 2. 21. In altero, uti Latiniſſimum eſt, hoc tu dices, ita inferri debebat, mihi non praedictum; ut appareret, quid dicturus fuiſſet Davus. Ita plane Heaut. I. 1. 20.

At enim dices, me, quantum hic operis fiat, poenitet.

Quod multis partibus elegantius, quam, ſi dixiſſet, *At enim dices, poenitere te, quantum hic operis fiat.* Quanto iniquior eſt Tanaq. Faber, plane falſam Donati lectionem pronuncians; ſcilicet quia & infra III. 2. 19.

Ne tu hoc mihi poſterius dicas, Davi factum conſilio ac dolis.

Ibi enim nihil impedit, quo minus illa, *Davi factum conſilio ac dolis*, per μίμησιν dicta ſint. Quin ſi aliter accipias, dicendum fuerat, *meo conſilio factum ac dolis.* Atqui ita lectionem quam praefero, ſatis eſſe vindicatam exiſtimo.

ACTUS PRIMI

SCENA TERTIA.

DAVUS.

ENIMVERO, Dave, nihil loci 'ſt ſegnitiae, neque ſocordiae,
Quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptiis.
Quae ſi non aſtu providentur, me aut herum peſſumdabunt.
Nec quid agam certum 'ſt: Pamphilumne adjutem, an auſcultem ſeni:

Si

DONATI.

ENIM VERO, DAVE] *Hic brevis & comica deliberatio eſt, magna exſpectatione populum rerum imminentium commotura, metu & cura aeſtuantis Davi conſideratione propoſita.*

1. ENIMVERO, DAVE] Omnis perſona aut ab altero commendatur, aut ſe ipſam populo commendat, [1] aut & ab altero & a ſe ipſa. ut hic Davi, & per Simonem ſupra deſcripta eſt, ubi dicit, *Mala mens, malus animus*: & hic per ſe, dum hoc geſtu ac ſermone agit ac diſputat ſecum. ENIMVERO, DAVE] *Enimvero*, ſignificationem habet nimium permoti atque irritati animi. [2] Cicero, *Hic tum alius ex alia parte. Enimvero ferendum hoc non eſt: vocetur mulier.* SEGNITIAE] Ad agendum. SOCORDIAE] Ad conſiderandum.

2. QUANTUM MODO] QUANTUM, pro *in quantum.*

3. QUAE SI NON ASTU] Exhortatio a periculo. PROVIDENTUR] Proviſio rerum duas ſignificationes habet. *Providemus* enim nobis tam bonum, quam malum. Malum, ſicut ſi quis eminus veniens, telum providerit atque ſic caverit. Ergo hic PROVIDENTUR, caventur, vitantur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Aut & ab altero*] Mſ. Hulſt. *Aut & ab altero commendatur.*

2. *Cicero*] Verr. I. 26.

COMMENTARIUS.

1. ENIMVERO] Haec Scena in quibuſdam Libris, etiam Mſſ. jungitur ſuperiori.

NIHIL LOCI 'ST SEGNITIAE, NEQUE SOCORDIAE] Utrumque itidem conjunxit Plautus Aſin. II. 1. 6.

Quin tu abs te ſocordiam *omnem reice*, *&* ſegnitiem *amove.*

Salluſt. Jugurth. 53. Eodem ſenſu: *Dolus Numidarum nihil languidi, nihil remiſſi patiebatur.*

3. QUAE SI NON ASTU PROVIDENTUR] Idem verſus recurrit Phorm. I. 4. 5. Habet autem *providendi* verbum duplicem ſignificatum, atque adeo contrarium, notans & malum cavere, & bonum futurum curare. Priori ſenſu Phorm. V. 2. 14.

Proviſum *eſt, ne in praeſentia haec hinc abeat.*

Cic. Fam. IX. 18. *Actum igitur de te eſt, niſi* provides. Tacit. Ann. II. 77. *Multa, quae* provideri *non poſſint, fortuito in melius caſura.* Cic. Catil. IV. 2. *Quare, P. C. incumbite ad reip. ſalutem*

Si illum relinquo, ejus vitae timeo: ſin opitulor, hujus minas;
Cui verba dare difficile eſt. primum jam de amore hoc comperit.
Me infenſus ſervat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam:
Si ſenſerit, perii. aut ſi lubitum fuerit, cauſam ceperit:
Quo jure, quaque injuria praecipitem me in piſtrinum dabit.

Ad

DONATI.

tantur. Et nuptias velut undam navigio imminentem fecit. quod ſi quis undam ex adverſo venientem prora non exceperit, demerſus undis [3] in peſſum abit. eſt ergo metaphora. ME AUT HERUM] HERUM hic, herilem filium.

4. PAMPHILUMNE ADJUTEM, AN AUSCULTEM SENI] Semper deliberativa habent quendam ſonum, per quem exitus rei demonſtratur: ut hic oſtendit, ſe Pamphilum magis adjuturum, quam verbis ſenis obtemperaturum.

5. SI ILLUM RELINQUO] Partium tractatus, quae ſupra ſunt, *Pamphilumne adjutem, an auſcultem ſeni*. VITAE EJUS TIMEO] Ut alibi, *Syre, tibi timui male*. SIN OPITULOR] Opem ferre dicitur in malis rebus, & iis qui de ſalute dubii ſunt: ut, *Fer opem, ſerva me, obſecro. Opitulor* & *opitulatio* dicta ab opem tollendo, hoc eſt, ferendo. HUJUS MINAS] Subauditur *timeo*.

6. CUI VERBA DARE] *Verba dare*, fallacia eſt: [4] & illud ſpectat, *nihil me fallis*. DIFFICILE EST] Non dicit, impoſſibile eſt. Ergo oſtendit, partem ſe ſequi, quae pro Pamphilo eſt. PRIMUM JAM] Primo, inquit, jam inſenſus eſt ſenex; deinde a Pamphilo gravida eſt Glycerium. PRIMUM JAM] Ὑφ' ἕν. eſt enim ἀναστροφὴ, pro *jam primum*. DE AMORE HOC] *Hoc amore*, ſic, quaſi cum taedio & reprehenſione ejus amoris loquatur.

7. ME INFENSUS] Scilicet de amore filii, ſenex me ſervat, & re vera timendus eſt. SERVAT] Φυλάττει NE QUAM FACIAM] Hoc ad illud ſpectat, *Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum*.

9. QUO JURE, QUAQUE INJURIA] Proverbiale hoc eſt: qualia ſunt, *fas & nefas, nolis velis*.

OBSERV. IN DONAT.

3. *In peſſum abit*] Lego, *peſſum abit*.

4. *Et illud ſpectat*] Mſ. Hulſt. *Ad illud ſpectat*.

COMMENTARIUS.

lutem, circumſpicite omnes procellas, quae impendent, niſi providetis. Poſteriori Cic. Nat. Deor. I. 2. *Sunt autem alii Philoſophi, & hi quidem magni atque nobiles, qui Deorum mente atque ratione omnem mundum adminiſtrari & regi cenſeant: neque vero id ſolum, ſed etiam ab iiſdem vitae hominum conſuli &* provideri. Sunt qui addunt, *& proſpici*.

6. PRIMUM] Ἀνανταπόδοτον eſt; non enim intulit *deinde*. Cic. Fam. II. 9. *Primum tibi, ut debeo, gratulor*. Et VII. 23. *Primum ego ipſas Muſas nunquam tanti putaſſem*. Ubi omiſſo licet *deinde* ſententia tamen eſt perfecta.

7. IN NUPTIIS] Sunt ex Mſſ. & editis Libris, in quibus τὸ IN non legitur.

8. CAUSAM CEPERIT] h.e. praetextum. Infra IV. 1, 19.

tandem inventa eſt cauſa.

Eun. V. 5. 30.

Nam jam diu aliquam cauſam *quaerebat ſenex*.

Cic. pro Quint. 18. *Si iſta* cauſa *abs te tota per ſummam fraudem atque malitiam ficta eſt*? Phaed. I. 1. 4. *Jurgii* cauſam *intulit*. Caeſ. B. G. I. 39. *Aliis alia* cauſa *illata quam ſibi ad proficiſcendum neceſſariam eſſe duceret*.

9. QUO JURE, QUAQUE INJURIA] Tuentur hanc lectionem Mſſ. Leidenſes, ſed & Trajectinus cum Markiano. Variant editiones vetuſtae; quanquam pleraeque cum Mſſ. conſentiunt. Guyetus legebat, QUA JURE, QUAQUE INJURIA. Malim, ſi quid ſollicitandum, integrum locum ita legere & diſtinguere: QUO JURE, QUAVE INJURIA; PRAECIPITEM ME IN PISTRINUM DABIT. q. d. non cogitabit, jurene an injuria id faciat

Ad haec mala hoc mihi accedit etiam: haec Andria,
Sive iſta uxor, ſive amica eſt, gravida e Pamphilo eſt.
Audireque eorum eſt operae pretium audaciam:
Nam incoeptio 'ſt amentium, haud amantium.
Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere.

Et

DONATI.

10. Ad haec] In ipſa re major eſt difficultas, quia gravida eſt Glycerium.

11. Sive iſta uxor] Et hoc cum quodam taedio & indignatione ſtomachi interrumpit.

12. Operae pretium audaciam] Dicitur de mirificis & laudabilibus. nam & ea quae magna ſunt, etiam ſi mala, tamen miramur: quia libenter audimus. & hoc pretium eſt operae, id eſt, audiendi. Et audaciam proprie dixit, ut in Eunucho, *audaciam meretricum ſpecta.*

13. Nam incoeptio 'ſt amentium, haud amantium] Amabant veteres de proximo ſimilia dicere: ut [5] *Cicero*, *Minus charum putavit fore de armario, quam quod de ſacrario fuiſſet ablatum.* Et quidem ſi in verbis ſunt, παρόμοιον dicitur: in nominibus, παρονομασίαν.

14. Quidquid peperiſſet] Majorem reprehenſionem ſonat, *quidquid peperiſſet:* paritur enim aut maſculus, aut foemina: & ſolet juſtior eſſe cauſa tollendi, ſi marem uxor peperit, ſed nimii amoris eſt, non expectare quid tollas. Decreverunt] *Decernere* eſt de magnis rebus certam proferre ſententiam. unde etiam *Senatus decretum.*

OBSERV. IN DONAT.

5. *Cicero*] Verr. VI. 27.

COMMENTARIUS.

faciat, dum ego perpetuo fiam miſer. Sic Heaut. III. 1. 75.

neque id
Putabit, pravum an rectum ſit.

Plaut. Rud. IV. 4. 25.

Quomodo habeas, illud refert, jurene an injuria.

Sed & Priſcianus Lib. XVIII. ita citat: Quo jure, quave injuria. Ariſtoph. Plut. 233.

Καὶ δικαίως, κἀδίκως. Addit Scholiaſtes: ἀντὶ τοῦ, παντὶ τρόπῳ. οὕτως Ἀττικοί.

Heaut. IV. 1. 29.

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque aequum ſciunt?
Melius, pejus; proſit, obſit; nihil vident, niſi quod lubet.

Praecipitem me in piſtrinum dabit] Eraſmus & Guyetus mallent abeſſe me. non intercederem, ſi per Codd. liceret. An autem praecipitem, quod piſtrinum eſſet in inferiore parte domus? Videtur id veriſimile ex Palladio, Lib. I. Tit. XLII. *Si aquae copia eſt, fuſura balnearum, debent piſtrina ſuſcipere, ut ibi formatis aquariis molis ſine animalium vel hominum labore frumenta frangantur.* An, quod cum impetu quodam, & prorſus indicta cauſa? Certe quidem Phorm. IV. 3. 20.

ut praecipitem hanc daret,

valet, ut domo ejiceret.

11. Sive iſta uxor, ſive amica] Janus Gulielmius eumque ſequutus Tanaq. Faber legunt: Si iſta uxor, ſive amica eſt. Scilicet, ut metro conſulant, Latinitati minus conſulunt. Alia autem ratio eſt verborum Chryſidis, infra I. 5. 57. vide locum.

12. Eſt operae pretium] Locutio uſitata, pro qua & *operae eſt*, dixerunt, &, *pretium eſt.* Illud Livius & Plautus uſurparunt, hoc Tacitus. Ad eundem modum Plinius VIII. 6. *Mihi viſum eſt pretium curae, ipſum Scelum quaerere.* Et Salluſt. Catil. 21. *Quibus quieta movere magna merces videbatur.*

13. Amentium, haud amantium] Solent paragrammate, ſeu paronomaſia plerumque uti etiam

Et fingunt quandam inter ſe nunc fallaciam,
Civem Atticam eſſe hanc. Fuit olim quidam ſenex,
Mercator: navem is fregit apud Andrum inſulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chryſidis
Patrem recepiſſe, orbam, parvam. fabulae!
Mihi quidem herclē non fit veriſimile; atqui ipſis commentum placet.

Sed

DONATI.

15. Et fingunt] Argumenti partem narrat: [6] & non credit ſutura eſſe quae dicit, ut ſuperſit locus errori. Et *fallaciam*, & *quandam*; [7] ne veriſimilis ſit ipſa fallacia totius contemtionis & vilitatis.

16. Fuit olim] Modo totius ſummae argumentum populo narratur: ſed ut reſtet aliquid ad errorem, abrogatur fides. A διηγηματικῷ ad μιμητικὸν tranſit.

18. Is obiit mortem] Plene dixit, quod nos *obiit* tantum. [8] *Virgilius. Morte obita quales fama eſt volitare figuras.*

19. Recepisse orbam, parvam] Parvam propterea adjecit, ut fiat veriſimile, non poſſe eam facile ſuos agnoſcere. Fabulae] Redit ad narrationem.

20. Atque ipsis] Atque pro tamen. ut ſit, tamen ipſis commentum placet. quod comminiſcuntur, probant.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Et non credit futura eſſe, quae dicit*] Lege, *Et non credit, vera eſſe, quae dicit.* Ita enim verſu 20, *Mihi quidem hercle non ſit veriſimile.* Et mox ipſe Donatus: *Ut reſtet aliquid ad errorem, abrogatur fides.* Vetuſtiſſimae editiones: *Et non credit eſſe, quae dicit.*

7. *Ne veriſimilis ſit ipſa fallacia totius contemtionis & vilitatis*] Verba obſcura & corrupta. Editio Veneta 1490. *totius contentionis & vilitatis*, nihilo melius. Veneta altera 1512. *contentionis & utilitatis*, tantundem expedit. Malim: *Ne veriſimilis ſit ipſa fallacia, totim commentae orationis vilitate.*

8. *Virgilius*] Aeneid. X. 641.

COMMENTARIUS.

etiam in re ſeria, non tantum in ſtomacho & irriſione. Infra I. 5. 44. Cic. Philipp. XIII. 11. *Quum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres.*

14. Quidquid peperisset] Utitur neutro genere ob incertitudinem, maſne naſciturus eſſet, an foemella. Sic Evang. Matth. I. 20. Τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου. Luc. I. 35. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ.

Tollere] De priſco more tollendi partus, & quae ejus rei fuerit ratio, ex profeſſo egit Ampliſſimus Corn. Bynkershoekius, opuſculo *de jure occidendi, vendendi & exponendi liberos*, cap. X. quem conſule.

16. Fuit olim] Narratio haec quaſi Μίμησιν quandam verborum Pamphili & Glycerii habet.

18. Ejectam] Et homo *ejici* dicitur, uti h. l. & infra V. 4. 20.

Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum
ejectus eſt.

Et ipſa claſſis. Cic. Verr. V. 35. *Claſſem pulcherrimam populi Romani in litus expulſam & ejectam, quum primum adveſperaſceret, inflammari incendique juſſit.*

19. Recepisse orbam, parvam] Salluſt. Jugurth. 10. *Parvum ego te, Jugurtha, amiſſo patre, ſine ſpe, ſine opibus, in meum regnum accepi.* Malim ex Noſtro, *recepi.*

Fabulae] Ita & Simoni videtur eadem narratio. Unde Critonem obturbans, *fabulam inceptas*, inquit infra V. 4, 22.

Digitized by Google

Sed Myſis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

DONATI.

21. SED MYSIS] Παραγωγὴ alterius Scenae. MYSIS] Semper autem [9] nomina comicorum ſervorum, aut a nationibus ſunt indita, ut Myſis, Syrus; aut ex accidentibus, ut Lesbia, velut ebrioſa, a Lesbo inſula, quae eſt ferax ſuaviſſimi candidiſſimique vini; aut a moribus & vernilitate, ut Pſeudolus; aut ex negotio, ut Chryſalus; aut ex qualitate corporis, ut [10] Thylacus [an Chylacus]; aut ex ſpecie formae, ut Pinacium. EGO HINC] Nihil adhuc Davus invenit conſilii, niſi ut quaerat Pamphilum, moneatque. EGO HINC ME AD FORUM] Vultuoſe hoc pronuntiatur: ut deſit, pergam, aut ducam me.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Nomina comicorum ſervorum*] Vide omnino, quae ad hunc locum erudite notavit Lindenbruchius.

10. *Thylacus*] (*an Chylacus*) Non ſunt a Donato illa, *an Chylacus.* Lindenbruchius ex Reg. Excerpt. vindicat τὸ *Thylacus.* quod eſt in Mſ. Hulſt. notans ventrioſum & vinarium.

COMMENTARIUS.

21. EGO HINC ME AD FORUM] Frequentiſſima apud Comicos mentio FORI, quod ibi quaſi eſſet Reſpublica, & judicia exercerentur. Unde & otioſi & honeſti homines ibi plurimum verſabantur, atque interdiu quaerebantur.

ACTUS PRIMI

SCENA QUARTA.

MYSIS.

AUDIVI, Archilis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes. Sane.

DONATI.

AUDIVI, ARCHILIS] *Haec ſunt inventionis poëticae, ut ad οἰκονομίαν facetiae aliquid addant. nam οἰκονομία eſt ut arceſſatur obſtetrix, & conveniatur Pamphilus. facetia ſcribentis in his verbis eſt, quod Archilis compotricem potiſſimum adduci jubet.*

1. AUDIVI, ARCHILIS] Frequenter hoc modo *Terentius* compendium facit, ut egrediens loquatur.

COMMENTARIUS.

1. ARCHILIS] Sequutus ſum auctoritatem Faerni, per unicum L ſcribendum praecipientis, ex Mſſ. quanquam non omnibus. Sunt enim, ubi haec litera geminatur.

LESBIAM ADDUCI JUBES] Goveanum, dum nimis religioſe verſus Terentianos ad metri normam

Sane pol illa temulenta 'ſt mulier & temeraria:
Nec ſatis digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen eam adducam. Importunitatem ſpectate aniculae;

Quia

DONATI.

quatur perſona de eo, quod eſt geſtura; & ſimul doceat, quid ab altera geſtum ſit. AUDIVI, ARCHILIS, JAMDUDUM, LESBIAM ADDUCI JUBES] Utrum JAMDUDUM AUDIVI, an JAMDUDUM JUBES, incerta diſtinctio eſt. & ſunt qui JAMDUDUM, jam primum intelligant: ut [1] *Jamdudum ſumite poenas.*

2. SANE POL] SANE, multum; alias, pro valide. namque validus eſt, qui multum rerum neceſſariarum habet ad ſalutem. TEMULENTA] Producit primam ſyllabam TE. TEMULENTA] Vinolenta, hoc eſt, ebrioſa, quia *temetum* vinum dicitur: unde *abſtemius* ſobrius. Dictum autem *temetum* ab eo, [2] quia tentet mentem. TEMULENTA, vino: TEMERARIA, natura.

3. NEC SATIS DIGNA, CUI COMMITTAS] Bene in concluſione illa ſpecialiter probavit, dicendo non idoneam, cui committatur primus partus mulieris. Sed mire ſignateque dixit COMMITTAS. etenim committimus magna, & quae ſalutem in dubio habent. NEC SATIS DIGNA] Duas res, nec parientem, nec primo partu. Figura δύο δι' ἑνός. ut [4] *Virgilius:*

—— Non me tibi Troia
Externum tulit. ——

Et, [5] *Dum domus Aeneae Capitoli immobile ſaxum*
Accolet. ——

4. TAMEN EAM ADDUCAM] Redit ad illud, quod vi coacta. IMPORTUNITATEM] Importunitas neque loci, neque temporis habet commoditatem. ANICULAE] Archilis ſcilicet.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Jamdudum*] Virgil. Aeneid, II. 103.
2. *Quia tentet mentem*] Sic vero tementum erat dicendum. Solent autem veteres in vocum originibus exponendis turpiter ſe quandoque dare.
4. *Virgilius*] Aeneid. III. 42.
5. *Dum domus*] Virgil. Aeneid. IX. 448.

COMMENTARIUS.

mam reducere conaretur, Latinitatem perdidiſſe, legendo, *quod Lesbiam adduci jubes*, merito poſt Muretum queritur Sanctius Minerv. III. 14. Quia vero *Lesbia vina* in honore erant, videtur patrium nomen conveniens mulieri vinoſae. Fabrini jungit, *jam dudum Lesbiam adduci jubes.*

2. SANE POL ILLA TEMULENTA] Mſ. Mark. non agnoſcit τὸ ILLA. Guyetus POL SANE legit. Eſt autem SANE, valde. Horat. I. Epiſt. 15. 5.

ſane myrteta relinqui.

ubi vetus Scholiaſtes, *ſane*, i. e. valde. Cicero *ſanequam.*

TEMULENTA EST MULIER] Vide omnino Senecam Epiſt. XCV. Talis illa *Anus ad amphoram*, Phaed. III. 1. Et Plaut. Curc. I. 1. 77.

anus multibiba, merobiba.

Idem Aul. III. 6. 22. de tibicina:

Quae mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,
Corinthienſem fontem Pirenem poteſt.

Quae vero vina in deliciis fuerint Graecis, refert Aelianus V. H. XII. 31. Priſci Romanorum abſtemias mulieres voluerunt eſſe. Bibebant igitur aut ſapam aut loram, aut defrutum aut paſſum, teſte Varrone. Sed & Cato mulieres propinquis oſculum dare juſſit, ut ſciretur, an temetum olerent. Vide porro Gell. X. 23. & Arnob. adv. Gentes Lib. II. Hinc *Abſtemius*, abſtinens a temeto. Ovid. Metam. XV. 323.

Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.

4. TAMEN EAM ADDUCAM. IMPORTUNITATEM SPECTATE ANICULAE] Priora Archilin vult loqui Guyetus, poſteriora Myſidem; ſed praeter neceſſitatem. Certe enim ipſa Archilis, utpote γραΐδιον οἰνηρὸν, non adductura erat Leſbiam, ſed Myſis, idque Archilidis juſſu. Nec ſolet fere reſponderi egredientibus perſonis ab iis, quae intus tantum loquuntur, neque in Scenam prodeunt. Quum vero dicit, IMPORTUNITATEM SPECTATE ANICULAE, intelligit Archilin. Adducitur Leſbia demum, infra III. 1. Plaut. Aſin. I. 1. 47.

Quia compotrix ejus eſt. Dî, date facultatem, obſecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid ſiet.
Opperiar, ut ſciam nunc, quidnam haec turba triſtitiae adferat.

D O N A T I.

5. Quia compotrix] In vultu remanſit oratio. deeſt enim per figuram ἔλλειψιν, *ideo illam vult arceſſiri.*

6. In aliis] Utrum in aliis mulieribus, an in aliis rebus?

7. Exanimatum] *Exanimatus*, eſt perturbatus. [6] *Virgilius:*

Exanimata ſequens impingeret agmina muris.

Exanimus, mortuus. [7] Idem,

Corpus ubi exanimum poſitum Pallantis Aceſtes.

Vereor quid siet] Quid, ob quid, propter quid ſit exanimatus. Aut aliter: quid siet, id eſt, quid ſit negotii. Sed quidam putant quid pro quare: ut [8] *Quid veniant.* Aut deeſt, *poteſt:* ut ſit, *quid eſſe poteſt.*

8. Num quidnam] Comicum eſt & Terentianum. Num quidnam: Quum exemptis *num* & *nam*, ſufficere ad interrogationem potuiſſet *quid.*

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virgilius*] Aeneid. V. 805.
7. *Idem*] Aeneid. XI. 30. Alii, *exanimi.*

8. *Quid veniant*] Virgil. Aeneid. I. 522.

COMMENTARIUS.

Fateor, eam eſſe importunam *atque incommodam.*

Tranſlatio petita a mari commodos portus non habente ad homines duros & violentos. Heaut. I. 2. 23.

Immo ille fuit ſenex importunus *ſemper.*

Flor. I. 8. 7. *Superbi illius* importuna *dominatio.*

5. Compotrix] Phaed. IV. 4. 25.

Potrici *plenam antiquis apothecam cadit.*

Eadem contumelia eſt in illo Ciceronis Philipp. II. 39. *Hanc tu compranſoribus tuis & colluſoribus dividebas.* Eſt vero in adagiis, *Anus ad armillum*, ſub. redit. Urceoli vinarii genus eſt, teſte Nonio & Feſto.

7. Exanimatum] Perturbatum. Supra I. 1. 104. *Ibi tum* exanimatus *Pamphilus.* & ſaepius alibi. Donati vero diſtinctio non eſt perpetua inter *exanimatum* & *exanimum*. Nep. Epam. 9. *Tum ferro extracto confeſtim* exanimatus *eſt.* Liv. VIII. 6. Exanimatum *auctores quoniam non omnes ſunt, mihi quoque in incerto relictum ſit.*

8. Ut sciam nunc, quidnam haec turba tristitiae adferat] In Mſ. Mark. non legitur nunc. Traject. nunc quidni. corrupte. Donatus legit num quidnam, dicitque, *comicum eſt, & Terentianum.* Vere illud. Atque ita recenſuit Heinſius. Sic *Num quidpiam* juncta infra II. 6. 7. Plaut. Aſin. V. 1. 3.

Num quidnam tibi moleſtum eſt?

Bacchid. V. 1. 23.

Num quidnam ad filium haec aegritudo attinet?

ubi tamen ὁ πάνυ Gronovius edidit, *nunquid nam.* Ego pace tanti viri vulgatam lectionem praetulerim. Porro autem τὸ nunc apud Noſtrum nullam vim habere quis non videt? Ita tamen & Mſ. Bodl.

Turba] Perturbatio. Eun. V. 5. 4.

o Jupiter,

Quae illaec turba *'ſt?*

Plaut. Ciſtell. IV. 2. 31.

Hic meis turba *oculis modo ſe objecit.*

niſi ibi legendum *turbo*, quod probant Camerarius, Gruterus & Gronovius. Vult enim Haliſca, ventum turbinem confudiſſe veſtigia ſocii in pulvere, unde ea minus apparebant. Vide locum. Idem Epid. IV. 1. 33.

quid eſt, quod vultus te turbat *tuus?*

Apulej. Metam. I. *Sic denique eum vitalis color* turbaverat.

ACTUS.

ACTUS PRIMI

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS. MYSIS.

Pa. HOccine 'ſt humanum factum aut inceptum! hoccine 'ſt officium patris!

My. Quid illud eſt? *Pa.* Proh Deûm atque hominum fidem! quid eſt; ſi non haec contumelia 'ſt?

Uxo-

DONATI.

HOccine 'st] *Hic inducitur adoleſcentis animus circa nuptias: ut ex magnitudine ejus ingens gaudium comparetur in fine fabulae, cognita Glycerio; & ſimul id agitur, ut magis magiſque per Myſidem Pamphilus excitetur ad reſiſtendum patri nuptias indicenti.*

Hoccine 'st] Ab iracundia & dolore coepit. *Iracundia* deſcendit ex injuria: *dolor* ex miſeria. Hoccine 'st humanum factum] Quaſi deliberatio eſt: in qua duae partes ſunt: una patris, altera amicae. pro ſuaſore Myſis eſt. Principium ab invectione: in qua primo ut hominem accuſat, deinde ut patrem. Hoccine 'st] Hoc eſt dilatare orationem, ne diceret quod fecit; & eſt perverſa αὔξησις, a majoribus deſcendens ad minora, per amplificationem accuſationis. Factum aut inceptum] In aliis, factu aut inceptu, fuit. Hoccine 'st officium] Officium ab efficiendo, ab eo quod quaeritur, quid efficere in eo unumquemque conveniat, pro conditione perſonae.

2. Quid est, si non hoc] Sic dicimus de his, quae neceſſario hoc ſunt, quod dicimus. Si non hoc] Hoc cum ſtomacho dictum, quaſi aliquo contradicente, non eſſe contumeliam. [1] *Cicero, Quid eſt quaeſo, Metelle, judicium corrumpere, ſi hoc non eſt?*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Cicero*] Verr. 1. 10.

COMMENTARIUS.

1. Inceptum] de re majore dicitur. Heaut. IV. 6. 7.

Cum tuo iſtoc invento cumque incepto.

Sic ſupra I. 3. 13.

Nam inceptio *eſt amentium, haud amantium.*

2. Fidem] Solet haec exclamatio adhiberi in ſumma admiratione, ſed & in re valde indigna & triſti; quoties imploramus ea auxilia, quae naturali quadam obligatione alter alteri debet. Unde paſſim fides pro praeſidio & tutela uſurpatur. Adelph. III. 5. 43.

Illaec fidem *nunc veſtram implorat.*

Liv. I. 7. Fidem *paſtorum nequicquam invocans.* Sed & inde hoſtes ubi dedunt ſeſe, dicuntur in *fidem* victoris venire.

Quid est, si non haec contumelia 'st?] Mſſ. Leidenſes quatuor: quid est, si haec non contumelia 'st? Atque ita recentiores ediderunt. Mſ. Mark. Quid est, si haec contumelia non est? quomodo & vetuſtiſſimi impreſſorum codicum exhibent. Et teſtatur Pareus, ita eſſe in uno Mſ. Pall. Si legas, ut eſt in Mſ. Mark. metrum quidem laborat, ſed ſenſus erit ἐμφατικώτερος, q. d. *Quid eſt contumelia, ſi haec contumelia non eſt?* Mſſ. Leidenſium unus: Quid illud est? proh Deum fidem, quid? si haec non contumelia est?

Uxorem decrerat dare ſeſe mihi hodie. nonne oportuit
Praeſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?
My. Miſeram me! quod verbum audio?
Pa. Quid Chremes? qui denegarat ſe commiſſurum mihi

Gna-

DONATI.

3. UXOREM DECRERAT] *Decernere*, eſt de magnis certam proferre ſententiam. UXOREM DECRERAT] Propoſitio injuriae.

NONNE OPORTUIT PRAESCISSE ME ANTE?] OPORTUIT, ſcilicet ad patrem refert. Nam nec ſic conſentirem ad nuptias, ſed fac me velle, NONNE OPORTUIT PRAESCISSE ME ANTE? Dolet autem ſe ſpacium non habuiſſe conſilio. Et ANTE abundat, aut certe PRAE, cum ſufficiat SCISSE.

4. NONNE PRIUS COMMUNICATUM OPORTUIT?] Quam de ſtomacho repetitum eſt OPORTUIT! Et de more, PRAESCISSE ME ANTE. PRAESCISSE proprie ad eum refertur, hoc eſt, Pamphilum. COMMUNICATUM] Quod neque hujus proprium eſt, neque illius. COMMUNICATUM] Quia nuptiarum non omnis poteſtas in patre eſt.

5. QUOD VERBUM] VERBUM pro ἀξίωμα more ſuo poſuit, id eſt, uxorem dare, quod ait.

6. QUID CHREMES?] Tranſit, a patre nunc, & ad ſocerum redit. τὸ QUID, non ad Chremetem dicitur: ſed ad illum tranſeuntis eſt, & non conſiderantis quid dicat. QUID CHREMES?] Iraſcitur patri, quod cogat; Chremeti, quod non neget uxorem. Nove dolet, non odio haberi, non repudiari. QUI DENEGARAT] Non latuerat Pamphilum, repudiaſſe Chremetem. Unde & Davus ait, *Qui poſtea quam audierat, non datum iri filio uxorem ſuo.* COMMISSURUM] • Putaverat nuptias, & Chremetem mutare ſententiam.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Putaverat nuptias*] Vetuſtiſſimae editiones, *paraverat nuptias.* Rob. Stephanus primus, opinor, edidit, *putaverat nuptias & Chremetem mutare ſententiam.* Crediderim fere, ſcripſiſſe Donatum: COMMISSURUM. *putaverat veras nuptias; Sed Chremetem mutare ſententiam.* Putat autem falſo, Chremetem mutaſſe ſententiam, quod is demum facit infra III. 3.

COMMENTARIUS.

3. DECRERAT] Muretus & Faernus repererunt in Mſſ. quibuſdam DECREVIT. Probat Tanaq. Faber, explicans de ſecundo Simonis conſilio repentinarum nuptiarum.

4. NONNE PRIUS COMMUNICATUM OPORTUIT?] Id quia neglexerat facere Simo, Pamphilus ad contumeliam rapit. Eſt vero omnis vis querelae in τῷ PRIUS, ſicut verſu ſuperiore in ANTE. Sciverat enim Pamphilus, & communicatum fuerat a Simone, ex jure ſcilicet, ſed in ipſo nuptiarum articulo, quod jam *ante* & multo *prius* fieri debuiſſe Pamphilus contendit. Venuſtatis itaque plenior Clitipho, cui Chremes pater quidem imperans ait, *uxorem ut ducas*, ſed illud *hodie* non addit. Quidquod optio ei datur eligendi ſibi ſponſam. Heaut. V. 5. 12. ſeqq. Id vero tanto aequius Pamphilo videbatur, quod vidui parentes ſecundas nuptias communicare cum liberis ſolerent. Plaut. Stich. I. 2. 51. Antipho filias alloquitur.

Pol ego uxorem quaero, poſtquam veſtra mater mortua 'ſt.

Cui filiarum altera:

Facile invenies & pejorem, & pejus moratam, pater,
Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque ſol videt.

Tum in matrimonio contrahendo ſumma libertas eſt. Quod μεταφορικῶς expreſſit Plautus, Stich. I. 2. 82.

Stultitia 'ſt, pater, venatum ducere invitas canes.

Unde Quinctilianus Declam. CCLVII. *Nuſquam tamen libertas tam neceſſaria, quam in matrimonio eſt.* Et fruſtra ſaepe reſiſti filiis, vere cenſet Philto ſenex apud Plautum, Trin. II. 3. 4.

qui nihil aliud, niſi quod ſibi ſoli placet,
Conſulit adverſus filium, nugas agit.

Miſer

Digitized by Google

Gnatam ſuam uxorem ; id mutavit, quia me immutatum videt?
Itane obſtinate operam dat, ut me a Glycerio miſerum abſtrahat?
Quod ſi fit, pereo funditus.

Adeo-

DONATI.

7. ID MUTAVIT] Nove dixit ID. τὸ ID enim ad DANAGARAT. ID MUTAVIT, QUONIAM MA IMMUTATUM] Παρόμοιον, Nam quoties verba ſunt, παρόμοιον dicitur. quoties nomina, *παρονομασία*.

8. ITANA OBSTINATA] OASTINATA *facere* eſt aliquid in alterius malum cum conatu facere perſeveranter, & in alterius perniciem nimis niti. AASTRAHAT?] Magna vi verbi & proprietate uſus eſt. [3] unde illud eſt, *Iphitus & Pelias mecum divellimur inde.* ABSTRAHAT?] Magna indignatione uſus eſt; tanquam Chremes non tam filiae conſultum velit, quam laeſum Pamphilum.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Unde illud eſt*] Virgil. Aeneid. II. 414. Lege autem:

divellimur inde,
Iphitus & Pelias mecum.

COMMENTARIUS.

Miſer ex animo fit: factius nihile facit.
Suae ſenectuti is acriorem hiemem parat,
Quum illanc importunam tempeſtatem conciet.

6. SE COMMISSURUM MIHI] Ita loquitur, quia uxor erat in manu & poteſtate mariti, adminiſtrantis bona ejus tanquam ſua, utpote dominus dotis, ex Jure Civili; ita tamen, uti alienare eam fas non eſſet. Heaut. IV. 3. 36.

Nam dum amicam hanc meam eſſe credet, non committet *filiam.*

Hec. II. 1. 15.

Qui illum decrerunt dignum, ſuos cui liberos committerent.

De dote adminiſtranda inſignis eſt locus Phorm. V. 3. 5. ubi Nauſiſtrata de viro ſuo Demea:

pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur.

7. ID MUTAVIT, QUIA ME IMMUTATUM VIDET?] Ita lego. Illud enim exputare Pamphilus haud poſſe videtur, qua ratione Chremes, qui primum denegarat committere ſibi gnatam, quod in alieno amore eſſet occupatus, mutaverit id conſilium, neque amplius nunc deneget; licet IMMUTATUM, h. e. non mutatum, ſed conſtantem in amore Glycerii videat futurum generum. Et ſane mirum id accidere Pamphilo neceſſe erat, & παράδοξον videri, roganti in hanc ſententiam: An ideo mutavit Chremes conſilium de non danda gnata, quia me abſtrahi a Glycerio non poſſe intelligit? Acidalius ad Vellej. Paterc. I. 5. ID MUTAVIT interpretatur, *propter id mutatus eſt.* quomodo ſcilicet tempeſtas ſedare, venti ponere, annus vertere, dicuntur. Dixit vero IMMUTATUM pro immutabilem. qua ratione immotum, invictum, indomitum, dixerunt pro eo, qui moveri, vinci, domari, non poteſt.

8. OASTINATE OPERAM DAT] Obſirmato animo quid agere, *obſtinare* dixerunt, auctore Feſto. Plaut. Aul. II. 2. 89.

ea affinitatem hanc obſtinavit *gratia.*

Inde *obſtinate* valet contumaciter. Plaut. Aſin. I. 1. 10.

Ita me obſtinate *aggreſſus, ut non audeam,*
profecto,
Percunctanti quin promam omnia.

Suet. Caeſ. 15. *Verum impar optimatium conſpirationi, quos, relicto ſtatim novorum coſſ. officio, frequentes* obſtinatoſque *ad reſiſtendum concurriſſe cernebat, hanc quidem actionem depoſuit.* Et cap. 29. *Quum* obſtinatius *omnia agi videret.*

ABSTRAHAT] Difficultatem rei in amore dudum conſueto indigitat. Unde Davus de eodem Pamphilo, ſed falſo gloriatur, infra III. 2. 38.

Quis igitur eum ab illa abſtraxit, *niſi ego? nam nos omnes quidem*
Scimus, quam miſere hanc amarit.

Adelph. V. 3. 56.

& iſtam pſaltriam
Una illuc mecum hinc abſtraham.

ubi vide Donatum.

Adeon' hominem eſſe invenuſtum, aut infelicem quenquam, ut ego ſum!
Proh Deûm, atque hominum fidem!
Nullon' ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?

Quot

D O N A T I.

10. Adeon' hominem] Alia exclamatio eſt adverſum ſocerum. Neminem putat eſſe in genere humano ita infelicem ut ſe: quod eſt commune omnium, qui in aliquo moerore conſiſtunt. Itaque non ſe, ſed conditionem humanam dolet. & queritur [4] natum eſſe quenquam qui poſſit eſſe tam miſer ut ipſe eſt; [5] ac per hoc ſe. Adeon' hominem] Amatorie. amore nominato exiluit in gemitus. Sic [6] *Virgil. aut ſi lux alma receſſit, Hector ubi eſt?* Invenuſtum aut infelicem] *Invenuſtus* eſt ſine Venere, id eſt, ſine gratia, quem omnes reſpuant, repudientque pulchrae, & quem deformes appetant. Invenuſtum aut infelicem] *Invenuſtus*, cui diſplicens objicitur: *Infelix*, cui placens negatur. Aut infelicem quenquam ut ego ſum?] Adeo ſe miſerum dicit, quod ſibi repudiare non licet: ut propter ſe doleat humanum genus, in quo ſit aliquis tam miſer. [7] *Virgil. Heu cadit in quenquam tantum ſcelus?* Ut ego ſum?] Ἀνακόλουθον eſt ut, quam enim inferre debuit, non ut.

11. Prô Deûm] Quam ferveat indignatione, hinc aſpice, quod frequenter exclamat. Prô Deûm]. Alia exclamatio eſt adverſus ſocerum.

12. Effugere] In totum fugere.

O B S E R V. I N D O N A T.

4. *Natum eſſe quenquam*] Lege omnino, *Non natum eſſe quenquam.* Vetuſtiſſimae editionis tamen, *Iraſcitur, non natum eſſe quenquam.*

5. *Ac per hoc ſe*] Verba ſine ſenſu. Mſ. Hulſt. & editiones Venetae: *Ac per hoc adeo ſe eſſe hominem infelicem.*

6. *Virgilius*] Aeneid. III. 311.

7. *Virgilius*] Eclog. IX. 17.

C O M M E N T A R I U S.

10. Invenuſtum] Invenuſti dicebantur quibus Venus in amoribus non faveret. Ἀναφρόδιτοι εἰς τὰ ἐρωτικά. Sic Hec. V. 4. 8.

Quis me eſt fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior?

Locutio tranſlata a luſu talorum, in quo Veneris jactus erat feliciſſimus, canis infeliciſſimus. Propert. IV. 9. 20.

Me quoque per talos Venerem quaerente ſecundos
Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Eadem ratione Sulla Latinis Felix, Graecis Ἐπαφρόδιτος, quaſi dicas, Venuſtus cognominatus eſt. Eſt autem locutio apta perturbato animo. Sic IV. 3. 1.

Nihilne eſſe proprium cuiquam!

& V. 2. 29.

Tantum laborem capere ob talem filium!

Item alibi Virg. Aen. I. 41.

Mene incoepto deſiſtere victam?

Suet. Caeſ. 24.

Men' me ſervaſſe, ut eſſent, qui me perderent?

11. Proh Deum atque hominum fidem!] Haec in nonnullis Mſſ. continuo ſubjunguntur illis verſu 8. Ut me a Glycerio miſerum abſtrahat.

12. Chremetis affinitatem] Eleganter dicit *Affinitatem*, quia & generi Affines dicuntur. Plaut. Aul. III. 4. 14.

Megadorus meus affinis *eccum incedit a foro.*

Quin & ipſe ſocer Affinis dicebatur. Plaut. Stich. III. 1.7. Nep. Attic. 12. De ſororis marito uſurpatur Trin. II. 4.41. ſeqq. Apud JCtos Affinitas eſt conjunctio inter conjugem & alterius conjugis cognatos, quicumque demum illi fuerint, *l.* 4. §. 3. *ff. de grad. & affin.* Et haec erant in erudítiſſimis Ampl. Bynkershoekii literis. Eſt autem vox latiſſimi ſignificatus. Nep. Attic. 19.

13. Facta, transacta omnia!] Id vult, contractum de ducenda Philumena ita eſſe reſciſſum atque irritum factum, ut patri omnis ſpes, ſibi vero metus dudum ademtus ſit. Eſt autem formula JCtorum, qua utebantur in contractibus, ſignificantes, omnia, quae ad legitimam pactionem pertinerent, eſſe praeſtita. Vid. Eraſm. in Proverb. Inde a contractibus & pactionibus in judicio transfertur ad omne negotium, in quo nihil praetermiſſum eſt, quod ad ejus tractationem pertineret. Adelph. II. 4. 22.

Ego

Quot modis contemptus, ſpretus? facta, tranſacta omnia. hem!
Repudiatus repetor. quamobrem? niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor.
Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtrudi poteſt,

Itur

DONATI.

13. QUOT MODIS CONTEMPTUS, SPRETUS?] Si Chremes ſpretus, intelligemus Pamphilum dicere, quod operam dederit, ut ſe repudiaret Chremes: ut ſupra dixit, *Mutavit, quia me immutatum videt.* QUOT MODIS CONTEMPTUS] Chremes an Pamphilus? FACTA, TRANSACTA OMNIA] Proverbiale eſt in id negotii, de quo nihil ſuperſit ad agendum. FACTA autem a Pamphilo: TRANSACTA etiam a Chremete.

14. REPUDIATUS REPETOR] Quaſi & haec injuria ſit, repudiare & repetere. Et tale eſt in Eunucho, *Excluſit, revocat.* NISI SI ID EST] Conjecturale argumentum.

15. ALIQUID MONSTRI ALUNT: EA] Duplex contumelia, & MONSTRI & ALIQUID. minus enim eſſet, *aliquod monſtrum.* Sic, *Quid hominis uxorem habes?* Et mutavit genus, dicendo EA: quoniam foemina eſt. Sic in Eunucho, *Taces, monſtrum hominis? non dicturus es?* ALIQUID MONSTRI ALUNT: EA] Dum MONSTRUM dixerat, EA ſubjunxit, tanquam non verbis, ſed ſententiae ſerviens. NEMINI OBTRUDI] Mire OBTRUDI, quaſi invito. Et totum cum iracundia. OBTRUDI, infringi, impingi.

COMMENTARIUS.

Ego jam tranſacta *re convertam me domum cum obſonio.*

Cic. Fam. XIV. 4. *Sin eſt ſpes noſtri reditus, eam confirmes, & rem adjuves; ſin, ut ego metuo,* tranſactum *eſt, quoquo modo potes, ad me fac venias.* Idem Catil. III. 6. *Atque illud, quod faciendum primum fuit,* factum, *atque* tranſactum *eſt.*

14. NISI SI ID EST] Quidam libri ſcripti & editi, NISI ID EST. Magis autem Comicum videtur illud NISI SI. Adelph. IV. 3. 3.

> Niſi ſi *me in illo credidiſti eſſe hominum numero.*

Plaut. Curc. I. 1. 51.

> *Tam a me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit,* niſi
> Si *eſt oſculando quippiam impudicior.*

Et ſaepe alibi.

15. ALIQUID MONSTRI ALUNT] Scilicet, quia mulieres Graecae non verſabantur in celebritate, ſed in interiore parte aedium morabantur. Nep. Praefat. videtur Pamphilus ne vidiſſe quidem unquam Philumenam. Sed & *ali* dicuntur res, quae clanculum foventur. Virg. Georg. III. 454.

> alitur *vitium, vivitque tegendo.*

Et Aen. IV. 1.

> *At regina gravi jam dudum ſaucia cura*
> *Vulnus* alit *venis.*

Vult igitur Pamphilus, clam haberi turpiſſimam Philumenam, nec facile virum inventuram. Sic Eun. IV. 4. 29. *Monſtrum hominis*, convicium eſt in Dorum vietum, veternoſum & colore muſtellino. Erant autem adoleſcentes Attici elegantes in eligendis ſibi conditionibus. Eun. III. 5. 18. Heaut. V. 5. 18. De monſtroſis partubus ita Dion. Halicarn. Lib. I. ex inſtituto Romuli: Ἅπασαν ἄρρενα γενεὰν ἐκτρέφειν, καὶ θυγατέρων τὰς πρωτογόνους, ἀποκτιννύναι δὲ μηδὲν τῶν γινομένων νεώτερον τριετοῦς, πλὴν εἴ τι γένοιτο παιδίον ἀνάπηρον, ἢ τέρας εὐθὺς ἀπὸ γονῆς, ταῦτα δ' οὐκ ἐκώλυσεν ἐκτιθέναι τοὺς γειναμένους, ἐπιδείξαντας πρότερον πέντε ἀνδράσι τοῖς ἔγγιστα οἰκοῦσιν, ἐὰν κἀκείνοις συνδοκῇ. *Omnem maſculam prolem educari, & e ſemellis primogenitas. Nihil autem quod natum eſſet occidere ante triennii tempus, niſi aliquid mutilum aut monſtroſum ſtatim a partu eſſet. Haec enim talia non vetuit exponi, ſic tamen ut parentes prius quinque viris e vicinia oſtenderent, ſi & iis ita videretur.* Vid. Eraſm. in Proverb.

EA QUONIAM NEMINI OBTRUDI POTEST, ITUR AD ME] Vide, ſi non haec e Menandro ſint petita. Ita ille:

> περιάξω τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα
> Τὴν πόλιν ὅλην. οἱ βουλόμενοι ταύτην λαβεῖν
> Λαλεῖτε.

Citat Stobaeus Flor. Tit. LXXII. Dixit autem ITUR AD ME, quemadmodum Heaut. Prol. 44.

> *ad me curritur.*

Itur ad me. *My*. Oratio haec me miſeram exanimavit metu.
Pa. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah!
Tantamne rem tam negligenter agere? praeteriens modo
Mihi apud forum, uxor tibi ducenda 'ſt, Pamphile, hodie, inquit, para;
Abi domum. Id mihi viſus eſt dicere, Abi cito, & ſuſpende te.

Ob-

DONATI.

16. ITUR AD ME] Dotem amator non cogitat: & ad vilitatem trahit, quod ultro venit, & quod ſe repetit Chremes. ITUR AD ME] Quaſi ad hoſtem. *Plautus in Pſeudolo* [8],

Itur ad me.

Et [9] Virgilius:

—— ſimul enſe relicto
Ibat in Euryalum propere.

ORATIO HAEC] [10] Etiam pauca verba veteres *orationem* dicebant.

17. NAM QUID EGO] Quaſi dicat, quid ego de patre dicam, qui alienum accuſaverim Chremetem? NAM QUID EGO] Redit ad patrem, in quo nove hoc accuſat, negligenter eum agere, quod nolit fieri.

18. TANTAMNE rem] [11] Summam voti ac nuptias. PRAETERIENS MODO] Hic oſtendit ſpecialiter [12] quid peccaverit. PATER PRAETERIENS MODO MIHI APUD FORUM] Undique conflatur accuſatio. ex facto, quod PRAETERIENS; ex tempore, quod MODO; ex loco, quia [13] IN FORO; ex modo & ex verbis, UXOR TIBI DUCENDA EST.

19. DUCENDA] Mire DUCENDA. ſemper hoc genus declinationis neceſſitatem oſtendit. ut [14] *Virgilius*:

—— Et pacem Trojano ab rege petendum.

[15] Salluſtius:

Agendum, atque obviam eundum eſt.

20. ABI CITO, ET SUSPENDE TE] Ad *Hodie*, CITO retulit. ad *Uxor tibi ducenda eſt*, SUSPENDE TE.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Pſeudolo*] I. 5. 38. Ubi tamen nunc legitur: *Itur ad te, Pſeudole.*

9. *Virgilius*] Aeneid. IX. 423.

10. *Etiam pauca verba*] Et Grammatici, quod conſiſtit nomine & verbo, *orationem* dicunt.

11. *Summam voti*] Ita poſt Rob. Stephanum plures ediderunt. Antiquiores, & Mſ. Hulſt. *Summam nati.*

12. *Quid peccaverit.* PATER PRAETERIENS] Ita Rob. Stephanus ediderat. Vetuſtiores rectius: *quid peccaverit pater.* PRAETERIENS. Illa Donati ſunt, hoc Terentii.

13. IN FORO] Legendum, APUD FORUM.

14. *Virgilius*] Aeneid. XI. 230.

15. *Salluſtius*] Neque in Bellis, neqoe in Fragmentis legere me memini.

COMMENTARIUS.

16. EXANIMAVIT] Sunt ex Mſſ. & editis, in quibus EXANIMAT legitur.

17. NAM QUID EGO NUNC DICAM DE PATRE?] Particula NAM elegantem habet vim transeundi ex una narratione in aliam. Cic. Fam. XIV, 1. ubi multa conqueſtus eſſet de uxoris & Tulliolae fortunis, ita pergit: *Nam quid ego de Cicerone* (filio) *dicam?* Idem Philipp. VII. 8. *Nam quid ego de univerſo populo Romano dicam?* Et Orat. pro Flacc. 27. *Nam quid ego dicam de Lydia?* Et Verr. I. 49. *Nam quid ego de quotidiano ſermone populi Romani loquar?* Salluſt. Jug. 52. *Nam quid ego de Gabinio loquar?* Eandem vim habet Graecorum γὰρ.

18. TANTAMNE REM TAM NEGLIGENTER AGERE?] Utuntur infinitivo in admirationibus & indignationibus. Juſtin. XIV. 5. *Tantum eos degeneraviſſe a majoribus?* Cic. Attic. XV. 20. *Nunc dubitare quenquam prudentem, quin meus diſceſſus deſperationis ſit, non legationis?* Virg. Aen. XI. 269.

Invidiſſe Deos patriis ut redditus oris
Conjugium optatum & pulchram Calydona viderem?

Vide ſupra ad verſum 10.

19. APUD FORUM] Comicum eſt, pro, *in foro.* Nep. Hannib. 2. *Ad aram adduxit, apud quam ſacrificare inſtituerat.*

HODIE] Non cepit vim hujus vocis Guyetus, expungens τὸ CITO, quod eſt in verſu ſeq. & reſcribens: ABI DOMUM. ID MIHI VISUS EST DICERE: ABI DOMUM ET SUSPENDE TE] Scili-

cet

Digitized by Google

Obſtupui. cenſen' ullum me verbum potuiſſe proloqui?
Aut ullam cauſam, ineptam ſaltem, falſam, iniquam? obmutui.
Quod ſi ego reſciſſem id prius; quid facerem, ſi quis nunc me
roget? [quar?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. ſed nunc quid primum exe-
Tot me impediunt curae, quae meum animum divorſe trahunt:
Amor, miſericordia hujus, nuptiarum ſollicitudo:

Tum

DONATI.

22. INEPTAM SALTEM, FALSAM] Duo comparantur in defenſionem, aut vera, aut ad tempus accommodata. INEPTUM eſt, quod a quovis reprehendi poteſt. FALSUM, quod etiam prudentem poſſit fallere.

23. QUOD SI EGO RESCISSEM] Si mecum communicaſſet prius. QUID FACEREM?] Ipſe ſe reprehendit. QUID FACEREM?] Ὑποφορά.

24. UT NE HOC FACAREM] Tacerem. & nota, FACEREM, pro tacerem. SED NUNC] Deliberatio, & partes ejus.

26. AMOR, MISERICORDIA] Haec oratoria ſunt, cum unum negotium in multas diſtrahimus partes. DIVORSE TRAHUNT] Pro, in diverſa trahunt. AMOR] A neceſſario. MISERICORDIA] [16] Ἀπὸ τοῦ αἰτίου. MISERICORDIA HUJUS] Ἀμφιβολία. NUPTIARUM SOLLICITATIO] A perturbatione. Quibus colligit, conſulere ſe non poſſe. *Sollicitudo* eſt, quae inhaeret mentibus. *Sollicitatio*, quae ab alio fit.

OBSERV. IN DONAT.

16. Ἀπὸ τοῦ αἰτίου. Mſ. Lindenbr. ἀπὸ τοῦ ὁσίου. In Mſ. Hulſt. deſideratur.

COMMENTARIUS.

cet *Hodie* idem valet quod *cito*. Et pertinebat hoc ad praeciſum imperium Simonis, ita opprimentis Pamphilum, ut vel minimum ſpatium cogitandi non relinqueretur. Sic Eun. III. 2. 10.

hodie *itura*.

Verba Thaidis in procinctu ſtantis, & jam jam iturae.

20. SUSPENDE TE] Frequens hujus vocis uſus in execrationibus & rebus deſperatis, apud Plautum.

21. OBSTUPUI] Adrianus Barlandus legebat, OBSTIPUI. Atque ita eſt in uno Mſſ. Leidenſium. Utrumque enim dicitur, *obſtupeſco* & *obſtipeſco*. Plaut. Poen. I. 2. 49. *obſtipuiſti?* de eo, cui nihil reſpondenti videbatur lingua excidiſſe. Sed & Pareus OBSTIPUI edidit ex Mſ.

23. QUOD SI EGO RESCISSEM] Exhibui vulgatam diſtinctionem, ſed moneo, omnino legendum & diſtinguendum eſſe:

Quod ſi ego reſciſſem id prius. (quid facerem? ſi quis nunc me roget;
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.)

Poſtquam enim dixerat Pamphilus, *Quod ſi ego reſciſſem id prius*, paullisper quaſi meditabundus tacet. Et poterat ſpectatorum quis rogaſſe, *Quid faceres?* ſubſerviens igitur cogitationi huic, inquit continuo: *Quid facerem? ſi quis nunc me roget*; reſpondetque ſimul, *Aliquid facerem, ut hoc ne facerem*. h. e. aliquid fingerem vel invenirem, qui illam ne ducerem. Quibus quaſi ἐν παρενθέσει dictis, coeptum ſermonem perſequitur.

24. ALIQUID FACEREM] Ita ſolent τὸ ALIQUID uſurpare, ubi rem incertam relinquunt. Sic Adelph. V. 8. 25.

bene nos aliquid *facere illi decet*.

Videtur autem Pamphilus cum Clinia Menedemi cogitaſſe de fuga. Vide Heaut. I. 1.

25. QUAE MEUM ANIMUM DIVOASE TRAHUNT] Ovid. Metam. VII. 19.

Sed trahit *invitam nova vis, aliudque cupido,*
Mens aliud ſuadet.

Virgil. Aeneid. IV. 285.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, atque omnia verſat.

26. SOLLICITUDO] Ita praeſtat legere cum pleriſque Mſſ. quam SOLLICITATIO. Et videtur

tur

Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo uſque adhuc,
Quae meo cunque animo lubitum 'ſt, facere: ein' ego ut advorſer? hei mihi!
Incertum 'ſt quid agam. *My*. Miſera timeo, incertum hoc quorſum accidat.
Sed nunc peropus eſt, aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa advorſum hunc loqui.

Dum

DONATI.

27. Tum patris pudor] *Ἀμφιβολία*. Qui me tam] Explanatio, in quo pudendum ſit ſibi apud patrem. Et ad illud ſpectat, *Tute his rebus finem praeſcripſti, pater*. Qui me tam leni passus est animo] Atqui accuſabat eum. Sed amator eſt.

28. Ein' ego] Pronomen hoc vim qualitatis habet. & eſt, An tali, tam bono? Ego ut advorser] Videtur inclinaſſe, ut ſecundum patris animum conſiſtat. ſed amore ad incerta iterum devolvitur.

29. Quorsum accidat] Ad quam rem, quo verſus.

30. Sed nunc peropus est] Calliditati foemineae & aſtutiae ſententia haec congruit. Cum ipsa] Ipsa, nunc domina mea. Advorsum hunc] Apud hunc. ut alibi, *Et id gratum fuiſſe advorſum te, habeo gratiam*.

COMMENTARIUS.

tur ita legiſſe Donatus, quia prius, quid sollicitudo ſit, deſcribit, tum, quid sollicitatio ab ea differat. Vult autem Pamphilus, ſe ſollicitum eſſe de nuptiis ſibi hodie & tam cito paratis. Tum patris non erat ſollicitare, ſed jubere. Unde non ſolum apud forum dixerat, *uxor tibi ducenda eſt, Pamphile, hodie*, ſed & rurſus infra II. 4. 7.

Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

Et V. 3. 26. ipſe Pamphilus:

Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris impone. impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram.

27. Patris pudor] Reverentia eſt erga patrem, tribuiturque liberis, uti metus ſervis. Adelph. I. 1. 32.

Pudore *& liberalitate liberos*
Retinere ſatius eſſe credo, quam metu.

Sic Virgil. Aeneid. I. 361.

Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat.

ubi *odium tyranni* valet, odium in tyrannum.

29. Incertum hoc quorsum accidat] Plaut. Pſeud. II. 3. 15.

Bene ubi quod conſilium diſcimus accidiſſe, *hominem catum*
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illum, quoi vortit male.

Uſitatius autem *cadere* res dicitur. Metaphora ab aleis deſumta. Adelph. IV. 7. 21.

Ita vita 'ſt hominum, quaſi quum ludas teſſeris.
Si illud, quod maxime opus eſt jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, *id arte ut corrigas.*

30. Advorsum hunc loqui] H. e. coram hoc. Sic ſupra I. 1. 15.

Id gratum fuiſſe advorſum te, *habeo gratiam.*

Plaut. Amph. III. 2. 55.

Jusjurandum verum te advorſum *dedi.*

Aulul. IV. 7. 9.

Egone ut te advorſum *mentiar?*

31 Dum in dubio est animus, paullo momento huc, illuc impellitur] Locutio tranſlata a trutina, cujus alteri lanci quid additur, ut ſuperet aut aequet aliud pondus. Eſt vero *momentum* quaſi movimentum proprie exiguus librae motus. Unde & pro minimo temporis puncto ſumitur. Cicero eadem metaphora utitur Philipp. V. 10. *Minimis* momentis *P. C. maximae inclinationes temporum fiunt.* Ovid. Metam. X. 371.

Ut modo deſperat; modo vult tentare; pudetque,
Et cupit; &, quod agat, non invenit. Utque ſecuri

Sancia

Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur.
Pa. Quis hic loquitur? Myſis, ſalve. *My.* O ſalve, Pamphile.
Pa. Quid agit? *My.* Rogas?
Laborat e dolore, atque ex hoc miſera ſollicita 'ſt die:

Quia

DONATI.

31. DUM IN DUBIO EST ANIMUS] Tranſlatio haec eſt a mole alicujus ponderis quae ante, quam in loco ſederit, cum incerta pendet, facillime commovetur.

32. QUIS HIC LOQUITUR?] Hoc ſecum. deinde converſus, ut vidit, MYSIS SALVE. SALVE] Difficile eſt aliud invenire verbum, quod ſic declinetur, *Salve* & *ſalvete.* quippe hujus verbi per modos eſt rara declinatio. QUIS HIC LOQUITUR?] Principium Terentianum in jungendis perſonis. O SALVE] O, interjectio optantis adventum, aut repente perculſi. QUID AGIT?] Amatorie, & familiariter non addidit quae. [17] *Virgilius:*

Quae mihi reddat eum, vel eo me ſolvat, amantem.

ROGAS?] Lenta quaedam & triſtis eſt reſponſio, & dolore plena.

33. LABORAT E DOLORE] Duplicem laborem Glycerii eſſe dicit, unum partitudinis, alterum curae & ſollicitudinis nuptiarum Pamphili. LABORAT E DOLORE] Callide aggreditur juvenem; nam [18] utraque propter illum perpetitur, & dolorem & ſollicitudinem. ATQUE EX HOC] Myſis, quae contra patrem ſuaſura eſt, incertum juvenicus Pamphilum, facile ad ſe convertit mentione dominae ſuae. & maxime quod addidit, cur illam aegram eſſe dicat. quare ſtatim perfectum eſt, quod volebat, ut dicat Pamphilus, EGONE ISTUC CONARI QUEAM?

OBSERV. IN DONAT.

17. *Virgilius*] Aeneid. IV. 479.

18. *Utraque*] Mſſ. Hulſt. & Lindenbr. *utrumque.*

COMMENTARIUS.

Saucia trabs ingens, ubi plaga noviſſima reſtat,
Quo cadat, in dubio eſt; *omnique in parte timetur.*
Sic animus *vario labefactus vulnere* nutat
Huc *levis*, *atque* illuc; moment*aque ſumit utroque.*

Quae quum ſcripſit Ovidius, quin Terentii locum in animo habuerit, dubium nullum eſt. Virgil. Aeneid. IV. 22.

Solus hic inflexit ſenſus, animum*que labantem*
Impulit.

Et Aeneid. X. 680.

Haec memorans, animo *nunc* huc, *nunc fluctuat* illuc.

Eadem metaphora animus *pendere* alicui dicitur, dum dubius eſt. Adelph. II. 2. 18.

Animus tibi pendet.

Sed & *pendere* quis *animi.* Plaut. Mercat. I. 2. 18.

ego animi pendeo,
Quid illud ſit negoti: lubet ſcire ex hoc me, ut ſim certior.

Faërnus teſtatur, Donatum cum omnibus libris antiquioribus legere, HUC VEL ILLUC. quomodo & legit Mſ. Bodl. Sed in Donato, uti vulgo editur, nihil ad haec verba notatur; ſed neque in Mſ. Hulſt. Videtur autem elegantias omitti τὸ VEL. Ovid. Heroid. XX. 129.

ad limina crebro
Anxius huc illuc *diſſimulanter eo.*

Dixit autem PAULLO MOMENTO, uti Adelph. V. 4. 22. *Paullo ſumtu.*

33. LABORAT E DOLORE]. Intelligit dolorem partus, qui & *dolores* κατ' ἐξοχὴν dicuntur. Adelph. III. 1. 2.

modo dolores, *mea tu, occipiunt primulum.*

& III. 5. 40.

differor doloribus.

Plaut. Ciſtell. I. 2. 28.

Sine obſtetricis opera, & ſine doloribus.

Graeci ὠδῖνας vocant. Eadem ratione laborare ex pedibus, renibus, aliiſve partibus dicimur. Et ita Adelph. II. 1. 43.

Minime miror, qui inſanire occipiunt ex *injuria.*

Suet. Aug. II. *Hoc bello quum Hirtius in acie, Panſa paullo poſt* ex *vulnere periſſent.*

EX HOC MISERA SOLLICITA 'ST] Locutio rarior, ſed elegans. Uſitatius, ſollicitus cauſa

 ali-

Quia olim in hunc ſunt conſtitutae nuptiae. tum autem hoc timet,
Ne deſeras ſe. *Pa.* Hem, egone iſtuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miſeram ſinam?
Quae mihi ſuum animum, atque omnem vitam credidit;

Quam

DONATI.

34. Conetitutae] Nec addit, a patre: ſed invidioſe, quaſi & a Pamphilo ſint conſtitutae. An timet in negotio? In hunc diem] Idem enim dies eſt, quo placuerant deſtinatae nuptiae, quamvis Chremes renuntiaverat. & ſupra, Hic nuptiis dictus est dies. Tum autem] Tum, praeterea. Tertiam ſollicitudinem habere Glycerium, ne deſeratur a Pamphilo. Sollicita est] *Sollicitudo* rerum incertarum magis eſt. Quod in hunc diem,] Hic certior metus eſt, & gravior.

35. Egone istuc conari?] Ideo ſic Pamphilus, quia illa invidioſe non *deſerere cogaris*, dixit: ſed, deseras. Egone istuc conari?] Non perficere, ſed conari velle aliquid ad ſcelus, effectio eſt, etiam ſi non poteſt fieri. [19] hic enim voluntas, non factum damnatur. ut [20] *Virgilius*,

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

Conari?] Levius eſt conari, quam facere.

36. Egone propter me?] Magna vis eſt in pronominibus. Et diverſa ſunt, & ſingula, & non praecipitantur, nec dicuntur uno ſpiritu: ſicut in Eunucho, [21] *Egone illam? quae me? quae illum? Quae illum*, deeſt, amat: *quae me*, deeſt, non amat. Egone?] Suadenter. Subauditur, *ut fieri ſinam.*

37. Quae mihi suum animum] Ab ejus beneficiis. Suum animum] Quantum ad amorem pertinet. Atque omnem vitam] Hoc eſt, ut maritum ſperaret. Quae mihi suum animum, atque omnem vitam credidit] Argumenta a conſequenti. Si eam deſerit, haec ſubjiciuntur.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Hic enim voluntas, non factum damnatur*] Vide, quae huc ex Jure Civili attulit Lindenbruchius.

20. *Virgilius*] Aeneid. VI. 624.

21. *Quae me? quae illum?*] Lege, *Quae illum? quae me?* vid. Eun. I. 1. 20.

COMMENTARIUS.

alicujus, de aliquo, ex re aliqua. Ut autem, quod ſentio, dicam, videntur mihi male cohaerere ex hoc & quia, ſi legas, ut eſt in vulgatis, ex hoc misera sollicita 'st, diem quia. Quare edidi, uti dudum recenſuit Heinſius, ex hoc misera sollicita 'st die, quia. Atque ita Libri mſſ. Leidenſes omnes, tum Mark. & editio Veneta 1490. aliaeque vetuſtae. Niſi quod Leidenſium unus repetit, quia olim in hunc diem. Certe quidem *hic dies* erat, qui Glycerium faciebat ſollicitam. Cauſa ſatis ſontica additur, nuptiae ſcilicet in eum conſtitutae.

35. Ne deserae se] Callide & attemperate Chryſidis ferme morientis verba Pamphilo in memoriam redigit, quae ipſe mox enarrat, v. 56. Eſt vero *deſerendi* verbum huic rei fere proprium. Subeſt enim in deſerendo perfidia, atque adeo amplius quid eſt, quam relinquere. Eun. II. 2. 7.

omnes noti me, atque amici deſerunt.

Heaut. II. 2. 17.

me in his deſeruiſti *malis.*

& II. 4. 11.

deſertae *vivimus.*

Adelph. III. 5. 12.

Si deſeris *tu, perimus.*

Ad quae verba Donatus: *Proprie, quaſi patrono; nam ſocius deficit, parens prodit, patronus* deſerit. Conjunxit Livius II. 54. Deſertam *& proditam cauſam publicam queri.* Cic. Verr. I. 4. *Nudatum & proditum conſulem?* deſertum *exercitum? relictam provinciam?* Virgil. Aeneid. IV. 323. Dido ad Aeneam:

cui

Digitized by Google

Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;
Bene & pudice ejus doctum atque eductum ſinam
Coactum egeſtate ingenium immutarier?
Non faciam. *My.* Haud vereor, ſi in te ſolo ſit ſitum:
Sed vim ut queas ferre. *Pa.* Adeon' me ignavum putas?

Adeon'

DONATI.

38. QUAM EGO ANIMO EGREGIE CARAM] EGREGIE, praeter caeteras, id eſt nimis.

39. BENE ET PUDICE] Hic illud ſolvitur, *Lana & tela victum quaeritans*: ut hoc praeſtruat, bene & pudice Glycerium eſſe educatam, *Lana & tela victum quaeritans.* Et non pertinet ad argumentum, niſi poſt vitam Glycerii intelligas. BENE ET PUDICE] Ab honeſto. BENE ET PUDICE EJUS DOCTUM] Hanc ſententiam quaſi de exemplo probat. nam bene educata eſt a Chryſide, quae primo pudice vitam, parce, & duriter agebat.

40. COACTUM EGESTATE] Propterea quod Chryſis, inopia & cognatorum negligentia coacta. COACTUM EGESTATE] Non paupertate, ſed egeſtate. cui contrarium, *inopia, & cognatorum negligentia.*'

41. HAUD VEREOR] Acuit animum adoleſcentis contra patrem, cujus etiam nomen grave eſt.

42. SED VIM UT QUEAS] Hic, *vereor* ſubauditur. UT, pro *ne non* poſuit: ut ſit. Sed vereor, ne non queas vim patris ferre. Et ne non poſſis, non damnatio eſt, verum adoleſcentis provocatio in contemptum patris. ADEON' ME IGNAVUM] A veriſimili. IGNAVUM] Quod adverſum neceſſitatem proferendum fuit, id primum dixit, adeſſe ſibi virtutem. Quae ſequuntur, ad fidem pertinent. Ita pro tempore contemptum patris pro fortitudine habet. IGNAVUM] *Ignavus* eſt, qui vim non poteſt ferre, qui non eſt perſeverans.

COMMENTARIUS.

cui me moribundam deſeris, *hoſpes?*

Plaut. Ciſtell. II. 3. 25.

Anus ei amplexa eſt genua, plorans, obſecrans,
Ne deſerat *ſe.*

HEM, EGONE ISTUC] In Mſ. Trajectino legitur, EGONE, HEM, EGONE ISTUC CONARI QUEAM. Sed prius EGONE linea trajecta deletum. Tum continuo, EGON' PROPTER ME. Quod poſterius non diſplicet. Citat etiam ex Mſ. Lindenbruchius. & reperi in Mſſ. Leidenſibus omnibus.

37. ANIMUM ATQUE OMNEM VITAM CREDIDIT] Sic Virgil. Aeneid. IV. 422.

arcanos etiam tibi credere *ſenſus.*

38. ANIMO EGREGIE CARAM] Salluſt. Jug. 14. *Frater* animo *meo* cariſſime. Mſ. Mark. EGREGIO.

PRO UXORE HABUERIM] ὡς γυναῖκα. Eſt enim vis aeſtimandi in particula PRO. Plaut. Ciſtell. I. 3. 24.

Eaque educavit eam ſibi pro filia,
Bene ac pudice.

Truc. II. 4. 59.

nunc tu te interim
Quaſi pro puerpera *hic procuras?*

Vide ſupra I. 1. 119.

39. BENE AC PUDICE] Sic Plaut. loc. cit. e Ciſtell. Qui autem PUDICE, quae gravida erat ex innupto amore? ſcilicet pudicae etiam dici volebant uni tantum viro morem gerentes. Plaut. Moſtell. I. 3. 31. 32. 49. Adde, quod Pamphilus a Chryſide in manum acceptam pro uxore habebat Glycerium.

EDUCTUM] Ita amant, pro, EDUCATUM. Cicero Fam. VI. 5. *Ita enim natus, ita* eductus, *ita doctus es*, Liv. XXI. 43. *In praetorio patris clariſſimi imperatoris prope natum, certe* eductum.

40. COACTUM EGESTATE] Cicero Philipp. II. 25. Cogebat egeſtas. *quo ſe verteret, non habebat.*

INGENIUM] Vix unquam apud Terentium naturam ſignificare, quatenus a moribus diſtinguitur, egregie docet Boeclerus in Chreſtomathia.

IMMUTARIER] Ad turpem quaeſtum ſcilicet. Unde ab inopia colorem apologeticum ſumſerat Simo, ſupra I. 1. 44. non quidem ad excuſandam,

Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Ut neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut ſervem fidem?
My. Unum hoc ſcio, hanc meritam eſſe, ut memor eſſes ſui.
Pa. Memor eſſem? o Myſis, Myſis, etiam nunc mihi

Scripta

DONATI.

43. ADEON' PORRO INGRATUM] PORRO, conjunctio eſt expletiva, alias adverbium temporis. IGNAVUM ET INGRATUM] Αὔξησις eſt. inhumanum aut ferum poſt ſubjecta dixit. ADEON' PORRO INGRATUM, AUT INHUMANUM?] Mira omnis converſio. Non enim dixit: Adeon' me obſequentem patri exiſtimas, adeo gratum, adeo pium, adeo manſuetum? Ita amatoris per omnia ſervat conditiones, ut oratorie hoc cogatur ſcelus eſſe, ſi pareret nunc patri.

44. UT NEQUE ME CONSUETUDO] Non ordinem reddit. *ferum* enim reddit ad *manſuetum*, quod etiam ferae manſueſcunt. NEQUE AMOR] Ad illud, INHUMANUM. Amor namque vehementior eſt in homines. [22] *Virgilius:*

Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? ----

PUDOR] Ad INGRATUM retulit. UT NEQUE ME CONSUETUDO, NEQUE AMOR] Ἀπόδοσις ad ſuperiora. CONSUETUDO, adverſus feritatem. AMOR, adverſus inhumanitatem. PUDOR, adverſus ingratum animum.

45. COMMOVEAT, NEQUE COMMONEAT] Αὔξησις eſt ad majora. UT SERVEM FIDEM] Exquiſite: non dixit, ut contemnam patrem.

46. UNUM HOC SCIO] In eodem haeret, ut excitet juvenem: neque audire ſe fingit quod dicit. UNUM HOC SCIO] Vide quam callida ſint, quae a Myſide ſubjiciuntur, ad irritandam promiſſionem Pamphili: quae ardentem incendant magis. nam dixit ille omnia, quibus cogitur ſervare fidem: ſed de merito ejus aut nihil dixit, aut parum. UNUM HOC SCIO] Quaſi hoc dicat, Quid tu facturus ſis, equidem neſcio, ſed unum ſcio. UT MEMOR ESSES SUI] Invidioſe, quaſi oblito: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. UT MEMOR ESSES SUI] Bene, praeterito: quoniam quae praeterita ſunt, in recordatione magis [23] lacrymabilia ſunt. ut [24] *Virgilius:*

—— Cui parvus Iulus,
Cui pater, & conjux, quondam tua dicta, relinquor?

Idem alibi,

[25] *Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.*

47. O MYSIS, MYSIS] Primum vocandi, alterum increpandi eſt. ETIAM NUNC SCRIPTA] Id argumentum eſt, quam vivae memor ſit, qui etiam mortuae verborum meminerit Chryſidis de Glycerio.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Virgilius*] Georg. III. 258.
23. *Lacrymabilia*] Ms. Hulſt. addit, *& miſerabilia.*
24. *Virgilius*] Aeneid. III. 678.
25. *Alibi*] Aeneid. IX. 300.

COMMENTARIUS.

cuſandam, ſed minuendam Chryſidis infamiam. Vero enim judicio de eadem Crito infra IV. 5. init. Placuitque JCtis Romanis, non ignoſcendum ei, quae obtentu paupertatis turpem vitam egiſſet. *l.* 43. §. 5. *de rit. nupt.* Quod tamen facilime in hanc partem peccaretur, cavit lex Attica de matrimonio proximi. quam legem Phormio Demeae falſe objicit, Phorm. II. 3. 66. Haec fere Boecl. in Chreſtomath.

44. CONSUETUDO] De illicitis & furtivis amoribus proprie dicitur. Unde *conſuetudinem ſtupri* dixerunt Salluſtius Catil. 23. & Suetonius Calig. 24. Sed & *conſueſcere* cum muliere eſt *ἐν αἰσχροῖς*. Adelph. IV. 5. 32.

qui cum illa conſuevit *prior.*

Phorm. V. 6. 34.

cum ejus conſuevit *olim matre.*

Quin

Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis
De Glycerio. jam ferme moriens me vocat:
Acceſſi; vos ſemotae: nos ſoli: incipit;
Mi Pamphile, hujus formam atque aetatem vides.
Nec clam te eſt, quam illi utraeque res nunc utiles,

Et

DONATI.

49. JAM FERME] FERME, adverbium eſt feſtinantis. MORIENS ME VOCAT] Ex tempore probavit locutam vera eſſe, non ficta & ſimulata. nam qui ſani ſunt, ſpe longioris vitae adulantur. [26] *Virgil.*

---- *Et dulceis moriens reminiſcitur Argos.*

JAM FERME MORIENS] Affectûs a tempore, quod poſtrema vox erat.

50. ACCESSI; VOS SEMOTAE; NOS SOLI] Figurae propriae [27] Terentianae, *ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις.* VOS SEMOTAE, deeſt *eſtis:* NOS SOLI, deeſt *remanſimus.* ut eſt illud, *Egone illam? quae illum? quae me?* VOS SEMOTAE: NOS SOLI] Habuit fidem, quod ſoli fuimus, quod nemo teſtis. an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognoſceret? INCIPIT] Deeſt *dicere.* Praeparatio, & quaſi veſtibulum orationis eſt. *Inceptio* dicitur orationis, quae longa taciturnitate, meditate, graviterque profertur. ut [28] *Virgilius,*

Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Infit. ----

51. MI PAMPHILE] *Μίμησις* per *προσωποποιίαν.* & principium a blandimento. MI PAMPHILE] Imitatus eſt etiam blandimentum Chryſidis. MI PAMPHILE] Vide redditam voci morientis denſis intervallis interruptam orationem, utpote laſſo anhelitu interveniente. HUJUS FORMAM ATQUE AETATEM] Amat compendium laſſitudo. FORMAM enim dicendo, pulchritudinem ſignificat: AETATEM, quod parva. HUJUS FORMAM ATQUE AETATEM] Duplex cauſa commendationis, *forma* & *aetas:* ut ſupra, *Forte unam adſpicio adoleſcentulam, Forma, &c.*

52. UTRAEQUE INUTILES] Legitur & UTILES.

OBSERV. IN DONAT.

26. *Virgilius*] Aeneid. X. 782.
27. *Terentianae*] Lege, *Terentio.*
28. *Virgilius*] Aeneid. X. 100.

COMMENTARIUS.

Quin & mulier conſueſcere cum viro dicitur, eodem ſenſu. Plaut. Ciſtell. I. 1. 88.

en unquam cum quoquam viro
Conſueviſti?

Mſ. Mark. legit, MANSUETUDO.

48. SCRIPTA ILLA DICTA SUNT IN ANIMO] Varie hanc locutionem efferunt. Cicero Orat. ad Quirit. poſt Redit. cap. 10. *Haec cura, Quirites, erit infixa animo meo ſempiterna.* Virgil. Aeneid. I. 26.

manet alta mente repoſtum.

Graeca ſunt, *βάλλειν φρεσὶ, τίθεσθαι ἐπὶ φρεσὶ, γράφειν ἐν φρεσί.* Ita & Paulus Apoſtolus Rom. II. 15. *οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν.* Veteres autem non tantum calamo exarare, ſed ſculpere vocabant *ſcribere.* Ovid. Heroid. XIV. 128.

Scripta*que ſint titulo noſtra ſepulcra brevi.*

Ad quem locum plura notavit Heinſius.

51. HUJUS FORMAM ATQUE AETATEM VIDES] Utraque juncta facit ad miſericordiam movendam. Apulejus Metam. III. *Ut & formae, ſimul & aetatis contemplatione magis magiſque ad juſtam indignationem arrecti, pro modo facinoris ſaeviatis.* Vide porro ſupra I. 1. 45.

52. UTILES] Mſ. Mark. & Traject. ſed & Lugduneuſes omnes, INUTILES. Unus ita: QUAM ILLI NUNC UTRAEQUE INUTILES, omiſſo RES, quod habet Priſcianus. Sed aetate Donati etiam UTILES lectum. Unde non dubitavi edere, uti recenſuit Heinſius. Sane autem ejuſce-

Et ad pudicitiam, & ad rem tutandam ſient.
Quod ego te per hanc dextram oro, & ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus ſolitudinem
Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras:
Si te in germani fratris dilexi loco,

Sive

D O N A T I.

53. Et ad pudicitiam] Propter formam dixit. Et ad rem tutandam] Propter aetatem. Ἀπόδοσις.

54. Quod te per] Quod, propter quod: ut, [29] *Quod te per ſuperos.* Et eſt ordo, propter quod te oro. Per hanc dextram] Tenet eum, ut apparet. Per hanc dextram] Fidei & foederis membrum. Ad manum fit conventio. Et ingenium] Legitur & genium.

55. Per hujus solitudinem] Legitur & solicitudinem.

56. Obtestor] *Obteſtatio* dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. *Oramus* per eas res, propter quas rogamus. [30] *Virgilius,*

— per everſas, genitor, fumantia Troiae
Excidia obteſtor. —

Ne abs te hanc segreges, neu deseras] Ad *fidem*, ne segreges, retulit: ad *ſolitudinem*, ne deseras: hoc eſt, ne aliam ducas, aut amare deſinas, etiamſi aliam ducas. Ne abs te hanc segreges] Quaſi ipſam manu tenens. Hanc, propter formam & aetatem. Segreges] Hoc verbum ſimplex fieri non poteſt. Neu deseras, poſtremo. Te obtestor] Sextum παρέλκον. Dixit enim jam; *Quod ego te per hanc dextram oro.*

57. Si te in germani] Sic tunc dicimus; quando praeſtitimus aliquid, & tamen nolumus exprobrare. ut [31] *Virgil.*

Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit. —

Et alibi, [32]

Si bene quid de te merui. —

In germani fratris] Non *fratris* ſolum, ſed etiam *germani.*

O B S E R V. I N D O N A T.

29. *Quod te*] Virgil. Aeneid II. 141.
30. *Virgilius*] Aeneid. X. 45.
31. *Virgilius*] Aeneid. IX. 406.
32. *Alibi*] Aeneid. IV. 317.

C O M M E N T A R I U S.

modi locutio inutilitatem maximam deſcribit. Infra IV. 5. 15.

nunc me hoſpitem
Lites ſequi, quam mihi hic ſit facile, atque utile,
Aliorum exempla commonent.

Vide Rivii Caſtigat.

53. Rem] Intelligit rem familiarem, ſeu bona patrimonii. Adelph. II. 2. 12.

Nunquam rem *facies.*

Phorm. II. 3. 46.

At ſi talentûm rem *reliquiſſet decem.*

54. Per hanc dextram] Scilicet in dextra ſitam eſſe credebant fidem. Unde *dextra fideſque* jungi ſolent. Plaut. Amph. III. 2. 42. ubi Jupiter ad Alcumenam:

Per dextram tuam te, *Alcumena, oro, obſecro.*

Ita & Dido ad Aeneam, Virg. Aeneid. IV. 314. ſeqq. Horat. Epiſt. I. 7. 94.

Quod te per genium, dextramque, *Deoſque penates*
Obſecro & obteſtor.

Qui locus manifeſto e Terentio expreſſus.

56. Ne abs te hanc segreges] Latine dicitur, ſegregare aliquem abs ſe. Aſt ſegregare ſe abs altero, raro vel nunquam. Heaut. II. 4. 6.

vulgus quas abs ſe ſegregant.

Hec. III. 5. 30.

Segreganda *aut mater* a me *eſt, Philippe,*
aut Philumena.

& V. 1. 26.

Me ſegregatum *habuiſſe, uxorem ut duxit,*
a me *Pamphilum.*

&

Sive haec te ſolum ſemper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona noſtra haec tibi permitto, & tuae mando fidei.

Hanc

DONATI.

58. Sive haec te solum] Si aut te mihi praetulit, aut nullum alium noverit amatorem in domo meretricis.

59. Morigera] Hoc quaſi amanti utile fuit. [33] *Virgilius:*

— fuit aut tibi quidquam
Dulce meum. —

60. Te isti virum do] Haec, ut diximus, & ſingula ſunt, & non praecipitantur, nec dicuntur uno ſpiritu. Te isti virum do] Apparet quod junctis dextris haec dicebat. ideo &, Per hanc dextram te oro. Amicum] Poteſt enim & maritus eſſe, & non amicus. Sed affectu mariti retulit amicum. Virum] Ne ſegreges. Amicum] Ne deſeras. Tutorem] Quaſi orbae. Patrem] Quaſi parvae. Patrem] Ad illud quod ait: *Et ad pudicitiam.*

61 Bona nostra tibi haec permitto, et tuae mando fidei] Concluſio per mandatum & obteſtationem efficax ſatis. Bona nostra] Haec verba quaſi ſupellectilem ſuam oſtendentis ſunt. Bona nostra] [34] Hoc eſt, *Ad rem tutandam.*

OBSERV. IN DONAT.

33. *Virgilius*] Aeneid. IV. 317.

34. *Hoc eſt*] Lege: Ad hoc, *Et ad rem tutandam.*

COMMENTARIUS.

& V. 2. 23.

Nam nupta meretrici hoſtis eſt, a viro *ubi* ſegregata *eſt.*

Plaut. Moſtell. V. 1. 9.

Illi me *e ſenatu* ſegregant.

Trin. I. 2. 42.

ſuſpicionem & culpam ut abs ſe ſegregant.

57. Si te in germani fratris dilexi loco] Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. citans hunc locum, ait, Si *confirmative poſitum.* Utimur autem hac particula in obteſtationibus, cauſam dicturi, quare quid petimus. Cicero Fam. V. 2. *A te peto, ut tu quoque aequum te judicem dolori meo praebeas:* ſi *acerbe*, ſi *crudeliter*, ſi *ſine cauſa ſum a tuis oppugnatus, ut ſtatuas.* Et Fam. X. 9. *Te, ut diligas me*, ſi *me mutuo facturum ſcis, rogo.* Et pro Muraena cap. 40. *Atque ita vos, Muraena, judices, orat atque obſecrat*, ſi *injuſte neminem laeſit*, ſi *nullius aures voluntatemve violavit:* ſi *nemini, ut leviſſime dicam, odio nec domi, nec militiae fuit: ſit apud vos modeſtiae locus.* Phaed. IV. 19.

ſi *pulchre vides,*
Quam non conveniens aurum ſit vitae meae,
Reſpondeas clementer.

58. Sive] Quoties haec particula ſequitur poſt *ſi*, prius *ſive* eleganter omittitur. Uti h. l. Et Plaut. Curc. I. 1. 4.

Si *media nox eſt*, ſive *eſt prima veſpera.*

Maximi] Pluſculi Mſſ. legunt, maximum.

59. Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus] κακέμφατον eſt. Graecis χαρίζεσθαι dicitur. Quod vero Chryſis de Glycerio, id Thais ipſa de ſeſe, Eun. I. 2. 99.

quam joco
Rem voluiſti a me tandem, quin perfeceris?

Dicitur autem *morem gerere*, ſeu *morigerari* mulier, quando copiam ſui praebet. Id Plauto familiare.

60. Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem] Reſpexit ad haec verba Myſis ancilla, infra IV. 3. 2.

Summum bonum eſſe herae putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum.

61. Permitto] Quidam Libri Mſſ. committo legunt. Praeſtat autem vulgatum, ne idem bis dicatur. Permittitur porro quid poteſtati, committitur fidei.

Hanc mihi in manum dat. mors continuo ipſam occupat.
Accepi. acceptam ſervabo. *My.* Ita ſpero quidem.
Pa. Sed cur tu abis ab illa? *My.* Obſtetricem arceſſo, *Pa.* Propera.
Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis;
Ne ad morbum hoc etiam. *My.* Teneo,

DONATI.

62. HANC MIHI IN MANUM DAT] Confirmatae ſunt legitime nuptiae per in manum conventionem. Et mire HANC: non, *hujus manum.* MORS CONTINUO IPSAM OCCUPAT] Quo magis memorem eſſe oportet eorum, poſt quae illa nihil locuta eſt.

63. ACCEPI] Proprie, quaſi uxorem. ACCEPTAM SERVABO] Concluſit partem deliberationis ſuae per electionem.

64. SED CUR TU] Corripit, quod abeat ab illa. CUR, non interrogantis, ſed corripientis eſt, & increpantis, quod Glycerium deſerat. OBSTETRICEM] Quae opem tulerit parienti, *obſtetrix* dicitur: unde & parturientes, *Fer opem*, clamant.

65. PROPERA. ATQUE AUDIN'?] Et interrogatio quo eat, & revocatio, ad argumentum magni amoris accedit. VERBUM UNUM CAVE DE NUPTIIS] Deeſt *dicas.* figura ἔλλειψις. DE NUPTIIS] Non quod hodie futuras neſcierit Glycerium, ſed quod illas hodie indixerit pater filio: cum ſupra & Pamphilo & Glycerio diſturbatae viderentur, quia ſunt conſtitutae in hunc diem. CAVE] Annotant quidam CAVE hic corripiendum eſſe.

66. NE AD MORBUM HOC ETIAM] Iterum ἔλλειψις. deeſt enim, *accedat.*

COMMENTARIUS.

62. HANC MIHI IN MANUM DAT] Cicero Fam. VII. 5. *Totum denique hominem tibi ita* trado de manu, *ut ajunt*, in manum. Unde quid *in manu* eſſe dicitur, cujus nobis facultas eſt & arbitrium. Tum quae nubebat, dicebatur venire in manum viri. Quanquam h. l. non videtur ſermo eſſe de nuptiis per conventionem in manum, quarum Donatus meminit.

MORS CONTINUO IPSAM OCCUPAT] Sub. plura dicere conantem. Eſt enim *occupare* praecipere, praevenire, opprimere. Cicero de Senect. 16. *Magiſter Equitum C. Servilius Ahala Sp. Maelium regnum appetentem*, occupatum *interemit.* Phaed. V. 8. de calvo, comoſa fronte, ſed curſu volucri, occaſionis emblemate:

Quem ſi occuparis, *teneas.*

h. e. ſi antevertas prius, quam elabatur.

64. OBSTETRICEM ARCESSO] Lesbiam ſcilicet. quod juſſerat Archilis ſupra I. 4. 1.

PROPERA] Mſ. Bodl. PROPERABIS.

65. ATQUE AUDIN'?] Ita ſolent, qui diſcedentem vel properantem revocant.

VERBUM UNUM CAVE DE NUPTIIS] Omnis vis pronunciandi eſt in τῷ UNUM. Infra II. 4. 7.

Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum *eſſe* verbum.

Adelph. I. 2. 55.

Jam ſi verbum unum *poſthac.*

Hec. III. 1. 33.

Fortaſſe unum *aliquod* verbum *inter eas iram hanc conciverit.*

66. NE AD MORBUM HOC ETIAM] Sub. faciat, ſcilicet augendum. Contrarium eſt in illo Ciceronis Divin. I. 7. *Mirari licet, quae ſint animadverſa a Medicis herbarum genera, quae radicum*, ad morſus *beſtiarum*, ad oculorum morbos, *ad vulnera.* curanda ſcil. & ſananda.

ACTUS

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS.

Ch. QUID ais, Byrrhia! daturne illa Pamphilo hodie nuptum? *By.* Sic eſt.

Ch. Quî ſcis? *By.* Apud forum modo e Davo audivi. *Ch.* Vae miſero mihi!

Ut

DONATI.

QUID AIS, BYRRHIA!] *In hoc colloquio altera pars oſtenditur fabulae. Siquidem Andria ex duorum adoleſcentium* [1] *pavoribus gaudiiſque componitur, cum fere ſolam Hecyram Terentius ex unius comoedia adoleſcentis effecerit.*

1. QUID, &c.] Has perſonas Terentius addidit fabulae, nam non ſunt apud Menandrum, ne [2] *τραγικώτερον* fieret, Philumenam ſpretam relinquere ſine ſponſo, Pamphilo aliam ducente. QUID AIS, &c.] Ex verbis Charini apparet, Byrrhiam nuntiaſſe nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen, ut ſtatim credat, & accommodet animum. Saepius ergo repetit interrogando. Et bene ILLA, velut amatorie de certa loqueretur perſona. Sic [3] *Virgilius*:

---- ſolam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus.

Ergo non Aeneas, ſed ILLE. Et item hic, non *Philumena*, ſed *illa* dixit. QUID AIS, BYRRHIA!] Miratur magis, quam interrogat, vel potius indignatur. SIC EST] Hoc cum indignatione ſtomachi dixit.

2. QUI SCIS?] Non vult enim verum eſſe. QUI? quatenus? unde hoc ſcis? [4] APUD FORUM] De loco. De tempore, MODO. De perſona, a DAVO. APUD FORUM a DAVO AUDIVI] Plurima dixit ad confirmandum Byrrhia, quando interrogatus eſt, a loco, a tempore, a perſona. VAE MISERO] Tandem aliquando perviĉtus eſt, ut crederet. VAE interjeĉtio in his rebus, quas execramur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Pavoribus*] Mſ. Hulſt. *Periculis.* ita & Mſ. Dan.
2. *Τραγικώτερον*] Lindenbruchius e Mſ. laudat, ΑΠΟΘΕΑΤΟΝ. Mſ. Hulſt. neutrum agnoſcit.
3. *Virgilius*] Aeneid. IV. 421.
4. APUD FORUM] Haec edenda erant; ut ſunt in Mſ. Hulſt. APUD FORUM MODO DE DAVO AUDIVI] *de loco*, APUD FORUM. *de tempore*, MODO. *de perſona*, DE DAVO.

COMMENTARIUS.

1. QUID AIS!] Formula admirantium cum indignatione. Sic infra III. 2. 36. Et Ovid. Amor. III. 9. 57.
Cui Nemeſis: Quid ais! *tibi ſunt mea damna dolori?*

2. E DAVO] In quibuſdam, DE DAVO legitur, in aliis EX DAVO, rurſus in aliis A DAVO. Plurimi Mſſ. E DAVO. quomodo & Donatus.

Ut animus in ſpe atque in timore uſque antehac attentus fuit;
Ita, poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus, cura confectus, ſtupet.
By. Quaeſo, aedepol Charine; quoniam non poteſt id fieri, quod vis,
Id velis, quod poſſit. *Ch.* Nihil volo aliud, niſi Philumenam.
By. Ah! quanto ſatius eſt, te id dare operam, qui iſtum amorem ex animo amoveas tuo,

Quam

DONATI.

3. USQUE ANTEHAC] Id eſt, ante quam tua verba audirem. Et duas praepoſitiones poſuit, ut dicitur: ſed una eſt tantum, velut adverbium, non jam praepoſitio. Nulla praepoſitio praepoſitioni adjungi ſeparatim poteſt. USQUE, ejuſmodi eſt, ut ſine aliqua praepoſitione raro inveniatur. ATTENTUS FUIT] Ut *attentus audire* dicitur.

4. LASSUS, CURA CONFECTUS, STUPET] LASSUS CURA, ex praeterita SPE: nunc CONFECTUS, id eſt, ſic vulneratus, aut percuſſus, ut ſanari non poſſit. LASSUS, CURA CONFECTUS, STUPET] LASSUS, adempta attentione. CURA CONFECTUS; confirmato timore. STUPET, abjecta ſpe.

5. QUAESO AEDEPOL] Objurgantis eſt QUAESO, vel etiam rogantis. QUONIAM NON POTEST] Conſolatio ad id, quod fieri non poteſt, ſuadens.

6. ID VELIS QUOD POSSIT] Proverbiale. NIHIL ALIUD] Hoc magis gemitu amatorio, quam ut reſponderet Byrrhiae, dicit: quaſi magis Philumenam velit, quam vitam & lucem. Idem alibi, IN EO ME OBLECTO: SOLUM ID EST CHARUM MIHI. Non enim dixit, *Nullam volo aliam, quam Philumenam*: ſed *nihil volo aliud*. quod infinitum eſt.

7. QUI ISTUM] QUI, pro ut. EX ANIMO AMOVEAS] Legitur &, EX CORDE EJICIAS.

COMMENTARIUS.

3. ANIMUS IN SPE, ATQUE IN TIMORE, USQUE ANTEHAC ATTENTUS FUIT] Eſt quaedam naturalis ſpei atque timoris conjunctio. Ovid. Heroid. IX. 42.

Speque timor dubia, ſpeſque timore cadit.

Virgil. Aeneid. I. 218.

Spemque metumque inter dubii.

Id autem vult Pamphilus, ita ſe utrinque & a ſpe, & a metu diſtentum, ut ancipiti cura & labore confectus animum ad conſilium intendere non poſſit. Imitatur Salluſtius Jug. 108. *Sed ego comperior, Bochum magis Punica fide, quam ob ea, quae praedicabat, ſimul Romanos & Numidam ſpe pacis attinuiſſe: multumque cum animo ſuo volvere ſolitum, Jugurtham Romanis, an illi Sullam traderet: lubidinem adverſus nos, metum pro nobis ſuaſiſſe.*

4. LASSUS, CURA CONFECTUS, STUPET] κλῖμαξ eſt. Ut enim LASSUS, ſeu ex morbo, ſeu minus, vires recipere poteſt, ita CONFECTUS ita vulneratus dicitur, ut ſanari nequeat, obſervante Donato. Metaphora a gladiatoribus deducta. STUPET autem, qui plane immobilis eſt, & ſenſu omni caret, ſeu dolor in cauſa ſit, ſeu gaudium.

5. QUONIAM NON POTEST ID FIERI, QUOD VIS, ID VELIS, QUOD POSSIT] Invertit Auguſtinus de Civ. Dei XIV. 15. *Nam quae hominis eſt alia miſeria, niſi adverſus eum ipſum inobedientia ejus ipſius, ut quoniam noluit, quod potuit, quod non poteſt, velit?* Sic infra IV. 5. 10.

Ut quimus, aiunt; quando, ut volumus, non licet.

6. NIHIL VOLO ALIUD, NISI PHILUMENAM] Apulej. Metam. III. *Adjuro per dulcem illum capilli tui nodulum, quo meum vinxiſti ſpiritum, me nullam aliam mea Fotide malle.*

7. EX ANIMO] Quidam Mſſ. AB ANIMO. Dixit autem, *Amorem ex animo amoveas*, quemadmodum Eun. II. 1. 16.

Ejiciunda, hercle, haec eſt mollities animi.

Amo-

Quam id loqui, quo magis lubido fruſtra incendatur tua?
Ch. Facile omnes, quum valemus, recta conſilia aegrotis damus.
Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. *By.* Age, age, ut lubet. *Ch.* Sed Pamphilum
Video. omnia experiri certum 'ſt prius quam pereo. *By.* Quid hic agit?

Ch.

DONATI.

10. TU SI HIC SIS] Hoc geſtu ſcenico melius commendatur. Nam haec magis ſpectatoribus, quam lectoribus ſcripta ſunt. HIC ergo, ſe ipſum oſtendens, dicit. Et eſt HIC pronomen. SED PAMPHILUM] SED, inceptivum, pro atque eccum Pamphilum: ut [5] *Salluſtius, Sed Metellus in vulnere.* Hoc non diſcretivum: ut ſi dicas, ſapiens, ſed miſer: hic enim diſcretivum erit. SED PAMPHILUM VIDEO] Haec per ἀποστροφὴν finguntur. AGE AGE UT LUBET] Adverſus haec non habuit, quid loqueretur. Et eſt permiſſio reprobantis ea, quae conſentit.

11. OMNIA EXPERIRI] Idem alibi, *Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet.* [6] *Virgilius* hanc quoque poſuit ſententiam,

Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Salluſtius*] In Fragmentis.

6. *Virgilius*] Aeneid. IV. 415.

COMMENTARIUS.

Amoventur autem res graves & moleſtae. Infra III. 2. 30.

Prorſus a me opinionem hanc tuam eſſe ego amotam *volo.*

8. LUBIDO] Vocabulum μέσον eſt, neque h. l. in vitio ponitur. Sic Heaut. I. 2. 27.

9. FACILE OMNES, QUUM VALEMUS, RECTA CONSILIA AEGROTIS DAMUS] Menander:

Ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ.

Laudat Muretus Var. Lect. I. 9. Ciceto Fam. IV. 5. *Neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur, ſe tenere medicinae ſcientiam; ipſi ſe curare non poſſunt.* Adde omnino Cic. Tuſc. III. 29. Plaut. Epid. I. 2. 43.

Facile tu iſtuc ſine periculo & cura, corde libero
Fabulare. novi ego noſtros. mihi dolet, quum ego vapulo.

Vide porro Eraſm. in Adag. Dicuntur autem RECTA CONSILIA, ſalubria. Eun. IV. 7. 14.

Nimirum confilinm *illud* rectum *eſt.*

Tum *rectum* opponitur pravo. Heaut. III. 1. 76.

Pravum *an* rectum *ſit.*

Phorm. V. 2. 6.

Iis nunc praemium eſt, qui recta prava *faciunt.*

Metaphora a corporibus petita. Horat. Art. 36.

pravo *vivere naſo.*

10. TU SI HIC SIS, ALITER SENTIAS] Δεικτικῶς haec expreſſit, ſemet indigitans. Eſt enim HIC pronomen. Infra V. 4. 19.

quaſi tu hujus *indigeas patris.*

Plaut. Bacchid. IV. 4. 1. Chryſalus de ſeſe:

Hunc *hominem decet auro expendi.* huic *decet ſtatuam ſtatui ex auro.*

Cic. Fam. III. 12. *De me autem, ſuſcipe paulliſper partes meas, & eum te eſſe finge, qui ego ſum.* Plaut. Caſin. II. 6. 29.

Men' te cenſes eſſe?

Similis locutio eſt Hiobi, Cap. XVI. 4. לו יש נפשכם תחת נפשי Quanto magis mirum, Hugenium in Indice τὸ HIC vocare adverbinm.

AGE, AGE] Sic Noſter ſaepius, imitatus Plautum, Caecilium, Turpilium, geminatione non ineleganti. Eodem modo, *apage, apage*; *ſine, ſine*, dixerunt.

11. OMNIA EXPERIRI] Formulae ſpeciem habet, pro, nihil intentatum relinquere. Eun. IV. 7. 19.

Omnia *prius* experiri, *quam armis, ſapientem decet.*

Cic. Fam. XII, 15. *Hujus rei timore, Patres Conſcripti*,

Ch. Ipſum hunc orabo: huic ſupplicabo: amorem huic narrabo
meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot ſaltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, ſpero. *By.* Id aliquid nihil eſt. *Ch.* Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? *By.* Quidni? ſi nihil impetres,
Ut te arbitretur ſibi paratum moechum, ſi illam duxerit.

Ch.

DONATI.

12. IPSUM HUNC] Bene IPSUM, quaſi auctorem & principem. refertur etiam ad dignitatem. ORABO: HUIC SUPPLICABO] *Oramus* quae bona ſunt: *Supplicamus* in adverſis magis, vel cum lacrymis. HUNC ORABO, HUIC SUPPLICABO] Prooemia ſunt petitionis, quibus oſtendit Poëta rationem, qua nova & improba res tamen petitur. AMOREM HUIC NARRABO MEUM] Non ſtudium aut voluntatem: ſed *amorem*. Nec petam, ſed NARRABO dixit: totum magnifice.

13. UT ALIQUOT SALTEM PRODAT DIES] SALTEM, deſperatis rebus ſolam petentes *ſalutem*, hoc verbo utimur. PRODAT vero, proferat, prolatet, differat. *Lucilius* in quinto, *An porro prodenda dies ſit?*

14. INTEREA FIET ALIQUID] Tale eſt hoc, quale illud, *Interea aliquid accidet boni*, Sed nihil illum dixiſſe Poëta per ſervum oſtendit, dicendo; *Id aliquid nihil eſt.* FIET ALIQUID] Ut ſupra, *Impetrabo.*

15. ADEON' AD EUM?] Conſuetudine magis, quam ratione dicitur, unum enim AD abundat. QUIDNI? SI NIHIL IMPETRES] Aut, QUID, NISI NIHIL IMPETRES, UT TE, &c. In utroque idem ſenſus eſt: ſed ſuperior per *εἰρωνείαν*, inferior per ſimplicem explanationem ſolvitur. Et ſi QUIDNI? legitur, ſubaudiendum, *adeas*: ut ſit, *Quid ni adeas? ut, ſi nihil impetres, te arbitretur paratum moechum, ſi illam duxerit.* SI NIHIL IMPETRES] IMPETRES, per *ὑστερολογίαν* dictum videtur, pro *petas*, quoniam petitionem ſaepe impetratio ſequitur.

COMMENTARIUS.

ſcripti, perditus, injurias perpeti, & cum contumelia etiam noſtra omnia *prius* experiri *malui.* Virg. Aeneid. IV. 415.

Ne quid inexpertum *fruſtra moritura relinquat.*

Flor. III. 5. 24. *Et Mithridates quidem nocte illa debellatus eſt. nihil enim poſtea valuit; quanquam* omnia expertus, *more anguium, qui, obtrito capite, poſtremum cauda minantur.*

PEREO] Mſſ. quidam & editiones vetuſtae, PEREAM. Praeſtat autem lectio vulgata, utpote certius conſilium pereundi indicans.

13. CREDO, IMPETRABO] Voces hae, credo, ſpero, puto, opinor, atque aliae hujuſcemodi eleganter abſolute ponuntur. Plaut. Epid. II. 2. 72.

Ille quidem aut jam hic aderit, credo *hercle*,
aut jam adeſt.

Et I. 1. 32.

Mulciber, credo, *arma fecit.*

Cic. Fam. V. 9. *Non*, puto, *repudiabis in honore, quem in periculo recepiſti.* Martial. VIII. 29.

Diſticha qui ſcribit, puto, *vult brevitate placere.*

PRODAT] Ita Donatus, & Non. Marcell. v. *prodere.* Ita & plerique Mſſ. Praetor autem *prodere diem* dicebatur, quum rem differebat. Alii, PROTRAHAT.

14. INTEREA FIET ALIQUID, SPERO] Formula eſt laborantium, laetumque exitum ſperantium. Plaut. Truc II. 4. 15.

mane: aliquid fiet. *ne abi.*

Infra II. 3. 24.

Interea aliquid acciderit *boni.*

Cic. Fam. VII. 11. Erit *hic* aliquid *aliquando.* Plaut. Mercat. II. 4. 25.

Invenietur, exquiretur, aliquid fiet.

ID ALIQUID NIHIL EST] *ὀξύμωρον*, quale illud Plauti Amph. I. 3. 32.

Id actutum diu eſt.

16. PARATUM MOECHUM] H. e. ſtatim adulterium cum Philumena commiſſurum. Unde *parata*

Ch. Abin' hinc in malam rem cum ſuſpicione iſthac, ſcelus.
Pa. Charinum video. ſalve. *Ch.* O ſalve, Pamphile.
Ad te advenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.
Pa. Neque pol conſilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed iſtuc quidnam 'ſt? *Ch.* Hodie uxorem ducis? *Pa.* Aiunt.
Ch. Pamphile, Si

DONATI.

18. Charinum video] Non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, ſed ut fiduciam det Charino loquendi: quod & [7] *Virgil.* eleganter,

Heus, inquit, juvenes monſtrate, mearum
Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororum.

Charinum video] ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confeſſionem Charino minus clauſa prae pudore ſit via.

19. Salutem, auxilium, consilium expetens] Ut in petitionibus fieri ſolet, beneficium petens, utitur partibus deliberativae. Consilium expetens] Eleganter: quoniam demens & improbum eſt quod petit, noviſſimum poſuit conſilium: ut ſi non poſſit concedi, vel conſilium expetat ad ſanandam dementiam. [8] Cicero, *Tu da ſalutem, qui ſpem dediſti.*

20. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam] Apud amantem neque conſilii facultas: apud inopem neque copia auxilii. His duobus oſtendit etiam ſeſe amatorem. *Neque pol conſilii locum habeo*, quia amo: *neque auxilii copiam*, quia ſum miſer.

21. Sed istuc quidnam 'st?] Hoc ſi non adderet, locus confitendi amoris Charino nullus fuiſſet. Hodie uxorem ducis?] Vide miram interrogationem ante confeſſionem. Ajunt] De ea re dicimus, quam volumus eſſe falſam.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Virgilius*] Aeneid. I. 325.
8. *Cicero*] Orat. pro Ligar. cap. 10. Ubi tamen nunc legitur, *Tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.*

COMMENTARIUS.

parata puella, quae facile ſtuprum patitur. Propert. I 9. 25.

Nec te decipiat, quod ſit ſatis illa parata.

17. In malam rem] Alii, in malam crucem. Cum suspicione isthac. Particula cum eleganter inſervit deſcriptioni cauſae. Infra V. 4. 38.

dignus es,
Cum *tua religione, odio.*

Eun. II. 3. 66.

homo quatietur certe cum *dono foras.*

Ad quae Donatus: *mire*, cum dono, *tanquam illi repulſae cauſa donum futurum ſit.* Heaut. IV. 6. 6.

Ut te quidem omnes Dii Deaeque, quantum eſt, Syre,
Cum *tuo iſthoc invento*, cum*que incepto perduint.*

Adelph. IV. 6. 1.

Ut, Syre, te cum *tua*
Monſtratione magnus perdat Jupiter.

Phorm. V. 7. 37.

I in malam rem hinc cum *iſthac magnificentia.*

Plaut. Moſtell. II. 2. 53.

Di te Deaeque omnes faxint cum *iſtoc omine.*

Idem Epid. I. 1. 72.

Abi in malam rem maximam a me
Cum *iſthac conditione.*

19. Advenio] Ita Priſcianus Lib. XVIII. & Mſſ. pluſculi, eoſque ſequutae editiones vetuſtae. vulgo venio.

20. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam] Plaut. Truc. II. 1. 5.

magiſque
Adeo ei conſiliarius hic amicus eſt, quam auxiliarius.

Idem Pſeud. I. 4. 4.

Quoi neque parata gutta certi conſilii,
Neque adeo argenti.

21. Ajunt] Ad hanc vocem ita Boeclerus in Chreſtomathiis, V. *Ajo*: *Frigide pronunciandum eſt, ne tam reſpondere, quam ſeriam reſponſionem declinare velle videatur.*

Si id facis, hodie poſtremum me vides. *Pa.* Quid ita? *Ch.* Hei mihi!
Vereor dicere. huic dic quaeſo, Byrrhia. *By.* Ego dicam. *Pa.* Quid eſt?
By. Sponſam hic tuam amat. *Pa.* Nae iſte haud mecum ſentit. ehodum dic mihi,
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? *Ch.* Ah, Pamphile,

Ni-

DONATI.

22. Si id facis] Nihil prius, quam ſe moriturum dixit, pudenda dicturus. Inde datum eſt, ut ille inſtantius quaereret cauſam. Hodie postremum] Plus dixit, quam ſi dixiſſet, *Morior hodie.* Hodie postremum] A neceſſario: quia vivere non poteſt. Et postremum, adverbium eſt.

24. Sponsam hic tuam] Nulla cunctatione Byrrhia, ſed facete, παιδιᾷ ſervili paratiſſime narrat. Sponsam hic tuam amat] Callide & sponsam, & amat: hoc eſt, nec adhuc uxor tua eſt, neque aliquid admiſit, quia amat tantum. Nae iste haud] Nae, valde: ut *Cicero, Nae illi vehementer errant.* Senſus hic eſt, Non id amat quod amo, nec id odio habet quod odi. hoc eſt, valde iſte, inquit, non mecum ſentit: id amat quod ego odi. Nae iste haud mecum sentit] Nae, valde: aut ut quidam volunt, *o quam.* Lucilius in x.

Nae in arce bovem diſcerpſi magnifice,

inquit.

25. Num quidnam amplius tibi cum illa fuit] Artificioſe perſonam expreſſit Terentius, nuptias recuſantem, & ſimul τὸ πρέπον virgini ſervavit.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Inde datum eſt*] Lege, *inde natum eſt.* Ni Mavis, *inde factum eſt.*

10. *Cicero*] Catill. II. 3.

COMMENTARIUS.

22. Quid ita?] Mſſ. quidam; Quid ita est?

25. Num quidnam amplius tibi cum illa fuit?] εὐφημισμός. Valet vero, num rem habuiſti cum illa? Eun. I. 2. 63.

Ad virginem animum adjecit. Ph. *Etiamne* amplius?
Th. *Nihil.*

Ovid. Heroid. XVII. 27.

Oſcula luctanti tantummodo pauca protervus
Abſtulit. ulterius nil habet ille mei.

Idem Pont. I. 7. 25.

Utque tibi fuerit mecum nihil amplius.

Moſchus Idyll. I. 5. Οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὺ δ' ὦ ξένε, καὶ πλέον ἑξεῖς. *Non nudum ſuavium, ſed tu, o hoſpes, plus etiam habebis.* Verba Veneris ad eum, qui Cupidinem fugitivum inveſtigaſſet. Transfertur & ad res alias. Nepos Alcib. 10. *Huic ergo renunciat, quae regi cum Lacedaemoniis eſſent.* Liv. VIII. 25. *Lucani atque Apuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat, in fidem venerunt.*

26. Et per amorem] Mſſ. quidam, et amorem.

28. Tibi nuptias has sunt cordi] Phorm. V. 3. 17.

uterque utrique eſt cordi.

Plaut. Ciſtell. I. 1. 111.

utut erga me eſt meritus, mihi cordi *eſt tamen.*

Cordi?] Repetitio ultimae vocis loquentium indignationis ſignum eſt. Andr. V. 3. 5. Heaut. IV. 6. 11.

29.

Nihil. *Pa.* Quam vellem! *Ch.* Nunc te per amicitiam, & per amorem obſecro,
Principio, ut ne ducas. *Pa.* Dabo equidem operam. *Ch.* Sed ſi id non potes:
Aut tibi nuptiae hae ſunt cordi. *Pa.* Cordi? *Ch.* Saltem aliquot [dies
Profer, dum proficiſcor aliquo; ne videam. *Pa.* Audi nunc jam:
Ego, Charine, neutiquam officium liberi eſſe hominis puto,
Cum

DONATI.

26. Quam vellem!] Utique ut eſſet cauſa recuſandae. Per amicitiam] Suam & Pamphili. Et per amorem] Suum tantum circa virginem.

27. Ut ne ducas] Sufficeret dixiſſe, ne ducas. Dabo equidem operam] Plus illi promiſit, quam ille popoſcit. Dabo equidem operam] Pronunciatione levandum eſt. Plus enim dixit, dabo operam, quam ſi diceret, *non ducam.* Non potest] Deeſt, *fieri*, & hoc ad patrem retulit.

28. Aut tibi nuptiae hae sunt cordi] Hoc ad Pamphilum pertinet. non enim unum & idem eſt. nam ſi idem eſſet: *nuptiae hae ſunt tibi cordi*, ſupervacuum eſſet additum, *Cordi.* Cordi] Animo. acute. Saltem aliquot dies profer] Primo quae majora ſunt, petit: poſtremo quae ex his videntur minima: & hoc arte: ut,

[11] *Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes.*

Et ad poſtremum,

Aut age diverſas, & disjice corpora ponto.

29. Profer] Prolata, produc, differ. Aliquo; ne videam] Aliquo dixit, ut exilium eſſet incertum. Audi nunc jam] Correptio impatientis, qui non ſuſtineat audire de exilio.

30. Ego, Charine] Sententiae quae ex pronominibus incipiunt, ſeria ſemper, ſed vera promittunt. [12] Virgilius:

Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat. —

Ego, Charine, neutiquam officium] Senſus hic eſt, Non puto, inquit, hominem liberum, qui, cum nihil praeſtet, haberi gratiam ſibi poſcat. ergo cum tibi nihil praeſtem, nolo mihi gratias agas. non enim tui cauſa fugio, quod, prius quam me peteres, magis nolebam ducere, quam tu cupis. Neutiquam] Una pars eſt orationis, pro nequaquam. Aut alio modo dicitur.

31. Cum is nihil promereat] id eſt, praeſtet. ut, [13] *Virgilius:*

Quique ſui memores alios fecere merendo.

Et,

— [14] *Nunquam, regina, negabo*
Promeritam.

E contrario laedit:

Quid commerui, aut peccavi, pater?

OBSERV. IN DONAT.

11. *Incute vim*] Virgilius Aeneid. I. 69.
12. *Virgilius*] Aeneid. XII. 27.
13. *Virgilius*] Aeneid. VI. 664.
14. *Nunquam*] Virgilius Aeneid. IV. 314.

COMMENTARIUS.

29. Profer] Inde Res prolatae, & Rerum prolatio pro juſtitio & vacationibus. Plaut. Capt. I. 1. 10.

Ubi res prolatae ſunt, quum rus homines eunt,
Simul prolatae res ſunt noſtris dentibus.

Proficiscor] Mſſ. alii, proficiscar. Praeſtat prius, utpote certius conſilium exprimens.

Ne videam] Videre enim rem, ob quam aegre nobis eſt, exauget dolorem. Cic. pro Coel. 14. *Minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit.* In eandem ſententiam in Epiſtolis ad Familiares ſaepius ſcripſit.

30. Liberi hominis] h. e. honeſti & qui ſit bonae exiſtimationis. Cic. Offic. I. 42. *Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius,*

 nihil

Cum is nihil promereat, poſtulare id gratiae apponi ſibi.
Nuptias effugere ego iſtas malo, quam tu adipiſcier.
Ch. Reddidiſti animum. *Pa.* Nunc ſi quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.
Ego id agam, mihi qui ne detur. *Ch.* Sat habeo. *Pa.* Davum optume

Vi-

DONATI.

CUM IS NIHIL PROMEREAT] *Mereri*, eſt aliquid mercedis pro labore ſumere. cum dicimus, *Nihil meretur*, hoc intelligitur, nihil mercedis dignus eſt accipere. CUM IS NIHIL PROMEREAT] Laboret, vel mereatur, vel mercedis petere debeat. ut, *Quid meret Machaera?* Plautus in [15] Pſeudolo. ID GRATIAE APPONI SIBI] Addi in gratiam ſuam, id eſt, ſibi gratiam merere.

32. NUPTIAS EFFUGERE] Interpoſita diſtinctione, vultuoſe hoc dicitur, hoc eſt, cum geſtu.

33. REDDIDISTI ANIMUM] Plus dici non potuit. AUT TU, AUT HIC BYRRHIA] Hic *δεικτικῶς* quaſi efficaciorem oſtendit. ergo ad comparationem alterius refertur.

34. FACITE, FINGITE, INVENITE, EFFICITE] *Fit*, quod verum eſt. *Fingitur* quod falſum eſt. *Invenitur*, ne temere fiat. INVENITE ergo, agite dicit poſt cogitationem. EFFICITE] Id eſt, in effectum perducite. [16] Salluſtius, *Nam & prius quam incipias, conſulto: & ubi conſulueris, mature facto opus eſt.* FACITE, FINGITE, INVENITE] Mire expreſſit Pamphili animum nuptias metuentis, cui quicquid dixerit, parum eſt.

35. EGO ID AGAM, MIHI QUI NE DETUR] Non dixit, *ego non inſtabo, ut ducam:* ſed quod eſt amplius. Et recte. utriuſque opera opus. Non enim continuo ducet Charinus, ſi non duxerit Pamphilus. [17] QUI DETUR] QUI pro quemadmodum. NE MIHI] Veteres frequenter *ne* pro *non* dicebant. SAT HABEO] Sic antiqui pro ſufficit, *ſat habeo* dicebant.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Pſeudolo*] IV. 7. 89.
16. *Salluſtius*] Catil. cap. 1.
17. QUI DETUR] QUI *pro Quemadmodum.* NE MIHI. *Veteres frequenter* NE *pro non dicebant.* Haec abſunt a Mſ. Hulſ. nec videntur eſſe Donati.

COMMENTARIUS.

nihil homine, *nihil* libero *dignius*. Juvenal. V. 160.

Tu tibi liber *homo*, *& regis conviva videris.*
Captum te nidore ſuae putat ille culinae.

31. PROMEREAT] In Mſſ. quibuſdam eſt MEREATUR. in aliis MEREAT. rurſus in aliis PROMEREATUR. Ponitur autem h. l. abſolute. Sic Adelph. II. 1. 47.

Verum enim, quando bene promeruit, *fiat.*

POSTULARE ID GRATIAE APPONI SIBI] Particula ID cum geſtu pronuncianda, valetque, minimum gratiae. quemadmodum crepitu digiti, vel ſimili modo, *hujus non facio* dicebant. Eſt autem velle ſibi gratiam apponi, beneficii loco ducere quid, & velle haberi, quaſi optime ſimus meriti de aliquo. Pro quo argentei aevi Scriptores dixerunt *imputare*. Ita tamen Phaedrus I. 22. 8.

Noli imputare vanum beneficium mihi.

Vel poſſit GRATIAE dativus eſſe, & eodem modo dici, quo vitio verti aliquid alicui, laudi ducere quid alteri dicimus, quando *gratia* notabit beneficium. Sic Adelph. II. 3. 1. Sed vide Boecl. Chreſtom. V. *gratia*.

33. REDDIDISTI ANIMUM] Horat. Carm. I. 16. 27.

Fias recantatis amica
Opprobriis, animum*que* reddas.

Eadem elegantia Redire animus dicitur. Hec. III. 2. 12. Plaut. Truc. II. 4. 16. Et Remigrare. idem Epid. IV. 1. 42. vid. Lex. Plaut. Parei, v. Animus.

34. FACITE, FINGITE, INVENITE, EFFICITE] Plaut. Bacch. IV. 4. 41.

Com-

Video. hujus conſilio fretus ſum. *Ch.* At tu hercle haud quidquam mihi,
Niſi ea, quae nihil opus ſunt ſcire. fugin' hinc? *By.* Ego vero, ac lubens.

DONATI.

36. ¹¹ AT TU HERCLE] Deeſt, adfers, dicis, nuntias.

37. NISI EA QUAE] Hoc eſt,

— daturne illa hodie Pamphilo nuptum?
BY. *Sic eſt.* CH. *Qui ſcit?* BY. *Apud forum modo de Davo audivi.*

Quod memor eſt Charinus, ſe non libenter audiſſe. FUGIN' HINC] Comminantis eſt, & abigentis a ſe. EGO VERO, AC LUBENS] Nemo lubenter fugit, niſi coactus neceſſitate. Hic etiam LUBENS dixit, quod eſt lubenter.

OBSERV. IN DONAT.

11. AT TU HERCLE] Edendum erat, AT TU HERCLE HAUD QUICQUAM. Ita enim ſcripſerat Donatus, itaque eſt in Mſ. Hulſt.

COMMENTARIUS.

Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina. Cic. Fam. 13. 29. *Enitare, contendas, efficias.*

36. HUJUS] Mſ. Bodl. CUJUS. quando praecedens τελεῖα στιγμὴ fuerit delenda. praeſtat autem lectio vulgata, HUJUS.

AT TU HERCLE HAUD QUIDQUAM MIHI, NISI EA, QUAE NIHIL OPUS SUNT SCIRE] Haec Donatus ad ſuperiora illa refert inter Charinum & Byrrhiam dicta. Atqui ea opus erant ſcire Charino, qui & ipſe interrogaverat ſervum. Videtur igitur omnino Byrrhia nunc neſcio quas nugas inſuſurrare hero, quas is graviori cura occupatus audire recuſat. Quo magis miror, Donatum laudari a Boeclero.

37. EGO VERO, AC LUBENS] Sic Eun. III. 5. 43.

ego *illud* vero *ita feci*, ac lubens.

ubi omnis emphaſis eſt in VERO; cujus particulae elegans eſt uſus in affirmando.

ACTUS SECUNDI

SCENA SECUNDA.

Davus. Charinus. Pamphilus.

DI boni, boni quid porto! ſed ubi inveniam Pamphilum?
Ut metum, in quo nunc eſt, adimam: atque expleam animum gaudio. [mala.
Ch. Laetus eſt, neſcio quid. *Pa.* Nihil eſt: nondum haec reſcivit
Da. Quem ego nunc credo, ſi jam audierit ſibi paratas nuptias.
Ch. Audin' tu illum? *Da.* Toto me oppido exanimatum quaerere.

Sed

DONATI.

DI BONI] *Haec ſcena conſilium continet perſonarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic eſt locus, in quo, ut fieri ſolet, fortuna mixta rebus diſpoſitis, magnas turbas dat.*

1. DI BONI, BONI QUID PORTO!] Non mirum quod inſolentius Davus exultat, qui, ut Simo dicebat, ¹ timidus fuit, ut ipſe Davus, etiam deſperavit ex nuptiarum terrore, quas nunc falſas comperit. DI BONI, BONI QUID PORTO!] Ex proximo repetivit bis: ſed tamen alterum nominativo plurali, alterum genitivo ſingulari dictum eſt. QUID PORTO!] Non ſolum corpore, ſed etiam animo portamus tam bona, quam mala. Sic alibi, *Ne quid Andria apportet mali.*

2. UT METUM IN QUO NUNC EST, ADIMAM: ATQUE EXPLEAM ANIMUM GAUDIO] Ordine locutus eſt. prius enim metum adimere, ſic demum gaudio perfundere. Hic ordo etiam in laude ſervatur.

3. NESCIO QUID] Deeſt *propter:* ut ſit: propter neſcio quid. QUID] Adverbiale.

5. EXANIMATUM] Perterritum, perturbatum.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Timidus fuit, ut ipſe Davus, etiam deſperavit*] Quis ferat hanc lectionem? Reſtituo: *Tam timidus fuit, & perturbatus, ut etiam deſperaverit.*

COMMENTARIUS.

1. BONI QUID PORTO!] Vid. ſupra I. 1. 46.

2. UT METUM, IN QUO NUNC EST, ADIMAM] Heaut. II. 3. 100.

ademtum *tibi jam faxo omnem* metum.

Aliter Cicero Fam. IX. 16. *Volo enim abſtergere animi tui metum.*

EXPLEAM ANIMUM GAUDIO] Sapit phraſin ſacram. Evang. Joh. XVI. 6. Ἀλλ' ὅτι ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν. Et 2. Timoth. I. 4. Ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν, μεμνημένος σου τῶν δακρύων, ἵνα χαρᾶς πληρωθῶ.

4. SIBI PARATAS NUPTIAS] Sic infra IV. 1. 32.

Has nuptias non apparabantur mihi.

Ubi vide Donatum. Et IV. 2. 7.

Nuptias quod mihi apparari ſenſit.

Horat. Carm. I. 29. 2.

acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus.

Phaed. II. 4. 6.

Ad

Sed ubi quaeram? aut quo nunc primum intendam? *Ch.* Ceſſas alloqui? [o Pamphile,
Da. Abeo. *Ch.* Dave: ades. reſiſte. *Da.* Quis homo 'ſt, qui me?
Te ipſum quaero. euge, Charine. ambo opportune. vos volo.
Ch. Dave, perii. *Da.* Quin tu hoc audi. *Ch.* Interii. *Da.* Quid timeas ſcio.
Pa. Mea quidem hercle certe in dubio vita 'ſt. *Da.* Et quid tu, ſcio.

Pa.

DONATI.

6. SED UBI QUAERAM?] Nunc in omnes ſe partes verſat, quaerens quo dirigat curſum.

7. ABEO] Videtur quaſi conſtitiſſe, deinde quaſi elegiſſe quo pergat. HABEO per *h* inveni. legitur & ABEO: uti merito illi dicatur, RESISTE. QUIS HOMO 'ST QUI ME? O PAMPHILE] Ante videt, quam compleat orationem.

8. EUGE, CHARINE] EUGE, modo pro interjectione poſitum eſt. OPPORTUNE] Deeſt, *adeſſis*: hon, *opportune vos volo.*

9. DAVE, PERII] Proprium eſt dolentibus, praefeſtinate ad indicanda, quae dolent. Ἀπολλύμεθα! Habet nonnullum affectum, quod addidit, DAVE. QUIN TU] QUIN, modo pro *imo*; alias, *cur non*.

10. MEA QUIDEM HERCLE] Videtur Charinus plus dixiſſe, PERII, quam Pamphilus, MEA QUIDEM HERCLE CERTE IN DUBIO EST VITA. Sed non eſt hoc. plus enim Pamphilus dixit. Nam qui vivit, non poteſt interiiſſe: is autem qui vivit, vitam poteſt in dubio habere. Ideo & juravit HERCLE: & affirmans jusjurandum, CERTE addidit. Bene CERTE: quaſi illud INTERII, falſum ſit. Ita Pamphilus plus fecit, periturum ſe eſſe dicendo, quam Charinus interiiſſe. ET TU QUID, SCIO] Mira compendia, quae contrahit Poëta longitudine fabulae: nec tamen perdit affectus perſonarum. ET TU QUID] Deeſt *timeas*.

COMMENTARIUS.

Ad nidum ſcandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, *forſan & miſerae mibi.*

6. AUT] Guyetus delet ex Libro Regio. Sed & omiſit Dacieria. neque eſt in Mſ. Bodl.

INTENDAM] ſub. curſum, iter, vel ſimile. Unde & *intendere* ſimpliciter, pro, *intendere animum.* Juſtin. I. 8. & XIII. 6. Mſſ. quidam, TENDAM.

7. ABEO] Guyetus ex Mſſ. quibuſdam & editis defendit HABEO, ſcil. ubi quaeram. q. d. εὔρηκα. Non videtur, quia mox Pamphilus abeunti: DAVE, ADES, RESISTE. Unde abiiſſe Davum apparet. Tum HABEO h. l. nihilo magis differt ab ABEO, quam holim ab olim, hoſtium ab oſtium, & ejuſmodi ſexcenta alia, quae ſunt in nonnullis Mſſ. & editionibus antiquiſſimis.

QUI ME?] Mſ. Mark. QUI ME VOCAT? Ita & quaedam editiones vetuſtae, etiam anni 1469. Videtur autem τὸ VOCAT ex gloſſa irrepſiſſe.

9. QUIN TU HOC AUDI] Formula. ſilentium jubentis, & aliud magis certum vel neceſſarium monere volentis. Plaut. Bacch. II. 3. 42.

Quin tu audi.

Idem Rud. IV. 3. 8.

audi.

GR. *Non audio.* TR. *At pol quin audies.*
GR. *Quin poſt loquere quid vis.*

Eſt vero emphaſis in voce HOC. Sic infra IV. 1. 36.

Cur me enicas? hoc *audi.*

Integer autem hic locus varie legitur. Codex Bembinus ita:

CH. *Dave, perii.* DA. *Quin tu hoc audi.* PAM. *Interii.* D. *Quid timeas, ſcio.*
CH. *Mea quidem hercle certe in dubio vita 'ſt.* D. *Et quid tu, ſcio.*
PAM. *Nuptiae mibi.* D. *Etſi, ſcio.*

Malim, ſi quid ſollicitandum, Pamphilum prius facere loquentem, ita:

P. *Dave, perii.* D. *Quin tu hoc audi.* P. *Interii.* D. *Quid timeas, ſcio.*
CH. *Mea quidem hercle certe in dubio vita 'ſt.* D. *Et quid tu, ſcio.*
P. *Nuptiae mibi.* D. *Et id ſcio.*

10. HERCLE CERTE] Mſ. Mark. non agnoſcit τὸ HERCLE, ſed nec pluſculi alii. defendit

Ri-

Digitized by Google

Pa. Nuptiae mihi. *Da.* Et id ſcio. *Pa.* Hodie. *Da.* Obtundis,
tametſi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam. tu autem, ut ducas. *Ch.* Rem tenes.
Pa. Iſtuc ipſum. *Da.* Atque iſtuc ipſum nihil pericli eſt: me vide.
Pa. Obſecro te, quam primum hoc me libera miſerum metu.
Da. Hem,

Libe-

DONATI.

11. ET ID SCIO] Ε'ν ὑποκρίσει. tanquam dicat, nihil eſt. ET ID SCIO] Legitur &, ET SI SCIO. HODIE] Tempus addidit, tanquam rem ſciens. OBTUNDIS] Saepe repetendo dicere, *obtundere* eſt. tranſlatio a fabris, qui ſaepe repetunt tundendo aliquid malleo, & idem obtundunt & hebetant. OBTUNDIS, TAMETSI] Poteſt eſſe ἀναςροφὴ: ſed ſincerius eſt & melius ſubdiſtinguere.

12. ID PAVES] Deeſt *ob*: ut ſit, *ob id.* hoc autem Pamphilo dicit. TU AUTEM, UT DUCAS] Pro, ne non, *ut* poſuit. Hoc Charino.

13. ATQUE ISTUC IPSUM] Ε'ν ὑποκρίσει. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quaſi vadum contemnit. ME VIDE] Utrum, laetus ſum? an, me ſpecta fidei datorem? ut dici ſolet, *me habe*; *me reſpice.*

14. OBSECRO TE QUAMPRIMUM HOC ME LIBERA MISERUM METU] Cum precibus & tempus admiſcuit. Et bene LIBERA. perfecta enim ſecuritas, *liberatio* nominatur. HEM] Ecce. demonſtratio eſt facti.

15. UXOREM TIBI NON DAT JAM CHREMES] Oratorie a ſumma coepit: cujus partes, multis dicentur. JAM NON DAT] Bene JAM. quod ſi non dixiſſet, intelligeret Pamphilus, vel poſtea Chremetem filiam eſſe daturum. Sed addito JAM, plena ſecuritas eſt. JAM enim renuntiatio eſt perpetuitatis. SCIO] Praeparatio eſt auditoris ad eam narrationem, quae oſtendit argumenta falſarum nuptiarum.

COMMENTARIUS.

Rivius. Et videtur omnino retinendum. Atticis vero maxime familiare erat jungere παράλληλα ἰσοδυναμοῦντα. qualia ſunt, πάνυ σφόδρα, τυχὸν ἴσως.

IN DUBIO VITA 'ST] Salluſt. Catil. 52. *Libertas & anima noſtra* in dubio *eſt.* Adelph. III. 2. 42.

Tua fama & gnatae vita in dubium *veniet.*

Locutio ab aegrotantibus petita, qui & ipſi *Dubii* vocantur. Stat. Achill. I. 116.

Noſſe ſalutiferas dubiis *animantibus herbas.*

ET QUID TU, SCIO] Mſ. Don. Hulſt. ET TU QUID, SCIO. elegantius & ἐμφατικώτερον.

11. ET ID SCIO] Mſſ. pluſculi, ET SI SCIO. minus eleganter.

OBTUNDIS] Sub. aures mihi. Eun. III. 5. 6.

Qui me ſequatur, quique jam rogitando obtundat, *enecet.*

Heaut. V. 1. 6. Hec. I. 2. 48. Cic. Fam. V. 14. *Cupio non* obtundere *te, ſi non delectare ſtudio noſtro.* Tranſlata locutio vel a ceſtuum ictibus, quibus aures obtundebant pugiles. Plaut. Amph. II. 1. 59.

ſum obtuſus *pugnis peſſime.*

vel a fabris ferrum obtundendo hebetantibus. Eodem ſenſu dixit ille in Evang. Luc. XVIII. 5. ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με.

13. ME VIDE] Formula fidejubendi, & ejus, qui liberat alterum metu & ſollicitudine. Vid. Briſſon. ſic Phorm. IV. 4. 31. Plaut. Merc. V. 4. 53. Trin. III. 3. 79. Ita Graeci βλέπειν εἴς τινα & πρός τινα, pro, niti aliquo. Quin lingua ſancta Vet. Teſt. eandem phraſin agnoſcit. Vid. Eſ. XXXI. 1. ולא שעו על־קדוש ישראל ubi Belgae optime: *Ende en zien niet op den Heiligen Iſraëls.* quod enim modo *nituntur* dixerat, mox *vident* dicit.

15. JAM] Quae Donatus hic notavit, exemplo carent. Videtur autem expletiva eſſe particula & πλεονάζουσα. Heaut. IV. 3. 1.

Nulla mihi res poſthac poteſt jam *intervenire tanta,*

Quae

Libero. uxorem tibi non dat jam Chremes. *Pa.* Quî ſcis?
Da. Scio.
Tuus pater modo me prehendit. ait tibi uxorem dare ſeſe
Hodie: item alia multa, quae nunc non eſt narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.

Ubi

DONATI.

16. ME PREHENDIT] Pro PRANDIT. Addita aſpiratione geminavit ſyllabam. Et PREHANDIT dixit, quaſi vitantem ac fugientem. AIT TIBI] AIT, proprie: quia contemnenda dicuntur. AIT TIBI UXOREM DARE SE] Conjecturam facit ex malis quae praeceſſerunt. AIT TIBI UXOREM DARE SE] Dicit cur primo crediderit veras, dicturus ſubinde cur falſas.

17. ITEM ALIA MULTA] Bene diſtulit narrationem, ne ſi audirent Charinus & Byrrhia, deſinant dolos ſtruere adverſum vigilantiſſimum ſenem. ITEM ALIA MULTA] Commoda narratio a neceſſariis tantum. Minas autem ſenis praetermiſit, ne corrumperet bona, quae nuntiabat. QUAE NUNC NON EST NARRANDI LOCUS] Non vult dicere, quam minaciter ſecum egerit ſenex, quamque inſtet nuptiis, ne Charinum Byrrhiamque de ſpe dejiciat, quos vult ſecum adniti, ne uxorem Pamphilus ducat. QUAE NUNC] Argumentum eſt, quaerere potuiſſe eum qui ſit territus. nam timor curam parit. NARRANDI LOCUS] Modo tempus, ſpatium.

18. PROPERANS PERCURRO] Vide quantum dixerit, PROPARANS, & PARCURRO, ut continuationem curſus oſtenderet.

COMMENTARIUS.

Quae mihi aegritudinem adferat.

Niſi ſi forte favet Donato locus Adelph. III. 2. 27. ubi τὸ *jam* videtur valere *prorſus*, quod praeceſſerat.

16. ME PREHANDIT] Currentem ſcil. & anhelantem. Et proprie de ſervis. Heaut. III. 1. 89.

Syrus eſt prehendendus.

Phorm. IV. 3. 15.

prendo *hominem ſolum.*

Plaut. Epid. I. 1. 1.

Quis properantem me prehendit *pallio?*

Alii APPREHANDIT, ſed refragante Donato, & pleriſque Mſſ.

TIBI UXOREM DARE SESE] Non tantum ſoceri, ſed & patres dicebantur uxores dare filiis. Supra I. 5. 3. Infra II. 6. 21. & III. 3. 28. Phorm. I. 2. 70. Plaut. Truc. IV. 3. 69.

Haud manſiſti, dum ego darem *illam: tute ſumſiſti tibi.*

Idem de matribus verum. Unde Soſtrata Clitiphoni Heaut. V. 5. 16.

Gnate mi, ego pol tibi dabo *illam lepidam, quam tu facile ames.*

17. HODIE] Emphatice additum; quod maxime ſollicitabat Pamphilum. Repetitum autem ex I. 5. 3.

Uxorem decrerat dare ſeſe mihi hodie.

Iteratque Simo; infra II. 5. 7.

hodie *uxorem ducas, ut dixi, volo.*

ITEM ALIA MULTA] Narrationem intelligit de amoribus Pamphili, tum gravem illam ſententiam de magiſtro improbo, qui aegrotum filii animum ad deteriorem partem applicet; denique minas ſenis, & piſtrini verberumque mentionem. Supra I. 2. 14. ſeqq. Quare autem haec non narret Pamphilo, Donatus indicat.

18. CONTINUO AD TE PROPERANS PERCURRO AD FORUM] Vera narrat. vid. I. 3. 21. Dixit autem PROPERANS PERCURRO, uti Heaut. IV. 4. 11. Bacchis ancillae: *curriculo percurre.* Unde continuationem curſus notari, recte Donatus obſervat.

Ubi te non invenio, ibi adſcendo in quendam excelſum locum.
Circumſpicio. nuſquam. forte ibi hujus video Byrrhiam.
Rogo. negat vidiſſe. mihi moleſtum. quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipſa re mihi incidit ſuſpicio. hem,
Paululum obſoni. ipſus triſtis. de improviſo nuptiae.
Non cohaerent. *Pa.* Quorſum nam iſtuc? *Da.* Ego me continuo ad Chremem.

Quum

DONATI.

19. Ubi te non invenio] Ubi, modo non eſt adverbium loci, ſed temporis, pro *poſtquam*. Ubi te non invenio, ibi] A ſummo ad imum diviſiones, quibus dicta & facta continentur: ſub quorum genere ſunt ſpecies nunc dictorum, nunc factorum, cum conſideratione rerum perſonarumque.

20. Nusquam] Deeſt, *vidi*. Video Byrrhiam] Deeſt *ſervum*, & recte. dixerat enim, *Apud forum modo de Davo audivi*.

21. Rogo. negat vidisse] Mira brevitas, & imitanda.

23. Paululum obsoni] Hinc eſt quod ait, *Nimium parce facere ſumptum*. Ipsus tristis. De improviso nuptiae] Mire, & moraliter. ex his enim quae facta non ſunt, docet quid fieri deberet. &, de improviso nuptiae, pronunciandum.

24. Ego me continuo] [a] Et bene, continuo ad Chremem: ut ſi ab utroque hoc fieret, eſſet vera ſuſpicio Davi. Ego me continuo] Deeſt, *duco*. Conſuetudine dictum eſt. ἐλλειπτικῶς. Egomet] Una pars orationis eſt. Chremem] *Chremem* & *Chremetem*, ut *Darem* & *Daretem*.

OBSERV. IN DONAT.

a. *Et bene*, continuo *ad Chremem, ut ſi ab utroque hoc fieret, eſſet vera ſuſpicio Davi*] Legendum ope Mſ. Hulſt. *Et bene*, continuo; *ut ſi ab utroque hoc fieret, eſſet vera ſuſpicio*.

COMMENTARIUS.

19. Adscendo in quendam excelsum locum. circumspicio. nusquam] Similis locus apud Virg. Aen. I. 184.

> *Aeneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem*
> *Proſpectum late pelago petit, Anthea ſi qua*
> *Jactatum vento videat, Phrygiaſque biremes,*
> *Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.*
> *Navim in conſpectu nullam.*

Guyetus legit escendo, quod veteribus amatum. Vid. J. Fr. Gronov. ad Liv. II. 28. poterat vero Davus facile reperire excelsum locum, quod clivoſa eſſet urbs Athenarum. Adelph. IV. 2. 35.

> *Praeterito hac recta platea ſurſum. ubi eo veneris,*
> *Clivus deorſum verſus eſt; hac praecipitato.*

21. Vidisse] Mſ. Bodl. & editio anni 1469. vidisse se.

Quid agam, cogito] Elegans uſus τῦ cogito in fine ſententiae. Adelph. IV. 2. 30.

> *ubi illum quaeram*, cogito.

Phorm. IV. 5. 15.

> *Ubi illas nunc ego reperire poſſum*, cogito.

22. Redeunti] A foro ſcilicet, quo iturum ſe dixerat ſupra I. 3. 21.

Mihi incidit suspicio] Sic infra III. 2. 21.

> *qui iſthaec tibi* incidit ſuſpicio?

23. Paululum obsoni] h. e. eduliorum, quae cum pane comeduntur, maxime piſcium. Plutarch. Sympoſ. Lib. IV. ὡς γὰρ πολλῶν ὄντων ποιητῶν, ἵνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλῶμεν· οὕτως πολλῶν ὄντων ὄψων, ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθῦς μόνον ἢ μάλιστά γε ὄψον καλεῖσθαι, διὰ τὸ πολὺ πάντων ἀρετῇ κρατεῖν. *Quemadmodum enim ex multis Poëtis unum, qui reliquis praeſtat, eximio nomine Poëtae afficimus: ita quum multa opſonia ſint, piſcis tamen obtinuit, ut vel ſolus, vel praecipue opſonium vocaretur, quia nobilitate reliquis omnibus antecellit*. Vid. Corn. Nep. Themiſt. 10. & Evang. Matth. XIV. 17. Marc. 6. 36. Tum *piſcatus*

Quum illoc advenio: ſolitudo ante oſtium. jam id gaudeo.
Ch. Recte dicis. *Pa.* Perge. *Da.* Maneo. Interea introire neminem
Video, exire neminem: matronam nullam. in aedibus
Nihil ornati, nihil tumulti. acceſſi: intro adſpexi. *Pa.* Scio.
Magnum ſignum. *Da.* Num videntur convenire haec nuptiis?
Pa.

DONATI.

25. SOLITUDO ANTE OSTIUM] Signa ab his quae ſunt, quae non eſſe [3] deceret. JAM ID GAUDEO] Quaſi averſum, & non conſentientem Pamphilum, excitat ad gaudium laetitia ſua. JAM ID GAUDEO] Sic [4] *Virgilius*,

Cum venit, aulaeis jam ſe regina ſuperbis.

26. RECTE DICIS. PERGE] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus. MANEO] [5] At parum temporis fuiſti. INTEREA] Temporis longi ſignificatio. INTROIRE NEMINEM] A non factis.

27. EXIRE NEMINEM] Quid ſi intus erant? ideo ait, EXIRE NEMINEM.

28. NIHIL ORNATI] Α'ϱχαϊσμός. Sic *Salluſtius*, [6] *Ergo Senati decreto ſerviendum ne ſit.*

29. SIGNUM] Proprie pro argumento. NUM VIDENTUR] A conſequentibus argumentum.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Deceret*] Mſ. Hulſt. *decerent.*
4. *Virgilius*] Aeneid. I. 701.
5. *At parum temporis fuiſti*] Mſ. Hulſt. & editio Veneta 1490. *Ne temporis fieret dilatio.*
6. *Salluſtius*] In Fragmentis incertorum Librorum.

COMMENTARIUS.

tus & *opſonium* ἰσοδύναμα ſunt Plauto, Bacch. I. 1. 63. & 69. ſed & inde ὀψοφάγοι dicuntur, qui piſcibus vivunt & delectantur. Ubi vero PAULULUM inquit Davus, recte putat, non videri Simonem filio uxorem dare. Solebant enim maxime apud homines honoratiores plures coqui conduci ad nuptias. Plaut. Aul. III. 2. 15. Caſin. II. 8. 55. 56.

IPSUS TRISTIS] Intelligit herum Simonem. ſcilicet ſervi heros, diſcipuli magiſtros vocabant *ipſos* & Αὐτούς. Plaut. Caſin. IV. 2. 11.

Ego eo, quo me ipſa *miſit.*

loquitur ſerva de hera ſua. Sic in Evang. Matth. VIII. 24. Αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε. h. e. ὁ Ἰησοῦς. Ubi vero preces Diſcipulorum Chriſtum excitantium cogito, commodum in mentem venit verborum, quibus ſocii Aeneam ſomno ſopitum excitant, Virg. Aen. IV. 560.

Nate Dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?
Nec, quae circumſtent te deinde pericula, cernis?

Inde porro Pythagoraeorum illud: ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ. Et de Socrate, Ariſtoph. Nub. 219.

ΜΑ. Αὐτός. ΣΤΡ. Τίς Αὐτός; ΜΑ. Σωκράτης.

Et ad verſ. 195. in Scholiis eſt: τὸ ἐκεῖνος, τὸ Αὐτὸς, ἀντὶ ὀνομάτων παραλαμβάνουσι.

24. NON COHAERENT] h. e. ſimul vera eſſe nequeunt. Cic. Philipp. II. 8. *Ut non modo* non cohaerentia *inter ſe diceres, ſed maxime disjuncta atque contraria.*

QUORSUMNAM ISTHUC?] Sub. narras. Cic. Offic. III. 16. *Quorſum haec?*

EGO ME] Priſcianus, EGOMET. quomodo & Donatus jam legit.

26. CH. RECTE DICIS. PA. PERGE] Ita Mſſ. plerique, etiam Bodl. Alii, PA. RECTE DICIS. CH. PERGE. Sed & editi variant. Malim cum Donato utrumque tribuere Pamphilo.

27. MATRONAM NULLAM] Intelligit pronubas, vicinas, cognatas, quarum erat ornare ſponſam, ornatamque deducere ad aedes mariti; ſed & in thalamo collocare. Catull. LIX. 186.

Vos bonae ſenibus viris
Cognitae bene feminae,
Collocate puellulam.

Vide Virg. Aen. IV. 166. atque ibi Servium.

28. NIHIL TUMULTI] Scilicet turba coquorum, tibicinarum, δαδούχων, & hymenaeum qui cantaturi erant, diſcurrentes & perſtrepentes tumultum excitabant. Adelph. V. 7. 7. Plaut. Caſin. III. 5. 22.

ACCESSI. INTRO ADSPEXI. Hyſterologia. prius enim acceſſerat, & intro adſpexerat, quam ſciret

Pa. Non opinor, Dave. *Da.* Opinor narras? non recte accipis.
Certa res eſt. etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera & piſciculos minutos ferre obolo in coenam ſeni.
Ch. Liberatus ſum hodie, Dave, tua opera. *Da.* Ac nullus quidem.
Ch. Quid ita? nempe huic prorſus illam non dat. *Da.* Ridiculum caput!

Quaſi

DONATI.

30. NON OPINOR] Ille opinionem accommodat tantum, hic multum tribuit conjecturis. NON OPINOR] Quoniam argumenta ſunt & conjecturae, OPINOR dixit. Nam contra opinionem, certa res eſt, quae autem opinamur, putamus: quae putamus, incerta ſunt. OPINOR NARRAS?] Bene a prima ad ſecundam perſonam.

31. ETIAM PUERUM] ETIAM pro praeterea. CHREMI] Sic CHREMI, ut *Ulyſſi* & *Achilli*.

32. OLERA ET PISCICULOS MINUTOS] Sufficeret diminutive PISCICULOS dixiſſe, quod ſic, MINUTOS dixit: & pretium, OBOLO eſſe emptos: quae eſt ultima nummorum ſignificatio. Sunt enim genera minutorum piſcium, quae magno veneant. Hic ergo etiam ex pretio viliſſimos piſces ſignificavit. Et, quid ſi MINUTOS, ſed omnibus? SENI dixit, ut obſonationis oſtenderet cauſam. OLERA ET PISCICULOS] Quod ſupra generaliter, PAULULUM OBSONI: hic ſpecialiter dixit. IN COENAM SENI] Mire SENI, cujus eſt major cura domi.

33. NULLUS] Pro, *non*: ut alibi, *Nullus dixeris*.

34. QUID ITA?] Una pars orationis. RIDICULUM CAPUT] Pro toto homine. nemo enim ore contempto, ex aliis membris hominem velit ſignificare. & eſt συνεκδοχὴ τρόπος.

COMMENTARIUS.

ret in aedibus nihil eſſe ornati, nihil tumulti. Sunt autem ex Mſſ. in quibus eſt, INTROSPEXI.

29. NUM VIDENTUR CONVENIRE HAEC NUPTIIS? ἐμφατικώτερος lectio, quam illis quorundam Mſſ. NON VIDENTUR CONVENIRE HAEC NUPTIIS.

31. CONVENI] De fortuito occurſu uſurpatur quandoque. Sic Eun. II. 2. 3.

Conveni *hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis.*

CHREMIS] Donatus, CHREMI. Sic & Mſſ. quidam, & ex editis vetuſtiſſimi.

32. OLERA ET PISCICULOS MINUTOS FERRE OBOLO IN COENAM SENI] Jac. Perizonius, Vir Cl. ad Sanct. Min. III. 6. haeſitare ſe ait, quo referendum ſit, aut cujus caſus vicem ſuſtineat τὸ FERRE. Simpliciſſima explicandi ratio videtur, ſi FERRE pro FERENTEM dictum accipias; quod nec durum, nec inſolens. Dixit autem PISCICULOS MINUTOS, uti *cuculiunculos minutos* Plautus, *διχατηρίδιον σμικρὸν πάνυ* Ariſtophanes dixerunt. Habet haec narratio novum argumentum nuptiarum *hodie* non futurarum; eſtque deſcriptio frugalitatis ſenilis. Olera certe in cibis viliſſimis erant. Plaut. Truc. II. 7. 48.

Tantilli doni cauſa oletum, *atque eſcarum & poſcarum.*

Unde paraſiti oderant olera in conviviis appoſita. Plaut. Capt. I. 2. 86.

HE. *Terreſtris coena eſt.* ER. *Sus terreſtris beſtia eſt.*
HE. *Multis oleribus.* ER. *Curato aegrotos domi.*

Piſces vero etiam in deliciis erant, & opulentiorum. Plaut. Moſtell. I. 1. 44.

Tu tibi iſtos habeas turtures, piſces, aves.
Sine me alliato fungi fortunas meas.

De inſulatibus, & vili genere piſciculorum minutorum aliter exiſtimandum. Menander:

ἐπ' ἀρίστῳ μὲν λαβὼν
Ὀψάριον

citat Athenaeus Ἐκ τοῦ Ἐφεσίου. Idem ἐκ τοῦ Τροφωνίου Menandri haec refert:

A. Εἶναι τὸ δεῖπνόν ἐστιν ὑποδοχῆς τινός.
B. Ποδαποῦ; διαφέρει τῷ μαγείρῳ τοῦτο γάρ.

Οἷ-

Quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam uxorem ducere.
Niſi vides, niſi ſenis amicos oras, ambis. *Ch.* Bene mones.
Ibo; etſi hercle ſaepe jam me ſpes haec fruſtrata eſt. Vale.

DONATI.

35. QUASI NECSSSE SIT, SI HUIC NON DAT, TE ILLAM UXOREM DUCERE] Oſtendit *ἐνθύμημα* vitioſum hoc eſſe, in quo, altero ſublato, non neceſſario alterum relinquatur.

36. NISI VIDES, NISI SENIS AMICOS ORAS, AMAIS] Hoc ſaborat Davus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem. NISI VIDES, NISI SENIS AMICOS ORAS] Artificioſe Davus Charinum excitat, ut ſi fieri poſſit, adjuvetur negotium Pamphili, dum ille ſibi providet. NISI VIDES] Provides. AMAIS] Magnarum rerum deſiderium & appetitus, *ambitio* dicitur. Confirmata re a factis & a perſonis, deliberativa naſcitur.

COMMENTARIUS.

Οἷον τὰ πεντωτικὰ ταυτὶ ξενύδρια
Ἐν προσφάτοις ἰχθυδίοις τεθρεμμένα,
Καὶ παντοδαποῖς, τοῖς ἁλμίοις μὲν ὡ πάνυ
Ἁλίσκετ', ἀλλ' οὕτως παρέργως ἅπτεται.

Et mox eodem loco:

ἐὰν δέ τις τοὐναντίον
Ἀρκαδικὸν ἔρχετ', ἤ τις ἀθάλαττος ξένος,
Τοῖς ἐκ θαλάσσης λοπαδίοις ἁλίσκεται.

Quidam Mſſ. legunt, EMTOS OBOLO. Guyeto placebat, OLSRA ET PISCICULOS FERRSI OBOLO QUUM SSNI. Ceterum de coenae etymo, & varia apud veteres ratione vide G. J. Voſſii Etymolog. Erat autem OBOLUS ſexta pars drachmae, continens octo chalcos. Quae eadem fere ratio eſt minoris pecuniae Belgicae. Dixit igitur OBOLO, pro minimo pretio, ut Lucianus, δυ' ὀβολῶν ἀποκηρύττειν, *duobus obolis vendere.* Dixit porro IN COENAM eadem conſtructione, qua Servator Luc. IX. 3. Μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδόν.

33. AC NULLUS QUIDSM] Joh. Clericus Art. Crit. III. 1. 6. 26. malebat, NAC NULLUS QUIDSM. Melius Mſſ. quidam & editi, AT NULLUS QUIDEM. Eſt autem NULLUS pro NON, Comicum fere.

36. NISI VIDES] h. e. niſi provides & curam geris. Infra II. 6. 25.

Ego iſthaec recte, ut fiant, videro.

Phorm. I. 4. 12.

Recte ego mihi vidiſſem.

Heaut. IV. 2. 3.

Niſi aliquid video.

Ovid. Arte Am. I. 587.

Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Et ſibi mandatis plura videnda *putat.*

Vid. Parei Lex. Plaut.

AMBIS] h. e. verbis blandis appellas, prenſas. Quod *nuptiis ambire* dixit Tacitus de Germ. 18. Siquidem proba eſt lectio, neque *nuptias* legendum. Virg. Aen. IV. 283.

Heu, quid agat, quo nunc reginam ambire *furentem*
Audeat affatu?

ubi vide Servium. Eſt autem a Candidatorum conſuetudine tranſlata locutio. Videturque Davus, ubi dixiſſet, AMBIS, geſtu quodam ſignificaſſe irritum Charini conatum; ne opus eſſet dicere, *fruſtra es*, vel ſimile. Niſi ſtatuas abruptum Davi ſermonem ab interloquente Charino.

37. ET SI] Mſſ. quidam, TAMETSI. alii, TAMEN ETSI. uti mox pro, SAEPE JAM ME SPES, legunt, SAEPE ME MEA SPES.

ACTUS SECUNDI

SCENA TERTIA.

Pamphilus. Davus.

Pa. Quid igitur ſibi volt pater? cur ſimulat? *Da.* Ego dicam tibi.
Si id ſuccenſeat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipſus ſibi eſſe injurius videatur: neque id injuria,

Prius

DONATI.

QUID IGITUR SIBI VOLT PATER] *Haec Scena deliberationem continet Davi & Pamphili.*

1. IGITUR] Bene IGITUR. Si enim falſae ſunt nuptiae, quid cogitat? ſtomachoſe etiam hoc dixit, SIBI VOLT. [1] *Virgilius*,

Quid vult concurſus ad amnem?

2. SI ID] ID, ob id, propter id.

3. NEQUE ID INJURIA] Id eſt, uſque adeo injuſtus ſibi videbitur, ut ſe injuſtitiae ipſe condemnet.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. VI. 318.

COMMENTARIUS.

1. QUID IGITUR] Sunt Mſſ. in quibus haec Scena non ſeparatur a ſuperiori. SIBI VULT] παρέλκει τὸ SIBI, additurque ornatus gratia. quod in MIHI frequentius eſt. Vide Eun. II. 2. 53.

EGO DICAM TIBI] Ita ſolent ſapienter quid dicturi. Sic Adelph. IV. 5. 12.

2. SI ID SUCCENSEAT NUNC] Particulam *ſub*, quoties ingreditur compoſitionem, notare rem, quae vel parum, vel clanculum fit, vulgo notum. Qui igitur poſtquam a Cenſore cenſi eſſent, inique ferebant, ſe amplius cenſos, quam pro facultatibus, proprie *ſuccenſere* dicebantur, h. e. clanculum recenſere. Inde igitur ſuccenſere pro ſubiraſci, iniquo animo ferre, ſtomachari ponitur. Infra II. 6. 17.

eſt, quod ſuccenſet *tibi.*

Plaut, Perſ. III. 3. 26.

Jam omitto iratus eſſe. id tibi ſuccenſui,

Quia te negabas credere argentum mihi.

3. IPSUS SIBI ESSE INJURIUS VIDEATUR] Sollicitat hanc lectionem Guyetus, & reſcribendum cenſet: IPSUS TIBI ESSE INJURIUS VIDEATUR; affirmans hanc ſententiam rectam eſſe, & ex ſequentibus planam fieri. Hallucinari autem videtur vir caetera acutiſſimus. Fingitur ſuccenſens Simo, ob denegatam filio Chremetis filiam, nondum perſpecto etiam Pamphili animo de nuptiis, & credens, ſe vel cum gratia id impetraturum, vel certe invitum filium coacturum. Cedo, utri injurius eſt? Pamphilone, an ſibimet? Sane, ſe ipſe macerat ſollicitatque, non gnatum. Tum autem vulgatam lectionem eſſe probam, ex hac oppoſitione patet: SED SI TU NEGARIS DUCERE, IBI CULPAM IN TE TRANSFERRET. Qui igitur uſque adhuc SIBI injurius fuerat, IBI culpam transfert IN TE. Plana haec ſunt, niſi me omnia

Digitized by Google

Prius quam tuum, ut ſeſe habeat, animum ad nuptias perſpexerit.
Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illae turbae fient. *Pa.* Quidvis patiar. *Da.* Pater eſt,
Pamphile.

Diffi-

DONATI.

4. PERSPEXERIT] *Perſpicere* eſt ad plenum & perfectum videre.

6. TUM ILLAE TURBAE] Tò ILLAE ad terrorem retulit. QUID VIS PATIAR?] Hoc eſt, patiarne uxorem ducere? QUID VIS PATIAR?] Sunt qui QUIDVIS, pro, quicquid evenerit, intelligant: quia dixerat, ADEON' ME IGNAVUM PUTAS? Alii pronuntiant, ut ſit ſenſus, Quid me vis facere? an ut hoc patiar, uxorem mihi dari? PATER EST, PAMPHILE] Hoc vultuoſe pronunciandum eſt, & mire PATER dixit: ut ipſo nomine videatur habere auctoritatem. & veluti dormitantem & oblitum poteſtatis paternae, his tribus excitat; PATER EST, PAMPHILE, DIFFICILE EST, HAEC SOLA EST MULIER. PATER EST] A neceſſario argumentum.

COMMENTARIUS.

nia fallunt. Quanquam & ὁ πάνυ Graevius exiſtimabat id velle Davum: ipſe ſe condemnabit, quod tibi injuriam fecerit; quaſi tu in culpa ſis, quo minus Chremes tibi det filiam, quum ipſius Chremetis culpa ſit.

4. UT SESE HABEAT] h. e. quomodo affectus ſit erga nuptias. Locutio tranſlata a corpore humano. Sic Nepos Dion. 2. *Quaeſivit a Medicis Dion*, *quemadmodum* ſe haberet. Inde & animus, & homo, & res habere ſeſe vel bene vel male dicitur. Eun. IV. 2. 6.

male vero me habens.

Et IV. 7. 30.

Scin' tu, ut tibi res ſe habeat?

Flor. IV. 2. 68. *Bene* ſe habet *Imperator*. Unde nata formula: *Bene habet*. Liv. VIII. 6. Et Plaut. Pſeud. IV. 1. 25. *Optume habet*. Ubi vero dicit, UT SESE HABEAT AD NUPTIAS, Graecam locutionem imitatur, ὅπως ἔχει πρὸς τὸν γάμον.

5. IBI CULPAM IN TE TRANSFERET] Eun. II. 3. 96.

ne poſt conferas
Culpam in me.

Plaut. Amph. II. 2. 156.

Ne poſterius in me culpam conferas.

6. TUM ILLAE TURBAE FIENT] Mſ. Mark. OMNES TUM ILLAE TURBAE FIENT. Lindenbruchius in vet. Cod. legit paullo ante, CULPAM OMNEM IN TE TRANSFERET. Videtur autem & OMNES, & OMNEM ex gloſſa irrepſiſſe. quanquam OMNEM eſt in pluſculis Mſſ.

QUIDVIS PATIAR] Pleraeque editiones exhibent, QUID VIS? PATIAR? Aliae, QUID? VIS PATIAR? eodem propemodum ſenſu. q. d. quid vis me facere? vis ut patiar, uxorem mihi obtrudi? Noſtra vero lectio jam Donati aetate fuit cognita. cujus ſenſus eſt, derivabo in me omnem iram patris potius, quam ducam Philumenam uxorem. Placet vero prae altera illa. Fac enim ita rogaſſe Pamphilum: QUID VIS? PATIAR? Non ſat commode reſpondit ſervus: PATER EST, PAMPHILE. DIFFICILE EST. Sed per affirmationem reſpondendum fuerat, *volo*, *ſuadeo*, vel ſimili verbo. Sic mox verſu 10. PA. *Ego dicam*? DA. *Cur non?* h. e. dices vero, ſi ſapis. Tum parum convenit interrogationi, VIS PATIAR? illud, DIFFICILE EST. Si vero facias Pamphilum contracto vultu praeciſam hanc ſententiam pronunciaſſe, QUIDVIS PATIAR, videntur apposita reſpondentis Davi verba. Porro autem, ubi dixiſſet Davus, IBI CULPAM IN TE TRANSFERET. TUM ILLAE TURBAE FIENT, Pamphilus denunciationem hanc flocci pendens, QUIDVIS PATIAR, reſpondet. q. d. Transferat ſane in me culpam; patiar. fiant turbae illae; patiar id quoque. Porro, nulla interrogationis nota eſt in pluſculis Mſſ. unde Rob. Stephanus, & dudum ante eum plures ita ediderunt, ut nos exhibemus. Confirmant denique hunc ſenſum, quae infra IV. 2. 16. idem Pamphilus pollicetur Charino:

Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat,
Quo minus hae fierent nuptiae, volo. ſed ſi id non poterit,

Id

Difficile eſt. tum haec ſola eſt mulier. dictum ac factum invenerit
Aliquam cauſam, quamobrem ejiciat oppido. *Pa.* Ejiciat?
Da. Cito.
Pa. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *Da.* Dic te ducturum.
Pa. Hem. *Da.* Quid eſt?
Pa. Egone dicam? *Da.* Cur non? *Pa.* Nunquam faciam.
Da. Ne nega.
Pa. Suadere noli. *Da.* Ex ea re quid fiat, vide.

Pa.

DONATI.

7. DIFFICILE EST] Hoc eſt reſiſtere, contradicere, Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. DIFFICILE EST] Ἀποσιώπησις cum vultu. Deeſt *reſiſtere.* SOLA] Sine auxilio, ac per hoc deſerta. SOLA autem, ſine defenſoribus propriis. & SOLA & MULIER dixit. DICTUM AC FACTUM] Proverbium celeritatis. id eſt, cito. INVENERIT] pro inveniet. Conjunctivo modo pro indicativo uſus eſt: & eſt honeſta locutio.

8. QUAMOBREM EJICIAT OPPIDO] Callide ad ejus periculum ſe convertit, cui plus amator timet, quam ſibi. Ideo vincitur ſtatim. Apparet autem Davum male ſuadere: qui tum caveat Pamphilo, cum maxime formidat ſenem. OPPIDO] Ex civitate. EJICIAT?] Miratur, & ſtupet. CITO] Illo admirante, hic etiam confirmavit. addidit & tempus celeritatis.

9. CEDO] Singularis tantum numeri eſt: caetera pluralis, ut *Salve ſalvete.* DIC TE DUCTURUM] Pronuncia, DIC: quaſi rem facilem & nullius praejudicii. DIC TE DUCTURUM] Hoc eſt, quod ab initio nitebatur.

10. EGONE DICAM] Τὸ EGO, ἔμφασιν habet: hoc eſt, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conveniat fallere, atque mentiri. CUR NON?] Non interrogat, ſed facilitatem rei oſtendit. NUNQUAM] Plus habet negationis, quam *non.*

11. EX EA RE QUID FIAT VIDE] Ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως.

COMMENTARIUS.

Id faciam, in proclivi quod eſt, per me ſtetiſſe ut credat.

Atque ecce φράσιν παράλληλον, eodem fere ſenſu ab altero amatore Phaedria pronunciatam, Eun. I. 2. 97.

Quidvis poſſem perpeti.

7. SOLA EST] Contra atque opinabatur Crito, infra IV. 5. 17. dicens,

arbitror
Jam aliquem eſſe amicum & defenſorem ei.

Sic Thais de ſe ipſa, Eun. I. 2. 67.

ſola ſum: *habeo hic neminem,*
Neque amicum, neque cognatum.

Adelph. III. 1. 4.

neminem habeo: ſolae ſumus.

DICTUM AC FACTUM] Guyetus Eugraphium ſequutus, DICTUM FACTUM. Ita & Graevius legebat, forſan e Mſ. ſuo. Sic Heaut. V. 1. 31.

dictum factum *huc abiit Clitipho.*

Idem varie expreſſerunt. Virg. Aen. I. 146.

Sic ait, & dicto citius tumida aequora placat.

Homericum eſt, Iliad. τ. 242.

Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον.

Idem ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον dicunt.

8. EJICIAT OPPIDO] Scil. per Magiſtratus. Videtur autem Menandrum imitatus; quia & ἐκβάλλειν τῆς πόλεως Graeci dixerunt. In Evang. Luc. IV. 29. ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως. Plaut. Aſin. I. 3. 9.

Quum tu me, ut meritus ſum, non tractas,
quae ejicis *domo.*

EJICIAT?] Non etiam repetit OPPIDO; nam & ἐκβάλλειν abſolute eodem ſenſu dictum a Graecis.

10. NUNQUAM FACIAM] Hoc reſponſum, & quod continuo ſequitur, SUADERE NOLI, confirmat

Google

Pa. Ut ab illa excludar, huc concludar. *Da.* Non ita eſt.
Nempe hoc ſic eſſe opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem. ᵗtu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quae nunc ſunt certa ei conſilia, incerta ut ſient,
Sine omni periclo. nam hocce haud dubium eſt, quin Chremes
Tibi non det gnatam, nec tu ea cauſa minueris

Haec

DONATI.

12. Ut ab illa excludar, huc concludar] Mire hanc cum pronomine ſignificat, dicens ab illa. ² Illi nec ſexum ſervavit, ne uxor eſſe videatur. Et ex ferarum tranſlatione concludar dixit. ut alibi, *concluſam hic habeo uxorem ſaevam.* Ut ab illa excludar] Ἐν ὑπονοίαις: nam aliud infert atque intelligit Davum dicere.

13. Nempe hoc sic esse] Conjectura atque divinatio, an hoc, an illud venturum ſit. Nempe hoc sic esse opinor] Ab imitatione (μίμησις enim dicitur) deducitur. Nempe hoc] A poſſibili.

15. Cedo] Cedo ſingulariter tantum: caetera pluraliter. Cedo, quid jurgabit?] Ab utili. Hic reddes omnia] Hic adverbium loci non eſt, ſed adverbium temporis. ut ³ *Virgilius*:

Hic annis gravis atque animi maturus Alethes.

Reddes] Facies, reſtitues.

16. Incerta ut sient] Hic eſt eventus.

17. Sine omni periculo] Hoc eſt, ſine ducenda Philumena.

18. Nec tu ea causa minueris] Hoc eſt quod ſupra, *Id mutavit, quoniam me immutatum videt.* Nec tu ea causa] Quia promiſeris te eſſe ducturum.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Illi nec ſexum ſervavit, ne uxor eſſe videatur*] Lectio corrupta; quam ſic reſtituo: ab illa. *Illius.* Huc. *Nec ſexum ſervavit, ne uxor eſſe videatur.*

3. *Virgilius*] Aeneid. IX. 246.

COMMENTARIUS.

firmat ſententiam noſtram de verbis Pamphili; verſu 6. Quidvis patiar. Scilicet uſque adeo obſirmaſſe videtur animum, ut nec metu patris, nec periculo de oppido ejicienda Glycerio induci queat. Nunquam autem fortiter negat. Plaut. Aſin. III. 3. 40.

Qui hodie nunquam *ad veſperum vivam.*

Virg. Ecl. 3. 49.

Nunquam *hodie effugies.*

12. Ut ab illa excludar, huc concludar] Guyetus, ut hinc excludar, huc concludar. Amantes vero proprie *excludi* dicebantur, quoties amicarum fores offendebant clauſas. Eun. I. 1. 4. & I. 2. 18. & III. 2. 28. *Concludi* dicuntur ferae beſtiae vel caveae, vel retibus in venatione. Phorm. V. 1. 17. ubi vide Donatum. & Eun. IV. 3. 25. Sic Ovid. Amor. I. 4. 61.

Nocte vir includet.

13. Opinor] Bene opinatur. Ita enim Simo infra II. 5. 7.

Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

18. Nec tu ea causa minueris haec, quae facis] h. e. nec tu deſiſtes ab incepto. non repudiabis conſilium tuum de amanda & habenda Glycerio. Hec. IV. 3. 10.

Sed non minuam *meum conſilium.*

Plaut. Aſin. III. 1. 6.

Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere?

Cic. Offic. I. 22. *Sed quum plerique arbitrentur, res bellicas majores eſſe, quam urbanas:* minuenda *eſt haec opinio.* Caeſar paſſim.

Haec, quae facis; ne is mutet ſuam ſententiam.
Patri dic velle: ut cum velit tibi jure iraſci, non queat.
Nam quod tu ſperas, propulſabo facile. uxorem his moribus
Dabit nemo. inveniet inopem potiùs, quam te corrumpi ſinat.
Sed ſi te aequo animo ferre accipiet, negligentem feceris.

Aliam

DONATI.

19. NE IS] Chremes ſcilicet. NE IS MUTET] Ad conſilium redit, & conjungit eventum.

20. PATRI DIC VELLE: UT, CUM VELIT] Scilicet ne ſecurus, quod non ſit Chremes daturus filiam ſuam, parvi faciat iram patris, & neget uxorem ducere, utpote fretus, neminem alium ſibi commiſſurum conjugem.

21. NAM QUOD TU SPERES] Sunt qui pro SPERES, TIMEAS habeant: ut ſit, Nam quod tu timeas, ſcilicet aliam daturum. PROPULSABO] Hoc eſt, cauſam inanem eſſe monſtrabo, id eſt, oſtendam nihilominus te eſſe ducturum aliam uxorem, etiamſi hanc non duxeris. PROPULSABO] Eleganter, pro eo quod eſt *repellam*. UXOREM HIS MORIBUS DABIT NEMO] Ne alteram quaerat. HIS MORIBUS] Deeſt aliquid, ut ſit, *his moribus praedito*.

22. INVENIET INOPEM] Ὑποφορὰ, ἐφεκτικῶς. Sed nec inopem quaerat. INVENIET] Sunt qui κατ' ἀνθυποφορὰν dici putant, INVENIAT INOPEM.

23. NEGLIGENTEM FECERIS] Hoc eſt, etiam in paratis nuptiis.

COMMENTARIUS.

19. NE IS MUTAT SUAM SENTENTIAM] Quis ille IS ſit, Chremesne an Simo, operae pretium eſt, inquirere. Donato Chremes eſt; nec quenquam Interpretum aliter ſentire video. Verum, ſi quid video, hoc pacto connexio cum ſuperioribus apparet nulla. Ideone enim dicturus patri erat Pamphilus, ſe ducturum, ne Chremes mutaret ſententiam, & quam denegaverat, daret? non cohaerent. Omnino igitur Simo videtur intelligendus; ut ſenſus verborum Davi ſit: „ ſtat patri tuo ſententia, te Philumenam ducturum. Ne igitur mutet ſuam „ hanc ſententiam, & de alia tibi danda cogitet, tu dices, te ducturum Philumenam illam; quod facere potes ſine omni periculo: „ neque enim Chremes tibi gnatam daturus „ eſt. Si vero ita tecum cogitas: mutet ſane „ pater ſuam ſententiam, velitque mihi dare „ aliam, ſatis ſcio, neminem honeſtum daturum mihi, his moribus praedito & Glycerii „ amoribus irretito, gnatam ſuam; ita tibi habe, „ patrem tuum non moraturum dotem, ſed „ inopem potius inventurum, quam ſinat te „ porro corrumpi. Integrum itaque locum ita lego & diſtinguo:

nec tu ea cauſa minueris
Haec, quae facis. ne is mutet ſuam ſententiam,
Patri dic velle, ut, quum velit, tibi jure iraſci
non queat.

Haec, opinor, expeditiſſima ſunt, & planiſſima.

20. VELLE] Mſſ. quidam VELLE TE. Et mox, NEQUEAT pro NON QUEAT.

21. NAM QUOD TU SPERAS, PROPULSABO FACILE] Ita lego cum Mſſ. & impreſſorum vetuſtis nonnullis. alii SPERES. Senſus eſt, id, quo tu niteris, facile refutabo, oſtendamque fruſtra te ſperare. Male Donatus & Eugraphius τὸ SPERES per *timeas* exponunt. quos ſequuti Interpretes quidam ſenſum clariſſimum obſcurarunt.

UXOREM HIS MORIBUS DABIT NEMO] Haec μιμητικῶς ex perſona Pamphili dicuntur. Quae ita propulſat refellitque Davus.

22. INVENIET INOPEM POTIUS, QUAM TE CORRUMPI SINAT] Egregiam in hoc loco illuſtrando operam navarunt Fr. Fabritius & Boeclerus. Tanaq. Faber tamen illa: PROPULSABO FACILE, etiam ad μίμησιν verborum Pamphili refert. non ineleganter, niſi quod tum SPERAS praeſtat legere. Proprie autem CORRUMPI dixit, quaſi ex perſona Simonis, de filio vagis amoribus perdito. Adelph. I. 2. 17.

tu illum corrumpi *ſinis.*

Plaut. Bacch. III. 3. 15.

Non

Aliam otioſus quaeret. interea aliquid acciderit boni.
Pa. Itan' credis? *Da.* Haud dubium id quidem eſt. *Pa.* Vide quo me inducas. *Da.* Quin taces?
Pa. Dicam. puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ex illa, cautio eſt: Nam

DONATI.

24. ALIAM OTIOSUS] Ex otio, hoc eſt, ſecurus. INTEREA ALIQUID BONI ACCIDERIT] Scilicet ne quaerendo inveniat. INTEREA ALIQUID] Mortem patris adoleſcenti in delicto pro bono ſervus oſtentat. ACCIDERIT] Et ad cauſam refertur: & certe quia mortem patris bonum denuntiat: ACCIDERIT] Nota ACCIDERIT etiam pro bono & ab hoc, & apud veteres frequentatum.

25. HAUD DUBIUM] Plus intulit; quam eſt interrogatus. INDUCAS] In eadem tranſlatione permanſit, quia ſupra dixit, Huc CONCLUDAR. Bona *οἰκονομία*, ut mox juſte Davo ſuccenſeat Pamphilus. QUIN TACES? DICAM] Cur non ſecurus es? ſignificat jam nunc *tacere*, ſecurum eſſe, ut in Adelph. *Tace, egomet conveniam Pamphilum.* Et ideo ille, ut conſentire dicenti QUIN TACES? videretur: ait, DICAM. ut ſcias illum, non ſilentium, ſed ſecuritatem imperaſſe. QUIN TACES?] Correptio eſt ſilentium praecipientis, de eo duntaxat, ne timeat de nuptiis. id eſt, eſto ſecurus. nam tacere, ſecuri eſt.

26. PUERUM AUTEM] Videtur hoc illi contrarium eſſe, quod dixit, *Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere.* Sic ergo ſolvitur; Quod ibi ſervus cum ſtomacho dixit, hic tantum, Pamphilum verecunde locutum accipimus. PUERUM AUTEM NE RESCISCAT] Aut divinat. aut PUERUM pro quolibet ſexu. ſobolem, hoc eſt, foetum: ut, *Quicquid peperiſſet, decreverunt tollere.* ut Graeci pueros *παῖδας*. 4 *Homerus*,

Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες.

& 5 *Horatius*:

Dicam & Alciden, pueroſque Ledae.

CAUTIO EST] Cautione opus eſt, hoc eſt, cavendum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Homerus*] Iliad. A. 255.

5. *Horatius*] Carm. I. Od. XII. 25.

COMMENTARIUS.

Non ſino, neque equidem illum me vivo corrumpi ſinam.

Unde *corrumpere* mulierem eſt pellicere a marito. Heaut. II. 2. 2.

vereor, ne mulier me abſente hic corrupta *ſit*,

24. ALIAM OTIOSUS QUAERAT] Ita in pleriſque omnibus eſt Mſſ. itaque ediderunt Rob. Stephanus, Heinſius, alii. Nuperae vero editiones, Mſſ. quoſdam, atque inde Lindenbruchium & Boeclerum ſequutae, ALIA exhibent. Certe quidem de uxore ſermo eſt. Quodque minaci vultu dixerat Davus, INOPEM INVENIET, nunc blandius pollicetur, ALIAM QUAERET. Et appoſite, QUAERET, ut negligentia otioſi ſenis indicetur. Sic Heaut. V. 5. 19.

aliam dabo.

INTEREA ALIQUID ACCIDERIT BONI] Formula bene ſperare alterum jubentis. qualis illa ſupra II. 1. 14. *interea fiet aliquid, ſpero.*

25. INDUCAS] Impellas conſilio tuo. Plaut. Mil. II. 2. 99.

Inducamus, *vera ut eſſe credat, quae mentibitur.*

QUIN TACES?] Mſſ. quidam, QUIN TACE.

26. PUERUM AUTEM NE RESCISCAT MIHI ESSE EX ILLA, CAUTIO EST] Atqui nondum pepererat Glycerium, vid. infra III. 1. 15. Videtur igitur credidiſſe, ſe jam patrem factum, quod audiviſſet ex Myſide ancilla, Glycerium laborare e dolore, & obſtetricem jam arceſſi. Supra I. 5. 33. & 64.

Digitized by Google

Nam pollicitus ſum ſuſcepturum. *Da.* O facinus audax! *Pa.* Hanc fidem
Sibi, me obſecravit, qui ſe ſciret non deſerturum, ut darem.
Da. Curabitur. ſed pater adeſt: cave, te eſſe triſtem ſentiat.

DONATI.

27. NAM POLLICITUS SUM] *Promiſſio* & *pollicitatio* eandem vim habent: ſed *pollicitatio* majoris aſſeverationis eſt. HANC FIDEM] Ordo eſt: *ut hanc fidem ſibi darem, me obſecravit, qui ſe ſciret non deſerturum.*

29. CURABITUR] Non *curabo*, ſed imperſonaliter, cum difficultate: quod quaſi arduum eſſet, & grave, oſtendit.

COMMENTARIUS.

CAUTIO EST] Locutio Graeciſſans, ubi verbalia pro gerundiis uſurpantur. Adelph. III. 4. 57.

hi (piſces) *mibi ne corrumpantur*, cautio eſt.

Plaut. Bacch. IV. 2. 15.

Quum ego hujus verba interpretor, mihi cautio eſt,

Ne nucifrangibula excuſſit ex malis meis.

Cic. Laelio 21. *Una* cautio eſt, *atque una proviſio, ut ne.*

27. POLLICITUS SUM SUSCEPTURUM] Id jam noverat Davus. unde ita ille ſupra I. 3. 14.

Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere.

Unde & Myſis infra III. 1. 6. de Pamphilo.

nam quod peperiſſet, juſſit tolli.

28. QUI SE SCIRET] Mſſ. quidam, QUI SCIRET, SE NON DESERTURUM. Guyetus ex Mureto: NON DESERTUM IRI.

29. CAVE] Mſ. Mark. CAVE, NE.

ACTUS SECUNDI

SCENA QUARTA.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

Si. REVISO quid agant, aut quid captent conſilii.

Da.

DONATI.

REVISO] *Haec Scena nodum injicit erroris fabulae, & periculum comicum. Facit etiam executionem conſiliorum.*

1. REVISO QUID AGANT, AUT QUID CAPTENT CONSILII] [1] QUID AGANT, auribus opus eſt. πρὸς τὸ QUID CAPTENT CONSILII, prudentia &

OBSERV. IN DONAT.

1. *Auribus opus eſt*] Lege, ex Mſ. Hulſt. QUID AGANT. πρὸς τὸ QUID AGANT, *auribus opus eſt.*

COMMENTARIUS.

1. REVISO, QUID AGANT, AUT QUID CAPTENT CONSILII] Idem obſervare juſſerat Soſiam, ſupra I. 1. 141. ſeqq.

2. NUNC] Abeſt a quibuſdam Mſſ.

Non

Da. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde, ex ſolo loco.
Orationem ſperat inveniſſe ſe,
Qui differat te. proin tu fac, apud te ut ſies.
Pa.

DONATI.

& ſagacitate. & quod ſupra dixit, non poenituit idem repetere, *obſerves filium; quid agat, quid conſilii cum illo captet.* Quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere. Actio tamen ex his tribus conſiſtit, cogitatione, dicendo, gerendo. REVISO] Redeo ut videam. QUID AGANT] Quid reſpondeant, quid dicant.

2. HIC NUNC NON DUBITAT] Non dixit, ſenex, aut pater: ſed HIC, cum odio, quoniam animo adverſo loquitur.

3. VANIT MEDITATUS ALICUNDE] Terror objurgaturi patris, hortatio eſt ad promittendum Pamphilo, quod jubetur. EX SOLO LOCO. ORATIONEM SPARAT SNVANISSE SE] SOLO, deſerto, ubi meditari facilius poſſit.

4. Et ORATIONEM dixit, quod quaſi ad plenum cogitari potuiſſet, quippe MEDITATUS EX SOLO LOCO. *Menander*, εὑρετικὸν εἶναι φασι τὴν ἐρημίαν οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες.

5. QUA DIFFERAT] Diſturbet, & in diverſum ferat. [1] *Virgil.*

—— *atque arida differt*
Nubila.

Et in Adelphis, *Miſeram me! differor doloribus.* hoc eſt, [3] in diverſum rapit, diſſipat. APUD TE UT SIES] Non, ne timeat, cavet Davus, ſed ne amore a conſilio ſuo alienetur Pamphilus. APUD TE SIES] Praeparatus ſis. cui contrarium eſt, *Non ſum apud me.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgil*] Georg. III. 197.
3. *In diverſum rapit, diſſipat*] Lege omnino: *In diverſum rapior, diſſipor.*

COMMENTARIUS.

NON DUBITAT, QUIN TA DUCTURUM NEGAS] Unde ea ſuſpicio Davo? ſcilicet quia Pamphilus ad primam patris denunciationem obſtupuerat. Tum quod latere non poterat Simonem, filium nondum deſiiſſe commeare ad Glycerium. Denique quia videbat eum cum ſervo conſuſurrantem, cujus malam mentem malumque animum noverat.

3. MEDITATUS] Meditari, μελετᾶν proprie eſt verſus pangere. Unde transfertur ad quaſcunque res animi, quibus ſeu intelligendis, ſeu agendis nos paramus. Adelph. II. 1. 41.

Nunc vide: utrum vis; argentum accipere, an
cauſam meditari *tuam?*

Phorm. II. 1. 12.

Meditari *ſecum oportet, quo pacto adverſam*
aerumnam ferant.

EX SOLO LOCO] τῆς ψυχῆς γὰρ ἐρημούσης ἡ γνώμη τελειοῦται. Citat Lindenbruchius. Sic Hercules de via virtutis voluptatiſque deliberaturus in ſolitudinem abiit. Cic. Offic. I. 32. Dixit autem SOLO LOCO pro ſolitario. Phorm. V. 7. 85.

Nonne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier
In ſolas *terras?*

Virgil. Ecl. X. 14.

ſola *ſub rupe jacentem.*

4. ORATIONEM] Mſ. Mark. RATIONAM. Sic & Mſ. Pal. primus.

5. QUI] Quidam Mſſ., atque in iis duo Leidenſes, QUA.

DIFFERAT] Hugenius in Indice exponit *carpat, perſtringat*, ſequutus alios. Sic Plaut. Pſeud. I. 3. 125.

jam ego te differam *dictis meis.*

Et ſequuntur continuo dicta illa, ſcilicet, *verbero, buſtirape, furcifer, ſociofraude, parricida, ſacrilege, perjure*, alia. Tacitus Annal. I. 4. *pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus* differebant. Non placet. Poterat enim perſtringere Simo filium etiam non meditatus, nec in ſolo loco inventa oratione, ſed ex tempore, & quoties libitum erat. Videtur igitur velle Davus: *ita*

Pa. Modo ut poſſim, Dave. *Da.* Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum eſſe verbum, ſi te dices ducere.

DONATI.

6. MODO UT POSSIM] UT, pro ne non. MODO UT POSSIM] A poſſibili, Poſſim apud me eſſe.

7. NUNQUAM HODIE] Ab utili eventu. NUNQUAM, plus aſſeverationis habet, quam *non.* ut [4] *Virgilius*,

Nunquam omnes hodie moriemur inulti.

COMMUTATURUM PATREM] Jurgium habiturum; hoc eſt enim *verba commutare.* COMMUTATURUM VERBUM] Altercaturum. Sic in Phormione, *Tria non commutabitis verba inter vos hodie.* hoc eſt, dabitis atque accipietis, id eſt, jurgabitis. [5] Ego puto *commutare verba* hoc eſſe, pro bonis dictis mala ingerere: hoc eſt, iracundia in maledicta compelli.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius*] Aeneid. II. 670.

5. *Ego puto*, commutare verba *hoc eſſe, pro bonis dictis mala ingerere, hoc eſt, iracundia in maledicta impelli*] Quis credat, haec eſſe Donati? Certe contraria ſunt iis, quae modo dixerat, *commutare verba* explicans *altercari*, *jurgari*, hoc eſt, mutuis conviciis ſe inceſſere. Nec alius eſt ſenſus verborum Phorm. IV. 3. 33.

COMMENTARIUS.

perturbet, ut vix conſilium mente conſiſtere queat. Quod praemetuens mox ſubmonet:

Proin tu fac, apud te ut ſies.

Sane *differri* proprie dicitur res, quae ubi conjuncta antea erat, in partes diverſas agitur & diſſipatur. De claſſe Vellejus Paterc. II. 79. *Vis Africi laceravit ac* diſtulit. Et Plaut. Rud. II. 3. 38.

nos cum ſcapha tempeſtas dextrovorſum
Differt *ab illis.*

Idem Trin. IV. 1. 13. Charmides ad Neptunum.

abſque foret te, ſat ſcio, in alto
Diſtraxiſſent, diſquetuliſſent *ſatellites tui me miſerum foede.*

Quo ſenſu & rumores *differri* dicuntur, Heaut. Prol. 16. Sed & mulier parturiens dicitur *differri* doloribus. Adelph. III. 5. 40. Demum inde factum, ut res dicatur *differri*, quae in aliud tempus removetur. Sed & ad animum transfertur. Plaut. Truc. IV. 1. 3.

Di magni! ut ego laetus ſum, & laetitia
differor.

h. e. neſcio, ubi ſim. certe non ſum apud me, prae laetitia. Vid. Donat.

APUD TE UT SIES] MSſ. quidam: APUD TE SIAS.

6. MODO UT POSSIM] Guyetus, MODO POSSIM. ob metrum.

7. TECUM COMMUTATURUM PATREM UNUM ESSE VERBUM] Locutio rarior, & neſcio an uni Terentio uſurpata, qui eandem repetit Phorm. IV. 3. 33.

tria non commutabitis
Verba *hodie inter vos.*

Integrum autem videtur eſſe, *verba commutare verbis.* Eodem fere ſenſu Gellius XVII. 2. obſervat ex Q. Claudii Annalium primo, *inter ſe commutationes & conſilia facere*, dicens, inuſitate quidem, ſed non inſcite, nec ineleganter *commutationes* uſurpatum pro collationibus communicationibuſque. Sic *συναλλάσσειν τινὶ* eſt *συντυγχάνειν* & *κοινωνεῖν.* Crediderim igitur, *verba commutare cum altero* olim ſimpliciter dictum pro ſermones conferre, demum pro jurgari, mutuiſque verbis & conviciis inceſſere. Quod Germani Batavique imitati, illi *wortte wechſeln*, hi *woorden wiſſelen* dicunt, eodem ſenſu.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS SECUNDI

SCENA QUINTA.

BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

By. HERUS me, relictis rebus, juſſit Pamphilum
Hodie obſervare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem. id propterea nunc hunc venientem ſequor.

Ipſum

DONATI.

HERUS ME RELICTIS REBUS] *Vide quam mire, quum omnes conſulto conſilio ſibi agere videantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur, & Simo, & Davus, & Pamphilus, & Charinus, & ipſe Byrrhia.*

1. HERUS ME RELICTIS] Ad hoc venit Byrrhia, ut in errorem conciliet Charinum. & in hac Scena quatuor perſonae ſine implicatione intellectus loquuntur. HERUS ME RELICTIS REBUS] Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod coeperis. ut [1] *Virgilius*,

Imponit regina manum.

Relinquuntur vero res, cum imperfectae relinquuntur. Item [2] *Virgilius*,

Atque opere in medio defixa reliquit aratra.

RELICTIS REBUS] Adeo praepoſuit hoc negotii rebus omnibus.

2. HODIE OBSERVARE] Obſervatio duplex eſt, vel captionis, vel obſequii.

3. ID PROPTEREA] Neceſſe eſt aut alterum eſſe ſupervacuum, aut PROPTEREA poſt accipiendum.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. VII. 573.

2. *Virgilius*] Georg. III. 519.

COMMENTARIUS.

1. RELICTIS REBUS] Mſſ. quidam, RELICTIS REBUS OMNIBUS. Eſt vero locutio proverbialis, q. d. negotiis aliis omnibus, ſeu levibus, ſeu ſonticis tantiſper neglectis. Dicimur vero ſedulo quid curaturi facere id *rebus relictis.* Eun. I. 2. 85.

Nonne, ubi mihi dixti, cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quaeſivi?

Plaut. Stich. II. 2. 38.

Res omnes relictas *habeo, prae quod tu velis.*

Idem Epid. IV. 2. 35.

Ego, relictis rebus, *Epidicum operam quaerendo dabo.*

Cic. Fam. II. 14. Omnia relinques, *ſi me amabis, quum tua opera Fabius uti volet.* Et Fam. XII. 24. *Cujus rei tanto in timore fui, ut*, omnibus rebus relictis, *cum paucioribus & minoribus navibus ad illas ire conatus ſim.* RELINQUI autem dicuntur res imperfectae. Ovid. Metam. VI. 201.

Ite ſacris, properate ſacris; laurumque capillis
Ponite. deponunt; infectaque ſacra relinquunt.

3. ID PROPTEREA NUNC HUNC VENIENTEM SEQUOR] Guyetus omnino docet ſcribendum, HUC VENIENTEM, intelligitque Pamphilum. Mihi etiam major obſcuritas eſſe in his verbis videtur. Qui enim *venientem* dixit, qui dudum aderat, & quinque ſcenis ſuperioribus partes ſuas egerat? Sed fac ſingulis ſcenis finitis diſceſſiſſe paululum e conſpectu Pamphilum, quod incertum tamen ſit ex Act. II. 6. 2. non poterat VENIENTEM dicere, niſi eum paulo ante

Ipſum adeo praeſto video cum Davo. hoc agam.
Si. Utrumque adeſſe video. *Da.* Hem, ſerva. *Si.* Pamphile.
Da. Quaſi de improviſo reſpice ad eum. *Pa.* Ehem, pater.
Da. Probe. *Si.* Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
By. Nunc noſtrae timeo parti, quid hic reſpondeat.
Pa. Neque iſtic, neque alibi tibi uſquam erit in me mora.
By. Hem. *Da.*

D O N A T I.

4. HOC AGAM] In geſtu eſt: nam eſt figura corporis, obſervantis quid agatur.

5. UTRUMQUE] Et Davum & Pamphilum.

6. QUASI DE IMPROVISO RESPICE] Intereſt ejus qui repente aſpexerit: nam videbitur nihil doloſe locuturus: ut, [3] *Magnam reſpexit ad urbem.* DE IMPROVISO] Scilicet, ne meditata intelligat eum habuiſſe conſilia.

7. HODIE UXOREM DUCAS, UT DIXI, VOLO] *Nolo* & *volo*, nimis imperioſa & ſuperba dictio eſt. ut alibi, *Piſces caeteros purga, Dromo. Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere pauliſper. ubi ego venero, exoſſabitur: Prius nolo.*

9. USQUAM ERIT IN ME MORA] [4] Recuſantis eſt magis, quam non volentis, conſenſio, ſegnis ac tepida, ſi penitus conſideres. HEM] Perculſus hoc dicto Byrrhia, interjectione magis, quam verbo exclamavit.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Magnam*] Virgil. Aeneid. XII. 671.

4. *Recuſantis*] Boecletus legit: *Non recuſantis eſt magis quam volentis.* Impreſſi veteres: *Recuſantis eſt magis, quam volentis.* Boecleto aſſentior.

COMMENTARIUS.

te ſe euntem conſpiceret. Nondum vidiſſe autem, quum haec diceret Byrrhia, Pamphilum, ex verbis ejus continuo ſequentibus apparet,

Ipſum adeo praeſto video cum Davo.

Quid ergo? Conjiciebam, lectionem vulgatam, NUNC HUNC VENIENTEM SEQUOR, eſſe retinendam, & per HUNC non Pamphilum, ſed Simonem intelligendum; cum quod Simo, qui ſuperiore ſcena ſolus ſtans etiam ſolus loquutus fuerat, nunc propius venit, allocuturus Pamphilum; tum quia, quae ſequuntur,

Ipſum adeo praeſto video cum Davo,

non patiuntur, ut per HUNC Pamphilus intelligatur. Sed & Tanaq. Faber HUNC Simonem, IPSUM Pamphilum interpretatur.

4. HOC AGAM] Vide ſupra I. 2. 15.

5. HEM, SERVA] Nihil ad haec Donatus, nec Interpretum quiſquam. ſenſus autem videtur eſſe, ſerva conſtantiam, ſeu ea praecepta, quae tibi dedi; niſi malis, obſerva, quae ſeu nutu ſeu verbis tibi ſignificem. ut adeo ſit vox ab augurio deſumta. Sic Aeſchinus ſervo, Adelph. II. 1. 26. *Hem ſerva.* Ubi Donatus: *Neſcias, cui dicat haec Aeſchinus, lenoni, an ſervo: ſed ſervo magis eſt veriſimile.* Eritque adeo ſenſus verborum Aeſchini idem, qui ſuperiorum:

Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos,

Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuo in mala haereas.

Vult igitur Davus Pamphilum & vultum, & geſtus & ſua muſſitantis verba obſervare, ne quid titubet, & differatur ſeu turbetur a patre.

6. DE IMPROVISO] Alii, EX IMPROVISO.

7. HODIE UXOREM DUCAS, UT DIXI, VOLO] Verus igitur Davus, qui ipſiſſima haec verba dicturum Simonem Pamphilo praedixerat, ſupra II. 3. 14. Et pertinebat hoc ad artificium Poetae, quo major fides dictis Davi haberetur a Pamphilo. Miſcet vero comitatem ſeveritati Simo, quum idem iterum mandat, vultque conſenſum Pamphili elicere, qui ad prius imperium obſtupuerat obmutueratque. Ubi vero addit, UT DIXI, reſpicitur id, quod Pamphilus narraverat ſupra I. 5. 19.

8. PARTI] Locutio a partibus & factionibus reip.

Digitized by Google

Da. Obmutuit. *By.* Quid dixit! *Si.* Facis ut te decet,
Quum iſtuc, quod poſtulo, impetro cum gratia.
Da. Sum verus? *By.* Herus, quantum audio, uxore excidit.
Si. I nunc jam intro: ne in mora, cum opus ſit, ſies.
Pa. Eo. *By.* Nullane in re eſſe homini cuiquam fidem!
Verum

DONATI.

10. QUID DIXIT!] Nota hic Byrthiae perſonam quartam, ſed non admixtam.

11. QUUM ISTUC, QUOD POSTULO, IMPETRO] Nimis obſequenter locutus eſt pater. Et POSTULO pro jubeo: & IMPETRO, pro extorqueo. POSTULO, juſte volo. Petimus enim precario: Poſcimus imperioſe: Poſtulamus jure. [5] IMPETRO, pro cum impetrem.

12. SUM VERUS?] Id eſt veridicus: ut *falſus*, pro falſidicus. UXORE EXCIDIT] *Cadere ſpe* dicuntur, qui levati animo, a ſummo ad inferiora labuntur. UXORE, hoc eſt, matrimonio ac nuptiis. UXORE EXCIDIT] Quod Graeci dicunt, ἐξέπεσε καὶ ἀπέτυχε.

14. NULLANE IN RE ESSE HOMINI CUIQUAM FIDEM!] Non in nullis terris, ſed neque in terris, neque in perſona. ut, [6] *Virgil.*

Nuſquam tuta fides.

cum in amore fracta eſſet ab eo,

[7] *Quem ſubiiſſe humeris confectum aetate parentem audierat.*

Alibi *Terentius*, *Cujus tu fidem in pecunia perſpexeris, Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri eſt Te fallere?*

OBSERV. IN DONAT.

5. IMPETRO] Lege, CUM IMPETRO.
6. *Virgilius*] Aeneid. IV. 171.
7. *Quem ſubiiſſe*] Virgil. Aeneid. IV. 599.

COMMENTARIUS.

reip. deſumta. Partes hae erant Pamphilus & Charinus.

10. QUID DIXIT!] Vulgo cum interrogandi ſigno editur. Sed interrogatio nulla eſt, quia ſolus loquitur Byrrhia. Sunt igitur verba admirantis, HEM, QUID DIXIT! Vix vero illud HEM admirabundus fuerat eloquutus, quum Davus videns ſenem. Pamphilo ſuggerit, OBMUTUIT. mox Byrrhia rurſus continuato ſermone, QUID DIXIT! inquit. Idem Anteſignanus obſervavit, itaque edidit.

11. IMPETRO CUM GRATIA] H. e. quum ſponte facis & lubens, quae volo. παράλληλα ſunt illa, Adelph. III. 5. 44.

Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.

Et Phorm. V. 3. 2.

Ut ſua voluntate, id quod eſt faciundum, faciat.

12. SUM VERUS?] Gloriatur ſervus tacite, ſe indicente non fieri, quod verbum nullum cum Pamphilo commutet Simo. Vid. ſupra II. 4. 6. VERUS dicebatur vates, quoties eventus reſpondebat dictis. Ovid. Heroid. XVI. 123.

Vera *fuit vates.*

Metam. X. 209.

Talia dum vero *memorantur Apollinis ore.*

UXORE EXCIDIT] Quidam Mſſ. AB UXORE EXCIDIT. Alii, DECIDIT. Plaut. Menaechm. IV. 2. 104.

Nam ex hac familia me plane excidiſſe *intelligo.*

Ovid. Metam. II. 328.

Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit *auſis.*

Ἀλληγορεῖ vero Suetonius, Claud. 14. *Nam & iis, qui apud privatos judices plus petendo formula* excidiſſent, *reſtituit actiones.*

13. NE IN MORA SIES] Dicitur quis eſſe in mora, & mora eſſe in aliquo. Infra III. 1. 9.

ne in mora *illi ſis.*

Adelph. III. 2. 56.

ne in mora *nobis ſiet.*

Plaut. Trin. II. 2. 2.

Impera, quod vis: neque tibi ero in mora, *neque latebroſe me abs tuo Conſpectu occultabo.*

Eodem ſenſu dixit Mil. IV. 6. 64.

vide, ne ſis in exſpectatione.

Virg. Ecl. III. 52.

Quin age, ſi quid habes: in me mora *non erit ulla.*

14. NULLANE IN RE ESSE HOMINI CUIQUAM FIDEM!] Mſſ. alii: NULLANE IN RE ESSE CUI-

Verum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet,
Omnes ſibi malle melius eſſe, quam alteri.
Ego illam vidi virginem, forma! bona
Memini videre. quo aequior ſum Pamphilo,

Si

DONATI.

15. ILLUD VERBUM] Id eſt, proverbium & ſententia. & ſic veteres VERBUM pro ſententia.

16. OMNES SIBI MELIUS] Sic alibi, *Proximus ſum egomet mihi.*

17. EGO ILLAM VIDI] Hic corrigitur a Poëta, quod per iracundiam dixit Pamphilus, *Aliquid monſtri alunt.* FORMA, BONA] Diſtinguitur.

18. MEMINI VIDERE] Aut, memor ſum me vidiſſe. Aut, *memini videre*, hoc eſt, intelligo, ſcio. aut, memini quod viderim. MEMINI VIDERE, pro, vidiſſe. *Ennius: Memini me tum fieri pavidum.* Alibi ſic, [9] *Memini videre, non probare.* Quo AEQUIOR] Hoc eſt, quare aequior Pamphilo, benevolentior, non iratus, vel minus iniquus.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Pavidum*] Ita eſt in Mſ. Hulſt. legente: *Memini me quam fieri pav dum.* Sed & ita habet editio Veneta 1490. Lindenbruchius tamen veriſſimam lectionem putat *pavum*, ex Mſſ. ſcilicet. Citat porro Tertulliani verba de Anima: *Pavum ſe meminit Homerus, Ennio ſomniante.* Locus eſt cap. 11. Dixit autem *pavum* pro *pavonem*.

9. *Memini videre*] Videntur itidem verba Ennii, quae ita citantur in edit. Venet. *Alibi: Sis memini videre, non probare.* Sine dubio rectius.

COMMENTARIUS.

QUAM HOMINUM FIDEM! ſimilis autem infinitivi uſus eſt in re ſeu mira, ſeu iniqua, & cujus videmur impatientiſſimi. Supra I. 5. 18.

Tantamne rem tam negligenter agere!

Infra IV. 2. 6.

Siccine me, atque illam opera tua nunc miſeros ſollicitarier!

16. OMNES SIBI MALLE MELIUS ESSE, QUAM ALTERI] Quidam Mſſ. OMNES SIBI ESSE MELIUS MALLE, QUAM ALTERI. Cic. Offic. III. 5. Sibi *ut quiſque* malit, *quod ad uſum vitae pertineat*, quam alteri *acquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura.* Imitatio dicti Terentiani. Petrus Victorius Var. Lect. XXX. 5. credit ſe inveniſſe verbum illud, quod vulgo dici ſolere ait Byrrhia. Scilicet legerat in ſententiis collectis e variis Poëtis Graecis & hanc Menandri:

Φιλεῖ δ' ἑαυτῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα.

Ex Euripidis Medea citat Gerardus Falkenburgius in Scholiis Mſſ.

Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

17. EGO ILLAM VIDI VIRGINEM, FORMA! BONA MEMINI VIDERE] Varie haec diſtinguuntur. Sunt, qui legunt:

*Ego illam vidi virginem: forma bona
Memini videre.*

Alii: *Ego illam vidi virginem forma bona.
Memini videre.*

Rurſus alii: *Ego illam vidi. virginem forma bona
Memini videre.*

Ἐμφατικώτερον autem videtur, ut edidi. Certe quidem ita Simo de Glycerio, ſupra I. 1. 90.

*interea inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam adſpicio adoleſcentulam,
Forma!* So. *Bona fortaſſe.* Si. *Et vultu, Soſia,
Adeo modeſto, adeo venuſto, ut nihil ſupra.*

Et pertinebat hoc ad commendandam venuſtatem Philumenae, ſi Byrrhia quaſi ſuſpenderet vocem per ἀποσιώπησιν quandam, in illo, FORMA! Et ne cui id dubium eſſet, mox addit, BONA MEMINI VIDERE. Simul autem refellitur Pamphili illud, ſupra I. 5. 15.

Aliquid monſtri alunt.

18. MEMINI VIDERE] Alii: MEMINI ME VIDERE. Elegantior autem Latinitas eſt, quoties τὸ MEMINI jungitur infinitivo praeſenti. Phorm. I. 2. 24.

Memini relinqui me, Deo irato meo.

Cic.

Digitized by Google

Si ſe illam in ſomnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

DONATI.

19. In somnis] Per noctem. ut [10] *Virgil.*

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

[11] Plautus, *Miris modis ludos faciunt hominibus, Mirisque exemplis* [12] *omnia in ſomnis.* Alii *inſomnis*, vigilans; ſed melius per noctem. Quam illum amplecti] Dicit nunc quod vulgo dicitur, *cum illa manere, cum illa dormire.*

OBSERV. IN DONAT.

10. *Virgilius*] Georg. I. 208.
11. *Plautus*] Merc. II. 1. 1.
12. *Omnia in ſomnis*] Lege: *Somnia in ſomnis donant.*

COMMENTARIUS.

Cic. Verr. IV. 14. *Memini Pamphilum Lilybaetanum mihi narrare.* Virg. Ecl. I. 17.

De coelo tactas memini praedicere quercus.

Contraria exempla Sanctius congeſſit.

19. Si se illam] Ordo eſt, *Si maluit, ſe amplecti illam in ſomnis, quam illum.* Plaut. Pſeud. I. 3. 58.

Pietatem ergo iſtam amplexator noctu, pro Phoenicio.

Niſi malis ita ordinare: *Si maluit, illam amplecti ſe in ſomnis, quam illum.* Catull. XI. 17.

Cum ſuis vivat, valeatque moechis,
Quos ſimul complexa tenet trecentos.

20. Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum] Ludit ſervus & jocatur in re ſeria. Reſpicit autem praemia laeti nuncii. De qua re inſignis eſt locus in Codice ſacro, 2. Sam. IV. 10. ubi ὁ vertunt ἐυαγγέλια, voce uſitata Graecis in ſimili re. Vid. J. Jenſii Ferc. Literar. pag. 2.

ACTUS SECUNDI

SCENA SEXTA.

Davus. Simo.

Da. Hic nunc me credit aliquam ſibi fallaciam
Por-

DONATI.

Hic nunc me credit] *Haec Scena dolos continet utriuſque perſonae, quibus utraque capit, & capitur miro modo.*

1. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam] Davus ita videtur loqui, ut nullus ſpectator audiat: ſed [1] hoc ait, ut velit audiri a ſene.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Hoc ait*] Lege: *Hoc agit.* h. e. id operam dat. Niſi interpolatus locus, ita forte ſcriptus a Donato: *Davus ita loqui videtur, ut nolit audiri a ſene.*

COMMENTARIUS.

1. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam portare] Donato Davus ita videtur loqui, ut nullus ſpectator audiat, ſed qui velit audiri a ſene. Mihi contra videtur ad ſpectatores

Portare, & ea me hic reſtitiſſe gratia.
Si. Quid Davus narrat? *Da.* Aeque quidquam nunc quidem.
Si. Nihilne? hem. *Da.* Nihil prorſus. *Si.* Atqui exſpectabam quidem.
Da. Praeter ſpem evenit: ſentio: hoc male habet virum.
Si. Potin' es mihi verum dicere? *Da.* Nihil facilius.

Si.

DONATI.

2. Gratia] Gratia veteres pro *cauſa* ponebant.

3. Quid Davus narrat?] Videtur illi blandius locutus eſſe. Aeque quidquam nunc quidem] Bene nunc quidem: ſimiliter nunc nihil, ut paulo ante, cum dixit, *Id populus curat ſcilicet!* Aeque quidquam nunc quidem] Hoc eſt, nihil.

4. Nihil ne? hem] Hem interjectio eſt irati, adverſum eum, qui neget ſe aliquid locutum eſſe. ſimul quid ſit Aeque quidquam nunc quidem, ſenex explicat, cum ait, Nihilne? Et eſt εὐφημισμὸς antiquorum, pro *nihil.* Nihil prorsus] Id eſt, neque prorſus. Nihil prorsus dicitur, in quo nulla eſt ambiguitas. Et eſt confirmatio negantis. Atqui exspectabam quidem] *Expectamus* tam bona, quam mala: *Speramus* bona.

5. Praeter spem evenit] Praeter, pro contra, ut, *Praeter aetatem tuam.* Hoc male habet virum] Εἰρωνικῶς virum dixit deſeſſum ſenem. modo enim virum joculariter dixit. Virum] Ad vituperationem cum ironia: ad laudem vero ſine ironia.

6. Potin' es verum] Integrum, *potisne*, id eſt; potes. ut ª *Virgilius*,

Nec potis Ionios fluctus aequare ſequendo.

Et deeſt illi *es*. Eſt enim nomen *potis*: & facit, *potis*, *potior*, *potiſſimus*.

OBSERV. IN DONAT.

ª *Virgilius*] Aeneid. III. 671.

COMMENTARIUS.

ctatores converſus haec dicere, ſed ita, ut verba non capiat ſenex. Unde continuo loquentem audiens, ſed non intelligens Simo,

Quid Davus narrat?

inquit. Ut id credam, adducor pronomine hic, quo ſolet uti ſervus, quoties Simone praeſente, ſed non audiente per contemtum de hero loquitur. Infra III. 1. 12.

quid hic *ſenſiſſe ait?*

& III. 2. 15.

Certe hercle nunc hic *ſe ipſus fallit, haud ego.*

Supra I. 2. 13.

quid hic *volt?*

Si vero Simone audiente & intelligente haec loqui voluiſſet Davus, *Herus* dixiſſet, non hic. Tum haud temere quid dicebatur in Scena, quod non audirent ſpectatores. Quidam autem Mſſ. aliquam fallaciam legunt, omiſſo sibi; quemadmodum mox restitisse gratia hic.

1. Me hic restitisse] Sunt, qui non agnoſcunt me.

3. Quid Davus narrat?] Alii, quid, Dave, narrat? ſub. Pamphilus. perperam, opinor.

Aeque quidquam nunc quidem] Jac. Perizonius, Vir Cl. vim hujus reſponſi ex longa ellipſi petendam cenſebat, atque adeo verba ita ſupplenda, quaſi reſpondiſſet ſervus: *Nunc quidem aeque quidquam narro, ac narro tunc, quando nihil narro.* Vid. Sanct. Min. I. 13. Niſi tamen fortaſſe ſeu floccum de veſte oſtendendo, ſeu digitis crepitando, aliove geſtu haec loquutus eſt ſervus; quando ſermo ejus & clarior & ἐμφατικώτερος erit. Vel poſſit omnis vis eſſe in vocibus nunc quidem, ut ſubaudiatur, *quam antea*, *quam ſoleo*, vel ſimile. h. e. nihil. conf. III. 2. 24.

Da. *Sed ſi quid narrare occepi, continuo dari*

Tibi

Digitized by Google

Si. Num illi moleſtae quidpiam hae ſunt nuptiae,
Propter hujuſce hoſpitae conſuetudinem?
Da. Nihil hercle. aut, ſi adeo, bidui eſt aut tridui
Haec ſollicitudo. noſti? deinde deſinet.
Etenim ipſus ſecum eam rem recta reputavit via.

Si.

DONATI.

7. NUM ILLI MOLESTAE QUIDPIAM] QUIDPIAM, ſignificationem minimae rei habet.

8. PROPTER HUJUSCE HOSPITAE CONSUETUDINEM] Haec omnia pronominibus bene mollita ſunt; etenim atrocia ſunt, ſi cum ſuis nominibus nuda ponantur. Et HUJUSCE HOSPITAE, non *meretricis:* & CONSUETUDINEM, non *amorem* dixit. ita omnia extenuat, ut Davus audeat confiteri.

9. AUT, SI ADEO, BIDUI EST AUT TRIDUI] Bene, AUT SI ADEO: ne ſi omnino negaret, *cur igitur triſtis eſt ille?* diceret.

10. SOLLICITUDO] Propter turbationem. NOSTIN'?] In ſignificationem multorum, quae s compendio facimus, NOSTIN' dicimus.

11. RECTA REPUTAVIT VIA] REPUTAVIT, retractavit: quia *putare*, purgare eſt. unde & *arbores*, & *vites putare* dicimus. VIA] Conſilio, ratione.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Compendio facimus*] Malim, *compendi facimus.*

COMMENTARIUS.

Tibi verba cenſes. SI. *Falſo.* DA. *Itaque hercle nihil jam mutire audeo.*

Ex Mſ. Pal. ſecundo citat Pareus: NEQUE QUIDQUAM NUNC QUIDEM. ſenſu perſpicuo.

5. PRAETER SPEM EVENIT] h. e. praeter exſpectationem. Plaut. Rud. II. 3. 69.

Nam multa praeter ſpem *ſcio multis bona* eveniſſe.

Cic. Fam. XI. 14. *Nihil tam* praeter ſpem *unquam.* Editio anni 1469. EVENIT HUIC. Reſpicit autem Davus reſponſum Pamphili, ſupra II. 5. 9.

Neque iſtic, neque alibi tibi uſquam erit in me mora.

6. NIHIL FACILIUS] Guyetus, ut metro conſulat, reſcribit FACILIUS NIHIL.

8. PROPTER HUJUSCE HOSPITAE CONSUETUDINEM] Eraſmus, eumque ſequutus Guyetus: HUJUSCE PROPTER CONSUETUDINEM HOSPITAE. h. e. peregrinae. Virg. Aen. III. 539.

--- *bellum, o terra* hoſpita, *portas.*

9. BIDUI EST AUT TRIDUI] Mſ. Bodl. BIDUI AUT TRIDUI EST.

11. EAM REM RECTA REPUTAVIT VIA] Sollicitant hunc locum eruditi; & eſt mira Mſſtorum varietas. Mſ. Bodl. EAM SECUM REM IPSE RECTA REPUTAVIT VIA. Faërnus ita eſſe in libris ſcriptis fatetur, ut edidi. Delet autem RECTA, cum quod non aliter ſtet verſus, tum quod Donatus hanc vocem non agnoſcat. Agnoſcit vero in Mſ. Hulſt. ſed ita: EAM REM RECTA PUTAVIT VIA. Guyetus ut verſum rectum & integrum habeat, EAM REM tollit, vocans interpretamentum. Non autem libet, neque adeo licet ita graſſari. *Putare rem* comicum eſt, & Terentianum. Adelph. V. 3. 10.

Rem ipſam putemus.

Phorm. IV. 5. 6.

Rem ipſam putaſti.

Malim igitur, ſi quid mutandum:

Etenim ipſus ſecum recta rem putavit *via.*

Juſtin. II. 15. *Quum moenia majora complexi* (Athenienſes) *fuiſſent, ſuſpecti eſſe Lacedaemoniis coepere,* recte putantibus, *quibus ruina urbis tantum incrementi dediſſet, quantum ſit datura munita civitas.* Quomodo in Mſſ. eſſe, Matthias Berneccerus teſtatur. vulgo *recte reputantibus.*

Si. Laudo. *Da.* Dum licitum eſt ei, dumque aetas tulit,
Amavit: tum id clam: cavit, ne unquam infamiae
Ea res ſibi eſſet, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus eſt: animum ad uxorem appulit.
Si. Subtriſtis viſus eſt eſſe aliquantulum mihi.
Da. Nihil propter hanc rem: ſed eſt, quod ſuccenſet tibi.
Si.

D O N A T I.

12. LAUDO] Senex inducitur, & credit. DUM LICITUM EST] Deeſt, *per te*: hoc eſt, dum tu permiſiſti. Et mire hic utitur verbis ſenis. ipſe enim ſupra dixit, *Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi, animum ut expleret ſuum.* DUM LICITUM EST ILLI] Sic veteres & *placitum*, & *puditum* dicebant: quae nos, *placuit*, *puduit*. DUMQUE AETAS TULIT] Dum eſſet aetas immatura nuptiis. TULIT, duo ſignificat: attulit, & abſtulit; paſſus eſt, & pertulit.

13. TUM ID CLAM] Bene *clam*, quia nunc liquido apparet, Pamphilum voluntatem, propoſitumque mutaſſe.

CAVIT, NE UNQUAM INFAMIAE EA RES SIBI ESSET] [4] Mire utitur ſenis verbis. ipſe enim ſupra dixerat, *Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi, animum ut expleret ſuum.*

15. NUNC UXORE OPUS EST] Quaſi denuntiatio eſt quaedam neceſſitatis ſeni impoſitae. ANIMUM AD UXOREM APPULIT] Et bene APPULIT, quaſi ab jactatione fluctuum, & marini aeſtus. has enim tempeſtates habet amor. Et ſic dixit, AD UXOREM ANIMUM APPULIT; ut ſupra, *Animum ad ſcribendum appulit.*

16. SUBTRISTIS VISUS EST] SUB, temperamentum eſt plenae pronuntiationis: ut, *ſubtriſtis*, *ſubridet*, non ad plenum triſtis aut ridet: ut confeſſionem eliceret. SUBTRISTIS VISUS EST ALIQUANTULUM MIHI] Mire ſervatum eſt in adoleſcente libero τὸ πρέπον, & in amatore τὸ πιθανόν. Nam & honeſto juveni non congruebat verſipellis vultus: [5] & in amatore abſurdum fuerat, ingenuum celare triſtitiam. Itaque nec ad plenum triſtis fuit, quia dixit *celanda res erat*: nec gaudium fuerat, quia ingenium & amoris neceſſitas in triſtitiam retrahebat.

17. SED EST, QUOD SUCCENSET TIBI] [6] Quod ille a ſummo ad imum oppoſuit, hic cauſae deriva-

OBSERV. IN DONAT.

4. *Mire utitur*] Haec inſcite repetita ſunt ex iis, quae ad verſ. 12. ſatis erudite notata erant. Nec quidquam aliunde ſubſidii, ad meliora reponenda.

5. *Et in amatore abſurdum fuerat, ingenuum celare triſtitiam*] Varie haec leguntur. Triplicem conjecturam facio, legens vel, *ingenuum celare triſtitia*, vel, *ingenuam celare triſtitiam*. Vel potius, *Et in amatore ingenuo abſurdum fuerat, celare triſtitiam*. Mox autem pro *celanda* Mſ. Hulſt. & edit. Ven. 1450. legunt, *occultanda*. utrumque videtur e margine irrepſiſſe, quum ſcripſiſſet Donatus: *quia dixit*, SUBTRISTIS. Conjectura Conſultiſſimi Viri, Abr. Wielingii.

6. *Quod ille a ſummo ad imum oppoſuit*] Lege, *propoſuit*. Uti mox, *cauſam contra rependendam propoſitioni ſeniſ*.

COMMENTARIUS.

12. DUM LICITUM EST EI, DUMQUE AETAS TULIT, AMAVIT] Sic ſupra I. 2. 18.

Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi, animum
ut expleret ſuum.

Non laudat vero, ſed corruptos juventutis Atticae mores deſignat Poëta. Mſſ. quidam, DUM LICITUM EST ILLI.

13. CAVIT, NE UNQUAM INFAMIAE EA REI SIBI ESSET] Id ſtudioſe praecipiebant amantibus. Plaut. Curc. I. 1. 28.

Ita tuum conferto amare ſemper, ſi ſapis,
Ne id, quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro.

Idem Ovidius Amor. III. 14. docet amicam.

14. VIRUM FORTEM] Bonum & honeſtum. Phorm. II. 2. 10.

O vir fortis, atque amicus.

Plaut. Trin. V. 2. 9.

Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem *familiam.*

Eandem mox *familiam optimam* vocat. Dixerunt autem *fortem virum*, non fortem hominem. Cic. Fam. VI. 9. *Nam & patre ejus, claro homine, &* forti viro, *plurimum uſi ſumus.*

15. NUNC UXORE OPUS EST: ANIMUM AD UXOREM APPULIT] Habet hic verſus lepidum jocum, quia

Digitized by Google

Si. Quidnam eſt? *Da.* Puerile eſt. *Si.* Quid eſt? *Da.* Nihil.
Si. Quin dic, quid eſt?
Da. Ait, nimium parce facere ſumtum. *Si.* Me ne? *Da.* Te.
Vix, inquit, drachmis eſt obſonatus decem.
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, ad coenam vocabo meorum aequalium
Potiſſi-

DONATI.

derivationem oppoſuit. Quod succenset tibi] [7] *Succenſere*, potioris eſt. *Succenſere*, in re gravi & juſta iraſci.

18. Puerile est] Apparet Davum nunc quaerere quid reſpondeat: & ad quam cauſam derivet averſa ſuſpicione triſtitiam Pamphili, quam animadvertit ſenex. Puerile est] Utrum magis ideo ſuſpendit, ut ſenex audire deſideret: an quia necdum commentus eſt cauſam, contra rependendam propoſitioni ſenis? Nihil est] Videtur invenire non poſſe.

19. Ait, nimium parce facere sumtum] [8] Mire ipſum dicere veluti fecit, & *nimium*, & *parce*. Nimium parce facere] Pepercit, ne diceret *ſordide*. Mene] Perturbati indicium eſt, quia ſe ipſum pronomine oſtendit.

22. Meorum aequalium potissimum] Aequalium aetate, potissimum dignitate: etenim *potis*, *potior*, *potiſſimus* facit.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Succenſere potioris eſt*] Abſunt haec a Mſ. Hulſt. Et videtur ſane pro *ſuccenſere* hoc loco alia vox reponenda. Certe enim neque Pamphilus erat potior Simone patre, neque ſemper potiores ſuccenſent. Niſi *potioris eſt* neutro genere dictum accipias pro, *majoris eſt*, h. e. in re majore & potiore adhiberi ſolitum. quomodo mox explicat ipſe Donatus. Natum verbum e cenſura Romana, quum ſcilicet iniquius ſe cenſos nonnulli indignarentur & ſuccenſerent, hoc eſt, tacite ſecum iniquitatem illam exiſtimarent.

8. *Mire ipſum dicere*] Lego, *Mirum, ipſum dicere*. Sic Mſ. Hulſt.

COMMENTARIUS.

quia quod Simo de Philumena intelligebat, Davus de Glycerio dicebat; neque aliter ſpectatores capiebant.

16. Visus est esse] In quibuſdam Mſſ. non legitur τὸ esse.

17. Est, quod succenset tibi] Semel notaſſe ſufficiat, in ſimili locutione deſiderari *negotium* cum particula *ob* vel *propter*. ut ſenſus ſit, *Eſt negotium, propter quod ſuccenſet tibi.* Sic Heaut. III. 3. 52. Hec. II. 2. 31.

18. Nihil] Alii, nihil est.

Quid est?] Eraſmus, Guyetus, Tan. Faber, quid id est? ob metrum ſcilicet. Videtur autem hunc locum imitatus Phaedrus III. 7. 17. *Unde hoc, amice? nihil eſt. dic, quaeſo, tamen.*

19. Ait] Alii, ait, te.

Parce] Mſſ. quidam, perparce.

20. Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem] Sunt, qui ſubſtantivum eſſe dicunt τὸ obsonatus, quando est notabit, conſtat, valet. Videtur potius participium eſſe, & ſubaudiri Simo pater. Liberalius autem Stalino nuptias facturus cum Caſina, villico poſtquam dixiſſet, Plaut. Caſ. II. 8. 54.

tene marſupium.
Abi atque obſonia *propera. ſed lepide volo*
Molliculas eſcas, ut ipſa mollicula eſt.

Mox ex copia piſcaria ſibi emi jubet, *ſepiolas*, *lepadas*, *lolligiunculas*, *hordeias*, *ſoleas*, additque:

Argento parci nolo: obſonato *ampliter.*

Notatque Farnabius, leges ſumtuarias nuptiis aliquid de rigore remiſiſſe. Drachma vero uſitatiſſimus nummus erat, conveniens fere cum Romanorum *Denario*, Batavorum autem *Schellingo*. Exprimebantur ea pleraeque majores ſummae. Unde ſaepe per ellipſin ſupprimebatur. Vide J. Fr. Gronov. de Seſtert. II. 6.

21. Num filio videtur uxorem dare?] Mſſ. pluſculi citra interrogationem: non filio videtur uxorem dare; ſed minus ἐμφατικῶς.

22. Ad coenam vocabo] ἐν γάμῳ ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλέσαι. Loquitur autem ex more. Eun.

II.

Potiſſimum nunc? &, quod dicendum hic ſiet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. *Si.* Tace.
Da. Commovi. *Si.* Ego iſtaec, recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei eſt? quid hic volt veterator ſibi?

Nam

DONATI.

23. ET QUOD DICENDUM HIC SIET] Bene HIC, ubi non ſit adoleſcens.

24. TU QUOQUA PERPARCE] Bene QUOQUE. quaſi dicat, cum ille peccet, quod pueriliter ſuccenſeat: tu *quoque* peccas, perparce nimium faciendo ſumtum. TU QUOQUE PERPARCE NIMIUM] Et PERPARCE, & NIMIUM, cum ſufficeret unum. Et NIMIUM, vituperatio eſt: ut, *Ne quid nimis.* NON LAUDO] Et quia PERPARCE, & quia NIMIUM. Nam *parce* agere, laudis: *nimium*, peccati. Et magna moderatione, NON LAUDO, dixit potius, quam *vitupero*.

25. COMMOVI] Ideo COMMOVI, quia argumenta dixit ſeni, quibus proditur non eſſe veras nuptias. COMMOVI] Supra *ſollicitavi* dixit, modo COMMOVI. Et COMMOVI dicit apud ſe, ut ſpectator audiat, non ſenex.

26. QUIDNAM HOC EAT REI?] Verba ſunt ſecum cogitantis ſenis, aut de his quae nunc locutus eſt Davus, [9] aut de adventu mulierum, quae in ſcenam veniunt. QUIDNAM HOC EST REI?] Pulſatus eſt ſenex argumento falſarum nuptiarum, *paululum obſonii:* tanquam ſe illuderet Davus. QUIDNAM HIC VOLT VETERATOR SIBI?] VETERATOR eſt vetus in aſtutia, & qui in omni re callidus eſt. Et hi duo verſus oſtendunt, pulſatum eſſe ſenem argumento falſarum nuptiarum: illo argumento quod ait, *paululum obſonii:* tanquam ſe illuderet Davus. Sunt ergo verba, ut diximus, ſecum cogitantis ſenis, aut de his quae nunc Davus locutus eſt, aut de adventu mulierum, quae in ſcenam veniunt modo.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Aut de adventu mulierum*] Non videtur veriſimile. Sint igitur potius Simonis ſtomachantis verba, & Davum ſaevidicis dictis protelantis. Neque enim ſatis cohaereret ſermo Simonis, primum mirantis adventum mulierum in Scenam, mox conviciis ſervum inceſſentis de alia re.

COMMENTARIUS.

II. 2. 28. *Salutant: ad coenam vocant.* Unde ſervus *vocator* dictus. Mart. VII. 85. 11. *Invitari* vero maxime dicuntur, quibus jam in ipſa coena cibus potuſque ponitur.

AEQUALIUM] Ad aetatem maxime refertur. Cic. de Senect. 4. *Adoleſcens ita dilexi ſenem, ut aequalem.*

23. QUOD DICENDUM HIC SIET] Donatus, & poſt eum bona pars Interpretum ita cepit, quaſi vis verborum Davi ſit in τῷ HIC, & quaſi id tutis auribus Simonis, abſente Pamphilo, remotiſque arbitris aliis, deponere velit. Mihi aliter videtur, & τὸ HIC notare *in hac re*, quomodo mox verſu 27. ut ſenſus ſit: ſi dicendum eſt, quod *ad hanc rem* attinet. Sic Adelph. IV. 5. 29.

ſi eſt, pater,
Dicendum magis aperte.

25. COMMOVI] h. e. ex placido turbulentum feci; metaphora a mari deſumta. Unde de Neptuno Virg. Aen. I. 126.

graviter commotus, *& alto*
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.

EGO ISTHAEC RECTE UT FIANT, VIDERO] Ita vulgo diſtinguitur, nec male. Poſſit tamen ſenſus eſſe: EGO ISTHAEC RECTE, UT FIANT, VIDERO. Ut adeo jungenda ſint, RECTE VIDERO, non, RECTA FIANT. Plautus Merc. II. 3. 111. unde hic locus videtur expreſſus:

Quieſce, inquam, iſthanc rem ego recte videro.

Dixit autem VIDERO, pro, curavero, providero. Sic ſupra II. 2. 36. Adelph. IV. 1. 22. Graeci eodem modo. Evang. Matth. XXVII. 4. Τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει. *Quid ad nos? tu videris.*

26. VETERATOR] Non ſemper eſſe convicium in ſervum callidum & aſtutia vetuſta roboratum, quod ait Pareus in Lex. apparet ex verbis Donati, cui *in omni re callidus* VETERATOR audit.

Digitized by Google

Nam ſi hic mali eſt quicquam, hem illic eſt huic rei caput.

DONATI.

27. NAM SI HIC EST MALI QUICQUAM] Si promiſſa non compleverit Pamphilus. ILLIC EST HUIC REI CAPUT] CAPUT, eſt origo & ſumma uniuſcujuſque rei: ut [10] *Virgil.*

— O Latio caput horum, & cauſa malorum.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Virgilius*] Aeneid. XI. 361.

COMMENTARIUS.

audit. Certe quidem Gellio, III. 1. *in literis veterator* dicitur, qui eidem I. 7. vocatur *homo lectione multa exercitus, cui pleraque omnia veterum literarum quaeſita, meditata, evigilataque erant.* Quanquam uſitatius in malam partem ſumitur. Heaut. V. 1. 16. Plaut. Moſtell. III. 1. 78. Unde Cicero Verr. I. 54. ingenioſum, improbum, tectum, *veteratorem* vocat. Gr. *πανουργικός.* De duplici genere mancipiorum uſualium, novitiorum & veteranorum, quorum illi, qui nondum annum ſervierant, hi, qui annum continuo ſervierant in urbe, ac proin verſutiores erant, vid. Lindenbr. ad h. l. Gloſſarium Iſidori *Veteratricem* vocat *callidam incircumſcribendam.* lege, *callidam in circumſcribendo.* reſtituente J. G. Graevio, & ante eum J. H. Boeclero in Chreſtomath.

27. ILLIC EST HUIC REI CAPUT] h. e. auctor, cauſa. Adelph. IV. 2. 29.

idem, quod ego, ſentit, te eſſe huic rei caput.

Plaut. Aſin. III. 3. 138.

Ego caput *huic argento fui hodie reperiundo.*

Cic. Fam. XII. 10. *Nos de Dolabella quotidie, quae volumus, audimus: ſed adhuc ſine* capite, *rumore nuncio.* Priſcianus Inſtit. Lib. XII. citans hunc locum, ILLIC per ἀποκοπὴν ab ILLICCE factum dicit.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA. GLYCERIUM.

My. ITA pol quidem res eſt, ut dixti, Lesbia:

Fide-

DONATI.

ITA POL QUIDEM RES EST] *In hac Scena novo modo ceſſante Davo, fallitur Simo per nimiam ſagacitatem ſuam. Simul in hac Scena id agit Poëta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo. Et quaedam induſtria, quaedam velut caſu eveniunt: ut nunc ſuſpicio ſenis. In multis enim οἰκονομία comicorum Poëtarum ita ſe habet, ut caſu putes ſpectator veniſſe, quod conſilio Scriptorum factum ſit.*

1. ITA POL QUIDEM RES EST, UT DIXTI, LESBIA] Ex hoc ſermone, quem habent ingredientes, Scenae apparet principium. quod enim audi-

COMMENTARIUS.

1. UT DIXTI, LESBIA] Mſſ. quidam, UT DIXIT LESBIA. Praeſtat autem lectio vulgata. Lesbiam enim alloquitur Myſis, non loquitur de Lesbia. Unde illa mox reſpondens verſu 8. inquit,

 Bonum

Digitized by Google

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
Si. Ab Andria 'ſt ancilla haec? quid narras? *Da.* Ita eſt.
My. Sed hic Pamphilus. *Si.* Quid dicit? *My.* Firmavit fidem.
Si. Hem.
Da. Utinam aut hic ſurdus, aut haec muta facta ſit.
My. Nam quod peperiſſet, juſſit tolli. *Si.* O Jupiter!

Quid

DONATI.

auditur, non quod incipitur, initium dicunt. ITA POL QUIDEM] Productio eſt narrativa, ad explendum modo potius jusjurandum. UT DIXTI] Et *dixti*, & *dixiſti* legitur.

2. FIDELEM HAUD FERME] FIDELEM maluit, quam *fidum* dicere. *fidum* enim honeſtius dixiſſet. FERME pro facile poſuit. Et FERME, facilitatem ſignificat, quia ſunt adverbia extenuationis. INVENIAS] Secundam pro tertia perſona poſuit, pro *inveniat quis*, vel invenire poſſit. ut [1] *Virgilius:*

Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.

3. AB ANDRIA EST ANCILLA HAEC?] Simpliciter dixit *ab Andria eſt*, pro Andriae eſt: nam & uſu ſic dicere ſolemus. Ergo AB ANDRIA EST, hoc eſt, Andriae favet, Andriae eſt. ut cum dicimus, *Ab illo eſt*, hoc ſignificamus, illi favet, illi accommodat ſuffragium.

4. SED HIC] Semper SED contrariae ſententiae ſignificatio eſt. Et bene HIC, ut oſtendat, de illo fuiſſe ſermonem. HEM] Interjectio eſt accipientis verba, & admirantis.

5. UTINAM AUT HIC SURDUS, AUT HAEC MUTA FACTA SIT] Comice & facete. AUT HIC SURDUS, qui audire non poſſit: AUT HAEC MUTA FACTA SIT, ne poſſit dicere. AUT HIC SURDUS, AUT HAEC MUTA FACTA SIT] Σύλληψις per genera.

6. JUSSIT TOLLI] Haec eſt fides: ſuſcipi filios legitimos faciunt [2] parentes. Et ſublatio matris eſt: patris, tollere.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. IV. 401.

2. *Parentes*] Mſ. Hulſt. *Partus*. Ita & editio Veneta 1490. & altera 1512. Forte legendum: *Haec eſt fides, ſuſcipi filios legitimos, quod faciunt parentes.*

COMMENTARIUS.

Bonum ingenium narras adoleſcentis. Fingitur autem Lesbia dixiſſe id de viris infidelibus Myſidi inter vias. Quod frequens eſt in Comoediis. Vide Heaut. II. 3. 1. II. 4. 4. & paſſim alibi.

2. FIDELEM HAUD FERME MULIERI INVENIAS VIRUM] Eandem rem, id eſt, amatorum perfidiam, non iiſdem verbis tractatam vide infra IV. 3. init. Adelph. III. 2. 32. ſeqq. Hec. I. 1. 1. ſeqq. Sic Catull. Carm. 65.

3. AB ANDRIA 'ST ANCILLA HAEC? QUID NARRAS?] Duplicem feci interrogationem, contra quam fieri ſolet. Qui enim ſciret Simo, Myſidem ancillam eſſe ab Andria? Davus vero, qui intimus erat conſiliis Pamphili & Glycerii, optime id noviſſe poterat. Ubi igitur rogaſſet ſenex, AB ANDRIA 'ST ANCILLA HAEC? neque continuo reſponderet Davus, nolens Myſidem exiiſſe, inſtat rogitando, QUID NARRAS? Eodem modo de eadem Myſide Chremes infra IV. 4. 17.

Ab Andria 'ſt ancilla haec, quantum intelligo. Valet vero AB ANDRIA idem quod *e domo Andriae*. Plaut. Pſeud. II. 2. 22.

Eſne tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servos ejus, qui hinc a nobis eſt mercatus mulierem?

Cic. Attic. IV. 16. *Pleraeque* (epiſtolae) *tantummodo mihi nunciabant, ubi eſſes, quod erant abs te.* h. e. e domo tua. Vide porro, quae de hac locutione notavit Emmeneſſ. ad Virg. Ecl. I. 18. Sunt autem Mſſ. in quibus eſt, QUID NAR-

Quid ego audio? actum 'ſt, ſiquidem haec vera praedicat.
Le. Bonum ingenium narras adoleſcentis. *My.* Optumum.
Sed ſequere me intro, ne in mora illi ſis. *Le.* Sequor.
Da. Quod remedium nunc huic malo inveniam? *Si.* Quid hoc?
Adeon' eſt demens? ex peregrina? jam ſcio, ah!

Vix

DONATI.

7. QUID EGO AUDIO?] Bene rurſum adducitur ad deſperationem ſenex Myſidis verbis. ACTUM 'ST] In ſumma rerum deſperatione ponitur, ACTUM 'ST, ILICET, PERIISTI. Haec res ſecundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Sic ipſe in Phormione, *Actum, ajunt, ne agas.*

8. BONUM INGENIUM] INGENIUM, naturam.

10. QUID HOC?] Secum ſenex ἐλλειπτικῶς. deeſt enim, *rei eſt.*

11. ADEON' EST DEMENS? EX PAREGRINA?] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν, apta cogitanti. reliquum autem ſic pronuntiat, quaſi reperto conſilio. 3 Et bene ADEO: quia tam demens eſt, quod amat ex peregrina, id eſt, ex meretrice. Mulieres enim peregrinae, inhoneſtae ac meretrices habebantur. Sic ipſe alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.* Et ſervus, *poteſt taceri hoc quidem.* hoc eſt, meretricem habuiſſe te matrem, veriſimile eſt. EX PAREGRINA?] Ἀποσιώπησις. deeſt enim, *ut filium ſuſcipias?* aut aliquid tale.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Et bene* ADEO, *quia tam demens eſt, quod amat ex peregrina, id eſt, ex meretrice*] Corrupta lectio jam inde ab editione Rob. Stephani. Vetuſtiores & Mſ. Hulſt. ita: *Et bene* ADEO, *quia demens eſt quod amat.* EX PEREGRINA. *id eſt, ex meretrice.* Legendum vero omnino videtur: *Et bene* ADEO, *quia jam demens eſt, quod amat.* Cui quidem dementiae accedit altera, ſcilicet quod EX PEREGRINA, *id eſt, ex meretrice,* ſub. velit tollere partum.

COMMENTARIUS.

NARRAT? quando verba proxime praecedentia citra interrogationem fuerint pronuncianda. Firmat vero noſtram lectionem etiam Davi reſponſum: *ita eſt.*

4. FIRMAVIT FIDEM] h. e. quam ſancte juravit. Quomodo de Pamphilo altero dicit Hec. I. 1. 3. Unde Bacchis, Hec. V. 1. 24.

Alind ſi ſcirem, qui firmare *meam apud vos poſſem* fidem,
Sanctius, quam jusjurandum, id pollicerer tibi.

Idem *firmare promiſſa numine* dixit Ovidius Metam. X. 430. Amplius igitur quid eſt, *firmare fidem*, quam *dare*; hoc enim verbis tantum, illud etiam re fit. Unde & Jupiter *firmare* dicebatur *omina* ſigno quodam coelitus dato. Virg. Aen. II. 691.

5. AUT HIC SURDUS] Sic Plautus Caſin. III. 3. 12.

Metuo, ne non ſit ſurda, *atque haec audiverit.*

Mſſ. quidam prius AUT omittunt.

6. NAM QUOD PEPERISSAT, JUSSIT TOLLI] Alludit ad id, quod dixerat Davus, ſupra I. 3. 14.

Quicquid peperiſſet, decreverunt tollere.

7. ACTUM 'ST] Locutio Comicis frequens, orta a judiciis, ubi, ſi reus ſententia pronunciata eſſet damnatus, *Actum eſt*, dicebat, ilicet. Vid. Briſſon.

9. NA IN MORA ILLI SIS] Nonnulli Mſſ. addunt, QUUM OPUS EST.

11. EX PEREGRINA?] Stomachatur quaſi ob indignum facinus, quod pro cive Attica peregrinam, atque adeo minus notam, minus, ut videbatur, caſtam, in animum induceret filius uxorem habere; etiam cum periculo amittendae civitatis. Infra V. 3. 8. ſeqq. Hugenius junctim videtur legiſſe: *Adeon' eſt demens ex peregrina?* Vide ejus Indicem. Sed & ita edidit Lindenbruchius

Digitized by Google

Vix tandem ſenſi ſtolidus. *Da.* Quid hic ſenſiſſe ait?
Si. Haec primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia;
Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.
Gl. Juno Lucina, fer opem! ſerva me, obſecro!

Si.

D O N A T I.

12. Vix tandem sensi stolidus] Pulchro colore inducto, Poëta oſtendit non minus falli ſuſpicioſum, quam qui ſtultus eſt. huic enim veritas fallacia videtur, dum nimis eſt acutus, ac perſpicax. Et hoc eſt, qnod ab eventu fingit Poëta. non enim in Davo eſt, ſic errare nunc ſenem. Vix tandem sensi stolidus] Quinque ſunt ſenſus, quorum duos, viſum & auditum, magis ſenſibiles habemus, quam pecora. Unde [4] *Cicero, Non ſolum videam, ſed etiam audiam, planeque ſentiam.* quaſi ad tactum retulit, quo etiam pecora impelluntur ad ſenſum. Duabus ergo rebus ſcimus: aut ratiocinatione, aut ſenſu: quibus maxime praeſtamus caeteris animalibus. Ergo ſenex ſe non ſenſu, non ratiocinatione ſenſiſſe, ſed veluti calcaribus & ſtimulis punctum.

13. Haec primum] Satis ſe ſagacem ſenex oſtendit, quando principia ipſa inceptioneſque comprehendit. Haec primum] Bene primum: quaſi ex multis, quas paraverat Davus contra Chremetem.

14. Quo] Qua re.

15. Juno Lucina fer opem: serva me] Juno Lucina Junonis filia, [5] Graece Ε'ιλείθυια. Latine Juno a juvando dicta. *Lucina* ab eo quod in lucem producat. Et gemina vota ſunt, ut & partus, & pariens ſervetur. nam fer opem, propter partum: serva me, propter parientem dicitur. Juno Lucina fer opem: serva me obsecro] Nota, hoc verſu totidem verbis uti omnes puerperas in Comoediis, nec alias induci loqui in proſcenio: nam haec vox poſt Scenam tollitur. Fer opem] Propter quod Lucina eſt. inde *obſtetrix*, quod opem tulerit. Serva me obsecro] Hoc extra etiam hanc poteſtatem Junoni attribuitur: quanquam illam *Menander* Dianam appellet, & hoc ſentiat [6] in Bucolicis *Virg.*

O·B S E R V. I N D O N A T.

4. *Cicero*] Eadem verba ex incerto opere citat Nizolius; nec Fragmentis leguntur inſerta.

5. *Graece* Ε'ιλείθυια.] Hinc Α'ιελείθυια dicitur ἄτοκος γυνή. Erudita hic habet, uti omnia, Lindenbruchius.

6. *Virgil.*] Eclog. IV. 10.
Caſta, fave, Lucina: tuus jam regnat Apollo.

C O M M E N T A R I U S.

bruchius. Perperam, opinor, ſed & contra Donati mentem.

Ah] Dolentis & ſuſpirantis eſt particula, qualis h. l. minus convenit in Simonem. Malim igitur, vah, qua voce admirantes utuntur, & referre ad poſterius *κόμμα*. Ubi enim per indignationem dixiſſet,

Adeon' eſt demens? ex peregrina?

quaſi meditabundus paululum tacet. Mox inventa fraude, ut credebat, laetus inquit,

jam ſcio! vah,
Vix tandem ſenſi, ſtolidus.

Eodem fere affectu Davus infra III. 4. 10.

Nunquam iſtuc quivi ego intelligere. vah, *conſilium callidum,*

12. Vix tandem sensi, stolidus] Quae h. l. in Donato de ſenſibus legnntur, Donato indigna ſunt, & plane *περίεργα*. Pro sensi ass, in quibuſdam Libris eſt, a sensisse ss, in aliis, se sensisse.

13. Adfertur jam mihi ab hoc fallacia] Davum intelligit. qui ita de Simone, ſupra I. 6. 5.

Hic nunc me credit aliquam ſibi fallaciam
Portare.

15. Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro!] Varro Lib. IV. de L. L. *Facta igitur a Luce & juvando Juno Lucina; a quo parientes eam invocant.* Certe eadem precandi formula utitur Pamphila, Adelph. III. 5. 41. Alludit autem ſimul ad cognomen Dianae, quae & *Opifera* dicta eſt. Quod vero Donatus dicit:

Hoc

Si. Hui, tam cito? ridiculum. poſtquam ante oſtium
Me audivit ſtare, adproperat. non ſat commode
Diviſa ſunt temporibus tibi, Dave, haec. *Da.* Mihin'.
Si. Num immemores diſcipuli? *Da.* Ego, quid narres, neſcio.
Si.

DONATI.

16. Hui, tam cito?] Tam cito, ut facilitatem partus oſtendat incredibilem. Tam cito, ad reprehenſionem. Ridiculum] Ad irriſionem. Et inſpice, ridiculum adverbium ſit, an nomen; ut ſit, *vide hominem ridiculum*: ſed adverbium eſt magis.

17. Non sat commode divisa sunt] Confuſa ſunt tibi omnia, inquit: nec unumquodque ſuo tempore geritur: qua re proderis. Non sat] Non ſatis. Divisa sunt] Digeſta & compoſita, & diſtributa. Temporibus] Id eſt, per tempora.

18. Mihin'?] Adhuc Davus non percipit. & bene. quaſi dicat, cum ille loquatur, illae agant.

19. Num immemores discipuli?] Diſcipuli Myſis, Lesbia, & Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene ergo diſcipulos imperitos oſtendit, & magiſtrum Davum. quia ſupra dixit, *Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum.* Num immemores discipuli?] Alii hic

COMMENTARIUS.

Hoc verſu totidem verbis uti omnes puerperas in Comoediis, in eo fallitur. Plaut. Aul. IV. 7. 11.

Juno Lucina, tuam fidem!

Verba ſunt Phaedriae parturientis. Merito autem Plautum Terentiumque vindicant Scaliger & Turnebus in Comoedia palliata Junonem Lucinam invocari facientes a puerperis. Quidni enim ſermone Latino utentes Graecam Deam Ilithyiam exprimerent, quae eadem eſt! Ridet autem Boeclerus eum, qui interrogat, quare Terentius Glycerium faciat ſemel tantum Junonis Lucinae opem implorare, quum Lucinam ter a parientibus vocari ſolitam dicat Horatius Lib. III. Od. 22.

Montium cuſtos nemorumque, virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis; adimiſque letho,
Diva triformis.

Quum vero nihil reſpondeat Boeclerus, videtur omnino credidiſſe, ideo *ter* dici vocatam, quod trifariam vocaretur, ſcilicet nomine *Lunae* in coelo, *Dianae* in terris, *Proſerpinae* apud inferos. Malim *triformem* vocari Divam ob triplicem Lunae φάσιν, corniculatam, dimidiatam & plenam. Tum ternarius numerus in ſacris ſolennis. Quod vero in Mſſ. quibuſdam, & editione anni 1469. aliiſque legitur, intus. Juno Lucina, a Librariis additum videtur τὸ intus, ut ſignificarent haec poſt Scenam geri. Vid. Lindenbr.

16. Ridiculum] Qui hoc loco Donati perſonam gerit, ridicule dubitat, adverbium ſit, an nomen. Quin ridiculum eſt negotium, ſeu res ridicula. Sic infra IV. 2. 19. Planius autem Heaut. II. 3. 112.

Ridiculum *eſt, te iſtuc me admonere.*

17. Audivit] Glycerium ſcilicet, quae ex Myſide & Lesbia intrantibus id audiviſſe poterat.

18. Divisa sunt temporibus tibi] Senſum exponit Donatus. Eleganter imitatus Juſtinus Praefat. *Et quae Hiſtorici Graecorum, prout commodum cuique fuit, inter ſeſe gregatim occuparunt, omiſſis, quae ſine fructu erant, ea omnia Pompejus* diviſa temporibus *& ſerie rerum digeſta compoſuit.* Salluſt. Catil. 43. *Caetera multitudo conjurationis ſuum quiſque negotium exſequeretur, ſed ea* diviſa *hoc modo dicebantur.* Locutio ab ipſa Scena tranſlata, ubi omnia actibus, partibus, temporibus diviſa, id eſt, diſtributa dicebantur. Horat. Carm. I. 36. 6.

Nulli plura tamen dividit *oſcula.*

Senec. Troad. 957.

Laſſabar in tot oſcula, in totum gregem
Dividere *matrem.*

19. Num immemores discipuli?] Jam Donati aetate lectum etiam, Num immemor es discipuli! quomodo eſt in Mſ. Mark. & duobus Leidenſibus, edit. 1469. aliiſque. Cujus lectionis hic ſenſus eſt: Tu, qui haec ita diviſiſti temporibus, videris immemor eſſe diſcipuli. Quin igitur curriculo percurris, ut ſignifices Pamphilo, Glycerium parturire, & jam naſciturum, quod juſſerit tolli? Praeſtat vero lectio altera, quam exhibuimus. Ubi enim dixiſſet Simo:

Si. Hiccine me ſi imparatum in veris nuptiis
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet!
Nunc hujus periclo fit. Ego in portu navigo. [8]

DONATI.

hic Pamphilum ſignificari putant diſcipulum: quia Davus magiſter. Nam [7] nomina ad aliquid ſunt, diſcipulus & magiſter. Et tunc DISCIPULI, genitivus eſt ſingularis caſus. Alii nominativi pluralis putant: ut diſcipulos dixerit, omnes per quos agitur fallacia, ſecundum illud: *Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum.* NUM IMMEMORES DISCIPULI?] Deeſt, *nunc.* Et bene DISCIPULI: quia ipſum magiſtrum ſupra fecit. EGO, QUID NARRES, NESCIO] Quaſi fabulam. EGO, QUID NARRES, NESCIO] Semper ita reſpondet Davus ſeni, tanquam non intelligat, quid loquatur.

20. HICCINE ME SI IMPARATUM] Redit ad illam ſententiam, *Simul ſceleratus Davus, ſi quid conſilii habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli.*

21. ADORTUS ESSET] ADORTUS dicitur, qui ex inſidiis repente invadit. dictum ab eo, quod corpora aggredientium exſurgant ſubito atque increſcant. ADORTUS] Aggreſſus. [8] Omnia haec ex tranſlatione maris dicta ſunt *μεταφορικῶς.*

OBSERV. IN DONAT.

7. *Nomina ad aliquid*] Intelligit Relata & Correlata Logicorum.

8. *Omnia haec*] Corrupta lectio & mutila. Excidit ſcilicet nota Donati ad illa: EGO IN PORTU NAVIGO. Cujus Notae haec lacinia eſt.

COMMENTARIUS.

non ſat commode
Diviſa *ſunt temporibus tibi, Dave, haec,*

Et Davus quaſi omnem culpam a ſe remoturus reſponderet, *mihine?* Simo rurſus, certo credens, omnia haec orta eſſe a Davo, quod & infra dicit III. 2. 9. rogat ſervum,

Num immemores diſcipuli?

q. d. ſi non incommode tibi iſta ſunt temporibus diviſa, atque adeo nulla in te culpa haeret, an ergo diſcipuli tui immemores ſunt praeceptorum tuorum? De iiſdem diſcipulis intelligenda illa, quae paullo ante idem dixerat Simo:

Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.

In his porro diſcipulis familiam ducebat Pamphilus, cujus *magiſtrum improbum* dixerat Simo Davum, ſupra I. 2. 21. Sunt autem Mſſ. atque in illis Traject. ubi citra interrogationem legitur, NON IMMEMOR ES DISCIPULI. quomodo & quaedam editiones vetuſtae expreſſerunt, in quibus eſt Juntina. Sed & Eugraphius ita legebat.

21. QUOS MIHI LUDOS REDDERET!] Eun. V. 7. 9.

Non poteſt ſatis narrari, quos ludos praebueris *intus.*

Phorm. V. 7. 52.

Ut ludos facit!

Senſus igitur verborum Simonis eſt, Feciſſet, ut omnibus ſpectaculo eſſem & ludibrio. Quod varie expreſſit Plautus. Moſtell II. 1. 80.

Ludos *ego hodie vivo praeſenti hic* ſeni
Faciam, *quod credo mortuo nunquam fore.*

Mercat. II. 1. 1.

Miris modis Di ludos faciunt hominibus.

Aulul. II. 2. 74.

Video, hercle, ego, te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem *ſenecta aetate* ludos facias.

Bacchid. V. 1. 4.

Perii! pudet hoccine me *aetatis* ludum *bis* factum *indigne.*

Dixit igitur REDDERET pro, faceret. uſitate. Quo minus placet emendatio Guyeti, legentis, EDERET.

22. EGO IN PORTU NAVIGO] Expreſſum e Graeco, *ἐν λιμένι πλεῖν.* Quo notatur ſumma ſecuritas. Eadem metaphora dicitur quis eſſe in vado, in tranquillo. Sic infra V. 2. 4. Eun. V. 9. 8. Sed & *γῆν ὁρᾶν*, Terram videre, fere eodem ſenſu dicebant. Conſule Eraſm. in Adag.

ACTUS

ACTUS TERTII

SCENA SECUNDA.

Lesbia. Simo. Davus.

Le. ADhuc, Archilis, quae adſolent, quaeque oportet
Signa eſſe ad ſalutem, omnia huic eſſe video.
Nunc primum fac, iſthaec ut lavet: poſt deinde,

Quod

DONATI.

ADhuc archilis] *In hac Scena ſpecta, quam ſcite expreſſa ſit conſuetudo medici, vel medicae egredientis ex aegri domo. Nam veniens, de negotiis ejus loquitur: abiens, de morbo. & haec ſunt praeter* οἰκονομίαν, *quae dicuntur* εὑρήματα.

1. Adhuc, Archilis] Sic veteres ſcribebant adhuc, quando incerti futurarum rerum, ex praeſentibus [1] firme nuntiabant: quod eſt genus certiſſimae promiſſionis & cautae. Adhuc, Archilis, quae adsolent, quaeque oportet] Medicina aut in ratione, aut in conſuetudine, aut in exemplis. Adsolent ergo, conſuetudinis eſt: oportet, rationis.

2. Signa esse ad salutem] Deeſt haerentia aut pertinentia. Sic in Heautontimor.

Atque haec ſunt ad virtutem omnia.

Ergo abſolute dixit, ut deſit aliquid tale. unde & nos dicimus, *Quid ad rem?* vel, *Quid ad me?*

3. Nunc primum fac, isthaec ut lavet] Imperitiae notantes *Menandrum*, aut *Terentium*, ipſi ultro imperiti inveniuntur: nam λούσατε αὐτὴν dicens, a conſuetudine non receſſit. cum laviſſe, aut non laviſſe dicimus, a parte totum ſignificantes. Et *Terentius* propius ad ſignificationem acceſſit, isthaec dicendo, ne pudenda nominaret. Et ſunt qui adhuc Archilis correptionem eſſe nimium ſollicitae nutricis putent: quod ego non probo. Fac isthaec ut lavet] Isthaec quae ex puerperio ſordebant. Quidam isthaec, ipſam puerperam dicunt. ſic enim & *Menander*, λούσατε αὐτὴν [2] τάχιστα. ſed imperitiae accuſantur, quod non continuo ſolent poſt puerperium lavare, ſed diebus omiſſis.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Firme nunciabant*] Mſ. Lindenbr. *firme intimabant.* Mſ. Hulſt. *firma intimabant.* Fortaſſe, *futura nunciabant.*

2. Τάχιστα] Ita legebat Iſ. Caſaubonus. Alii ὕδατα. In Mſſ. erat utisa.

COMMENTARIUS.

1. Adhuc, Archilis] Appoſita ſunt, quae de obſtetricum opera medica ex Ulpiano & Polluce laudat Boeclerus; quem vide.

Oportet] Sunt qui ἀρχαϊκῶς oportent legunt. Sic Heaut. III. 2. 25.

haec facta ab illo oportebant.

3. Nunc primum fac, isthaec ut lavet] Menandri locum Donato citatum laudat etiam Stobaeus Flor. Tit. LXIV. Alludit Soſia ſervus, apud Plautum, Amph. II. 2. 37.

ad aquam praebendam commodum adveni domum,

Decumo poſt menſe.

Et V. 1. 50.

Poſtquam peperit pueros, lavere *juſſit nos. occepimus.*

Sed puer ille, quem ego lavi, *ut magnus, & multum valet!*

malim, *ut magnus eſt! ut multum valet!* mihi vero isthaec nec Glycerium eſt, nec ea, quae

ex

Quod juſſi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date. mox ego huc revertor.

Per

DONATI.

4. QUOD JUSSI EI DARE BIBERE, ET QUANTUM IMPERAVI, DATE] Conſuetudine magis, quam ratione dixit, pro, *Date ei potionem. Lucilius in Sexto:* [3] *Date bibere ſummo.* Nam duo verba activa, nullam habent ſignificationem ſine nomine, aut pronomine: ut ſi dicas, *Dic facere.* QUOD JUSSI EI DARE BIBERE, ET QUANTUM IMPERAVI, DATE] Et qualitatem, & modum rei dixit.

5. MOX EGO HUC] Vide ut auctoritatem & jactantiam medicorum imitetur, dicendo, QUOD JUSSI. & non ſufficiebat: ſed etiam, IMPERAVI dixit. ſimul, haec quae ſolent medici promittere frequenter, MOX EGO HUC REVERTOR.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Date bibere ſummo*] Lindenbruchius malebat: *Date bibere e ſummo.* Douza ad Lucil. V. 21. *Date bibere ab ſummo.*

COMMENTARIUS.

ex puerperio ſordebant, quod exiſtimat Farnabius. Ita enim LAVENT dicendum fuerat, i. e. laventur. Neque pudenda intelligenda cum Donato, ob eaudem rationem. Quid igitur? Simpliciſſima mihi explicandi ratio videtur, voluiſſe Lesbiam ex aedibus egredientem, ut vel Myſis, vel quaevis alia ancillarum puerum recens natum lavaret. Certe quidem ſimile quid de Hercule & Herculis fratre narrat Bromia ancilla apud Plautum loc. cit. Si LAVETUR legas, quod eſt in quibuſdam Libris, ISTHAEC intelligenda erit Glycerium. vid. Eugraph.

POST DEINDE] Junxit has particulas etiam Cicero, Att. II. 23. & ex XII. Tabb. citat Boſius: *poſt deinde manus injectio eſto.*

4. DARE BIBERE] Alii, DARI. fortaſſe emendatius DATE. cujus repetitio emphatica eſt. Legitur autem DATE in Mſſ. nonnullis & edit. Venet. 1490. Juntina poſterius DATE non agnoſcit. Plaut. Perſ. V. 2. 40.

Age, circumfer mulſum: bibere da *uſque plenis cantharis.*

Graeciſſat locutio. Anacreon Od. XXI.

Δότε μοι, δότ', ὦ γυναῖκες,
Βρομίου πιεῖν ἀμυστί.

Evang. Luc. VIII. 55. *Διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν.*

IMPERAVI] Imitatur Medicos, ſcilicet, quorum eſt *imperare, jubere, praecipere.* Gall. *ordonner.* Pollux Lib. IV. *Διδόασι φαρμάκια ὡς μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις, ὁ Πλάτων λέγει.* Seneca de Ira Lib I. cap. 16. *Si intraſſem valetudinarium exercitatus & ſciens, non idem* imperaſſem *omnibus per diverſa aegrotantibus.* Martial. II. 40. 7.

Omnes Tongilium medici juſſere *lavari.*

Ovid. Heroid. XX. 133.

Me miſerum! quod non medicorum juſſa *miniſtro,*
Effingoque manus, inſideoque toro.

Praecipiendi vox Celſo familiaris. Idem Graecis eſt *προστάττειν.* Operae autem pretium videtur diſquirere, an & ipſi aegroti dicantur *imperare* Medicis. Videtur id confici ex Digeſt. Lib. XXXVIII. Tit. I. l. 26. de Libertis Medicis. Verba Legis: *Medicus Libertus, quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures* imperantes ſibi *habiturum, poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent.* Quae quanquam eſt lectio Florentina, mallet tamen Holoander pro *imperantes ſibi*, h. e. aegrotos, legere, *implorantes ſe.* Ampliſſimus vero Bynkershoekius Obſerv. Lib. III. cap. 7. *Eſt & aliud in verbis* d. l. 26. *quae repraeſentavi* (repraeſentavit autem lectionem Florentinam, *imperantes ſibi*) *quod male habet Interpretes, ſed cur male haberet, ratio non fuit.* Alter locus eſt apud Senecam de Benef. VI. 16. *Itaque medico, Si nihil amplius, quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine ullo affectu facienda vitandave* praecipiens, *nihil amplius debeo; quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam* imperatorem. Ubi tamen Muretus legit: *Quia me non tanquam amicus vidit, ſed tanquam* imperator. Quam lectionem non improbat Lipſius; qui ita ad locum Senecae: *Et ſane pro Seneca fortaſſe magis haec lectio,* (Mureti ſcilicet) *ut ad ipſum Medicum referatur volentem & amicum, quae pars prima in beneficio. Nam ita paulo ante:* Ex medico & praeceptore in amicum tranſeunt. *& infra:*

Per ecaſtor ſcitus puer eſt natus Pamphilo.
Deos quaeſo, ut ſit ſuperſtes, quandoquidem ipſe eſt ingenio bono.
Cumque huic veritus eſt optumae adoleſcenti facere injuriam.

Si.

DONATI.

6. PER ECASTOR SCITUS PUER NATUS EST PAMPHILO] Per Caſtorem & Pollucem ornativa ſunt jurandi, apta foeminis. SCITUS] Elegans, pulcher. quem Graeci κόσμιον dicunt. Quod enim quis ſcit, hoe ſcitum & pulchrum. Et eſt διαίρεσις. nam ordo eſt, PERSCITUS ECASTOR. ut in Hecyra: *Per pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores.* ut ſit, *per quam paucos.* Et, NATUS EST PAMPHILO. ut [4] Virgilius:

—— Quem Dardanio Anchiſae
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam.

SCITUS PUER] Satis obſtetrici eſt, adhuc incertum aevi, &, ut ita dicam, [5] a matre ſanguinolentum, non pulchrum (quod ipſum nimium videretur cito) dicere, ſed *ſcitum* pronuntiat. Ideo ſubblanditur, ut operae pretium majus accipiat.

7. DEOS QUAESO UT SIT SUPERSTES] SUPERSTES nunc ſalvus. alias *ſuperſtites* ſunt ſenes & anus: quia aetate multis ſuperſtites, jam delirant. Unde & *ſuperſtitioſi*, qui Deos timent nimis. quod ſignum eſt deliramenti. QUANDOQUIDEM IPSE EST] *Quando* & *Cum* interdum ſunt conjunctiones cauſales. et *quando* pro quoniam, & pro quis intelligimus. QUANDOQUIDEM IPSE] Tranſit a puero ad ipſum Pamphilum.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius*] Aeneid. I. 617.

5. *A matre ſanguinolentum*] Conſule Lindenbruchium ad h. l.

COMMENTARIUS.

ſra: Non tanquam medico, ſed amico, obligatus ſum. Haec Lipſius. Uti autem nec Legis verba, nec adeo Senecae ſollicito, ita proprie aegrotos ingenuos ſervis medicis *imperaſſe* dictos crediderim, non etiam aliis. Atque eo retulerim Varronis illa Lib. I. de Re Ruſt. *Coloni habent anniverſarios vicinos, quibus* imperent, medicos, *fullones, fabros.* Ubi Lipſius: *Qui ad nutum ſint praeſto, ob annuum illud ſalarium.* Quod vero Horatius ait Lib. II. Sat. 3. 30.

Ut lethargicus hic quum fit pugil, & medicum urget,

Ad plagas retulerim lethargici, & quaſi pugilatum, non ad imperium aegrotantis. Anſam diſquirendi praebuit Eruditiſſimus Abr. Wielingius, Muſis in primis amicus.

5. REVORTOR] Ita quidam Mſſ. & editi, quod haud ſcio, an elegantius, quam vulgatum REVERTAR. Sic infra III. 4. 15.

Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque renuntio.

7. UT SIT SUPERSTES] Pamphilo ſcilicet. Sic Heaut. V. 4. 7. Et Plaut. Aſin. I. 1. 1.

Sicut tuum vis unicum gnatum tuae
Supereſſe vitae, ſoſpitem & ſuperſtitem.

Sic Penelope ad Ulyſſem de Telemacho puero, Ovid. Heroid. I. 101.

Di precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Martial. VII. 95. 7.

Sic ad Lethaeas, niſi Neſtore ſerior, undas
Non eat, optabis quem ſupereſſe *tibi.*

Utitur vero Lesbia uſitata formula bene precandi recens natis. Conſule Virum Cl. Everardum Ottonem de Vita Papiniani, Cap. XVI. §. 10. Contrarium refert Suetonius, Tib. 62. *Felicem Priamum vocabat, quod* ſuperſtes *omnium ſuorum extitiſſet.* Impium autem erat patri longiorem filio vitam precari.

8. INJURIAM] Stuprum ipſum *injuriam* vocant. Gr. ὕβριν. Plaut. Ciſtell. I. 3. 32.

Illa illi, dicit, ejus ſe ex injuria
Peperiſſe gnatam.

Aulul. IV. 10. 64.

Ego me injuriam *feciſſe filiae fateor tuae,*
Cereris vigiliis, per vinum, atque impulſu adoleſcentiae.

Quum vero hoc ſenſu Pamphilus revera *injuriam* feciſſet Glycerio, patet, Lesbiae INJURIAM FACERE eſſe, violatam deſerere.

Si. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum?
Da. Quidnam id eſt?
Si. Non imperabat coram, quid opus facto eſſet, puerperae:
Sed poſtquam egreſſa eſt, illis quae ſunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi

DONATI.

9. VEL HOC QUIS NON CREDAT?] *Εἰρωνεία* eſt. VEL, modo eſt disjunctiva conjunctio, ſed pro *etiam* poſita. ut apud [6] *Virgilium:*

Vel Priamo miſeranda manus.

Et, [7] *Carmina vel coelo poſſunt deducere lunam.* Et bene, VEL HOC: ſubaudias, exceptis illis quae reprehendit ſupra. ABS TE ESSE NATUM] Et ORTUM legitur, ut ſit, inſtructum, commentum, & compoſitum.

10. NON IMPERABAT CORAM] CORAM, ad certas perſonas refertur: *Palam* ad omnes. QUID OPUS FACTO ESSET, PUERPERAE] [8] *Eſſet* imperſonative dicitur. *Opus facto eſſet.* PUERPERAE] Dativus caſus eſt, ut ſit, *ipſi puerperae coram non imperabat, quid facto opus eſſet.* Sic enim dicimus, *Quid vis tibi faciam?* PUERPERAE] Omnis quae pepetit, *puerpera: πρωτοτόκος*, quae primum. Et non quod puerum, ſed quod filium peperit, PUERPERA dicta eſt. Et apud veteres *puer puellus, puera puella.*

11. ILLIS QUAE SUNT INTUS] Argumentum ex eo, quod non factum eſt, [9] cum fieri potuerit: & ex eo, quod factum eſt, cum fieri non oportuerit. CLAMAT DE VIA] Mire CLAMAT, quaſi dicat, maluit clamare, quam ſine labore intus imperare.

12. ITANE CONTEMNOR ABS TE?] Hoc eſt, uſque adeone contemnor? valde contemnor? *Temnor* autem, Graecum eſt, id eſt, *caedor* & *rejicior*, *παρὰ τὸ τέμνομαι*. nam veteres *temno* dicebant ſine praepoſitione. ITANE TANDEM IDONEUS] Indignatio eſt ad aeſtimationem revocantis ejus dicta vel facta, à quo contemnitur quis. IDONEUS] Aptus & ei rei natus.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virgilium*] Aeneid. XI. 259.
7. *Carmina*] Eclog. VIII. 69.
8. ESSET imperſonative dicitur] Corrupta lectio, nec Rob. Stephano animadverſa. Lege, OPUS FACTO ESSET. *Imperſonaliter dicitur.* MOX *ἀπὸ κοινοῦ*, PUERPERAE. *dativus caſus eſt.*
9. *Cum fieri potuit*] MS. Lind. *Cum fieri oportuerit.*

COMMENTARIUS.

9. VEL HOC QUIS NON CREDAT, QUI NORIT TE, ABS TE ESSE ORTUM?] Utut alii haec verba capiant, mihi ſynchyſis eſſe videtur verborum, in quibus eſt haec conſtructionis ratio: *Quis non credat, qui vel norit te, hoc abs te eſſe ortum?* Quo ſenſu manifeſtius in Davum conjicitur culpa, tanquam a quo uno id exſpectari poſſit. Unde Simo ſupra I. 1. 132.

Simul ſceleratus Davus, ſi quid conſilii
Habet, ut conſumat nunc.

Et verſu 137. de eodem:

Mala mens, malus animus.

Et mox infra verſu 21.

nam qui iſthaec tibi incidit ſuſpicio?
SI. *Qui?* Quia te noram. So. *Quaſi tu dicas, factum id conſilio meo.*

12. ITANE TANDEM IDONEUS TIBI VIDEOR, QUEM TAM APERTA FALLERE INCIPIAS DOLIS?] Duo notanda ad haec verba. Primum, τὸ IDONEUS in ſimili locutione pro *digno* poni. Sic infra IV. 4. 18.

Adeon' videmur vobis eſſe idonei,
In quibus ſic illudatis?

Plaut. Aulul. II. 2. 74.

Video hercle ego, te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem ſenecta aetate ludos facias, haud merito meo.

Tum, *incipiendi* verbum eleganter *πλεονάζειν.* Sic infra V. 1. 2.

Satis pericli coepi *adire.*

Et Eun. II. 2. 30. Plaut. Trin. IV. 2. 42.

Magnum facinus incipiſſis *petere.*

Phaed. I. 2. 25. *Corripere* coepit *ſingulas.*

Et

Tibi videor eſſe, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar. certe ſi reſciverim!
Da. Certe hercle nunc hic ſe ipſus fallit, haud ego. *Si.* Edixin' tibi?
Interminatus ſum, ne faceres? num veritus? quid rettulit?
Cre-

DONATI.

13. APERTE FALLERE] Δύο δι' ἑνὸς, & FALLERE, & APERTE.

14. SALTEM ACCURATE] Mire SALTEM: quod ponitur in deſperatione rerum. primo enim fuerat hortatus Davum, ut non conaretur fallere. SALTEM ACCURATE] Ζεῦγμα a ſuperiore, *fallere incipias.* aut certe σύλληψις *fallere incipias.* CERTE SI RESCIVERIM] Et utrum pro cum reſciverim: an quia ſtultum me putas?

15. CERTE HERCLE NUNC HIC SE] Hoc ita dicitur, ut audiat ſpectator, non ut Simo. EDIXIN' TIBI?] Hic illud reddit,

Edico tibi ne temere facias.

16. INTERMINATUS SUM] Pro, minatus ſum. [10] *Plautus in Aulularia.*

--- praeterea tibicinam,
Quae mihi interbibere ſola, ſi vino ſcateat,
Corinthienſem fontem, [11] & Pyrenaeum poteſt.

NUM VERITUS] [12] *Veretur* liber, *metuit* ſervus. Et deeſt *es*: apta ellipſis iraſcenti. Alibi, *Non ſimultatem meam revereri?* QUID RETULIT?] RETULIT, profuit, vel interfuit: & producit RE ſyllabam. Et eſt ſenſus; Sic contempſiſti, quaſi tibi non comminatus ſim.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Aulularia*] III. 6. 22.
11. *Et Pyrenaeum*] Lege, *Pirenen*; deleto *&*.
12. *Veretur liber, metuit ſervus*] Quin uterque & vereri & metuere dicitur paſſim.

COMMENTARIUS.

Et I. 3. 20.

Redire moerens coepit *ad proprium genus.*

Ita in Evang. Lucaè III. 8. Καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς.

14. SALTEM ACCURATE, UT METUI VIDEAR. CERTE SI RESCIVERIM!] Qui τὸ ACCURATE πεφυλαγμένως interpretantur, hunc verborum ſenſum ſtatuunt: ſaltem non ita aperte, ſed caute me fefelliſſe debebas, ut certe viderer a te metui, ſi forte reſciverim tuos dolos. ἐμφατικώτερον autem videtur, ſi Simo utrique, & Davo & Pamphilo quaſi ſimul interminatus dicat, ACCURATE, h. e. operam date, UT METUI VIDEAR, nec aperte ſine metu & reverentia falli. Quod ubi elocutus eſſet, per ἀποσιώπησιν addit, CERTE SI RESCIVERIM? ſub. mihi verba per vos dari. Firmant hanc explicationem, quae Simo infra V. 2. 25. ubi quadrupedem conſtringi Davum juſſiſſet, quod reſciviſſe ſe dolos credebat, de ſervo & filio pronunciat cum ſtomacho:

Age nunc jam, ego pol hodie, ſi vivo, tibi
Oſtendam, herum quid ſit pericli fallere, &
Illi patrem.

Nec obſtat, quod ACCURATE dicat uni Davo; eidem enim & infra III. 4. 6. idem Simo:

Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam.

Ubi itidem aberat Pamphilus. *Accurare* vero eſt etiam atque etiam curare, ſeu diligentem curam adhibere. Hec. V. 1. 12.

Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, accuro.

15. NUNC HIC SE IPSUS FALLIT] Mſ. Bodl. & edit. 1469. NUNC IPSUS SE FALLIT, omiſſo HIC.

EDIXIN' TIBI?] Herorum interminantium vox. Plaut. Mil. II. 2. 4.

nunc adeo edico *omnibus,*
Quemque a milite hoc videritis hominem in noſtris tegulis,
Extra unum Palaeſtrionem, huc deturbatote in viam.

Pſeud. I. 2. 39.

Auditin'? vobis, mulieres, hanc habeo edicti*onem*

Sunt autem *Edicta* & *Edictiones* proprie magiſtratuum, eſtque *Edicere* palam imperare & ſignificare. Unde *Edictum* Praetoris celeberrimum in Jure Civili.

16. QUID RETTULIT?] Quid juvit? quid profuit? Phorm. IV. 3. 41. Et Plaut. Epid. I. 2. 39.

 quid

Credon' tibi hoc, nunc peperiſſe hanc e Pamphilo?
Da. Teneo, quid erret: & quid agam, habeo. *Si.* Quid taces?
Da. Quid credas? quaſi non tibi renuntiata ſint haec, ſic fore.
Si. Mihin' quiſquam? *Da.* Eho! an tute intellexti hoc aſſimulari? *Si.* Irrideor?
Da. Renuntiatum eſt. nam qui iſthaec tibi incidit ſuſpicio?
Si. Qui? quia te noram. *Da.* Quaſi tu dicas, factum id conſilio meo.

Si.

DONATI.

18. Teneo, quid erret] Hoc dixit, non ut Simo, ſed ut ſpectator audiat. hoc denique ſenex probat, dicens Davo, Quid taces?

Et quid ego agam, habeo] Et quid reſpondeam, ſcio.

19. Quid credas?] Propter quid, aut propter quam rem, aut quo modo? Quid credas?] Repetit verbum ejus quod ait? Credon'. quare adjuvandum pronuntiatione eſt. Quasi non tibi renuntiata] Nuntiata. Compoſitum pro ſimplici.

20. Mihin' quisquam?] Favet ſibi ſenex in eo, quod ſe vult perſpicaciorem videri. Eho! an tute] Eho modo interjectio eſt admirantis, alias ad ſe vocantis, *Ehodum ad me.*

21. Nam qui] Qui, unde.

22. Quasi tu dicas] Dicas, pro credas. non enim dicimus, niſi quod credimus: ab eo quod ſequitur, id quod praecedit: figura *μετάληψις*, a poſterioribus ad priora. [13] Idem alibi, *Audacter dicito.* Et alibi, *Foeneratum iſtud beneficium pulchre tibi dices.* Id eſt, credes, ſcies, ſenties.

23. Etiam qualis] Etiam pro adhuc. ut [14] *Virgilius,*

Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Idem alibi*] Haec fruſtra in Terentio quaeras. Nec de Comoedia deperdita fas eſt ſuſpicari. An ante haec verba exciderunt nomen & ſententia alterius auctoris? Neque id ſatis audacter dixerim: quae enim continuo ſequuntur, Terentiana ſunt. Vide Phorm. III. 2. 8.

14. *Virgilius*] Aeneid. VI. 485.

COMMENTARIUS.

quid rettulit,
Mihi tantopere te mandare?

Eunc. IV. 3. 23.

quid refert, *me feciſſe regibus,*
Ut mihi obedirent? ſi hic me hodie umbraticus deriſerit?

18. Teneo, quid erret: et, quid agam, habeo] Ad haec ita Eugraphius: *Intellexit Davus, mulierum conſilium hoc ſenem ſuſpicari; quod illae ad terrendas* (an turbandas?) *nuptias videantur iſta ſimulare. idcirco vult commodare conſenſum, quo domino ſuo error augeatur.*

20. Irrideor?] Cum interrogatione videtur dictum, ut dubitantis potius ſit, quam affirmantis. Unde exclamandi ſignum ſuſtuli. Sic ſupra I. 2. 33. Idem Simo eidem Davo:

irrides? *nihil me fallis.*

21. Suspicio] Alii legunt, suspectio.

22. Quia te noram] Reſpicit ea, quae de Davo dixerat Soſiae, ſupra I. 1. 132. ſeqq.

23. Non satis me pernosti etiam, qualis sim] Facete haec dicta. quum enim Simonem de fide ſua vellet intelligere, ſpectatores non poterant non de verſutia accipere. Sic mox infra III. 4. 7.

tandem cognoſti, *qui ſiem?*

24.

Si. Certe enim ſcio. *Da*. Non ſatis me pernoſti etiam, qualis
ſim, Simo.
Si. Egone te? *Da*. Sed ſi quid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba cenſes. *Si*. Falſo. *Da*. Itaque hercle nihil jam mutire audeo.
Si. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic. *Da*. Intellexti.
Sed nihilo ſecius mox deferent puerum huc ante oſtium:
Id ego jam nunc tibi renuntio, Here, futurum, ut ſis ſciens.
Ne tu hoc mihi poſterius dicas, Davi factum conſilio, aut dolis.
Pror-

DONATI.

24. Egone te?] Duobus illis pronominibus oſtendit ſe ſenex ſcire omnia. Sed si quid narrare occepi.] Occepi melius, quam *incepi*. dicitur ab occipio: eſt enim occepi, quaſi caput rei inſtitui.

25. Falso.] Poteſt & *εἰρωνικῶς* falso pronuntiari: poteſt & *falſo loqueris* dici, ut [15] *Salluſtius*, *Falſo queritur de natura ſua humanum genus*. Et vocalitatis cauſa ſic dixit, ut *ſedulo*, *optato*, *certo*: quaſi ſedule, optate, certe. Nihil jam mutire audeo.] Ennius, [16] *Nec dico*, *nec facio*. unde & *mutos* dicimus. Quod Graeci *φθέγγεσθαι*.

26. Neminem peperisse hic.] Neminem dicendo, majorem confirmationem fecit, non ſolum Glycerium non peperiſſe, ſed etiam neminem. Et hic dicendo, oſtendit domum. Et eſt neminem, nullum hominem. Et nota in fœminino genere etiam neminem poſitum.

27. Mox deferent puerum.] Quaſi dicat, *nobis*.

28. Id ego jam nunc tibi renuntio.] Fingit ſe prodere, quod ipſe facturus eſt: ut non credat ſenex ab eo fieri, quod praedixerit fore. Id ego jam nunc tibi renuntio, here, futurum.] Re ſyllaba, apud veteres interdum abundat: ut modo renuntio, pro nuntio. Et *Cicero*, *Renuntiatur mihi*. Renuntio.] Quaſi ſecretum conſilium: ut ſupra, *Renuntiatum eſt*.

29. Davi factum consilio, aut dolis.] Commodius, & magis cum invidia dixit, Davi, quam ſi *meo* dixiſſet: ut [17] *Virgilius*: cum Turnus incuſaretur, dixit. *Nulla mora in Turno*.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Salluſtius*.] B. Jug. 1.

16. *Nec dico, nec facio*.] Lindenbruchius ex conjectura: *Nec dico, nec facio mu. Unde & mutire dicimus*. Quomodo ſi Ennii verba legantur, videtur hemiſtichium eſſe. Si aliter legas, *ἀπροσδιόνυσα* ſunt.

17. *Virgilius*.] Aeneid. XII. 11.

COMMENTARIUS.

24. Sed si quid narrare occoepi.] Mſ. Bodl. Sed quid tibi narrare coepi.

25. Nihil jam mutire audeo.] Phaedr. IV. 25. 34. ex Ennio:

Palam mutire *plebejo periculum eſt*.

Plaut. Amph. I. 1. 225.

Me. *Etiam* mutis? So. *Jam tacebo*.

Eſt vero *μῦ* ſonus canum antequam latrent, uti *γρῦ* porcorum. Hinc *mutire* eſt vel minimam vocem mittere, quod Germanis eſt *muchſen*.

26. Intellexti.] Sine interrogatione expreſſi, contra ac ſit vulgo. Senſus autem eſt, Rem tenes. Vide porro ad verſ. 33.

29. Ne tu hoc mihi posterius dicas.] Tò mihi non ad Davum referendum, ſed elegantiae inſervit. Sic Phorm. V. 8. 21.

Qui mihi, *ubi ad uxores ventum 'ſt, tum fiunt ſenes*.

Cicero Catil. II. 5. *Qui* mihi *accubantes in conviviis*. Georg. Fabricius delet τὸ dicas, ob metrum, & ut rotundior ſit & ornatior ſententia.

Prorſus a me opinionem hanc tuam eſſe ego amotam volo.
Si. Unde id ſcis? *Da.* Audivi, & credo. multa concurrunt ſimul,
Qui conjecturam hanc nunc facio. jam primum haec ſe e Pamphilo
Gravidam dixit eſſe: inventum 'ſt falſum. nunc, poſtquam videt
Nuptias domi apparari, miſſa eſt ancilla ilico
Obſtetricem arceſſitum ad eam, & puerum ut adferret ſimul.
Hoc

DONATI.

30. PRORSUS A ME.] PRORSUS, qnaſi porro verſus: quod Graeci μακρὰν dicunt. PRORSUS A ME.] Quidam PRORSUS, pro quare poſitum pntant. Ego pro eo quod eſt omnino. Sunt qui conjunctionem velint eſſe: OPINIONEM HANC TUAM.] HANC TUAM, cum taedio dixit, hoc eſt, nimis moleſtam, nimis ſuſpicacem, nimis accuſatricem. Sic dixit HANC TUAM, [18] ut *ille* de apibus, *Vere ſuo*. Et, [19] *Solemque ſuum, ſua ſidera norunt*. Et in Adelphis, *Jam vero omitte, Demea, tuam iſtam iracundiam.*

31. AUDIVI, ET CREDO.] Locus communis, an famae credendum ſit. Et bene ſubjunxit, CREDO, non enim audiſſe, ſtatim credere eſt. MULTA CONCURRUNT SIMUL.] Reſtat enim, ut multis concurrentibus ſignis, una conjectura conſletur.

32. JAM PRIMUM HAEC SE E PAMPHILO GRAVIDAM DIXIT ESSE: INVENTUM 'ST FALSUM.] Secundum quod credit ſenex. Et a ſummo ad imum, & ex factis, & ex dictis, & ex rebus atque perſonis ſumit argumenta.

33. POSTQUAM VIDET NUPTIAS DOMI APPARARI.] Eleganter omiſit, in cujus domo.

34. MISSA EST ANCILLA ILICO.] Quod Graeci dicunt αὐτόθεν ἐπέμφθη. Nam loci ſignificatio eſt, etiam brevitatem temporis notans.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Ut ille.*] Virgilius Georg. IV. 22.

19. *Solemque ſuum.*] Virgilius Aeneid. VI. 641.

COMMENTARIUS.

30. PRORSUS A ME OPINIONEM HANC TUAM ESSE EGO AMOTAM VOLO.] Ovid. Metam. XII. 626.

A ſe Tantalides onus invidiamque removit.

Dixit autem TUAM, h. e. tibi propriam & quaſi innatam. Adelph. IV. 7. 24. Et Plaut. Curc. IV. 4. 23.

Ut ego tua *magnifica verba, atque iſtas* tuas *magnas minas*
Non pluris facio, quam ancillam meam, quae latrinam lavat.

Ovid. Heroid. XVII. 252.

A verbis facies diſſidet iſta ſuis.

Ad quem locum vide quae collegit ex eodem Poëta Nic. Heinſius. Abeſt EGO in Junt.

31. MULTA CONCURRUNT SIMUL.] Haec Simoni tribuit Mſ. Bodl. cum editis quibuſdam. Sic Heaut. II. 2. 3. Adelph. IV. 4. 17. Cic. Fam. VII. 33. *Quamquam venies, ut ipſe intelligis, in maximorum quaſi* concurſum *occupationum.*

33. INVENTUM 'ST FALSUM.] Guyetus, & eum ſequutus Boeclerus putant, haec ex opinione Simonis dici, & Davum uti ejus errore. Cauſam nullam video, quare id ſtatuatur potius, quam, Davum non auſum verum fateri, in hunc errorem induxiſſe Simonem, ſatis credentem, gravidam ex Pamphilo eſſe Glycerium. Id certe confirmant ejus verba, ſupra I. 1. 108.

ut conſuetum facile ejus amorem cerneres.

Et III. 1. 11.

Adeon' eſt demens? ex peregrina?

Gravidam igitur eſſe, facile credebat, ſed jam peperiſſe Glycerium, id non credebat Simo. Atque adeo videtur Davus opinionem non tantum de partu nullo confirmare, ſed & de gravida Glycerio tollere voluiſſe ex animo ſenis. Idque agit ſervus infra IV. 4.

34.

Hoc niſi fit, puerum ut tu videas, nihil moventur nuptiae.

Si. Quid ais! cum intellexeras

Id conſilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?

Da. Quis igitur eum ab illa abſtraxit, niſi ego? nam omnes nos quidem

Scimus, quam miſere hanc amarit. nunc ſibi uxorem expetit.

Poſtre-

DONATI.

36. NIHIL MOVENTUR NUPTIAE] Non perturbantur nuptiae. MOVENTUR, differuntur.

37. QUID AIS! CUM INTELLEXERAS ID CONSILII CAPERE] Quaqua ſe verteret Davus, obvium infeſtumque invenit ſenem: & tamen ita verſute it obviam, ut etiam comprehenſus elabatur.

39. QUIS IGITUR EUM AB ILLA ABSTRAXIT?] Non frigide intulit, dixiſſe ſe: ſed cum magna aſſeveratione. Et ABSTRAXIT proprie, ut ſupra, *Me a Glycerio miſerum abſtrahat*? &, [20] *Divellimur inde Iphitus & Pelias mecum.* QUIS IGITUR EUM] Hoc [21] ſic audiendum eſt, quaſi dicat, *Dixi.*

40. MISERE HANC] MISERE, valde, nimis. NUNC SIBI UXOREM EXPETIT] Oratorie, pro eo quod eſt, non recuſat, EXPETIT.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Divellimur inde*] Virgilius Aeneid. II. 434.

21. *Sic audiendum eſt*] Ita vulgo, ſed perperam, poſt Rob. Stephanum editur. Mſ. Hulſt. & editiones veteres: *Hoc ſubaudiendum eſt.*

COMMENTARIUS.

34. APPARARI] Uſurpatur vox de coenis lautis. Heaut. I. 1. 73.

Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Coenam apparare.

Et Adelph. V. 9. 8. Juſtin. I. 6. *Eoſdem poſtero die* apparatis *epulis invitat.*

ILLICO] Proprie notare *in loco*, ex auctoribus vetuſtis obſervat Boeclerus in Chreſtomathia. Eodem ſenſu Plautus *ex hoc loco* dixit. Vide mox 38.

36. HOC NISI FIT] Haec rurſus Davo tribuit Mſ. Bodl. ſed & nonnulli ex impreſſis.

NIHIL MOVENTUR NUPTIAE] Varie haec capiunt Interpretes. Videntur autem dicta ex opinione Pamphili & Glycerii. Ut ſenſus ſit: niſi tu videas puerum allatum, nuptiae illae, quas paras filio, nihil turbabuntur. Claudian. in Eutrop. II. 347

Dulcior hic ſane cunctis, prudenſque movendi
Juris, & admoto qui temperet omnia fumo.

ut reſtituit Heinſ. Et de VI. Conſ. Honor. 205.

Hic rurſus dum pacta movet, *damniſque coactus*
Extremo mutare parat praeſentia caſu.

Ita cepit Anteſignanus. Unde poſtquam vertiſſet, *ſi cecy ne ſe fait, que vous voyez l'enfant, les nopces ne ſont en rien troublées*; eleganter addit in Scholiis, *Tenez vous pour aſſeuré, que ſi les nopces ne ſont troublées par ce moyen, qu'elles ne le ſeront point par aucun autre.* Fabrini vero ita reddit: *Non ſi ritardano le nozze.* Neque tamen MORANTUR edidit; quomodo alii legunt.

38. ID CONSILII CAPERE] Mſ. Bodl. ID CAPERE CONSILIUM. edit. 1469. HOC CONSILIUM CAPERE.

EXTEMPLO] h. e. continuo. Hec. III. 3. 13. Locutio orta a voce *Templi*, qui proprie eſt locus, in quo ſedebant Deos conſulentes per auſpicia. Bono igitur ſigno accepto in auſpicando ſtatim aggredientes rem, dicebantur id facere *extemplo.* Aliam etymi rationem ex Varrone & Servio dedit Boeclerus in Chreſtomathia. Eadem ratione *e veſtigio* dixerunt; & *ex hoc loco.* Plaut. Aſin. I. 1. 4. Truc. II. 4. 89. Graece αὐτόθεν.

39. ABSTRAXIT] Vide ſupra I. 5. 8.

40. NUNC SIBI UXOREM EXPETIT] Ambigue dictum & facete. Quum enim ſervus vellet a Simone intelligi de quavis alia virgine, ipſe accipit de Glycerio; neque aliter intelligere poterant ſpectatores.

41.

Poſtremo id mihi da negoti. tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: & id ſpero adjuturos Deos.
Si. Imo abi intro: ibi me opperire, & quod parato opus eſt, para.
Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem.
Atque haud ſcio, an, quae dixit, ſint vera omnia.
Sed parvi pendo. illud mihi multo maximum 'ſt,
Quod mihi pollicitus eſt ipſus gnatus. nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem: ſi impetro,

Quid

DONATI.

41. ID MIHI DA NEGOTII] De projectione pueri pro foribus. ID MIHI DA NEGOTII] Ut caveatur ab appoſitione pueri ante oſtium. TU TAMEN IDEM] IDEM abundat. Apud veteres, TAMEN IDEM, integrum fuit. unde apud nos, *tandem*, & *tamen* natum eſt. ſic & *idem* & *eorundem* dictum. TU TAMEN IDEM] TAMEN IDEM, aut pro tamen poſitum eſt, aut pro tandem: ut ſit, *Tu tandem has nuptias perge facere, ita ut facis.*

43. QUOD PARATO OPUS EST] Diſerte & Latine dixit, QUOD PARATO OPUS EST.

44. NON IMPULIT ME, HAEC NUNC OMNINO UT CREDEREM] NON IMPULIT, non perſuaſit, non perfecit, ut crederem Glycerium peperiſſe. Et cum dixit OMNINO, oſtendit quaedam ſe crediдiſſe, in quibuſdam jam eſſe circumventum. Mire autem cantum capi inducit ſenem, ut crederet, quod Glycerium non peperiſſet.

45. QUAE DIXIT, SINT VERA OMNIA] Quae poſtea dixit Davus. Et bene OMNIA: ut appareat ſenem multa credere vera eſſe, quae Davus dixerit.

46. MULTO MAXIMUM] MULTO etiam comparativis antiqui adjunxerunt.

47. QUOD MIHI POLLICITUS EST] *Pollicitatio*, multarum rerum promiſſio.

48. GNATO UXOREM] Subauditur, *ut det.*

COMMENTARIUS.

41. TU TAMEN IDEM] Mſ. Bodl. non agnoſcit τὸ IDEM, neque editio 1469.

HAS NUPTIAS PERGE FACERE ITA, UT FACIS] Imitatur Graecos, qui γάμους ποιεῖν dicunt. quod Germanis eſt *Hochzeit machen.* Sic Plaut. Trin. II. 4. 196.

Effugiet ex urbe, ubi erunt factae nuptiae.

Et III. 2. 75.

Effugias ex urbe inanis, profugus, patriam deſeras,
Cognatos, affinitatem, amicos, factis nuptiis.

Ubi autem dicit, PERGE FACERE ITA, UT FACIS, formula adhortantis eſt. Plaut. Moſtell. V. 51. 1.

Quod agis, id agas.

Sic Stich. V. 4. 28. & Martial. I. 47. 5.

Cum dicis, propero, fac, ſi facis.

Evang. Joh. XIII. 27. ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον.

42. ID SPERO ADJUTUROS DEOS] Mſſ. Leidenſium unus, ADJUTORES, quomodo & edit. Ven. 1490. & Juntinæ exhibent; ſed & ita in quibuſdam Mſſ. invenerat Rivius. quam lectionem defendit Guyetus, utpote antiquam, & quae ab antiquis libris manarit. Faërnus in libris recentibus ita legi affirmat, in antiquioribus, ADJUTUROS. Mſ. Traject. legit, ID SPERO ADJUTORES HABEBIS DEOS. poſſitque videri graeciſſare locutio, ADJUTORES ID, pro, *ad id.* Sic Adelph. V. 8. 16.

idne eſtis auctores mihi?

45. HAUD SCIO, AN, QUAE DIXIT, SINT VERA OMNIA] H. e. forte omnia ſunt vera. τὸ AN enim poſt HAUD SCIO, & ſimilia ponitur eo ſenſu, quo vulgo uſurpatur AN NON. Sic Heaut. V. 2. 46.

Etiam haud ſcio, an *uxorem ducat.*

Phorm. V. 2. 9. Plaut. Moſtell. III. 2. 96.

Nunc hunc haud ſcio an *colloquar. congrediar.*

49. ALIAS] De tempore dicitur, eſtque proprie accuſ. plur. ſubaudita voce *horas.* Editio Hoogſtratani omiſit. Boeclerus in Chreſtomath. ex Scioppio, vel potius Sanctio ſubaudit *res*,

ut

Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitus eſt, haud dubium eſt mihi,
Si nolit, quin eum merito poſſim cogere.
Atque adeo in ipſo tempore eccum ipſum obviam.

DONATI.

49. QUID ALIAS] " Pro cur alias, alio tempore.

52. IN IPSO TEMPORE] In ipſa opportunitate, in ipſo articulo. ECCUM IPSUM OBVIAM CHREMEM] Continuo mutavit declinationem: ut, *Jubeo Chremetem.*

OBSERV. IN DONAT.

22. *Pro cur alias, alio tempore*] Lege & diſtingue: QUID ALIAS, *pro*, *cur*. ALIAS. *alio tempore.*

COMMENTARIUS.

ut *alias* notet τ' ἄλλα, ſeu, κατὰ τὰ ἄλλα. duriuſcule. Verborum Plauti Epid. IV. 1. 59. alia ratio eſt.

51. QUIN EUM MERITO POSSIM COGERE] Loquitur pro patria poteſtate. Sic Hec. II. 2. 1.

Etſi ſcio ego, Philumena, meum jus eſſe, ut te cogam.

52. ATQUE ADEO IN IPSO TEMPORE ECCUM IPSUM OBVIAM] Poſtquam per Synchyſin duo ſuperiores verſus eſſent interpoſiti de Pamphilo, hic rurſus de Chremete intelligendus. Neque adeo neceſſe cum Donato & Mſſ. quibuſdam in fine vel CHREMEM addere, vel CHREMETEM. quod ex Gloſſa videtur additum.

ACTUS TERTII

SCENA TERTIA.

SIMO. CHREMES.

Si. JUBEO Chremetem. *Ch.* O! te ipſum quaerebam. *Si.* Et ego te. *Ch.* Optato advenis.

Ali-

DONATI.

JUBEO CHREMETEM] *Haec congreſſio duorum ſenum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur conſilio, ſed eventu poſſe vitari: qui eventus eſt Critonis praeſentia. nam nunc ex falſis fient verae nuptiae.*

1. JUBEO CHREMETEM] Firme aliquid jubere, velle eſt. *Jubeo* ergo volo; & decet, *ſalvere:* quod exprimitur ab alterius perſonae interventu, ut [1] *Virgilius,*

Reddique viro promiſſa jubebant.

Et

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. V. 386. Ubi vide Cerdam.

COMMENTARIUS.

1. JUBEO CHREMETEM] Sic Naevius in Ludo: *Jubeo Albanum Amulium.* Sub. ſalvere.

R

1. ALI-

Digitized by Google

Aliquot me adiere, ex te auditum qui ajebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viſo, tun', an illi inſaniant.
Si. Auſculta paucis: & quid ego te velim, & tu quod quaeris, ſcies.
Ch. Auſculto: loquere quid velis.
Si. Per ego te Deos oro, & noſtram amicitiam, Chreme,
Quae incepta a parvis, cum aetate adcrevit ſimul:
Perque unicam gnatam tuam, & gnatum meum,

Cujus

DONATI.

Et μεταληπτικῶς: quia qui dicit *ſalve*, jubet. Volumus enim animo: jubemus verbis. O! TE IPSUM QUAEREBAM] Placabilis & lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, ut cognitioni ad ultimum intereſſe poſſit. OPTATO ADVENIS] OPTATO, adverbium eſt. ut [2] *Virgilius*, *Ac velut optato ventis.*

2. ALIQUOT ME ADIERE] ALIQUOT, hoc eſt nec multi, nec pauci. ADIERE, non acceſſerunt: quia aditus arduus difficiliſque eſt. Ergo ADIERE, quaſi importune, & interpellantes adierunt. Sic alibi, *Byrrhia quid tibi videtur? adeon' ad eum?* EX TE AUDITUM] Ut eſt, *De Davo modo audivi.* EX TE AUDITUM] Ergo non rumor, ſed veritas.

3. ID VISO] Ob id viſo. deeſt *te*: ut VISO, ad videndum venio. TUNE, AN ILLI INSANIANT] *Tu* inſanis, ſi dixiſti: *illi* inſaniunt, ſi non audita referunt.

4. PAUCIS] Et PAUCIS, & PAUCA legitur. ET QUID EGO TE VELIM] A docilitate.

6. PER EGO TE DEOS ORO] Ordo eſt, te per Deos oro. ut [3] *Virgil. Per ego te has lachrymas.* ET NOSTRAM AMICITIAM, CHREMES] Legitur & CHREME.

7. QUAE INCEPTA A PARVIS, CUM AETATE ADCREVIT SIMUL] Mire autem, INCEPTA A PARVIS CUM AETATE, ut oſtendat, non nuper coitam amicitiam, ſed antiquam. ut, [4] *Veterem Anchiſen agnovit amicum.* Idem [5] alibi,

neque enim novus iſte Dianae
Venit amor.

ADCREVIT] Ut ſupra, ADCURATE. An praepoſitione utitur familiariter. ADCREVIT] Hinc [6] *Virgilius*, — *Creſcent illae: creſcetis amores.*

8. ET GNATUM MEUM] Ineptum eſt ſic adjurare aliquem, *Per ſalutem filii mei, ut facias id quod te rogo.* Sed huic etiam ſubjungit.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Virgilius*] Aeneid. X. 405.
3. *Virgilius*] Aeneid. XII. 56.
4. *Veterem*] Virgilius Aeneid. III. 82.
5. *Alibi*] Aeneid. XI. 537.
6. *Virgilius*] Eclog. X. 54.

COMMENTARIUS.

2. ALIQUOT ME ADIERE] J. Fr. Gronov. ad Plaut. Truc. II. 6. 21. *Aliquot ad me adiere.* ex MſS.

4. AUSCULTA PAUCIS] Ad haec Donatus; *Et pauca & paucis legitur.* Priſcianus vero Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. citat AUSCULTA PAUCA, additque, *ſic enim habent antiqui Codices, teſte Donato commentatore ejus.* Atqui hodie in Donato nihil de veteribus Codicibus legitur.

6. PER EGO TE DEOS ORO] Obſecrandi formula, in qua inter praepoſitionem PER & nomen ei junctum interponitur TE & VOS. Liv. XXIII. 9. *Per ego te*, *inquit*, *fili*, *quaecunque jura liberos jungunt parentibus*, precor, *quaeſoque.* Curt. V. 8. *Per ego vos decora majorum oro & obteſtor.* Eadem numeri ratio τῷ *per* in Tmeſi. Supra III. 2. 6.

7. CUM AETATE ADCREVIT SIMUL] Cicero Senect. 14. *Atque haec quidem ſtudia doctrinae, quae quidem prudentibus & bene inſtitutis pariter* cum aetate creſcunt. Plin. I. Epiſt. 12. *Cum ſenectute ingraveſcentem* (morbum) *viribus animi ſuſtinebat.* Idem Paneg. 22. *Quae tamen ipſa* (laetitia) cum ingreſſu tuo crevit, *ac prope in ſingu-*

Cujus tibi poteſtas ſumma ſervandi datur:
Ut me adjuves in hac re: atque ita, ut nuptiae
Fuerant futurae, fiant. *Ch.* Ah, ne me obſecra:
Quaſi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim quum dabam?
Si in rem eſt utrique, ut fiant, arceſſi jube.
Sed ſi ex ea re plus mali 'ſt, quam commodi
Utri-

DONATI.

9. Cujus tibi poteſtas ſumma ſervandi datur] In tua eſt, inquit, poteſtate, & tuus eſt. haec ergo *obteſtatio* dicitur, cum per eas res adjuramus aliquem, de quibus agitur cauſa. Ut,

[7] *Iliaci cineres, & flamma extrema meorum.*

[8] Idem alibi,

— per everſae, genitor, fumantia Troiae
Excidia, obteſtor.

10. Uti nuptiae fuerant futurae, fiant] Breviter & Latine. Et hoc genus compoſitionis veteres non mutabant.

11. Ne me obsecra] Pro, ne obſecres. [9] τω ελλησCμON MH λιTANEK EMNMACOR.

12. Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat] Haec plena vox eſt & charitatis & officii. quod enim amicus ab amico petit, juſtum eſſe debet: nec pro eo quod non eſt juſtum, ſupplicare oportet.

13. Alium esse censes nunc me, atque olim, quum dabam?] Non perſonae, ſed rei conditio eſt commutata. Olim, quum dabam?] Nos dicimus, *quum darem.* [10] Virgilius,

Tum decuit, cum ſceptra dabas. En dextra fideſque!

Et nota olim pro nuper.

14. Si in rem est utrique] Τῷ δευτέρῳ συλλογισμῷ prave propoſuit, ut recte replicaret. Hic ſyllogiſmus negativus dicitur. nam in ſecundo λήμματι negat quod prius dixit.

Si in rem est utrique] Ab utili eſt argumentum. *Uterque* duobus conſtat. Bene utrique, mihi & tibi: non, alteri utile, alteri inutile.

15. Sed si ex ea re] Id eſt, nuptiarum: mutavit numerum, ex plurali ſingularem, Fiant, & Ex ea re.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Iliaci cineres*] Virgilius Aeneid. II. 431.
8. *Idem alibi*] Aeneid. X. 45.
9. Τω ελλησCμON] Pithoeus & Lindenbruchius ſuſpicabantur legendum eſſe: τῷ ἑλληνισμῷ· Μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου.
10. *Virgilius*] Aeneid. IV. 597.

COMMENTARIUS.

ſingulos gradus adaucta eſt. Nepos Attic. cap. 10. *Hoc quoque ſit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo,* (L. Gellio Caſſio) *quem puerum in ludo cognoverat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum* creverit.

9. Cujus tibi potestas summa servandi datur] Cicero Fam. X. 19. *Gloriae, cujus maximam facultatem tibi Dii immortales, ut ſpero, dederunt.*

10. Adjuves] Pariter admitaris, atque in eam curam cogitationemque mecum incumbas. Plaut. Poen. Prol. 128.

Valete, atque adjuvate, *ut vos ſervet Salus.*

Catull. XXX. 4.

Quod ſi juſſeris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam.

14. In rem] Rivius ex Mſſ. Terentii & Donati citat, in re.

Arcessi] Ita in Mſſ. veteribus omnibus Terentianis & Virgilianis legi teſtatur Pierius ad Virg. Aen. X. 11.

Adveniet juſtum pugnae, ne arceſſite, *tempus.*

Pro eo vulgo *acceſſi* editur. De hac voce Boeclerus

Utrique, id oro te, in commune ut conſulas:
Quaſi illa tua ſit, Pamphilique ego ſim pater.
Si. Imo ita volo, itaque poſtulo, ut fiat, Chreme:
Neque poſtulem abs te, niſi ipſa res moneat. *Ch.* Quid eſt?
Si. Irae ſunt inter Glycerium & gnatum. *Ch.* Audio.
Si. Ita magnae, ut ſperem poſſe avelli. *Ch.* Fabulae.
Si. Profecto ſic eſt. *Ch.* Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium irae, amoris integratio 'ſt.

Si.

DONATI.

16. IN COMMUNE CONSULE] Id eſt, ex aequali provide.

17. QUASI ILLA TUA SIT, PAMPHILIQUE EGO SIM PATER] Nota ſuaviſſimam varietatem. non dicit, *quaſi illa tua ſit, & ille meus.*

18. IMO ITA VOLO] Quia utile eſt, quia in rem eſt. ITAQUE POSTULO] ITAQUE, modo duae partes orationis ſunt: ut in Hecyra, *itaque nos una inter nos aetatem agere liceat.*

19. NEQUE POSTULEM] Quia *poſtulo* praetulit.

20. IRAE SUNT INTER GLYCERIUM ET GNATUM] Hoc laeto vultu pronuntiat Simo: & hoc a poſſibili eſt. loquitur enim apud eum, ex quo audiverat, Pamphilum pro uxore habete hanc peregrinam. AUDIO] *εἰρωνεία.*

21. FABULAS] Et hic paulo ſapientior inducitur, & minus obnoxius dolis.

22. PROFECTO SIC EST] PROFECTO, confirmatio eſt.

23. AMANTIUM IRAE AMORIS INTEGRATIO EST] Sententia *γνωμικὴ*, in qua a ſpecie receditur, & in omnes aliquid dicitur: *παροιμία* eſt autem ſine auctore ſententia. INTEGRATIO] Inſtauratio.

COMMENTARIUS.

clerus ita in Chreſtomathia: *Qui pro* ACCERSO ubique ARCESSO *ſubſtituere, atque ex duobus vocabulis unum facere ſtuduerunt, tot optimorum manuſcriptorum codicum, denique Grammaticorum veterum auctoritate pridem refelluntur.* Voſſius vero in Etymologico τὸ ACCERSO nec Latinum pronunciat. Vide porro Fabri Theſaur. v. ARCESSO.

16. IN COMMUNE UT CONSULAS] Virgil. Aeneid. XI. 335.

> Conſulite in medium, *& rebus ſuccurrite ſeſſis.*

Tacit. Annal. XII. 5. *Graviſſimos Principis labores, quis orbem terrae capeſſat, egere adminiculis, ut domeſtica cura vacuus* in commune conſulat. Idem Agric. 12. *Nec aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quam quod* in commune *non* conſulunt. Suet. Ner. 15. *In commune deliberabat.* Valet vero *in commune*, in rem communem. Phaed. V. 6. 3. Plaut. Amph. Prol. 10.

> *Quae maxime* in rem *voſtram* communem *ſient.*

Eadem locutione dixit Noſter Heaut. V. 2. 10.

> *conſulere in longitudinem.*

20. IRAE SUNT INTER GLYCERIUM ET GNATUM] Horat. Serm. I. 7. 11.

> *inter*
> *Hectora Priamiden animoſum, atque inter Achillem*
> *Ira fuit capitalis.*

AUDIO] Formula cum riſu reſpondentium ad ea quae dicuntur. Phorm. I. 3. 8. & v. 7. 54.

21. AVELLI] Sic Hec. IV. 1. 39. Horat. Carm. I. 13. 17.

> *Felices ter & amplius,*
> *Quos irrupta tenet copula: nec malis*
> Divulſus *querimoniis*
> *Suprema citius ſolvet amor die.*

23. AMANTIUM IRAE AMORIS INTEGRATIO 'ST] In quibuſdam Codicibus eſt, REINTEGRATIO,

Si. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus libido occluſa 'ſt contumeliis:
Prius quam harum ſcelera, & lacrumae confictae dolis,
Reducant animum aegrotum ad miſericordiam,
Uxorem demus. ſpero conſuetudine
Et conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dein facile ex illis ſeſe emerſurum malis.
Ch. Tibi ita hoc videtur: at ego non poſſe arbitror,

Ne-

DONATI.

24. ID TE ORO] Deeſt *ob*: ut ſit *ob id.* ut [11] *Virgil. Quod te per ſuperos oro.*

26. PRIUS QUAM HARUM] Invidioſius, HARUM, quum una ſit. Sic in Eunucho, *non perpeti meretricum contumelias.*

27. ANIMUM AEGROTUM AD MISERICORDIAM] Hoc ut ſupra, *Ipſum animum aegrotum ad deteriorem partem applicat.*

28. UXOREM DEMUS] Ἠθικῶς: ut in Heautontim. *Quo modo minimo periculo id demus adoleſcentulo.*

OBSERV. IN DONAT.

11. *Virgilius*] Aeneid. II. 141.

COMMENTARIUS.

TIO, in aliis, REDINTEGRATIO. Creditur autem expreſſum e Menandri illo:

> Ὀργὴ φιλοῦντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.
> *Amantium ira paullo valet tempore.*

Plaut. Amph. III. 2. 60.

> *Verum irae, ſi quae forte eveniunt hujuſmodi,*
> *Inter eos rurſum ſi reventum in gratiam 'ſt,*
> *Bis tanto amici ſunt inter ſe, quam prius.*

P. Syrus:

> *Diſcordia fit carior concordia.*

Quod Joſ. Scaliger, haud ſcio an elegantius, ita expreſſit:

> Ὁμόνοια μείζων ἐκ καταλλαγῆς ἔφυ.

In eandem ſententiam Pauſanias reſpondiſſe fertur Archelao Regi, a quo interrogatus erat, quid ita frequenter jurgaretur cum Agathone amaſio? ἥδιστον εὑρίσκω εἶναι τοῖς ἐρῶσι πρὸς τὰ παιδικά, ἐκ διαφορᾶς καταλλάττεσθαι. Refert Aelian. Var. Hiſt. II. 21. Notanda autem conſtructio, IRAE INTEGRATIO 'ST, pro, ſunt. Sic infra V. 4. 47.

> *dos, Pamphile, eſt*
> *Decem talenta.*

Eſt vero *integrare*, in integrum reſtituere. Virg. Georg. IV. 514.

> *Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen*
> Integrat.

Statius Theb. V. 29.

> *Immania vulnera, rector,*
> Integrare *jubet.*

Vide infra IV. 2. 5.

26. LACRIMAE CONFICTAE DOLIS] Vide notata ad Eun. I. 1. 23.

29. CONJUGIO LIBERALI DEVINCTUM] ἐμφατικῶς dixit LIBERALI, Glycerio nondum cognita, & pro peregrina habita. Heaut. II. 4. 14. Hec. I. 2. 92.

30. EX ILLIS SESE EMERSURUM MALIS] Nepos Attic. 11. *Quibus* ex malis *ut* ſe emerſerat, *nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus poſſet, eſſet auxilio.* Cic. Haruſp. Reſp. 25. *Jam iſta ſerpens, quae tum hic deliteſcit, tum* ſe emergit *& fertur illuc, compreſſa atque illiſa morietur.* Mallet Graevius: *Tum ſe emergit & effert, illico compreſſa atque eliſa morietur.* Manutius tuetur vulgatam lectionem. Conjiciebam legendum eſſe: *Jam iſta ſerpens, quae nunc hic deliteſcit, dum ſe emergit & effert, illico compreſſa atque eliſa morietur.*

R 3

Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
Si. Qui ſcis ergo iſtuc, niſi periculum feceris?
Ch. At iſtuc periculum in filia fieri, grave eſt.
Si. Nempe incommoditas denique huc omnis redit:
Si eveniat, quod Dî prohibeant, diſceſſio.
At ſi corrigitur, quot commoditates, vide.
Principio, amico filium reſtitueris:
Tibi generum firmum, & filiae invenies virum.

Ch.

DONATI.

32.. NEQUE ILLUM HANC PERPETUO] Ἀμφιβολίαν de induſtria poſuit, aut utrumque ſignificat.

33. NISI PERICULUM FECERIS?] PERICULUM, tentamentum. Cicero, *Tute melius periculum feceris.* Idem Terentius, *Fac periculum in literis.*

34. AT ISTUC PERICULUM IN FILIA FIERI, GRAVE EST] Memorabile dictum, & id quod a mento in proverbium ceſſerit.

36. QUOD DÎ PROHIBEANT] Παρένθεσις per εὐφημισμόν.

37. AT SI CORRIGITUR] Alter eſt ſyllogiſmus per contraria λήμματα, & ipſe negativus.

38. PRINCIPIO, AMICO FILIUM] PRINCIPIO, nec intulit, *ſecundo.* RESTITUERIS, ET FILIAE INVENIES VIRUM] Ergo ἀνακύκλωσις duplex. AMICO FILIUM] Ab honeſto.

COMMENTARIUS.

tur. Dicitur vero & *emergere ſe*, & ſimpliciter, *emergere.* Cic. Vatin. 12. *Qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent*, emerſiſſe *aliquando, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe.* Idem pro Coel. 31. *Verum ex eo, quidquid erat*, emerſit, *totumque ſe ejecit atque extulit.* Contrarium eſt apud Virg. Aen. VI. 511.

> *Sed me fata mea, & ſcelus exitiale Lacaenae*
> *His* merſere *malis.*

32. NEQUE ILLUM HANC PERPETUO HABERE] Guyetus multus in eo eſt, ut probet, NEQUE h. l. pro & poſitum. ἐμφατικώτερον autem eſſe, ſi Graeciſmus ſtatuatur, *Non poſſe arbitror, neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.* Quod vero Guyetus de verbis Donati, *ἀμφιβολίαν de induſtria poſuit, aut utrumque ſignificat*, notat, *quod quid ſit, quaerendum*, mirum videri queat. Vult enim Donatus, Chremetem ambigue dicendo, ILLUM HANC HABERE, offendere noluiſſe Simonem, ſed incertum relinquere, velitne ita intellectum, ILLUM, h. e. Pamphilum, HABERE HANC Philumenam; an, HANC HABERE ILLUM. Niſi forte utrumque ſignificaverit.

NEQUE ME PERPETI] Sub. vagos Pamphili amores. ſcilicet id juris habebat pater, ut filiam a marito abduceret, commiſſo flagitio. Exemplum eſt in Menaechmis Plautinis.

33. NISI PERICULUM FECERIS] Illud ἐπὶ πείρᾳ δίδωμι θυγατέρα dixit Menander apud Diogenem Laërt. de Cratete. An eo reſpexit Noſter?

35. INCOMMODITAS] Molli verbo extenuat rem atrociſſimam. Eun. II. 3. 37. Sic Servius ad Ciceronem, Fam. IV. 5. de morte filiae: *Hoc uno* incommodo *addito, quid ad dolorem adjungi potuit?* ſed & divortium ipſum DISCESSIO tantum dicitur Simoni, quaſi res levis: quod non tantum veneficii aut adulterii cauſa fieret, ſed & ob quaſvis minus ſonticas rationes.

36. QUOD DÎ PROHIBEANT] Formula deprecationis & boni ominis. Cic. Fam. X. 33. *Quae ſi*, quod Dî prohibeant, *vera ſunt, non mediocriter doleo.*

37. SI CORRIGITUR] Quaſi proprie de filio illicitis amoribus implicito. Unde mox idem Simo de eodem Pamphilo Davum alloquitur, infra III. 4. 17.

> corrigere *mihi gnatum porro enitere.*

Plaut. Trin. I. 2. 79:

> *Quid tu adoleſcentem, quem eſſe corruptum vides,*
> *Qui tuae mandatus eſt fidei & fiduciae,*

Quin

Digitized by Google

Ch. Quid iſtuc? ſi ita iſtuc animum induxti eſſe utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
Si. Merito te ſemper maxumi feci, Chreme.
Ch. Sed quid ais? *Si.* Quid? *Ch.* Qui ſcis eos nunc diſcordare inter ſe?
Si. Ipſus mihi Davos, qui intimus eſt eorum conſiliis, dixit.
Et is mihi ſuadet, nuptias quantum queam, ut maturem.
Num

DONATI.

40. QUID ISTUC] Concedentis, & veluti victi verbum: tanquam ſi diceret, QUID? & abundat ISTUC. Vel potius, QUID ISTUC, ſignificat hominem de loco ac de ſententia decedere. ut e contrario, *perſtare* ac *reſiſtere* dicitur, qui aliquid negat. SI ISTUC ANIMUM INDUXTI] Legitur & ANIMUM INDUXISTI. ſed illud plenum eſt: hoc per *μεταπλασμῷ συγκοπὴν* diminuitur.

44. IPSUS MIHI DAVUS DIXIT] Commendatio teſtis: ut, *In foro modo de Davo audivi.* Ergo IPSUS, quaſi qui maxime ſciat.

COMMENTARIUS.

Quin eum reſtituis? quin ad frugem corrigis? Mſſ. Leidenſium unus: AT SI CORRIGAT SE. *Corriguntur* autem curva, dum recta fiunt. unde ad animum transfertur.

QUOT COMMODITATES, VIDE] Mſſ. quidam, QUOT COMMODITATES INDE, VIDE. Eſt vero elegans oppoſitio in voce COMMODITATES, quia una INCOMMODITAS praeceſſerat.

38. AMICO FILIUM RESTITUERIS] Cic. Fam. VII. 32. *Praeterea Dolabellam, quem ego perſpicio & judico cupidiſſimum eſſe atque amantiſſimum mei, cohortare & confirma, redde plane meum.*

39. FIRMUM] Opponitur ei, qui divortium facit cum muliere. Hec. I. 2. 26.

Firmae *hae vereor, ut ſint nuptiae.*

FILIAE INVENIES VIRUM] Propria phraſis in hac re. Supra II. 3. 22.

Inveniet *inopem potius, quam te corrumpi ſinat.*

Infra V. 3. 20. Plaut. Men. IV. 3. 20.

Niſi feres argentum, fruſtra me ductare non potes.
Aliam poſthac invenito, *quam tu habeas fruſtratui.*

40. QUID ISTUC?] Formula concedentis poſt aliquam reluctationem. Sic Eun. I. 2. 91. Heaut. V. 5. 9. Adelph. I. 2. 53.

ANIMUM INDUXTI] Locutio familiaris Terentio, & *in animum induxti.* Quae vero in animum induximus, *ἐν νῷ εἶναι* dicuntur Graecis. Cic. Fam. IV. 8. *Illud tamen, vel tu me monuiſſe, vel cenſuiſſe puta, vel propter benevolentiam tacere non potuiſſe; ut, quod ego facio, tu quoque* animum inducas.

41. NOLO TIBI ULLUM COMMODUM IN ME CLAUDIER] h. e. occluſum eſſe, quo minus eo potiri poſſis. Eun. I. 2. 83.

nunc ubi meam
Benignitatem ſenſiſti in te claudier?

Cic. Offic. II. 15. *Nec ita* claudenda *eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, ut pateat omnibus.* Quin Terentium in animo habuerit Tullius haec ſcribens, dubium nullum eſt. Quo minus & h. l. & Eun. I. 2. 84. CALVIER legendum, quod quidam faciunt. Cic. Fam. VI. 10. *Sed magni mea intereſt, hoc tuos omnes ſcire, quod tuis literis fieri poteſt, ut intelligant, omnia Ciceronis* patere *Trebiano.*

42. MAXIMI FECI] Alii, MAXIMUM FECI.

43. DISCORDARE INTER SE] Plaut. Mercat. II. 1. 7.

Non diſcordarent, *ſi ambo in uno eſſent loco.*

Tacit. Annal. XII. 28. *Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cheruſci, cum quis aeternum* diſcordant, *circumgrederentur, legatos in urbem & obſides miſere.*

44. INTIMUS EST EORUM CONSILIIS] Promiſcue dicitur, intimus alicujus, alicui, & apud aliquem. Cic. Att. IV. 16. *Itaque in* intimis *eſt meis, quum antea notus non fuiſſet.* Nepos Con. 2. *Impulſi a Tiſſapherne, qui ex* intimis *regis ab amicitia ejus defecerat.* Idem Dion. I. *Erat* intimus *Dionyſio priori.* Plaut. Mil. II. 1. 30.

Itaque intimum *ibi ſe miles apud lenam facit.*

45. SUADET] Mſſ. quidam, PERSUADET. Ita &

Num cenſes faceret, filium niſi ſciret eadem haec velle?
Tute adeo jam ejus verba audies. heus, evocate huc Davom.
Atque eccum: video ipſum foras exire.

DONATI.

47. Tute adeo] Παρέλκεται adeo modo, & abundat. ut, [12] *Virgilius*,

Tuque adeo, *quem mox quae ſint habitura Deorum Concilia; incertum.*

48. Atque eccum] Eccum, quaſi *ecce eum*. Veteres dixerunt, *eccum*, *eccujus*, *ellum*, quod apertius ſignificat *ecce illum*, [13] & obſcurius *ellum*.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Virgilius*] Georg. I. 24.

13. Et obſcurius *ellum*] Non ſunt haec a Donato.

COMMENTARIUS.

& editio Juntina, cum quibuſdam veteribus aliis. Videtur autem Simo reſpicere verba Davi, ſupra III. 2. 40.

tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: & id ſpero adjuturos Deos.

ACTUS TERTII

SCENA QUARTA.

Davus. Simo. Chremes.

Da. AD te ibam. *Si.* Quidnam eſt?
Da. Cur non arceſſitur? jam adveſperaſcit. *Si.* Audin' tu illum?
Ego

DONATI.

AD te ibam] *Davus ut recte ſcribatur, Davos ſcribendum eſt: quia nulla litera vocalis geminata, unam facit ſyllabam. Sed quia ambiguitas vitanda eſt nominativi ſingularis & accuſativi pluralis, neceſſario pro hac regula, digamma utimur, DaFus, ſerFus, Fulgus, cerFus.*

1. Ad te ibam] [1] *Locus eſt, in quo jam ad diſcrimen mali perducta comoedia, in meliorem partem jam incipit inclinare.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Locus eſt*] Editiones vetuſtae: *Hic eſt locus.* Ceterum, male huic loco παρακμὴν τῆς ἐπιτάσεως tribui a Donato, recte Boeclerus obſervavit.

COMMENTARIUS.

2. Cur non arceſſitur?] Mſ. Bodl. Cur uxor non arceſſitur? Quomodo & editio Juntina legit, & Ven. 1490.

Jam adveſperaſcit] Id vult, tempus deducendae

Ego dudum nonnihil veritus ſum, Dave, abs te, ne faceres idem,
Quod vulgus ſervorum ſolet, dolis ut me deluderes,
Propterea quod amat filius. *Da.* Egon' iſtuc facerem? *Si.* Credidi.
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. *Da.* Quid? *Si.* Scies:
Nam propemodum habeo tibi jam fidem. *Da.* Tandem cognoſti qui ſiem.
Si. Non fuerant nuptiae futurae. *Da.* Quid? non? *Si.* Sed eâ gratia
Simu-

DONATI.

3. EGO DUDUM NONNIHIL VERITUS SUM, DAVE, ABS TE] Semper gravis inceptio orationis, quae exordium ſumit a pronomine EGO: ut, *Ego te quae plurima fando*, &c, *Ego poſtquam te emi a parvulo*. EGO DUDUM] Adverbia temporis, aut certa ſunt, ut hodie, cras: aut incerta, ut dudum, nuper. Itaque incertis certum additur tempus: ut jam dudum, nunc nuper. NONNIHIL VERITUS SUM, DAVE, ABS TE] Breviter, pro, veritus ne quid abs te fieret. ſic ut ſupra, *Heu metui a Chryſide*. Et Cicero, *Quod precatus ſum a Diis immortalibus*. pro eo quod eſt, quae a Diis petii, precatus eos.

4. QUOD VULGUS SERVORUM SOLET] Totum cum extenuatione protulit, tanquam qui ſatisfactum voluerit Davo, ob comprobatam fidem ejus.

7. NAM PROPEMODUM HABEO JAM TIBI FIDEM] Ridicula dilatio ejus rei, quae jam dudum nota eſt auditori. NAM PROPEMODUM HABEO JAM] Hoc eſt, *prope modum*, cujus accuſativus eſt a *modus*.

8. SED EA GRATIA] GRATIA, pro cauſa poſuit, nove.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Ego te*] Virgil. Aeneid IV. 333.
3. *Heu*] Verba repetita ex And. I. 1. 74. ubi tamen ſimpliciter *metui a Chryſide* legitur, non etiam *Heu* vel *Hei*, quod nec ipſe Donatus ibi agnoſcit.
4. *Cicero*] Orat. pro Muraen. cap. 1. ubi, *Quae deprecatus ſum a Diis immortalibus*, legit Gruterus ex MSſ. & edd. vetuſtiſſimis. Aſcenſiana certe quidem editio, anni 1511, eodem modo exhibet.

COMMENTARIUS.

ducendae Philumenae jam inſtare. Quod quia erat veſpertinum, hinc toties de facibus mentio. Ovid. Faſt. II. 561.

Conde tuas, Hymenaee, faces, & ab ignibus atris
Auſer. habent alias moeſta ſepulcra faces.

4. VULGUS SERVORUM] Vere Seneca Epiſt. XLVII. *Quot ſervi, tot hoſtes.* Quanquam arrogantiae proverbium vocat. de quo Feſtus, in *Quot ſervi*. Vide Macrob. Saturn. I. 10. & Plin. Lib. III. Epiſt. 14.

6. QUID?] Pluſculi MSſ. & editorum probatiſſimi legunt, QUID EST? Metrum poſtulat QUID?

7. HABEO TIBI JAM FIDEM] Alii cum Donato: HABEO JAM TIBI. Credo tibi. Nepos Themiſt. 7. *Quare aequum eſſe, illos viros bonos nobileſque mittere, quibus* fides haberetur. Plane diverſum eſt, *adhibere fidem*, pro, fidelem eſſe. qua ratione dicitur quis *adhibere* curam, diligentiam, & ſimilia. Plaut. Rud. IV. 3. 104.

Quanquam ad ignotum arbitrum me appellis;
ſi adhibebit fidem,
Etſi eſt ignotus, notus; ſi non; notus ignotiſſimus eſt.

Neglexit Auſonius, Epiſt. X. 1.

Si qua fides *falſis unquam eſt* adhibenda *Poëtis.*

S Sed

Digitized by Google

Simulavi, vos ut pertentarem. *Da.* Quid ais! *Si.* Sic res eſt. *Da.* Vide!

Nunquam iſtuc quivi ego intelligere. vah! conſilium callidum.

Si. Hoc audi. ut hinc te intro ire juſſi, opportune hic fit mihi obviam.

Da. Hem! numnam periimus? *Si.* Narro huic, quae tu dudum narraſti mihi.

Da. Quidnam audio! *Si.* Gnatam ut det oro, vixque id exoro. *Da.* Occidi.

Si.

DONATI.

9. SIC RES EST] Quod Graeci dicunt, *οὕτως ἔχει.*

12. NUMNAM] *Nam παρέλκεται*, ut in *quiſnam.*

13. QUIDNAM AUDIO!] Legitur & AUDIAM. *Menander* enim ſic ait, *τί δῆτ' ἀκούω.* OCCIDI. OPTIME] Bene uſus eſt *παρομοίῳ*, OCCIDI & OPTIME, ut ſimilitudine falleret audientem.

OBSERV. IN DONAT.

4. *οὕτως ἔχει*] q. d. Sic ſe res habet.

COMMENTARIUS.

Sed & ita ex duobus Mſſ. legebat Nic. Heinſius, Ovid. Metam. XV. 361.

Si qua fides *rebus tamen eſt* adhibenda *probatis.*

quanquam *addenda* praefertur.

9. VOS UT PERTENTAREM] Sic Phorm. IV. 3. 14. Liv. XXXVII. 17. *Miſſis deinde, qui per colloquia Principum & Magiſtratuum* tentarent *animos.*

11. UT HINC TE INTRO IRE JUSSI] Nempe ſupra III. 2. 42. ubi dixerat Davo:

Immo abi intro: *ibi me operire, & quod parato opus eſt, para.*

OBVIAM] Ita dicitur, quaſi OB VIAM. Unde *Obvius.* Sic ex tempore facit extemporalis; extra ordinem extraordinarius.

12. HEM! NUMNAM PERIIMUS?] Haec Davus ad ſpectatores converſus, Simone & Chremete non audientibus.

QUAE TU DUDUM NARRASTI MIHI] Supra ſcilicet III. 2. 38. ſeqq.

13. QUIDNAM AUDIO!] Ita ambigue dictum, ut Simo & Chremes audientes de admiratione ſervi intelligerent, quod is de rebus Pamphili deſperans dicebat. Neque enim credibile, Davum iter a Simone narrante averſum alias res ſe agere ſimulaſſe.

14. HAM! QUID DIXTI?] Scilicet, quia intenſiore voce exclamarat ſervus, OCCIDI! Quod utut audierat ſenex, ne tamen intellexiſſe ſe crederet, Davus mira calliditate reſpondet, OPTIME, INQUAM, FACTUM; quaſi non dixiſſet OCCIDI, ſed OPTIME. Idque vult Donatus, quum ait, ideo uſum *παρομοίῳ*, *ut ſimilitudine* (ſoni ſcilicet) *falleret audientem* Simonem. Quanto minus audiendus Boeclerus, exiſtimans Donatum, vel quemcunque alium haec non notaſſe ad OCCIDI, & OPTIME, ſed ad verba ſuperioris verſus, ORO. VIXQUE ID EXORO. In quibus nihil eſt, quo falli audiens ſervus poſſit; quum contra apta eſſent illa fallendo ſeni. Eſt autem elegans gratulandi formula, OPTIME FACTUM. Sic ſupra I. 1. 78.

o factum bene!

Plaut. Moſtell. II. 2. 19.

Uſque

Digitized by Google

Si. Hem! quid dixti? *Da.* Optume inquam factum! *Si.* Nunc per hunc nulla 'ſt mora.

Ch. Domum modo ibo, ut apparentur, dicam: atque huc renuntio.

Si. Nunc te oro, Dave, quoniam ſolus mihi effeciſti has nuptias.

Da. Ego vero ſolus. *Si.* Corrigere mihi gnatum porro enitere.

Da. Faciam hercle ſedulo. *Si.* Potes nunc, dum animus irritatus eſt.

Da. Quieſcas. *Si.* Age igitur, ubi nunc eſt ipſus? *Da.* Mirum ni domi 'ſt.

Si.

DONATI.

14. Per hunc] Chremetem ſcilicet.

15. Ibo: atque huc renuntio] Varie, ibo & renuntio.

16. Nunc te oro, Dave] Te, id eſt, per quem ſtat ſumma negotii. Et modo magis vere rogat, quam tunc cum ait, *Dehinc poſtulo, ſive aequum eſt, te oro, Dave.* ibi enim iracundia latet, cum dixit, *ſive aequum eſt.* Effecisti has nuptias] Non fecisti. eſt enim *efficere*, perficere faciendo. Et bene has: quarum cauſa laboro.

17. Ego vero solus] Ἀιρωνεία. Et hoc ad increpationem dicit, non ad confirmationem. Solus] Id eſt, cui non aſſentiebat Pamphilus. Porro] In futurum, deinceps: Futuri temporis adverbium. vel adhortantis: ut, *Porro, Quirites.* Enitere] Labora: quaſi difficile ſit, & conatu ſit opus.

18. Hercle sedulo] Productiones ſunt Comici ſtili, ad fucum orationis poſitae. Potes nunc] A poſſibili argumentum. Dum animus irritatus est] Quia dixerat, *Irae ſunt inter Glycerium & gnatum.* Irritatus est, commotus, ira provocatus: ut in Phormione, irritor. Ducitur autem verbum a canibus, qui reſtrictis dentibus hanc literam *R* imitantur.

19. Quiescas] Id eſt, conquieſce. imperativi modi, ne injurioſum videretur. Quiescas] Pro quieſce. aut deeſt volo, aut facito. Age igitur] Age, dic: ut eſt, *Egi, atque oravi tecum:* aut adverbium eſt hortandi. Mirum ni domi 'st] Exiſtimationem intulit, incertum fugiens: & eſt compoſitum, quaſi, hoc eſt mirum, ni domi eſt. Caute ſervus callidam interrogationem ſenis paratus excepit. Memor ſimulatae diſcordiae cum amica, fingit, non ſe alibi eum eſſe ſuſpicari, quam domi.

COMMENTARIUS.

Uſquene valuiſti? Th. *Uſque, ut vides.* Tr. Factum optime.

Nunc per hunc nulla 'st mora] Sunt qui de Pamphilo intelligunt. Malim de Chremete praeſente dictum. Neque enim gnati voluntas valde ſollicitabat ſenem, ſed de Chremetis conſenſu magnopere laborabat. Vid. ſupra I. 1, 138. ſeqq. & III. 2. 45. ſeqq.

15. Ut apparentur] Sub. nuptiae. Sunt tamen Mſſ. & editi veteres, in quibus eſt, appareтur, imperſonaliter. Sic Eun. III. 5. 35.

Adhortor, properent. dum apparatur, *virgo in conclavi ſedet.*

17. Ego vero solus] Triſtis haec reſpondet ſervus, damnans conſilium ſuum; ita tamen, ut Simoni gloriari videatur.

18. Dum animus irritatus est] Id dicit, quod ſupra Chremeti, III. 3. 24.

dum tempus datur,

Dumque ejus lubido occluſa 'ſt contumeliis.

Adelph. III. 2. 14.

dum aegritudo haec eſt recens.

19. Mirum ni] Particulae Comicis familiares. unde natum *nimirum.* valet autem, mirum

Si. Ibo ad eum, atque eadem haec, quae tibi dixi, dicam itidem illi. *Da.* Nullus ſum.
Quid cauſae 'ſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar via?
Nihil eſt preci loci relictum. Jam perturbavi omnia:
Herum feſelli; in nuptias conjeci herilem filium;
Feci hodie ut fierent, inſperante hoc, atque invito Pamphilo.

Hem

DONATI.

20. DICAM EADEM ILLI] In aliis ITIDEM ſcriptum eſt: quod ſi eſt, pro *item* accipiamus. An ergo *idem* pro item? NULLUS SUM] Plus eſt *nullum eſſe*, quam *periiſſe*. nam qui perit, vel corpus habet reliquum: qui vero nullus eſt, ita non eſt, ac ſi natus non ſit.

21. HINC] Id eſt, ex hoc loco. RECTA PROFICISCAR VIA?] Bene RECTA, ut corporis impulſionem lucrifaciam. aut RECTA, ut non eam ad precatorem, aut ad Pamphilum. Et bene PROFICISCAR. *Proficiſci* enim in rem aegram ac difficilem dicimus. Et RECTA VIA, plana dixit, non tantum recta.

22. NIHIL EST PRECI LOCI RELICTUM] Subjungit ergo cauſas cur proficiſcatur in piſtrinum. NIHIL EST PRECI] Quod praedixit ſenex. JAM PERTURBAVI OMNIA] Allocutio, in qua quid metuat, quid velit, manifeſtum eſt.

23. HERUM FEFELLI] Haec enumeratio cauſarum eſt, qua magnifice exaggeravit errores ſuos. CONJECI] Nec immiſi, ſed CONJECI: quod impetum & injuriam ſignificat. HERILEM FILIUM] Τὸν τρόφιμον.

24. FECI HODIE] Nec ſolum FECI, verum etiam addidit tempus, HODIE: ut ne diecula quidem ejus ſit, quod fecerat, mali. INSPERANTE HOC, ATQUE INVITO] INSPERANTE & INVITO, duplex offenſio.

COMMENTARIUS.

NI DOMI EST, ſine dubio eſt domi. Sic Eun. II. 1. 24. Et II. 3. 52. Heaut. IV. 1. 50. Et Ovid. Metam. VII. 11.

Neſcio quis Deus obſtat, ait. mirumque, niſi *hoc eſt.*

20. EADEM] Valet, eadem opera, eadem ratione. Eſtque ellipſis comica. Plaut. Merc. IV. 4. 62.

Eadem *licebit mox coenare rectius.*

Poen. III. 3. 3.

Interibi attulerint exta: atque eadem *mulieres*
Jam ab re divina, credo, apparebunt domi.

21. PROFICISCAR] Dicitur etiam de breviori itinere ex aedibus ad aedes ejuſdem urbis. Eun. II. 2. 49. Phorm. V. 6. 20. Plautus paſſim.

22. NIHIL EST PRECI LOCI RELICTUM] Phorm. III. 3. 14. Cic. Fam. I. 1. *Sed plane nec* precibus *noſtris, nec admonitionibus* relinquit locum, & Fam. IV, 3. *Tuae* ſcientiae *excellenti ac ſingulari non multo plus, quam noſtrae* relictum eſt loci.

23. IN NUPTIAS CONJECI] Violentiam notat *conjiciendi* verbum. Sic infra III. 5. 14.

Qui me hodie ex tranquilliſſima re conjeciſti in nuptias.

Et IV. 1. 44.

Eho dic mihi, ſi omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod, niſi hoc, conſilium darent?

Cic. Catil. II. 1. *In apertum latrocinium* conjecimus.

24. INSPERANTE HOC, ATQUE INVITO PAMPHILO] Quae Donatus ad haec verba notavit, INSPERANTE ET INVITO, *duplex offenſio*, anſam dederunt doctiſſimis Viris cogitandi & de Simone, & de Pamphilo. Fabrini: *Non ſperando, ne volendo Panfilo.* Muretus ineptum dicit, utrumque referre ad Pamphilum. Boeclero Donatus utramque vocem ad Pamphilum retuliſſe videtur. Mureto aſſentior, vel ideo, quod, ubi dixiſſet Davus, IN NUPTIAS CONJECI HERILEM FILIUM, non poterat ſatis Latine continuo addere, INSPERANTE ET INVITO PAMPHILO. Quum igitur dicit, INSPERANTE HOC, digitum intendit in Simonem domum abeuntem. Et ſane inſperante Simone factum erat, ut Pamphilus diceret, ſe Philumenam ducturum uxorem. Sic II. 6. 5.

Praeter ſpem evenit.

Unde

Hem aſtutias! quod ſi quieſſem, nihil eveniſſet mali.
Sed eccum ipſum video. occidi.
Utinam mihi eſſet aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem.

DONATI.

25. Hem astutias!] Bona εἰρωνεία. Pluraliter dixit astutias: quaſi is, qui abundet aſtutiis, ut ei una non ſufficeret.

27. Utinam mihi esset aliquid] Non dixit gladium, aut laqueum: ne eſſet tragicum. Ergo expreſſit bene, dicens quo me nunc praecipitem darem.

COMMENTARIUS.

Unde & in edit. Venet. 1490. ab antiqua manu adſcriptum, *Simone*; & in optimis impreſſis κόμματος ſignum poſt eandem vocem videtur. Tum ſolet ſervus per contemtum Simonem herum pronomine illo deſignare. Sic ſupra I. 2. 13. II. 4. 2. II. 6. 1. III. 1. 12. III. 2. 15.

25. Astutias] Mſſ. pluſculi cum Eugraphio legunt Astutia.

Quod si quiessem] Sic infra IV. 2. 8.

Quibus quidem quam facile potuerat quieſci, *ſi hic* quieſſet.

27. Utinam] Verſus hic Guyeto ſpurius, & Terentio indignus videtur, nulla addita ratione. Forte offendit illud quo, quod certe videbatur ei eſſe, *quo* ſe praecipitem daret, ſed *unde* ſe praecipitaret, h. l. locus ſatis editus, non erat. Cauſa autem nulla eſt, quare loco moveatur verſus, quum & Donatus agnoſcat, & Mſſ. tueantur, & ſententia ſit apta deſperanti, adeoque perturbato, ut, quid diceret, vix cogitaret. Niſi forte *quo* pro *ut* poſitum. Tum praecipitandi vel ſe, vel alium frequens mentio in Comoedia Attica, ubi ſurſum deorſum curſitandum erat ſervis. Eun. II. 2. 47. Sic Adelph. IV. 2. 36. & III. 2. 20. Poſſit & quo valere, a quo, ſub. loco.

ACTUS TERTII

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS. DAVUS.

Pa. Ubi illic eſt ſcelus, qui me perdidit? *Da.* Perii. *Pa.* Atque hoc confiteor,

Jure

DONATI.

Ubi illic est scelus] *Haec Scena, cujus perturbationis eſſe debeat, etiam ſupra Poeta praeſtruxit, quum ad conſentiendum Davi conſilio tardum Pamphilum faceret.*

1. Ubi illic scelus] Accuſatio. Ubi illic est scelus] Nimium terribile eſt, ſaevire ante quam videas eum, contra quem iraſceris. Ubi illic sit scelus, qui me perdidit?] Ad intellectum, non ad verba redegit. & eſt figura σύλληψις per genera. [1] *Virgilius,*

Pars

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. I. 216.

Jure mihi obtigiſſe, quando quidem tam iners, tam nulli conſilii
Sum. ſervon' fortunas meas me commiſiſſe futili?
Ergo pretium ob ſtultitiam fero: ſed inultum nunquam id auferet.
Da. Poſthac incolumem ſat ſcio fore me, nunc ſi hoc devito
malum.
Pa. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui

D O N A T I.

Pars in fruſta ſecant.

Sed hic figura eſt per numeros: nam quia SCELUS ſceleſtus intelligitur, modo QUI ſubjunxit, non QUOD.

2. TAM INERS] Sine arte, id eſt, ſine ἀρετῇ. TAM NULLI CONSILII] Una pars orationis eſt, *nulli conſilii.* nos, *nullius* & *ſolius*: [1] recte autem veteres, *nullo nulli*, *ſolo ſoli*, declinabant.

3. ME COMMISISSE] Non commendaſſe: ſed, COMMISISSE. *Committimus* enim quae cum magno periculo volumus eſſe ſervata. FUTILI] Levi. nam a vaſe, quod *futile* dicitur, quod non deponunt miniſtri ſacrorum, quod eſt acuto fundo, & patulo ore, eoque inſtabile eſt. [1] *Virgil.*

Conſiliis habitus non futilis auctor.

4. ERGO PRETIUM OB STULTITIAM FERO] Ergo pretium & praemium generaliter pro bene aut male facto redditur. ſed diſcernitur ita. nam pretium pro ſtultitia, eſt poena: pretium pro virtute, honor eſt & lucrum. PRETIUM OB STULTITIAM] Sic [4] *Plautus* locutus eſt, *Pretium ob aſinos*: pro, aſinorum pretium. [5] *Virgil.*

Rem magnam, pretiumque moras fore.

Et [6] alibi,

Illum Tydides alio pro talibus auſis
Afficit pretio. —

& eſt figura ἔκλειψις. ut apud [7] *Virgil.*

Invidiſſe Deos patriis ut redditus aris.

5. POSTHAC INCOLUMEM SAT SCIO FORE ME] Sic dicere ſolemus in magno periculo poſiti: nunquam nos periclitaturos, ſi illud periculum potue-

O B S E R V. I N D O N A T.

2. *Recte autem veteres*, nullo nulli, ſolo ſoli *declinabant*] Lege ex Mſ. Hulſt. *Nullus nulli*, *ſicut ſoli.*

1. *Virgilius*] Aeneid. XI. 339.

4. *Plautus*] Leguntur verba in Argumento Aſinariae. Creduntur autem Argumenta Fabularum Plautinarum eſſe a Priſciano. Cui ſententiae ſi accedimus, oportet, Donatus haec non notaverit, utpote duobus fere ſeculis Priſciano antiquior. Mihi vero non ſit veriſimile, tam ſcitum locum inſcito interpolatori veniſſe in mentem. Crediderim ergo potius, Donati adhuc aetate ipſum Plautum etiam Argumentorum auctorem eſſe habitum, ſive is revera fuerit, ſive ſecus.

5. *Virgilius*] Aeneid. IX. 232.

6. *Alibi*] Aeneid. XII. 351.

7. *Virgilium*] Aeneid. XI. 269.

C O M M E N T A R I U S.

3. FUTILI] Mſ. Mark. FUTULI. Donati vero etymon uberius refert vetus Scholiaſtes ad Statii Theb. VIII. 297.

nec futile *moeſtis*
Id viſum Danais.

hiſce verbis: Futile *vas eſt quoddam lato ore, fundo anguſto, quo utebantur in ſacris Veſtae, quia aqua in ſacris Veſtae in terra non ponitur, quod ſi fiat, piaculum eſt. Ideo excogitatum eſt vas, quod ſtare non poſſet, ſed ſi poſitum, ſtatim funderetur. Unde & homo commiſſa non retinens* FUTILIS *dicitur, contra* NON FUTILIS, *bonus in conſiliis.* Eadem ad locum Virgilii Donato laudatum habet Servius. Plura vide in Voſſii Etymolog.

4. PRETIUM OB STULTITIAM FERO] Juvenal. Sat. XIII. 105.

Ille crucem pretium *ſceleris* tulit, *hic diadema.*

Eſt vero PRETIUM vox media, notans & poenam. Horat. Carm. III. 24. 24.

Et peccare nefas, aut pretium *eſt mori.*

Idem Carm. III. 14. 27.

Non ego hoc ferrem, *calidus juventa*
Conſule Planco.

INULTUM NUNQUAM ID AUFERET] Alii, A ME AUFE-

Digitized by Google

Qui ſum pollicitus, ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec quid me nunc faciam, ſcio. *Da.* Nec quid de me: atque id ago ſedulo.
Dicam, aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.
Pa. Ohe. *Da.* Viſus ſum. *Pa.* Ehodum, bone vir, quid ais? viden' me tuis conſiliis
Miſe-

DONATI.

potuerimus evadere. POSTHAC] Audacter ſe incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multiſque ſit periculis conferta. Sed hoc dicit: Sic, inquit, periclitor; ſi hoc evaſero, ſcio me non poſtea periclitaturum. *Menander* ſic: ἂν Θεὸς ΦΕΥΓΕΙ ΟΥΚ ΑΝ ΑΠΟΛΥΜΠΠΕ *, & eſt ſenſus, Tam difficile eſt hinc evadere, ut qui hinc evaſerit, videatur immortalis futurus.

6. DICAM PATRI] Bene PATRI, non Simoni: ut de auctoritate hujus nominis ſummus terror exſurgat. MODO QUI SUM POLLICITUS] MODO, mire. etenim majorem vim habent recentiora promiſſa.

7. QUI SUM POLLICITUS] Oratorie. melius POLLICITUS SUM dixit, quam ſi *promiſi* diceret.

QUA FIDUCIA] QUA FIDUCIA, ad perſonam ſuam retulit. & FIDUCIA modo impudentiam ſignificat.

8. NEC QUID ME NUNC FACIAM, SCIO] Nos, QUID FACIAM, veteres autem ME addebant. Et nota FACIAM, cum ablativo caſu. Ablativus caſus, ME. ATQUE ID AGO SEDULO] Id quaero, hoc eſt, ut inveniam quid faciam.

9. ALIQUAM PRODUCAM MORAM] PRODUCTEM legitur & PRODUCAM. Significat autem differam, protendam, prolatem.

10. EHODUM, BONE VIR] Gravis interrogatio, & minantis cum iracundia. Et hoc *εἰρωνεία* proſequitur, cum omne genus contumeliae leve in eum * dicimus, in quem ferimur iracundia. VIDEN' ME?] Hoc eſt, nunquid negare potes?

OBSERV. IN DONAT.

8. Ἂν Θεός.] Iſaacus Caſaubonus ita reſtituit: Ε῎ιδεν ἀποφεύγειν, ὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ.

9. *Dicimus*] Lege ex Mſ. Hulſt. *Ducimus.*

COMMENTARIUS.

AUFERET. ſine dubio perperam. Adelph. III. 5. 8. Dicitur autem *Auferre* quid, qui impune diſcedit. Idem & *Ferre* dicitur. Heaut. V. 1. 45. Ita quod impune fit, dicitur *abire*. Supra I. 1. 4.

7. SUM POLLICITUS DUCERE] Ita vulgo junctim editur. Clarior vero erit ſententia, & propior ad mentem Terentii, commate inſerto poſt POLLICITUS. Ut ſenſus ſit: *Negabon' me velle ducere, qui modo ſum pollicitus?* Ita Donatus.

8. NEC QUID DE ME] Ita exhibent pleraeque editiones. Aliae, NEC QUIDAM ME. Rurſus aliae, in quibus eſt Juntina: NEC ME QUIDEM. Elegantius erit, ſi repetantur Pamphili verba, ſine ulla immutatione. Id vidit Guyetus, reſcribens:

Nec quid me nunc faciam, ſcio. DA. *Nec quid me.* Mſ. Mark. & edit. Venet. 1490. *Nec quid de me nunc faciam, ſcio.* DA. *Nec quid de me.* Magis comicum videtur abſolutum ME. Sic infra IV. 2. 26.

quid me *fiet?*

Adelph. IV. 4. 1.

ut neque quid me faciam, *neque quid agam, certum ſiet?*

Plaut. Aul. IV. 10. 46.

EV. *Quid ſi fallis?* LY. *Tum* me faciat, *quod volt, magnus Jupiter.*

Eadem ratione & MIHI dicunt. Ovid. Arte Amand. I. 536.

Perfidus ille abiit: quid mihi *fiet? ait.*

11. IM-

Miſerum impeditum eſſe? *Da.* At jam expediam. *Pa.* Expedies? *Da.* Certe, Pamphile.

Pa. Nempe ut modo. *Da.* Immo melius, ſpero. *Pa.* Oh, tibi ego ut credam, furcifer?

Tu rem impeditam & perditam reſtituas? hem! quo fretus ſiem,

Qui me hodie ex tranquilliſſima re conjeciſti in nuptias.

An

DONATI.

11. Impeditum esse?] *Impeditus* eſt proprie, qui ita pedes habet illigatos, ut progredi non poſſit. Sed hic ad negotium retulit. At jam expediam] Non ſe defendit, ſed emendaturum promittit. Et bene ad impeditum, expediam retulit. duo promiſit ſimul: & tempus cum celeritate, & effectum.

12. Immo melius, spero] Bene melius comparativo eſt uſus, quaſi hoc bonum ſit, illud melius. Furcifer?] *Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiae magis, quam ſupplicii cauſa, circa vicinos furcam in collo ferre, ſubligatis ad eam manibus, & praedicare peccatum ſuum, ſimulque ſummonere caeteros, ne quid ſimile admittant. Itaque & [10] *Cicero* de ſervo, *Quid inde furcifer? quo progreditur?*

13. Tu rem impeditam et perditam restituas?] Multum progreſſus eſt, impeditam [11] dicere: modo perditam dixit. Senſus hic eſt, Integram perdidiſti, & perditam reſtituas? Tu?] Hoc eſt, qui integram expeditamque turbaſti. Quo fretus siem] Eſt memor ſe ante dixiſſe, *Davum video, cujus conſilio fretus ſum.*

OBSERV. IN DONAT.

10. *Cicero*] Orat. pro Dejot. cap. IX. Ubi nunc legitur: *Quid deinde? furcifer quo progreditur?*

11. *Dicere*] Lege, *Dicens.*

COMMENTARIUS.

11. Impeditum] Rationem locutionis expoſuit Donatus. Sic Plaut. Epid. I. 1. 79.

Neque ego nunc quomodo me expeditum *ex* impedito *faciam*,

Conſilium placet.

Cic. Verr. II. 42. *Hic videte, in quot ſe laqueos induerit, quorum ex nullo ſe unquam* expediret. Idem Graecis *ἐνδύεσθαι* & *ἐκδύεσθαι* dicitur. Utrumque igitur, & *impedire*, & *expedire* a compedibus ad omnes difficultates transfertur. Sic. Phorm. II. 4. 2.

Gnatus, qui me & ſe hiſce impedivit *nuptiis*

Plaut. Mil. IV. 9. 11.

Ipſus illic ſeſe jam impedivit *in plagas.*

Noſter rurſus Hec. III. 1. 17.

Vix me illinc abſtraxi, atque impeditum *in ea* expedivi *animum meum.*

Ita Mercurius dicitur *expedire* res & rationes mercatorum. Plaut. Amph. Prol. 5. Phaed. 1. 16. 2. *Rem expedire.* Sed & *expeditio* proprie eſt militum e caſtris miſſorum ſine ſarcinis aut impedimentis.

13. Fretus siem] Mſſ. quidam, fretus sum. fortaſſe rectius. Supra II. 1. 35.

P. *Davum optume*

Video; cujus conſilio fretus ſum.

14. Ex tranquillissima re] Sic Phorm. IV. 4. 9.

Qui ſe ad ſcopulum e tranquillo *inferat.*

Plaut. Capt. III. 4. 6. eodem ſenſu:

qui ex parata *re* imparatam *omnem facis.*

Cicero Fam. IX. 1. *Videbar enim mihi, quum me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſiſſem.*

15. An non dixi, hoc esse futurum?] Dixerat id ſupra II. 3. 12.

Ut ab illa excludar, huc concludar.

Pa. Quid meritus? Da. Crucem] Obſervat Petrus Nannius Miſcell. Lib. II. fin. Non temere hoc fieri, quod Davus ad interrogationem Pamphili de ſuo merito ipſe ſuam poenam aeſtimet, ac dignum ſe cruce pronunciet; his quidem verbis: *Plane id ex moribus Athenienſis*

populi

Digitized by Google

An non dixi hoc eſſe futurum? *Da.* Dixti. *Pa.* Quid meritus?
Da. Crucem.
Sed ſine paululum ad me redeam: jam aliquid diſpiciam.
Pa. Hei mihi.
Cur non habeo ſpatium, ut de te ſumam ſupplicium, ut volo?
Namque hoc tempus, praecavere mihi me, haud te ulciſci, ſinit.

DONATI.

15. HOC ESSE FUTURUM] *Ut ab illa excludar, huc concludar.* Et, *vide quo me inducas.* CRUCEM] Plena ſatisfactio eſt, confeſſio peccati ſine recuſatione poenarum. nam mitiores eos reddimus, quibus [12] vultu operae pretium pro delictis noſtris offerimus. [13] *Virgilius*,

Equidem merui, nec deprecor, inquit.

16. AD ME UT REDEAM] *Redire ad ſe* dicitur, qui animum recipit, & ſedem mentis. [14] *Virgil.*

Victus redit ad ſe.

Et hic de corpore dixit. Ad ſe autem redit, qui amens eſſe deſiſtit. DISPICIAM] *Diſpicere*, eſt diſquirere conſilium, *Deſpicere*, deorſum aſpicere.

17. CUR NON HABEO SPATIUM] *Oiκονομία.*

18. NAMQUE HOC TEMPUS PRAECAVERE] Sic [15] *Virgilius*,

Sed motos praeſtat componere fluctus.

Et eſt σύλληψις. illud enim cogit, hoc ſinit.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Vultu operae pretium*] Lindenbruchius rectius eſſe opinabatur, *quibus ultro operae pretium.* Quid ſi ſcripſerit Interpres: *quibus ultro poenam meritam pro delictis noſtris offerimus.* Ita conjiciebat Doctiſſ. Wielingius.

13. *Virgilius*] Aeneid. XII. 931.

14. *Virgilius*] Georg. IV. 443. Editur autem vulgo: *victus in ſeſe redit.*

15. *Virgilius*] Aeneid. I. 135.

COMMENTARIUS.

populi, ubi rei convicti capitalis facinoris primum condemnantur, nullo expreſſo ſupplicio. Deinde ipſi interrogantur, quid ſe meritos putent? Illi autem, quo magis miſerabiles appareant, in majus ſuam poenam aeſtimare ſolent. atque ita non raro mollitis judicibus caput ſalvum auferunt. Appoſitus apprime eſt locus Ariſtoph. Ran. 1044. Τί παθεῖν φήσεις ἄξιος εἶναι; ΔΙ. Τεθνάναι. *Quo ſupplicio dignum te dicis?* BA. *Morte.*

17. CUR NON HABEO?] Mſſ. Leidenſium unus: QUOD NON HABEO. Guyetus malebat, QUUM NON HABEO. quomodo etiam eſt in Mſ. Traject. & editionibus quibuſdam vetuſtis. Sic infra IV. 1. 22. Plaut. Menaechm. II. 2. 29.

hei mihi!

Quum *nihil eſt, illi qui homini diminuam caput.*

18. NAMQUE HOC TEMPUS] Imitatus Salluſtius, Jug. 52. *Res monet, cavere ab illis magis, quam quid in illos ſtatuamus, conſultare.* Sic Eun. IV. 6. 24. Tacit. Annal. XI. 31. Idem conſilium Venus dat Aeneae. Virg. Aeneid. II. 594.

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam noſtri tibi cura receſſit?
Non prius adſpicies, ubi feſſum aetate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet conjuxne Creuſa,
Aſcaniuſque puer?

SINIT] Non refertur etiam ad PRAECAVERE, ſed tantum ad ULCISCI. Scilicet quoties duo verba requiruntur, quorum alterum negat, alterum affirmat; ſeu alterum jubet, alterum prohibet, vel prius omittitur, uti h. l. & Virg. Aeneid. III. 260. vel poſterius, uti Phaed. IV. 17. 31.

Non veto dimitti, verum cruciari fame.

Sub. jubeo. in editione anni 1469. eſt: NAMQUE HOC TEMPUS PRAECAVERE MIHI ME MONET, HAUD TE ULCISCI SINIT. Ex gloſſa ſcilicet.

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

Ch. HOCCIN' eſt credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut ſiet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius ſua ut comparent commoda? ah!

Id

DONATI.

HOCCIN' CREDIBILE EST] *Elegans perturbatio, in qua inter ſe Simo, Pamphilus, Davus, Charinus, Byrrhia, Chremes omnes omnibus redduntur offenſi.*

1. HOCCIN' CREDIBILE EST] Et incredibile eſt, inquit, & nefandum. E contrario enim ab interrogatione quadam incipiunt, qui nimis iraſcuntur. ut & illud, *Hoccine humanum factum?* Et totum hoc in pronuntiatione eſt. hoc enim genus interrogationis vim negandi exprimit. HOCCIN' CREDIBILE EST] A generalitate incipit, ut [1] *Cicero, Quam facile ſerpat injuria & peccandi conſuetudo, quam non facile reprimatur, videte, judices.*

2. CUIQUAM UT SIET] Singulari & plurali numero reſpondet. CUIQUAM UT SIET, UT MALIS GAUDEANT] Cum dixiſſet CUIQUAM, intulit numerum pluralem. ut alibi,

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minime multos laedere:
In his Poëta hic nomen profitetur ſuum.

3. UT MALIS GAUDEANT] Legitur & GAUDEAT. ATQUE EX INCOMMODIS ALTERIUS SUA UT COMPARENT COMMODA?] Hoc eſt, non intelligunt commoda ſua, niſi ex alterius incommodis ea aeſtimaverint. EX INCOMMODIS ALTERIUS] [2] Et hic GAUDEANT, ſubauditur.

4. SUA UT COMPARENT] Hoc eſt, acquirant, vel aeſtiment, metiantur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Cicero*] Verr. II. 22. 2. *Et hic* GAUDEANT *ſubauditur*] Quis credat, haec eſſe a Donato?

COMMENTARIUS.

2. VECORDIA INNATA CUIQUAM] Intelligit ἀγνωμοσύνην, animum malignum. Catull. XVI. 14.

Quod ſi te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, ſceleſte, culpam.

Dixit autem, INNATA, uti Plaut. Mil. IV. 2. 71.

Non mihi avaritia unquam innata *'ſt.*

Poen. I. 2. 87.

Invidia in me nunquam innata *'ſt, neque malitia.*

3. UT MALIS GAUDEANT] Mſſ. quidam, UT MALIS GAUDEAT. Et mox, COMPARET. Ita & cum Juntina nonnullae editiones vetuſtae, etiam anni 1469. Eſt in P. Syri ſententiis:

Alterius damnum gaudium *haud facias tuum.*

Quod ita ὁ πάνυ Joſephus Scaliger extulit:

χαρὰν ἑαυτῷ μὴ ποιεῖν τ' ἄλλων κακά.

Illud enim vitii ἐπιχαιρεκακίαν vocant Graeci. Cicero Offic. III. 5. *Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor.* Horat. Lib. II. Sat. 3. 72.

Quum rapies in jus malis ridentem alienis.

Menander:

Ταῖς ἀτυχίαις μήποτ' ἐπίχαιρε τῶν φίλων.

Citat Stobaeus Flor. Tit. CXII. Homer. Odyſſ. XX. 347.

Oi

Digitized by Google

Id ne 'ſt verum? immo id eſt genus hominum peſſimum.
In denegando modo quîs pudor paululum adeſt:
Poſt ubi tempus promiſſa eſt jam perfici,
Tum coacti, neceſſario ſe aperiunt:
Et timent: & tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentiſſima oratio eſt,
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?

Heus,

DONATI.

5. ID NE 'ST VERUM? IMMO ID GENUS] Alii ſic, Verum eſt; hoc genus hominum hominem ſe probavit eſſe, cum malus ſit: & ſic contra hoc, Immo non hominem, ſed peſſimum hominem ſe probavit. ID NE 'ST VERUM? IMMO ID GENUS] Parum accuſaverat, dicens, Id ne 'ſt verum hominum genus? & ideo addidit, Immo id genus hominum eſt peſſimum. ut hoc facere, non hominis modo ſit, ſed peſſimi hominis.

6. IN DENEGANDO MODO] Modo, pro tantummodo. Quîs PUDOR PAULULUM ADEST] Adeſt pudor, ne denegent: non adeſt, ut & praeſtent.

7. POST UBI TEMPUS] Deeſt EST: ut ſit, TEMPUS EST.

8. NECESSARIO SE APERIUNT] Mire ait NECESSARIO, quia natura ſunt tales: neceſſitas autem in natura eſt conſtituta. APERIUNT] Mire, APERIUNT: quoniam tunc cum promittebant, mali erant: ſed latebat malitia intra pectoris altitudinem.

9. ET TIMENT, ET TAMEN RES COGIT DENEGARE] Bis numero ſubauditur DENEGARE. Et melius TIMENT, quam ſi diceret, *pudet eos.* nam timor eſt etiam malorum: pudor, tantum bonorum. RES] Malitia ſcilicet, tanquam mali ſint ad rem, quam praeſtare non poſſunt.

11. QUIS TU ES? QUIS MIHI ES?] QUIS TU ES? ad dignitatem refertur: QUIS MIHI ES? ad neceſſitudinem: id eſt, frater, aut cognatus. Et haec verba mollia ſunt dictu, ſed animo aſpera. CUR MEAM TIBI?] Ἔλλειψις.

COMMENTARIUS.

Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι, γελώων ἀλλοτρίοισι.
Illi vero jam malis ridebant alienis. Imitatus Livius IV. 58. *Tantum abſuit, ut ex incommodo alieno ſua occaſio peteretur.* Contrarium eſt Heaut. II. 4. 16.

me quidem ſemper ſcio feciſſe ſedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum.

Et Cicero Fam. X. 8. *In damno meae laudis reip. commodo laetabor.*

5. ID NE 'ST VERUM?] Rei atrocitate percitus Charinus ſuſpirans quaſi dubitare ſecum videtur, fierine poſſit, ut homines ſint ejuſmodi, qualem ipſe Pamphilum expertus erat. Si enim VERUM notet *aequum*, ut poſt Servium ad Virg. Aeneid. XII. 694. vulgo accipitur, multum ex emphaſi & affectu Charini perire neceſſe eſt.

6. Quîs PUDOR PAULULUM ADEST] Δυσωπίαν vocant Graeci. Magis negat pudorem, quam ſi ſimpliciter dixiſſet: *quibus pudor parum eſt.* Valet igitur: quibus non tantum non eſt pudor, ſed ne minimum quidem pudoris. Eadem conſtructione dixit Plautus Menaechm. Prol. 16.

Tantum ad narrandum argumentum adeſt benignitas.

8. SE APERIUNT] H. e. quod clauſum in pectore habuerant, manifeſtant. Nepos Themiſt. cap. 8. *Hac neceſſitate coactus, domino navis, quis ſit,* aperit. Dion. cap. 8. *Quod inimici ejus diffidenti ſuos ſenſus* aperturi *forent.*

9. RES COGIT DENEGARE] Variant Mſſ. & editi. In quibuſdam, RES PREMIT DENEGARE, in aliis, RES PREMIT EOS DENEGARE. Sed neſcio quomodo non placet τὸ PREMIT, primum, quod Terentianum non eſt; tum, quod Anteſignanus, editor ἀκριβέστατος, exhibuit COGIT; denique quod haec vox elegantius infertur poſt τὸ COACTI. Mſ. Mark. RES COGIT EA EOS DENEGARE. Edit. 1469. RES EORUM PREMIT.

11. QUIS TU ES?] Formula contemnendi alterum prae ſe. Cic. Fam. VII. 16. *Oro te,*

Heus, proximus ſum egomet mihi. Attamen ubi fides?
Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus eſt,
Non verentur: illic, ubi nihil opus eſt, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo injuriam hanc
expoſtulem?

Inge-

DONATI.

12. HEUS, PROXIMUS SUM] Heus ſignificatio eſt modo nominis, ad intentionem conſiderationemque revocandi. PROXIMUS SUM EGOMET MIHI] Id eſt, charior mihimet ipſi ſum, quam quiſquam alienus. PROXIMUS] Charus, benevolus. Et hoc eſt quod ait ſupra, *Quo aequior ſum Pamphilo, ſi ſe illam in ſomnis, quam illum amplecti maluit.* Inde *proximi* & *propinqui* dicuntur, qui nobis chari eſſe debent.

13. SI ROGES] Abundat, SI ROGES: ſed ἠθικῶς additum eſt. NIHIL PUDET] *Pudor* eſt mali facti: *verecundia* recti & honeſti. Ergo mire poſuit. HIC UBI OPUS EST] Salvo pudore. HIC] Ubi promiſerant.

14. ILLIC, UBI NIHIL OPUS EST, IBI] ILLIC & IBI, aptum iraſcenti repetitionis genus. ILLIC] Legitur & ILLI. UBI NIHIL OPUS EST] Ubi nondum promiſerunt, ibi verentur; quod ait ſupra, IN DENEGANDO MODO QUIS PUDOR EST PAULULUM.

15. ADEAMNE AD EUM] Hic locus deliberationis eſt: an adeat ad Pamphilum. Et unum AD abundat, & moraliter verba Charini ſunt poſita. INJURIAM] Pro, de injuria. EXPOSTULEM] *Expoſtulatio* eſt adverſus eum, quem incuſamus. nam *expoſtulare*, eſt querelam apud eum ipſum deponere, de eo ipſo qui fecit injuriam. *Poſtulare* autem, querelam dicere de altero apud alterum.

COMMENTARIUS.

quis tu es? Ovid. Heroid. II. 106.

Hei mihi! ſi, quae ſim Phyllis, & unde? rogas.

Flor. III. 10. Quis eſt *autem Caeſar?* & IV. 12. Qui vos eſtis?

12. PROXIMUS SUM EGOMET MIHI] Eandem ſententiam varie extulerunt. Plaut. Trin. V. 2. 30.

Tunica propior pallio eſt.

Cicero Fam. XVI. 23. γόνυ κνήμης ſub. ἔγγυον. Theocr. Idyll. XVI. 18. ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνᾶμα. Euripid. Med. 86.

Ὡς πᾶς τις αὐτὸν τῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

Eodem ſenſu Noſter ſupra II. 5. 15.

Verum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet:
Omnes ſibi malle melius eſſe, quam alteri.

Cicero Orat. pro Sext. cap. 18. *Suaque ſibi propiora pericula eſſe, quam mea, loquebantur.*

UBI FIDES?] Cum interrogationis nota expreſſi, quod emphaſis dicti id requirere videretur. Sic Heaut. II. 3. 15.

o Jupiter, ubinam eſt fides!

Virg. Aeneid. XI. 55.

Haec mea magna fides?

Suet. Ner. 49. *Haec eſt* fides?

13. HIC, UBI OPUS EST, NON VERENTUR] Plaut. Epid. II. 1. 1.

Plerique homines, quos, cum nihil refert, pudet:
ubi pudendum eſt,
Ibi eos deſerit pudor, quum uſus eſt, ut pudeat.

Trinum. II. 4. 102. ad eundem fere modum,

Eheu! ubi uſus nihil erat dicto, ſpondeo
Dicebat: nunc hic, quum opus eſt, non quit dicere.

Cicero Orat. pro Quint cap. 25. *Et ſero, & nequidquam pudet.*

15. CUM EO INJURIAM HANC EXPOSTULEM] Et ſimpliciter dicitur *Expoſtulare*, & *Expoſtulare* cum aliquo, & *Expoſtulare* cum aliquo injuriam, vel ſimile quid. Plaut. Moſtell. II. 2. 87.

Ita me Di amabunt, mortuum illum credidi
Expoſtulare, *quia percuſſiſſes fores.*

Idem Mil. III. 1. 102.

Tum obſtetrix expoſtulavit mecum, *parum*
miſſum ſibi.

Eſt vero *expoſtulare* proprie tanta cum vehementia poſtulare, ut impetres. Suet. Tib. 13. *Quo praecipue, non jam metu, ſed diſcrimine, coactus eſt tam ſuis, quam matris impenſiſſimis precibus reditum.*

Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, nihil promoveris.
Multum: moleſtus certe ei fuero; atque animo morem geſſero.
Pa. Charine, & me, & te imprudens, niſi quid Dî reſpiciunt,
perdidi.
Ch. Itane, imprudens? tandem inventa 'ſt cauſa. ſolviſti fidem.
Pa.

DONATI.

16. INGERAM MALA MULTA] Quaſi tela, ita ſe dicit ingeſturum mala: ATQUE ALIQUIS DICAT, NIHIL PROMOVERIS] Hoc dicit, Et ſi exiſtat aliquis qui mihi dicat, Quid profeceris? reſpondebo, Multum.

17. MULTUM] Non ſubjunxit, quo modo multum? ſed, illud faciam. MULTUM] Subauditur, *promovero*. MOLASTUS CERTE EI FUERO] Tranſitum fecit dicendo, MOLASTUS CERTE AI FUERO. hoc eſt, ſi nihil aliud promovero, certe ei moleſtus fuero. ATQUA ANIMO MOREM GESSERO] Erit fructus iracundiae ex vindicta. Et per iracundiam atque turbationem non invenit quod ſit MULTUM: aliud ergo invenit; MOLESTUS CERTE EI FUERO.

18. CHARINE, AT ME, ET TE] Mire & artificioſe fecit, Pamphilum priorem alloqui, adperfringendam iracundiam Charini. alioquin ſi prior vociferari potuiſſet, tragica exclamatione uſus fuiſſet. IMPRUDENS] Defenſio ab imprudentia. etenim niſi bonae eſſet conſcientiae, nunquam diceret, TE PERDIDI, purgaturus.

19. ITANE, IMPRUDENS?] IMPRUDENS, diſtingue. Et attende, hoc illum repetere, quod indignatur magis, quaſi audierit IMPRUDENS, & non audierit reliqua. ITANE, IMPRUDENS?] Quia articulus omnis defenſionis per conceſſivam qualitatem hoc dicto eſt conſtitutus: idcirco hoc ipſum Charinus per infirmationem repetit, hoc cupiens eripere Pamphilo, quo ille maxime nititur.

COMMENTARIUS.

ditum expoſtulare. Tac. Hiſt. I. 73. *Per idem tempus* expoſtulata *ad ſupplicium Galvia Criſpinilla, variis fruſtrationibus, & adverſa diſſimulantis Principis fama, periculo exemta eſt.* Quia vero ejuſmodi *poſtulatio* paſſim cum jurgio fit, inde & pro jurgari, rixari ſumitur.

16. INGERAM MALA MULTA?] h. e. convicium faciam cum clamore maximo? Plaut. Bacchid. IV. 8. 34.

ut ſibi mala multa ingeram?

Menaechm. V. 1. 16.

Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.
Omnia mala ingerebat, *quemquem aſpexerat.*
Itaque adeo jure coepta appellari eſt Canis.

Pſeud. I. 3. 125.

Ingere mala multa.

Quod paullo ante dixerat: *onera hunc maledictis.* Virgil. Aeneid. XI. 342.

Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.

Non abludit phraſis ſacra, Deut. XXXII. 23. Ubi quod οἱ LXX. verterunt: Συνάξω εἰς αὐτοὺς κακά, Caſtalio reddidit, *Congeram in illos mala.*

ATQUE ALIQUIS DICAT] Guyetus ſollicitat τὸ ATQUE, reponens AT. Malim, ſi quid mutandum, ATQUI. Tale eſt illud Phorm. II. 2. 20.

dices, ducent damnatum domum.

Cicer. Fam. XI. 1. *Succurret fortaſſe hoc loco alicui veſtrum.*

18. NISI QUID DI RESPICIUNT] *Reſpicere* homines dicebantur Dii propitii. Plaut. Bacchid. IV. 3. 24.

tace modo. Deus reſpiciet *nos aliquis.*

Cic. Att. I. 16. *Niſi quis* Deus reſpexerit. Sed & de hominibus dicitur. Adelph. III. 2. 55.

Nam hercle alius nemo reſpicit *nos.*

Martial. X. 10. 5.

Qui me reſpiciet, *dominum regemque vocabo.*

Hinc *Fortuna reſpiciens* eſt proſpera & favens, quae Romae colebatur in templo Jovis Victoris. Citat autem Lindenbruchius veterem formulam: DEUS, RESPICE NOS. Quin & in malum ſenſum uſurpatur. Juſtin. XIV. 4. *At vos, at, devota capita*, reſpiciant Dii, *perjuriorum vindices.*

19. SOLVISTI FIDEM] Ironice, pro, non liberaſti. Plancus Ciceroni, Fam. X. 21. *Aperte*

Digitized by Google

Pa. Quid tandem? *Ch.* Etiam nunc me ducere iſtis dictis poſtulas.

Pa. Quid iſtuc eſt? *Ch.* Poſtquam me amare dixi, complacita eſt tibi.

Heu me miſerum! qui tuum animum ex animo ſpectavi meo.

Pa. Falſus es. *Ch.* Nonne tibi ſatis eſſe hoc viſum ſolidum eſt gaudium,

Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?

Ha-

DONATI.

22. Qui tuum animum] Legitur, & cum.

23. Falsus es] Modo participium eſt, id eſt, *falleris*: ſi Pamphilus id dicit. Si vero conjungitur, pro *fallax* accipitur. Hoc solidum] Solidum, plenum, idoneum, integrum.

24. Nisi me lactasses] Produxiſſes, oblectaſſes, induxiſſes: quae ſignificatio fruſtrationem oſtendit. *Lactare*, eſt inducere in aliquam voluptatem, a *lactando*, unde & *oblectare* dicitur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Si Pamphilus id dicit*] Atqui Pamphilus id dicit, neque adeo convenit haec verba tribuere Charino. Malim igitur: *Sic Pamphilus id dicit*. h. e. eo ſenſu. Illa vero, *ſi vero conjungitur, pro* fallax *accipitur*, ſana non ſunt. Legerim, *ſi vero ne jungitur, pro* falſidicus *accipitur*. Neque enim fallaciae, ſed mendacii Pamphilus poterat arguere Charinum. Niſi id voluit Donatus, ſi τὰ falsus es tribuantur etiam Charino, valere *fallax es*, neque promiſſis ſtetiſti.

COMMENTARIUS.

denunciat, videam, ne fallar: ſuam fidem ſolutam *eſſe, reip. ne deſim*. Contra promittentes dicuntur *adſtringere fidem*. Eun. I. 2. 22.

Verum heus tu, hac lege tibi meam adſtringo fidem.

Eodem ſenſu Suet. Claud. 9. *Cum obligatam aerario* fidem liberare *non poſſet*.

20. Ducere] Mſſ. quidam & editorum vetuſtiſſimi, etiam anni 1469. seducere. Alii, subducere. Phorm. III. 2. 15. Plaut. Moſtell. III. 2. 26.

Hoc habet. reperi, qui ſenem ducerem.

h. e. dolis deluderem. Idem Capt. IV. 2. 7.

Hic ille eſt ſenex ductus, *quoi verba data ſunt*.

Idem Graecis eſt Ἄγειν. Lucian. Dial. Jovis & Junonis: καὶ ἄγει σε, καὶ φέρει τῆς ῥινός, φασιν, ἕλκων. Obſervat Lindenbr. ad h. l.

22. Tuum animum ex animo spectavi meo] Plaut. Trin. IV. 3. 42.

ex eorum ingenio ingenium horum probant.

Noſter Eun. I. 2. 118.

Ex aliarum ingeniis nunc me judicat.

23. Visum solidum est gaudium] Sic Eun. V. 2. 32.

Ut ſolidum *parerem hoc mihi beneficium.*

Plaut. Mercat. I. 1. 21.

Magno atque ſolido *multat infortunio.*

Eſt vero *ſolidum gaudium*, cui nullus dolor admixtus. *ſolida* enim ſunt, quae conſtant ex una materia.

24. Nisi me lactasses amantem] Bene obſervat Donatus, hanc vocem fruſtrationem oſtendere. Sic infra V. 4. 9. Metaphora vel a nutricibus, vel ab aucupibus tranſlata. Unde Accius apud Non. I. 25. *Fruſtrando lactans*. Plaut. Ciſtell. II. 1. 8.

Ita me amor laſſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,

Raptat, retinet, lactat, *largitur: quod dat, non dat, deludit.*

25. Habeas] Vide infra, V. 3. 18.

26. Confecit] Guyetus pro conflavit, quomodo jam Donati aetate lectum, conflat. Si conflat repoſuiſſet, ἀνακόλουθον poſt verser vitaſſet.

27. De te exemplum capit?] h. e. Si tuo exemplo uſus contra te, itidem fallit te, ut alii

a

Habeas. *Pa.* Habeam? ah! neſcis, quantis in malis verſer miſer,
Quantaſque hic ſuis conſiliis mihi confecit ſollicitudines,
Meus carnifex. *Ch.* Quid iſtuc tam mirum eſt, de te ſi exemplum capit?
Pa. Haud iſtuc dicas, ſi cognoris vel me, vel amorem meum.
Ch. Scio. cum patre altercaſti dudum: & is nunc propterea tibi
Succenſet: nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
Pa. Immo etiam, quo tu minus ſcis aerumnas meas:

Hae

DONATI.

25. HABEAS] Permiſſio animi irati. HABEAM? Ut ſupra, *Aut ſi tibi hae nuptiae ſunt cordi.* PA. *Cordi!* AH, NESCIS, QUANTIS IN MALIS VERSER MISER, QUANTASQUE HIC SUIS CONSILIIS MIHI CONFECIT SOLLICITUDINES] *Eiρωνεία*, ut ſupra, *Cujus conſilio fretus ſum.* Et cum VERSER protulerit, CONFICIAT debuit inferre. eſt ergo, *ἀνακόλουθον.* [4] aut ut eſt illud; *Principio, amice filium reſtitueris, tibi generum firmum, & filiae invenies virum.*

26. CONFECIT] Legitur & CONFLAVIT. SOLLICITUDINES] Perturbationes.

27. MEUS CARNIFEX] Id eſt, in me carnifex, qui me torſerit. ut alibi, *Deo irato meo:* hoc eſt, in me irato Deo. SI DE TE EXEMPLUM CAPIT?] Utrum, ſi te imitatur: an ſi de te exigit poenas? ut ipſe alibi, *Uterque exempla in te edent.* ſed melius, te imitatur, accipimus.

28. HAUD ISTUC DICAS, SI COGNORIS] Noſſi enim: ſed SI COGNORIS, non ita dicas.

29. CUM PATRE ALTERCASTI] Ab iis quae facta ſunt, ad ea quae facta non ſunt. CUM PATRE ALTERCASTI] Legitur & ALTERCATUS ES. non enim *alterco* dicimus.

30. NEC TE QUIVIT HODIE COGERE] Hoc argumentum attulit ex iis, quae non ſunt facta, cum fieri debuerint.

31. IMMO ETIAM] [5] Propterea & amplius. IMMO ETIAM] Deeſt, *audi.* QUO TU MINUS SCIS AERUMNAS MEAS: HAE NUPTIAE NON APPARABANTUR MIHI] Quo, id eſt, quod. & deeſt, *audi*, vel *accipe*: ut ſit, quod, vel quoniam minus ſcis. Vel quo, id eſt, ex quo, aut quare. Aut certe erit ſenſus, cum hujuſmodi tamen ſubauditione, *Immo etiam quo tu minus ſcis aerumnas meas, eo magis audi.* Aut, *Immo etiam hae nuptiae non parabantur mihi, quo ipſo minus tu ſcis aerumnas meas.* id eſt, falſae nuptiae erant: quae res te fallit magis, iraſcique mihi cogit [6] merito.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Aut ut illud*] Lege ex Mſ. Hulſt. *ut eſt illud.* Certe non diverſum quid narrat, ſed *ἀνακόλουθον* exemplum citat.

5. *Propterea*] Lege, *praeterea.*

6. *Merito*] Immo *immerito.*

COMMENTARIUS.

a te falluntur. q. d. Habuit domi, unde diſceret. Hinc illud Eun. III. 2. 43.

Quid tibi ego multa dicam? domini ſimilis es.

Adelph. III. 4. 52.

ex aliis ſumere exemplum *ſibi.*

Plaut. Moſtell. III. 2. 75.

Nunc hinc exemplum capere *vult, niſi tu novis.*

Si. Nae ille malo quidem ab opere exemplum *petit.*

Sermo eſt de aedibus ad *exemplum* aedium aliarum aedificandis. Quae Donatus & Eugraphius de poenis exigendis ſcribunt, nugae merae ſunt.

31. QUO TU MINUS SCIS AERUMNAS MEAS] Tuenda haec lectio, ex conſenſu Mſſ. & editorum

Hac nuptiae non apparabantur mihi:
Nec poſtulabat nunc quiſquam uxorem dare.
Ch. Scio: tu coactus tua voluntate es. *Pa.* Mane.
Nondum ſcis. *Ch.* Scio equidem illam ducturum eſſe te.
Pa. Cur me enicas? hoc audi: nunquam deſtitit
Inſtare, ut dicerem, me eſſe ducturum, patri:
Suadere, orare, uſque adeo donec perpulit.

Ch.

DONATI.

32. HAE NUPTIAE] Legitur & HAEC NUPTIAE. ſic enim veteres dixerunt. NON APPARABANTUR] *Apparari* cum dativo caſu ſemper cladem & perniciem ſignificat. ut [7] *Virgilius*,

Mihi ſacra parari.

34. COACTUS TUA VOLUNTATE] Haec eſt accuſatio. ille enim excuſat per imprudentiam: hic arguit voluntatem. hoc ergo dixit; Eo gravius, quod nullo cogente peccaſti.

36. CUR ME ENECAS?] Excrucias.

37. INSTARE, SUADERE, ORARE] Quia dixit, INSTARE, SUADERE, ORARE, non plus dicere poſſet, [8] quando nihil poteſt eſſe.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Virgilius*] Aeneid. II. 132.

8. *Quando nihil poteſt eſſe*] Mſ. Hulſt. *Quare nihil poteſt eſſe.* Unde ſuſpicor legendum, *Quartum nihil poteſt eſſe.* Dixit autem *Quartum*, quia tria praeceſſerant, *inſtare*, *ſuadere*, *orare*. Editio Veneta 1490. legit *quarto*.

COMMENTARIUS.

torum codicum, contra Guyetum reponentem: QUO SCIAS MAGIS AERUMNAS MEAS. Dicuntur enim haec verba quaſi ἐν παρενθέσει, habentque hunc ſenſum & ordinem: *Hae nuptiae non apparabantur mihi, nec poſtulabat nunc quiſquam uxorem dare. quanto minus tu ſcis aerumnas meas.* q. d. non fuerant nuptiae futurae ex mente mei patris, qui non conſtituerat mihi dare uxorem. quod quia tu ignoras, ignoras etiam aerumnas meas, qui dolis Davi in has nuptias conjectus ſum.

34. SCIO] Ita ſolent, qui per ironiam reſpondent. Sic infra V. 1. 19.

CH. *Erras. cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam.* SI. Scio.

COACTUS TUA VOLUNTATE ES] ὀξύμωρον eſt, cujus generis plura reperies apud Noſtrum. Homer. Iliad. Δ. 43.

ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ.

MANE] Formula, qua utimur in eos, qui prae nimio affectu imprudentiores ſeu dicunt, ſeu faciunt quid. Heaut. II. 3. 32. & V. 1. 17. habetque exſpectandi ſignificatum paſſim apud Comicos. Cui fere παράλληλον eſt, quod mox ſequitur: HOC AUDI. Sic ſupra III. 4. 11.

36. NUNQUAM DESTITIT INSTARE] Plaut. Ciſtell. II. 3. 39. ex emendatione J. Fr. Gronovii:

deſtiti
Inſtare *uſque adeo, donec ſe adjurat anus*
Jam mihi monſtrare.

Cic. Fam. I. 1. *Pompejum & hortari, & orare, & jam liberius accuſare, & monere, ut magnam infamiam fugiat, non* deſiſtimus.

37. ME ESSE DUCTURUM] Mſſ. quidam: ME DUCTURUM ESSE.

39. CH. DAVOS!] Cum admirationis ſigno expreſſi contra ac fieri ſolet; cum quod Donatus id monet, tum quod ipſe ſenſus poſtulat.

DAVOS OMNIA] Praeter Mſſ. alios etiam duo Leidenſes, & Mark. DAVOS INTERTURBAT. Alii, INTERTURBAT OMNIA: ſic editio anni 1469. Rurſus alii: DAVOS INTERTURBAT OMNIA. Ita & Mſ. Bodl. Donatus omiſſa voce DAVOS tantum INTERTURBAT, quod pluſculae editiones veteres imitatae. In aliis Codicibus eſt, DAVOS OMNIA. quod genuinum videtur,

ἐμφα-

Ch. Quis homo iſtuc? *Pa.* Davos. *Ch.* Davos! *Pa.* Davos omnia.
Ch. Quamobrem? *Pa.* Neſcio: niſi mihi Deos ſatis
Scio fuiſſe iratos, qui auſcultaverim.
Ch. Factum hoc eſt, Dave? *Da.* Factum. *Ch.* Hem! quid ais, ſcelus?
At tibi Dî dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, ſi omnes hunc conjectum in nuptias

DONATI.

39. DAVUS!] DAVUS, cum admiratione pronuntiandum. INTERTURBAT] Deerat & hic, ut Davus diceret: ſed plus intulit, INTERTURBAT. [7] ET INTER, modo non mediocriter ſignificat: eſt enim adauctiva particula: ut *interfectus*, *interemptus*. Modo *poſt*. ut;

—— [8] *hunc inter fluvio Tiberinus amoeno*
Verticibus rapidis, & multa flavus arena
In mare prorumpit.

40. NESCIO] Quia iraſcitur Davo, dixit NESCIO: alioquin ſcit.

NISI MIHI DEOS SATIS SCIO FUISSE IRATOS] Deeſt, *quia*: ut ſit, *niſi quia*.

41. FACTUM HOC EST] Non quod non credat, interrogat: ſed quod increpet.

43. AT TIBI DÎ] AT, principium increpationi aptum. ut [9] *Virgilius*,

At tibi pro ſcelere. ——

Et [10] *Horatius*,

At ô Deorum quiſquis in coelo regis
Terras, & humanum genus.

44. EHO, DIC MIHI] EHO, interjectio eſt intentionem audientis expoſcens. DIC MIHI] Semper τὸ DIC MIHI, injurioſum eſt: ut [11] *Virgilius*,

Dic mihi, Damoeta, cujum pecus?

OBSERV. IN DONAT.

7. *Et* INTER *modo non pro mediocri ſignificatione eſt.* Ita Mſ. Hulſt. Varie autem haec eduntur. Sed ſi verum eſt, quod exiſtimat Gabriel Faërnus, τὸ *interturbat* ex annotatione irrepſiſſe, poſſit etiam haec animadverſio non eſſe a Donato, ita ſibi parum conſtat.

8. *Hunc inter*] Virg. Aeneid. VII. 30.
9. *Virgilius*] Aeneid. II. 535.
10. *Horatius*] Epod. V. 1. Ubi Rich. Bentlejus defendit, *At ô Deorum quidquid in coelo regit.*
11. *Virgilius*] Eclog. III. 1.

COMMENTARIUS.

ἐμφατικώτερον certe eſt; neque dubitem, τὸ INTERTURBAT ex annotationibus irrepſiſſe. Plaut. Bacchid. IV. 4. 81.

Ne interturba.

40. NISI] Valet paſſim *ſed* apud Comicos. Eodem ſenſu εἰ μὴ & ἐὰν μὴ uſurpant Graeci. Epiſt. ad Gal. II. 16. Εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

MIHI DEOS SATIS SCIO FUISSE IRATOS] Vide, quae de *Diis iratis* h. l. notavit Farnabius, ſed & Ritterſhuſius & Rigaltius ad Phaed IV. 19. 15.

Dîs *eſt* iratis *natus.*

41. QUI AUSCULTAVERIM] Ita editiones pleraeque omnes vetuſtae, Juntina, Aldina, Rob. Stephani, aliae. Vulgo: QUI AUSCULTAVERIM EI, quomodo Mſſ. Leidenſium unus, vel, QUI EI AUSCULTAVERIM. Malaſpina ad Cic. Att. XI. 6. QUI ILLUM AUSCULTAVERIM. quae varietas facit, ut credam, ſententiam ſine pronomine rotundiorem eſſe & elegantiorem.

43. AT] *Exſecrandi* vim habet initiale. Sic Hec. I. 2. 59. Vide Boecl. Chreſtomath.

44. DIC MIHI] Id ſemper injurioſum eſſe inquit Donatus. Contrarium diſcas ex II. 1. 24. Eun. II. 3. 68. & Hec. III. 2. 21. Malim igitur in Donato legere: *curioſorum*. Et ſane formula inſtantium eſt & urgentium.

Digitized by Google

Inimici vellent: quod, niſi hoc, conſilium darent?
Da. Deceptus ſum, at non defatigatus. *Ch.* Scio.
Da. Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via.
Niſi id putas, quia primo proceſſit parum,
Non poſſe jam ad ſalutem converti hoc malum.
Pa. Immo etiam: nam ſatis credo, ſi advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
Da. Ego, Pamphile, hoc tibi pro ſervitio debeo,

Conari

DONATI.

45. QUOD, NISI HOC, CONSILIUM DARENT?] Cum odio hoc pronuntiandum eſt. ideo CONJECTUM dixit.

46. DECEPTUS SUM] Conceſſio. SCIO] Τὸ SCIO, non ad deceptionem, ſed ad defatigationem reddit. ergo eum εἰρωνείᾳ ſonandum.

47. HAC NON SUCCESSIT] Deeſt, *quod conabamur*: & proprie de bono ſic dicitur. ALIA AGGREDIEMUR VIA] Vel ADORIEMUR, id eſt, enitemur. *Adoriri* proprie dicitur repente ex inſidiis aliquem invadere.

52. HOC TIBI PRO SERVITIO DEBEO] Μεταληπτικῶς vel μετωνυμικῶς, *Servitium* pro ſervitute poſuit: ut, *Servitio* [12] *enixe tulimus*.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Enixe*] Virgil. Aeneid. III. 327. legitur & *enixae*. quomodo Henr. Stephanus edidit.

COMMENTARIUS.

46. DEFATIGATUS] Mſſ. quidam DEFETIGATUS. Alii, DELASSATUS. Cic. Fam. X. 19. *Cupio omnia reip. cauſa: ſed, mehercules, in ea conſervanda jam* defatigatus.

SCIO] Εἰρωνικῶς. Vide ad verſ. 34.

47. AGGREDIEMUR] Mſ. Mark. AGGREDIAMUR. Atque ita Boecleri omnes ſcripti codices. ex impreſſis 1469. Venet. 1490. & Fabrini.

48. PROCESSIT PARUM] Plaut. Stich. III. 2. 39.

Equidem hercle orator ſum, ſed procedit parum.

Poen. IV. 1. 1.

Exſpecto, quo pacto meae technae proceſſurae *ſint*.

Salluſt. Catil. 32. *Quod neque inſidiae conſuli* procedebant.

49. NON POSSE JAM AD SALUTEM CONVERTI HOC MALUM] Stobaeus Flor. Serm. CVIII. citat ex Menandri Κωνειαζομέναις:

Ὅτι μηδεὶς πρὸς Θεῶν.
Πράττων καλῶς λίαν ἀθυμήσῃ ποτέ.
Ἴσως γὰρ ἀγαθοῦ τοῦτο πρόφασις γίνεται.

Cic. Fam. XI. 13. *Qui quidem eas copias, quas diu ſimulatione reip. comparabant, ſubito ad patriae periculum* converterunt. Virgil. Aeneid. XI. 425.

Multa dies, variique labor mutabilis aevi
Rettulit in melius: multos alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus Fortuna locavit.

quod paullo ante dixerat:

neque habet Fortuna regreſſum.

54. CAPITIS PERICULUM ADIRE] Cic. Fam. X. 31. *Plane* pericula *non dubitanter* adii. Virgil. Aeneid. I. 10.

Inſignem pietate virum, tot adire labores.

Pacuvius apud. Non. *Illis opitulari quovis exitio cupio, dum proſim modo.* Suet. Claud. 9. *Etiam vitae* periculum adiit.

55. TUUM 'ST, SI QUID PRAETER SPEM EVENIT, MIHI IGNOSCERE] Menander ἐν τῷ Δεισιδαίμονι, citante Stobaeo, Flor. Tit. IX.

Οὐ δεῖ γὰρ ἀδικεῖν οἰκέτας ἄλλως τε καὶ
Ὅταν ᾖ πονηρῶς, ἀλλὰ μετ' εὐνοίας τινὸς
Πταίσωσιν· αἰσχρὸν τοῦτο γὰρ γίνεται πάνυ.

Suet. Ner. 23. *Omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu eſſe Fortunae: illos, ut ſapientes & doctos viros fortuita debere excludere.*

56. PARUM SUCCEDIT, QUOD AGO: AT FACIO SEDU-

Conari manibus, pedibus, noctesque & dies,
Capitis periclum adire, dum proſim tibi.
Tuum 'ſt, ſi quid praeter ſpem evenit, mihi ignoſcere.
Parum ſuccedit quod ago: at facio ſedulo.
Vel melius tute reperi: me miſſum face.
Pa. Cupio: reſtitue, in quem me accepiſti, locum.
Da. Faciam. *Pa.* At jam hoc opus eſt. *Da.* Hem! ſt, ma-
ne: concrepuit a Glycerio oſtium.

Pa.

DONATI.

53. CONARI MANIBUS, PEDIBUS, NOCTESQUE ET DIES] Ad id intulit, quod ait ſupra, *Quem ego credo manibus, pedibuſque obnixe omnia facturum.* Et accuſativo caſu ſine intermiſſione ſignificat, NOCTES ET DIES. MANIBUS, PEDIBUS] Ὑπερβολικῶς.

55. PRAETER SPEM EVENIT] EVENIT, productum magis: quia hoc perpetuo non vult Pamphilo accidere. Ergo EVÊNIT, non autem EVENIT media correpta.

56. PARUM SUCCEDIT QUOD AGO] Si noſtrum eſt, officia praebere: at noſtrum non eſt, fortunam poſſe praeſtare. Et bene, SUCCEDIT, ut quod agimus, oſtendat ſucceſſus eſſe fortunae. PARUM SUCCEDIT QUOD AGO] Utilis ſententia pro ſapiente contra fortunam. SEDULO] Id eſt, ex animo, & ſine dolo.

57. ME MISSUM FACE] Id eſt, noli uti opera mea.

58. RESTITUE, IN QUEM ME ACCEPISTI, LOCUM] Senſus hic eſt, Omnia mihi integra & ſalva redde, qualia tibi tradidi [13] conſulturo, vel cum nihil promiſiſſem patri.

59. HEM! ST, MANE] Hoc quaſi incipientis, demonſtrantiſque, aliquid novi ſe inveniſſe.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Conſulturo*] Mſ. Hulſt. *conſulto*. Forte *conſulturus*; ut notetur ipſe Pamphilus.

COMMENTARIUS.

SEDULO] Cic. Orat. pro Balbo cap. 27. *Voluimus quaedam, contendimus, experti ſumus: obtenta non ſunt.*

57. VEL MELIUS TUTE REPERI] Notat Faërnus, in quibuſdam libris legi, VEL MELIUS TU ALIUD REPERI. Atque ita eſt in editionibus Aldinis, Rob. Stephani & Joh. Fabrini; editio autem Veneta 1490. & Juntina 1505. ſed & Mſ. Bodl. VEL MELIUS TUTE ALIUD REPERI. Pendet autem hic verſus a verſu 55. per ἀνακόλουθον. intermedius ſynchyſin facit.

ME MISSUM FACE] Sic infra V. 1. 14. Phorm. V. 7. 53. Videtur autem locutio militaris. Cic. Offic. I. 11. *M. quidem Catonis ſenis epiſtola eſt ad M. filium, in qua ſcripſit, ſe audiſſe*, eum miſſum factum *eſſe a Coſ. quum in Macedonia bello Perſico miles eſſet.*

58. RESTITUE, IN QUEM ME ACCEPISTI, LOCUM] Citat Faërnus ex libris antiquis: RESTITUE, QUEM A ME ACCEPISTI LOCUM. Et ita eſt in Mſ. Bodl. Cum qua lectione convenit paraphraſis Donati. Sed & Eugraphius perpetuus Donati imitator ita legit, ut & Juntina editio annorum 1505. & 1565. Mſſ. Leidenſium unus: Quo ME ACCEPISTI LOCO. Praeſtat autem lectio vulgata, quanquam graeciſſans. Plaut. Mil. III. 1. 106.

ſi iſtam ſemel amiſeris
Libertatem, haud facile te in eundem *rurſus*
reſtitues locum.

Metaphora a militibus deſumta, qui *tueri locum, cedere loco, reſtitui in locum* dicebantur. Sic Phorm. Prol. 32. 33. Cicero Catil. II. 1. Loco *ille* motus *eſt, quum ex urbe depulſus.*

59. AT JAM HOC OPUS EST] Omnis emphaſis eſt in τῷ JAM. Sic IV. 2. 21.

Pa. Nihil ad te. *Da.* Quaero. *Pa.* Hem! Nunccine demum?
Da. At jam hoc tibi inventum dabo.

DONATI.

60. Nihil ad te] Haec enim ad cogitantem nihil pertinere oportuit. Nunccine demum?] Pro denique. At jam hoc tibi inventum dabo] Conſilium ſcilicet, quo in priſtinum locum reſtituaris.

COMMENTARIUS.

Pa. Jam *hoc opus eſt.* Da. *Quin* jam *habeo.*

St] Silentii indicti nota paſſim apud Comicos. Guyetus autem h. l. delet, utpote non a Terentio, ſed ab actoribus profectum. Cicero Fam. XVI. 24. *Ego vix teneor, quin accurram. Sed ſt! literas tuas exſpecto.* Editio 1469. sed mane.

Concrepuit a Glycerio ostium] Mſ. Bodl. a Glycerio crepuit ostium. Frequens in Comoediis mentio *crepantis oſtii.* Scilicet exituros prius intrinſecus fores aedium ſuarum percuſſiſſe, ut illo ſtrepitu admonerentur, qui foris erant, & ſibi caverent, abſiſterentque eatenus, ne laederentur, diſerte teſtatur Plutarchus in Publicola. Τὰς δὲ ἑλληνικὰς (θύρας) πρότερον οὕτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες, ὅτι κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔνδοθεν, οἱ προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γίνοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλεισὶν εἰς τὸν στενωπόν. Obſervat autem Lindenbruchius ex Ariſtotele, nobilium tantum aedes, ſed & publicas, atque in iis lenonum quoque & meretricum, quae & ipſae quaſi publicae erant, extrinſecus aperiri ſolitas. Vide porro, quae Turnebus collegit Adverſ. IV. 15. & XI. 12. Neque tamen ſemper egredientes *crepitum* edidiſſe, ſed *ſtridorem* ab ipſis cardinibus ortum, quem ſi prohibere vellent amatores nocturni, vinum iis, vel aquam ſuffuderint, ex Plauto diſcas. Cujus haec ſunt in Curc. I. 1. 88.

Ph. *Agite, bibite, feſtivae fores;*
Potate. ſite mihi volentes propitiae.

& mox: 92.

Pa. *Profundis vinum? quae te res agitans?* Ph. *Sine.*
Viden' ut aperiuntur aedes feſtiviſſimae?
Num muttit cardo? eſt lepidus.

Rurſus I. 3. 1.

Placide egredere, & ſonitum prohibe forium, & crepitum *cardinum:*
Ne, quod hic agimus, herus percipiat fieri, mea Planeſium.
Mane, ſuffundam aquulam. Pa. *Viden', ut anus tremula medicinam facit.*
Eapſe merum condidicit bibere, foribus dat aquam, quam bibant.

Adde Muretum Var. Lect. I. 17. & Sagittarium de Januis Veterum, qui cap. XXII. §. 12. obſervat, Romanorum fores introrſum apertas contra ac Graecorum. Locus eſt apud Plin. Lib. XXXVI. cap. 15. *Subit vero cogitatio, quota portio harum fuerint areae illae, quas invictis Imperatoribus decernebant publice ad exaedificandas domos: ſummuſque illarum honos erat. Sicut in L. Valerio Publicola, qui primus Coſ. fuit cum L. Bruto, poſt tot merita, & fratre ejus, qui bis in eodem magiſtratu Sabinos devicerat, adjici decreto, ut domus eorum* fores extra aperirentur, *& janua in publicum rejiceretur. Hoc erat clariſſimum inſigne inter triumphales quoque domos.* Unde adeo conficit, rationem forium aperiendarum Graecis oppoſitam vulgo obtinuiſſe apud Romanos.

60. Hoc tibi inventum dabo] Periphraſis Comica. Sic infra IV. 2. 1. & IV. 2. 20. Plaut. Pſeud. I. 5. 116.

Effectum *hoc hodie* reddam *utrumque ad veſperum.*

& IV. 1. 18.

pulchre ego hanc explicatam *tibi* rem dabo.

ACTUS

ACTUS QUARTI

SCENA SECUNDA.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

My. JAM, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.

Pa. Myſis, quid eſt? *My.* Hem, Pamphile, optume te mihi offers. *Pa.* Quid eſt?

My. Orare juſſit, ſi ſe ames, hera, jam ut ad ſe venias;
Vide-

DONATI.

JAM, UBI UBI ERIT, *In Scena hac, inſtauratio eſt adhortationis Pamphili per Myſidem. Opus eſt enim exhortari rurſus adoleſcentem, ne ſub patris oppreſſione frangatur.*

1. JAM, UBI UBI ERIT] Opportune rurſus aeſtuante Pamphilo, amicae mentio objicitur per Myſidem, ne ſuccumbat ad nuptias patri, quamvis promiſerit patri ſe ducturum conjugem. adverſus quam difficultatem, quia ipſius perſona non ſufficit, id agit, ut ad Glycerium modo adducat Pamphilum: cujus affectum excitat, non ex eo ſolum, quod cum puella vocat: ſed etiam quod deſiderat eum videre. UBI UBI ERIT] UBI UBI, in prima parte vim ſuam tenet, in poſteriore productionem; & eſt quemadmodum *ut ut*, *qua qua*, *unde unde*: pro *ubicunque*, *utcunque*, *quacunque*, *undecunque*. JAM UBI UBI ERIT, INVENTUM TIBI CURABO] Non ſolum ſe adducturam promiſit, ſed & tempus addidit. Et bene TIBI, quaſi amanti.

2. ANIME MI] Mollis oratio & foeminea, multis implicata blandimentis. Ait enim, TU MODO, ANIME MI. MI, pro *meus*.

COMMENTARIUS.

1. JAM, UBI UBI ERIT] Alii, JAM JAM. Locus expreſſus e Plauto, Rud. IV. 6. 6.

> Ubi ubi erit, *tamen jam inveſtigabo, & mecum ad te adducam ſimul.*

Neque tamen ſemper geminatur τὸ UBI. Cic. Tuſc. I. 29. *Nunc* ubi *ſit animus, certe in te eſt.*

TIBI] Eleganter πλεονάζει. Cicero Fam. V. 9. *Profecto* tibi *illum reperiam.*

2. TUUM PAMPHILUM] Ἐμφατικῶς dixit TUUM, q. d. qui tecum prior conſuevit, fidemque dedit, ſe nunquam te deſerturum; atque adeo TUUM vel in ipſa apparatione nuptiarum cum Philumena.

MACERARE] Metaphora tranſlata a *ſalſamentis*, quae aqua emollita *macerari* dicuntur. Adelph. III. 4. 17. & Plaut. Poen. I. 2. 31. ſeqq. Unde paſſim de animo ſe excruciante uſurpantur. Infra V. 3. 15.

> *cur me excrucio? cur me* macero?

Sed & qui opere faciundo ſe defatigant, *macerare ſe* dicuntur. Eun. I. 2. 107.

> *Rus ibo: ibi hoc me* macerabo *biduum.*

Idem enim Scena ſeq. dicit:

> *Opus faciam, ut* defatiget *uſque.*

Contra, quem non *macerant* calamitates, *durus* dicitur.

Digitized by Google

Videre ait te cupere. *Pa.* Vah! perii: hoc malum integraſcit.
Siccine me atque illam opera tua nunc miſeros ſollicitarier:
Nam idcirco arceſſor, nuptias quod mihi apparari ſenſit.
Ch. Quibus quidem quam facile potuerat quieſci, ſi hic quieſſet.
Da. Age, ſi hic non inſanit ſatis ſua ſponte, inſtiga. *My.* Atque aedepol

Ea

DONATI.

5. Hoc malum] Amor meus, aut Glycerii ſollicitudo, quam neſcire oportuit nuptias. Integraſcit] *Integratur*, quod ad integrum redit, quod repetitur, quod inſtauratur. [1] *Virgilius*,

—— ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat.

6. Sollicitarier] Perturbari.

7. Quod mihi apparari] Apparari, ad horrorem & timorem refertur: & dativo caſui ſubjunctum, cladem & perniciem ſignificat. ut [2] *Virgilius*,

—— Mihi ſacra parari.

9. Age, si hic non insanit satis] [3] Hic excitus, comprimit Charinum, ne fomenta iracundiae Pamphilo praeberet. Aut, ſi poenitet te, quantum hic ſua ſponte inſanit. Si hic non insanit satis] *E'ιρωνεία* eſt, aut laus ad mitigandum Pamphilum.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Georg. IV. 514.
2. *Virgilius*] Aeneid. II. 132.
3. *Hic excitus*] Ita Mſ. Hulſt. & Rob. Stephanus. Sed edd. vetuſtiores, *Hic excitus.* Editio Pariſienſis 1552. integram hanc notam omiſit. Utraque autem lectio de mendo ſuſpecta. Malim: Age, si hic non insanit satis sua sponte] Hic. *cerritus. Comprimit Charinum.* Certe quidem *cerritus* pro *inſano* uſitatum eſt. Niſi *excitus* ſit *iratus*.

COMMENTARIUS.

5. Hoc malum integrascit] Intelligit *integrationem* amoris & ſollicitudinis de nuptiis. Vide ſupra III. 2. 25. Eſt autem h. l. tranſlatio a vulnere. Cic. Fam. IV. 6. de morte filiae: *Nunc autem hoc tam gravi vulnere, etiam illa quae conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt.* Et Fam. XII. 30. *Gravius aegrotant ii, qui, quum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt.* Seneca Med. verſu 671.

Immane quantum augeſcit, & ſemet dolor
Accendit ipſe, vimque praeteritam integrat.

6. Sollicitarier] *Sollicitare* eſt movere, & quaſi ſolum ciere. Sic nauta *ſollicitat* aequora, arator terram. Hinc ad animum transfertur, quem *ſollicitant* curae aliaeve res.

8. Quibus] Non de Pamphilo & Glycerio, ſed de nuptiis intelligendum, contendit Cl. Perizonius ad Sanct. Min. III. 3. 116. Et diſerte vertit Fabrini: *per le quali nozze quanto facilmente ſi poteva quietare.* Daciera tamen: *En quel repos n'auriez vous pas été.* Minus, opinor, ex mente Terentii. Niſi ſubaudias, *ab iſtis nuptiis.*

Potuerat] Mſſ. quidam & editi, Poterat.

9. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga] Editio anni 1469. Tu eum instiga. Ubi Davus Pamphili objurgationem aequo animo tulerat, Charini non fert, exprobrans *εἰρωνικῶς*, quod ejus per ſe ſatis incenſum animum porro etiam ſuis querelis irritaret, & oleum, quod ajunt, camino adderet. Tranſlata videntur e Menandri Perinthia, in qua ſunt haec:

Ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα,
Καὶ κοῦφον ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅτι
Αὐτὸς μεγαλεῖον ἐστι διαπεπραγμένος,
Ἀπηβελτηρωκὼς τὸν πρόσθ' ἀβέλτερον.

Eun. II. 2. 23.

Scitum hercle hominem. hic homines prorſum
ex ſtultis inſanos facit.

Cicero Philipp. III. 9. *Ut hominem ſtolidum magis etiam inſatuet.* Virgil. Aeneid. IV. 54.

His

Ea res eſt; proptereaque nunc miſera in moerore eſt. *Pa.* Myſis,
Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deſerturum:
Non, ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores. valeant,
Qui

DONATI.

10. EA RES EST] Id eſt, nuptias apparari ſenſit. MYSIS] Aſſeveratio eſt, ſi a nomine ejus incipias, cum quo loqueris.

11. PER OMNES TIBI ADJURO DEOS] Ad, auctiva particula eſt: *ut admirabiliter*, valde mirabiliter. ADJURO] Et hoc ſupereſt, amiſſa fide ut adjurandum ſit.

12. OMNES HOMINES] Mira verecundia: OMNES HOMINES maluit dicere, ut in his quoque parentes ſignificaret, quam aperte dicere patrem, cujus metu promiſit nuptias. Et eſt contra illud, *Sed vim ut queas ferre.* OMNES HOMINES] Iis dixit de uno, hoc eſt, patre, OMNES HOMINES: ut idem alibi, *O coelum, o terra, o maria Neptuni.* Nunquid & coelum Neptuni eſt? non utique: ſed omnia haec maria voluit eſſe. ut [4] *Virgilius*, *Omnia vel medium fiant mare.*

13. CONTIGIT] Quod vix evenit, *contigiſſe* dicitur. CONVENIUNT MORES] Recte: & id quod matrimonium firmat. VALEANT] Hoc eſt, abeant, recedant: quia & diſcedentibus & mortuis, *vale* dicitur. ut [5] *Virgilius*,

— ſalve aeternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale.

Vel potius τῷ εὐφημισμῷ, cum male optaturus eſſet, conſiderato patre, παραδόξως locutus eſt: & non dixit, quod intenderat, *pereant.* Et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum ſignificaret patrem. VALEANT] Renuntiationis & imprecationis eſt verbum.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius*] Eclog. VIII. 58.

5. *Virgilius*] Aeneid. XI. 97.

COMMENTARIUS.

His dictis incenſum animum inflammavit amore.

11. PER OMNES TIBI ADJURO DEOS] Sollicitat hanc lectionem Guyetus, contendens ejiciendum eſſe illud PER, ob rationem verſus ſcilicet. Mihi contra videtur ADJURO pro ſimplici *juro* eſſe poſitum, niſi quod paullo majorem etiam vim habet. Unde particula AD *auctiva* dicitur Donato. Hec. II. 2. 26. Plaut. Ciſtell. II. 3. 25.

Anus ei amplexa eſt genua, plorans, obſecrans,
Ne deſeras ſe: eam ſuam eſſe filiam,
Seque eam peperiſſe, ſancte adjurabat *mibi.*

Ovid. Metam. III. 658.

Per tibi nunc ipſum (nec enim praeſentior illo
Eſt Deus) adjuro.

Eſtque illud αὐξητικὸν valde, quando & ADJURO dicit, & PER OMNES DEOS. Sic Plaut. Bacchid. IV. 6. 8.

per omnes Deos adjuro.

Cic. ad Q. Fr. II. 7. Adjurat *Procilius*, *hoc nomini accidiſſe.* Barbare vulgo active uſurpatur; pro obteſtor.

12. NON, SI] Notanda vis τοῦ SI poſt NON, ſignificantis idem quod *etiamſi.* Eun. I. 1. 4.

Excluſit. revocat. redeam? non, ſi *me obſecret.*

Heaut. V. 4. 12.

13. CONTIGIT] *Contingere* dicuntur, quae e voto eveniunt, praeſertim in re amatoria. Ovid. Amor. III 7. 43.

Haec mihi contigerat; *ſed vir non* contigit *illi.*

VALEANT] Hoc verbo cum indignatione amicitiam renunciantes alteri utuntur. Sic infra V. 3. 18. Adelph. IV. 4. 12. Catull. Carm. XI. 17.

Cum ſuis vivat, valeatque *moechis.*

Suet. Ner. 39. Ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ. Theocr. Idyll. XV. 64. Χαιρέτω ὅστις τοῖος. Rationem locutionis docet Servius ad Virg. Aeneid. XI. 97.

ſalve aeternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale.

Verba Servii: *Varro in Libris Logiſtoricis dicit, ideo mor-*

Digitized by Google

Qui inter nos diſcidium volunt. hanc, niſi mors, mihi adimet nemo.
Ch. Reſipiſco. *Pa.* Non Apollinis magis verum, atque hoc reſponſum eſt.
Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat,
Quo minus hae fierent nuptiae, volo: ſed ſi id non poterit,

Id

DONATI.

14. HANC, NISI MORS, MIHI ADIMET NEMO] Etſi valeant, hanc, niſi mors, nemo adimet. Conceſſio hic eſt, hoc enim per conceſſionem dicitur. HANC, NISI MORS, MIHI ADIMET NEMO] Perſeverat, ne dicat, pater: pro, Non adimet pater.

15. RESIPISCO] [6] Spiritum revocat ſenſus. MAGIS VERUM] Aut *magis verum*, aut *verius* dicimus.

16. UT NE PATER] UT NE, pro *ne non*. PER ME STETISSE] STETISSE, hoc eſt, factum eſſe. ut [7] *Virgil.* —— *deſertaque montis*
Stat domus.
Aliter, plenum eſt. ut [8] idem,
Stant & juniperi, & caſtaneae hirſutae.
Aliter horreat. ut,
—— [9] *Stant lumina flamma.*
Et *Lucilius*,
—— *Stat ſentibus fundus.*
PER ME STETISSE] Hoc eſt, per me factum eſſe, ne fierent nuptiae.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Spiritum revocat ſenſus*] Verba ſine ſenſu. Lego, *ſpiritum revocat ſenſum.*
7. *Virgil.*] Aeneid. VIII. 191.
8. *Idem*] Eclog. VII. 53.
9. *Stant*] Virgil. Aeneid. VI. 300.

COMMENTARIUS.

mortuis SALVE *&* VALE *dici, non quod valere aut ſalvi eſſe poſſint, ſed quod ab his recedimus, eos nuſquam viſuri. Hinc ortum eſt, ut etiam maledicti ſignificationem interdum* VALE *obtineat.* Vide porro, quae collegit Cl. Burmannus ad Phaed. IV. 1. 19.
Sic valeas, *inquit, ut farina es, quae jaces.*

14. DISCIDIUM] A diſcindendo eſt *diſcidium*, ſeparatio violenta, uti *diſſidium* a diſſidendo, diſcordia. Hec. III. 5. 26. & V. 2. 16. Ovid. Metam. V. 529.
ſed tanta cupido
Si tibi diſcidii; *repetat Proſerpina coelum.*
& Metam. XIV. 79.
Non bene diſcidium *Phrygii latura mariti.*
Sic Tac. Annal. XI. 30. Suet. Domit. 3. Vide porro Lexic. Plaut. Parei, voce *diſcidium*.

HANC, NISI MORS, MIHI ADIMET NEMO] Plaut. Curc. I. 3. 17.
prohibet, nec prohibere quit,
Nec prohibebit, niſi mors *meum animum abs te abalienaverit.*

Ita ſolent etiam extra amorem ſeu venereum, ſeu conjugalem. Sic in libro Ruth. I. 17.

15. RESIPISCO] Non tantum ad animum refertur, ſed & qui a laſſitudine virium ad ſe redeunt, *reſipiſcere* dicuntur. Suet. Tib. 73. *Nonnulli pulvinum injectum, quum extractum ſibi deficienti annulum mox* reſipiſcens *requiſiſſet.*

NON APOLLINIS MAGIS VERUM, ATQUE HOC RESPONSUM EST] Affirmatio maxima, qua ſe Deo exaequat. παράλληλον eſt in illo Plauti, Pſeud. I. 5. 64.
ſi quid vis, roga
Quod Scibo, Delphis tibi reſponſum dicito.
Cicero ad Brutum Epiſt. 1. *Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta: nihil poteſt eſſe verius.* Ovid. Arte II. 542.
Haec tibi non hominem, ſed quercus crede Pelaſgas
Dicere. nil iſtis ars mea majus habet.
Dicitur autem RESPONSUM proprie Deorum, tum JCtorum. Virgil. Georg. III. 491.
Nec reſponſa *poteſt conſultus reddere vates.*

Tum

Digitized by Google

Id faciam, in proclivi quod eſt, per me ſtetiſſe, ut credat.
Quis videor? *Ch.* Miſer aeque, atque ego. *Da.* Conſilium quaero. *Ch.* Fortis.
Pa. Scio quid conere. *Da.* Hoc ego tibi profecto effectum reddam.

Pa.

DONATI.

19. MISER AEQUE, ATQUE EGO] Bene, ATQUE EGO: quia hic amore vexatur. Et intulit παράδοξον. Nam volebat Pamphilus ſibi dici, " ET FORTIS: quod illi tamen mox dicetur. Hic igitur aliter reſpondet, atque interrogat Pamphilus, ideo quod videat impoſſibile eſſe, palam reſiſtere parenti.

20. SCIO QUID CONERE] Senſus eſt, Scio quidem quid coneris: ſed an efficere poſſis, neſcio. SCIO QUID CONERE] Si Pamphili eſt perſona, cum εἰρωνεία dicitur: ſi Charini, ſimplex laudatio eſt. ſed ſi Pamphili eſt, hoc ſignificat quod ſupra, *Ex unis geminas mihi conficies nuptias.* " Sed non eſſe perſonam Pamphili, ex ſubjectis oſtenditur.

OBSERV. IN DONAT.

10. ET FORTIS] τὸ ET ſenſum turbat. Id vult Donatus, Pamphilum, ubi rogaſſet, QUIS VIDEOR? exſpectaſſe, ut Charinus diceret, FORTIS. Mihi aliter videtur. Illa enim, QUIS VIDEOR? dolentis potius ſunt, quam laudari volentis.

11. *Sed non eſſe perſonam Pamphili, ex ſubjectis oſtenditur*]. Atqui non eſſe perſonam Charini, ex reſponſo Davi apparet, HOC EGO TIBI PROFECTO EFFECTUM REDDAM, quod ſane Pamphilo dictum, quemadmodum illa, HUIC, NON TIBI HABEO, dicuntur Charino.

COMMENTARIUS.

Tum MAGIS VERUM maluit, quam *verius.* Ita enim paſſim format comparativum gradum. Sic Eun. II. 1. 21. III. 1. 24. V. 4. 13. Adelph. IV. 5. 30. V. 9. 36. notatque Servius ad Virg. Aeneid. IV. 31.

o luce magis dilecta ſorori,

antiquos frequenter pro comparativo junxiſſe particulam *magis.*

18. IN PROCLIVI] h. e. facile, pronum. Plaut. Capt. II. 2. 86.

Tam hoc quidem tibi in proclivi, *quam imber eſt, quando pluit.*

Salluſt. Orat. II. ad C. Caeſ. *Cujus ſi dolum caveris, omnia* in proclivi *erunt.* Ut autem *proclive* pro facili, ita contra *arduum* pro difficili dixerunt.

19. QUIS VIDEOR? CH. MISER AEQUE, ATQUE EGO. DA. CONSILIUM QUAERO. CH. FORTIS] Hallucinatur Donatus, exiſtimans, Pamphilum velle conſtantiam ſuam probari, & ſibi dici, FORTIS. Quam ſententiam ſequutus & planius expediturus Guyetus hunc verſum ſuo more aliter diſponit, ita: QUIS VIDEOR? CH. FORTIS, AT MISER AEQUE ATQUE EGO. DA. CONSILIUM QUAERO. Tanaq. Faber primus, opinor, monuit, ex Donati ET FORTIS, Charinum, cujus ſermo a Davo erat interruptus, ubi reſpondiſſet, MISER AEQUE ATQUE EGO, continuo addidiſſe, AT FORTIS ES. Cl. Perizonius ſuſpicabatur, τὸ FORTIS εἰρωνικῶς Davo non a Charino, ſed a Pamphilo dictum. Patet autem ex verbis Davi, Pamphilum voluiſſe ſe miſerum dici, non fortem. Quare, quum dixiſſet, QUIS VIDEOR? & Charinus reſpondiſſet, MISER AEQUE ATQUE EGO, videtur Pamphilus vultum iratum intendiſſe in Davum; qui, ut leniat iram herilis filii, regerit illud, CONSILIUM QUAERO. Quod audiens Charinus, FORTIS ES, inquit. Atque ita eſt in Mſſ. quibuſdam, & editorum vetuſtiſſimis. Citra ironiam autem id dictum a Charino, ex ſequentibus conficitur, ubi participem ſe fieri conſilii illius ſerio expetit.

20. EFFECTUM REDDAM. PA. JAM HOC OPUS EST] Sic ſupra IV. 1. 59.

DA. *Faciam.* PA. *At jam hoc opus eſt.*

Scilicet, quia hodie ducturus erat, & jam adveſperaſcebat, & parabantur, quae opus erant, a ſenibus.

Pa. Jam hoc opus eſt. *Da.* Quin jam habeo. *Ch.* Quid eſt?
Da. Huic, non tibi habeo, ne erres.
Ch. Sat habeo. *Pa.* Quid facies? cedo. *Da.* Dies mihi hic ut ſit ſatis vereor
Ad agendum: ne vacuum eſſe me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento eſtis.

Pa.

D O N A T I.

21. HUIC, NON TIBI HABEO, NE ERRES] Deterret etiam nunc Charinum, ut & ipſe adjuvet Davum, ne Pamphilo nubat Philumena. Et eodem ſenſu utitur Davus adverſum Charinum, quo ſupra: *quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam uxorem ducere.* HUIC, NON TIBI HABEO, NE ERRES] [12] Velut etiam pro ſe Charinus ſentiat, hoc dicit. Vel ut ſolent ſervi contumaciores adverſum amicum domini, quia nuper a Charino accuſatus eſt: vel quia, & quid dicat non habet, & videt tacendum non eſſe.

22. SAT HABEO] quia dilatio facta eſt. UT SIT SATIS] UT, pro *ne non.*

23. NE VACUUM ESSE ME] NE, pro *nedum.* aut adverbium eſt prohibentis: ut ſit, *ne non.* [13] *Salluſtius* ſecundo libro, *Ne illa tauro paria ſint,* pro *nedum.*

24. PROINDE HINC VOS AMOLIMINI] *Amoliri* dicuntur ea, quae cum magna difficultate & molimine ſummoventur & tolluntur e medio. ſic dixit quaſi [14] odioſo & moleſto. *Diſcedere* dicitur, qui facile abit e medio: *Amolitur*, qui vix recedit. PROINDE HINC VOS AMOLIMINI] Moleſtum impedimentum ex rei magnitudine jacentis in medio, & ideo impedientibus ſe dixit, AMOLIMINI HINC: non, *abite.* PROINDE HINC VOS AMOLIMINI] Spe injecta, etiam domino imperat ſervus callidus. NAM MIHI IMPEDIMENTO ESTIS] Utrum hoc vere dicit, an fingit, qui adhuc conſilium non invenit quod narrare poſſit.

O B S E R V. I N D O N A T.

12. *Velut etiam pro ſe Charinus ſentiat, hoc dicit*] Lege & diſtingue: *velut etiam pro ſe Charinus ſentiat hoc dicit.*

13. *Salluſtius*] In Fragmentis. Legitur vulgo *parata.*

14. *Odioſo*] Lege: *odioſis & moleſtis*, uti mox, *impedientibus.*

C O M M E N T A R I U S.

23. VACUUM ESSE ME NUNC AD NARRANDUM] Sic Plaut. Caſin. Prol. 29.

Aures vacivae ſi ſunt, animum advertite.

Eſt autem *vacuus* cui otium ſupereſt. Horat. Carm. I. 32. 1.

Poſcimus, ſi quid vacui *ſub umbra*
Luſimus tecum.

24. HINC VOS AMOLIMINI] Locus expreſſus e Plauto, Pſeud. I. 5. 144.

Agite, amolimini hinc vos *intro nunc jam.*

Vim verbi explicitam dedit Donatus.

25. QUO HINC TE AGIS?] Lectionem hanc, ipſamque adeo locutionem vindicat Boeclerus, Chreſtomath. v. *Agere*,

IMMO ETIAM. NARRATIONIS INCIPIT MIHI INITIUM] Varie haec expediunt Interpretes. Scilicet ita ſe res habet: Davus abitu Pamphili laetus, volenſque, ut & Charinus ſe amoliretur, rogaverat, QUID TU? QUO HINC TE AGIS? Is vero abſente jam Pamphilo credens bellam ſibi natam occaſionem pluribus confabulandi de amoribus ſuis cum Davo, longi ſermonis utitur initio, dicens, VERUM VIS DICAM? Ad quae ſi ita reſpondit Davus: IMMO ETIAM. NARRATIONIS INCIPIT MIHI INITIUM, priora illa, IMMO ETIAM Charino videtur dixiſſe, reliqua ad ſpectatores converſus, Charino non audiente. At vero noluit Davus ſibi occupato longam narrationem fieri. Neque adeo convenit in ſollicitum ſervum conſiliumque quaerentem ad diſturbandas nuptias, ad ſpectatores converti, Charinumque ridere. Mallem igitur, ſi per Codi-

Pa. Ego hanc viſam. *Da.* Quid tu? quo hinc te agis? *Ch.* Verum vis dicam? *Da.* Immo etiam.
Narrationis incipit mihi initium. *Ch.* Quid me fiet?
Da. Eho tu impudens, non ſatis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? *Ch.* Dave, attamen. *Da.* Quid ergo?

Ch.

DONATI.

25. Hanc] Glycerium ſcilicet. Et cum miſeratione puellae, hanc. Quo hinc ta agis?] Ut tarditatem diſcedentis oſtendat. *Agere ſe* enim & tardi & triſtes dicuntur. Sic [15] *Virgilius*,

Amiſſis remis atque ordine debilis uno,
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.

Idem [16] alibi:

Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat.

Quo hinc te agis?] Admonitio diſcedentis, ut ſolet. nam a quo diſcedere deſideramus, admonemus eum quo vadat, vel quo eat. Id facere per interrogationem admonet Davus Charinum, ut ipſe abſcedat Charinus, qui nunc ultimus remanet. Verum vis dicam?] Pro initio ſedulae narrationis hoc ſumimus. Ac ſic reſpondet Charinus, tanquam qui intelligat, non [17] dicere velle Davum quo eat: ſed id agere, ut abſcedat.

26. Narrationis incipit mihi initium] Narrationis, ſcilicet, quo eat. quia, Verum vis dicam? velut prooemium narraturi eſt. Quid me fiet?] Quid igitur? inquit. quid de me fiet? Ab eo hoc, quaſi a jocante, pronuntiandum eſt. nam ſic illi impudens reſpondet. Quid me fiat?] de Philumena ducenda.

27. Eho tu impudens] Proprie Charino dixit impudans, quaſi inſolita & multa poſcenti. quippe qui & ſponſam alienam petere auſus ſit, & non ſatis habeat, per Davum ſibi moram praeſtitam Pamphili nuptiarum. Quod tibi dieculam addo] Dieculam, horam. & eſt ὑποκόρισμα. Diaculam, hoc eſt tempuſculum: & ſumitur ab eo, quod eſt *haec dies*. Diecula, mora, & quaſi parva dies. Et diaculam, in qua ſcilicet ambias, quantum poteris, ad ducendam Philumenam. Vult enim ſe Davus adjuvari per Charinum & Byrrhiam.

28. Promoveo] Differo. Promoveo nuptias] Memoriter Davus. ſcit enim illum his verbis petiſſe, *Saltem aliquot dies profer, dum proficiſcar aliquo, ne videam.* Cujus rei oblitus Charinus, etiam ut ducat uxorem, petit.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Virgilius*] Aeneid. V. 271.
16. *Alibi*] Aeneid. VI. 337.
17. *Dicere*] Senſus poſtulat, ut vel *dici* legatur, vel *ſcire*, vel denique *diſcere*.

COMMENTARIUS.

Codices liceret, integrum locum ita legere & diſtinguere:

Da. *Quid tu? quo hinc te agis?* Ch. *Verum vis dicam?* Da. *Immo etiam*
Narrationis incipis mihi initium?

ut ſenſus ſit: Tu, cujus vel tacentis praeſentia mihi impedimento eſt ad eam rem, quam ago, etiam narrationis longioris incipis mihi initium? Certe quidem in quatuor editis incipis legitur, quorum duo Veneti, annorum 1490. & 1512. duo Lugdunenſes, annorum 1511. & 1520.

26. Quid me fiet?] MSS. quidam, & impreſſi, quos laudavi, quid de me fiet?

19. Huc

Ch. Ut ducam. *Da.* Ridiculum. *Ch.* Huc face ad me ut venias, ſi quid poteris.
Da. Quid veniam? nihil habeo. *Ch.* Attamen ſi quid. *Da.* Age, veniam. *Ch.* Si quid,
Domi ero. *Da.* Tu Myſis, dum exeo, parumper operire me hic.
My. Quapropter? *Da.* Ita facto eſt opus. *My.* Matura.
Da. Jam inquam hic adero.

DONATI.

29. Ridiculum] Deeſt, *hominem*.

30. Age, veniam] Vix concedentis, vix conſentientis eſt, Age, veniam.

31. Dum exeo] A Glycerio ſcilicet.

COMMENTARIUS.

29. Huc face ad me ut venias, si quid poteris] Ita omnes legunt & diſtinguunt. Sed & inde incertum manet, quid ſibi haec velint, si quid poteris, an, *ſi quid poteris venire*, an, *ſi quid poteris invenire*. Malim autem ita: *Huc face ad me ut venias, ſi quid; poteris:* quorum verborum ordo & ſenſus eſt, *face ad me ut venias, poteris, ſi quid habes conſilii.* Blande enim rogantis formula eſt, Ciceroni ſaepius uſitata, *poteris & facies.* Quin autem id voluerit Charinus, *ſi quid habes conſilii*, dubium mihi nullum eſt, cum quia dixerat Davus, quin jam habeo, ſub. conſilium; tum quia mox ait, quid veniam? nihil habeo, ſcilicet tibi, Charino identidem ingeminante illud, si quid, si quid.

31. Dum exeo] Haec in aedes Glycerii intrans dicit.

ACTUS QUARTI

SCENA TERTIA.

Mysis. Davus.

My. Nihilne eſſe proprium cuiquam! Dî voſtram fidem! Sum-

DONATI.

Nihilne esse proprium cuiquam!] *Haec Scena adminiſtrationem doli habet, quo fit ut deterreatur Chremes filiam ſuam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac Comoedia Myſidi attribui, hoc eſt, perſonae foemineae: ſive haec perſonatis viris agitur, ut apud veteres, ſive per mulierem, ut nunc videmus.*

1. Nihilne] Ne, adverbium percunctantis. Nihilne esse proprium cuiquam!] Omne quod habemus, aut mutuum eſt, aut proprium.

COMMENTARIUS.

1. Nihilne esse proprium cuiquam!] Mſ. Bodl. nihilne cuiquam homini proprium! Ita ſolent ἐλλειπτικῶς indignantes. Sic infra V. 2. 28, Heaut. II. 4. 21. Menandri fertur illud: Βδελ-

Summum bonum eſſe herae putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc miſera quem capit
Laborem! facile hic plus mali eſt, quam illic boni.

Sed

DONATI.

prium. Ergo PROPRIUM, perpetuum: ut [1] *Virgilius*,

Propria haec ſi dona fuiſſent.

Ergo nihil nobis proprium eſſe poteſt. quod enim non fuit, nec eſſe quidem poteſt. aut quod eripi poteſt, non eſt noſtrum: niſi illa quae eripi non poſſunt, ut ſapientia, juſtitia, prudentia: quae fortuna neque dare, neque eripere cuiquam poteſt. Et ſimul hoc ipſum & a re, & a perſona hic oſtendit. A re, NIHILNE ESSE PROPRIUM! A perſona, CUIQUAM. PROPRIUM, perpetuum, non temporale ac mutuum. DI VOSTRAM FIDEM!] Admirantis adverbium cum exclamatione. FIDEM dixit opem & auxilium: ut, [2] *Tyrrhenamque fidem.*

2. SUMMUM BONUM ESSE] Mire, pro pleno. Et neutro extulit, SUMMUM BONUM.

3. AMICUM, AMATOREM, VIRUM] *Amicus*, animi eſt: *Amator* vero, corporis. non enim continuo amator eſt, qui bene vult. ut, Dido amavit quidem Aeneam: ſed non & amica fuit, [3] quae ait,

Non potui avulſum divellere corpus, & undis Spargere.

Et item [4] *Catullus*,

Cogit amare magis, ſed bene velle minus.

Et eſt hic officium & blandimentum. AMATOREM & VIRUM dixit ad diſcretionem: ut per ea quae enumerat, maritum oſtenderet.

4. PARATUM] PARATUM dixit ad omnes affectus, quicunque de proximo eſſe poſſunt & maxime ad [5] *Homericam* ſententiam reſpexit:

Ἕκτορ ἀτὰρ, σύ μοί ἐσσι πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ.

Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

VERUM EX EO] Id eſt, Pamphilo. NUNC MISERA QUEM CAPIT LABOREM!] Cum admiratione pronuntiat QUEM, & cum exclamatione quadam.

5. LABOREM] LABOREM diſtinxit probe: & poſt intulit ſeparatim quod ſequitur, FACILE HIC PLUS MALI EST, in labore & metu ſcilicet amittendi, QUAM ILLIC BONI, in voluntate retinendi.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. VI. 872.
2. *Tyrrhenamque*] Virgil. Aeneid. X. 71.
3. *Quae ait*] Aeneid. IV. 600. legitur & *abreptum.*
4. *Catullus*] LXX. 8.
5. *Homericam ſententiam*] Iliad. Z. 429. ſenſus eſt: *Hector, ſed tu mihi es pater, & veneranda mater, & frater, etiam mihi aetate florens maritus.*

COMMENTARIUS.

Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πέλειν.

Diphili autem:

Βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῷ βίῳ.

Lucilius apud Non. *Nihilne eſſe in vita* proprium *mortali datum!* dixit autem PROPRIUM pro ſtabili & perpetuo. Plaut. Moſtell. I. 3. 68.

Atque illum amatorem tibi proprium *futurum in vita.*

Cic. Fam. X. 24. *Me diligas rogo, proprieque tuum eſſe, tibi perſuadeas.* Virg. Aeneid. I. 73.

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

3. AMICUM] Scilicet, memor eſt ancilla narrationis Pamphili de verbis Chryſidis. Vide ſupra I. 5. 60.

AMATOREM] Mſ. Bodl. non agnoſcit hanc vocem. Donati diſtinctionem firmat Plautus Truc. I. 2. 70.

longe aliter eſt amicus *atque* amator.

5. LABOREM] Ita edidi ex quinque Mſſ. Leidenſibus, ſed & Trajectino & Markiano. conſentit editio Juntina & Parei, ex quatuor Mſſ. Palatinis. Accedit auctoritas Donati & Eugraphii. Vetuſtiſſimae tamen editiones ſequutae

Digitized by Google

Sed Davus exit. mi homo, quid iſtuc obſecro 'ſt?
Quo portas puerum? *Da.* Myſis, nunc opus eſt tua
Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque aſtutia.
My. Quidnam incepturus? *Da.* Accipe a me hunc ocius,
Atque ante noſtram januam adpone. *My.* Obſecro,
Hu-

DONAT. I.

tinendi. FACILE HIC PLUS MALI EST, QUAM ILLIC BONI] FACILE, adverbium confirmantis eſt, id eſt, liquido & manifeſto. Veteres dicebant *facile*, pro certo. Ut [6] *Cicero, illus civitatis facile princeps.* FACILE HIC PLUS MALI EST] *Plus mali*, in labore & metu, ut diximus. QUAM ILLIC BONI] In ſummo bono. Dicit enim, ex bonis, quae bona exiſtimamus, plus nos mali capere, eum aut amiſſuros nos eredimus, aut amittimus: quam boni, cum habemus. QUAM ILLIC BONI] Id eſt, in amico, amatore, & viro.

6. MI HOMO, QUID ISTUC OBSECRO 'ST?] Ex Myſidis verbis, quid Davus faciat, demonſtratur. QUID ISTUC OBSECRO 'ST?] Involutum puerum portabat Davus: & ideo dicit mulier, QUID ISTUC OBSECRO 'ST? Tum ille evolvit puerum & profert. quem poſtquam expedivit, tum illa dixit, QUO PORTAS PUERUM?

7. MYSIS, NUNC OPUS EST] Haec Scena actuoſa eſt. magis enim in geſtu, quam in oratione eſt conſtituta. MYSIS, NUNC OPUS EST] Properantis & impenſe agentis Davi verba monſtrantur.

8. EXPROMPTA] In medium prolata. MEMORIA ATQUE ASTUTIA] MAMORIA, ut praecepta Davi retineat. ASTUTIA, ad agendum ſtrenue quae imperet. MAMORIA] Simpliciter magis, ut memor ſit Davi praeceptorum. Et MEMORIA, modo pro intelligentia. ut [7] *Virgilius*,

Inſtamus tamen immemores.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Cicero*] Legere me memini, locum non memini.

7. *Virgilius*] Aeneid. II. 244.

COMMENTARIUS.

Mſſ. quoſdam libros, DOLOREM exhibent. Sic infra V. 2. 29.

Tantum laborem *capere ob talem filium!*

Quae locutio neſcio quomodo magis eſt Terentiana. Plaut. Trin. II. 1. 34.

animo
Labos *grandis capitur.*

Utrumque junxit Noſter infra V. 1. 12. Uſitatius autem dicitur *ex re*, quam *in re* aliqua capere quid. Eun. III. 5. 25. & V. 6. 1. Heaut. V. 1. 59. Tranſlatio facta a fructibus & reditu annuo. Eun. I. 1. 34.

FACILA HIC PLUS MALI EST, QUAM ILLIC BONI] Noſn faciunt Interpretes, ut credam, HIC notare metum amittendi, ILLIC ſpem fruendi Pamphili. Longe haec petita ſunt. Quid ergo? ſtabat Myſis haud procul ab aedibus Glycerii & Simonis. Geſtu igitur verba haec adjuvanda. quum enim dicit, HIC PLUS MALI EST, digitum intendit in Glycerii aedes; ſed dicens, QUAM ILLIC BONI, aedes Simonis notat. q. d. Glycerii labor & dolor facile exſuperat gaudium Simonis.

7. MYSIS] Hic Donato & in quibuſdam Mſſ. & editis eſt initium Scenae IV.

8. MEMORIA] Ita cum Mſ. Traject. & Mark. etiam duo Leidenſes legunt. Sed & ita eſt in vetuſtiſſimis impreſſis codicibus. pro quo alii MALITIA habent. Leidenſium unus & Bodl. MILITIA. corrupte. Si vero partes Myſidis in hac Scena reſpicias, nullus MALITIAE LOCUS; quanquam ita legendum eſſe poſt Faërnum contendit Tanaq. Faber. Sufficiebat enim memorem eſſe verborum Davi, nec, praeterquam quod is rogabat, quidquam reſpondere. Tum qui *malitia* ejus exigeretur, quae, quid ageretur, neſciebat? Plautus tamen Epid. IV. 1. 19.

Muliebris adhibenda mihi malitia *nunc eſt.*

11. EX ARA HINC SUME VERBENAS TIBI] In Mſ. Bodl. non legitur SUME. qualis ellipſis ſeſſi-

Digitized by Google

Humine? *Da.* Ex ara hinc ſume verbenas tibi,
Atque eas ſubſterne. *My.* Quamobrem id tute non facis?
Da. Quia, ſi forte opus ſit ad herum jusjurandum mihi,
Non adpoſuiſſe, ut liquido poſſim. *My.* Intelligo.

Nova

DONATI.

11. EX ARA HINC SUME VERBENAS TIBI] EX ARA, ſcilicet [8] Apollinis, quem ἀγυιεῖ *Menander* vocat, aut quod Apollini comoedia dicata eſt: in cujus honotem aram conſtituebant, comoediam celebrantes. Apollini ergo comoedia, [9] Libero patri tragoedia. SUME VERBENAS TIBI] VERBENAE quaſi *herbenae*, redimicula ſunt ararum. TIBI] Τὸ TIBI, quaſi geſtum quendam & motum ſtomachantis habet: ut alibi, *Quid vis tibi?* Et TIBI SUME, dixit: non, TIBI SUBSTERNE. EX ARA SUME VERBENAS] *Verbenae*, ſunt omnes herbae frondeſque feſtae ad aras coronandas. vel omnes herbae frondeſque ex aliquo loco puro decerptae. *Verbenae* autem dictae, quaſi *herbenae*. Sic [10] *Menander*: * ΚΟ-ΔΕξΙΑC CΥΜΥΡΡΥΝΑC ΧΧΗCΔΙεΤεΙΝε. *

12. QUAMOBREM ID TUTE NON FACIS?] TUTE tunc dicitur, cum pronomen ad eam revocatur perſonam, a qua ſumitur. ut verbi gratia, cum dicimus, *Tu lege:* ille nobis reſpondeat, *Cur tute non legis?*

13. QUIA, SI FORTE OPUS SIT AD HERUM JURANDUM MIHI] Sic locutus eſt, ut explicari atque intelligi non poſſit. aut enim deeſt JUS, ut ſit JURANDUM pro JUSJURANDUM: aut (ut vulgo dicitur) *juramentum.* Et *opus eſt illam rem:* non *opus eſt illa re.*

14. UT LIQUIDO POSSIM] LIQUIDO, pure & manifeſte. Nam quae ſunt pura & defaecata, liquida ſunt.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Apollinis*] Vide Lindenbruchium.
9. *Libero patri Tragoedia*] Vide Obſervaſiones Lindenbr.
10. *Menander*] Locus uti corruptus, ita intentatus etiam nunc a Viris eruditis; niſi quod Joh. Clericus, Vir Cl. ita reſtituit: Σκολύψατο σὺ μυῤῥίνας τῆδ' ἔντεινε. *Evulſos myrteos ramos huc extende.* Propius ad veſtigia vetera, opinor, Ἀπὸ δ' ἑστίας σὺ μυῤῥίνας ἐὰν ἔχῃς, διατεῖνε. *Ab ara myrteos ſi habes, extende.*

COMMENTARIUS.

feſtinantibus eſt propria. Notat autem Scaliger ad Plaut. Moſtell. V. 1. 45. binas fuiſſe aras in Scena, dextram Baecho in Tragoedia, Apollini in Comoedia; ſiniſtram ei vel Deo, vel Divo, vel heroi, vel civi, cui fiebant ludi, aut juſta, aut parentalia. Porro autem in iis *verbenas* impoſitas Apollini, Baccho hederas. *De verbena* vid. Plin. XXII. 2. Poſtea tranſlata vox ad omnes herbas e loco publico collectas, quae ſacris rebus adhiberentur. Plaut. Truc. II. 5. 27.

fer huc verbenam *mihi, thus & bellaria.*
Date aquam manibus.

Cicero Verr. IV. 50. *Praeſto mihi ſacerdotes Cereris cum infulis ac* verbenis *fuerunt.* Virg. Ecl. VIII. 64.

Effer aquam, & molli cinge haec altaria vitta,
Verbenaſ*que adole pingues, & maſcula thura.*

Horat. Carm. I. 19. 13.

Hic vivum mihi ceſpitem, hic
Verbenas, *pueri, ponite thuraque.*

Porro *Verbenam* in foederibus pangendis e monte Capitolino avellebat Pater Patratus.

12. TUTE] Quidam Mſſ. & editorum antiquiſſimi, TUTE IPSE.

13. SI FORTA OPUS SIT AD HERUM JUSJURANDUM] Dixit AD HARUM, pro, coram hero. Cic. Fam. V. 10. *Si opus erit*, ad Caeſarem *meam cauſam agas.* Plancus ad Cic. Fam. X. 17. *Quo ego interprete noviſſime* ad Lepidum *uſus ſum.* Donatus legit JURANDUM. Sic Plautus Ciſt. II. 1. 26. Idem in quibuſdam Mſſ. & impreſſis legitur, defenditurque ab Anteſignano, ob metrum ſcilicet. Alii JUREJURANDO.

14. UT LIQUIDO POSSIM] Sub. jusjurandum dare. Eun. II. 3. 39.

liquet *mihi dejerare.*

Cic. Fam. XI. 27. *Alia ſunt, quae* liquido *negare ſoleam.* Idem Verr. III. 59. *Manifeſta res eſt,*

quum

Nova nunc religio in te iſtaec inceſſit, cedo?
Da. Move ocius te, ut quid agam, porro intelligas.
Prô Jupiter! *My.* Quid eſt? *Da.* Sponſae pater intervenit.
Repudio, quod conſilium primum intenderam.
My. Neſcio quid narres. *Da.* Ego quoque hinc ab dextera
Venire me adſimulabo: tu, ut ſubſervias
Ora-

DONATI.

15. NOVA NUNC RELLIGIO] Bene. jusjurandum metuere ſervum, monſtri ſimile eſt. NOVA RELLIGIO] In ſervo, & ſubita. NOVA NUNC RELLIGIO] Servum nolle mentiri, nova religio eſt. CEDO] Porrigentis eſt manum.

16. PORRO INTELLIGAS] PORRO, modo adverbium eſt ordinis: alias temporis.

17. SPONSAE PATER INTERVENIT] Mire non dixit, *Chremes:* ne, quum dixiſſet, *quis Chremes?* rurſus hic reſponderet, SPONSAE PATER. Et non temere hoc facit Poëta; nam promiſerat ſe rediturum domum Chremes, *Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuntio.*

18. QUOD PRIMUM INTENDERAM] Verbum a venatoribus tranſlatum, qui retia intendunt ad feras captandas. Quia ergo parat Chremem & Simonem fallere, INTENDERAM dixit. Vel a ſagittis atque arcu.

19. NESCIO QUID NARRES] Bene NARRES. *Narrare* enim aliena, & quae nobis non ſunt neceſſaria, dicimus. EGO QUOQUE] Bene ait QUOQUE: quia & Chremes veniebat.

20. TU, UT SUBSERVIAS] Recte, UT SUBSERVIAS, dixit. non enim tantum loquitur Myſis, quantum Davus.

COMMENTARIUS.

quum nemo eſſet, quin hoc ſe audiſſe liquido *diceret, locupletiſſimus quiſque certiſſimus teſtis eſſet.* Ovid. Pont. III. 3. 49.

Scis tamen; ut liquido *juratus dicere poſſis,*
Non me legitimos ſollicitaſſe toros.

JCtis *liquido jurare* opponitur τῷ pejerare. Vid. Ulp. *leg. XVIII. dig. de jurejur.* Eſt vero *liquidum* proprie purum, clarum. Unde pro vero & certo ponitur. Vellej. I. 16. *Nequeo tamen temperare mihi, quin rem ſaepe agitatam animo meo, neque ad* liquidum *ratione perductam ſignem ſtilo.* Ubi vide Schegk.

15. NOVA NUNC RELIGIO IN TE ISTHAEC INCESSIT] Editiones vetuſtiſſimae: UNDE NOVA NUNC RELIGIO IN TE ISTHAEC INCESSIT? Sed & ita Mſſ. quidam exhibent. Eſt autem RELIGIO h. l. δεισιδαιμονία, vulgo *ſcrupulus conſcientiae.* Sic plane infra V. 4. 37. ubi poſtquam Chremes dixiſſet,

At mihi unus ſcrupulus *etiam reſtat, qui me male habet.*

Pamphilus continuo,

dignus es
Cum tua religione, *odio,*

inquit. Et Heaut. II. 1. 16.

nam nihil eſſe mihi, religio *eſt dicere.*

Plaut. Curc. II. 3. 71.

Vocat ad coenam. religio *fuit: denegare nolui.*

Integram phraſin imitatus Livius, VIII. 3. Religio inceſſit *ab eis, quorum imminutum imperium eſſet.* Et cap. 17. Religio *deinde* inceſſit, *vitio eos creatos.*

18. REPUDIO, QUOD CONSILIUM PRIMUM INTENDERAM] Cic. Att. XVI. 7. *Abjeci conſilium profectionis.* Apulej. Metam. Lib. I. *Jam de fuga conſilium tenebam; ſed iſtud quidem tui contemplatione abjeci ſtatim.* PRIMUM] Mſſ. & editi quidam vetuſti: PRIUS.

20. SUBSERVIAS ORATIONI, UTCUNQUE OPUS SIT VERBIS] h. e. orationi meae tuam accommodes reſponſionem. Quod apertius dicit infra IV. 4. 14.

verbum ſi mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.

Vide mox Donatum ad IV. 4. 4. Similis fere locutio eſt apud Cic. Fam. III. 1. *Mirifice ipſa ſuo ſermone* ſubſecutus *eſt humanitatem literarum tuarum.* Eſt & *ſubſervire* orationi alicujus, verba

Orationi, utcunque opus ſit verbis, vide.
My. Ego, quid agas, nihil intelligo: ſed, ſi quid eſt,
Quod mea opera opus ſit vobis, aut tu plus vides,
Manebo: ne quod voſtrum remorer commodum.

DONATI.

21. ORATIONI, UTCUMQUE OPUS SIT VERBIS] Tuis verbis orationi meae. plura enim loquetur Davus, inde ORATIONI dixit. Illa ſubſequetur, ideo VERBIS. VIDE] Cauta eſto, intellige, ſpecta.

23. AUT TU PLUS VIDES] Si ſapis, intelligis.

24. REMORER COMMODUM] REMORER, retardem, retineam. *Remorari:* a remora piſce minutiſſimo, qui naves retinet. nam Graece *ἐχενηῒς* vocatur.

COMMENTARIUS.

ba ſuppeditare alteri memoria aliove vitio deficienti. Plaut. Bacchid. I. 1. 2.

Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut ſubvenias, ſoror.

24. NE QUOD VOSTRUM] Mſ. Bodl. NE VOSTRUM.

ACTUS QUARTI

SCENA QUARTA.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

Ch. REVERTOR, poſtquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paravi, ut jubeam arceſſi. ſed quid hoc?
Puer hercle 'ſt. mulier, tun' adpoſuiſti hunc? *My.* Ubi illic eſt?
Ch.

DONATI.

REVERTOR] *Adeſt nunc ipſe Chremes, cujus cauſa Scena fraudibus inſtructa eſt, ne promiſſas compleas nuptias.*

2. UT JUBEAM ARCESSI] Recte JUBEAM: quia ſumma poteſtas nuptiarum in patre puellae eſt. SED QUID HOC?] Non interrogantis, ſed mirantis & non intelligentis eſt. Et apparet eum non oculis prius, quam corporis offenſu puerum ſenſiſſe latentem.

3. PUER HERCLE 'ST] Ornativa particula eſt HERCLE. MULIER] Magis quam Myſis. UBI ILLIC EST] Davum quaerit, qui nunc abſceſſit, ut & ipſe de foro venire videatur.

COMMENTARIUS.

1. REVORTOR] Haec in Mſſ. quibuſdam & impreſſis eſt Scena V.

3. ADPOSUISTI] Mſſ. quidam, & edit. 1469. POSUISTI.

Ch. Non mihi reſpondes? *My.* Nuſquam eſt. vae miſerae mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. *Da.* Dî voſtram fidem!
Quid turbae eſt apud forum! quid illic hominum litigant!
Tum annona cara 'ſt. quid dicam aliud, neſcio.
My. Cur tu obſecro hic me ſolam? *Da.* Quae eſt haec fabula?
Eho, Myſis, puer hic unde eſt? quiſve huc attulit?
My. Satin' ſanus es, qui me id rogites? *Da.* Quem ego igitur
rogem,

Qui

DONATI.

4. NON MIHI RESPONDES?] Bene, NON RESPONDES? Se enim memor eſt vetitam quidquam dicere, niſi ſubſerviat orationi Davi.

5. RELIQUIT ME HOMO] Mire *hominem*, non *Davum* dixit: ut etiam ſi audiat Chremes, incertam perſonam hominis audiat, non Davum. DI VOSTRAM FIDEM!] Adverbium admirantis cum exclamatione.

6. QUID TURBAE EST APUD FORUM!] Haec verba ſunt venientis de foro. QUID ILLIC HOMINUM LITIGANT!] Legitur & LITIGAT.

7. TUM ANNONA CARA 'ST] Comminiſcentis eſt potius, quam alicui referentis. QUID DICAM ALIUD] Hoc poſt ſpectatores.

8. CUR TU OBSECRO HIC ME SOLAM?] Ἀποσιώπησις tertia. FABULA?] Fabulam ſe dicit audire, qui rei principium, rationemque ignorat.

9. EHO] EHO interjectio eſt, vel principium animadverſionem in ſe poſcentis, aut repente cernentis.

COMMENTARIUS.

5. RELIQUIT ME HOMO] Editio Veneta 1490. RELIQUIT ME HOMO SIC SOLAM. forte ſcriptum fuerat, HIC SOLAM; quod e verſu octavo poſſit videri repetitum.

6. QUID TURBAE EST APUD FORUM!] Videtur loqui de judiciorum cauſarumque frequentia, quae in foro tractabantur. Sic Cic. Fam. VIII. 8. *Haec quoque magna nunc contentio forum tenet.* QUID vero junctum genitivo αὐξητικῶς eſt. Heaut. II. 3. 13. & II. 3. 6.

QUID ILLUC HOMINUM LITIGANT!] Varie haec leguntur. Jam Donati aetate lectum, QUID ILLIC HOMINUM LITIGAT! Mſſ. quidam & impreſſorum vetuſtiſſimi, QUOT ILLIC HOMINUM LITIGANT!

7. TUM ANNONA CARA 'ST] An, NUM ANNONA CARA 'ST? Cic. Verr. III. 92. *Remiſſior aliquanto ejus* (tritici) *fuit aeſtimatio, quam* annonae. Nam & ipſa aeſtimatio rerum promercalium ANNONA dicta, quae ſi gravior eſſet, CARA dicebatur. Porro autem de *annonae caritate* frequens erat querela paraſitorum, hominumque pauperum. Plaut. Capt. III. 1. 34.

ut mihi coenas decem
Meo arbitratu dent, quum cara annona *ſit.*

Stich. I. 3. 25.

Per annonam caram *dixit me natum pater.*
Propterea, credo, nunc eſurio acrius.

& IV. 2. 52. *ut* annona *eſt gravis!*

Hinc vero ſaepenumero tumultus eſt ortus.

QUID DICAM ALIUD, NESCIO] Ita diſtinxi cum editionibus praeſtantiſſimis, Juntina, Aldina, Stephani, aliis. Vulgo: QUID DICAM ALIUD? NESCIO. Cic. Att. XVI. 15. *Nihil enim habeo aliud, quod dicam.* Davus vero haec ſecum, vel ad ſpectatores converſus. Ita enim in Comoedia omnes omnia reſciſcunt, ut ea, quae perſonae ſe invicem celant, a ſpectatoribus tamen exaudiantur.

8. QUAE EST HAEC FABULA?] Eun. IV. 4. 22. Videturque omnino ſenſus eſſe, q. d. Quid hoc eſt negotii? Non aliter atque Graecorum ῥῆμα, & Hebr. דבר in ſacris Libris paſſim & Verbum & Rem denotant. Edit. 1469. HEM QUAE.

12. DICTURAN' ES?] Alii, DICTURAN'? omiſſo ES.

CONCEDE AD DEXTERAM] Haec cum duobus verſibus ſequentibus, atque etiam illa Myſidis, MALE DICIS, preſſe inter ſe loquuntur ſervus cum ancilla, Chremete non audiente. Unde mox Davus: UNDE EST? DIC CLARE.

13. DE-

Digitized by Google

Qui hic neminem alium videam? *Ch.* Miror, unde ſit.
Da. Dicturan' es quod rogo? *My.* Au. *Da.* Concede ad dexteram.
My. Deliras? non tute ipſe? *Da.* Verbum ſi mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.
My. Maledicis? *Da.* Unde 'ſt? dic clare. *My.* A vobis. *Da.* Ha, ha, he.

Mi-

DONATI.

11. Hic neminem alium videam] Callide affirmat non ſibi viſum Chremem, cum & praeviderit venientem, & praeſentem videat. Miror, unde ſit] Miror veteres cum unde, pro *neſcio* ponebant. nam admiratio ab ignorantia deſcendit. [1] *Plautus*,

Ne quis miretur qui ſim, paucis eloquar.

12. Au] Interjectio conſternatae mulieris. Concede ad dexteram] Et bene dexteram. ſiniſtra enim venit Chremes: & non vult proximum ei Chremetem, ſed juxta. ſupra enim dixit, *Ego quoque hinc ab dextera venire me adſimulabo.*

13. Deliras? non tute ipſe?] Deeſt, *cum mihi dediſti.* Sed & ſupra, & nunc interturbat Davus, ne mulier totum dicat. Non tute ipſe?] Submiſſa voce. Verbum ſi mihi unum] Accommodate comminatur Davus: pene enim Myſis univerſa narrabat.

14. Praeterquam quod te rogo] [2] Hoc eſt, ſenſim, & ut ſenex ſentiat, pronuntiari poteſt. Faxis, cave] Geſtu comminantis eſt & vultu: ut ſuſpenderet comminationem, deinde inſerret geſtum. Ordo, *Cave faxis.*

15. Male dicis] Cum contemptu loqueris, convicium facis. Apparet ergo, Male dicis lentius eſſe dictum, quum ſubjungit, Dic clare. Male dicis] Nove Male dicis, pro comminatione poſuit, quum pro convicio ſoleat poni. Niſi forte, quia [3] contumeliae genus eſt comminatio. Quidam putant eſſe unam perſonam, Davi ſcilicet, dictum ſuperius Myſidis, non ſatis manifeſtum Chremi, in maledicti ſimilitudinem derivantis. Unde 'ſt? dic clare] Hic expreſſius dixit. A vobis] Quia a vobis parum intelligebatur, hic addidit morem meretricis, ut vel ſic intelligat ſenex.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Plautus*] Aul. Prol. I.

2. *Hoc eſt ſenſim, & ut ſenex ſentiat, pronunciari poteſt*] Verba corrupta. Rob. Stephanus aliquanto melius: *Hoc & ſenſim, & ut ſenex ſentiat, pronunciari poteſt.* Mſ. Hulſt. & editiones Venetae antiquiſſimae, *Hoc, ut & ſenex ſentiat, pronunciari poteſt.* Non dubium eſt, quin ſcripſerit Donatus: *Hoc ſenſim, & ne ſenex ſentiat, pronunciari poteſt.*

3. *Contumeliae genus eſt comminatio*] Lindenbruchius citat Ulpian. l. 15. §. 1. ff. de injur. & fam.

COMMENTARIUS.

13. Deliras?] Cum interrogationis nota expreſſi, quod id ἐμφατικώτερον videbatur. Ita ſupra: *Satin' ſanus es, qui me id rogites?* Eſt vero *delirare* verbum ruſticum, quoties aratrum extra liram ſeu ſulcum aberrat. Inde ad animum transfertur. Sic Adelph. V. 8. 13. *deliras.* quod mox dicit, *inſanis.*

15. Dic clare] Vox *clara* eſt, quae ab omnibus auditur. Liv. XLII. 25. *Qua voce eum accenſum reſtitiſſe, atque voce* clara *denunciaſſe ſibi, ut triduo regni ſui decederent finibus.* Suet. Vitell. 14. *Quoſdam & de plebe ob id ipſum, quod Venetae factioni* clare *maledixerant, interemit.* Aliud eſt *alta* vox, quae & magna, id eſt, ſuperba.

A vobis] Ita ex Mſſ. nonnullis editiones vetuſtiſſimae & optimae. Alii, a nobis, quod & Faërnus tuetur.

16. Mi-

Mirum vero, impudenter mulier ſi facit meretrix?
Ch. Ab Andria 'ſt ancilla haec, quantum intelligo.
Da. Adeon' videmur vobis eſſe idonei,
In quibus ſic illudatis? *Ch.* Veni in tempore.
Da. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane; cave quoquam ex iſtoc exceſſis loco.
My. Dî te eradicent: ita me miſeram territas.
Da. Tibi ego dico, an non? *My.* Quid vis? *Da.* An etiam rogas?
Cedo,

DONATI.

16. Mirum vero] Saepe ad *εἰρωνείαν* refertur. [4] Impudenter mulier si facit] Bono ordine locutus eſt. primo enim, cauſa impudentiae natura eſt, deinde conditio.

17. Ab Andria 'st ancilla haec] Effecit quod volebat Davus. nam intellexit Chremes, ex qua ſit Pamphilo natus puer.

18. Adeon' videmur vobis esse idonei] *Idoneus* eſt aptus ad omnia, & bona, & mala. Adeon'] Adeone, [5] an adeone ad eum?

19. In quibus sic illudatis?] Et *illudo in te*, ſeptimo caſu: & *illudo te*, accuſativo dicimus. [6] ſed in primo ſuperuacuum eſt: ut ſit, quibus illudatis. Veni in tempore] Cum proviſus ſit, interveniſſe putat. Veni in tempore] Opportune. nos ſine praepoſitione dicimus, *tempore* & *tempori*.

20. Propera adeo puerum tollere] Hic verſus clare dicitur: ſequens, ne ſenex audiat, preſſe.

21. Cave quoquam ex istoc excessis loco] Neceſſario Davus retinet Myſidem. nondum enim omnia audivit Chremes, nondum comperit unde ſit mulier, & puer de quo ſuſceptus ſit. Excessis, pro excedas: ut *faxis*, pro facias.

23. An etiam rogas?] Rurſum jurgium repetit, & turbulentam orationem.

OBSERV. IN DONAT.

4. Impudenter mulier si facit] Edendum erat: impudenter mulier si facit meretrix. Utrumque enim reſpexit Donatus, τὸ *natura* referens ad vocem mulier, & τὸ *conditio* ad vocem meretrix.

5. *Adeone ad eum?*] Verba abſurda, nec Donato digna. Unde & abſunt a Mſ. Hulst. & pleriſque editionibus vetuſtis. Niſi legas: Adeon'] Adone, an adeo; *ne* enim eſt *an*.

6. *Sed in primo ſuper vacuum eſt*] Senſus poſtulat, ut legatur, *Sed* in *in primo ſuper vacuum eſt*.

COMMENTARIUS.

16. Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix?] Seorſim ſentio ab Interpretibus & editoribus aliis, interrogantem faciens Davum. Ut ſenſus ſit, Mirum non eſt, mulierem meretricem facere impudenter. Cum quibus ſi conferas, quae mox dicit:

Adeon' videmur vobis eſſe idonei,
In quibus ſic illudatis?

Videtur Myſis interrogata a Davo, unde 'st? omnino reſpondiſſe, a vobis. Si enim a nobis dixiſſet, quae illa impudentia dicenda erat? quae porro illuſio? ſane nulla. Nec obſtat, quod mox rurſus idem Davus rogat, cedo, cujum puerum hoc apposuisti? quodque Myſis reſpondet primum, vestri, mox apertius, Pamphili. Scilicet volebat Davus aperte omnia dici a Myſide, ne quid dubii remaneret Chremeti. Eodem modo Phaedria bis rogando Dorum, verum ex eo exſculpit. Eun. IV. 4. a verſu 23. ad 43. Menander:

Οὐδὲν γ' ἑταίρα τῶ καλῶς πεφρόντικε.

18. Idonei] Vide ſupra III. 2. 12.

19. Veni in tempore] Sic infra V. 6. 10. Supra III. 2. 51. Heaut. II. 3. 123.

20. Propera] Edit. 1469. *Propterea adeo puerum tolle.*

Digitized by Google

Cedo, cujum puerum hic adpoſuiſti? dic mihi.
My. Tu neſcis? *Da.* Mitte id, quod ſcio: dic, quod rogo.
My. Veſtri. *Da.* Cujus veſtri? *My.* Pamphili. *Da.* Hem! quid? Pamphili?
My. Eho, an non eſt? *Ch.* Recte ego ſemper fugi has nuptias.
Da. O facinus animadvertendum! *My.* Quid clamitas?
Da. Quemne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?
My. O hominem audacem! *Da.* Verum, vidi Cantharam Suffar-

DONATI.

24. CEDO] Cedo idem ſignificat quod *dic*, & *da mihi.* Ergo repetitionem ſignificat, non ſupervacuam orationem. Et eſt dictum cum quadam fiducia, & contemptu ejus, cum quo ſermo eſt, interrogantis aliquid.

25. MITTE ID, QOOD SEIO] Hoc lentius & ſummiſſe.

26. HEM! QUID? PAMPHILI?] Apparet mulierem VESTRI & PAMPHILI lentius pronuntiaſſe, quam Davus vellet: & ideo nunc repetiſſe nomen NOSTRI & PAMPHILI. HEM! QUID? PAMPHILI?] Duas res operatur Davus ſimul, & ut ignariſſimum ſe oſtendat, & ut Pamphilus dominetur. Et argute repetit nomen Pamphili: quaſi per indignationem, ut ſoceri auribus, adoleſcentis nomen inculcet. metuit enim, ne non audiat velut ſenex.

27. RECTE EGO SEMPER FUGI HAS NUPTIAS] Et hic efficit quod voluit Davus, ut Pamphili Chremes puerum eſſe cognoſcat, & recuſet generum. HAS] Id eſt, hujuſmodi.

28. O FACINUS ANIMADVERTENDUM] Ἀποσιώπησις quarta. QUID CLAMITAS?] Clamavit enim Davus, ut puerum audiret Chremes.

29. QUEMNE EGO HERI VIDI AD VOS ADFERRI VESPERI?] Vult negando irritare mulierem ad confirmanda quae vult.

30. O HOMINEM AUDACEM] Exclamatio Myſidis, teſtimonium veritatis eſt. VERUM VIDI CANTHARAM SUFFARCINATAM] Vide infirmum argu-

COMMENTARIUS.

22. DI TE ERADICENT] Metaphora ab herbis & arboribus deſumta. Sic Heaut. III. 3. 28. Plaut. Rud. V. 2. 59.

Venus eradicet *caput atque aetatem tuam.*

23. TIBI EGO DICO, AN NON?] Formula indignantis, quoties alter alias res agere videtur. Similis locutio ſupra I. 2. 15. Sed & formula increpantis eſt, TIBI DICO. Ovid. Heroid. XX. 153.

Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, *exi.*

26. CUJUS VESTRI?] Varietas Librorum lectionem facit dubiam. Omnium antiquiſſimi ex editis habent, ut exhibui. Lindenbruchius aliique: CUJUS? NOSTRI? Rurſus alii unica interrogatione: CUJUS NOSTRI? In his eſt Mſ. Bodl.

28. ANIMADVERTENDUM] Puniendum. Supra I. 1. 129. Uſitate quis dicitur *Animadvertere in aliquem.* Salluſt. Bello Catil. 51. Cicero Catil. I. 12. Quod JCtis eſt ultimo ſupplicio afficere.

29. QUEMNE EGO HERI VIDI AD VOS ADFERRI VESPERI?] Idem commentum vide ſupra III. 2. 34. Bene autem addit, VESPERI, ne ſcilicet dolus ſuppoſiti pueri pateſieret. Tum QUEMNE dicens ſubdubitans interrogat. Sic Plaut. Mil. I. 1. 13.

Quemne *ego ſervavi in campis Gurguſtidoniis?*

Epid. V. 2. 54.

Quemne *hodie per urbem uterque ſumus defeſſi quaerere?*

30. VERUM. VIDI CANTHARAM SUFFARCINATAM] Primum confirmat quod dixerat verſu ſuperiore; deinde adſtruit argumento de *Canthara.* Plenius loquitur Phorm. III. 2. 9.

verum hercle hoc eſt.

Petrus Nannius Miſcell. Lib. I. ex conjectura legit, CANTHARUM SUFFARCINATUM, intelligens

Suffarcinatam. *My.* Dîs pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.
Da. Nae illa illum haud novit, cujus cauſa haec incipit.
Chremes, ſi poſitum puerum ante aedes viderit,

Suam

D O N A T I.

argumentum. prius, *vidi puerum afferri*, dixit poſt, non puerum, ſed *Cantharam ſuffarcinatam.* *Canthara*, nomen eſt anus, Et hoc dicit, ut leviter redarguat Myſidem, non ut vincatur. hoc enim vidiſſe ſe innuit, CANTHARAN SUFFARCINATAM, non puerum portantem. SUFFARCINATAM] Proprium eſt anibus ſuffarcinatas eſſe. ut [7] *Perſius*, *Pannucia Baucis.* Et [8] *Plautus*, *Doliarem*, *claudam*, *craſſam.*

32. CUM IN PARIUNDO ALIQUOT ADFUERUNT LIBERAE] Indicium ſecuta confirmatio eſt, quam expreſſit Davi refutatio. Supereſt etiam ut & concludatur effectus doli, negante Chremete ſe daturum filiam: quod ſubinde efficit Davus dolo. ALIQUOT LIBERAE] Nec paucae, nec multae. LIBERAE] Teſtimonia libera contra ſervum. Et hoc proprium *Terentii* eſt. nam de Romano more hoc dixit.

33. NAE ILLA ILLUM] NAE, valde. [9] *Cicero*, *Nae illi vehementer errant.* NAE ILLA ILLUM] Chremetem ſcilicet.

34. CHREMES, SI POSITUM PUERUM] Ἐν ὑποκρίσει. Et eſt *μίμησις.* tranſit enim a mixto ad imitativum characterem. CHREMES, SI POSITUM PUERUM] *Μίμησις*, quando aliqua verba ſic pronunciamus, ut vana videantur.

O B S E R V. I N D O N A T.

7. *Perſius*] Sat. IV. 21.
8. *Plautus*] Pſeud. II. 2. 64.
9. *Cicero*] Catill. II. 3.

C O M M E N T A R I U S.

χύτραν ſeu fictile vas, cujuſmodi Athenis in exponendis pueris fuiſſe uſitata, ex Ariſtotele, Callimacho & Ariſtophane obſervat Farnabius. In eadem vero qua Nannius ſententia fuiſſe plures, ex tribus Mſſ. Leidenſibus apparet, in quorum uno voci CANTHARAM ſuprascriptum, ſed alia manu, *ehorbem*, in ſecundo, *corbem*, in tertio, *corbem bonuſtam de puero.* Anſam dedit Eugraphius, cujus haec ſunt verba: *Suffarcinari dicitur, quaſi farcina aliqua fulciri. Siquidem farcio farſi, & farciner fartus, unde ſuffarciner, facit.* Et CANTHARAM SUFFARCINATAM *dixit, quaſi corbem ſupponendo puero repletam.* Mihi id duriuſculum videtur. Primum enim obſtat conſenſus Mſtorum, quorum nullum unquam vidit Nannius, ipſo teſte, Miſcell. Lib. II. cap. 6. Tum hoc loco non de *exponendo*, ſed *ſupponendo* puero eſt ſermo. Accedit auctoritas Donati, quem Nannius gratis *ab indoctiſſimo nebulone hic interpolatum* affirmat. Porro *ſuffarcinati* dicuntur homines, non res. Denique licet ita litigaret Davus cum Myſide, tanquam qui vincere nollet, debebat tamen aliqua ſaltem veri ſpecies ineſſe in ejus ſermone. Si vero dixiſſet, *cantharum* in Glycerii aedes fuiſſe illatum, id nullam omnino ſpeciem pueri ſimul allati habuiſſet; poterat enim ob pluſculas rationes alias cantharus eſſe allatus. Sed & unde liquet, vas illud exponendis vel portandis pueris cantharum fuiſſe dictum? Et qui videri poterat a Davo, cantharum eſſe ſuffarcinatum, niſi ipſe introſpexiſſet in ipſum cantharum? Adde, quod durius dictum videatur, *Quemne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?* & mox addere: *verum. vidi cantharum ſuffarcinatum.* Si enim, quod vult Nannius, ἀπὸ κοινοῦ repetas, *adferri*, omnino praeceſſiſſe debebat: *Quidne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?* Demum ex reſponſo Myſidis nullo negotio refellitur Nannius. Is enim eſt ſenſus dictorum Myſidis: *Si Cantharae mulieri ancillae teſtimonii dictio non eſt, Dis pol habeo gratias, quum in pariundo aliquot adfuerunt liberae, quarum teſtimonio publice conſtare queat, Glycerium vere peperiſſe, neque hunc puerum eſſe ſuppoſitum.* Haec eo exſequi pluribus volui, quod video, etiam Lindenbruchium accedere ad ſententiam Nannii. CANTHARAM SUFFARCINATAM igitur intellige *ſuffertam onere*, quod ſub axillis geſtabat

Digitized by Google

Suam gnatam non dabit. tanto hercle magis dabit.
Ch. Non hercle faciet. *Da.* Nunc adeo, ut tu ſis ſciens,
Niſi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam: teque ibidem pervolvam in luto.
My. Tu pol homo non es ſobrius. *Da.* Fallacia

Alia

DONATI.

36. NON HERCLE FACIET] Bene enim de ſe tertiam perſonam fecit, ut ſupra, *At nunc faciet.* UT TU SIS SCIENS] Eloquenter, ſic enim veteres pro *ſcias* dixere.

37. IN MEDIAM VIAM PROVOLVAM] Bene IN MEDIAM VIAM: quia ante fores poſitus jacebat.

38. PROVOLVAM] Id eſt, porro volvam. Et dolo quidem minatur, quod facturus non eſt: verum ſedulo id agit, ut jam puer tollatur e medio: ſimul eum ſervat Chremeti, ut ipſe recuſet generum, non ut a quoquam paſſus videatur injuriam. TEQUE IBIDEM PERVOLVAM IN LUTO] De proximo παρόμοιον repetit. Et quando nomina ſunt, παρονομασία: quando verba, παρόμοιον dicitur.

39. TU POL HOMO NON ES SOBRIUS] SOBRIUS, eſt ſanae mentis, quaſi *ſebrius*, [10] hoc eſt, ab ebrio ſeparatus, ſecretus, ſeparatus ab iis qui diſcernuntur.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Hoc eſt, ab ebrio ſeparatus, ſecretus, ſeparatus ab iis qui diſcernuntur*] Ita ediderat Rob. Stephanus, Mſſ. Hulſt. & edd. veteres Venetae ad mentem Donati: *Hoc eſt, ab ebrio ſeparatus*, ut ſecretus, *ſeparatus ab iis, quae diſcernuntur.*

COMMENTARIUS.

bat & veſte tegebat. Plaut. Curc. II. 3. 9.

Tum iſti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati *cum libris, cum ſportulis.*

Ut autem a *farcio* eſt *farcino*, ita a *farcio* eſt *farcino*. Metaphora ab avibus tranſlata, quae dum ſaginantur, ut pingueſcant, *farcinari* dicuntur. Ex conſpecta autem *Canthara ſuffarcinata* non conficiebatur, puerum ſuppoſititium eſſe adlatum. Sed neque id inde confici volebat Davus. Quanquam non fuiſſe praeter morem Athenienſium talem filiorum *ſuppoſitionem* vel ex Ariſtophanis Θεσμοφοριαζούσαις diſcas; & Plauti Truc. II. 4. 47. ubi tonſtrix Sura eodem munere fungitur, quo functa h. l. fingitur Canthara.

32. IN PARIUNDO ALIQUOT ADFUERUNT LIBERAE] Duo hinc evincuntur. Primum, puerum non *ſuppoſititium*, ſed e Glycerio natum eſſe. Si enim *ſervo homini teſtimonii dictio non eſt*, Phorm. II. 1. 63. homini libero utique erat. Et bene addit, ALIQUOT LIBERAE, ut de vero Glycerii partu res certior evaderet, nec teſtimonium unicae rejiceretur. Deinde, Glycerium civem eſſe, atque adeo ingenuam, id tacite agnoſci a liberis illis mulieribus. Vide porro, quae Lindenbruchius notavit de viris propter pudorem non admiſſis.

34. CHREMES, SI POSITUM PUERUM ANTE AEDES VIDERIT, SUAM GNATAM NON DABIT] Ita per μίμησιν cogitata Glycerii narrat Davus. Sic Eun. I. 2. 75. ſeqq.

37. JAM] Alii JAM JAM.

38. PROVOLVAM] Mſſ. quidam, PROVOLVO. Editiones vero antiquiſſimae mox repetunt eandem vocem ἀντὶ τοῦ PERVOLVAM, ubi Nannius mallet, PROLUAM, ſcilicet quia Donatus παρόμοιον agnoſcit, quod aut nullum, aut perquam inſcitum ſit in PROVOLVAM & PERVOLVAM. Si vero PROLUAM admittas, minabitur Davus, ſe Myſidem tractaturum tanquam ſcropham, quae in volutabro prolui & verſari ſolet. Simili autem interminatione utitur Plautus Mercat. IV. 4. 57.

Ibo ad forum, atque Demiphoni haec eloquar,
Me iſthanc capillo protracturum eſſe in viam,
Niſi hinc abducit, quo volt, ex hiſce aedibus.

Rud. II. 5. 14.

Apponam hercle urnam jam ego hanc in media [via.

39. FALLACIA ALIA ALIAM TRUDIT] Metaphora

Digitized by Google

Alia aliam trudit. jam ſuſurrari audio,
Civem Atticam eſſe hanc. *Ch.* Hem! *Da.* Coactus legibus
Eam uxorem ducet. *My.* Au! obſecro; an non civis eſt?
Ch. Jocularium in malum inſciens pene incidi.
Da. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis.
Auſculta. *Ch.* Audivi jam omnia. *Da.* Anne tu omnia?
Ch.

DONATI.

40. FALLACIA ALIA ALIAM TRUDIT] Proverbium. cui ſubjacet, *memorem mendacem eſſe oportere.*

41. CIVEM ATTICAM ESSE HANC] Tranſit ad imitationem. AU!] Interjectio eſt conturbatae mulieris.

43. JOCULARIUM IN MALUM] E contrario pro gravi, & moleſto, ac nimio. JOCULARIUM igitur *κατ' ἀντίφρασιν.*

44. QUIS HIC LOQUITUR? O CHREME, PER TEMPUS ADVENIS] Principium loquendi Davus Chremeti dat, perfecturus quae ipſe conatus eſt. PER TEMPUS ADVENIS] Idem eſt PER TEMPUS, quod *in tempore.* aut certe PER TEMPUS, *tempeſtive.* O CHREME, PER TEMPUS ADVENIS] Aſtute, quaſi eum nunc primum viderit.

45. ANNE TU OMNIA] [1] Aut NE pro *non* legitur. aut NE TU OMNIA, ut NE producatur, & accipiatur pro *non.* TU OMNIA] *Audiſti*, ſubauditur.

OBSERV. IN DONAT.

[1]. Aut NE] Verba corrupta. Lege: *Aut*, ANNE *pro* AN *legitur*; *aut*, AN, NE TU OMNIA?

COMMENTARIUS.

phora vel ab undis maris, vel a tempore deducta. Sic Horat. Carm. II. 18. 15.

Truditur *dies die.*

40. SUSURRARI AUDIO] Martial. II. 44. 6.

Et ſecum, ſed ut audiam, ſuſurrat.

Hinc *ſuſurri* pro clandeſtinis calumniis, *ſuſurrones* pro obtrectatoribus & delatoribus uſurpantur.

41. COACTUS LEGIBUS EAM UXOREM DUCET] De duplici poena in illos ſtatuta, qui virgini ingenuae vim intuliſſent, vide quae obſervavit Meurſius Them. Att. I. 6. unde Chaerea de violata virgine Eun. V. 2. 49.

Emoriar, ſi non hanc uxorem duxero.

Et Phorm. II. 3. 66.

Itane tandem quaeſo; item ut meretricem ubi abuſus ſis,
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere?

de virgine cive. q. d. id lex non jubet, ſed ducere eam jubet, vel mortem oppetere. Adelph. IV. 5. 51.

In qua civitate tandem te arbitraris vivere?
Virginem vitiaſti, quam te jus non fuerat tangere.

43. JOCULARIUM] Dicitur quod non tam affligit nos, quam ludum ac jocum facit. Phorm. I. 2. 84. Jocularem *audaciam.*

jocus autem facit *joculus.* unde *jocularius.* Plaut. Mercat. V. 4. 33.

Sive adeo joculo *dixiſſet mihi.*

Truc. I. 2. 11.

Per joculum *&* *ludum.*

45. ANNE TU OMNIA?] Taubmannus & Lindenbr. AH, NE TU OMNIA? ut ſit Anaſtrophe, qualis illa apud Plautum, Aul. Prol. 39.

Credo, aurum inſpicere volt, ne *ſurreptum ſiet.*

h. e. ſurreptumne ſiet. Et Pſeud. I. 2. 71.

Sed nimis ſum ſtultus, nimium fui indoctus, ne *illi audeant*
Id facere. pro, illine.

47. HANC JAM OPORTET IN CRUCIATUM HINC ABRIPI] Vult Davus, mentitam eſſe Myſidem, atque adeo torquendam, ut verum exſculpatur, de Pamphili innocentia & ſimulato partu. Huc pertinent quae ſequuntur. Mſ. Bodl. non agnoſcit τὸ HINC, ſed & pro ABRIPI legit ARRIPI. Proprie autem de iis, qui in vincula conjiciebantur. Adelph. II. 1. 27.

Nam ſi moleſtus pergis eſſe, jam intro abripiere, *atque ibi*
Uſque ad necem operiere loris.

48. HIC

Digitized by Google

Ch. Audivi, inquam, a principio. *Da.* Audiſtin' obſecro?
Hem ſcelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic ille eſt! non te credas Davom ludere.
My. Me miſeram! nihil, pol, falſi dixi, mi ſenex.
Ch. Novi rem omnem. eſt Simo intus? *Da.* Eſt.
My. Ne me attingas, ſceleſte. ſi pol Glycerio non omnia haec.
Da. Eho, inepta, neſcis quid ſit actum? *My.* Qui ſciam?

Da.

D O N A T I.

46. Audistin' obsecro? hem] Exſultans Davus infert, & inculeat, frequenter repetendo. Audistin' obsecro? hem] Difficile credendo, affirmat ſe non ſciviſſe praeſentem Chremetem, ut hac confirmatione nihil illum de ſe faciat ſuſpicari.

47. In cruciatum] Non in crucem, ſed *cruciatum*.

48. Hic ille est] Cum ἐμφάσει, quaſi vir magnus. ſed hoc, Chremetem oſtendens, dicit cum εἰρωνείᾳ. Non te credas Davom ludere] [12] *Virgilius:*

Non Diomedis equos, non currus cernis Achillis?

49. Mi senex] Bene senex, quia quaſi alienior eſt, & ignotus Myſidi. Mi] Suppalpatio muliebris.

51. Ne me attingas] Quaedam oſtenduntur aperte in comoediis: quaedam ex aliis perſonis intelliguntur. Si pol Glycerio non omnia haec] Ἀποσιώπησις tertia, quod alienae perſonae interventu reticeatur. Fiunt autem ἀποσιωπήσεις, id eſt, reticentiae, tribus modis. Aut enim tacet per ſe ipſum, & ad alium tranſit: & eſt prima. aut tacet, nec ultra aliquid dicit: & eſt ſecunda. aut alterius interventu perſonae ſilet; & eſt tertia.

52. Nescis quid sit actum?] Nescis, plerumque dicitur ei, non quem volumus redarguere imperitiae aut ignorantiae, ſed quem facere volumus ut velit libenter audire.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Virgilius*] Aeneid. X. 581.

COMMENTARIUS.

48. Hic ille est] Digitum intendit in Chremetem, dicitque ἐμφατικῶς. Senſus eſt, Hic ille tantae potentiae eſt, ad cujus vel nutum tu publice ſubjiciaris quaeſtioni. Sic Graeci ὅδε ἐκεῖνος jungunt.

Non te credas Davom ludere] Haec addit ſervus, videns Myſidem dicta ſua parum referre ad animum. Ipſa vero perterrefacta hoc dicto, me miseram! ait, & mox ad Chremetem converſa, nihil, pol, falsi dixi, mi senex.

51. Ne me attingas, sceleste] Alias res egiſſe videtur Guyetus, ſcribens, abeunte ſene Davum propius acceſſiſſe ad Myſidem vultu minaci, & quaſi illam caedere paratum. Certe enim Davus, qui uſque adhuc territaverat Myſidem, nunc ſolus cum ſola exiſtens, ſubblandiri ei, & palpo percutere voluit. Quod vel ex ejus reſponſo conficitur: *Eho, inepta, neſcis quid ſit actum?* Simile quid familiare in Scena. Plaut. Amph. III. 2. 22.

potin' es, ut abſtineas manum?

Verba Alcumenae iratae, ad blandientem Jovem, quem credebat eſſe Amphitruonem.

Si pol Glycerio non omnia haec] Sub. narratura ſum. Vult igitur Davum invicem laedere, criminando eum apud Glycerium, atque adeo per Glycerium apud Pamphilum.

Da. Hic ſocer eſt. alio pacto haud poterat fieri,
Ut ſciret haec, quae volumus. *My.* Hem, praediceres.
Da. Paullum intereſſe cenſes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de induſtria?

DONATI.

55. PAULLUM INTERESSE] Nove, pro multum. Et eſt *ταπεινώσεως σχῆμα*. EX ANIMO OMNIA, UT FERT NATURA, FACIAS] Figura *ἐπεξήγησις*. Nam quid eſt EX ANIMO, niſi, UT FERT NATURA? Et haec ſententia a *Terentio ἐρωτηματικῶς* prolata eſt, quam *Menander ἐπιδεικτικῶς* poſuit.

56. UT FERT NATURA] Hoc eſt, naturalis & ingenita actio. AN DE INDUSTRIA?] Id eſt, ſcientia & providentia. ea enim quae diſcimus & ſcimus, [13] operatione genita & induſtria quadam ſcimus. ut [14] *Virg.*

Et cui putre ſolum, (namque hoc imitamur arando.)

OBSERV. IN DONAT.

13. *Operatione genita & induſtria quadam ſcimus*] Lege, *operationis, & induſtria quadam ſcimus.*

14. *Virgilius*] Georg. II. 204. Poterat addidiſſe Georg. I. 133. 145. & ſeqq.

COMMENTARIUS.

53. HIC SOCER EST] Ita loquitur quaſi per *πρόληψιν*, quia futurus videbatur ſocer. Virgil. Aeneid. II. 344.

Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat.

Et Aeneid. XI. 410.

Nunc ad te, & tua, magne pater, *conſulta revertor.*

Turni verba ad Latinum, quem ſibi optabat ſocerum.

54. HEM, PRAEDICERES] Reſtitui τὸ HEM ex MSſ. pluſculis & edd. vetuſtiſſimis. Quam nec Juntina, nec Aldina, nec Rob. Stephani, nec Lindenbruchii agnoſcunt. PRAEDICERES vero valet, praedicere debueras, vel, praedixiſſe debebas. Virgil. Aeneid. VIII. 643.

at tu dictis, Albane, maneres.

56. UT FERT NATURA] H. e. ut res ipſa ſe fert, ſine ulla arte vel conſilio. Sic Ciceroni pro Domo 5. *malum nativum* dicitur fortuitum, opponiturque *malo dolato*, quod ſtudio & conſilio exiſtit. Et ad Herenn. III. 7. *caſus* & *natura* junguntur; ut & Famil. IV. 12.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA QUINTA.

Crito. Mysis. Davus.

Cr. In hac habitaſſe platea dictum 'ſt Chryſidem:
Quae ſeſe inhoneſte optavit parere hic divitias
Potius, quam in patria honeſte pauper vivere.

Ejus

DONATI.

In hac habitasse platea] *In hoc loco perſona ad cataſtrophen machinata, nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet, niſi abſolutionem erroris ejus: ſimul ex verbis ſuis, quam gravis, quam modeſtus, quamque juſtus ſit, oſtendit.*

1. In hac habitasse] Non *habitare*: ſed quia mortua eſt, habitasse dicit. Platea] Graeci πλατεῖαν dixerunt, quam nos *plateam* dicimus. Secundum formam ejuſmodi, Μηδείαν & *Medeam*, σπονδεῖον & *ſpondeum* ſcribimus.

2. Quae sese inhoneste optavit] *Optare*, eſt unum de duobus eligere. [1] *Virgilius*,

Pars optare locum tecto.

Parere hic divitias potius] Animo heredis dixit parere divitias.

3. Quam in patria] Primum dolet Crito, quod meretrix fuit Chryſis. ſecundo progreſſus, queritur quod mortua eſt. Et nota quod tria dixit Crito contemſiſſe Chryſidem: patriam, honeſtatem & paupertatem. Τὸ πρέπον etiam ſervatum eſt gravi viro, quum illum ſobrinae pudet. ſimul hic oſtenditur ejus generis fuiſſe Chryſidem, ut quae probe vivere potuerit: niſi, ut ait, neceſſitas cogeret. Quam in patria honeste] Ἀντίθετον primum. In patria honeste pauper vivere] His verbis a Poëta jam honeſtus inducitur Crito, & dignus cui eredi oporteat. Pauper vivere] Ad illud reddidit, *Sed inopia & cognatorum negligentia coacta.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. I. 425.

COMMENTARIUS.

Ab hac Scena Actum Quintum ducere initium nullus dubito, vel ex Critonis perſona, cujus adventus cataſtrophen facit, ſolvitque errorem omnium. Idem antiquiſſima manu adſcriptum eſt editioni Venetae, anni 1490.

1. In hac habitasse platea dictum 'st Chrysidem] Sic Plaut. Aſin. II. 3. 1.

Ut demonſtratae ſunt mihi, haſce aedes eſſe oportet,
Demaenetus ubi dicitur habitare.

2. Sese] Eleganter πλεονάζει. Sic Eun. Prol. 1. Salluſt. Bello Catil. 1. *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent praeſtare caeteris animalibus.* Liv. XXII. 50. *Qui ſe bene mori, quam turpiter vivere maluit.*

Parere] Mſſ. quidam & editi, parare. Sed τὸ parere ex Probo vindicat Rivius, admiſitque in ſuam edit. 1536. Et ſane Terentianum magis eſt. Naevius: *Male* parta, *male dilabuntur.*

3. Pauper] Ita legerunt veteres Grammatici, Donatus, Probus, Servius, Priſcianus. In quibuſdam codicibus Mſſ. & editis eſt paupera.

Vivere] Mſ. Bodl. & Lindenbr. viveret. Antiphanes:

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς.

Menander:

Πενίαν τ' ἄλυπον μᾶλλον, ἢ πλοῦτον πικρόν.

4. Ejus

Digitized by Google

Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter? video. ſalvete. *My.* Obſecro,
Quem video? eſt ne hic Crito ſobrinus Chryſidis?
Is eſt. *Cr.* O Myſis, ſalve. *My.* Salvos ſis, Crito.
Cr. Itane Chryſis? hem! *My.* Nos quidem pol miſeras perdidit.
Cr.

DONATI.

4. Ea ad me lege rediarunt bona] Hic jus tractavit dicendo Redierunt: quia in familiam redeunt, ſi non eſt heres de proximo, aut ex teſtamento.

5. Percontar] Interrogatio eſt, cui neceſſario reſpondetur, aut *etiam*, aut *non*. *Percontatio*, cui nihil horum. › Ut ſi quis dicat, ubi habitabat Chryſis, dicatur, Ecce hic. *Percontatio*, ut ſi quis dicat, Cur adulterium commiſiſti? Simul etiam modeſte & mature, & de ſe nihil interrogaturus, coepit a blandimentis.

6. Est ne hic Crito sobrinus Chrysidis?] *Sobrini* ſunt conſobrinorum filii: nam ſic dicit *Menander.* verum ut alii putant, de ſororibus nati, ut ſint *ſobrini*, quaſi ſororini.

7. Salvus ais, Crito] Salvus, aſſeveratio ſalutantis eſt, non quaſi reſponſio.

8. Itane Chrysis? hem!] Non nunc interrogat, ſed commiſeratur: & ita ſequebatur ut diceret, *periit.* › ſed magis gemitus ſignificat, quod minus dixerat. Nos quidem pol miseras perdidit] Hic intelligitur; ſupra ſubaudiendum *periit.* Nam pro *periit*, haec repoſuit, perdidit.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Ut ſi quis dicat*] Varie haec leguntur, & in Mſ. & in edd. vetuſtis, neutrubi ſatis expedite. Rob. Stephanus ſenſum non diſpiciens, prius membrum omiſit. Dubium nullum eſt, quin ſcripſerit Donatus: *Ut ſi quis dicat, Ubi habitat Chryſis? dicatur, Ecce hic, percontatio eſt. Aut ſi quis dicat, Cur adulterium commiſiſti?* ſub. ſimiliter percontatio erit. Neque enim ex mente Donati alterum interrogationis exemplum eſſe poterit.

2. *Sed magis gemitus ſignificat*] Lege, *ſed magis gemitu ſignificat.*

COMMENTARIUS.

4. Ejus morte ea ad me lege redierunt bona] Senſus eſt: Legitimus ejus heres ego ſum, etiam ſine teſtamento defunctae. Cicero Verr. I. 45. *Minucius quidam mortuus eſt ante iſtum Praetorem. ejus teſtamentum erat nullum. lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat.* Lege enim fieri dicitur, quod fit ex praeſcripto legis & juris. Phorm. I. 2. 66. Quaerit autem Guyetus, τὸ ea *quid hic facit? an ad* τὸ bona *referendum erit? id eſt, ea bona ejus ad me lege redierunt. Sed de iis ne verbum quidem fecit.* Exiſtimat igitur, corrupta haec eſſe, & reſcribendum: *Ejus mortuae ad me lege redierunt bona.* Sed quid ſi τὸ ea referatur ad τὸ morte, q. d. *Ea morte ejus, bona redierunt ad me lege.* Scilicet quia Chryſis mortua erat ſine marito vel legitima prole, conſobrinus Crito proximus heres bonorum erat. Spurii certe in propinquis non cenſebantur Athenis; quod vel ex Ariſtophane patet. Locus eſt in Avibus, v. 1662. Ἐὰν δὲ παῖδες μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς ἐγγυτάτω τοῦ γένους μετεῖναι τῶν χρημάτων. Atque hoc inſtitutum ibidem vocatur Σόλωνος νόμος. Unde ſignificanter redierunt dicit, utpote quae non tranſeant in alienam familiam, ſed *redeant* ad legitimum heredem. Poſſit & ea referri ad τὸ bona, quae ſcilicet Chryſis corpore quaeſiverat. Atque ita placebat Ampliſſimo Viro, Corn. van Bynkershoek. Adde locum παράλληλον. Is eſt Hec. I. 2. 96.

Interea in Imbro moritur cognatus ſenex
Horunce. ea ad hos redibat lege hereditas.

Ubi *ea hereditas* dicitur eodem modo, quo h. l. ea bona. Conſule Cael. Calcagninum Lib. XV. Epiſt. 2.

9. Satin' recte?] Sub. agitis. Formula de ſalute alterius rogantium. Sic Eun. V. 6. 8.

ſatin' ſalvae?

Sub. res ſunt.

Sic] Particula haec nonnunquam valet idem quod *mediocriter.* Phorm. I. 2. 95. ubi vide Donatum.

Digitized by Google

Cr. Quid vos, quo pacto hic? ſatin' recte? *My.* Noſne? ſic.
Ut quimus, ajunt, quando ut volumus, non licet.
Cr. Quid Glycerium? jam hic ſuos parentes repperit?
My. Utinam! *Cr.* An nondum etiam? haud auſpicato huc me adtuli.
Nam pol, ſi id ſciſſem, nunquam huc tetuliſſem pedem:
Sem-

DONATI.

9. QUID VNS, QUO PACTO HIC?] Progreſſio loquentis ad interrogandum. Id eſt, puto, inquit, qund illa periit: vos autem quo modo? QUO PACTO HIC?] Significatio eſt peregrinantis.

10. NOSNS? SIC. UT QUIMUS] τὸ SIC, nudum eſt. Et eſt ſignificatio languoris cujuſdam & lentitudinis. NOSNE? SIC. UT QUIMUS, AJUNT, QUANDO UT VOLUMUS, NON LICET] Et ad praeſentis, & ad praeteritae vitae excuſationem pertinet iſta reſponſio, qua purgatur voluntas Chryſidis in quaeſtu meretricio. *Caecilius* in Plocio:

Vivas ut poſſis, quando nequis ut velis.

11. QUIN GLYCSRIUM? JAM HIC SUOS] Convenit hereditatem petenti, convenit judici futuro, de pluribus indagare. Ergo recte & ordine quaeſivit, QUID CHRYSIS? QUID VNS? QUIN GLYCSRIUM?

12. UTINAM!] Novo genere exoptationem pro negatione inſulit. HAUD AUSPICATO HUC ME ADTULI] Id eſt, inauſpicatus, quod nnn eſſet auſpicatus. Et uſitatum veteribus ſic dicere, ſi quid aliquando aliter eveniſſet, quam vellent.

13. NUNQUAM HUC TSTULISSSM PSDEM] [4] *Virgilius*,

Mene efferre pedem, genitor, te poſſe relicto
Speraſti?

Et, [5] *Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadeſque puellae.*

Sed Critici adnotant, alienius eſſe a charactere comico, TSTULISSSM PSDSM.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius*] Aeneid. II. 657.

5. *Ferte*] Virgil. Georg. I. 11.

COMMENTARIUS.

natum. Male igitur a nonnullis h. l. omittitur. Horat. Carm. II. 11. 14.

jacentes ſic *temere.*

10. UT QUIMUS] An expreſſum ex Graeco, ζῶμεν γὰρ οὐχ' ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα, quod eit in Schnliis Mſſ. Gerardi Falkenburgii.

12. HAUD AUSPICATO HUC ME ADTULI] Ita vetuſtiſſimae & optimae editinnes ex Mſſ. quamplurimis. Priſcianus Lib. XV. Inſtit. Grammat. ATTULI legit, quod Fr. Fabritius in ſeptem Mſſ. invenit. Sic Plaut. Amph. III. 4. 6.

Ego ſum Jovi dicto audiens; ejus juſſu nunc huc me affero.

Virgil. Aeneid. VIII. 477.

fatis huc te *poſcentibus* affers.

Ut vero *affert ſe*, qui venit, ita abſcedens *auferre ſe* dicitur. Plaut. Rud. IV. 3. 93.

te obſecro, hercle, aufer te *modo.*

Eadem ratione *agere*, *faceſſere*, *ducere*, *penetrare*, *trajicere ſe* dixerunt. Mſ. Traject. APPULIT legit.

13. NUNQUAM HUC TSTULISSSM PEDSM] Alii, RETULISSEM, corrupte, opinor. Adelph. II. 2. 19.

Nuſquam pedem.

Sub. *fero.* Plaut. Menaechm. II. 3. 29.

qui huc *in hanc urbem* pedem,
Niſi hodie, nunquam intro tetulit.

& IV. 2. 66.

Neque aedepol ego prandi, neque hodie huc *intro* tetuli pedem.

Semper enim dicta 'ſt ejus haec, atque habita 'ſt ſoror.
Quae illius fuerunt, poſſidet. nunc me hoſpitem
Lites ſequi, quam hic mihi ſit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. ſimul arbitror,
Jam aliquem eſſe amicum & defenſorem ei: nam fere
Grandiuſcula jam profecta 'ſt illinc. clamitent,

Me

DONATI.

14. SEMPER ENIM EJUS DICTA 'ST HAEC ATQUE HABITA 'ST SOROR] Aut veris credendum eſt, aut etiam falſis, quae tamen inveteraverint. Hinc [a] *Cicero*, *Ita habeantur, itaque dicantur.* HABITA ergo plus eſt, quam *credita.* SEMPER EJUS] A poſſibili & utili.

15. NUNC ME HOSPITEM LITES SEQUI] [b] Mire dicit ME, cum ἐμφάσει, id eſt, ſenem & remotum a litibus. HOSPITEM, id eſt, peregrinum. LITES SEQUI, id eſt, pauperem. totum per ἔμφασιν.

16. QUAM HIC MIHI SIT FACILE ATQUE UTILE] Id eſt, difficile & inutile. & eſt comicum.

19. GRANDIUSCULA JAM] Ad partem aetatis refertur grandis, id eſt, grandis natu eſt. Major autem, generaliter, & ad ſummam aetatis refertur, & ad comparationem aetatis [c] pariter poſitum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Cicero*] Loco incerto.

7. *Mire dicit ME*] Integrum locum ex Mſ. Hulſt. ita legeſſe ME, & HOSPITEM, & LITES SEQUI, *mire dicit & cum* ἐμφάσει. ME, *id eſt*, *ſenem & remotum a litibus.* HOSPITEM, *id eſt*, *peregrinum.* Quae vero ſequuntur, LITES SEQUI, *id eſt*, *pauperem. totum per emphaſin*, itidem in mendo cubant. Fortaſſe legendum, LITES SEQUI, *id eſt*, *hereditatem perſequi.* Saltem τὸ *pauperem* locum ſuum tueri nequit, & a Guidone Juvenali additur poſt ME. Ut ſenſus ſit, ME *ſenem, pauperem, & remotum a litibus.*

8. *Pariter*] Mſ. Hulſt. *pariliter.*

COMMENTARIUS.

14. EJUS] Mſ. Bodl. non agnoſcit hanc vocem. Et citat ex Mſ. Lindenbruchius:

Semper enim dicta ejus haec, atque habita 'ſt ſoror.

HABITA 'ST SOROR] Supra I. 1. 97. Valet vero HABITA vel, *exiſtimata*, & *credita*, Nep. Con. 2. *Hunc adverſus Pharnabazus* habitus eſt *Imperator*; vel, *tractata.* Hec. II. 3. 5.

16. LITES SEQUI] Metaphora ducta a venatione, ubi venator feras ſequitur. Unde qui delectantur re aliqua, *ſequi* illam dicuntur, uti h. l. & Adelph. II. 2. 40. Et Phorm. II. 3. 61. Eadem ratione *ſequi* otium, *ſequi* bellum, eſt otio ſeu bello deditum eſſe.

17. ALIORUM EXEMPLA] Iniquitatem judicum κωμῳδεῖ. quod & facit Phorm. II. 1. 45. ſeqq.

18. JAM ALIQUEM ESSE AMICUM ET DEFENSOREM EI] Is Pamphilus erat. Supra I. 5. 60. Idem Hegio erat Soſtratae & Pamphilae, Adelph. III. 5. 10. Phormio Phanio. Phorm. II. 1. 77. Eſt vero *defenſor* proprie rei, uti h. l. & Eun. IV. 6. 32. Advocatus vel Procurator actoris.

20. SYCOPHANTAM] κόμματος ſignum revocavi ex edit. Junt. 1505. quod & Donatus monuerat. In conviciis Atticis fuit vel maxime συκοφάντης & συκοφαντεία. cujus ἔτυμον optime explicitum dedit Scholiaſtes Ariſtophanis ad Plut. v. 31. Λοιμοῦ γενομένου ἐν τῇ Ἀττικῇ, ὅτι λάθρᾳ τὰς συκᾶς τὰς ἀφιερωμένας τοῖς θεοῖς ἐκαρποῦντο, μετὰ δὲ ταῦτα ἐνδείας γενομένης, κατηγόρουν τούτων τινὲς, καὶ ἐκεῖθεν Συκοφάνται λέγονται. Ἄλλως. Ἀπείρητο Ἀθήνησι, μὴ ἐξάγειν ἐντεῦθεν ἀλλοσέ ποι σῦκα. βουλομένων οὖν τινῶν ἐξεμπολεῖν, ἱστάμενοι ἐν ταῖς τῶν πυλῶν ἐξόδοις ἄνδρες πανοῦργοι, τὸ τούτων ἐξέλεγχον τέχνασμα, ὃ περὶ τὴν ἐξαγωγὴν ἐποίουν. ἐκαλοῦντο οὖν Συκοφάνται, ὡς τὰ σῦκα φαίνοντες. ἐπεκράτησεν οὖν ἐξ ἐκείνου τοὔνομα πρὸς πάντας τοὺς πανούργους. In primis vero falſo deferre & accu-

Digitized by Google

Me ſycophantam, hereditates perſequi,
Mendicum. tum, ipſam deſpoliare non libet.
My. O optume hoſpes, pol, Crito, antiquum obtines.
Cr. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. *My.* Maxume.
Da. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat ſenex.

DONATI.

20. SYCOPHANTAM] Hoc eſt, ? quum in me conveniunt lites. SYCOPHANTAM] Bene, SYCOPHANTAM: quia bonam cauſam habet, & nihil aliud timet quam convicia. Et SYCOPHANTAM ſubdiſtingue: & ſic infer ſequentia.

21. TUM IPSAM DESPOLIARE NON LIBET] Ab honeſto. Et bene, quia nihil ſuum habet, niſi Chryſidis.

22. ANTIQUUM OBTINES] ANTIQUUM abſolute dixit: ut *aequum* aut *bonum*, quod antiqui ſolebant: aut certe per ἔλλειψιν, id eſt, morem & ingenium.

23. DUC ME AD EAM, QUANDO HUC VENI, UT VIDEAM] Vel hoc inquit, *ut videam*. cur autem *ut videam*? quia timet. Et eſt ordo, DUC ME AD EAM, UT VIDEAM, QUANDO HUC VENI.

24. VIDEAT SENEX] Bene SENEX. Simo enim cum Chremete eſt. propter hoc videri non vult, ne ejus utatur apud ſocerum teſtimonio, item eſſe Pamphilo adverſus Glycerium: & rurſus nuptiae confirmentur.

OBSERV. IN DONAT.

?9. *Quum*] Videtur legendum, *Quam in me conveniant lites.* Reſpicit enim dicta verſu 15. ſeqq.

COMMENTARIUS.

accuſare συκοφαντεῖν vocant. Ariſtoph. Ἀχαρν. 518. Unde *Sycophanta impudens* vocatur Heaut. Prol. 38. Vere autem id praemetuebat Crito, ſe *Sycophantam* vocandum. vid. infra V. 4. 16. Conſule omnino Pollucem VI. 36. & VIII. 6. Suidam & Feſtum.

HEREDITATES PERSEQUI] H. e. ſequi donec adipiſcar. Sic Adelph. II. I. 9. & II. 2. 27.

21. MENDICUM] ἰσοδύναμα eſſe *Sycophanta* & *Mendicus*, ex Menandro diſcas, de quo ἐν τῷ Γεωργῷ haec refert Stobaeus, Tit. XCVI.

> Εὐκαταφρόνητόν ἐστι, Γοργία, πένης,
> Κἂν πάνυ λέγῃ δίκαια, τοῦτο γὰρ λέγειν
> Ἕνεκα μόνου νομίζεθ᾽ οὗτος τοῦ λαβεῖν,
> Καὶ Συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον
> Ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ.

Et Ariſtoph. Ἀχαρν. 556.

> Ἄληθες, ὦ 'πίτριπτε, καὶ μιαρώτατε,
> Ταυτὶ σὺ τολμᾷς, πτωχὸς ὤν, ἡμᾶς λέγειν,
> Καὶ συκοφάντης εἴ τις ἦν ὀνειδίσαι;

q. d. tu, qui ipſe *mendicus* es, me *Sycophantam* vocas? Plautus lepide, Curc. IV. 1. 2.

> *Halophantam an Sycophantam hanc magis eſſe dicam, neſcio.*

22. ANTIQUUM OBTINES] Subaudi, morem vel ingenium. Hec V. 4. 20. plenius. In laudem vero dicitur ANTIQUUM. Adelph. V. 3. 26. Hec. V. 4. 18. Cicero Fam. X. 35. *Quam nihil* antiquius *communi ſalute ac libertate judicarim.* Verba ſunt Lepidi ad S. P. Q. R. Credebant autem *antiquiſſima* quaeque eſſe optima, utpote aureo illi ſeculo propiora. Unde Juſtus Lipſius ſymbolum ſibi adoptavit: MORIBUS ANTIQUIS. Eodem ſenſu dixit Juſtinus Praefatione, de Trogo Pompejo: *Vir* priſcae *eloquentiae.* Edit. 1469. ANTIQUUM RETINES.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

Chremes. Simo.

Ch. SATIS jam, ſatis, Simo, ſpectata erga te amicitia 'ſt mea:
Satis pericli coepi adire: orandi jam finem face.
Dum ſtudeo obſequi tibi, pene illuſi vitam filiae.
Si. Immo enim nunc quam maxime abs te poſtulo, atque oro, Chreme,
Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes. 5

Ch.

DONATI.

SATIS JAM, SATIS, SIMO] *Haec Scena officiorum diſceptationem continet, patrum inter ſe de officio amicorum, & paterna pietate tractantium.*

1. SATIS JAM, SATIS] Haec veluti quaedam controverſia eſt: namque injuriarum reus fit Simo. contradicitur per conjecturam, falſum eſſe quod intendit: cum Pamphilus neque amet, neque ex eo natus ſit filius: & adhibetur derivatio cauſae, qua dicitur meretricem iſta omnia eſſe molitam, ad diſturbandas nuptias. SATIS JAM, SATIS] Beue, negaturus filiam, purgat prius officium ſuum de fide promiſſi: & ultro accuſat ipſum. SPECTATA] Probata. ut [1] *Virgilius* ait,

Rebus ſpectata juventus.

4. IMMO ENIM NUNC QUAM MAXIME ABS TE POSTULO] Renuntiare affinitati Chremetem, aut parum adhuc intelligit Simo, aut ſubtiliter diſſimulat, ut ad fidem promiſſi hominem compellat. IMMO ENIM] ENIM παρέλκον eſt figura.

5. INITUM] Coeptum, ab *ineundo*: unde & *initia* quoque dicta.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. VIII. 151.

COMMENTARIUS.

1. SPECTATA] Vide ſupra I. 1. 64.

3. ILLUSI VITAM] Servius ad Virgil. Aeneid. II. 64. auctor eſt, & *illudo tibi* dici, & *illudo te*, & *illudere in aliquem*, & *illudere in aliquo*, firmatque exemplis. Videtur autem ILLUSI VITAM ita dictum, quaſi, *luſi in vitam*, atque adeo *ludendo* pene perdidi. Quomodo, *tanquam in ſumma abundantia, pecunias* illudere, dixit Tacitus Hiſt. II. 94.

5. RE COMPROBES] Elegans eſt oppoſitio inter *verba* & *res*. Eun. IV. 6. 3. Ovid. Heroid. XIX. 1.

Quam mihi miſiſti verbis, *Leandre, ſalutem*,
Ut poſſim miſſam rebus *habere; veni.*

Faſt. II. 734.

Non opus eſt verbis, *credite* rebus, *ait.*

Dicitur autem BENEFICIUM INITUM eadem ratione, qua *gratia iniri.*

6. VIDE] αὔξησις eſt in admiratione. Cic. Fam.

Ch. Vide, quam iniquus ſis prae ſtudio, dum efficias id quod cupis:
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam ſi cogites, remittas jam me onerare injuriis.
Si. Quibus? *Ch.* Ah! rogitas? perpuliſti me, ut homini adoleſcentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam ut darem in ſeditionem, atque incertas nuptias:
Ejus labore, atque ejus dolore, gnato ut medicarer tuo.
Impe-

DONATI.

6. QUOD CUPIS] Quod velis. Legitur &, QUOD JUBES.

7. NEQUE MODUM BENIGNITATIS, NEQUE, QUID ME ORES, COGITAS] Id eſt, non cogitas, aut quantum de benignitate amoris exigendum, aut praeſumendum ſit: aut quam ſit impoſſibile, quod petis.

8. REMITTAS JAM] REMITTAS, pro mittas.

9. PERPULISTI ME, UT HOMINI ADOLESCENTULO] Haec eſt tota accuſatio. HOMINI ADOLESCENTULO] Sic [a] *Salluſtius*, *Occultans ſe tugurio mulieris ancillae.*

11. FILIAM UT DAREM] Invidioſe; non, promitterem, inquit, ſed *darem*, quantum in te eſt.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Salluſtius*] B. Jug. cap. 12.

COMMENTARIUS.

Fam. Sic *illud vide.* Eun. IV. 4. 3. Plaut. Truc. II. 3. 16.

Illud vide, *ut jam quaſi volturii triduo*
Prius praedivinant, quo die eſuri ſient.

7. MODUM] Quidquid inter nimium & parum finitur, *modus* vocatur. Heaut. IV. 5. 7. quam rem eleganter *περιφράζει* Hec. V. 1. 3. & 4.

8. ME ONERARE INJURIIS] Plaut. Pſeud. I. 3. 123.

Pſeudole, adſiſte altrinſecus, atque onera hunc male dictis.

Cic. Fam. V. 3. *Hominis importuniſſimi contumeliae, quibus crebris concionibus* me onerat. Virg. Aen. XI. 342.

Surgit, & his onerat dictis, *atque aggerat iras.*

9. AH! ROGITAS?] Malim cum Mſſ. quibuſdam & editis, AT ROGITAS?

10. IN ALIO OCCUPATO AMORE] Cic. pro Coel. 19. *Amores autem, & hae deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius moleſtae non ſolent eſſe, mature enim & celeriter deflorescunt, nunquam hunc* occupatum, *impeditumque tenuerunt.* Diogenes vero, teſte Laertio, *Amorem* vocabat *σχολαζόντων ἀσχολίαν*, *otioſorum occupationem.*

ABHORRENTI AB RE UXORIA] Idem de Pamphilo dixerat Simo, ſupra I. 2. 20. Vid. Hec. IV. 4. 92. Dicitur vero *Res uxoria* ſimpliciter pro uxore. Sic *res frumentaria*, Caeſ. B. C. III. 16. & paſſim alibi, pro frumento.

11. FILIAM UT DAREM IN SEDITIONEM, ATQUE INCERTAS NUPTIAS] Ne emphaſi careat, idem bis dicit. Eſt vero *ſeditio* haec illa diſceſſio, quam Simo ipſe praemetuebat ſupra III. 3. 36. Niſi forte per *ſeditionem* intelligit rixas & jurgia. Sic Plaut. Amph. I. 2. 16.

Eam ſeditionem *illi in tranquillum conferet.*

Dicitur porro *ſeditio* ab obſoleto *ſedire*, cujus contrarium eſt *coire*. *τὸ ſe* enim disjunctionem notat. Sic ſeparare, ſejungere, ſegregare. Unde & *ſeditio* eſt, quoties plebs a patribus ſecedit.

12. EJUS LABORE, ATQUE EJUS DOLORE] Solent jungi *labor* & *dolor*, pro ſummo dolore, ſummo labore. Plaut. Pſeud. II. 3. 19.

hoc evenit [*interim*,
In labore *atque in* dolore, *ut mors obrepat*

 Medi-

Impetraſti: incoepi; dum res tetulit. nunc non fert. feras.
Illam hinc civem eſſe ajunt: puer eſt natus. nos miſſos face.
Si. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxime utile 'ſt, illum eſſe quam deterrimum.
Nuptiarum gratia haec ſunt ficta, atque incepta omnia.
Ubi ea cauſa, quamobrem haec faciunt, erit ademta his, deſinent.
Ch. Erras: cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. *Si.* Scio.
Ch. At vero voltu; cum, ibi me adeſſe, neuter tum praeſenſerat.

Si.

DONATI.

13. DUM RES TETULIT] ³ Compoſitum pro ſimplici eſt TETULIT. Et altius quam decet Comicum characterem, dictum videtur.

15. PER AGO TE DEOS ORO] Defenſio per conjecturam. Et eſt ordo, PER DEOS TE ORO EGO.

16. QUIBUS ID MAXIME UTILE 'ST] Argumentum a perſona. QUIBUS ID MAXIME UTILE 'ST. A cauſa ratiocinativa.

18. UBI EA CAUSA, QUAMOBREM HAEC FACIUNT] Ἀνακόλουθον. nam non intulit, *ob quam cauſam:* cum ſupra dixerit EA CAUSA. ſed quaſi dixerit, *Ubi ea res:* intulit, *quamobrem haec faciunt.* UBI EA CAUSA, QUAMOBREM HAEC FACIUNT] Aut REM abundat, aut CAUSA.

20. VERO VOLTU] Quaſi dixerit Simo, *ſimulabat ancilla.* CUM, IBI ME ADESSE, NEUTER TUM PRAESENSERAT] ⁴ Credit. aut etſi viſus a Myſide erat, tamen ignorabatur eſſe Chremes; donec diceret Davus, *Hic ille eſt. non te credas Davom ludere.* CUM, IBI ME ADESSE] *Tum* deeſt, ut ſit integrum, *Tum, cum.*

OBSERV. IN DONAT.

3. *Compoſitum*] Videtur igitur aliter legiſſe Donatus. Certe quidem in Mſ. Hulſt. eſt *detulit.* Si vero *tetulit* legit, qui compoſitum vocat? qui porro *altius quam decet comicum characterem?* quod & monuit ſupra ad IV. 5. 13. Plautus certe Amph. II. 2. 84. *Mi vir, & manum prehendi, & oſculum tetuli tibi.* Et alibi non ſemel.

4. *Credit. aut etſi viſus a Myſide erat, tamen ignorabatur eſſe Chremes*] Editiones Venetae, *Creditur.* Mſ. Hulſt. *Quaeritur.* nulla in reliquis verbis varietate. Lego audacter: *Quaeritur: Quid ſi viſus a Myſide erat? Tamen ignorabatur eſſe Chremes.* Niſi τὸ *credit* e ſeq. verſu irrepſiſſe, atque delendum ſtatuas, quod ſuſpicatur Abr. Wielingius.

COMMENTARIUS.

MEDICARER] Appoſite; erat enim animus Pamphili aegrotus. Supra I. 2. 22.

15. ILLIS] Meretricibus, ſervis, ancillis.

ANIMUM INDUCAS CREDERE] Perſuadeas tibi, credendum eſſe. Cic. Fam. IV. 8. *Illud tamen vel tu me monuiſſe, vel cenſuiſſe puta, vel propter benevolentiam tacere non potuiſſe, ut, quod ego facio, tu quoque* animum inducas.

17. NUPTIARUM CAUSA HAEC SUNT FICTA] Id vere credebat Simo. Unde ſupra III. 1. 14.

Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant,

18. UBI EA CAUSA, QUAMOBREM HAEC FACIUNT, ERIT ADEMTA] Id vult, ubi conjugio liberali erit devinctus Pamphilus, quas nuptias ut diſturbent, hanc finxerunt inter ſe fallaciam, ſimulantes partum Glycerii.

DESINENT] Mſſ. quidam, TUM DESINENT.

19. SCIO] εἰρωνικῶς dicitur in reſponſionibus. atque ita cepit Simo. Vide ſupra IV. 1. 34.

20. VERO VOLTU] Naturali, non ficto aut ſimulato. Sic *verus color* dicitur Eun. II. 3. 26. cui opponitur *fucatus, fictus.* Heaut. V. 1. 14. Simo autem ex conjectura loquitur, quia *fronte atque* vultu *ſimulatio facillime ſuſtinetur,* teſte Cicerone Fam. I. 9. Et reperias multos

fronte

Si. Credo: & id facturas, Davos dudum praedixit mihi.
Et neſcio quid tibi ſum oblitus hodie, ac volui, dicere.

DONATI.

21. Davos dudum praedixit mihi] Hic oſtenditur quod vidit callidus Davus, ut praediceret futurum ſeni id, quod ipſe erat facturus.

22. Nescio quid] Deeſt *Propter:* ut ſit, *Propter neſcio quid.* aut, neſcio pro qua re: ut ſit adverbiale. Ac volui] Ac, pro contra quam.

COMMENTARIUS.

fronte occultare ſententiam. Cic. Amic. 18. Unde Virg. Aeneid. I. 211.

Spem vultu *ſimulat, premit altum corde dolorem.*

Neuter tum praesenserat] Varie haec leguntur, vel neuter dum praessenserat, vel neuter dum persenserat. Mſ. Bodl. neuter tum ne senserat.

21. Davos dudum praedixit mihi] Factum id ſupra III. 2. 27. ſeqq.

22. Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere] Fruſtra in his verbis ordinandis & explicandis ſunt Donatus & Boeclerus. Formula eſt, qua uti licet, quoties, quod dicendum erat, memoria excidit. Sic Eun. III. 2. 51. Ovid. Heroid. XIII. 8.

Et ſunt quae volui dicere *plura tibi.*

ACTUS QUINTI

SCENA SECUNDA.

Davus. Chremes. Simo. Dromo.

Da. Animo nunc jam otioſo eſſe impero. *Ch.* Hem Davom tibi.

Si.

DONATI.

Animo jam nunc otioso esse impero] *Haec Scena, principium indicii, & iracundiam ſenis continet: atque in ea vehementer exprimitur conſuetudo patris ac domini offenſi, & indignantis.*

1. Animo jam nunc otioso] Exſultans egreditur Davus, nuntians prona eſſe omnia ad ſecuritatem. Et otioso, ſecuro: quia negotium, ſollicitudo eſt. Impero] Pro volo. An ut ſtatim fiat, tanquam illud quod imperatur? Et impero, ſuperbe dixit. ſummum enim indicium ſecuritatis eſt ſuperbia.

COMMENTARIUS.

1. Otioso] Securo, tranquillo. Eun. V. 3. 10. Adelph. IV. 1. 17. Cic. Fam. IX. 25. *Non mehercle tam perſcribere poſſum, quam mihi gratum feceris, ſi* otioſum *Fabium reddideris.* Idem Catil. I. 10. *Vigilare non ſolum inſidiantem ſomno maritorum, verum etiam bonis* otioſorum. Idem Noſter Phorm. II. 2. 26. vocat.

Otioſum *ab animo.*

Digitized by Google

Si. Unde egreditur? *Da.* Meo praeſidio atque hoſpitis. *Si.* Quid illud mali 'ſt?

Da. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. *Si.* Scelus

Quemnam hic laudat? *Da.* Omnis res eſt jam in vado. *Si.* Ceſſo adloqui?

Da.

DONATI.

2. UNDE EGREDITUR?] Hic non interrogat: ſed cum admiratione, vel magis cum indignatione dicit. MEO PRAESIDIO ATQUE HOSPITIS] Id eſt, *Animo jam nunc otioſo eſſe impero.* ATQUE HOSPITIS] Scilicet Critonis.

3. EGO COMMODIOREM HOMINEM] Hic Davus admiratur, quod in ipſo articulo periculi ſupervenerit Crito. EGO COMMODIOREM HOMINEM, ADVENTUM, TEMPUS NON VIDI] Poteſt enim & *commodus* eſſe quis, & alieno tempore ſupervenire poteſt. Nam *commodum*, in homine eſt: *adventus*, in facto ejus: *tempus*, in opportunitate facti. COMMODIOREM HOMINEM, ADVENTUM, TEMPUS, σύλληψις.

4. SCELUS, QUEMNAM HIC LAUDAT?] Non eſt HIC ſoloeciſmus: ad ſenſum enim, non ad verba reſpexit. etenim propter ſenſus, verba ſunt: non propter verba. ſenſus. OMNIS RES EST JAM IN VADO] IN VADO, in ſecuritate. nam ut in profundo periculum eſt: ita *in vado* ſecuritas eſt. Proverbiale, IN VADO, in tuto.

COMMENTARIUS.

2. UNDE EGREDITUR?] Simo videns Davum e domo Glycerii egredientem, non poterat non ſtomachari, neſcio quid mali ſuſpicans. Unde mox Davus perturbatus, HERUS EST, ait, QUID AGAM?

3. COMMODIOREM HOMINEM] *Commodus homo* eſt, qui ſe novit *accommodare* aliis. Heaut. III. 2. 10. Plaut. Bacchid. III. 2. 17.

Juſtus, injuſtus; malignus, largus; commodus, *incommodus*,

Horat. Carm. IV. 8. 1.

Donarem pateras, grataque commodus,
Cenſorme, meis aera ſodalibus.

ADVENTUM, TEMPUS] Iſ. Voſſius in Scholiis Mſſ. ad h. l. notat, in quibuſdam codicibus legi, ADVENTUM AC TEMPUS, in aliis, ADVENTUM AD TEMPUS. In Mſſ. Leidenſium uno eſt, AD TEMPUS ADVENTUM. Mſ. Traject. habet, ADVENTUM AD TEMPUS. Qui vero *adventum ad tempus* explicant de Homine, qui *advenit ad tempus*, ſtilum Terentianum exaſperant.

4. OMNIS RES EST JAM IN VADO] Proverbialis ſententia, indicans ſummam ſecuritatem. Plaut. Aul. IV. 10. 73.

Haec propemodum jam eſſe in vado *ſalutis res videtur.*

Rud. I. 2. 81.

At in vado 'ſt. *jam facile enabit.*

Ut vero nantibus ſecuritatem praeſtat *vadum*, ita periculoſum eſt navigantibus. Alluſit Cicero pro Coel. 21. *Sed quoniam emerſiſſe jam e vadis, & ſcopulos praetervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.* Ovidius ad alium ſenſum retulit, *vadum tentare* vocans pertentare animum alicujus, Arte Am. I. 437.

Cera vadum tentet *raſis infuſa tabellis:*
Cera tuae primum nuncia mentis eat.

5. O NOSTER CHREME] Dicitur *noſter*, qui quocunque vinculo nobiſcum junctus eſt. Ita cives vocantur *noſtri*. Virg. Aen. II. 149. Priamus Calchanti:

Noſter *eris.*

Sed & domeſtici. Plaut. Mil. II. 5. 20.

PA. *Perſcrutari hic volo,*
Sceledre, nos noſtri, *an alieni ſimus: nedum quiſpiam*
Nos vicinorum imprudentes aliquis immutaverit.
SC. *Certe quidem* noſter *ſum.* PA. *Et ego pol.*

Fallitur autem Donatus, exiſtimans ideo NOSTER dixiſſe, ut latenter ſignificaret, Glycerium filiam Chremetis eſſe inventam. Id enim Scena Quarta demum fiet. Neque adeo id Davus ſcire jam poterat. Sed & NOSTER dicitur nobis *favens*. Sic Charinus Pamphilo, infra V. 6.

Digitized by Google

Da. Herus eſt. quid agam? *Si.* O ſalve bone vir. *Da.* Ehem Simo! o noſter Chreme!
Omnia apparata jam ſunt intus. *Si.* Curaſti probe.
Da. Ubi voles, arceſſe. *Si.* Bene ſane: id enimvero hic nunc abeſt.
Etiam tu hoc reſpondes? quid iſtic tibi negotii 'ſt? *Da.* Mihin'? *Si.*

DONATI.

5. QUID AGAM?] Plus eſt dicere, QUID AGAM? quam cogitare de ſuga. SALVE BONE VIR] *Εἰρωνεία* major eſt quam increpatio. quum enim omne genus criminis aliquis [1] ſuperaverit: tunc [2] excluſi, *εἰρωνείᾳ* laudamus. HEM] Interjectio perturbati eſt. O NOSTER CHREME] NOSTER dicendo, latenter ſignificat Glycerium filiam Chremetis eſſe inventam.

6. OMNIA APPARATA JAM SUNT INTUS] Quia infecta ſunt de paratis. CURASTI PROBE] PROBE, memoriter, ut ſolet. ſupra enim dixerat ſenex, *Immo abi intro; ibi me operire: & quod parato opus eſt, para.*

7. UBI VOLES, ARCESSE] UBI, pro *quando*; non eſt enim loci, ſed temporis adverbium. BENE SANE] Valide: quia qui ſanus eſt, idem & validus. ABEST] Pro *deeſt*.

8. ETIAM TU HOC RESPONDES?] Deeſt, *an non*. ETIAM TU HOC RESPONDES?] ETIAM, aut hortatio eſt, aut conjunctio. Et vide quanta dixerit, & QUID & ISTIC, & TIBI. MIHINE?] Quando non ſumus parati ad reſpondendum, ducendo tempus eludimus. MIHINE?] Apparet ita turbari Davum modo, conſilio Poëtae, ut omnes amittat fallacias: & oppreſſus prodat Pamphilum, dum malum cominus perhorreſcit: totumque hoc ex argumento eſt. vult enim jam Poëta cataſtrophen fieri.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Superaverit*] Mſ. Hulſt. *Spreverit*. Quod cum ſenſu Donati convenit.

2. *Excluſi*] Lege, *Eluſi*.

COMMENTARIUS.

6. 12. Demum blandiendi laudandique formula eſt, *noſter*, &, *noſter eſto*. Eun. I. 2. 74. Plaut. Bacchid. III. 3. 37.

Extemplo puer paedagogo tabula dirumpit caput.
Quum patrem adeas poſtulatum, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, *dum te poteris defenſare injuria.*

6. CURASTI PROBE] Cicero Att. V. 1. *De Annio Saturnino*, curaſti probe.

7. BENE SANE] Quae ad haec verba in Donato leguntur, nugae merae ſunt & gerrae germanae indoctiſſimi interpolatoris.

ID ENIMVERO HIC NUNC ABEST] Sic SANE & VERO junxit. Eun. I. 2. 9. ubi vide Donat. Varie autem haec leguntur. Mſſ. Leidenſium unus, IS ENIMVERO HINC NUNC ABEST. Mſ. Traject. BENE. HIC ENIMVERO HINC NUNC ABEST. Mſ. Mark. ID ENIMVERO HINC NUNC ABEST. Videtur praeferenda lectio, quam edidi, ut τὸ ID valeat, *propter id*, & intelligatur Pamphilus. Si vero ABEST cum Donato accipias pro *deeſt*, ſenſus erit: ita omnia apparata ſunt, ut nihil *deſit*, niſi ut Philumena arceſſatur. Sic Plaut. Stich. V. 4. 28.

ST. *Bibe, ſi bibis.* SA. *Non mora erit apud me.* ST. *Aedepol convivi ſat eſt,*
Modo noſtra huc amica accedat. id abeſt, *aliud nihil* abeſt.

Epid. I. 1. 25.

TH. *At unum a praetura tua, Epidice*, abeſt.
EP. *Quidnam?* TH. *Scies.*
Lictores duo, duo viminei faſces virgarum.

Idem verborum ſenſus confirmat lectionem noſtram. Eugraphius planiſſime: *Hoc enim ſolum jam* deeſt, *ut ipſa puella debeat evocari.* quae falſa ironia eſt, & magis exprimit affectum Simonis, quam ſi citra ironiam id dixiſſe ſtatuatur: *illud enimvero nunc longe petendum eſt; neque res eo nunc ſunt loco, ut Philumena ſit arceſſenda.* quod placebat Cl. Perizonio.

8. ETIAM TU HOC RESPONDES?] Mſ. Mark. ETIAM TU HOC RESPONDE. Dictum ita, uti Adelph. IV. 2. 11. & Heaut. II. 2. 6. id eſt, *tace,*

Si. Ita. *Da.* Mihine? *Si.* Tibi ergo. *Da.* Modo introii. *Si.* Quaſi ego, quam dudum, rogem.
Da. Cum tuo gnato una. *Si.* Anne 'ſt intus Pamphilus? crucior miſer.
Eho, non tu dixti eſſe inter eos inimicitias, carnufex?
Da. Sunt. *Si.* Cur igitur hic eſt? *Ch.* Quid illum cenſes? cum illa litigat.

Da.

D O N A T I.

9. Modo introii] Hoc ſignum, perturbatum induci ob conſcientiam Davum.

10. Cum tuo gnato una] Servi excuſatio, filii accuſatio eſt. Et hoc quaſi a perturbato dicitur ſervo: ſed conſilio Poëtae ad exitum feſtinantis & reſolutionem fabulae. Anne 'st intus Pamphilus?] Cauſa irae vehementior inventa eſt.

12. Sunt] Nulla ratione dicit, sunt: ſed ne nihil reſpondeat. nam turbatus eſt, utpote oppreſſus. Quid illum censes?] Deeſt, *propter*: ut ſit, *propter quid illum eſſe cenſes?* Cum illa litigat] Chremeti convenit hic ſermo: hic enim irridet: qui & ſupra dixit, *Amantium irae, amoris integratio eſt.* Et ſic hoc dicit, ut alibi, *Credo, ut ſit, miſera prae amore excluſit hunc foras.* Cum illa litigat] Irridet Simonem Chremes, quia dixerat: *Irae ſunt inter Glycerium & gnatum.*

C O M M E N T A R I U S.

ce, cave. Valet vero, hoc respondes, ad hoc. Eun. IV. 7. 22. Eſtque emphaſis in tu & tibi. Unde mox Davus, mihine? quod ubi ſecundum rogaſſet, Simo vehementius, tibi ergo, inquit.

11. Dixti] Dixit id Davus Simoni, ſupra III. 2. 38. Simo rurſus Chremeti, III. 3. 20. 43. 44.

12. Quid illum censes?] Sic Adelph. IV. 5. 22. Plaut. Trin. III. 3. 82.

quid illum putas
Natura illa atque ingenio?

Curc. I. 1. 59.

Immo ut illam cenſes?

Ubi J. Fr. Gronovius notat eſſe formulam, qua interrumpebant narrationem rei praeſertim inopinatae.

14. Qui senex] Plaut. Fragm. Vidul.

Neſcio qui ſervus *e myrteto proſiluit.*

alii, *myrteta*, g. f. Mſſ. quidam & editorum vetuſtiſſimi, quis senex, quando ſenſus fuerit: *venit modo ſenex, neſcio quis.* Et Donatus quis legit.

Confidens] In bonam partem, pro eo, qui non facile perturbatur.

Catus] Cic. Tuſc. I. 9. & de Orat. I. 45. *Egregie cordatus homo*, catus *Aelius Sextus.* Hexameter veteris Poëtae. Teſtatur autem Iſ. Voſſius in gloſſis mſſ. libros antiquiores impreſſos habere cautus. Certe ita habet editio Veneta, anni 1490. Lugdunenſis 1511. aliae. ſed & ita eſt in Mſ. Mark.

15. Quum faciem videas] Expreſſum e Plauto, Pſeud. I. 2. 9.

At faciem quum adſpicias *eorum, haud mali videntur, opera fallunt.*

Quantivis pretii]. Sic Plaut. Epid. III. 3. 29.

Nae tu habes ſervum graphicum, & quantivis pretii.

Perſ. IV. 4. 73.

Nomen atque omen quantivis *eſt* pretii.

Contra Trin. IV. 2. 80.

Satin' intra labra atque dentes latuit vir minimi pretii?

Huc

Da. Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex me audias.
Neſcio qui ſenex modo venit, ellum, confidens, catus.
Quum faciem videas, videtur eſſe quantivis pretii.
Triſtis ſeveritas ineſt in voltu, atque in verbis fides.
Si. Quidnam adportas? *Da.* Nihil equidem, niſi quod illum audivi dicere.

Si.

DONATI.

13. IMMO VERO INDIGNUM, CHREME] Bene ad eum loquitur, qui eſt a nuptiis deterrendus: vel qui non interturbet orationem ſuam: vel quem etiam ſibi precatorem deſtinet. Ita loquitur quaſi haec ſit cauſa, cur ſit Pamphilus ingreſſus: quod quaſi ei lis intendatur a Critone hoſpite ducendae uxoris, quam civem Atticam vitiaverit.

14. NESCIO QUIS SENEX MODO VENIT] Bene, NESCIO QUIS. etenim ſi notus eſſet, videretur gratificari, id eſt, gratioſus eſſe teſtis & minus verus. ELLUM] Veteres quod nos *illum* dicimus, vel ELLUM, vel *ollum* dicebant. quamvis ELLUM, quidam *ecce illum*, velint intelligi: tanquam [3] pro ipſo domum Glycerii oſtendat Davus, dicens, ELLUM, quaſi *en illum.* eſt enim, ut alii volunt, pronomen: ut alii, adverbium demonſtrantis: nam pronomen hujuſmodi veteres ſic proferebant, *ille*, *ellus*, *ollus*, ſed, (ut diximus) adverbium compoſitum ex pronomine videri poteſt: ut ſit, *en*, vel *ecce illum*. CONFIDENS] *Confidentem* hic pro conſtanti non mala ſignificatione poſuit. CATUS] Callidus, doctus, ardens, παρὰ τὸ καίειν. unde, *Cato* dictus: [4] ingeniorum etenim igneus vigor eſſe videtur.

15. QUANTIVIS PRETII] Ad magnitudinem refertur QUANTIVIS, [5] non ad parvitatem pretii. Et totum oratorie. ſcite enim locutus eſt. Sed intereſt inter *quamvis* & QUANTIVIS. nam alterum contemtionis, alterum laudis.

16. TRISTIS] Ad laudem interdum ſumitur, non ad amaritudinem, TRISTIS. [6] *Cicero*, *Judex triſtis & integer.*

OBSERV. IN DONAT.

3. *Pro ipſo domum Glycerii*] Mſ. Hulſt. *Pro ipſa domo Glycerii.* h. e. ante ipſam domum Glycerii.

4. *Ingeniorum etenim igneus vigor eſſe videtur*] Mſ. Hulſt. *Ingeniorum etenim ingenuus vigor eſt.* Refert porro τὸ VIDETUR ad ſequentia, ESSE QUANTIVIS PRETII. Hoc recte, illud minus.

5. *Non ad parvitatem pretii*] Mſ. Hulſt. *Ad gravitatem*, PRETII, omiſſo *non*.

6. *Cicero*] Act. I. in Verr. 10.

COMMENTARIUS.

Huc refer Horatii illud Sat. II. 3. 9.

Atqui vultus erat multa & praeclara minantis.

16. TRISTIS SEVERITAS] Cicero Amicit. 18. Triſtitia *autem & in omni re* ſeveritas, *habet illa quidem gravitatem.* Idem pro P. Sext. 8. *Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus reip. videbatur. Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo ſupercilio reſp. tanquam Atlante coelum, niti videretur.* Tacitus diſtinguit Hiſt. I. 14. *Aeſtimatione recta* ſeverus, *deterius interpretantibus* triſtior *habebatur.* Silius Italicus Lib. VIII. 610. videtur damnare *triſtitiam vultus*, ita canens de Bruto:

Laeta viro gravitas & mentis amabile pondus,
Et ſine triſtitia virtus; (an vultus?) non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam laevo quaerebat limite vitae.

IN VERBIS FIDES] Intelligit perſuadendi vim & argumenta. Juſtin. IX. 2. *Ea primum fides inopiae Scythicae fuit.* Eodem ſignificatu Graecorum πίστις venit. Notatur igitur h. l. ἀξιοπιστία τῦ λόγυ.

18. QUID

Si. Quid ait tandem? *Da.* Glycerium ſe ſcire civem eſſe Atticam.
Si. Hem, Dromo, Dromo. *Da.* Quid eſt? *Si.* Dromo. *Da.* Audi.
Si. Verbum ſi addideris. Dromo.
Da. Audi obſecro. *Dr.* Quid vis? *Si.* Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
Dr. Quem? *Si.* Davom. *Da.* Quamobrem? *Si.* Quia lubet, rape, inquam. *Da.* Quid feci? *Si.* Rape.

Da.

DONATI.

18. GLYCERIUM SE SCIRE CIVEM ESSE ATTICAM] Bene: conſtanter ad ea quae locutus eſt, SCIRE ſe dixit.

19. DROMO, DROMO] Commotus ira & dolore nihil dixit: niſi quod lorarium repetendo ſaepius vocat. VERBUM SI ADDIDERIS] Bene, qui omnia praeſente ſocero contra nuptias loquitur.

20. AUDI OBSECRO] * Plerumque a verberandis, vel indulgentia loquitur, vel mora. SUBLIMEM] Id eſt, in ſublime; per altum. QUANTUM POTES] Hoc eſt, celerrime: quia ſegniores ſe oſtendunt ſervi ad puniendos * collibertos: ſcilicet mora veniam captantes indignantium dominorum.

21. QUIA LUBET] Hoc ſenſu & ſupra dictum eſt: *Aut ſi lubitum fuerit, cauſam ceperit, quo jure, quaque injuria.* QUIA LUBET] Hoc Davo dicit. RAPE, INQUAM] Hoc Dromoni.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Plerumque a verberandis, vel indulgentia loquitur, vel mora*] Rob. Stephanus, quia ſenſum nullum exputabat, ita edidit: *plerumque a verberandis * vel indulgentia loquitur, vel mora.* Id autem velle videtur Donatus; quia Davus ſupplicium timens dixerit, AUDI, OBSECRO, ſperaſſe, ſe mora impetraturum indulgentiam, quod ſcilicet vel indulgentia, vel mora loquatur a verberandis. Idem igitur Donato eſt loqui ab aliquo, quod, ſtare ab aliquo. Niſi αὐτὶ τοῦ *loquitur*, legendum fuerit, ſeu *rogatur*, ſeu *quaeritur*, ſeu potius *captatur*.
8. *Collibertos ſuos*] Lege, *conſervos ſuos.*

COMMENTARIUS.

18. QUID AIT TANDEM?] Faſtidioſe dixit TANDEM. Sed & indignantis ſignum eſt in interrogationibus. Infra V. 3. 4. Phorm. II. 1. 1.

20. SUBLIMEM HUNC INTRO RAPE] Ita ſolebant, qui cum violentia quadam ita *abripiebantur*, ut terram non contingerent. Frequens id in Comoedia. Plautus vero eleganter ejuſmodi hominem vocat *ſuperbum*, Amph. I. 1. 201.

Faciam ego hodie te ſuperbum, *niſi hinc abis.*
So. *Quonam modo?*
Me. *Auferere, non abibis, ſi ego fuſtem ſumſero.*

Virg. Aeneid. V. 254. de Ganymede valde proprie,

quem praepes ab Ida
Sublimem *pedibus* rapuit *Jovis armiger uncis.*

Aliter Ovidius Metam. III. 694.

Praecipitem, *famuli*, rapite *hinc.*

Imitatus Prudentius Hymno Hippolyti, 67.

Hos rape praecipites, *& vinclos conjice in ignem.*

QUANTUM POTES] Αὐτὶ, TANTUM. quod expreſſit Plautus Aul. I. 2. 41.

Me rurſum quantum potero, tantum *recipiam.*

21. QUEM?] Ridicule ita interrogat Dromo, qui praeter Chremetem & Davum neminem videret adſtare hero Simoni. Ita vero commotus erat Simo, ut Davum non indigitaret, ſatis habens dixiſſe, *ſublimem* hunc *intro rape.*

QUIA LUBET] q. d. Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas. Hocque illud eſt, quod Davo praeſagierat animus, ſupra I. 3. 8.

RAPE, INQUAM] τὸ INQUAM inſervit vel integrandae orationi interruptae, vel voci repetitae

Digitized by Google

Da. Si quidquam invenies me mentitum, occidito. *Si.* Nihil audio.

Ego jam te commotum reddam. *Da.* Tamen etſi hoc verum eſt? *Si.* Tamen.

Cura adſervandum vinctum. atque audin'? quadrupedem conſtringito.

Age

DONATI.

22. SI QUIDQUAM MENTITUM INVENIES, OCCIDITO] Hic plus dixit. [9] ubi enim *verbera* ſupra dixit: nunc OCCIDITO.

23. COMMOTUM] Citum, celerem.

24. QUADRUPEDEM] Utrum ligaturae genus ſic dicitur, *quadrupes*? an quadrupedem, ut feram? an quadrupedem, id eſt, cum pedibus & manibus? an quadrupedem, pro ſervo ac fugitivo poſuit? Sic [10] *Virgilius*,

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.

CONSTRINGITO] Mire. ne quid fiat tragicum in comoedia, uſque ad vincula ira progreditur: nec quicquam tentat ulterius.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Ubi enim* VERBERA *ſupra dixit, nunc,* OCCIDITO] Atqui Davus in tota Comoedia id non dixit. Videtur igitur memoria lapſus Donatus. niſi animo obverſatae ſunt Simonis minae, ſupra I. 2. 28.

10. *Virgilius*] Aeneid. VII. 500.

COMMENTARIUS.

titae ἐμφατικῶς exprimendae. Sic h. l. & Cic. Att. I. 20. *Per mihi, per,* inquam, *gratum feceris.* Vulgo utuntur in correctionibus. quando veteres amabant, *volui dicere.* Sic Plaut. Mil. III. 2. 7. Pſeud. II. 4. 21.

22. NIHIL AUDIO] Mſ. Bodl. haec Dromoni tribuit, ſequentia vero, EGO JAM TE COMMOTUM REDDAM, Simoni.

23. EGO JAM TE COMMOTUM REDDAM] Non haec Dromoni dicta, quaſi cunctanti Davum rapere, ſed ipſi Davo, qui rerum omnium ſecurus, *Animo jam nunc otioſo eſſe impero*, dixerat, nunc praeceps in piſtrinum dandus, ibique ſe moturus. Sic Heaut. IV. 4. 8. Quanto ineptior eſt lectio Guyeti: EGO JAM TE COMPTUM REDDAM, h. e. depexum, flagris caeſum.

DA. TAMEN ETSI HOC VERUM 'ST? SI. TAMEN] Ita legendum vulgo nunc contendunt Eruditi. Faërnus vero teſtatur, omnes Libros ſcriptos legere, SI. TAMEN TU, ſed delendum cenſet τὸ TU. Suſpicabar, Terentium ſcripſiſſe, SI. TANTUM, unde natum fuerit, TAMEN TU. Scilicet Simo ad iteratam Davi deprecationem primum reſponderat, NIHIL AUDIO. Ubi autem pergeret ſervus veritatem ſuae narrationis praetexere, Simo, TANTUM, inquit, q. d. verbum non addam, ſed ratum erit, quod dixi. Sic ſolemus, ubi nihil amplius de re quapiam dicturi ſumus. Uti igitur licet, quoties abrumpi ſermonem volumus. Hec. V. 3. 15. Plaut. Mercat. II. 2. 11.

I, & hoc memento dicere. LO. *Nunquid amplius?*
LY. Tantum *eſt.*

Sed & editiones quaedam antiquiſſimae legunt, TANTUM TU CURA ADSERVANDUM VINCTUM. Aliae, TU TAMEN CURA ADSERVANDUM VINCTUM. Mſ. Traject. TUM TU CURA ADSERVANDUM VINCTUM. Mſſ. Leidenſium unus poſt illa, TAMEN ETSI HOC VERUM EST? ſtatim ſubjungit, SI. CURA ADSERVANDUM VINCTUM. Alter vero, SI. TAMEN TU CURA. QUADRUPEDEM CONSTRINGITO. Κυφωνισμὸν vocabant Attici id genus ſupplicii, quo colla ſervorum cippis peſſum incurvabantur, ut quadrupedum praeberent ſpeciem. Dubitat autem Donatus, quo ſenſu dixerit QUADRUPEDEM. Certe ſi pro ſervo & fugitivo poſuiſſet, vanum erat addere, CONSTRINGITO, poſtquam jam dixiſſet, CURA ADSERVANDUM VINCTUM. Senſus igitur eſt, manibus & pedibus conſtringito, quaſi quadru-

 pedem,

Digitized by Google

Age nunc jam, ego pol hodie, ſi vivo, tibi
Oſtendam, herum quid ſit pericli fallere, &
Illi, patrem. *Ch.* Ah, ne ſaevi tantopere. *Si.* O Chreme,
Pietatem gnati! nonne te miſeret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age, Pamphile, exi, Pamphile. ecquid te pudet?

D O N A T I.

25. Si vivo] Qui certa minari volunt; incertam faciunt vitam ſuam.

26. Herum quid ſit pericli fallere] Herum & patrem cum ingenti pronunciatione dixit. Et alibi,

Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit caeteros.

27. Ne ſaevi tantopere] Ne, imperativo magis quam conjunctivo adjungitur. ut [11] *Virgilius*,

Ne ſaevi, magna ſacerdos.

28. Pietatem gnati] Ἔλλειψις. deeſt enim *vides*, aut quid tale. Et eſt εἰρωνεία, pro impietate. Et vide invidiam, quaſi parricidam accuſantis. non enim *pudorem* dixit, ſed pietatem.

29. Tantum laborem capere] Σύλληψις. aſſumendum eſt enim extrinſecus *me*. *Labor*, pro moleſtia.

O B S E R V. I N D O N A T.

11. *Virgilius*] Aeneid. VI. 544.

C O M M E N T A R I U S.

pedem, &, ne vincula rumpat, aufugiatque. Suet. Ner. 48. *Atque ita* quadrupes *per anguſtias effoſſae cavernae receptus, in proximam cellam decubuit ſuper lectum modicella culcita, vetere pallio ſtrato inſtructum.*

25. Si vivo] Formula comminantium. Eun. V. 6. 19.

ego te, furcifer,
Si vivo.

26. Et illi, patrem] Haec dicens vehementiſſimus Simo adcurrit ad aedes Glycerii, evocans Pamphilum: ubi vero ingeminat illud, Pamphile, dicens,

Age, Pamphile, exi, Pamphile. ecquid te pudet?

ei, qui eſt intus, clamat de via, nec ipſe intrat in aedes meretricis, nedum in interiorem partem aedium.

27. Ah, ne ſaevi tantopere] Mſ. Bodl. ha, ne ſaevi tanto opere. Dicuntur autem promiſcue *tanto opere* & *tantopere*, *magno opere* & *magnopere*, *maximo opere* & *maximopere*. Qui vero praeter modum iraſcitur, *ſaevire* dicitur. Plaut. Bacchid. III. 3. 4.

leniter qui ſaeviunt, *ſapiunt magis.*

Unde *ſaevus* pro iracundo. Adelph. V. 4. 12.

Ego ille agreſtis, ſaevus, *triſtis, parcus, truculentus, tenax.*

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA TERTIA.

Pamphilus. Simo. Chremes.

Pa. QUIS me volt? perii. pater eſt. *Si.* Quid ais, omnium? *Ch.* Ah,
Rem potius ipſam dic, ac mitte male loqui.
Si. Quaſi quidquam in hunc jam gravius dici poſſiet.
Ain' tandem? civis Glycerium 'ſt? *Pa.* Ita praedicant.
Si. Ita praedicant? o ingentem confidentiam!
Num cogitat quid dicat? num facti piget?

Num

DONATI.

QUIS ME VOLT? PERII] *Hic accuſatio eſt: quae ſolvitur defenſione, in eo quod ad amorem pertinet, per conceſſionem; in eo quod ad Critonis perſonam, per conjecturam.*

1. QUID AIS, OMNIUM?] Ἀποσιώπησις tertia: & eſt ad deformationem perſonae. Et eſt irato familiaris ἀποσιώπησις, quum pro dignitate peccati, non inveniat convicium. QUID AIS] Non interrogantis, ſed invehentis; & eſt ἔλλειψις, multa ſignificans, in eo quod ait, OMNIUM.

3. QUASI QUIDQUAM IN HUNC JAM GRAVIUS DICI POSSIET] Quam quod fecit, quam quod peccavit.

4. AIN' TANDEM?] Quaerit Probus, AIN' quae pars orationis ſit: & an una ſit. eſt autem AIN' quaſi AISNE. Et mire, quaſi ipſe dicat, quod Davus dixerit. Ergo AIN percontativum verbum eſt. TANDEM] Pro *tamen.* PRAEDICANT] Artificioſe pro *dicunt* poſuit. adeo in hac re vehementer commotus ſenex hoc ipſum repetit, ITA PRAEDICANT, per iracundiam. Et ITA eſt ἐν ἤθει, ut repetantur verba, in quibus arguitur impudentia.

5. O INGENTEM CONFIDENTIAM!] Et CONFIDENTIAM modo pro audacia eſt cum improbitate. ut in Phormione, *Homo confidens.* Aliter hic ſupra *confidens*, pro conſtanti & gravi. Ergo *confidentia* interdum in bona ſignificatione, interdum in mala ponitur: ſed *fiducia* ſemper in bona.

6. NUM COGITAT QUID DICAT? NUM FACTI PIGET?] Amens eſt qui neſciat quid dicat: amentior, quem non poeniteat facti ſui. NUM COGITAT QUID DICAT?] Quia injuriarum ſe alligat. NUM FACTI PIGET?] Quia dicit PRAEDICANT: non *dicunt*. Et ut ſolent iraſcentes, avertit orationem a ſecunda ad tertiam perſonam: ab ea cum qua loquebatur, ad aliam.

COMMENTARIUS.

3. GRAVIUS] Scilicet quam decet aut par eſt. Salluſt. Jug. 13. *Ne* gravius *in eum conſuleretur.* Vide ad Adelph. I. 2. 60.

4. AIN' TANDEM? CIVIS GLYCERIUM 'ST?] Abrupta interrogatio, apta iraſcenti & ſtomachanti, cui & illud TANDEM inſervit. Orditur autem inde, unde metuebat originem diſturbandarum cum Philumena nuptiarum. Quare & Scena ſeq. verſu 5. eodem impetu adortus Critonem rogat: EHO, TU GLYCERIUM HINC CIVEM ESSE AIS?

Num ejus color pudoris ſignum uſquam indicat?
Adeon' impotenti eſſe animo, ut praeter civium
Morem atque legem, & ſui voluntatem patris,
Tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probro?
Pa. Me miſerum! *Si.* Hem! modone id demum ſenſti, Pamphile?
Olim iſtuc, olim, cum ita animum induxti tuum,

Quod

DONATI.

7. NUM EJUS COLOR PUDORIS SIGNUM USQUAM INDICAT?] SIGNUM, eſt parva quaedam ſignificatio, indicans totius rei qualitatem. NUM EJUS COLOR PUDORIS SIGNUM USQUAM INDICAT?] Paterno animo dicit. Namque patribus velle erubeſcere filios, pudenteſque eſſe, familiare eſt: cui contrarium eſt, *Erubuit, ſalva res eſt.* Hoc ergo dicit: Nec timet, inquit, nec enim poenitet, nec pudet.

8. IMPOTENTI] Nimis potenti. vel certe debili & devicto.

9. CIVIUM MOREM ATQUE LEGEM, ET SUI VOLUNTATEM PATRIS] Tria contemta ſunt, mos, lex, imperium patris. PRAETER CIVIUM MOREM] PRAETER, *contra* nunc ſignificat.

10. TAMEN] Quum non dixerit *quamvis*, ſubjecit TAMEN: & figura eſt ἀνακόλουθον.

11. ME MISERUM] Initium defenſionis, & deploratio calamitatis & miſeriae: quia in Amorem culpam removet a voluntate ſua, quum pater, quod amat filius, [1] vitium mentis dicat eſſe, non impulſum Dei. MODONE ID DEMUM SENSTI, PAMPHILE?] Comprobatione oſtendit eum eſſe miſerum. DEMUM autem, ſignum eſt tarditatis. Et *ſentire* dicitur, qui vix colligit ſe, vixque animadvertit: ut alibi,

Vix tandem ſenſi ſtolidus.

12. OLIM ISTHUC, OLIM] Objurgatio eſt, quod dictum eſt OLIM. confirmationem autem per repetitionem oſtendit. Ut [2] *Virgilius:*

---- divûm inclementia, divûm,
Has evertit opes.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Vitium mentis dicat eſſe, non impulſum Dei*] Mſ. Hulſt. *Vitio mentis dicat quaſi eſſe impulſum.* Vereor, ut ex mente Donati, cui Amor Deus eſt. Vide infra verſu 25.

2. *Virgilius*] Aeneid. II. 602.

COMMENTARIUS.

7. NUM EJUS COLOR PUDORIS SIGNUM USQUAM INDICAT?] Faernus legit, VIDE, NUM EJUS COLOR. Atque ita eſt in Mſ. Bodl. Videturque cum geſtu pronunciatum. Neque enim, erubeſceretne, nec ne, Pamphilus, id aliter quam viſu dignoſci poterat. Similis geſtus eſt Phorm. V. 8. 5. Plaut. Mil. II. 2. 30.

Paret artem & diſciplinam. obtineat colorem. h. e. nullum fraudis ſignum indicet. Homericum eſt: οὐδ' αἰδοῦς μοῖραν ἔχοντας. *Nec partem pudoris habentes.*

8. IMPOTENTI ANIMO] Is dicitur, qui continere ſe nequit, quum faciat quaecunque *impetus* dictat, quique vult poſſe, quod non poteſt. Heaut. II. 3. 130.

PRAETER CIVIUM MOREM ATQUE LEGEM] Ἀπροσδιόνυσα ſunt, quae Farnabius ex Nannio hic obſervat de nothis habitis lege Periclis, qui non ex duobus Athenienſibus nati eſſent parentibus, deque illorum prole ad nullos honores admiſſa. Id vult Simo, neminem civium Athenienſium ſervam vel peregrinam, qualem ipſe credebat Glycerium eſſe, licet a ſe vitiatam, ducere, neque id legibus cautum eſſe. Unde ſupra III. 1. 11. *adeon' eſt demens? ex peregrina?* Sub. tollet filium filiamve. Ceterum Romani imitati Athenienſes. vid. Inſt. de Nupt. §. 12. Sed & inde Pamphilum habere hanc non poſſe ait, niſi *cum ſummo probro.* Atque huc proprie pertinent, quae Farnabius notaverat ad ſuperiorem verſum.

10. CUM SUMMO PROBRO] *Probrum* plerumque

Digitized by Google

Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi;
Eodem die iſtuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam ſenectutem hujus ſollicito amentia? an
Ut pro hujus peccatis ego ſupplicium ſufferam?
Immo habeat: valeat: vivat cum illa. *Pa.* Mi pater.

Si.

DONATI.

13. ALIQUO PACTO] Quoquo modo.

14. ACCIDIT] Evenit, fuit.

15. SED QUID EGO?] Proprium eſt parentibus, indignatione velut abjicere curam filiorum, quum deſtomachati fuerint. SED QUID EGO?] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν, ſcilicet *promoveo.*

16. SOLLICITO] Sollicitam reddo, id eſt, contriſto & perturbo. CUR MEAM SENECTUTEM] Non *me*, ſed MEAM SENECTUTEM: quod plus eſt & miſerabilius, dicit.

18. IMMO HABEAT, VALEAT] Non iraſcitur ut pater, ſed diſſimulat ut alienus: quia vehementer dolet. Et HABEAT, ſubauditur *illam.* MI PATER] MI, meus. & principium factum a conciliatione perſonae.

COMMENTARIUS.

que *infamiam* notat ex libidine ortam. Sic Phorm. V. 4. 6. Liv. XXV. 2. *L. Villius Tappulus & M. Fundanius Fundulus, aediles plebeji, aliquot matronas apud populum* probri *accuſarunt.* Suet. Claud. 26. *Cum utraque divortium fecit; ſed cum Petina, ex levibus offenſis; cum Urgulanilla ob libidinum* probra. Quanquam & *probrum* eſt omne id, quod honeſti viri dignitatem imminuit. *Opprobrium* etiam de nefanda libidine uſurpatur.

11. MODONE ID DEMUM SENSTI?] Teſtatur Faërnus, libros ſcriptos, quos viderit, legere, HEM, MODONE ID DEMUM SENSTI? Idem eſt in editis vetuſtiſſimis. Et videtur appoſitum. Eleganter autem τὸ DEMUM ad judicii tarditatem notandam adhibetur. Phaed. I. 13. 12.

Tum demum *ingemuit corvi deceptus ſtupor.*

Pro SENSTI autem Mſſ. quidam & editi SENSISTI legunt.

13. QUOD CUPERES, ALIQUO PACTO EFFICIUNDUM TIBI] Tangit pervicax propoſitum amore perditi Pamphili. Cujuſmodi & in Charino, ſupra II. 1. 6.

nihil volo aliud, niſi Philumenam.

Et in Chaerea, Eun. II. 3. 27.

hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas. mea nil refert, dum potiar modo.

15. SED QUID AGO?] Formula fruſtra operam impendentium. Virg. Aeneid. II. 101.

Sed quid ego *haec autem nequidquam ingrata revolvo?*

Fr. Fabritius legit, SED QUID AGO? quam lectionem laudat Guyetus. Et ſane eſt ſe ipſum corripientis. Sic Pamphilus ſupra I. 1. 107. Glycerium prohibiturus, quae ſe in ignem injicere volebat, *quid agis?* inquit, *cur te is perditum?* ſed & in antiquis quibuſdam editis eſt, SED QUID AGO?

16. HUJUS AMENTIA] Sic ſupra I. 3. 13.

Nam inceptio 'ſt amentium, *haud amantium.*

& III. 1. 11.

Adeon' eſt demens! *ex peregrina?*

17. UT PRO HUJUS PECCATIS] Mſ. Bodl. τὸ UT non agnoſcit. Dicitur autem *peccatum* Pamphili reſpectu patris. Unde ipſe mox verſu 25.

Ego me amare hanc fateor. ſi id peccare *'ſt, fateor id quoque.*

Et verſu 32.

Pro magno peccato *paullum ſupplicii ſatis eſt patri.*

18. IMMO HABEAT, VALEAT, VIVAT CUM ILLA] Formula invito animo concedentis. Supra IV. 1. 25. Adelph. IV. 4. 12. Catull. Carm. XI. 17.

Cum ſuis vivat, valeatque *moechis.*

Suet. Caeſ. 1. *Vincerent, ac ſibi* haberent. Liv. IX. 11. *Pacem ſibi* habeat.

Digitized by Google

Si. Quid, mi pater? quaſi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre.
Adducti, qui illam civem hinc dicant. viceris.
Pa. Pater, licetne pauca? *Si.* Quid dices mihi?
Ch. Tamen, Simo, audi. *Si.* Ego audiam? quid audiam,
Chreme? *Ch.* At tandem dicat ſine. *Si.* Age dicat, ſino.
Pa. Ego me amare hanc, fateor. ſi id peccare 'ſt, fateor id
quoque.

Tibi

DONATI.

19. Quaſi tu hujus indigeas patris] Hujua, oſtendens ſe dixit. ut [1] *Virgilius*,

Eſt hic, eſt animus lucis contemptor.

20. Domus, uxor, liberi inventi] Mira gravitate ſenſus elatus eſt. nec de *Menandro*, ſed proprium *Terentii*. Et liberi inventi dicit, quum unus eſſet: ſed invidioſius liberi. Et inventi, non *geniti*; ſecundum illud, *Hoc ego ſcio, neminem peperiſſe hic.* Domus addidit, non lupanar. Et oratorie de uno pluraliter loquimur.

21. Viceris] Verbum eſt ejus, qui vix ſibi extorquet, ut abjiciat curam. Et proprium patribus, ac familiare iratis.

22. Pater, licetne pauca?] Titubans & balbutiens oratio pudore & conſcientia.

24. Age dicat: ſino] Hoc totum non ex animo permittentis, ſed cum ſtomacho patientis eſt.

25. Ego me amare hanc, fateor] Ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης. Hanc fateor] Et bene hanc dicit, non *Glycerium*, cujus nomine offenditur ſenex: nec *peregrinam*, ignominiam ſcilicet vitans. Si id peccare 'st, fateor id quoque] Noli, inquit, me accuſare, quia amo. amantem enim nemo accuſat, ut febricitantem nemo accuſare poteſt, cur febricitet. Sed amare, inquit, ſi putas eſſe peccatum, fateor etiam me hoc peccaſſe. Mire igitur, & ſubdefendit culpam: & aſſenſus irato eſt. Si id peccare 'st] Peccare dicit: quia Amor Deus eſt, non voluntas. Fateor quoque] Peccare me ſcilicet.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. IX. 205.

COMMENTARIUS.

19. Quid, mi pater] Tribus hiſce verſibus Simo videtur abdicare Pamphilum, omnemque ejus curam abjicere, quod ipſius juſſus non praeceſſiſſet filii nuptias. Ante conſenſum vero patris concepti in ſpuriis habebantur Jure Romano. Vide, quae de neceſſitate conſenſus paterni in nuptiis filiorum notarunt Lindenbruchius & Parcus. Emphaſin autem habet *Patris* appellatio; unde ſaepius eam repetit Pamphilus. Sic Hec. IV. 3. 6. ubi vide Donatum.

20. Inventi] Phraſis propria in hac re. Sic ſupra III. 3. 39. Suet. Calig. 25. *Matrimonium ſibi* repertum *exemplo Romuli & Auguſti.*

21. Adducti] Odioſe dictum. Sic Eun. IV. 1. 9. Heaut. V. 4. 18.

23. Quid audiam?] Menand. τί δῆτ' ἀκούσω;

25. Si id peccare 'st] Cic. Fam. VI. 14. *Si hoc vitium eſt, eo me non carere confiteor.* Ovid. Metam. X 200.

Quae mea culpa tamen? niſi ſi luſiſſe, vocari
Culpa poteſt. niſi culpa poteſt, & amaſſe, vocari.

proprie *peccare* dixerunt de Amoribus. Horat. Carm. I. 27. 16.

ingenuoque ſemper
Amore peccas.

&

Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris impone, impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obſecro, ut ne credas a me allegatum hunc ſenem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *Si.* Adducas! *Pa.* Sine pater.
Ch. Aequum poſtulat. da veniam. *Pa.* Sine te hoc exorem. *Si.* Sino.

Quid-

DONATI.

26. TIBI, PATER, ME DEDO] Bene DEDO, quaſi hoſtilia & contraria volenti. nam deditio in hoſte fieri ſolet. QUIDVIS ONERIS IMPONE: IMPERA] Executus eſt tranſlationem oneris, dicendo, IMPONE, UT POTERO, FERAM.

27. VIS ME UXOREM DUCERE? HANC VIS AMITTERE?] Et quod unum eſt, duo fecit: ut oſtendat ſe non poſſe ferre. UT POTERO, FERAM] Obſequium ſine voluntate oſtendit: & multum valet ſub Chremetis praeſentia haec confeſſio, ad recuſandas nuptias.

28. UT NE] Pro *ut non.* ALLEGATUM] Adhibitum. HUNC SENEM] Critonem ſcilicet. Et non *Critonem*, ſed SENEM dicit: ut de hac appellatione pondus adjiceret teſtimonio.

30. AEQUUM POSTULAT. DA VENIAM] Artificioſe interponit loquentem Chremetem: quem volens uſque ad cognitionem filiae ſuae retinere, non facit iraſci Pamphilo ob contemtum filiae ſuae, & poſt hoc abire de medio. DA VENIAM] Concede, indulge. SINE TE HOC EXOREM] Id eſt, *ut me purgem*, + non, *adducam*

OBSERV. IN DONAT.

4. *Non, adducam*] Mſ. Hulſt. HUNC ADDUCAM. rectius, utrumque enim rogaverat Pamphilus.

COMMENTARIUS.

& I. 33. 9.

Quam turpi Pholoë peccet *adultero.*

Noſter Adelph. IV. 7. 7. Virg. Aeneid. X. 188.

Crimen amor veſtrum.

26. TIBI, PATER, ME DEDO] Sic Heaut. IV. 3. 3. Dicuntur autem *dedere* ſe liberi parentibus, quoties ad eorum voluntatem ſe componunt. Unde & ad alios transfertur. Locutio ab hoſtibus victis deſumta, qui ſe *dedunt* victori.

27. UT POTERO, FERAM] Cic. Catil. I. 7. *Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen,* ut potui, tuli.

28. ALLEGATUM] H. e. ſubornatum, ſubmiſſum. Plaut. Poen. III. 5. 28.

Eum allegaverunt, *ſuum qui ſervum diceret*
Cum auro eſſe apud me.

Trin. V. 2. 18.

meo allegatu *venit, quaſi qui aurum mihi*
Ferret abs te, quod darem tuae gnatae dotem.

Sed & in bonam partem ſumitur pro mittere proxenetas. Liv. XXXVI. 11. *Rex Chalcidem a Demetriade profectus, amore captus virginis Chalcidenſis Cleoptolemi filiae: quum patrem, primo* allegando, *deinde coram ipſe rogando fatigaſſet.*

30. DA VENIAM] *Venia* proprie eſt facultas veniendi in patriam, aut in publicum; qualem noxii aut damnati non habent. Hinc ſumitur pro *remiſſione* damnationis aut poenae, quam continuo ſequitur *venia.* Ita plane Suet. Caeſ. I. *Ut etiam diſcedere e medio, &, quanquam morbo quartanae adgravante, prope per ſingulas noctes commutare latebras cogeretur, ſeque ab inquiſitoribus pecunia redimere: donec per Virgines Veſtales, perque Mamercum Aemilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines ſuos,* veniam *impetravit.* Demum pro omni conceſſione rei deſideratae ponitur, uti h. l. & Nep. Pauſan. IV. *Quod ſi eam* veniam *ſibi dediſſet, tantiſque implicitum rebus ſublevaſſet, magno ei praemio futurum.*

SINE

Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chremes.
Ch. Pro peccato magno paullum ſupplicii ſatis eſt patri.

DONATI.

31. Ab hoc me falli comperiar] O paterna pietas! ipſe accuſator eſt, & redargui ſe cupit.

32. Paullum supplicii] *Supplicium* dicit ipſam accuſationem.

COMMENTARIUS.

Sine te hoc exorem] Ad haec Donatus: *Id eſt, ut me purgem, non, adducam.* Aſt ubi rogaſſet Pamphilus,

Sine me expurgem, *atque illum huc coram* adducam,

Simo prae iracundia parcus verborum, *adducas!* Pamphilus mox rurſus, *ſine pater*, ait. quid aliud quaeſo, quam, *ut adducam*? perſtat adhuc Simo, nec vult adduci Critonem. Igitur Chremes, *aequum poſtulat*, inquit, *da veniam.* Et vel ſic tacente Simone, Pamphilus tertium, *ſine te hoc exorem.* Res plana eſt, & certa. Quidni enim ſineret Simo, Pamphilum ſe expurgare?

32. Paullum supplicii] Intelligitur confeſſio culpae in Pamphilo, ſed & promiſſio de amittenda Glycerio, & ducenda Philumena, quin & deditio ſui ipſius in poteſtatem patris. Satis autem poenarum adverſum impudicos in ipſa confeſſione flagitii credebatur. Tacit. Annal. II. 85. *Eodem anno gravibus Senatus decretis libido feminarum coërcita, cautumque, ne quaeſtum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Rom. fuiſſet. Nam Viſtilia Praetoria familia genita, licentiam ſtupri apud Aediles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui ſatis poenarum adverſum impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Quem locum expoſitum vide in L. 39. Dig. de Furt. Lenones porro & meretrices proprie ſub juriſdictione Aedilium erant. Emphaſis igitur eſt in τῷ patri, q. d. ſi publice excuſationem veniamque invenit profeſſio peccati, quanto magis apud patrem? Plaut. Moſtell. V. 2. 43.

Si hoc pudet, feciſſe ſumtum; ſupplicii habeo [ſatis.
Tr. *Diſpudet.*

ACTUS QUINTI

SCENA QUARTA.

Crito. Chremes. Simo. Pamphilus.

Cr. Mitte orare: una harum quaevis cauſa me, ut faciam, monet:

DONATI.

Mitte orare] *Hic in Scenam progreditur Crito: in cujus verbis non modo quod ipſe promittit, ſed etiam quid & Pamphilus dixerit, demonſtratur. Et hic omnis error aperietur fabulae.*

1. Mitte orare. una harum quaevis causa] Pamphilo dicit. Et dicendo, una harum, oſtendit multas eſſe cauſas: etiam pares magnitudine eſſe, dicendo, quaevis.

COMMENTARIUS.

1. Mitte orare] Fingitur ſcilicet Pamphilus venia a patre data arceſſendi Critonis, oraſſe Critonem, ut quae ad Glycerii agnitionem pertinerent, confidenter ediſſereret apud Simonem patrem.

2. Vel

Digitized by Google

Vel tu, vel quod verum eſt, vel quod ipſi cupio Glycerio.
Ch. Andrium ego Critonem video? certe is eſt. *Cr.* Salvos ſis, Chreme.
Ch. Quid tu Athenas, inſolens? *Cr.* Evenit. ſed hiccine 'ſt Simo?
Ch. Hic. *Si.* Men' quaeris? eho tu Glycerium hinc civem eſſe ais?
Cr. Tu negas? *Si.* Itane huc paratus advenis? *Cr.* Qua de re?
Si. Rogas?

Tune

DONATI.

3. Andrium ego Critonem video?] Bonum initium agnituri filiam. Itaque compendii cauſa, non laborat de agnitione perſonae Critonis, ut ab eo facile doceri poſſit. Salvos sis, Chreme] Ne laboret ad perſuadendum, miro compendio Poëtae, jam Crito notus eſt Chremi.

4. Quid tu Athenas, insolens?] Insolens, inſolitus, inſuetus. [1] *Cicero, Moveor etiam loci inſolentia.* [2] *Salluſtius, Inſolens vera accipiendi. Inſolens* & arrogans intelligitur. Qui praeter legem agit humanam & naturalem, *inſolens* dicitur. [3] *Cicero, In victoria, quas natura inſolens & ſuperba eſt.* Evenit] Pudet fateri propter hereditatem veniſſe. Et vide ipſum eſſe, qui dixerit ſupra, *Clamitens me ſycophantam, haereditates perſequi.*

6. Paratus advenis?] Hoc eſt, ſubornatus, [4] & compoſitus dolo.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Cicero*] Orat. pro Dejot. cap. 2.
2. *Salluſtius*] In Fragmentis.
3. *Cicero*] Orat. pro Marcello, cap. 3.
4. *Compoſitus dolo*] Mſ. Hulſt. forte rectius, *compoſitor doli.* Niſi id voluit interpres, τὸ paratus valere & ab aliis ſubornatum, & ultro compoſitum ad fraudem.

COMMENTARIUS.

2. Vel tu, vel quod verum est, vel] Similis locutio eſt apud Ciceronem Orat. pro Ligar. 3. *Cujus ego induſtriae gloriaeque faveo*, vel *propter propinquam cognationem*, vel quod *ejus ingenio, ſtudiiſque delector*, vel quod *laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum aliquem fructum redundare.*

Cupio] Volo, faveo. Plenius Horat. Sat. I. 9. 5.

cupio *omnia, quae vis.*

Et Plaut. Ciſtell. II. 1. 21.

quodcunque optes, tibi velim contingere.

3. Salvos sis, Chreme] Manifeſtus mihi error videtur hoc in loco. Malim igitur ita ordinare: Ch. *Andrium ego Critonem video? certe is eſt. Crito ſalvos ſis. quid tu Athenas inſolens?* Cr. *Evenit.* Sed & ita Donatum legiſſe conjicias ex ejus verbis. ſcilicet, ſimiles perſonarum turbationes ex integris nominibus expreſſis natae. Scriptum autem fuerat: Chreme Andrium ego Critonem video certe is est Crito salvus sis quid tu Athenas insolens Crito evenit. Ejus rei veſtigia cum hic, tum alibi in impreſſis antiquiſſimis obſervavi.

4. Insolens] Prima & propria ſignificatio pro *inſueto, inſolito*, fere in deſuetudinem abiit. Dicebantur autem etiam *inſolentes*, qui ex pauperibus ſubito divites eſſent facti; qui, quod paſſim ſunt arrogantes, hinc & *inſolens* arrogantem & ſuperbum notat. Cicero Philipp. IX. 6. *Mirifice enim Ser. Sulpicius majorum continentiam diligebat; hujus ſeculi* inſolentiam *vituperabat.* Et Orat. pro Roſc. 8. *Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, ut fit*, inſolens *in aliena.* Juſtin. XX. 5. *Tantum virtutis paupertas adverſus* inſolentes *divitias habet.*

6. Paratus] Meditatus, dolis inſtructus. Liv. III. 10. *Fabulam compoſitam Volſci belli, Hernicos ad partes* paratos.

Tune impune haec facias? tunc hic homines adoleſcentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando & pollicitando eorum animos lactas? *Cr.* Sanus ne es?
Si. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
Pa. Perii! metuo, ut ſubſtet hoſpes. *Ch.* Si, Simo, hunc noris ſatis,
Non ita arbitrere. bonus eſt hic vir. *Si.* Hic vir ſit bonus?
Itane

D O N A T I.

7. TUNE IMPUNE HASC FACIAS?] Mire. acriter Critonem aggreſſus, dilatavit incuſationem, & [1] generale fecit virtute oratoria, quae δεινότης dicitur. TUNE HIC] Id eſt, Athenis, ubi delicta vindicantur.

8. IN FRAUDEM ILLICIS?] Illigas. unde [6] *Virgilius*,

Terna tibi haec primum triplici circumdata filo
Licia circumdo.

Licia enim dicta ſunt, quaſi ligia.

9. EORUM ANIMOS LACTAS?] Hinc etiam *oblectatio* dicitur. LACTAS?] Quaſi teneros animos. *Lactare*, eſt dulcedine aliqua tenere, ad perſuaſionem inducere: unde & *delectare* & *oblectare* dicimus.

10. AC MERETRICIOS AMORES NUPTIIS CONGLUTINAS?] Vide oratorie agi. ut gravius Critonem accuſet Simo, nunc defendit filium, quem dudum increpaverat. AC MERETRICIOS AMORES] Pejus lenocinio crimen ingeſſit: non amicam facere de meretrice, ſed conjugem. NUPTIIS CONGLUTINAS?] Hoc gravius eſt lenocinio.

11. METUO, UT SUBSTET HOSPES] Ut, ne non. *Lucil. Tuam ut memoriam retineas.* Et bene HOSPES ait, non *homo*, vel *Crito*. eſt enim ipſo nomine cauſa diffidentiae.

12. NON.

O B S E R V. I N D O N A T.

1. *Generale fecit*] Omnino videtur legendum vel *gravem*, vel *graviter*. Et haec illa eſt ὀστότης. legit Donatus, id paſſim libri exhibent, *diverſo colore*. Vide quae notavit Emmeneſſius ad h. l.

6. *Virgilius*] Eclog. VIII. 73. Quod vero *circumdata filo*

O B S E R V. I N D O N A T.

8. IN FRAUDEM ILLICIS?] *Fraudem* vocant damnum & malum. Virg. Aeneid. X. 72.

Quis Deus in fraudem, *quae dura potentia*
Egit? [*noſtri*

Horat. Carm. I. 28. 30.

Negligis immeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem *committere forſan.*

Aves autem ab aucupe *illici* proprie dicuntur. Unde Metaphora tranſlata. Sic Heaut. III. 1. 33. Plancus ad Cic. Fam. X. 23. *Qui quidem quum in* fraudem *ſe deductum videret.*

9. SOLLICITANDO ET POLLICITANDO EORUM ANIMOS LACTAS] Mſ. Bodl. JACTAS. Cicero pro Dejot. 11. *Servum* ſollicitare *verbis: ſpe, promiſſiſque corrumpere.* Suet. Ner. 13. *Quem Armeniae regem* (Tiridatem) *magnis* pollicitationibus ſollicitatum, *quum deſtinato per edictum die, oſtenſurus populo propter nubilum diſtuliſſet, produxit.*

10. MERETRICIOS AMORES NUPTIIS CONGLUTINAS] Facis, ut, qui furtivi uſque adhuc fuerunt amores inter Pamphilum & Glycerium, nunc rati fiant legitimis nuptiis. *conglutinandi* enim verbo in arcta amicitia & vinculo utuntur. Metaphora a *glutine* deſumta. Cic. Att. VII. 8. *Suſpicionem autem eo mihi majorem tua taciturnitas attulerat, quod & tu ſoles* conglutinare *amicitias teſtimoniis tuis.* Idem de Senect. 20. *Ut navem, ut aedificium idem deſtruit facillime, qui conſtruxit; ſic hominem eadem optime, quae* conglutinavit, *natura diſſolvit.* Et Philipp. III. 11. *Quid eſt in Antonio, praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus* conglutinatus *eſt.* Eſt vero locutio multum amata Ciceroni.

11. METUO, UT SUBSTET HOSPES] H. e. ne faevidicis dictis proteletur a patre & obmuteſcat. Eſt vero *ſubſtare* idem quod ſubſiſtere, reſta-

Itane adtemperate venit hodie in ipſis nuptiis,
Ut veniret antehac nunquam? eſt vero huic credendum, Chreme?
Pa. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.
Si. Sycophanta. *Cr.* Hem! *Ch.* Sic, Crito, eſt hic: mitte. *Cr.* Videat qui ſiet.
Si mihi pergit, quae volt, dicere; ea, quae non volt, audiet.
Ego

DONATI.

12. NON ITA ARBITRERE] Id eſt, non arbitreris. BONUS EST HIC VIR] Cum pondere & diſtinctione inferendum. HIC VIR SIT BONUS?] Hic, per εἰρωνείαν, nec virum nec bonum eſſe dixit. HIC VIR SIT BONUS?] Mire Poëta, cum oportuerit Critonem inimiciorem Chremi eſſe quam Simoni, ſic rem inducit, ut notior ei ſit contra quem maxime venerat, atque ab eo defendatur, magis ut res progredi ad cataſtrophen poſſit.

13. IN IPSIS NUPTIIS] In ipſo articulo nuptiarum.

14. UT VENIRET ANTEHAC NUNQUAM?] Plerumque caſus imitatur induſtriam: & hoc ſaepe ſit, ut etiam ſedulo facta, ſint ſuſpecta.

16. SYCOPHANTA] Hoc eſt, quod minime voluit ſibi dici Crito. nam ita loquutus eſt ſupra, *Clamitent me ſycophantam, hereditates perſequi.* HEM] Principium iracundiae. audivit enim quod maxime vitabat: nam ut ſupra, *Clamitent me ſycophantam.* SIC, CRITO, EST HIC: MITTE] Hic Chremes traducit illum ab iracundia, dicendo *ſic eſſe* eum. *Menander:* οὕτως αὐτός ἐστιν. Et recte: quia naturae ignoſcitur, voluntati non item.

17. SI MIHI PERGIT, QUAE VOLT DICERE] Graviter, & mature.

COMMENTARIUS.

reſtare, reſiſtere. Heaut. V. 3. 7.

> *In qua re nunc tam confidenter* reſtas, *ſtulta?*

Plaut. Epid. I. 1. 77.

> *Tantae in te impendent ruinae: niſi ſuffulcis firmiter,*
> *Non potes* ſubſiſtere*: itaque in te irruunt montes mali.*

Unde optime Eugraphius: *Vereor, inquit Pamphilus, ne patris ſermone hoſpes* Crito *territus, non poſſit* reſiſtere *fortiter.*

12. BONUS EST HIC VIR] Ita JCtis ſpeciatim dici boni nominis, honeſtum & inculpatae vitae obſervat Barthius, Adverſ. XXXVI. 13. *Bonus homo* autem, cui mulier imperat.

HIC VIR SIT BONUS?] Donatus, τὸ HIC per ironiam dici ait. Malim per contemtum. Sic mox verſu 14.

> *eſt vero* HUIC *credendum, Chreme?*

15. PRO ILLA RE] Quod convenire huic rei queat. Virg. Aeneid. IV. 337.

> Pro re *pauca loquar.*

Liv. VII. 33. *Factis benignus* pro re, *dictis haud minus libertatis alienae, quam ſuae dignitatis memor.*

16. SIC, CRITO, EST HIC] Eun. III. 1. 18. Heaut. III. 1. 27. Phorm. III. 2. 42. Plaut. Amph. II. 1. 57.

> ſic ſum, *ut vides.*

Cic. Fam. XII. 20. *Quod ſi*, ut es, *ceſſabis, laceſſam.*

MITTE] Videtur Crito, ubi illud SYCOPHANTA! audierat, graviter commotus neſcio quid minitatus eſſe vultu & geſtu. Quare Chremes metuens, ne quid amplius fieret, lenire eum aggreditur, dicens, SIC EST HIC, CRITO, MITTE.

17. SI MIHI PERGIT] Edit. 1469. PERGET. Salluſt. invectiva in Ciceronem: *Reſpondebo tibi, ut, ſi quam maledicendo voluptatem cepiſti, eam male audiendo amittas.* Homer. Iliad. XX. 250.

> Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Plaut. Aſin. II. 4. 82.

> *Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?*

Tam

Digitized by Google

Ego iſtaec moveo, aut curo? non tu tuum malum aequo animo
feres?

Nam, ego quae dico, vera an falſa audieris, jam ſciri poteſt.

Atticus quidam olim navi fracta, apud Andrum ejectus eſt,

Et

DONATI.

18. Ego isthaec moveo, aut curo?] Eſt enim ſycophantae perturbare rem bonam, & curare malam. Hoc igitur dicit cum ὑποκρίσει. Ego haec turbo, aut cogito, quemadmodum tu dicis, Simo? Non tu tuum malum aequo animo feres?] ? Non filium, ſed amorem in filium ſignificat. An quia iratus eſt? Et quaeritur, an conveniant haec verba ? Pamphilo veniente? Immo enim conveniunt: nam quanto magis diſſimulat favorem, tanto plus acquitit fidei ad ea quae loquitur.

19. Jam sciri potest] Addidit & tempotis celeritatem & magna maturitate dixit.

20. Atticus quidam olim] Haec pars argumenti eſt: quae & ſupra jam dicta.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Non filium, ſed amorem in filium*] Mſ. Hulſt. & edit. Veneta 1490. *Non filium, ſed amorem filii.* Ita ſcripſerat Donatus.

8. *Pamphilo veniente?*] Varie haec exhibentur. Mſ. Hulſt. *Pamphilo venienti.* Editio Veneta, *pro Pamphilo veniente.* Non dubito, quin genuinum ſit, *Pamphilo praeſente.* Neque enim veniebat Pamphilus, ſed praeſens adſtabat. Niſi *Pamphilo* vel *pro Pamphilo venienti,* notet, Pamphilo advocati inſtar advenienti.

COMMENTARIUS.

Tam ego ſum homo, quam tu.

Pſeud. IV. 7. 77.

Contumeliam ſi dices, audies.

Caecilius apud Gell. VII. 17.

Audibis male, ſi male dixis mihi.

18. Ego isthaec moveo, aut curo?] Omnis vis eſt in τῷ ego, quam vocem nimia licentia rejicit Guyetus. Dixerat autem Simo verſu 5. Tu *Glycerium hinc civem eſſe ais?* & mox: Tune *impune hoc facias?* &, Tune *hic homines adoleſcentulos, imperites rerum, eductos libere in fraudem illicis?* optime igitur Crito tegerit: Ego *iſthaec moveo, aut curo?* Cicero Fam. X. 4. *Quantum viribus eniti, conſilio providere, auctoritate* movere *potuero, hoc omne reip. ſemper futurum.* Et forte ita legendum Fam. IX. 24. *Nullum locum praetermiſio* movendi, *agendi, providendi.* ubi vulgo *monendi.* Dicitur vero quis *movere,* qui primus quid dicit facitve. Ovid. Heroid. XV. 3.

An, niſi legiſſes auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve neſcires unde movetur *opus?*

Suet. Caeſ. 78. *Verum praecipuam & inexpiabilem ſibi invidiam hinc maxime* movit.

Non tu tuum malum aequo animo feres?] Hec. IV. 2. 27. Ariſtoph. Θεσμοφ. 204.

Ἀλλ' αὐτὸς ἄγε τόν ἴσιν οἰκείως φέρε.

Idem vocant, *τἀναγκαῖα τοῦ βίου φέρειν.* Dicitur autem quis *aequo animo ferre* quid, qui fert humaniter, quod corrigere nequit. Hec. IV. 4. 63. Phorm. I. 2. 88. Sed & *ferre* & pati tam bona, quam mala dicimur. Phaed. I. 2. 29.

Quia noluiſtis veſtrum ferre, *inquit, bonum,*
Malum perferte.

19. Dico] Mſſ. quidam & editi vetuſtiores, in quibus Junt. exhibent dixi. Neque videntur ſatis apte cohaerere praeſens dico & praeteritum audieris. Faërno tamen placet τὸ dico, ſcilicet quod ſi utique jam dixiſſet Crito, nil opus fuerat iterum dicere ea, quae jam dixiſſet. Sed & jam dixerat, & opus erat vel maxime, ut iterum diceret. Ubi dixerit, rogas? In aedibus Glycerii, Pamphilo & Davo audientibus. Hinc enim Davus ſupra V. 2. 17. roganti Simoni: *Quidnam apportas?* reſpondet, *nihil equidem, niſi quod illum audivi dicere.* Atque ubi rurſus Simo, *Quid ait tandem?* rem narrat Davus, ſcilicet, *Glycerium ſe ſcire civem eſſe Atticam.* Et Pamphilus, V. 3. 4. roganti itidem Simoni, *Ain' tandem, civis Glycerium eſt?* reſpondet, *Ita praedicant.* Atque adeo haec jam ex utroque audierat Simo. Si vero quis pertinacius defendat τὸ dico, non intercedo, modo

cum

Et iſtaec una parva virgo. tum ille egens, forte applicat
Primum ad Chryſidis patrem ſe. *Si*. Fabulam inceptat. *Ch*. Sine.
Cr. Itane vero obturbat? *Ch*. Perge. *Cr*. Tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo, ſeſe eſſe Atticum.
Is

DONATI.

21. Forte applicat] Applicat, proprie de naufrago in littus ejecto atque egenti.

22. Primum ad Chrysidis patrem] Quid eſt primum? an quia poſtea mortuus eſt? Fabulam inceptat] Aut ad comoediam retulit fabulam: quia *fabula* comoedia: & quia argumentum quaſi fabulae narratur. aut certe ad irriſionem narrationis dicit. etenim olim ſabulae proprium; ut [9] *Horatius*:

— olim
Ruſticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicum.

23. Itane vero obturbat?] Si ſubdiſtinguit, *interſtrepit* accipe: ſi non diſtinguit, *evertit* intelligas. Itane vero obturbat?] Poteſt, itane vero, ſubdiſtingui: & ſic cum comminatione inferri, obturbat.

24. Ibi ego audivi ex illo] Magna confirmatio veritatis eſt.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Horatius*] Serm. II. 6. 79.

COMMENTARIUS.

cum codice Bembino ſimul legatur audierim, ſcilicet quia mox verſu 27.

eadem haec, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere.

Jam sciri potest] Ita dixit jam, uti Davus ſupra II. 2. 15.

uxorem tibi non das jam *Chremes.*

Et Eun. Prol. 29.

Id ita eſſe, vos jam *judicare poteritis.*

Eſt igitur *jam* q. d. ex his argumentis, quae nunc dicturus ſum.

20. Apud Andrum] Ita edidi ex Mſſ. quibuſdam, & praeſtantiſſimis editis; ſed & Priſciano auctore, Inſtit. Grammat. Lib. VII. Alii, Ad Andrum.

Ejectus est] Proprie de *naufragis*. Plautus plenius Rud. I. 5. 14.

Ejectae *e mari ſumus ambae.*

21. Egens] Amplius dicit, quam *pauper*. Unde ſignificanter Plaut. Aſin. I. 2. 13.

Ego aedepol te redigam eodem unde, orta es, ad egeſtatis *terminos.*

Virg. Aen. IV. 373. in ſimili re,

ejectum litore, egentem
Excepi.

Applicat primum ad Chrysidis patrem se] *Applicant* ſe proprie pauperes ad patronos, implorantes eorum auxilium & fidem. Enn. in Fragm. *Quo accedam? Quo me* applicem? Cicero de Orat. I. 39. *Qui Romam in exilium veniſſet, cui Romae exulare jus eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum* applicaviſſet, *inteſtatoque eſſet mortuus, nonne in ea cauſa jus* applicationis, *obſcurum ſane, & ignotum, patefactum in judicio, atque illuſtratum eſt a patrono?* Ubi *jus applicationis* idem eſt cum jure clientelae. Rogat vero Donatus: *quid eſt* primum? *an quia poſtea mortuus eſt?* non putem. Solet ſcilicet *primum* dici in narratione, etiam non ſequente *ſecundum* vel *tertium*, aut ſimili. Plaut. Moſtell. V. 2. 32.

Omnium primum *ſodalem me eſſe ſcis gnato tuo.*

Eandem locutionem ſacer ſtilus agnoſcit. Evang. Joh. XVIII. 13. Καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον. Nulla de deductione altera ad Cajapham mentione addita.

24. Qui eum recepit] Menander:

τάλας
Ἔσωκας ὅτι πρὸς ταῖς θύραις, τὸ φορτίον
Θεὶς. στένωπον, ἄθλιον εἰς τὴν οἰκίαν
Εἰλήφαμεν.

 Citat.

Is ibi mortuus eſt. *Ch.* Ejus nomen? *Cr.* Nomen tam cito tibi?
Phania.
Ch. Hem, perii. *Cr.* Verum hercle opinor fuiſſe Phaniam: hoc certo ſcio,
Rhamnuſium ſe ajebat eſſe. *Ch.* O Juppiter! *Cr.* Eadem haec, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere. *Ch.* Utinam id ſit, quod ſpero. eho, dic mihi,

Quid

DONATI.

25. NOMEN TAM CITO TIBI?] Non negantis eſt, ſed difficile ſe dicturum oſtendit. PHANIA] Hoc ita dicit Crito, ut nemo audiret: ſcilicet adhuc dubitans, an ipſe ſit.

26. HEM] Sunt qui putant, Simonem dicere, iraſcentem filio, Critonem ſubmonenti. PERII] Hoc Pamphilus poſt iracundiam patris. An Chremis eſt dolentis, vel ad ejus mentionem, vel quod in filiam pene peccarat? VERUM HERCLE OPINOR] Hoc adhuc cunctantèr eſt dictum: & ideo indiget confirmatione.

27. RHAMNUSIUM SE] Piraeeus & Rhamnus, & caetera hujuſcemodi, maritima Atticae oppida intelligenda ſunt. *Rhamnus*, pagus Atticae eſt.

28. MULTI ALII IN ANDRO] Hoc *teſtimonium caecum* dicitur. Teſtimoniorum enim modus duplex eſt: *manifeſtus* & *caecus*. *Manifeſtus* eſt, qui certos teſtes, & praeſentes habet. *Caecus*, in quo multitudinem, aut civitatem dicimus ſcire. ut [10] *Cicero, Teſtis eſt tota Sicilia*, quod tamen audientem conſternat. Eſt etiam in *caeco* jusjurandum, tabulae, abſenteſque perſonae.

29. CUJAM IGITUR?] Vetuſte, CUJAM. quod omnibus generibus & caſibus ſervit.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Cicero*] Memini me legiſſe in una Verrinarum.

COMMENTARIUS.

Citat Athenaeus Lib. VI. ἐκ τοῦ Πωλουμένου.

IBI EGO AUDIVI] *Id eſt, apud Chryſidis patrem.* Haec Boeclerus. Quia vero continuo ſequitur, IS IBI MORTUUS EST. h. e. apud patrem Chryſidis, malim prius illud IBI de *tempore* accipere, ut idem notet, quod *tum*. Sic mox verſu 27.

eadem haec, Chreme,
Multi alii in Andro tum *audivere.*

25. CH. EJUS NOMEN? CR. NOMEN TAM CITO TIBI? PHANIA] Sollicitat hanc diſtinctionem Guyetus, legitque ac diſtinguit, CH. *Ejus nomen.* CR. *Nomen? tam cito tibi. Phania.* Quae criſis neſcio quid ſibi velit. Primum enim niſi interroget Chremes, *Ejus nomen?* ſub. quodnam fuit, commodum ſenſum in hiſce verbis video nullum. Tum apparet, Critonem de *nomine* non cogitaſſe, niſi poſt aliquam moram. Unde & incipiens narrare dixerat; *Atticus quidam*, de *nomine* nondum ſollicitus. Certe ita cepit Donatus, qui ad verſum 40. ID QUAERO, inquit, *Rurſus Crito oblivioſus eſt, utpote alienarum rerum.* Fuerat igitur paullo ante etiam obliviosus in *nomine* Phaniae. Porro autem quam nulla elegantia eſt in illis, *tam cito sibi*, ſi ex mente Guyeti accipias? Demum meditabundum dixiſſe Critonem, & minime tam cito illud *Phania*, vel inde efficitur, quod mox amplius etiam cogitans dicit, *verum hercle opinor fuiſſe Phaniam*, neque adeo liquido, quam illa, quae ſequuntur, *hoc certo ſcio, Rhamnuſium ſe ajebat eſſe.* Maneat igitur, neque temere loco moveatur vetus diſtinctio.

30. CH.

Digitized by Google

Quid eam tum? ſuamne eſſe ajebat? *Cr.* Non. *Ch.* Cujam igitur? *Cr.* Fratris filiam.

Ch. Certe mea 'ſt. *Cr.* Quid ais? *Si.* Quid tu ais? *Pa.* Arrige aures, Pamphile.

Si. Quî credis? *Ch.* Phania ille, frater meus fuit. *Si.* Noram, & ſcio.

Ch. Is hinc, bellum fugiens, meque in Aſiam perſequens, proficiſcitur.

Tum

DONATI.

30. ARRIGE AURES, PAMPHILE] Tranſlatio a pecudibus. quibus verbis intendit, " accipiendam eſſe vocem. ARRIGE AURES, PAMPHILE] Hoc Simo videtur dicere. Ut alii putant, ipſe ſibi Pamphilus.

31. NORAM, ET SCIO] NORAM Phaniam, ſcio fratrem fuiſſe. Ergo & ad perſonam & ad rem retulit.

32. MEQUE IN ASIAM PERSEQUENS, PROFICISCITUR] Bene IN ASIAM, ubi bellum non erat, ſed in Graecia. Et PERSEQUENS dicit, perſeverationem ſequentis oſtendens. *Perſequitur* enim qui non deſinit ſequi. " *Virgilius*,

Quae ſe ſola, puer, multis e matribus, auſa
Perſequitur.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Accipiendam eſſe vocem*] An *arripiendam*?

12. *Virgilius*] Aeneid. IX. 217.

COMMENTARIUS.

30. CH. CERTE MEA 'ST. CR. QUID AIS? SI. QUID TU AIS? PA. ARRIGE AURES, PAMPHILE] Nonnihil obſcuri eſt in perſonis, neque id inſolens. Guyetus mallet ita. CH. *Certe mea 'ſt.* SI. *Quid ais?* CH. *Tu quid ais? arrige aures, Pamphile.* Exiſtimat enim, Simonem iracundum dixiſſe Chremeti, *Quid ais?* quaſi falſo ille dixiſſet: *Certe mea 'ſt*; mox Chremetem offenſum reſpondiſſe, *Tu quid ais?* h. e. quid tu contra dicis? Mihi aliter videtur. Quum enim Simo mox dicit, *noram & ſcio*, non potuit corripere Chremetem, & falſi incuſare. Eſto igitur ex Mſſ. & editorum varietate, hic ordo & ſenſus: CH. *Certe mea eſt.* CR. *Quid ais tu? quid ais? Arrige aures, Pamphile.* Certe enim in Critonem optime convenit illa interrogatio cum admiratione, unde & ingeminat illud, *quid ais tu? quid ais?* mox vero converſus ad Pamphilum, cui non minus, quam ipſi cupiebat Glycerio, *arrige*, inquit, *aures, Pamphile.* q. d. affulget tibi ſpes potiundae Glycerii.

ARRIGE AURES] Plaut. Rud. V. 2. 6.

Proh Di immortales! ſuo mihi hic ſermone arrexit aures.

Cicero Verr. I. 10. *Quo tempore igitur* aures *judex* erigeret, *animumque attenderet?* ſorte *arrigeret.* Virgil. Aeneid. I. 152.

ſilent, arrectiſque auribus *adſtant.*

Et Aeneid. II. 303.

arrectis auribus *adſto.*

Et Aen. IV. 183. de Fama:

Tot linguae, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.

Contra Horat. Serm. I. 9. 20.

Demitto auriculas, *ut iniquae mentis aſellus,*
Quum gravius dorſo ſubiit onus.

Uti vero beſtiae ſubito ſtrepitum audientes *arrigunt aures*, in metu *demittunt*, ita homo ad inexſpectatae rei nuncium itidem *arrigere*, ubi vel excidit ſpe, vel ſubito metu corripitur, *demittere* aures dicitur.

32. IS HINC, BELLUM FUGIENS] Leve eſt, quod moneo, nec tamen ad perſpicuitatem ſenſus omnino contemnendum, κόμματος ſignum me

Digitized by Google

Tum illam relinquere hic eſt veritus; poſtilla nunc primum audio,
[motus eſt metu,
Quid illo ſit factum. *Pa.* Vix ſum apud me, ita animus com-
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
Si. Nae iſtam multimodis tuam inveniri gaudeo. *Pa.* Credo, pater.
Ch.

D O N A T I.

34. VIX SUM APUD ME] Hoc eſt argumentum, ſapientibus laetitiam vehementem in bonis moderandam: cum unuſquiſque gaudens ita perturbetur, ut apud ſe ipſum jam non ſit. VIX SUM APUD ME] *Non ſum apud me*, magis conſuetudine quam ratione dicitur. Aut forte ſic dicit: quaſi abierit animus, & rurſus redierit. ITA ANIMUS COMMOTUS EST METU] Duo carnifices futurarum rerum ſunt, ſpes & metus. Dolor enim & gaudium, praeſentium rerum ſunt. [13] *Virgil.*

Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque: nec auras
Reſpiciunt.

Sed dolorem hic in laetitia non poſuit. Et mire ordinem ſervavit. ſic enim ſe haec invicem ſequuntur. Et ἀσυνδέτως diſtinguendum eſt, SPE, GAUDIO: ut ſeparatim inferantur.

35. MIRANDO] MIRANDO, dum miror. Et eſt participium.

36. NAE ISTAM MULTIS MODIS TUAM] Non, MULTIS MODIS INVENIRI GAUDEO: ſed, TUAM INVENIRI GAUDEO. Alii, MULTIS MODIS TUAM INVENIRI GAUDEO: non, INVENIRI GAUDEO. [14] Hic jam redit in gratiam Simo cum filio: niſi forte patrem ſocerum appellat. ut Turnus apud [15] *Virgilium*,

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus.

Sed quomodo infra dicit, *Quid reſtat, pater?* an *reſtat* ideo, quia haec jam major pars reconciliationis eſt? NAE ISTAM] NAE, nimis. [16] *Cicero, Nae iſti vehementer errant.* [17] *Salluſtius, Nae iſta nobis manſuetudo & miſericordia.* GAUDEO] *Gaudemus* noſtris: *gratulamur* alienis. Ut [18] *Salluſtius, Et ei voce magna vehementer gratulabantur.* CREDO, PATER] Incertum, utrum, cui gratulatur, Simo ſit, [19] quamvis Pamphilus reſpondeat. poteſt enim Chremes & pater videri. CREDO, PATER] Sic reſponderi ſolet dicenti, GAUDEO.

O B S E R V. I N D O N A T.

13. *Virgilius*] Aeneid. VI. 733.
14. *Hic jam redit*] Ut ſenſus conſtet, omnino legendum videtur: *Hic jam redit in gratiam Simo cum filio. Sed quomodo infra dicit,* QUID RESTAT, PATER? *An* RESTAT *ideo, quia haec jam major pars reconciliationis eſt?*
15. *Virgilium*] Aeneid. XII. 50.
16. *Cicero*] Catil. II. 1.
17. *Salluſtius*] B. Catil. 52.
18. *Salluſtius*] Locus incertus.
19. *Quamvis*] Lege nunc: *Quamvis Pamphilus reſpondeat. Niſi forte patrem ſocerum appellat. Poteſt enim Chremes & pater videri, ut Turnus apud Virgilium:* Aen. XII. 50.

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus.

C O M M E N T A R I U S.

me poſuiſſe poſt vocem HINC, contra quam fieri video in omnibus, quos magno numero vidi, editis libris. Ordo igitur eſt, *Is bellum fugiens, meque in Aſiam perſequens, hinc proficiſcitur.* Ita enim jungenda *hinc proficiſcitur*, uti mox *relinquere hic.*

33. POSTILLA] Veteres junctim *poſtilla* dixerunt, eodem ſenſu, quo *poſtea*. Plaut. Curc. IV. 2. 43.

Sed eum, qui mihi illam vendidit, nunquam [poſtilla *vidi.*

Et paſſim alibi.

34. QUID ILLO SIT FACTUM] Mſſ. quidam & editi: QUID DE ILLO SIT FACTUM. Cicero pro Cluent. 66. *Quid iſtis hominibus factum eſt, Stratone & Nicoſtrato? quaero abs te, Oppianico,* ſervo tuo Nicoſtrato quid factum eſſe *dicas?* Phorm. I 2. 87. Plaut. Epid. I. 2. 48.

Quid de illa fiet *fidicina igitur?*

Cic. Tuſc. I. 35. Pompejo *noſtro familiari, quum graviter aegrotaret Neapoli, melius* eſt factum.

36. NAE

Ch. At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat; qui me male habet.
Pa. Dignus es
Cum tua religione, odio. nodum in ſcirpo quaeris. *Cr.* Quid iſtuc eſt?
Ch. Nomen non convenit. *Cr.* Fuit hercle huic aliud parvae.
Ch. Quod, Crito?

Num-

DONATI.

37. AT MIHI UNUS SCRUPULUS ETIAM RESTAT] AT, diſcretivum eſt ſuperiorum dictorum. SCRUPULUS a *ſcrupo* lapide dictus, lapillus minimus. nam nimis moleſtae ſunt pedibus ſcrupuloſae viae. ut [20] *Virgilius*,

Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.

ETIAM] Pro adhuc.

38. DIGNUS ES CUM TUA RELIGIONE ODIUM] Aut accuſativus pro ablativo caſu eſt poſitus, pro odio. aut ſeparatim ODIUM legendum eſt, ut ſit, dignus qui male habearis. NODUM IN SCIRPO QUAERIS] *Scirpus*, paluſtris res, & leviſſima. *Lucilius* in primo, *Nodum in ſcirpo inſane facere vulgus.* Eſt autem *ſcirpus*, ſine nodo, & levis junci ſpecies. Alibi ipſe, *Reddunt curatura junceas.* [21] *Plautus*, *Scirpea inducitur ratis.*

OBSERV. IN DONAT.

20. *Virgilius*] Aeneid. VI. 238.

21. *Plautus*] Aul. IV. 1. 9. ubi nunc *induitur* legitur.

COMMENTARIUS.

36. NAE ISTAM MULTIMODIS] Editio anni 1469. SANE ISTAM MULTIS MODIS.

37. SCRUPULUS] Petrus Nannius Συμμίκτων I. 16. Donati interpretationem in dubium vocans *ſcrupulum* pro *ſcriptulo* accipit, vigeſima quarta parte unciae, ſeu Aſſis ducenteſima & octogeſima octava; ut ſenſus ſit, Chremetem agnoſcere, ſibi in examinanda filia pleno pondere ſatisfieri, niſi quod unus *ſcrupulus* deſit, nomen ſcilicet puellae non conveniens. Non videtur. Qui enim, quod deerat, reſtabat & male habebat? Tum vix Romanorum quiſpiam, nedum ſpectatorum de Nannii ſenſu cogitaſſet, opinor. Cicero Att. I. 18. *Domeſticarum quidem ſollicitudinum aculeos omnes, &* ſcrupulos *occultabo.* Et II. 4. *Nummi potius reddantur, quam ullus ſit* ſcrupulus. Plin. III. Epiſt. 17. *Exime hunc mihi* ſcrupulum, *cui par eſſe non poſſum.* Et VI. 8. *Exime hunc illi, exime hunc mihi* ſcrupulum.

DIGNUS ES CUM TUA RELIGIONE, ODIO] Integrum hunc verſum Guyetus expungi vult, tanquam ab interpolatore ortum. Verum quum & appoſite dicantur, & Latiniſſime, & jam Donati aetate lecta ſint, jure vindicantur Terentio, niſi quod Donatus legit ODIUM. Quod ſi admittas, ita diſtinxerim.

Dignus es cum tua religione. odium.

ut in primo ſit ἀποσιώπησις, & *odium* valeat *odioſe.* Plaut. Truc. II. 2. 65.

Sed eccum odium *progreditur meum.*

Curc. I. 3. 35.

Tun' etiam cum noctuinis oculis, odium *me vocas?*

Sic τὸ μῖσος. Niſi *dignus odium* ſcripſit Terentius, uti Phorm. III. 2. 34.

Di tibi omnes id, quod es dignus, *duint.*

Dixit vero *cum tua religione*; ſtilo Comico, pro, ob tuam religionem. Cicero Philipp. XIII. 18. *Conſervandus civis* cum *tam pio, juſtoque foedere.*

38. NODUM IN SCIRPO QUAERIS] Plaut. Menaechm. II. 1. 22.

In ſcirpo nodum quaeris.

Senſum optime expreſſit Fabrini, vertens: *Voi cercate il nodo nel giunco. Cioè, voi fate difficolta ne le coſe chiare.* Anteſignanus ubi vertiſſet, *Vous cherchez un noeud ſur un jonc*, in gloſſis addit: *vous faites difficulté, là où il n'en y a point.* Ennii fertur:

Quaerunt in ſcirpo, *ſoliti quod dicere* nodum.

41. EGO-

Digitized by Google

Numquid meminiſti? *Cr.* Id quaero. *Pa.* Egone hujus memoriam patiar meae
Voluptati obſtare, cum egomet poſſim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quaeris, Paſibula 'ſt. *Cr.* Ipſa 'ſt. *Ch.* Ea 'ſt.
Pa. Ex ipſa millies audivi. *Si.* Omneis nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo, credere. *Ch.* Ita me Dî ament, credo. *Pa.* Quid reſtat, pater?

Si.

DONATI.

40. ID QUAERO] Rurſus Crito obliviofus eſt, utpote alienarum rerum.

41. VOLUPTATI OBSTARE] Nunc laetitiae & gaudio.

42. HEUS CHREME] Heus dicendum erat, quia Chremes Critonem intuebatur.

43. EX IPSA MILLIES AUDIVI] Duas res oſtendit Pamphilus, & quod verum ſit quod ex ipſa ſaepe audierit, & quod ſit Glycerium. OMNES NOS GAUDERE HOC, CHREME] Aut HOC correpte, aut HOC producte: ut ſit, hac re gaudere. Et GAUDERE, noſtris eſt, ut ſupra adnotavimus: alienis vero, *gratulari.* [22] *Salluſtius, Et ei voce magna vehementer gratulabantur.* Plus eſt ergo gaudere, quam laetari.

44. QUID RESTAT, PATER?] Hoc eſt, ne iraſcaris.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Salluſtius*] Locus incertus.

COMMENTARIUS.

41. EGOMET] Revocavi vocem ex MSſ. nonnullis & editionibus antiquiſſimis, adprobante etiam Rivio. vulgo, EGO.

45. JAM DUDUM] Non notatur tempus, ſed modus rei, valetque, ſatis ſuperque. Sic Eun. III. 1: 57.

> *Quando illud, quod tu das, exſpectat, atque amat,*
> Jam dudum *te amat:* jam dudum *illi facile fit,*
> *Quod doleat.*

RES REDUXIT ME IPSA IN GRATIAM] Nimis ingenioſus eſt Guyetus, ſubſtituens, *Jam dudum res reduxit te in gratiam.* Scilicet quia filii eſt *in gratiam* patris *reduci*, non patria in gratiam filii. Poterat addidiſſe, filium excidiſſe gratia patris; atque ipſum proprie in illam *reduci* debuiſſe. Si vero uſum conſulas, res aliter ſeſe habet. Qui prior ſuccenſuerat amico, *reduci* vel *redire* in gratiam dicitur, quod idem eſt. Vide Guidonem Juvenalem ad h. l.

46. DE UXORE, ITA UT POSSEDI, NIHIL MUTAT CHREMES] Diſtinxi cum Anteſignano & Pareo poſt τὸ UXORE, ut pateat, abſolute dici, DE UXORE, pro, quod ad uxorem attinet. Et eſt ἔλλειψις verborum, *quin porro poſſideam.* Videtur autem reſpicere verba Edicti Praetorii: UTI POSSIDETIS, ITA POSSIDEATIS. Praeſtat autem haec verba accipere tanquam Pamphili exſultantis, non alloquentis Chremetem. Unde fruſtra eſt Guyetus, legens, NIHIL MUTAS, CHREME.

CAUSA OPTUMA 'ST] Sic ſolebant εὐφημοῦντες, quoties *nullum* vel *nihil* dicere recuſarent. Plaut. Aul. II. 2. 83.

> *ſed nuptias*
> *Hodie quin faciamus, num quae* cauſa eſt?
> Eu. *Immo aedepol* optima.

reſpondendum enim erat, *nulla.*

47. NISI QUID PATER AIT ALIUD] MSſ. quidam, NISI QUID PATER ALIUD. Cicero Att. XVI. 11. *Niſi quid tu aliud.* Et Tuſc. I. 17. *Quam*

Digitized by Google

Si. Jamdudum res reduxit me ipſa in gratiam. *Pa.* O lepidum patrem!
De uxore, ita ut poſſedi, nihil mutat Chremes. *Ch.* Cauſa optuma 'ſt,
Niſi quid pater ait aliud. *Pa.* Nempe. *Si.* Id ſcilicet. *Ch.* Dos, Pamphile, eſt
Decem talenta. *Pa.* Accipio. *Ch.* Propero ad filiam. eho mecum, [Crito:
Nam

DONATI.

45. O LEPIDUM PATREM!] In quo leporis eſt plurimum, *lepidus* dicitur. Nam *lepos* eſt venuſtas.

47. NEMPE, SCILICET] NEMPE & SCILICET dicentes, manu vel vultu dotem ſignificant. quod mox intelligit Chremes. Alii ἀπὸ τοῦ SCILICET, Chremetis perſonam faciunt. DOS PAMPHILE EST] Id eſt, Pamphilo pro uxore dabuntur decem talenta.

48. ACCIPIO] Ille niſi dixiſſet, ACCIPIO, dos non eſſet, datio enim ab acceptione confirmatur: nec poteſt videri datum id, quod non ſit acceptum. EHO] [21] EHO hic admiratio eſt intentionis, ad id quod dicturi ſumus.

OBSERV. IN DONAT.

21. EHO *hic admiratio eſt intentionis*] Lege: *Admonitio eſt attentionis.*

COMMENTARIUS.

Quam (rationem immortalitatis) niſi quid dicis, *praetermittamus, & hanc totam ſpem immortalitatis relinquamus.* Et cap. 23. *Niſi quid habes ad haec.* Et Tuſc. III. 4. Niſi quid aliud *tibi videtur.*

S. ID SCILICET] Haec dicentem Simonem Guyetus vult ſacculum nummis plenum oſtendiſſe, q. d. *id ſcilicet*, ſub. volo, i. e. nummos volo. Anſam cogitandi dedit Donatus, cujus haec ſunt verba: NEMPE & SCILICET *dicentes* (intelligit Pamphilum & Simonem) *manu vel vultu dotem ſignificant. quod mox intelligit Chremes.* Mihi contra videtur. Scilicet ubi Chremes dixiſſet: CAUSA OPTIMA 'ST: NISI QUID PATER AIT ALIUD, Pamphilus agnoſcit legem, & patris in ſe imperium, dicens, NEMPE, q. d. ita eſt. Exſpectabatur igitur, quid Simo pater reſponſurus eſſet, &, velletne idem, an ALIUD. Hic vero Chremetem facilem videns, & ipſe facilis eſt, dicitque, ID SCILICET, ſub. volo, non aliud. q. d. ſi vobis ſatis placet conditio, placet & mihi. Neque, niſi hic verborum Simonis ſenſus ſit, video, quî Pamphilus ad mentionem dotis reſpondere potuerit, ACCIPIO, non prius conſulto patre. Quid enim in *dotem* conſentiret, cui de ſponſa & patris voluntate nondum exploratum erat? ſi vero *dotem* moratus eſſet Simo, ipſe ad mentionem ejus non tacuiſſet. Satis vero habebat, Glycerium civem inventam & Chremetis eſſe filiam. Porro, niſi verba haec, ID SCILICET, conſenſum patris exprimunt, eum fruſtra in tota Scena quaeras, & Poëtam neglecti artificii reum facias.

DOS, PAMPHILE, EST DECEM TALENTA] Hanc lectionem ridiculam dicit Guyetus, & minime ferendam, praefertque illam: DOS PAMPHILO DECEM TALENTA, ſub. *ſunt* vel *erunt.* Et ſane Donatus videtur legiſſe, DOS PAMPHILI EST DECEM TALENTA, quae quum per ſe eſſent ſatis clara, adſcripſit tamen, *Pamphilo pro uxore dabuntur decem talenta.* Habet vero majorem *ἐνέργειαν*, ſi Chremes ipſum Pamphilum futurum generum alloquatur; & magis convenit reſponſum Pamphili, ACCIPIO. Quod Donatus ex JCtorum formulis explicat. Vid. Paul. L. 10. de Donat. Tum, quî minus dixerit Terentius, *decem talenta eſt dos*, quam ſupra III. 3. 23. *irae amantium eſt integratio amoris.* Si id minus placet, liceat ſuſpicari, natam lectionem τοῦ EST ex compendio *ſt*, id eſt, *ſunt*; qui facilis Librariorum error fuit. Quum vero ta-

Nam illam me credo haud noſſe. *Si.* Cur non illam huc tranſ-
ferri jubes?
Pa. Recte admones. Davo ego iſtuc dedam jam negoti. *Si.* Non
poteſt.
Pa. Quî non poteſt? *Si.* Quia habet aliud magis ex ſeſe, & majus.
Pa. Quidnam? *Si.* Vinctus eſt.
Pa. Pater, non recte vinctus eſt. *Si.* Haud ita juſſi. *Pa.* Jube ſolvi,
obſecro.
Si. Age fiat. *Pa.* At matura. *Si.* Eo intro. *Pa.* O fauſtum &
felicem hunc diem!

DONATI.

50. DEDAM JAM] Addidit & temporis celeritatem.

51. QUÎ?] Quamobrem.

52. NON RECTE VINCTUS EST] Id eſt, *non juſte.* Sed hic ad cauſam retulit, NON RECTE: ſenex vero, ad rem retulit. HAUD ITA JUSSI] Quia quadrupedem conſtringi juſſerat, quaſi recte ac diligenter. Et hoc ipſum non vacat. nam jam jlocaliter loqui, & minus iraſcentis eſt, & placabilis animi. HAUD ITA JUSSI] Eleganter luſit ad ἀμφιβολίαν, & ſimul oſtendit, quam propitius ſit Pamphilo pater, & quam facile veniam Davo impetrare poſſit ab eo: quippe qui jam etiam jocetur. Pamphilus autem dixerat non juſte: ille ſic reſpondit, quaſi dixerit, non diligenter vinctus eſt. Et HAUD ITA JUSSI: ſic enim praeceperat, *Quadrupedem conſtringito.*

COMMENTARIUS.

lentum contineret ſexaginta minas, ſeu argenti libras, quarum ſingulae erant ſex mille drachmarum, videtur haec dos de *dote ſumma* intelligenda, de qua ſupra I. 1. 74.

51. QUI NON POTEST?] Revocavi lectionem ex octo Mſſ. Bodlejano, Trajectino, Markiano & Leidenſibus quinque. Atque ita inveni expreſſum in editione anni 1469. Veneta 1490. Juntina 1505. Lugdunenſi 1511. aliis. ſed & ita ex V.C. & Reg. exempl. Lindenbruchius citat. Vulgo, QUI?

52. NON RECTE VINCTUS EST] Ex ambiguo ſenſu τῦ RECTE integri verſus perſpicuitas pendet. Vide Donatum. Boecleri expoſitio aliena videtur, cui NON RECTE valet, *non vere, non ſerio*, quaſi Pamphilus non crediderit patri, Davum eſſe vinctum. Idem HAUD ITA JUSSI exponit, *haud juſſi, ut parum ſerio vinciretur.*

ACTUS

ACTUS QUINTI
SCENA QUINTA.

CHARINUS. PAMPHILUS.

Ch. PRoviso quid agat Pamphilus: atque eccum. *Pa.* Aliquis forſan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc ſic eſſe hoc verum lubet.
Ego Deorum vitam propterea ſempiternam eſſe arbitror,
Quod voluptates eorum propriae ſunt: nam mihi immortalitas
Parta

DONATI.

PRoviso quid agat Pamphilus] *Haec Scena alterum generum Chremeti comparat: ne aut Charinus triſtis recedat, aut non proviſum videretur Philumenae.*

1. Proviso quid agat] Hoc colloquium post compendium fabulae inducitur: ut una narratione etiam negotium Charini tranſigi poſſit. Proviso quid agat] Dupliciter res ab oculis ſpectatorum moventur: aut enim futura promittuntur, aut facta narrantur. Proviso, duo ſignificat: & provideo & procedo.

2. At mihi nunc sic esse hoc verum lubet] Sic delicate pronuntiandum eſt, & ſeparatim diſtinguendum. At mihi nunc sic esse hoc verum lubet] Senſus hic eſt, alii putent, ut volunt: ego autem verum eſſe confirmo, quod mihi lubet verum credere.

3. Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror] Omne quod habemus, aut mutuum eſt, aut proprium. *Mutuum* eſt quicquid ad tempus habemus, nec poſtmodum noſtrum futurum eſt, ut uxor, domus, villa, ſervi, & caetera in hunc modum: *Proprium*, ut virtus animi, & bonum ſempiternum. quod proprie de Diis dicitur. non enim aliunde venerunt, ſed apud ſe ipſos ſunt ſemper. Et Epicurum ſecutus hoc dixit. Proprie ergo de Diis *ſempiternum* dicitur. Nam inter *ſempiternum* & *perpetuum* hoc intereſt: quod *ſempiternum* ad Deos, *perpetuum* proprie ad homines pertinet. Ego Deorum vitam propterea] Hanc ſententiam totam *Menandri* de Eunucho tranſtulit. Et hoc eſt quod dicitur, *Contaminari non decere fabulas* Ego Deorum vitam] Non dixit, quod ſcit: ſed quod verum putet. Et eſt δόγμα Ἐπικούρειον, quod a caeteris Philoſophis repudiatur, de otio Deorum ac perenni voluptate.

4. Propriae sunt] Perpetuae, ſempiternae, quae non ſunt accommodatae ad tempus, ae mutuae. ſic & ſupra, *Nihilne eſſe proprium cuiquam.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Poſt compendium*] Lege & h. l. & mox V. 6. 1. *per compendium.* Vid. Petr. Diac. de Notis Literarum. Idem vidit Boeclerus. Adde Donatum ad V. 6. 5. & 8.

COMMENTARIUS.

2. Nunc] Omne laetitiae πάθος eſt in hac voce. Sic Eun. III. 5. 3.
Nunc *eſt profecto, interfici quum perpeti me* [*poſſum.*

4. Voluptates eorum propriae] Videtur Ἐπικουρίζειν. Nam] Tranſeundi vim habet. quod non animadvertit Guyetus.

Mihi immortalitas parta 'st] Summae felicitatis expreſſio. quales illae, Heaut. IV. 3. 15. Hec. V. 4. 3. Deus ſum, *ſi hoc ita eſt.* Plaut. Mercat. III. 4. 28.
ſalvos ſum: immortalitas
Mihi data eſt.

Parta 'ſt, ſi nulla aegritudo huic gaudio interceſſerit.
Sed quem ego mihi potiſſimum optem nunc, cui haec narrem, dari?
Ch. Quid illud gaudii eſt? *Pa.* Davom video. nemo 'ſt, quem mallem, omnium.
Nam hunc ſcio mea ſolide ſolum gaviſurum gaudia.

D O N A T I.

5. SI NULLA AEGRITUDO HUIC GAUDIO INTERCESSERIT] Scilicet ſecundum ſupradictam ſententiam, Si propria, inquit, haec fuerit voluptas, Deus ſum.

7. QUID ILLUD GAUDII EST?] In aliis, Davi perſona inſertur.

8. NAM HUNC SCIO MEA SOLIDE SOLUM GAVISURUM GAUDIA] Ἀρχαϊσμός. SOLIDE SOLUM] Figura παρόμοιον.

C O M M E N T A R I U S.

Propert. II. 14. 9.

Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
Immortalis ero, *ſi altera talis erit.*

Ovid. Amor. II. 9. 25.

Vive, Deus, poſito, ſi quis mihi dicat, amore;
Deprecer. uſque adeo dulce puella malum eſt.

Juſtin. V. 4. de Alcibiade: *Ipſos illi Deos gratulantes tulere obviam, quorum exſecrationibus erat devotus. Et cui paullo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, ſi queant, in coelo poſuiſſe cupiunt.* Leidenſium Mſſ. unus: MIHI IMMORTALITAS ORTA.

5. SI NULLA AEGRITUDO HUIC GAUDIO INTERCESSERIT] Eam rem varie expreſſerunt. Eun. III. 5. 4.

Ne hoc gaudium contaminet *vita* aegritudine *aliqua.*

Heaut. II. 4. 15.

Ut nunquam ulla amori *veſtro* incidere *poſſit* calamitas.

Et IV. 3. 1.

Nulla mihi res poſthac poteſt jam intervenire tanta,
Quae mihi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia oborta eſt.

Plaut. Amph. II. 2. 5.

Ita Diis eſt placitum, voluptatem ut moeror comes conſequatur.
Quin incommodi plus malique illico adſit, boni ſi obtigit quid.

Veriſſime Antiphanes vetus Comicus:

εἰ γὰρ ἡδοναὶ
Οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐμπορεύονται, ἀλλ᾽ ἀκολυθῶσ᾽ αὐτῆς
Λύπαι καὶ πόνοι.

Apulej. Florid. IV. *Verum verbum eſt profecto, quod ajunt; nihil quidquam homini tam proſperum datum divinitus, quin ei tamen admixtum ſit aliquid difficultatis; ut etiam in ampliſſima quaque laetitia ſubſit quaepiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis & fellis. ubi uber, ibi tuber.* Phaed. IV. 16. 9.

Parte gaudere oportet, & ſenſim queri,
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

Plin. Paneg. 69. *Sollicitudini pudorique candidatorum ita conſuluiſti, ne ullius gaudium alterius triſtitia turbaret.* Videtur autem INTERCEDENDI verbum a Tribunis plebis petitum, qui *intercedendo* vetabant SCtum fieri. Unde *intercedere* eſt impedire, turbare.

8. MEA SOLIDE GAVISURUM GAUDIA] Cicero de Amic. 6 *Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberet, qui illis aeque, ac tu ipſe, gauderet?* dixit autem, SOLIDE GAVISURUM, uti ſupra IV. 1. 23.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA SEXTA.

Davus. Pamphilus. Charinus.

Da. Pamphilus ubinam hic eſt? *Pa.* Dave. *Da.* Quis homo 'ſt? *Pa.* Ego ſum. *Da.* O Pamphile.
Pa. Neſcis quid mihi obtigerit. *Da.* Certe: ſed quid mihi obtigerit, ſcio.
Pa. Et quidem ego. *Da.* More hominum evenit, ut quod ſim [nactus mali,
Prius reſciſceres tu, quam ego illud, quod tibi evenit boni.

Pa.

DONATI.

PAMPHILUS UBINAM HIC EST?] *In hoc Actu mira arte ea quae reſtant de Comoedia breviter explicantur, & deſignantur* ' *duorum ſociorum binae nuptiae.*

1. PAMPHILUS UBINAM HIC EST? P. DAVE. D. QUISNAM HOMO 'ST?] In affectu gaudentis Pamphili, & Davi gratulatione, cognitionem rerum Charino praebuit: cujus perſona parce utitur poſt compendium.

2. SED QUID MIHI CONTIGERIT, SCIO] Scio, id eſt, perſenſi.

3. MORE HOMINUM] HOMINUM abundat. MORE HOMINUM EVENIT, UT ID QUOD SIM NACTUS MALI] Quia fama mali celerior, quam boni: id eſt, ut facilius mala, quam bona nuntientur. Ad hoc ergo dixit, quod ille prior ſcierit quod eſſet vinctus, quam ipſe cognitam Glycerium cognoſceret.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Duorum ſociorum*] Conſtans, quod ſciam, Librorum lectio. Lindenbruchius tamen aliique, *duarum ſororum.* Intellige Paſibulam, quae eadem cum Glycerio, & Philumenam, filias Chremetis. An quod parum commode ſocii vocantur Pamphilus & Charinus rivales? Atqui non erant hi rivales. Vide ſupra II. 1. 33. ſeqq. Legerim igitur, *duorum procorum.*

COMMENTARIUS.

Haec Scena in Mſſ. quibuſdam additur ſuperiori. cui & DAVI nomen praefigunt. Editiones vetuſtiſſimae ſeparant, paucis exceptis. variant Aldinae.

1. PAMPHILUS UBINAM HIC EST?] Haec circumſpectans loquitur Davus. neque adeo opus, cum Guyeto ita ordinare perſonas: DA. *Pamphilus ubinam?* PA. *Hic eſt, Dave.* DA. *Quis homo 'ſt?* Janus Rutgerſius Var. Lect. V. 19. locutionem hanc delicias vocat Romani ſermonis, ab omnium gratiarum & leporum fonte Homero derivatas. Vide locum. Et ſupra III. 5. 1.

3. MORE HOMINUM EVENIT] Ut fit, ut fieri aſſolet. Plaut. Aul. II. 2. 68.

> *Quia videt, me ſuam amicitiam velle*, more hominum *facit.*

Trin. IV. 3. 26.

> *Ambitio jam* more *ſancta 'ſt. libera eſt a legibus.*
> *Scuta jacere, fugereque hoſtes*, more *habent licentiam.*

Stich. V. 1. 1.

> More hoc fit, *atque ſtulte, mea ſententia:*
> *Si quem hominem exſpectant, eum ſolent proviſere;*
> *Qui hercle illa cauſa nihil ocyus venit.*

QUOD SIM NACTUS MALI] Sic Phorm. III. 3. 10. Nepos Att. 21. Nactus eſt morbum, *quem initio & ipſe & medici contemſerant.* Gell. I. 24. Dicimur autem proprie *nanciſci* res bonas & laetas.

5. O

Pa. Mea Glycerium ſuos parentes repperit. *Da.* O factum bene!
Ch. Hem!
Pa. Pater amicus ſummus nobis. *Da.* Quis? *Pa.* Chremes.
Da. Narras probe. [ſomniat
Pa. Nec mora ulla 'ſt, quin eam uxorem ducam. *Ch.* Num ille
Ea, quae vigilans voluit? *Pa.* Tum de puero, Dave? *Da.* Ah, deſine.
Solus eſt, quem diligunt Dî. *Ch.* Salvos ſum, ſi haec vera ſunt.

Con-

D O N A T I.

5. Mea Glycerium suos parentes repperit] Haec ita narrantur Davo, ut eadem opera etiam Charinus audiat.

6. Pater amicus summus] Haec omnia, ut diximus, propter Charinum dicuntur, ut audiat. Amicus summus] Deeſt *ejus*.

7. Num ille somniat ea, quae vigilans voluit?] Hinc [1] *Virgilius*,

Credimus? an, qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.

8. Desine] Compendium attulit.

O B S E R V. I N D O N A T.

1. *Virgilius*] Eclog. VIII. 108.

C O M M E N T A R I U S.

5. O factum bene!] Formula approbantis & gratulantis. Sic verſu 11. & Eun. V. 9. 7. Pro eo & *ô bene* dicebant. Martial. VII. 15. 3.

O bene, *quod ſilva colitur Tirynthius iſta.*

ὡς ἐυτυχῶς, ὅτι.

6. Narras probe] Itidem formula approbandi. Eun. V. 3. 7. Hec. IV. 4 20.

7. Quin eam uxorem ducam] Mſſ. quidam, quin jam uxorem ducam. quam lectionem probat Georg. Fabritius.

Num ille somniat ea, quae vigilans voluit?] De ſomniis & ſomniorum varia ratione multa paſſim collegit Cael. Rhodiginus. Vide & Virg. Ecl. VIII. 108. Cicero Somn. I. *Fit enim fere, ut cogitationes ſermoneſque noſtri pariant aliquid* in ſomno *tale, quale de Homero ſcribit Ennius, de quo videlicet ſaepiſſime* vigilans *ſolebat cogitare & loqui.* Ennius:

Quae in vita uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quaeque agunt vigilantes, *agitantque, ea ſi cui in* ſomno *accidunt,*
Minus mirum eſt.

Lucret. Lib. IV. 959.

Et cui quiſque fere ſtudio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis Mens,
In ſomnis eadem plerumque videmur obire.

Claudianus, Praefat. in VI. Conſ. Honor.

Omnia quae ſenſu *volvuntur vota* diurno,
Pectore ſopito *reddit amica quies.*

Unde Phaedria Thaidi, Eun. I. 2. 113.

Dies noctesque me ames, me deſideres,
Me ſomnies, me exſpectes, de me cogites.

P. Syrus: *Amans quod ſuſpicatur* vigilans, ſomniat.

8. Tum de puero?] Sub. *quid fiet?* q. d. agniturusne eum pater & paſſurus tolli pro nepote? poterat ſcilicet incerto patre natus videri Simoni. Unde Myrrhina de clandeſtino filiae partu, Hec. IV. 1. 55.

9. Solus est, quem diligunt Di] Mſ. Mark. & quaedam editiones vetuſtae, solus es. q. d. Tu, qui ita fortunatus es, quid ita ſollicitus es de puero nato? etiam hanc veniam tibi dabunt pater & Chremes.

10. Conloquar] Quidam Mſſ. & editi vetuſtiſſimi, Adibo & colloquar. Mſ. Bodl. Adibo. colloquar.

11. Me in tuis secundis respice] Eodem fere

Conloquar. *Pa.* Quis homo 'ſt? o Charine, in tempore ipſo mihi advenis.
Ch. Bene factum. *Pa.* Audiſtin'? *Ch.* Omnia. age, me in tuis ſecundis reſpice.
Tuus eſt nunc Chremes: facturum quae voles, ſcio eſſe omnia.
Pa. Memini. atque adeo longum eſt nos illum expectare, dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. tu Dave, abi domum:

Pro-

DONATI.

11. BENE FACTUM] A gratulatione coepit. OMNIA] Compendium. AGE, ME IN TUIS SECUNDIS RESPICE] Haec ſunt quae abſolute dicuntur: & eſt commonitio. Sunt enim qui felicitate elati, ne reſpicere quidem velint amicos. Et *reſpicere*, eſt proprie retro aſpicere. Id eſt, quem praecedis felicitate, non obliviſcaris.

12. TUUS EST NUNC CHREMES] *Lucilius* [2] in ſecundo, *Nunc praetor tuus eſt, meu' ſi diſceſſerit horno Gentilis.*

13. ATQUE ADEO LONGUM EST NOS ILLUM EXPECTARE] Quia & audacter & artificioſe binos amores duorum adoleſcentium, & binas nuptias in una fabula machinatus eſt: & id extra praeſcriptum *Menandri*, cujus Comoediam transferebat: idcirco aliud in proſcenio, aliud poſt ſcenam retulit: ne vel juſto longior fieret, vel in eandem propter rerum ſimilitudinem cogerentur.

14. SEQUERE HAC ME INTUS: AD GLYCERIUM] Jam poſt ſcenam itur: quia ulterius in proſcenio nihil agitur. TU DAVE, ABI DOMUM] Hi verſus, uſque ad illum, GNATAM TIBI MEAM PHILUMENAM UXOREM, negantur *Terentii* eſſe: adeo ut in pluribus exemplaribus bonis non [3] inferantur.

OBSERV. IN DONAT.

2. *In ſecundo*] Mſſ. Hulſt. & Lindenbr. *in ſeptimo*.

3. *Inferantur*] Mſ. Hulſt. *ferantur*. rectius. niſi mavis, *non inveniantur*. Abr. Wielingius ex conjectura legit, *non inſerantur*. Citat autem hos verſus Guyetus ex quibuſdam exemplaribus ſibi viſis. In Mſſ. decem, quorum varias lectiones exhibeo, non reperiuntur, neque in quoquam impreſſorum codicum, quibus quidem mihi uti contigit. Licet autem & Donati & Eugraphii judicio ſpurii ſint hi verſus numero ſeptemdecim, quia tamen jam tantae ſunt antiquitatis, lubet eos adſcribere, ut, quiſquis tandem illorum auctor ſit, quid de Charini nuptiis ſcripſerit, Lectori manifeſtum fiat. Ita igitur eos exhibet Guyetus:

P. Te exſpectabam. eſt de tua re, quod agere ego tecum volo.
Dedi operam, ne me eſſe oblitum dicas tuae gnatae alterae.

Tibi

COMMENTARIUS.

fere modo Joſephus ad Pincernam Pharaonis, Geneſ. XL. 14. Et Latro ad Servatorem Luc. XXIII. 42. Sophocles Oedip. Colon. 1549.

Εὐδαίμονες γένοισθε κἀπ' ἐυπραξίᾳ
Μέμνησθέ μου θανόντος, εὐτυχεῖς ἀεί.

Vide porro ſupra ad IV. 1. 18.

12. TUUS EST NUNC CHREMES] Tibi faventiſſimus. Eun. II. 2. 39. & V. 9. 10. Cicero ad Q. Fr. II. 1. *Plancius totus* noſter eſt. Ariſtoph. Irene, 649.

Οὐ γὰρ ἡμέτερός τις ἔτ' ἔσ' ἐκεῖνος ἀνὴρ, ἀλλὰ σός.

Phorm. IV. 1. 21. Plaut. Mil. III. 1. 21.

Quis homo ſit *magis* meus, *quam tu es*?

Poen. V. 3. 39.

Mi patrue, ſalve; nam nunc es *plane* meus.

Suet. Galb. 20. *Sunt, qui tradant, ad primum tumultum proclamaſſe eum: Quid agitis, commilitones? Ego* veſter ſum, *&* *vos mei.*

13. DUM EXEAT] Chremes enim cum Critone intraverat in aedes Glycerii. Supra V. 4. 48.

14. SEQUERE HAC ME INTUS AD GLYCERIUM NUNC] Haec varie leguntur. Plurimi libri, cum

ſcripti

Propere arceſſe, hinc qui auferant eam. quid ſtas? quid ceſſas?
Da. Eo.
Ne expectetis, dum exeant huc: intus deſpondebitur;

Intus

DONATI.

16. Ne expectetis] Mire dicit, latenter ſe laudans: quo verbo avidum adhuc audiendi populum, adeoque cupidum & intentum oſtendit, ut finem Comoediae eveniſſe non ſenſerit.

OBSERV. IN DONAT.

Tibi me opinor reperiſſe dignum te atque illa virum.
Cha. *Dave, ah perii. de meo amore ac vita nunc ſors tollitur.*
Chr. *Non nova iſtaec mihi conditio eſt, ſi voluiſſem, Pamphile.*
Ch. *Occidi, Dave perii.* Chr. *Sed id quamobrem non volui, eloquar.*
Non idcirco, quod eum affinem mihi nollem. P. *Hem, tace.*
Chr. *Sed amicitia noſtra, quae eſt a patribus noſtris tradita,*
Non aliquam partem ſtudii adductam tradi liberis,
Nunc cum copia atque fortuna utrique ut obſequeretur, dedit, detur. P. *Bene*
Factum: abi, atque ago gratias homini. Cha. *Salves Chremes amicorum*
Meorum omnium mihi agiſſime, quod mihi commodum eſt, gaudeo,
Quam id, quod a te expeto, me reperiſſe, ut habitus antehac fui
Tibi animum, quo adeumque applicaris ſtudium exinde ut eris,
Tute exiſtimaveris id ita eſſe facere ex me conjecturam ex me licet.
Alienus abs te tamen quis tu eſſes, noveras, ita res eſt. Chr. *Gnatam tibi meam*
Philomelam uxorem, & datis ſex talenta ſpondeo.

Verba intricata & abſurda, ne dicam barbara, & quibus intelligendis Oedipo opus ſit conjectore, qui Sphingi interpres fuit. Quum igitur nihil minus quam Terentianum ſtilum ſapiant, in iis reſtituendis & emaculandis fruſtra quis operam poſuerit.

COMMENTARIUS.

ſcripti tum impreſſi: Sequere hac me. intus apud Glycerium nunc est. Alii, sequere hac me intus. Apud Glycerium nunc est. Quam lectionem ſi admittas, ſynchyſis verborum erit. Ubi enim dixerat Pamphilus: *longum eſt, nos illum* (Chremetem) *exſpectare dum exeat,* continuo addere debuerat, *intus apud Glycerium nunc eſt*, tum Charino, *ſequere hac me.* Quia vero Pamphilus nuſquam niſi ad Glycerium ire videtur, potior eſt lectio, quam exhibui. neque ea Mſſ. neque probis editionibus caret.

15. Propere arcesse] Ita Mſſ. Lugdunenſes omnes, & Bodl. Atque ita ex veteribus Codicibus legebant Guyetus, Fr. Fabritius, Lindenbruchius. Vulgo, propera, arcesse. Sed praeterquam quod Terentianum eſt, *abi propere, propere curre*, non dixiſſet ille, *propera, arceſſe, hinc qui auferant eam*, ſed ita, *arceſſe, hinc qui auferant eam, propera. quid ſtas? quid ceſſas?* Sic Heaut. II. 3. 8.

Auferant] Non putem h. l. reſpici ad raptum Sabinarum, qui quod olim feliciter ceſſerat Romulo, poſtea novae nuptae ex gremio vel matris, vel proximae cognatae rapiebantur, domum ducendae. Scilicet *auferenda* & traducenda non per Pamphilum, ſed per ſervos ancillaſve erat puerpera, ex recenti partu laborans.

16. Exeant] Mſſ. quidam exeat. Ita & nonnullae editorum veterum. quando Pamphilus ſolus intelligitur.

Despondebitur] Quidam Mſſ. & editio anni 1469. desponsabitur.

17. Si quid est, quod restet] Vel hinc conficitur verſus ſeptemdecim, quos ex Guyeto exhibui, eſſe ſuppoſititios. quomodo & Donato eſſe viſos, ex iis, quae ad haec verba notavit, cuivis patet.

Ω Plaudite] Non una eruditorum hominum de hac nota (Ω) eſt ſententia. Petitus ex duplici ωω, id eſt, ὁ ὄχλος, turba, caterva, quod in Graecis Comoediis fuerit appoſitum, τὸ ω natum eſſe autumat. Boeclerus uti non negat, τὸ plaudite a toto hiſtrionum grege fuiſſe acclamatum, ita contendit, antiquitus non Ω, quod Faërnus reperiſſe ſe in Codicibus vetuſtiſſimis ſcribit, ſed G ſcriptum fuiſſe, quo Grex fuerit notatus. Eugraphius medii aevi Grammaticus Calliopium facit recitatorem τοῦ plaudite. Hic vero nec egit Comoediam,

nec

Digitized by Google

Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtet. Ω Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

DONATI.

57. INTUS TRANSIGATUR, SI QUID EST, QUOD RESTET] Artificioſe Poëta hereditatis juſtam petitionem ex Critonis perſona praetermiſit, quae ei Glycerio cognita jure tribuebatur: ne vel parvo rei Critonis tractatu, aut defraudatione Glycerii infuſcaretur finis fabulae, ad laetum exitum ſpectans. SI QUID EST, QUOD RASTET] Quia narratione dignum non eſt, quod Charinus rogat.

⁴ AELII DONATI V. C. *Oratoris Urbis Romae*, *Comment. in* TERANTI ANDRIAM *explicit.*

OBSERV. IN DONAT.

4. AELII DONATI] Mſ. Huiſt. DONATI IN ANDRIAM COMMENTUM EXPLICIT FELICITER. In aliis varie. Quod autem ſcribit Hieronymus ad Marcellam, Epiſt. CXXXVIII. *Scire debemus, apud Hebraeos in fine Librorum unum e tribus ſolere ſubnecti, ut aut* Amen *ſcribant*, *aut* Sela, *aut* Salom, *quod exprimit pacem, unde & Salomon pacificus dicitur: ut ſolemus nos completis opuſculis ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere* Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid iſtiuſmodi*; id infinitis exemplis confirmatur. Ut autem de aliis taceam, eſt in fine unius Codicis Mſ. Lugduno-Batavi, P. TERENTII AFRI COMOEDIA PHORMIO CALLIOPIO BONO SCOLASTICO EXPLICIT FELICITER. Alius additum habet: *Calliopius recenſui*. P. TERENTII AFRI *Comoedia Phormionis Explicit. Amen.* Rurſus alius: *Finito Libro ſit laus & gloria Chriſto.* Mſ. autem Bodl. praeter EXPLICIT nihil ſubjungit, idque ter. ſcilicet: *Publii Terentii Afri Eunuchus explicit.* Rurſus, *Terentii Afri* ADELPHOI *explicit.* Tum, *Terentii Afri explicit Hecyra.* De cujus vocis origine civium meorum facile Princeps, Vir Clariſſimus, Everardus Otto in Diatriba de Papiniano, cap. XII. §. 6. *Locutio*, inquit, *deſumta eſt a vetuſto voluminum evolvendorum more: quae demtis loris, umbiſque relaxatis* explicabantur, *adeoque lectoribus ad finem uſque patebant. Martialis lib. XI. Epigr.* 108.

Explicitum nobis uſque ad ſua cornua librum,
Et quaſi perlectum, Septiciane, refers.

Inde profecta antiquorum conſuetudo, ut completo Libro vocem Explicitus, *dein poſterioribus ſaeculis curtius* Explicit *ſubjicerent, ſtatimque ſcriptionem conſummarent.*

COMMENTARIUS.

nec modos fecit, ſed Critici munere functus Codices antiquos recenſuit. Conſule omnino Barthium, Adverſ. VI. 20. qui eum vero nomine Alcuinum magiſtrum Carolo Magno familiarem fecit, ob Philologiae & Poëſeos ſtudium Calliopium dictum, quod quaſi ab ipſa Calliope formatus videretur. Alia Criticorum exempla Lindenbruchius ad h. l. collegit. Vide porro Dacieriam, quae τὸ Ω μέγα a Librariis additum autumat, ut eſſet ſignum *Finis*, quomodo elementum τῦ Ἄλφα fuerit praemiſſum initiis operum. Qua de re conſulendi Interpretes ad Apocalypſ. I. 8.

FINIS ANDRIAE.

Digitized by Google

P. TERENTII
EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. L. POSTUMIO ALBINO L. CORNELIO MERULA AEDILIB. CURULIB. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO L. ATILIUS PRAENESTINUS TIBIIS DUABUS DEXTRIS. GRAECA MENANDRU. ACTA II. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI M. VALERIO C. FANNIO COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.			
PHAEDRIA	*adoleſcens, amator Thaidis.*	CHREMES	*adoleſcens, frater Pamphilae.*
PARMENO	*ſervus Phaedriae.*	ANTIPHO	*adoleſcens.*
THAIS	*meretrix.*	DORIAS	*ancilla Thaidis.*
GNATHO	*paraſitus Thraſonis.*	DORUS.	*eunuchus.*
CHAEREA	*adoleſcens, amator Pamphil.*	SANGA	*Centurio.*
THRASO	*miles, rivalis Phaedriae.*	SOPHRONA	*nutrix Pamphilae.*
PYTHIAS	*ancilla Thaidis.*	LACHES	*ſenex, pater Phaed. & Chaer.*

PERSONAE MUTAE.

STRATO	*Elephantis Indicis Praefect.*	SYRISCUS	*Ordinum ductor.*
SIMALIO	} *Ordinum ductores.*	SANNIO	*ſervus atrienſis.*
DONAX	} *Ordinum ductores.*	PAMPHILA	*adoleſcentula.*

Digitized by Google

C. SULPITII APOLLINARIS
PERIOCHA
IN TERENTII EUNUCHUM.

Sororem falſo dictitatam Thaidis,
Id ipſum ignorans, miles advexit Thraſo,
Ipſique donat. erat haec civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis amator Phaedria, ac rus ipſe abit,
Thraſoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phaedriae puellulam
Cum deperiret, dono miſſam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: ſuadet Parmeno:
Introiit: vitiat virginem: ſed Atticus
Civis repertus frater ejus, conlócat
Vitiatam ephebo, Phaedriam exorat Thraſo.

AELII

Digitized by Google

AELII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMAE,

PRAEFATIO IN EUNUCHUM TERENTII.

HAec maſculini generis nomine nuncupata Fabula eſt, Eunuchus: & eſt Palliata Menandri vetus: quam ille auctor de facto adoleſcentis, qui ſe pro Eunucho deduci ad meretricem paſſus eſt, nominavit. Itaque ex magna parte motoria eſt. Atque in hac Comoedia qui perſonam Parmenonis actor ſuſtinet, primas habet partes. Secundae ſunt Chaereae. Tertiae ad Phaedriam ſpectant. Hujus Prologus ſane eſt concitatior. Nam & objicit crimina adverſantibus: & comminatur in poſterum: & accuſatorie narrat injuriam Terentio factam: & ad ultimum tumultuoſe, & cum magna invidia defendit Poëtam. Haec & πρότασιν & ἐπίτασιν, & καταστροφὴν ita aequales habet, ut nuſquam dicas longitudine operis Terentium delaſſatum dormitaſſe. Actus ſane implicatiores ſunt in ea, & qui non facile a parum doctis diſtingui poſſint: ideo quia tenendi ſpectatoris cauſa vult Poëta noſter omnes quinque Actus velut unum fieri, ne reſpiret quodammodo: atque diſtincta alicubi continuatione ſuccedentium rerum, ante aulaea ſublata faſtidioſus ſpectator exurgat. Acta plane eſt Ludis Megalenſibus, L. Poſthumio, L. Cornelio Aedilibus Curulibus: etiam tunc perſonatis L. Numidio Poſthumio, L. Ambivio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra & ſiniſtra ob jocularia, multa permixta gravitate. Et acta eſt tanto ſucceſſu ac plauſu atque ſuffragio, ut rurſus eſſet vendita, & ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipſam fabulam contigit, octo millibus ſeſtertiûm numerarent Poëtae. Proverbia multa ſaepe pronuntiata, & cantica ſaepe mutatis modis exhibita ſunt. Προτατικὸν πρόσωπον nuſquam habet: ſed ſuis tantum perſonis utitur. In hac Terentius delectat facetiis: prodeſt exemplis: & vitia hominum paulo mordacius, quam in caeteris carpit. Exempla autem morum hic tria praecipua proponuntur, urbani ſcilicet, paraſiti, & militaris. Haec edita tertium eſt, & pronunciata, Terentii Eunuchus: quippe jam adulta commendatione Poëtae, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Graecis una eſt Latina. Nam ex Eunucho & Colace Menandri fabulis, haec Eunuchus Terentiana ſcripta eſt, non ſine crimine, quod multa in hanc tranſlata ſint ex multis Poëtis Latinis. quod totum, per Prologum purgat atque defendit.

M.

Digitized by Google

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

Civis quidam Athenienſis filiam, cui Pamphilae, & filium, cui Chremeti nomen erat, habuit. ex iis Pamphilam adhuc infantulam praedones rapuere e Sunio, & mercatori cuidam Rhodio vendidere: qui Rhodum advectam meretrici, quam amabat, dono dedit. Haec acceptam puellam pari cura ac ſtudio, cum Thaide filia coepit educere: nemo ut eſſet, qui non utramque ex ipſa genitam eſſe arbitraretur. Thais, quae grandiuſcula erat, quum ad eam aetatem perveniſſet, ut viris placere poſſet, maternam, ut fit, vivendi rationem inſecuta, cum hoſpite quodam Athenas venit, qui eam poſtea moriens haeredem reliquit. Interea miles, Thraſo nomine, ad eam adjecit animum: quumque cum ea per aliquod tempus conſueviſſet, in Cariam profectus eſt. Thaidis mater per eos dies vitam morte commutaverat, fraterque ipſius Pamphilam venalem propoſuerat, ſperans eam, quod & formoſa eſſet, & fidibus ſciret, praeclare a ſe venditum iri. Forte accidit, ut eo ipſo tempore Thaidis amator miles eſſet Rhodi: qui, harum omnium rerum inſcius, Pamphilam emit; ut eſſet, quod amicae, Athenas reverſus, dono daret. Thais, profecto milite, aliam conditionem quaeſierat, adjunxeratque ſibi Phaedriam, adoleſcentem Athenienſem, Lachetis filium. Inaudiverat interim etiam aliquid de Pamphila; jamque cum fratre ipſius Chremete aliquoties collocuta, eo pervenerat, ut non dubiis indiciis intelligeret, ſororem illius eſſe, quae ſecum in maternis aedibus educata foret. Summopere cupiebat igitur occaſionem ſibi aliquam dari, qua Pamphilam ſuis reſtitueret, eodemque facto, & puellam ſummo afficeret beneficio, & propinquorum illius amicitia fortunas conſtabiliret ſuas. Redit miles: ſed, quum cognoſſet de amore Phaedriae, puellam ſe, niſi eo repulſo, daturum negat. Thais, quid ageret, neſcire: nam & Phaedriam amabat ex animo, & Pamphilae recipiendae gratia quidvis ſibi jaciundum putabat: tandem, quum ſperaret, ſe poſtea facile conſilium ſuum ei ipſi, cujus animum offenderat, probaturam; Phaedriam, ut militi gratificaretur, excludit. Poſtridie arceſſito ei, atque aegre ferenti, tandem ſe purgat, multiſque precibus ab eo impetrat, ut, per biduum, priores partes habere Thraſonem ſineret: ubi primum eripuiſſet puellam, nihil ſibi cum illo amplius fore. Phaedria, ut hujus bidui moleſtiam aequiore animo ferret, rus ſibi abeundum eſſe ſtatuit: itaque abiens, mandat Parmenoni, ut eunuchum & Aethiopiſſam ad Thaidem, cui eos emerat, duceret. Pamphilam, quum ex aedibus Thraſonis ad Thaidem deduceretur, conſpicatus in via Phaedriae frater natu minor Chaerea, ita ejus amore flagrare coepit, nihil ut penſi haberet, dum ea potiretur: neque prius conquievit, quam, ejus rei cauſa, ad Thaidem pro eunucho deductus eſt. Quid plura? Thaide ad coenam cum milite profecta, virgini a Chaerea per vim vitium offertur. Turbae undique mirabiles, donec, tota re patefacta, Thais a Lachete in fidem & clientelam recipitur. Chaerea agnitam Pamphilam ducit uxorem. Thraſo diu illuſus, tandem in amoris meretricii partem, Gnathonis paraſiti opera, admittitur.

PU-

Digitized by Google

PUBLII TERENTII CARTHAGINIENSIS EUNUCHUS.

PROLOGUS.

SI quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, & minime multos laedere,

In

DONATI.

SI QUISQUAM EST, QUI PLACERE] Attendenda Poëtae copia, quod in tot Prologis de eadem cauſa iiſdem fere ſententiis, variis verbis utitur. BONIS QUAM PLURIMIS] Commendat perſonam.

2. ET MINIME MULTOS LAEDERE] *Ἀντίθετον πρῶτον.*

COMMENTARIUS.

1. QUI PLACERE SE STUDEAT] *Πλεονάζει τὸ σε.* Vide ad And. IV. 5. 2. & Georg. Fabritium.

2. MINIME MULTOS LAEDERE] Niſi per MULTOS intelligantur *mali*, languida videbitur ſententia, & *ταυτολογίᾳ* laborans, quod PLACERE QUAM PLURIMIS & MINIME MULTOS LAEDERE fere idem ſit. Tum *τὸ* BONIS *ἀντίθετον* non habet, niſi *τὸ* MULTOS; etiam Donato obſervante. Vult igitur Poëta ita placere bonis, ut tamen malos minime laedat. Appoſitus admodum eſt locus, quem dedit Farnabius ex Cic. de Repub. VI. *Et vero in diſſenſione civili, quum* boni *plus quam* multi *valent, expendendos ab his, non numerandos puto.* Accius:

Bonis *probatum potius, quam* multis *fore.*

Unde & Fabrini MULTOS vertit, *i cattivi.* Firmant hanc ſententiam, quae proxime ſequuntur: TUM SI QUIS EST -- PRIOR. Quibus verbis excuſatio inclementioris dicti continetur in Poëtam veterem & malum, quem priorem laeſiſſe, non laeſum eſſe a ſe Terentius ait. Sed & *οἱ πολλοί* Graecis notant vulgus. Alii *τὸ* PLURIMIS pro *malis* accipiunt, praeeunte Eugraphio. His QUAM PLURIMIS binae voces ſunt, hoc ſenſu: SI QUISQUAM EST, QUI PLACERE SE STUDEAT BONIS (potius) QUAM PLURIMIS. Quae *ἔλλειψις τοῦ potius* multis exemplis adſtruitur a Sanctio, Min. IV. 7. & Cl. Perizonio ad eum locum. Similis locutio Graecis uſitata. Homer. Iliad. A. 117.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Ceterum quam defendimus ſententiam, Perizonius loc. cit. num. 4. *argutiorem quam veriorem* vocat, exiſtimans id velle Terentium, ſe ex illis eſſe, qui ſtudeant placere *bonis, quam plurimis* poſſit. Verum, quod pace Manium Clariſſimi Doctoris mei dixerim, praeter rationes a me citatas, non videtur, MINIME MULTOS LAEDERE, valere, *quam pauciſſimos laedere.* Quod ſane requirebatur, ſi id voluiſſet Terentius. Tanaq. Fabro Nonius Marcellus, Eugraphius, Muretus, alii, quos auctores ſequor, *dormitavere omnes.* Quam vere, aequi & eruditi Lectoris judicium eſto.

In his Poëta hic nomen profitetur ſuum.
Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimabit eſſe, ſic exiſtimet:
Reſponſum, non dictum eſſe, quia laeſit prior,

Qui

DONATI.

3. IN HIS POETA HIC NOMEN PROFITETUR SUUM] Cum dixiſſet, QUISQUAM, intulit, IN HIS. [1] & alibi, *Cujus mes maxime eſt conſimilis veſtrum, hi ſe ad vos applicant.*

4. TUM SI QUIS] Bene, SI QUIS: cum *L. Lavinium* ſignificet, ne vel ipſum a ſe laeſum eſſe fateretur. Et TUM, praeterea: ut, [2] *Tum canit Heſperidum.* INCLEMENTIUS] Pro *inclementer.* ut,

[3] *Jam ſenior, ſed cruda Deo, viridiſque ſenectus.*

5. EXISTIMET] Pro [4] EXISTIMAVIT.

6. RESPONSUM, NON DICTUM ESSE] Deeſt *ei,* ut in Phormione, *Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.* NON DICTUM ESSE] Superius DICTUM, participium eſt: [5] inferius, nomen. A quo etiam *dicaces* dicuntur, qui jocoſis ſalibus maledicunt. RESPONSUM, NON DICTUM ESSE] Figura πλοκή. nam DICTUM modo bis numero poſitum, ſupra nomen ſignificat, infra participium. ut in Heautont. [6] *In quem quidvis harum rerum convenit, quae ſunt dicta in ſtultum.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et alibi*] Lege, *ut alibi.*
2. *Tum*] Virgil. Ecl. VI. 61.
3. *Jam ſenior*] Virgil. Aen. VI. 304.
4. *Exiſtimavit*] Forte *Exiſtimabit.*
5. *Inferius nomen*] Sic Plautus Aſin. II. 4. 77.

Pro veſtris dictis maledictis *poenae pendentur mihi hodie.*

Et paſſim pro opprobrio, dicto aculeato. Apud Noſtrum autem manifeſto utrobique Participium eſt, & ſubauditur *ſibi*, uti paullo ante *in ſe.* Quae vero ſequuntur, *ſupra Nomen ſignificat, infra Participium*, apparet non eſſe a Donato, ſed vel ab Aſpero, vel Cornuto, vel denique a quocunque alio.

6. *In quem*] Lege omnino, *In me.* Vide Heaut. V. 1. 3.

COMMENTARIUS.

3. NOMEN PROFITETUR] Locutio vel a militibus, vel a candidatis tranſlata. Cicero Famil. X. 31. *Ei me* profiteor *inimicum.*

4. DICTUM IN SE INCLEMENTIUS], Gravius. Plaut. Amph. II. 2. 110.

Iterum jam hic in me inclementer dicit, *atque id ſine malo?*

Et *alicui.* Plaut. Rud. I. 2. 26.

Aut qui inclementer dicat homini *libero.*

Pſeud. I. 1. 25. Gr. Μὴ δικαίως λέγειν.

5. EXISTIMET] Mſſ. quidam & editi veteres addunt, SCIAT, PRAESUMAT. Sed recte exiſtimat Faërnus, ea verba inculcata eſſe ex gloſſemate alicujus interpretantis τὸ EXISTIMET.

6. RESPONSUM, NON DICTUM ESSE] Autumat igitur Poëta, licere ſibi maledictum maledicto reponere. Et pronunciavit Veſpaſianus Imperator, *Non oportere maledici Senatoribus, remaledici civile faſque eſſe.* Suet. Veſp. 9. Plura vide ad And. V. 4. 17.

QUIA LAESIT PRIOR] Mſ. Bodl. QUALIS LASSIT PRIUS. Et τὸ PRIUS eſt in Mſſ. pluſculis. In Mſſ. Lipſ. & aliis, QUALE SIT PRIUS. barbare. quo magis mirum, Eraſmum huic lectioni favere. Phorm. Prol. 14.

Vetus ſi Poëta non laceſſiſſet prior.

7. QUI BENE VERTENDO] Varii varie hunc locum tentarunt. Guyetus quum deploratum videret, legere maluit:

Qui male vertendo, & eadem ſcribendo male.

Vereor ne male. Mihi omnino nihil mutandum videtur; quanquam aſſentior Guyeto & Boeclero, Terentium non tribuiſſe malevolo Poëtae laudem bene vertendi. Quid igitur? Exiſtimem, Noſtrum non ex ſua, ſed L. Lavinii

Digitized by Google

Qui bene vertendo, & eas deſcribendo male,
Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit.

At-

DONATI.

7. Qui bene vertendo] Bene, pro valde. Et vertendo, in linguam Latinam transferendo. [7] *Plautus, Vertis barbare.* Aut vertendo, corrumpendo.

9. Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit] [8] Τὸ αὐτὸ apparet pronuntiatum, quaſi hoc ipſo admonuerit ſpectatorem, quam turpiter & imperite haec Fabula ſcripta ſit. Et bene, nunc nuper: ut ex vicinitate facti oſtendat, nihil eſſe dicendum, quam diſplicuerit haec Comoedia *L. Lavinii*: propterea quod res recens ſit, & omnes meminerint. Phasma autem, nomen eſt Fabulae *Menandri*: in qua noverca ſuperducta adoleſcenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo ſecum habebat aſſidue, nullo conſcio. Parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipſo tranſitu ſacrum locum eſſe ſimularet. Cumque tranſitum intenderet ſertis ac fronde felici, rem divinam ſaepe faciens, evocabat ad ſe virginem. Quod cum animadvertiſſet adoleſcens, primum aſpectu pulchrae virginis, velut numinis viſu perculſus exhorruit: unde Phasma eſt nomen Fabulae. deinde paulatim re cognita, exarſit in amorem puellae: ita ut remedium tantae cupiditatis, niſi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, & ex voto amatoris, conſenſuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit Fabula. Utrum ergo hoc dicat, quod totam Fabulam transferendo, laeſerit *L. Lavinius*: [9] an hoc tantum, de quo reprehendat, ſed his ſignis velit oſtendere, quem dicat vitioſe *Theſaurum* compoſuiſſe, ut in *Theſauro* ſit culpa, non in Phasmate? Nunc nuper dedit] Nuper, ex illis verbis eſt, quae veteres propter ambiguitatem cum adjectione proferebant. nam niſi adderet, nunc, hoc nuper, olim, pridem, & jam ſignificaſſet. Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit] [10] Hanc Fabulam totam damnat, ut apparet, ſilentio: Thesaurum vero non totum, ſed ex uno loco.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Plautus, vertit barbare*] Scripſit Donatus, *Plautus: Plautus vertit barbare.* Verba ſunt Plautina de ſemet ipſo, Trin. Prol. 19.

8. Τὸ αὐτὸ] Eraſmus reſtituit, ἐμφατικῶς.

9. *An hoc tantum*] Mſ. Hulſt. & edit. Venet. 1490. *Ac non hoc, de quo tantum reprehendat.* Verba corrupta, & ſenſus obſcurus, niſi forte legas: *Utrum ergo hoc dicat, quod totam Fabulam transferendo laeſerit L. Lavinius; an hoc tantum dicat, non quo reprehendat, ſed his ſignis velit oſtendere, quam dicat vitioſe* Theſaurum *compoſuiſſe; ut in* Theſauro *ſit culpa, non in* Phaſmate?

10. *Hanc Fabulam*] Non ſunt haec ejuſdem Donati verba, ſed cujuſcunque alterius Interpretis.

COMMENTARIUS.

nii ſententia, & ex opinione imperiti vulgi ita loquutum, q. d. Ita vertit bene is, qui bene ſe vertiſſe jactat, ut interim male deſcripſerit, h. e. actoribus perſonas prave, neque ex lege dederit, atque adeo ex Graecis bonis Latinas fecerit non bonas. Eſtque ὀξύμωρον in verbis cum ſarcaſmo junctum. Niſi forte ita *bene vertendo* dixit, uti And. I. 1. 105. *Bene diſſimulatum amorem.* h. e. multum & valde. Haec noſtra eſt ſymbola. Judicent eruditi. Certe *deſcribere* eleganter diſtribuere notat; quod Ciceroni familiare. Sic Catil. I. 4. deſcripſiſti *urbis partes ad incendia.* Catil. III. 4. *Quam urbem omnibus ex partibus, quemadmodum* deſcriptum, *diſtributumque erat, incendiſſent.* Philipp. XIII. 5. Fam. XVI. 11. Gr. καταμετρεῖν, διατάττειν. Firmat ſententiam noſtram Thesaurus Lavinii, de quo mox.

9. Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit] Haec pro exemplo dixiſſe ſatis habet. q. d. Inde apparet, quam bene verterit, ſi Diis placet. In Mſ. Lipſ. ſupraſcriptum: *Fabula, quam ego ſcripſi.*

10. At-

Atque in Theſauro ſcripſit, cauſam dicere
Prius, unde petitur, aurum quare ſit ſuum,
Quam ille qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi;
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc, ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet,

De-

DONATI.

10. ATQUA IN THENSAURO SCRIPSIT, CAUSAM DICERE] THESAURUM Latini veteres ſecundum Graecos, ſine N litera proferebant. ATQUA IN THENSAURO SCRIPSIT, CAUSAM DICERE] Arguit *Terentius* quod *Luſcius* contra conſuetudinem litigantium, defenſionem ante accuſationem induxerit. Hujuſmodi enim eſt *Luſcii* argumentum: Adoleſcens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, ſervum mittit ad patris monumentum, quod ſenex ſibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater poſt annum decimum caverat ſibi inferri. Sed eum agrum in quo monumentum erat, ſenex quidam avarus ab adoleſcente emerat. Servus ad aperiendum monumentum auxilio uſus ſenis, Theſaurum cum epiſtola ibidem reperit. Senex Theſaurum tanquam a ſe per tumultum hoſtilem illic defoſſum retinet, & ſibi vendicat. Adoleſcens judicem capit: apud quem prior ſenex, qui aurum retinet, cauſam ſuam ſic agit: *Athenienſes, bellum cum Rhodienſibus quod fuerit, quid ego hic praedicem?* & caetera. Quae contra naturam juriſque conſuetudinem poſita argumenta notat *Terentius*: quod ille ordo potior erat, ut adoleſcens prior proponeret cauſam, qui petitor inducitur.

11. PRIUS, UNDA PETITUR AURUM] UNDE, a quo. " *Virgilius*,

Genus unde Latinum.

Nam poſſeſſorem fecit priorem agere, quam petitorem: quod abhorret a conſuetudine & juris & litium.

12. QUAM ILLE QUI PETIT] Deeſt DICAT. QUI PETIT] Id eſt, petitor. QUAM ILLA QUI PATIT] Eſſet recta locutio, ſi diceret, QUAM PATITOREM: aut, QUAM ILLUM QUI PETIT. Sed QUAM ILLE, maluit: ut ſubaudiamus, CAUSAM DICAT, per ζεῦγμα a ſuperiore figuratum.

14. DAHINC] Si loquatur. NE FRUSTRETUR IPSE SE] Παρὰ προσδοκίαν dicitur: ſed poſt addit. AUT SIC COGITAT] Si taceat.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Virgilius*] Aen. I. 6.

COMMENTARIUS.

10. ATQUA IN THESAURO SCRIPSIT] Alterum exemplum Fabulae ex Menandro male deſcriptae a L. Lavinio. Senſus eſt: *Scripſit in Theſauro, eum, unde aurum petitur, prius dicere cauſam, quare aurum ſit ſuum, quam ille, qui petit aurum, cauſam dixiſſet, unde ſibi ſit iſte Theſaurus.* Praepoſtere ſcilicet, & contra quam fecerant Menander & Philemo in ſuo THESAURO. De qua Fabula ita Plautus, Trin. Prol. 18.

Huic nomen Graece eſt THESAURO *Fabulae.*
Philemo ſcripſit, Plautus vortit barbare.
Nomen TRINUMMO *fecit.*

Mſ. Bodl. A THESAURΩ. In aliis eſt THENSAURO, quomodo Pareus & alii ediderunt. Sed & Rivius ex Donati verbis conjicit, ita ſcripſiſſe Terentium. Duo Mſſ. Leidenſes & Mſ. Lipſ. alter A THESAURIS, alter A THESAURO legunt. Vide porro Lindenbruchium.

11. UNDE PETITUR] JCtorum formula propria eſt. Cui enim lis intenditur, quique in jus vocatur ab actore, hoc nomine venit. Cic. Fam. VII. 11. *Ego omnibus*, unde petitur, *hoc conſilii dederim, ut a ſingulis interregibus binas advocationes poſtulent. Satiſne tibi videor abs te Jus Civile didiciſſe?* Atque adeo, *qui petit*, actor eſt, *unde petitur*, reus. Valet vero *unde*, a quo. vid. Gronov. Obſerv. IV. 11. Eugraphius integrum locum poſt Donatum ita παραφράζει: *Quidam agrum.*

Digitized by Google

Defunctus jam ſum, nihil eſt quod dicat mihi.
Is ne erret moneo, & deſinat laceſſere.
Habeo alia multa, quae nunc condonabitur;
Quae proferentur poſt, ſi perget laedere
Ita, ut facere inſtituit. Quam nunc acturi ſumus
Menandri Eunuchum, poſtquam Aediles emerunt,
Per-

DONATI.

15. DEFUNCTUS JAM SUM] Σχῆμα διανοίας, ἠθοποιΐα. id eſt, omni labore liberatus ſum, auctoritate jam confirmata & inviolabili. DEFUNCTUS JAM SUM] Id eſt, jam egi fabulas meas: aut jam deſtiti periclitari in edendis Comoediis: aut certe, jam edidi quam tu reprehendis fabulam. DEFUNCTUS JAM SUM: NIHIL EST QUOD DICAT MIHI] Non ſit, inquit, de ſuis vitiis ſecurus propter vetuſtatem, nihilominus enim a me reprehendetur.

16. IS NE ERRET, MONEO] Σχῆμα, ἐπιείκεια.

17. QUAE NUNC CONDONABITUR] Sic in Phormione, *Argentum quod habes, condonamus te.* Nam & *dono*, ablativo caſui jungebant veteres, *condono* vero accuſativo.

19. QUAM NUNC ACTURI SIMUS] Obliqua narratio facti eſt, ſecundum caſum accuſativum.

20. POSTQUAM AEDILES EMERUNT] Mirè: cum ordo melior videretur, ſi ſic diceret: POSTQUAM AEDILES EMERUNT, QUAM NUNC ACTURI SUMUS, PERFECIT, SIBI UT INSPICIUNDI ESSET COPIA. EMERUNT autem, mediam corripe. ut, " *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.*

OBSERV. IN DONAT.

12. *Matri*] Virgil. Ecl. IV. 61.

COMMENTARIUS.

agrum vendidit. Illic habuit patrium monumentum, in quo theſauros emtor invenit. comperit venditor. in judicium venitur. utique ex ratione & ex conſuetudine prior loqui debet ille, qui petit. Petitor autem hic venditor eſt; ut ſecundo loco respondeat, a quo petitur, h. e. emtor. At contra L. Lavinius fecit, ut prior loqueretur, unde petitur, quam ille, qui petit.

13. PATRIUM MONUMENTUM] Diſcrimina monumentorum in Priva, Communia, Hereditaria, Familiaria, alia, vide apud Kirchmannum de Funerib. Roman. III. 13. De Theſauris vero ſimul cum cadaveribus conditis pluſcula congeſſit idem Lib. III. 24. & in primis Lindenbruchius ad h. l. quem vide. Lar autem Familiaris apud Plautum in Prologo Aululariae non in monumento, ſed in medio foco defoſſum Theſaurum ſibi concreditum dicit.

PERVENERIT] Mſ. Mark. PERVENIT.

14. FRUSTRETUR] Alii, FRUDETUR. Rurſus alii, FRAUDETUR. quomodo & eſt in Mſ. Lipſ. altero, in altero, DEFRAUDET.

15. DEFUNCTUS JAM SUM] Qui rem peregit, quique proinde ea eſt liberatus, *defunctus* & *perfunctus* dicitur. Sic Adelph. III. V. 62. Phorm. V. 8. 32. Cic. pro Sext. 34. *Ut omni populari concitatione* defungerer. Idem pro Domo 17. *Equidem jam* perfunctus *ſum; nullam vim, nullum impetum metuo.* Liv. II. 35. *Adeo infenſa erat coorta plebs, ut unius poena* defungendum *eſſet Patribus.* Juſtin. I. 5. Defunctus *ſomnio.* h. e. liberatus malis illis, quae ſomnio portendi videbantur. Sic Suet. Ner. 40. Defunctus *fatalibus malis.* Unde qui omnes aerumnas ſibi divinitus deſtinatas eſt perpeſſus, ſimpliciter *defunctus* dicitur.

16. DESINAT] Mſſ. Leidenſium unus, CESSET.

17. CONDONABITUR] Variant Libri. Jul. Caeſ. Scaliger CONDONABUNTUR malebat, ut ſit Senarius

Perfecit, ſibi ut inſpiciundi eſſet copia.
Magiſtratus cum ibi adeſſet, occepta 'ſt agi.
Exclamat, Furem, non Poëtam, fabulam
Dediſſe, & nihil dediſſe verborum tamen:
Colacem eſſe Naevî & Plauti, veterem fabulam:
Paraſiti perſonam inde ablatam & militis.
Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia 'ſt
Poëtae: non qui furtum facere ſtuduerit.

Id

DONATI.

21. PERFECIT] Mire, quaſi difficile & illicitum.

23. EXCLAMAT, FUREM, NON POETAM] Mire reprehendit ante vitium, quam de cauſa maledicti dicat. EXCLAMAT, FUREM, NON POETAM] Adhuc nulla reprehenſio eſt: ſi quidem licet transferre de Graeco in Latinum.

24. ET NIHIL DEDISSE VERBORUM TAMEN] Aut, neminem feſelliſſe: aut, nihil appoſuiſſe de ſuo. ET NIHIL DEDISSE VERBORUM TAMEN] Aut neminem feſelliſſe: *dare* enim *verba*, decipere eſt. Quia qui rem expectat, & nihil praeter verba invenit, deceptus eſt. unde alibi, *Verba iſtaec ſunt*. Et e contrario, *Rem cum videas, cenſeas*. Aut aliter: nihil addidiſſe de ſtilo ſuo *Terentium*.

26. PARASITI PERSONAM INDE ABLATAM] Et hoc mire: [13] non verſus objicit, ſed perſonam eſſe tranſlatam. quid ſtultius, aut calumnioſius dici poteſt?

27. PECCATUM IMPRUDENTIA 'ST] Id eſt, ignorantia: [14] ut imprudens harum rerum. non

onim

OBSERV. IN DONAT.

13. *Non verſus*] Immo quam maxime cum perſona Paraſiti & Militis in integros eorum loquentium verſus. Si aliter accipias, ridicula erit calumnia, ne dicam pudenda. Unde haec Nota vix Donato digna.

14. *Ut imprudens*] Credas ex editionibus, eſſe verba Donati, quum ſint ipſius Terentii ex Eun. I. 2. 56. Lege igitur, ut, *Imprudens harum rerum*.

COMMENTARIUS.

rius claudicans. Atque ita eſt in tribus Mſſ. Leidenſibus, & Lipſianis duobus, & Bodlejano, & omnibus Codicibus Boecleri, & Palatinis quatuor, & Georgii Fabritii. In editis ita exhibent Venet. 1490. Juntina, aliaeque veteres. Glareanus CONDONABIMUS praeferebat. Rivius CONDONABITUR tuetur, etiam Donati auctoritate.

21. INSPICIUNDI] Accuratius examinandi. Martial. VI. 82.

Quidam me modo, Ruſe, diligenter
Inſpectum, *velut emtor, aut laniſta,*
Cum vultu, digitoque ſubnotaſſet.

Vide porro Vitam Terentii.

22. MAGISTRATUS, CUM IBI ADESSET] Solet fere antiquis ſing. num. non de integro Collegio eorum, qui praeſunt reip. ſed de viris ſingulis uſurpari. Unde quidam Libri ſcripti h. l. legunt, MAGISTRATUS CUM IBI ADESSENT. Aliter tamen & Nepos Epam. 4. *Ego te tradam* Magiſtratui. Quo ſenſu & *Poteſtas* uſurpatur Suetonio Caeſ. 17. & Livio. Neque aliter fere Itali ſuum *il Podeſtà*, & contracte *Potà*, Germani *die Herſchaft*, adhibent. Agebantur autem privatim Comoediae apud Aediles Curules, antequam publice agerentur. Adde Suet. Claud. 23. Virg. Aen. X. 18. Juvenal. X. 100. L. 26. de Pignor. & L. 17. §. 19. de Aedil. Edicto. Plin. H. N. IX. 8. Πολιτικὰς ἐξουσίας vocant Graeci. Vid. Valeſ. ad Euſeb. Hiſt. Eccl. IV. 1. & Graceh. Jun. JCtum *de Poteſtatibus*.

23. EXCLAMAT, FUREM, NON POETAM, FABULAM DEDISSE, ET NIHIL DEDISSE VERBORUM TAMEN] Videtur Terentius ſimul cum iniquitate accuſationis ridere ridiculam veteris Poetae eloquentiam, quam captaverit hoc dicto: *Fur, non Poeta, Fabulam dedit, & nihil dedit verborum tamen.*

Digitized by Google

Id ita eſſe, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri eſt: in ea eſt paraſitus Colax,
Et Miles glorioſus: eas ſe non negat
Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Graeca. ſed eas fabulas factas prius
Latinas, ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet:
Quî magis licet, currentes Servos ſcribere,

Bo-

DONATI.

enim ſtultitia. SI ID EST PECCATUM, PECCATUM IMPRUDENTIA 'ST POETAE] Primo negat peccatum, deinde concedit & purgat. IMPRUDENTIA] Ignorantia, non imperitia. SI ID EST PECCATUM] Πλακῶς. Nam PECCATUM ſuperius, nomen eſt:. & ſequens, participium. Et primo negat, peccatum. Deinde, ſi peccatum eſt, purgat id ipſum veniali qualitate ab imprudentiae partibus.

32. IN EUNUCHUM SUAM] Ad fabulam, non ad hominem retulit. ut [15] *Virgilius*,

Centauro invehitur magna.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Virgilius*] Aen. V. 122.

COMMENTARIUS.

tamen. Et ſane mira calumnia, qua malevolus iſte Noſtrum in invidiam adducere conatur. Primum enim FURAM appellat, qui Fabulam dederit. Sed ſi roges, quae verba Menandri vel aliorum dederit, NIHIL DEDISSE VARBORUM, fateri cogitur. Quodnam igitur furtum illud? Perſona Paraſiti & Militis ex Colace ablata. Quaſi perſonis iiſdem uti non liceat, ſcilicet. In Mſ. Lipſ. altero, FUREM ESSA.

25. PLAUTI] Ex Colace Plautina unum illud fertur:

Batiolam auream octo pondo habebat, accipere noluit.

Dicitur autem COLAX ἀπὸ τῦ κολακεύειν.

32. EUNUCHUM SUAM] Poterat & ſuum dixiſſe, neque ad Fabulam tranſtuliſſe. Sic Juven. I. 6.

Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes.

33. EAS FABULAS FACTAS PRIUS LATINAS, SCISSE SESE, ID VERO PERNEGAT] Ubi FABULAS dicit, *Colacem* tantum intelligit. Mirum vero videri poſſit, neſciviſſe Terentium Colacem Naevii & Plauti; niſi id vult, aliam Menandri, rurſus aliam Naevii & Plauti eſſe Colacem. Quod ſi ſit, tanto injuſtior erit calumnia L. Lavinii de furto Terentii. Obſervat autem Georg. Fabritius, multas ejuſdem argumenti Fabulas a variis Scriptoribus Latinis eſſe tractatas, Colacem, Carbonariam, Aulularium, a Naevio & Plauto; Mercatorem a Plauto & Pacuvio; Amphitruonem ab Accio, Plauto & Caecilio; Aſinariam a Plauto & Pomponio; Andriam a Caecilio & Terentio; Phormionem a Terentio & Valerio.

35. PERSONIS IISDAM] Mſ. Lipſ. PARSONIS HISDEM.

36. CURRANTIS SERVOS] Alii, DISCURRENTES. De ejuſmodi ſervis vide Adelph. III. 2. 56. Heaut. Prol. 31. Phorm. I. 3. 25. Plaut. Poen. III. 1. 20. Faërnus ex Cod. Bemb. tuetur CURRENTEM SERVUM. quod probat Guyetus. Quas vero Terentius h. l. Fabularum perſonas, eaſdem fere & Ovidius junxit, Amor. I. 15. 17.

Dum fallax ſervus, durus pater, improba lena
Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.

Apulej. Florid. III. de Fabulis Philemonis: *Nec eo minus & leno perjurus, & amator fervidus, & ſervus callidus, & amica illudens, & uxor inhibens, & mater indulgens, & patruus objurgator, & ſodalis opitulator, & miles praeliator, ſed & paraſiti edaces, & parentes tenaces, & meretrices procaces.* Vulgaria autem haec Fabularum argumenta perſtringit

Bonas Matronas facere, Meretrices malas,
Paraſitum edacem, Glorioſum Militem,
Puerum ſupponi, falli per Servum Senem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.

Qua-

DONATI.

37. BONAS MATRONAS] Ut Nauſiſtratam. MERETRICES MALAS] Ut Thaidem atque Bacchidem. Sic eſt in Heautont. *Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.* Et artificioſe oſtendit omnem materiam Comicorum.

38. PARASITUM] Ut Gnatonem. GLORIOSUM MILITEM] Ut Thraſonem. GLORIOSUM MILITEM] FACERE ſubauditur.

39. FALLI PER SERVUM SENEM] Ut Demeam & Simonem.

40. AMARE, ODISSE, SUSPICARI?] Mire a perſonis ad geſta cum varietate tranſitum fecit. Omne enim quod in orationem venit, vel perſona, vel factum eſt. ODISSE] Quia *odere*, non eſt Latinum.

41. NULLUM EST JAM DICTUM, QUOD NON DICTUM SIT PRIUS] Σχῆμα λόγυ πλοκῶ. Nam DICTUM, bis poſitum: ut ſuperius PECCATUM, diverſa ſignificat.

COMMENTARIUS.

ſtringit Horatius Epiſt. II. 1. 169. ubi ſimul numeros deſiderat. quod & facit Arte 270. ſeqq. Emphatice autem dictum CURRENTES. ſcilicet quia currendo multam operam praeſtabant heris. Unde quando venales proſtabant, circum coronam ſolebant currere, ut ſuae agilitatis publicum ſpecimen darent. Menander Ἐφεσίῳ:

Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ, νὴ τὰς θεὰς,
Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα
Ὁρᾶν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλούμενον.
Ego quidem jam mihi videor, per Deos,
Memet in circulis exutum
Videre in orbem currentem & venumdatum.

Naevius in Agitatoria:

Age, ne te mihi advorſari dicas, hunc unum diem,
Demea, ſegnior ſinam illos eſſe sax pax, poſtea
Currentes ego illos omnes vendam, niſi tu viceris.

40. AMARE, ODISSE, SUSPICARI] Quanquam & ſenes amatores κωμῳδοῦνται quod fit in Aſinaria Plautina, videntur tamen h. l. maxime notari juvenes, quorum caeteroquin nullae eſſent partes. Scilicet hos paſſim videas AMARE conſuetudinem Venerum; ODISSE ſuos rivales; SUSPICARI de amore amicarum. Quas ſuſpiciones intelligit Parmeno infra I. 1. 15.

DENIQUE, NULLUM EST JAM DICTUM, QUOD NON DICTUM SIT PRIUS] Errat, niſi me omnia fallunt, ipſe Tanaq. Faber, ultro erroris incuſans Hieronymum & Donatum in exponendo hoc Terentii dicto. Scilicet Hieronymus ad iſta Eccleſiaſt. cap. 1. *Quid eſt, quod fuit? ipſum quod erit. Et quod factum eſt, ipſum quod fiet. Et non eſt omne recens ſub coelo*, haec notat: *Huic quid ſimile ſententiae & Comicus ait:* NIHIL EST JAM DICTUM, QUOD NON DICTUM SIT PRIUS. *Unde praeceptor meus Donatus, quum ipſum verſiculum exponeret, Pereant, inquit, qui ante nos noſtra dixerunt.* Haec Hieronymus. Vult igitur Tanaq. Faber, dictum hoc Terentianum cum ſuperioribus junctim connectendum eſſe, idque ex τοῦ DENIQUE ſatis patere exiſtimat, hoc quidem ſenſu: *Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet, non licet etiam characteras perſonarum ſequi, ſervi videlicet, matronae, meretriculae, paraſiti; non licet affectus ipſos in fabula ponere, ut odiſſe, amare, ſuſpicari, quae omnia ſunt omnibus ſeculis communia. Id vero ſi admittendum fuerit, hoc quoque concludatur neceſſe eſt, Nihil hodie dici poſſe, quod non dictum ſit prius.* At tu cogita, Lector, fueritne ex Fabri ſententia ἐρωτηματικῶς, non ἐπιδεικτικῶς inferendum, *denique, qui licet jam quidquam dicere, quod dictum eſt prius?* Quod quum non fiat, patet omnino, Terentium, poſtquam ſingularia multa enumeraſſet, quae non minus ſui, quam veteris aevi Scriptoribus liceant, tandem generale quoddam ἀξίωμα addidiſſe, dicendo, DENIQUE, NULLUM EST JAM DICTUM, QUOD NON DICTUM SIT PRIUS. Qui vero

Digitized by Google

Quare aequum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere,
Quae veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, & cum ſilentio animadvertite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit.

DONATI.

42. QUARE AEQUUM EST VOS COGNOSCERE, ATQUE IGNOSCERE] *Σχῆμα λόγου, παρόμοιον.*

43. QUAE VETERES FACTITARUNT, SI FACIUNT NOVI] Et varie dixit, FACTITARUNT & FACIUNT, & cum magna defenſione *Terentii*, ſemel facientis id quod ſaepe veteres.

44. ANIMADVERTITE] Nos *ἐλλειπτικῶς* dicimus ADVERTITE, quod veteres plene, ANIMUM ADVERTITE.

45. QUID SIBI EUNUCHUS VELIT] *Ἀρχαϊσμὸς*, VELIT SIBI, ut alibi, *Nam proh Deum atque hominum fidem, quid vis tibi, aut quid quaeris?*

COMMENTARIUS.

vero laudata Donati verba excidiſſe ex ejus Commentariis autumant, falli mihi videntur, quod non ſcripſiſſe ea, ſed dixiſſe in Terentio exponendo teſtatur Hieronymus. Illa vero, JAM & PRIUS, emphaſi non carent, idemque valent, quod *nunc* & *olim*. Sic infra II. 2. 15. Horat. Carm. II. 4. 2.

prius *inſolentem*
Serva Briſeis niveo colore
Movit Achillem.

Unde & *priores* dicti majores. Phaed. IV. 19. 16.

Abiturus illuc, quo priores *abierunt.*

44. DATE OPERAM] Locutio e foro Romano petita. Judices enim cauſam attentius conſiderantes proprie *operam dare* dicebantur. Cic. Verr. II. 29. *M. Petilium, equitem Romanum, quem habebat in conſilio, jubet* operam dare, *quod rei privatae judex eſſet*. Briſſon. de Formul. Lib. V. Inde adeo dicitur de quibuſvis diligentius rem agentibus. Sed & alteri *operam dare* dicimur, quando ejus negotia curamus. Infra II. 2. 50.

ANIMADVERTITE] Alii, *Animum attendite.*

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

PHAEDRIA. PARMENO.

Ph. QUID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum

DONATI.

QUID IGITUR FACIAM?] *In hac πρωτάσει exemplum proponitur, quam non ſuae poteſtatis ſit, qui amat: quam ſapiat, qui non amat, neque aliter affectus eſt.*

1. QUID IGITUR FACIAM?] *Διαλογισμὸς, σχῆμα διανοίας.* Apparet & multa tacitum cogitaſſe

COMMENTARIUS.

1. QUID IGITUR FACIAM?] Formula dubitantis, quid conſilii capiendum ſit in re dubia. Hec. IV. 2. 1.

Perii! quid agam? *quo me vortam?*

Ubi Donatus: Figura *διαπόρησις*, *apta turbatis.* Quod vero idem ait, IGITUR valere h. l. *deinde*,

Cum arceſſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Excluſit: revocat. redeam? non, ſi me obſecret.
Pa. Si quidem hercle poſſis, nihil prius, neque fortius:

Verum

D O N A T I.

taſſe adoleſcentem, & tandem in haec verba prorupiſſe. *Igitur*, pro deinde. Ut *Plautus* in [1] Amphitruone:

> *Sin aliter ſient animati, neque dent, quae petat:*
> *Seſe igitur ſumma vi viriſque eorum oppidum expugnaſſere.*

Quid igitur faciam?] *Menander*, εἶτα τί ποιήσω; Sic [2] *Virgilius*,

> *Heu quid agam?*

Et eſt διαλογισμὸς perditae mentis, poſt multam fruſtra cogitationem. Non eam, ne nunc quidem] Hoc videtur non eſſe contrarium: ſed eſt. Nam dubitat utrum meretricis ſatisfactionem expectet: an illam omnino non quaerat. Non eam, ne nunc quidem] Non eam, *Probus* diſtinguit. Jungunt qui ſecundum *Menandri* exemplum legunt.

2. Comparem] Conſtituam. ut, *Quam inique comparatum eſt.*

3. Non perpeti meretricum contumelias?] Sic in Andria, *Priusquam harum ſcelera & lacrumae confictae dolis.* Cum uni ſit iratus, de omnibus queritur.

4. Excluſit: revocat] Utrumque injuriam fecit ex verbo, dicendo, Excluſit potius, quam, *non admiſit.* &, revocat potius, quam, *petis ut redeam*, quod erat moderatius. Redeam? non, ſi me obſecrat] Vides ergo ſuperiorem partem dubitationis in eo fuiſſe, [3] ut rogatus rediret: inferiorem, ut ne rogatus quidem. Non, ſi me obſecret] Bene de ea, quae totum proterve agens; *excluſit* & *revocat*: non petat, nec roget, nec oret, ſed *obſecret*, inquit: quod horum omnium in majorem partem eſt ultimum.

5. Si

O B S E R V. I N D O N A T.

1. *Amphitruone*] Act. I. Sc. I. 54.
2. *Virgilius*] Aen. IV. 534 Citat eadem verba Macrobius Saturn. IV. 6. ita: *En, quid ago?* Quod autem vulgo in Virgilio legitur, *En, quid agam?* Donatus, *Heu, quid agam?* expreſſit fortaſſe ſectius, ut major ἀπορίας ſit vis. Et mox Dido, *Heu perdita.*
3. *Ut rogatus rediret*] Lege, *An rogatus rediret.* Et mox, *An ne rogatus quidem.*

C O M M E N T A R I U S.

de, id pluribus exemplis docuit Pareus in Lex. Plaut. v. *igitur*. Porro autem citat locum Cicero Nat. Deor. III. 29. omiſſis quibuſdam, ſcilicet: *Quid igitur faciam? Excluſit, revocat. redeam? non, ſi me obſecret.* Citat & Quintilianus Inſtit. Orat. IX. 2. & 4. Horatius integrum expreſſit, Serm. II. 3. 260. ſeqq.

> *Excluſus qui diſtat? agit ubi ſecum, eat; an non,*
> *Quo rediturus erat non arceſſitus: & haeret*
> *Inviſis foribus: ne nunc, cum me vocat ultro,*
> *Accedam? an potius mediter finire labores?*
> *Excluſit. revocat. redeam? non, ſi obſecret. ecce,*
> *Servus non paullo ſapientior: ô here, quae res*
> *Nec modum habet, neque conſilium, ratione modoque*
> *Tractari non vult. in amore haec ſunt mala; bellum,*
> *Pax rurſum. haec ſi quis tempeſtatis prope ritu*
> *Mobilia, & caeca fluitantia ſorte laboret*
> *Reddere certa ſibi, nihilo plus explicet, ac ſi*
> *Inſanire paret certa ratione modoque.*

Et Perſius Sat. V. 172.

> *Quidnam igitur faciam? ne nunc, quum arceſſat, & ultro*
> *Supplicet, accedam?*

In eandem ſententiam Dido apud Virg. Aen. IV. 534.

> *En, quid agam? rurſuſne procos irriſa priores*
> *Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,*
> *Quos ego ſum toties jam dedignata maritos?*

Non eam?] Ita diſtinxi, ſequutus auctoritatem Val. Probi, veteris Terentii interpretis, quem laudat Donatus. Sed & ita edidit Aldus, Fabrini, Dacieria, alii. Pro vulgata tamen diſtinctione

Digitized by Google

Verum ſi incipies, neque pertendes naviter:
Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans

Te

DONATI.

5. Si quidem hercle possis] ⁴ Διαλογισμὸς quaſi ad alterum: ut,

⁵ —— neſcis heu, perdita, necdum
Laomedonteae ſentis perjuria gentis.

Nihil prius, neque fortius] Deeſt, *eſt.* ut,

⁶ Multum ille & terris jactatus & alto.

Et *prius* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet. ut ⁷ *Salluſtius, Quae prima mortales ducunt.* Et ipſe in Heautont. *Et ſuavia quae eſſent, prima habere.*

6. Naviter] A navi ductum, a qua in alto nullum diverſorium eſt.

8. Infecta pace] Ἔμφασις per μεταφοράν.

Indicans te amare] ⁸ Non verbis indicans, ut alibi, *Ibi tum exanimatus Pamphilus Bene diſſimulatum amorem, & celatum indicat.*

9. Actum est! ilicet! peristi!] De jure translatum. Actum est, ad *Ultro ad eam venies*, relatum eſt. Ilicet, ad *Indicans te amare*: Peristi, ad *Ferre non poſſe.* Ilicet] Semper in fine transactae rei ponitur. Peristi] Ὑπερβολή. Ilicet] De judicio. Peristi] De ſupplicio.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Διαλογισμὸς quaſi ad alterum*] Videtur igitur Donatus etiam haec verba tribuere Phaedriae.

5. *Neſcis*] Virgil. Aen. IV. 541.

6. *Multum ille*] Virg. Aen. I. 3.

7. *Salluſtius*] Catil. 36. ubi nunc vulgo: *Quae prima mortales putant.*

8. *Non verbis indicans*] Lege omnino, *Re, non verbis indicans.* Quia vero proxime praecedit *amore*, videtur τὸ re neglectum a Librariis, quaſi otioſum. Niſi potius error ortus ex veteri ſcripturae compendio, AMARE, quod valet AMARE RE.

COMMENTARIUS.

ſtinctione facere videtur locus And. I. 2. 30.

2. Me comparem] Inſtituam, parem. quod uſitatius. Infra II. 2. 9. Hec. I. 1. 11. Ovid. Metam. VI. 613.

In omne nefas ego me, *germana*, paravi.

3. Meretricum] Invidioſe, quum de una Thaide ſermo ſit. Virg. Aen. II. 155.

vos arae, enſesque nefandi.

Quem loquendi modum non eſſe Graeciſmum, ſed pluſculis linguis familiarem, recte obſervat Muretus.

4. Exclusit] Intrare vel redire prohibuit. Cic. Fam. XIV. 3. *Ejicere nos magnum fuit*, excludere *facile eſt.* Idem Catil. I. 4. Excluſi *eos, quos tu mane ad me ſalutatum miſeras.* Martial. IV. 42. 13.

Et timeat pueros, excludat *ſaepe puellas.*

Revocat] Ovid. Remed. Amor. 519.

Janua forte patet. quamvis revocabere, *tranſi.*

Non, si] Eleganter, pro, *non, etiamſi.* Heaut. III. 1. 43. Cic. Fam. XI. 10. Non, ſi *Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.* Etiam inverſo ordine. Cic. Fam. XIII. 74. *Tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritaſque, ut*, ſi *mea res eſſet*, non *magis laborarem.*

5. Prius] Praeſtantius. Vide infra III. 5. 19.

6. Neque pertendes naviter] Georg. Fabritius & Lindenbruchius ex Chariſio laudant, neque pol tendes naviter. Praeſtat autem vulgatum. Sic Heaut. V. 5. 9. In Mſſ. Lipſ. & aliis eſt, perficies. Quod Plauto *efficere* eſt, Truc. II. 5. 12. & 16. Propert. II. 15. 17.

Quod ſi pertendens *animo veſtita cubaris,*
Sciſſa veſte meas experiere manus.

Eſt vero *pertendere* rem arduam ad exitum perducere. Quod autem Donatus & Feſtus naviter a *navi* deducunt, in eo falluntur. γενναῖος eſt *gnavus, navus*, γενναίως *gnaviter, naviter.* Affinis ſententia Ciceronis pro Rabir. cap. 2. *Id eſt difficile, quod cum ſpe magna ſis ingreſſus, id non exſequi uſque ad extremum.*

7. Atque] Valet h. l. ſtatim, continuo. Virgil. Georg. I. 203.

Atque *illum in praeceps prono rapit alveus amne.*

Exempla plura vide in Fabri Theſauro.

Pati non poteris] Sic mox verſu 9. Et ferre non posse. Sub. deſiderium Thaidis; vel ſimpliciter, durare non poteris. Sic Hec. I. 2. 108. Ovid. Metam. X. 25.

Poſſe pati *volui: nec me tentaſſe negabo.*

Te amare, & ferre non poſſe: actum eſt! ilicet!
Periſti! eludet, ubi te victum ſenſerit.
Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita,
Here. quae res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore haec omnia inſunt vitia: injuriae,

Suſpi-

DONATI.

10. ELUDET] *Eludere* proprie gladiatorum eſt, cum vicerint. [9] *Cicero, Quam diu etiam furor iſte tuus eludet?* [10] *Eludere*, eſt finem ludo imponere.

11. PROIN TU] Ut *exin* & *exinde*, ſic *proin* & *proinde* dicitur.

12. HERE. QUAE RES] Conceſſum eſt in Palliata Poëtis comicis, ſervos dominis ſapientiores fingere: quod idem in Togata [11] non ferre licet.

13. EAM CONSILIO REGERE NON POTES] Nunc domino ſervus eſt ſapientior: quia nec amator, nec amans. Ut idem in Andria,

Facile omnes, cum valemus, recta conſilia aegrotis damus.

14. IN AMORE HAEC OMNIA INSUNT VITIA] Duae praepoſitiones, IN AMORE INSUNT.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Cicero*] Catil. I. 1.

10. *Eludere*] Lege, *Et Eludere*. Rurſus neglecta conjunctio ob praecedens *eludet*.

11. *Non ferre licet*] Vitioſa lectio. Lindenbruchius edidit, *Non fere licet.* melius. Editio Veneta optime, *facere non licet.* ſcilicet ſcriptum fuerat *fre*, unde & *fere* & *ferre* natum, quum notaret *facere*.

COMMENTARIUS.

QUUM NEMO EXPETET] Guyetus praeter genium Terentiani ſermonis, *Quum nemo expetet*, h. e. quum res non expetet. Senſus autem eſt, Quum Thais nulla expetet te. Atque huc pertinet, quod mox ſequitur, ULTRO AD EAM VENIES, h. e. non expetitus, non deſideratus. Certe τὸ NEMO de mulieribus etiam Plautus uſurpavit, Caſ. II. 2. 12.

Nam vicinam neminem *amo merito magis, quam te.*

9. FERRE NON POSSE] Eleganter abſolute, ſub. deſiderium. Cic. Tuſc. II. 17. *Subduc cibum unum diem Athletae: Jovem Olympium, eum ipſum, cui ſe exercebit, implorabit*, FERRE NON POSSE, *clamabit.*

ACTUM EST! ILICET] Formulae comicae in rebus deſperatis, quibus remedium nullum eſt. Uſi ea veteres vel in judiciis, ſententia pronunciata, vel in funeribus efferendis. Vide Donat. ad Phorm. I. 4. 31. Briſſon. de Formul. Lib. V. & Lib. VIII. Kirchmann. de Fun. Rom. III. 9. Serv. ad Virg. Aen. II. 424.

10. ELUDET] *Eludere* proprie eſt ictum vitare, quod fit arte & dolo. Unde & pro decipere uſurpatur. Locutio tracta a gladiatoribus, quique arma tractant. Horat. Epiſt. I. 17. 17.

Cur ſit Ariſtippi potior ſententia. namque
Mordacem Cynicum ſic eludebat.

Ubi conſule Lambinum.

VICTUM] Proprie. Virg. Aen. IV. 370.

Num lacrimas victus *dedit? aut miſeratus amantem eſt?*

Vide, quae mox de Amore Parmeno ἀλληγορεῖ.

11. DUM EST TEMPUS] Occaſionem intelligit. Sic And. III. 3. 24. Plaut. Bacchid. IV. 4. 25.

An neſciebat, quam ejuſmodi homini raro tempus *ſe daret?*

ETIAM ATQUE ETIAM] Hae particulae Ciceroni in deliciis fuere, pro, maximo opere, quod & *vehementer etiam atque etiam* dixit. Sunt vero Libri, atque in iis Lipſianus Codex, ubi hic verſus tribuitur Phaedriae.

12. QUAE RES IN SE NEQUE CONSILIUM, NEQUE MODUM HABET ULLUM] H. e. quae nec prudentia

Suſpiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rurſum. Incerta haec ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quae illum? quae me? quae non? ſine modo,
Mori

D O N A T I.

15. Induciae] Induciae, ſunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium praebeant.

16. Pax rursum] Bene, ut conſolaretur, [12] ultimam partem poſuit. Haec si tu postules] Id eſt, ſi velis, vel coneris.

17. Nihilo plus agas] Id eſt, nihil agas.

19. Et quod nunc] Pro *quae*: ut ſit conſequens, *haec verba*. ſic in Andria,

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Horum ille nihil egregie.

20. Egone illam? quae illum? quae me?] Familiaris ἐλλείψεις iraſcentibus, nam ſingula ſic complentur, Egone illam *non ulciſcar*? quae illum *recepit*? quae *excluſit* me? quae non *admiſiſti*? Etenim neceſſe habet, nec poteſt complere orationem, qui & ſecum loquitur, & dolore vexatur. Nam amat ἀποσιώπησιν nimia indignatio. ut [13] *Virgilius*,

Quos ego. ſed motos praeſtat componere fluctus.

O B S E R V. I N D O N A T.

12. *Ultimam partem poſuit*] Senſus poſtulat, ut legatur, *Ultimam Pacem poſuit*.

13. *Virgilius*] Aen. I. 135.

C O M M E N T A R I U S.

dentia ulla adminiſtrari, nec ullis finibus circumſcribi poteſt. Horat. Carm. III 4. 66.

Vis conſili *expers mole ruit ſua.*

Nepos Pauſan. 1. *Et manu fortis, &* conſilii *plenus*. Virgil. Ecl. II. 68.

quis enim modus *adſit amori?*

13. Consilio regere non potes] Expreſſa e Menandri Conſobrinis:

φύσει γὰρ ἐστ᾽ ἔρως
Τοῦ νουθετοῦντος κωφὸν, ἅμα δ᾽ οὐ ῥᾴδιον
Νεότητα νικᾶν ἐστι, καὶ Θεὸν λόγῳ.

natura enim eſt Amor
Monenti ſurdus, ſimulque non facile eſt
Vincere juventutem & Deum ratione.

P. Syrus: *Amare & ſapere vix Deo conceditur.*
Sentius Augurinus apud Plin. Lib. IV. Epiſt. 27.

I nunc, qui ſapias, amare noli.

14. In amore haec omnia insunt vitia] Integrum locum laudat Cicero Tuſc. IV. 35. Plautus ad eundem modum, Merc. Prol. 18.

Nam amorem haec cuncta vitia ſectari ſolent;
Cura, aegritudo, nimiaque elegantia.

Et mox:

Sed amori accedunt etiam haec, quae dixi minus,
Inſomnia, aerumna, error, terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiaque adeo, & temeritas,
Incogitantia, excors immodeſtia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia.
Inhaeret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium.

18. Cum ratione insanias] ὀξύμωρον, quale illud: ὁ νοῦς ὁ δ᾽ αὐτὸς νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνει. Item illud: καὶ μαίνομαι, κοὐ μαίνομαι.

20. Egone illam?] Priſcianus Inſtit. Lib. XVII. has ἐλλείψεις ita explet: Egone illam *dignor* (an *digner*?) *adventu meo*? Quae illum *praepoſuit mihi*? Quae me *ſprevit*? Quae non *ſuſcepit heri*?

Sine modo] Formula comminantis. Sie infra IV. 6. 1. & Hec. IV. 4. 85. ubi Donatus: Sine, *vim habet comminantis*. Plaut. Pſeud. I. 2. 86. Ennius:

Malo, hercle, magno ſuo convincat, ſine modo.

 21. Mo-

Digitized by Google

Mori me malim: ſentiet qui vir ſiem.
Haec verba, una mehercle falſa lachrymula,
Quam oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: & te ultro accuſabis: & dabis ei
Ultro ſupplicium. *Ph.* O indignum facinus! nunc ego &
Illam

DONATI.

22. HAEC VERBA] VERBA ἐμφατικῶς dixit, quae ſcilicet nihil effectura ſint. ME HERCLE UNA FALSA LACRIMULA, QUAM OCULOS TERENDO MISERE, VIX VI EXPRESSERIT] Expreſſio ad αὔξησιν ducens. Et non *vera*, ſed FALSA: & non *lacruma*, ſed LACRYMULA: & non *ultro flens*, ſed OCULOS TERENDO: & non *facile*, ſed VI: & non, *exſtillaverit*, ſed EXPRESSERIT. ſic [14] *Virgilius*,

Captique dolis lacrymiſque coactis.

23. QUAM OCULOS TERENDO MISERE, VIX VI EXPRESSERIT] Totum ſenſum verbis ſignificantibus protulit: ut,

[15] *Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.*

Et: [16] *Una dolo divûm ſi femina victa duorum eſt.*

25. NUNC EGO ET ILLAM] NUNC, id eſt, ſero. ut [17] *Virgil.*

Nunc ſcio quid ſit amor.

Et, [18] *Nunc augur Apollo,*
Nunc Lyciae ſortes.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Virgilius*] Aen. II. 196.
15. *Stridenti*] Virg. Ecl. III. 27.
16. *Una*] Virg. Aen. IV. 95.
17. *Virgil.*] Ecl. VIII. 43.
18. *Nunc augur*] Virg. Aen. IV. 376.

COMMENTARIUS.

21. MORI ME MALIM] Vide infra IV. 7. 2. & Phorm. V. 7. 63. Plaut. Aſin. IV. 2. 1.

SENTIET, QUI VIR SIEM] H. e. damno ſuo experietur. eſtque verbum in comminando uſurpatum. Adelph. I. 2. 59. Horat. Carm. III. 1. 33.

Contracta piſces aequora ſentiunt.

Cic. pro Sext. 28. Sentient, *ut ſpero, brevi tempore, manere libertatem illam.* Et Catil. II. 12. Sentiet, *in hac urbe eſſe Coſſ. vigilantes.* Phaed. V. 2. 9. *jam curabo*, ſentiat,
Quos attentarit.

Ovid. Metam. XIII. 864.

Sentiet, *eſſe mihi tanto pro corpore vires.*

Dixit autem QUI, pro, qualis & quantus. Sic infra III. 5. 42. Phaed. I. 13. 6.

O qui *tuarum, corve, pennarum eſt nitor!*

Tacit. Agric. 31. *Oſtendamus*, quos *ſibi Caledonia viros ſepoſuerit.*

23. OCULOS TERENDO] Mſ. Mark. OCULOS TERGENDO. MISERE. Mſ. Traject. cum edit. Venet. 1490. & paucis aliis, MISERA, habent. quomodo & Donatus videtur legiſſe; quod conficias ex ejus verbis: *non, ultro flens, ſed*, OCULOS TERENDO. ubi major emphaſis & αὔξησις fuerat, ſi dixiſſet, MISERA TERENDO.

VIX VI EXPRESSERIT] Sic Ovid. Metam. VI. 628.

Invitique oculi lacrymis maduere coactis.

Juven. Sat. XIII. 133.

vexare oculos humore coacto.

Ceterum de lacrymarum muliebrium dolis dicta multorum congerere non libet. De iis cavendum ſancit Ovidius, Remed. Amor. 689.

Neve puellarum lacrymis moveare, caveto.
Ut flerent, oculos erudiere ſuos.

24. TE ULTRO ACCUSABIS] Injuriam ab illa in te transferes. Mallent Faernus, Georg. Fabritius, Muretus & Guyetus, ACCUSABIT. Atque ita eſt in duobus Mſſ. Leidenſibus & Lipſianis. Sed & ita in uno Codice exarato legebat Boeclerus. Minus tamen accurate, opinor. Uti enim verſu 8. dixerat, ULTRO AD EAM VENIES; & nunc, DABIS EI ULTRO SUPPLICIUM, ita omnino elegantius addidit, ET TE ULTRO ACCUSABIS. H. e. culpabis, reprehendes. Hec. II. 1. 8. & IV. 4. 95. Cicero Offic. III. 23. *Quid, ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebitne filius? Immo vero obſecrabit*
patrem

Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum, ſentio:
Et taedet: & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus, videnſque pereo: nec quid agam, ſcio.
Pa. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas
Mini-

DONATI.

27. ET PRUDENS, SCIENS] PRUDENS eſt, qui intelligentia ſua aliquid ſentit. SCIENS, qui alicujus indicio rem cognoſcit. Ergo *prudens*, per ſeſe: *ſciens*, per alios.

28. VIVUS, VIDENSQUE PEREO] Mire & nove, VIVUS PEREO: & propterea ſic dixit, ut intelligamus, *occidor*: & VIVUS, quaſi ſapiens & ſentiens. VIVUS, VIDENSQUE PEREO] Bene addidit VIDENS, nam VIVUS perit, qui etiam dormiens opprimitur: VIDENS autem, qui vigilans vim patitur & perit. Nam *videre*, pro vigilare poſuit, ut etiam [19] *Virgilius*, quum de ſilentio dicit,

— *jamque videnti*
Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Ergo *vivus*, non mortuus: *videns*, non dormiens.

29. CAPTUM] [20] *Salluſtius*, *Sin captus pravis cupidinibus*. QUAM QUEAS MINIMO] Perſeveravit in tranſlatione, quam [21] jamdudum ſumpſit a bello.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Virgilius*] Ecl. VI. 21.
20. *Salluſtius*] Bello Jug. 1.
21. *Jam dudum*] Reſpicit verſus 8. 10. 14. 15. 16.

COMMENTARIUS.

patrem, ne id facias. Si nihil proficiet, accuſabit; *minabitur etiam. Ad extremum ſi ad perniciem patriae res ſpectabit, patriae ſalutem anteponet ſaluti patris.*

DABIS EI ULTRO SUPPLICIUM] Obſervat Hieronymus Homilia LXIV. in Matth. ita abuſas meretriculas amatorum patientia, ut vel propter leviſſimas offenſiunculas non ſolum colaphis os caederent, & deſpuerent, ſed & ſandalio capita commitigarent. Vide infra V. 8. 4.

25. NUNC EGO ET ILLAM SCELESTAM ESSE, ET ME MISERUM, SENTIO] Emphaſin habet τὸ NUNC. Quod vero laudat Donatus ex Virg. Ecl. VIII. 43.

Nunc *ſcio, quid ſit amor*,

expreſſum ex Theocr. Idyll. III. 15.

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός.

27. AMORE ARDEO] Varie eandem rem expreſſerunt. Virg. Ecl. II. 68.

Me tamen urit amor.

Idem Aen. IV. 66.

Eſt mollis flamma medullas.

Et Aen. VIII. 388.

ille repente
Accepit ſolitam flammam: notuſque medullas
Intravit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.

Horat. Carm. I. 13. 8.

Quam lentis penitus macerer ignibus.

Et I. 19. 5. *Urit me Glycerae nitor.*

PRUDENS, SCIENS] Formulae ſpeciem habet. Cic. Orat. pro Marcello, 5. PRUDENS, ET SCIENS *tanquam ad interitum ruerem voluntarium.* Unde Noſter Heaut. IV. 1. 19.

certo ſcio,
Te inſcientem, atque imprudentem *dicere ac facere omnia.*

Cic. Attic. X. 9. *Nec te* ſciens, prudenſque *eo demittas, unde exitum vides nullum eſſe.* Suet. Ner. 2. *Qui id ſibi* prudens, ac ſciens *minus noxium temperaſſet*. Apulej. Apol. I. Prudens, ac ſciens *delinquis*.

28. VIVUS VIDENSQUE] Locutio a Graecis deſumta. Homer. Iliad. A. 88.

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.
Quiſquam me vivo & terram intuente.

In quibus verbis eſſe *ἐπεξήγησιν* obſervat exemplis Graecis & Latinis J. Scherpezelius. Adde praeter citata Cic. pro Sext. 27. Vivus, *ut ajunt, eſt*, & videns. Quod vero Phaedria, idem de ſe Medea apud Ovid. Metam. VII. 19.

Sed trahit invitam nova vis; aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet. video meliora, proboque:
Deteriora ſequor.

Vide porro Boeclerum.

29. TE REDIMAS CAPTUM] Metaphora ab iis, qui in hoſtium ſunt poteſtate. Ovid. Remed. 229.

Ut

Minimo: ſi nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. *Ph.* Itane ſuades? *Pa.* Si ſapis:
Neque, praeterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas: & illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipſa egreditur, noſtri fundi calamitas.
Nam quod nos capere oportet, haec intercipit.

DONATI.

31. SI SAPIS] Id eſt, ſi ſapias. ad inferiora jungendum eſt: nam aliter non intelligitur.

34. NOSTRI FUNDI CALAMITAS] Proprie *calamitatem* ruſtici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc eſt, culmum ac ſegetem.

35. INTERCIPIT] Proprie, [22] quaſi totum capit. *Plautus* in [23] Aulularia,

Quae mihi interbibere ſola, ſi vino [24] *ſcateat,*
[25] *Corinthienſem fonteiu & Pyrenaeum poteſt.*

OBSERV. IN DONAT.

22. *Quaſi totum capit*] Immo *intercipi* proprie dicitur, quod capitur antequam ad locum deſtinatum perveniat. Ita literae dicuntur *intercipi*. Vid. Comment.

23. *Aulularia*] III. 6. 22.

24. *Scateat*] Lege, *ſcatet*.

25. *Corinthienſem fontem, & Pyrenaeum*] Lege, *Corinthienſem fontem Pirenam*. Vid. Taubm.

COMMENTARIUS.

Ut corpus redimas, *ferrum patiere & ignes;*
Arida nec ſitiens ora lavabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore majus habet.

32. NEQUE, PRAETERQUAM QUAS IPSE AMOR MOLESTIAS HABET, ADDAS: ET ILLAS, QUAS HABET, RECTE FERAS] Haec levi immutatione ex Eunucho Menandri expreſſa:

Μὴ θεομάχει, μηδὲ προςάγε τῷ πράγματι
Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς ἀναγκαίους φέρε.
Contra Deum ne pugna, neque adde rei
Procellas alias, fer neceſſarias.

34. NOSTRI FUNDI CALAMITAS] Elegans Allegoria. Amplius etiam dixit Plautus Epid. II. 2. 42.

Quaſi non fundis *exornatae multae incedant per viae.*

h. e. omni pretio *fundorum* ab amatoribus venditorum. Cic. Verr. I. 38. *Per omnes partes provinciae te, tanquam aliquam* calamitoſam tempeſtatem, *peſtemque pervaſiſſe*. Et pro Domo 53. *Tu, procella patriae, turbo, & tempeſtas pacis atque otii.* Amator autem *fundus* dictus, quod inſtar fructuoſiſſimi praedii plurima funderet. Plaut. Truc. IV. 2. 15.

Solus ſummam habet hic apud nos. nunc is eſt fundus *nobis.*

Ceterum Donati interpretationem vocis *Calamitas* contra Nannium περὶ τῆς καλάμαιας (locuſta) accipientem, defendit J. Fr. Gronovius, Obſerv. III. 9.

35. CAPERE] Verbum proprium de reditibus vectigalium aut patrimonii. Infra III. 1. 59. Cicero Paradox. VI. 3. Capit *ille ex ſuis praediis ſexcenta ſeſtertia; ego centena ex meis.* Suetonius de illuſtribus Grammaticis cap. 23. *Nec ſufficeret ſumtibus, quanquam ex ſchola quadragena annua* caperet. Plaut. Perſ. I. 1. 41.

quin ſi egomet totus veneam, vix recipi poteſſit,
Quod tu me rogas.

In Mſ. Lipſ. eſt: JAM QUOD NOS CAPERE OPORTET.

INTERCIPIT] Sunt, qui Donatum ſequuti *intercipere* totum capere explicant. Videtur autem potius eſſe id capere, quod ad alterum deſtinatum erat. quomodo literae paſſim dicuntur *intercipi*. Cicero de Lege Agrar. II. 2. ad Conſulatum retulit: *ut veſter honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occaſionem* interceptus, *nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed dignitate impetratus eſſe videatur.* Sic Plaut. Amphitr. I. 1. 169.

ME. *Vox mihi ad aures advolavit.* SO. *Nae ego homo infelix fui,*
Qui non alas intervelli.

Sub. priuſquam ad aures advolaret. Geminus noſtro locus eſt apud Ovid. Metam. VIII. 290. de apro:

Is modo creſcenti ſegetes proculcat in herba;
Nec matura metit fleturi vota coloni;
Et Cererem in ſpicis intercipit.

Et Metam. XV. 111.

Longius inde nefas abiit: & prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit *anni.*

ACTUS

ACTUS PRIMI

SCENA SECUNDA.

THAIS. PHAEDRIA. PARMENO.

Th. MISERAM me! vereor ne illud gravius Phaedria
Tulerit, neve alio rſum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non eſt. *Ph.* Totus, Parmeno,
Tremo, horreoque, poſtquam aſpexi hanc. *Pa.* Bono animo es:
Acce-

DONATI.

1. MISERAM ME, &c. NEVE ALIORSUM] ALIORSUM, in aliam partem: ut *ſeorſum, retrorſum*, dicitur.

3. QUOD HERI INTROMISSUS NON EST] Haec levius, ut de facto ſuo loquens. At Phaedria, EXCLUSIT, REVOCAT, inquit, REDEAM? NON, SI ME OBSECRET.

4. TREMO, HORREOQUE] Ex amore nimio. Nimius ignis, effectum frigoris reddit: & ex frigore nimio effectus ignis exiſtit: ſecundum illud quod Phyſici ajunt. hinc & [1] *Virgilius*,

Aut Boreae penetrabile frigus adurat.

TREMO, HORREOQUE, POSTQUAM ASPEXI HANC] Natura magni caloris etiam horrorem incutit, ut nimiae febres.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Georg. I. 93.

COMMENTARIUS.

2. ALIORSUM ACCEPERIT] In contrariam partem interpretatus ſit. Sic And. II. 2. 24. Adelph. I. 2. 20. Plaut. Aul. II. 4. 8.

Atqui ego iſtuc, Anthrax, aliovorſum dixeram,

Non iſtuc, *quod tu inſimulas.*

Infra V. 2. 37.

Equidem pol in eam partem accipioque *& volo.*

Adelph. IV. 3. 15. Phaed. Lib. II. Prol. 11.

Bonas in partes, lector, accipias, *velim.*

Et III. 8. 8.

Accipiens, *quid enim? cuncta in contumeliam.*

4. TOTUS TREMO, HORREOQUE] Metaphora a febri deſumta, quae quando cum intenſiſſimo frigore accedit, *horror* vocatur. Cic. Att. XII. 6. *Atticam doleo tam diu. Sed quoniam jam ſine* horrore *eſt, ſpero eſſe, ut volumus.* Celſus Lib. III. cap. 3. de febrium generibus: *Quotidianae vero variae ſunt & multiplices. Aliae enim protinus a calore incipiunt, aliae a frigore, aliae ab* horrore. *Frigus voco, ubi extremae partes membrorum inalgeſcunt:* horrorem, *ubi* totum *corpus* intremit. Quam definitionem manifeſto reſpexit Terentius. Unde qui algent, *horrere* dicuntur. Juvenal. I. 93.

horrenti *tunicam non reddere ſervo.*

Tremor vero & *tremere*, ſed & *horror* & *horrere* de maximo pavore uſurpantur. Cic. Fam. VI. 7. *Toto corpore contremiſco.* Virg. Aen. II. 120.

Obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor.

Idem Aen. III. 29.

mihi frigidus horror

Digitized by Google

Acccede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.
Th. Quis hic loquitur? ehem, tun' hic eras, mi Phaedria?
Quid hic ſtabas? cur non recta introibas? *Pa.* Caeterum
De excluſione verbum nullum. *Th.* Quid taces?
Ph. Sane, quia vero hae mihi patent ſemper fores:

Aut

DONATI.

5. ACCEDE AD IGNEM HUNC] Potius IGNEM meretricem accipimus, quam aram Apollinis: vel quia amator uritur. Ut [2] *Virgilius*,

At mihi ſeſe offert ultro meus ignis Amyntas.

Vel quia avida & avara eſt, ut ignis alimentorum. JAM CALSSCES PLUS SATIS] Nove, ſed intelligitur *quam*, id eſt, plus aequo. ut alibi,

Quam ne quid in illum iratus plus ſatis faxit pater.

Hoc quidam putant. at mihi de his videtur eſſe, quae a veteribus geminabantur: ut, *plerique omnes*, hoc eſt, omnes: &, *pleraque omnia*, id eſt, omnia. ſic &, PLUS SATIS, pro ſatis.

6. QUIS HIC LOQUITUR?] Non imperite intelligunt, qui exiſtimant meretricem etiam hoc ſimulare, quod non providerit Phaedriam. Nam & perſonae & dictis ejus caeteris hoc convenit: & tunc erunt gratiora omnia, quae ſupra dixit.

7. CUR NON RECTA INTROIBAS?] Quaſi parum fuerit INTROIBAS, ſatis mire additum RECTA.

8. DE EXCLUSIONE VERBUM NULLUN.] Plus admirationis eſt, nec accuſationi, nec ſatisfactioni locum reliquiſſe meretricem, callide diſſimulata injuria. QUID TACES?] Et hoc callide: quaſi innocens ne ſuſpicetur quidem, quid ſuccenſeat adoleſcens.

9. SANE, QUIA VERO HAB MIHI PATENT SEMPER FORES] [3] Tolle, SANE & VERO, & pronuntiandi adjumenta vultumque dicentis: & in verbis non negatio, ſed confeſſio eſſe credatur. Nam VERO, ironiae convenit. ut [4] *Virgilius*,

Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Virgilius*] Ecl. III. 66.
3. *Tolle* SANE] Locus ſcaber, quem ope Mſ. Hulſt. & editionum vetuſtarum ita reſtituo: *Tolle* SANE. *Et* VERO *ad pronunciandi adjumentum, vultumque dicentis illatum eſt. ut in verbis non negatio, ſed confeſſio eſſe credatur.*
4. *Virgilius*] Aeneid. IV. 93.

COMMENTARIUS.

Membra quatit, gelidusque coit formidine *ſanguis.*

Horat. Carm. I. 23. 8. de hinnulo:

Et corde & genibus tremit.

Es] Mſ. Mark. ESTO. Sed & ita Pall. tres.

5. ACCEDE AD IGNEM HUNC, JAM CALESCES PLUS SATIS.] Sentio cum Donato; primo quod ſolet jocari Parmeno in re ſeria, ſic infra II. 3. 86. Tum quod amantes vocare *ignes* amicas ſuas ſolebant, ſed & delicias. Ovid. Heroid. XVI. 102.

Ardebam, quamvis hic procul ignis *erat.*

Ubi Heinſius legebat *hinc*. Idem Amor. II. 16. 11.

At meus ignis *abeſt. verbo peccavimus uno.*
Quae movet ardores, eſt procul; ardor adeſt.

Nemeſ. Ecl. IV. 4.

Nam Mopſo Meroë, Lycidae crinitus Iolas
Ignis *erat.*

Anthol. VII. 156.

Θερμαίνει μ' ὁ καλὸς Κορνήλιος. ἀλλὰ φοβοῦμαι,
Τοῦτο τὸ φῶς, ἤδη πῦρ μέγα γιγνόμενον.

Apulej. Metam. II. *Quid iſtic, inquam, eſt, mea feſtivitas, quum ſim paratus, vel uno saviolo interim recreatus ſuper iſtum* ignem *porrectus aſſari.* Et Metam. II. *Quam procul a meo foculo diſcede: nam ſi te vel modice meus* igniculus *afflaverit, ureris intime.* Verba Photidis. Vere Artemidorus II. 8. Οὐδὲν οὕτως τὰ σώματα θερμαίνει, ὥσπερ πῦρ καὶ γυνή. Eugraphius Menandrum laudat

Digitized by Google

Aut quia ſum apud te primus. *Th.* Miſſa iſtaec face.
Ph. Quid miſſa? o Thais, Thais, utinam eſſet mihi
Pars aequa amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet:
Aut ego iſtuc abs te factum nihili penderem.
Th. Ne crucia te, obſecro, anime mi, mi Phaedria.

Non

DONATI.

10. AUT QUIA SUM APUD TE PRIMUS] Duo dixit quae doleat: & quia clauſae fores, & quia poſterior habetur, praelato milite. AUT QUIA SUM APUD TE PRIMUS] Subauditur, *Non recta introivi.* MISSA ISTAEC FACE.] Alia diſſimulatio, & durior poſt admonitionem. Sed bene intelligit, qui hoc a meretrice ridente molliter, & oſculum porrigente dici accipit.

11. QUID MISSA?] Magna virtus Poëtae eſt, non ſententias ſolum de conſuetudine ac de medio tollere, & ponere in Comoedia: verum etiam verba quaedam ex communi ſermone, quale eſt quod ait nunc, QUID MISSA? UTINAM ESSET MIHI PARS AEQUA AMORIS TECUM], Vel amandi, vel non amandi ſcilicet.

12. AC PARITER FIERET] PARITER, ſimiliter. [6] *Salluſtius, Cui niſi pariter obviam iretur.*

13. UT AUT HOC TIBI DOLERET ITIDEM, UT MIHI DOLET] Si ambo amaremus.

15. NE CRUCIA TE, OBSECRO, ANIME MI] MI, vocativus eſt, ab eo quod eſt *meus.* Vide quam familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim *Terentius* velut peculiare verbum hoc eſſe Thaidis. ideo totiens dictum eſt, *Tune hic eras, mi Phaedria? Ne crucia te, obſecro, anime mi, mi Phaedria.* NE CRUCIA TE] Haec niſi amplectens adoleſcentem mulier dixerit, videbitur, NE CRUCIA, ſine affectu dicere. Sed ſic dicet, NE CRUCIA TE, eo geſtu, quaſi in eo etiam ipſa crucietur: nam ideo ſubjecit, ANIME MI, hoc eſt, animus meus.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Vel amandi, vel non amandi ſcilicet*] Editio Argentina: *Amandi & non amandi.* Utrumque vero, quod memorat, fieri optat Phaedria, cujus geminum AUT non facit δίλημμα, ſed copulat. Eſto igitur ſenſus alterius verſus: ut ego iſtuc factum abs te aequo animo ferrem, ſi ſcirem, illud itidem dolere tibi, ut mihi dolet.

6. *Salluſtius*] Locus eſt in Fragmentis.

COMMENTARIUS.

dat aperte dicentem, meretrices juxta domum ſuam vel in atrio ſolitas habere aram Veneris vulgariae, cui quotidie ſacrificarent. Credit porro, jocantem ſervum intelligere *ignem* illius arae.

7. QUID HIC STABAS?] Plaut. Menaechm. II. 3. 11.

Animule mi, mihi mira videntur
Hic *te* ſtare *foris, fores quoi pateant*
Magis, quam domus tua, domus quum haec tua ſit.

RECTA INTROIBAS?] Mſ. Lipſ. RECTA INTRABAS.

11. UTINAM ESSET MIHI PARS AEQUA AMORIS TECUM] H. e. aequalis. Ovid. Heroid. XV. 163.

Conſtitit, & dixit, quoniam non ignibus aequis
Ureris, Ambracias terra petenda tibi.

Theocr. Idyll. XII. 10.

Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες
Νῷν.
Utinam pares adſpirent ambobus amores
Nobis.

Si vero *aequa pars amoris* non *eſſet* utrinque, Cupidinem accuſabant. Anthol. VII. 139.

Εἰ μὲν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρως ἴσα τόξα τιτάνεις,
Εἶ θεός· εἰ δὲ ῥέπεις πρὸς μέρος, οὐ θεὸς εἶ.

Ita fere Perſius magiſtro ſuo V. 22.

Excutienda damus praecordia, quantaque noſtrae
Pars tua ſit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Oſtendiſſe juvat.

15. NE CRUCIA TE] Mſ. Lipſ. alter: NE CRUCIARE.

Digitized by Google

Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: ſed ita erat res: faciundum fuit.
Pa. Credo, ut fit, miſera prae amore excluſti hunc foras.
Th. Siccine ais, Parmeno? age! ſed huc qua gratia
Te arceſſi juſſi, auſculta. *Ph.* Fiat. *Th.* Dic mihi
Hoc primum, potin' eſt hic tacere? *Pa.* Egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam adſtringo fidem:

Quae

DONATI.

16. NON POL, QUO QUEMQUAM PLUS AMEM] Hoc totum nimis blande, & cum contrectatione adoleſcentis, dicit meretrix.

17. FACIUNDUM FUIT.] Legendum, faciendum, ſcribendum, totum hoc ſemper neceſſitati adjungitur. [7] *Virgilius*,

Aut pacem Trojano ab rege petendum.

[8] Et alibi,

Arma acri facienda viro.

18. CREDO, UT FIT, MISERA PRAE AMORE EXCLUSTI HUNC FORAS.] Oratorie ac facete additum, MISERA. Et cum illa a derivatione cauſae argumentetur, mire a Parmenone correpta eſt, veriſimile non eſſe, ut quis, quem amet, eundem poſſit excludere. EXCLUSTI HUNC FORAS.] Παρὰ προσδοκίαν intulit, intuens puellam, & ei oſtendens Phaedriam: ut oſtendat quam falſa & repugnantia loquatur meretrix.

19. AGE] Corripientis eſt modo AGE, non hortantis adverbium.

20. TE ARCESSI JUSSI] Hoc eſt, quod ſupra ait, *Non eam, ne nunc quidem, cum arceſſor ultro?* DIC MIHI] Meretricia calliditate commendat, quae dictura eſt.

21. EGONE? OPTUME.] Bene. non expectavit ſervus, ut pro ſe dominus reſponderet Thaidi.

22. VERUM HEUS TU] Aſtute ſervus reponit Thaidi vicem. Nam illa ut magnum voluit expectari, quod dictura eſt, iſte ut falſum contemnit. MEAM ADSTRINGO FIDEM] Fidem promitto: quia *vincula fidei* dicuntur.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Virgilius*] Aeneid. XI. 230.

8. *Alibi*] Aeneid. VIII. 441.

COMMENTARIUS.

16. PLUS AMEM, AUT PLUS DILIGAM] Varia diſtinctio eſt inter τὸ *amare* & *diligere*. Primum enim *amare* amplius quid eſt, praeſertim Ciceroni. Sic Fam. IX. 14. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique* amare *videar, antea* dilexiſſe. Tum *diligimus* ob virtutem, ceteraſque animi dotes, *amamus* voluptatis & utilitatis gratia. Ovid. Remed. Amor. 305.

Diligit *ipſa alios: a me faſtidit* amari.

Unde & per εὐφημισμὸν de ipſa συνουσίᾳ dicitur Plauto. Eſt porro *Amare* in interiore ſignificatu favere, bene velle, alterius commoda ut ſua curare. Unde *Ame Deum*, ſoloecum eſt. *Diligere* eſt, aliis praeferre, praecipuum quem habere.

17. ITA ERAT RES] H. e. ita neceſſe erat fieri. Res ita exigebat. Plaut. Bacch. IV. 4. 13.

utcumque res ſit, *ita animum habeas.*

& verſu 70. res ita eſt. *dici volo.*

Menaechm. V. 1. 37.

Ut veniat ad me: ita rem eſſe *dicite.*

Eodem ſenſu dixit Pſeud. IV. 2. 36.

ita negotium eſt.

18. EXCLUSTI] Mſ. Bodl. EXCLUDIT. patet vero, Donatum vel EXCLUSTI legiſſe, quod tuetur Faërnus, vel EXCLUSISTI. Priſcianus Lib. XIV. & Mſ. Lipſ. EXCLUSIT. E Menandri Prologo Thaidis haec citat Plutarchus, de audiendis Poëtis:

Ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεὰ
Θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα,
Ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνὰ,
Μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί.

19. SIC-

Quae vera audivi, taceo, & contineo optume;
Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt.
Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri ſi vis, vera dicito.
Th. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
Pa. Poteſt taceri hoc. *Th.* Ibi tum matri parvolam

Puel-

DONATI.

23. QUAE VERA AUDIVI, TACEO] Mire vicem Parmeno reddidit meretrici. Nam ut ſervum difficile eſt tacere commiſſa: ita meretricem rarum eſt vera dicere. QUAE VERA AUDIVI] Figura παρασκευή. CONTINEO OPTUME] Proprie a metaphora vaſorum tranſtulit verba.

24. SIN FALSUM, AUT VANUM, AUT FICTUM EST, CONTINUO PALAM EST.] FALSUM eſt, quo tegitur id quod factum eſt. VANUM, quod fieri non poteſt. FICTUM, quod non eſt factum, & fieri potuit. Vel FALSUM, eſt fictum mendacium ſimile veritati. VANUM, nec poſſibile, nec veriſimile. FICTUM totum ſine vero, ſed veriſimile. FALSUM loqui, mendacis eſt: FICTUM, callidi: VANUM, ſtulti. FALSUM loqui, culpae eſt. FICTUM, virtutis. VANUM, vecordiae. FALSIS decipimur: FICTIS delectamur. VANA contemnimus.

25. PLENUS RIMARUM SUM] Vilis atque abjecta tranſlatio, & 9 apta ad meretricem loquenti. tranſlata autem eſt ab aquario vaſe fictili. HAC ATQUE ILLAC PERFLUO.] Contra, CONTINEO OPTUME.

26. PROIN TU, TACERI SI VIS, VERA DICITO.] Utrum te taceri, aut tuum dictum? an imperſonaliter, & infinito modo?

27. SAMIA MIHI MATER FUIT] Puduit dicere Thaidem, *Meretrix mihi mater fuit.* quod tamen ſignificavit, dicendo aliunde civem alibi habitaſſe. Nam ideo meretrices, *peregrinae* dictae ſunt in Comoediis. ut in Andria,

Adeon' eſt demens? ex peregrina?

28. POTEST TACERI HOC.] Id eſt, veriſimile eſt. Nec HOC ad laudem proficit, ſed ad dedecus meretricis. POTEST TACERI HOC.] Hoc, peregrinam naſci meretricem. Et ideo poteſt verum videri.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Apta ad meretricem loquenti*] Quin ἀλληγορεῖ ſervus, qui modo dixerat eadem metaphora, CONTINEO OPTIME. In quibus ſane nihil eſt, quod ad meretricem ſpectet.

COMMENTARIUS.

19. SICCINE AGIS, PARMENO?] Mſſ. Leidenſes tres cum Traject. & Mark. SICCINE AIS, PARMENO. Sed & ita recenſuit Heinſius. Accedunt impreſſorum vetuſtiſſimi, etiam anni 1469. Unde malim ita legere. Reſpiciuntur enim verba Parmenonis; & continuo ſequitur, AGE.

AGE! SED] Lindenbruchius & Pareus ex Mſſ. citant, AGE SIS.

22. ADSTRINGO] Jurejurando confirmo quaſi vinculo quodam.

23. CONTINEO] Metaphora a vaſis deſumta, unde nil effluit. Eadem ratione *continere* ventrem, linguam, ſpiritum, alia dicunt.

25. PLENUS RIMARUM SUM] Manet in allegoria. Unde *rimoſus*, qui commiſſa tacere nequit. Alia metaphora uſus Horatius Carm. I. 18. 16.

Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

26. TACERI] Tuenda haec lectio contra Fabrum, ex Codd. vetuſtis & Donato. Ita mox, POTEST TACERI HOC.

27. SAMIA MIHI MATER FUIT: EA HABITABAT RHODI.] Tacite innuit genus meretricium. quo etiam referenda, quae mox ſequuntur, IBI TUM MATRI PARVOLAM PUELLAM DONO QUIDAM MERCATOR DEDIT. Certe *peregrinae* in urbe aliqua Graeciae habebantur meretrices.

 Plaut.

Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *Ph.* Civemne? *Th.* Arbitror:
Certum non ſcimus: matris nomen & patris
Dicebat ipſa: patriam & ſigna caetera
Neque ſciebat: neque per aetatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e praedonibus,

Unde

DONATI.

29. PUELLAM DONO QUIDAM] Aetas & ſexus amoris cauſa ſunt, cur eam Thais puellam diligat. PUELLAM DONO QUIDAM MERCATOR DEDIT] Propter hoc oſtendit meretricem fuiſſe matrem: & dono ideo accipere puellam potuiſſe.

30. EX ATTICA HINC ABREPTAM.] Quia Athenis eſt conſtituta ſcena. ARBITROR] Bene ARBITROR, & nihil certi. [10] quando enim auſurus eſſet Parmeno adornare Chaeream ad vitiandum hanc virginem, ſi praeſciſſet civem eſſe?

31. MATRIS NOMEN ET PATRIS DICEBAT IPSA] Quae infantis memoriae proxima ſunt. Nam quid prius aetas illa, quam patrem matremque cognoſcit?

32. ET SIGNA CAETERA NEQUE SCIEBAT] Id eſt, domum patris, regionemque ejus.

33. NEQUE PER AETATEM ETIAM POTUERAT.] Hoc ideo addidit, ne eſſet minus elegans, quae neſciret.

34. HOC ADDEBAT] Ad matris ſcilicet nomen & patris, quod puella dicebat.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Quando*] Lege, *Quomodo.*

COMMENTARIUS.

Plaut. Bacchid. III. 3.68. de Bacchide:

> MN. *Ubi ea mulier habitat?* LY. *Hic.* MN. *Unde eam eſſe ajunt?* LY. *Ex Samo.*

De ſitu Apulejus Florid. Lib. II. *Samos Icario in mari modica inſula eſt, ex adverſum Mileto, ad occidentem ejus ſita, nec ab ea multo pelagi diſpeſcitur.* Huic vicina *Rhodus* Carpathii maris inſula. Quia vero Parmeno facile credebat verum eſſe, quod de matre Samia, quae Rhodi habitaſſet, narratura eſt Thais, lepide interlocutus ait, POTEST TACERI HOC.

30. ABREPTAM] Mſ. Mark. ARREPTAM. quod & in Mſ. Lipſ. & pluſculis aliis.

31. CERTUM NON SCIMUS:] Mſ. Lipſ. alter, CERTUM NESCIMUS.

32. SIGNA] Malim cum Donato de familia & domo paterna intelligere, quia junguntur patriae, quam de crepundiis, quae Graeci *γνωρίσματα* vocant. quo ſenſu occurrunt infra IV. 6. 29. Editio anni 1469. SIGNA CERTA.

33. SCIEBAT] Variant Codices Mſſ. & impreſſi. Cerda ad Virg. Aen. XI. 572. SCIEBAT tuetur.

NEQUE PER AETATEM ETIAM POTUERAT.] Forte Latinius, POTERAT, quod alii Libri praeferunt, quia ſcilicet SCIEBAT praeceſſit. Atque ita eſt in uno Mſſ. Leidenſium. Mſ. Traject. vero: NEQUE PER AETATEM ETIAM SCIRE POTUERAT. Lipſii Codex dubie, *potuerat.* Cic. pro Rabir. cap. 9. *Si* per aetatem *ſcire potuiſſet.* Eadem ratione Adelph. V. 8. 8.

> *parere jam diu haec* per annos *non poteſt.*

35. UNDE EMERAT] Mſſ. quidam: UNDE EAM EMERAT. Mſ. Lipſ. INDE EMERAT.

ABREPTAM E SUNIO] Exiſtimat Boeclerus, *μνημονικὸν ἁμάρτημα* commiſſum a Cicerone ad Att. VII. 3. legente, CAPTAM E SUNIO. Sed quid ſi RAPTAM legatur? ſcilicet in Mſſ. veteribus literarum c & r levis eſt differentia. Farnabius eundem locum citat ex Plin. VII. Epiſt. 3. errore manifeſto, ſeu ipſius, ſeu typographorum. Citandus erat idem Cicero. ita ille: MERCATOR HOC ADDEBAT, CAPTAM E SUNIO. additque,

quod

Digitized by Google

Unde emerat, ſe audiſſe, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, coepit ſtudioſe omnia
Docere, educare, ita uti ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quo cum tum uno rem habebam hoſpite,
Abii huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.

Pa.

DONATI.

35. Unde] Id eſt, a quibus. ut [11] *Virg.*
— Genus unde Latinum.

[12] Et,
Cauſam dicere prius, unde petitur aurum.

E Sunio] *Sunium*, promontorium eſt Athenienſium: & in eo forum rerum venalium, *ἐμπόριον*.

36. Mater ubi accepit] Haec figura in narrationibus *βάσις* dicitur, cum omnia pedetentim dicuntur inſinuandi gratia. ut nunc, Matri mercator dono dedit. Mater ubi accepit. Et ſimul convenit mulieri loquenti hujuſcemodi mora. Mater ubi accepit] Accepit, [13] ſimpliciter; aut audivit ingenuam: ut [14] *Capiendi & c. a. t.* Sed melius prius. Coepit studiose omnia docere] Mire: nam non docuit, ſed coepit docere. *τῷ μελλησμῷ*. Et vide quam ſatis muliebriter.

37. Ita uti si esset filia.] Ergo velut ſoror habenda eſt Thaidi: & ideo ſequitur, Sororem plerique esse credebant meam. Et oratorie cumulat dignitatem & amorem puellae: ut ejus comparatione leniatur injuria facta Phaedriae.

39. Ego cum illo, quo cum tum uno rem habebam hospite] Totum dixit, & quod hoſpitem, & quod rem habebat. Et bene *tum*, & non *nunc*. Nam nunc, cum duobus. Quo cum tum uno rem habebam] Id eſt, conſuetudinem, amorem. Hospite] Id eſt, Attico.

40. Abii huc] Rhodo Athenas ſcilicet. Qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.] Hoc ideo, ne tantundem obſequii exigat Phaedria. Ideo contra Parmeno.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Virg.*] Aeneid. I. 6.

12. Et] Praecedit in editionibus antiquis: *Quomodo*: E Davo audivi.

13. *Simpliciter, aut audivit ingenuam*] Editiones vetuſtae: *ſimpliciter, an, audivit ingenuam?*

14. *Capiendi &c. a. t.*] Ms. Hulſt. *capiendi & c. a. t. o.* Venetae editiones 1490. & 1512. *capiendi & c. a. t. b.* Citatio eſt verborum incerti auctoris, ſeu potius verba otioſa.

COMMENTARIUS.

quod ſi δήμους oppida volumus eſſe, tam eſt oppidum Sunium, quam Piraeeus. Meminit Homerus, Odyſſ. Γ. 278.

Ἀλλ᾽ ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ᾽ ἄκρον Ἀθηνῶν.

Ubi Scholia: Σούνιον.] Ἀκρωτήριον τῆς Ἀττικῆς. Ἄκρον Ἀθηνῶν.] ἀπὸ τῆς πόλεως τὴν Ἀττικὴν εἴρηκεν.

37. Educare] Alii Educere. quod frequentius apud Noſtrum, & defendit Rivius, poſtulatque metrum. Sed & repetit Phaedria *μιμητικῶς* mox verſu 76. utriuſque verbi participium vide And. I. 5. 39. Cicero de Oratore II. 28. *Neque enim eſt boni, neque liberalis parentis, quem procrearit, & eduxerit, eum non & veſtire, & ornare.*

Ita uti si esset filia] Cicero Fam. II. 14. *Ejus negotium ſic velim ſuſcipias, ut ſi eſſet res mea.* Salluſt. Jug. 5. *Eodem cultu, quo liberos ſuos, domi habuit.*

39. Quocum tum uno rem habebam] Primum uno dicit, pro *ſolo*. Sic Phorm. III. 1. 6. Liv. I. 18. *Quove praeſidio* unus *per tot gentes, diſſonas ſermone moribuſque, perveniſſet.* Tum *res* & *rem habere* turpi fere ſenſu uſurpantur, praeſertim apud Comicos. Hec. IV. 4. 96. Unde Nepos Alcib. cap. 11. *Fuiſſe apud Thracas, homines vinolentos*, rebuſque Venereis *deditos,*

Pa. Utrumque hoc falſum eſt: effluet. *Th.* Qui iſtuc? *Pa.* Quia
Neque tu uno eras contenta, neque ſolus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te adtulit.
Th. Ita 'ſt: ſed ſine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam eſt profectus. te interea loci
Cognovi. tute ſcis, poſt illa quam intumum

Ha-

DONATI.

41. Utrumque hoc falsum est: effluet.] Ipſe exponit hoc utrumque quid dicat. Et contradicendum eſt, quia praeſens amator gravatur hoc dicto.

42. Neque tu uno eras contenta] Quippe qui admiſeris militem. Neque solus dedit] Quippe quia non omnia tua illius fuere mortui.

43. Nam hic quoque] Δεικτικῶς. non Phaedria, ſed hic dixit, tangens illum, & quaſi invito illo hoc exprobrat.

Bonam magnamque partem ad te attulit.] Haec dicuntur ἰσοδυναμοῦντα: ut *Abs te petere & poſcere.* An potius bonam ſpecie, magnam quantitate? & nunc diſcretive dictum eſt: nam alias bonam, pro magna & multa accipimus.

44. Ita 'st] Non erat negandum, quod dixit Parmeno meretrici ſatisfacere cupienti, & non tacenti culpam in conſcientia eſſe.

46. Te interea loci cognovi.] Oratorie priorem amatorem facit militem, quam Phaedriam. Nam poſterius dicit hunc cognitum per abſentiam militis. Ergo cum militi Phaedria rivalis ſuperductus ſit, conſequens eſt, ut miles queri debuerit, non Phaedria: & propterea nihil peccatum, ſi ordine ſervato miles antepoſitus fuerit amatori poſtmodum cognito. Et hoc 15 ſine puella, & munerum cauſa, multum pro milite contra Phaedriam valet. Sed vide meretricem, quia rem dixit perurentem, quot & qualia blandimenta ſubjicit, dicendo, *Tute ſcis, poſt illa quam intimum habeam te, &c.*

47. Cognovi] Proprie cognovi. Tute scis, post illa, &c.] Ἐπιπλοκὴ figura: nam hoc ad narrationem non pertinet.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Sine puella, & munerum cauſa*] Mſ. Hulſt. *ſine puellae & munerum cauſa.*

COMMENTARIUS.

ditos; hos quoque in his rebus *anteceſſiſſe.* Easdem *res Veneris* vocat Ovid. Remed. Amor. 431. Notum Auſonianum illud in Monoſyll. Edyll. XII.

Imperium, litem, Venerem, cur una notat Res?

41. Effluet] Cicero pro Domo 46. *Etſi effluunt multa ex veſtra diſciplina, quae etiam ad noſtras aures ſaepe permanant.* Eadem metaphora uſus noſter Adelph. II. 4. 19.

Quia] Mſ. Mark. Rogas? quia. Ita & alter Codex Lipſianus.

43. Bonam] Multam. Ovid. Ponto I. 8. 74.

erit noſtris pars bona *demta malis.*

Apulej. Metam. I. *Nam & optimi caſei* bonam partem *avide devoraverat.*

44. Sine me pervenire, quo volo.] Eleganter de ſermone, quaſi de itinere loquitur. Sic mox verſu 75. & III. 3. 11. Adelph. V. 3. 35. Plaut. Amph. I. 1. 273.

ingreſſu 'ſt viam.

Aſin. I. 1. 39.

Eſtne hoc, ut dico, Libane? Lr. *Rectam inſtas viam.*

Cic. Fam. II. 3. *Sed aliter, atque oſtenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem ſententiae meae.* Eodem modo *manere* jubemus eum, qui plura, quam par eſt, dicere velle videtur. Refertur & ad nudam cogitationem. Unde, *Redire in memoriam* eſt meminiſſe, recordari.

46. In

Habeam te: & mea conſilia ut tibi credam omnia.
Ph. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. *Pa.* O dubiumne id eſt?
Th. Hoc agite, amabo. Mater mea illic mortua 'ſt
Nuper. ejus frater aliquantum ad rem eſt avidior.
Is ubi hanc forma videt honeſta Virginem,
Et fidibus ſcire, pretium ſperans, ilico
Producit, vendit. forte fortuna adfuit

Hic

DONATI.

48. ET MEA CONSILIA UT TIBI CREDAM OMNIA.] Ex praeſenti actu ſumpſit argumentum, quod eum nunc tanquam conſultorem adhibuerit. Et bene CREDAM. ſecundum illud, POTIN' EST HIC TACERE?

49. NE HOC QUIDEM] Id eſt, hoc quoque falſum eſt. DUBIUMNE ID EST?] Me non taciturum ſcilicet.

50. HOC AGITE] Pro adverbio corripientis eſt poſitum: aut certe pro adhortatione audientiae praebendae. Sic [16] *Plautus, Hoc agite, ſultis, ſpectatores.* Et convenit velut nutu audientiam ſignificantis, & geſtu hoc ipſum adjuvari. HOC AGITE, id eſt, illud definite, & hoc attendite.

51. NUPER] Ut adhuc amor flagrare videatur, addidit NUPER. ALIQUANTUM AD REM EST AVIDIOR] Vultu accommodato ad reprehenſionem pronuntiandum eſt. AD REM AVIDIOR] Proprie AVIDIOR. Et REM pecuniam modo dicit.

52. IS UBI HANC FORMA] Ex aliena perſona vult oſtendere praeter affectum, quanti ſibi aeſtimanda ſit: & quanto munere miles Phaedriae [17] meruerat anteponi.

53. ET FIDIBUS SCIRE] Vetuſta ἔλλειψις. PRETIUM SPERANS] Deeſt *magnum*. ut, [18]

Et ſtabulo frenos audire ſonantes.

54. PRODUCIT: VENDIT] Proprie. Nam *produci* res venales dicuntur. PRODUCIT: VENDIT] Haec celeritas vendibilem indicat mercem. FORTE FORTUNA] Id eſt, bona fortuna.

OBSERV. IN DONAT.

16. *Plautus*] Aſinar. Prol. 1.
17. *Meruerat*] Lege, *meruerit.*
18. *Et ſtabulo*] Virgil. Georg. III. 184.

COMMENTARIUS.

46. IN CARIAM] Aſiae minoris regio eſt litoralis, ad oram maris Carpathii, oppoſita Rhodo, Mauſolo & Artemiſia celebris. Ejus incolae Φιλοπτόλεμοι dicti veteribus.

47. COGNOVI.] Licet & mulier virum, & vir mulierem dicantur *cognoſcere*, quoties liberis operam dant, quod de viris eſt frequens etiam in ſacris literis, non videtur tamen id innuere Thais coram Phaedria.

48. HABEAM] Mſ. Mark. HABUERAM.

49. NE HOC QUIDEM TACEBIT PARMENO.] Editiones vetuſtae legunt: NEQUE HOC QUIDEM. Et ſane, quia jam dixerat Parmeno, EFFLUET, & jam alterum falſum narratur, commode infertur, NEQUE HOC QUIDEM. Faërnus & Guyetus, NEQUE HOC, deleto QUIDEM.

50. HOC AGITE] Solennis formula in attentione ſibi concilianda. Vide Briſſon. de Formul. Lib. I. & And. I. 2. 15.

53. FIDIBUS SCIRE] Sub. canere. Cic. Fam. IX. 22. *Socratem* fidibus *docuit nobiliſſimus fidicen.* Dixit porro SCIRE prò peritam eſſe. Nepos Praefat. *Scienterque tibiis cantaſſe.*

54. PRODUCIT] Sic Heaut. I. 1. 92. Idem & *venale proponere* dixerunt. Suet. Tib. 34.
VENDIT] Mſ. Mark. AC VENDIT.

Digitized by Google

Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum, ignaruſque omnium.
Is venit. poſtquam ſenſit me tecum quoque
Rem habere, fingit cauſas, ne det, ſedulo.
Ait, ſi fidem habeat, ſe iri praepoſitum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Seſe relinquam, velle ſe illam mihi dare:
Verum id vereri. ſed, ego quantum ſuſpicor,

Ad

DONATI.

55. HIC MEUS AMICUS] Quia locus eſt meritorum, non jam *miles*, ſed *meus amicus*. Vide enim quid ſequatur: EMIT, inquit, EAM DONO MIHI, IMPRUDENS HARUM RERUM. Hic oſtenditur quam avidus id faceret, ſi rem penitus noſſet. ſimul etiam oſtenditur, quanta ſecreta dicat Phaedriae: utpote quae rivalis neſciat.

56. IMPRUDENS HARUM RERUM, IGNARUSQUE OMNIUM] *Prudentia*, naturalis eſt: *gnaritas* extrinſecus venit. *Imprudens*, per ſe: *Ignarus*, per alios. Hoc eſt, qui nec ſuſpicatus ſit, neque ex aliquo audierit.

57. POSTQUAM SENSIT ME TECUM QUOQUE REM HABERE] [19] Non dictum, ſed quaſi celatum. SENSIT ME TECUM QUOQUE REM HABERE] Magno pondere dixit, TECUM QUOQUE: tanquam iraſcendi juſta magis ſit cauſa militi, quam Phaedriae. Nam SENSIT, & TECUM, & QUOQUE, hoc ſignificat. REM HABERE] Sic dixit, ut honeſte res impura dicatur.

58. NE DET, SEDULO] SEDULO, ſine dolo, hoc eſt, impenſe.

59. AIT] Semper AIT dicimus, quum vel inviſa nobis & audientibus, vel vana dicta narramus alicujus. SI FIDEM HABEAT] Hoc eſt, ſi faciam aliqua, unde credat ſe tibi praeponi. SI FIDEM HABEAT] Si credere cogatur, id eſt, ſi credat: unde *fidejuſſor* dicitur, hoc eſt, auctor credendi. SE IRI PRAEPOSITUM TIBI APUD ME] Ἀνατροφὴ in verbo, PRAEPOSITUM IRI, ac neceſſaria implicatio in his, quae dura dictu ſunt.

62. SED, EGO QUANTUM SUSPICOR] Alta & acuta inventio. Scit meretrix hoc ſolo amatores inimicos eſſe, quod idem diligunt. Magnifice igitur, ut rivalis odium deliniret, vult perſuadere Phaedriae, non ſe amari, ſed virginem.

63. AD VIRGINEM ANIMUM ADJECIT] Cur hoc inferat? ut vel laedendi militis cauſa, Phaedria patiatur, [20] eum, quam amet, & nolit virginem dono dare.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Non dictum*] Lege, SENSIT. *Non dictum, ſed quaſi celatum.*
20. *Eum, quam amet, & nolit, virginem dono dare.*] Varie haec leguntur. Senſus omnino videtur eſſe, *eum* (militem) *dono dare virginem, quam amet, &* (dare) *nolit.* Niſi ſi fortaſſe *nolit* ἀντὶ τοῦ *colat*. Aut, *Ei, quam amet & colat, virginem dono dare.*

COMMENTARIUS.

55. EMIT EAM DONO MIHI] Mſ. Mark. addit, DEDIT. Male. vid. verſ. 61.

63. AD VIRGINEM ANIMUM ADJECIT,] Plaut. Mil. III. 3. 35.

Quaſi militi animum adjeceris.

Et Merc. II. 2. 61.

ſed praecauto eſt opus,

Ne ad illam *me* animum adjeciſſe *aliqua ſentiat.*

Sic προσβάλλειν ὀφθαλμὸν, q. d. adjicere oculum. Edit. anni 1469. AD VIRGINEM ANIMUM ADVORTIT.

ETIAMNE AMPLIUS?] Cur id rogitet? ſcilicet cogitat ſecum: Quam vellem! ita enim ſpes erat, animum Thraſonis paullatim elapſurum

rum

Ad virginem animum adjecit. *Ph.* Etiamne amplius?
Th. Nihil: nam quaeſivi. nunc ego eam, mi Phaedria,
Multae ſunt cauſae, quamobrem cupiam abducere:
Primum quod ſoror eſt dicta: praeterea ut ſuis
Reſtituam ac reddam: ſola ſum: habeo hic neminem;
Neque amicum, neque cognatum: quamobrem, Phaedria,
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.

Id

DONATI.

ETIAMNE AMPLIUS?] Mundat *Terentius*, ut ſolet, res hujuſmodi per ἔλλειψιν ſuam.

64. NIHIL: NAM QUAESIVI. NUNC EGO EAM, MI PHAEDRIA] Optime purgavit *Terentius*, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, ſi vitiatam virginem duceret Chaerea. Neceſſario ergo defenditur, tanquam quae honeſte nuptura eſt.

65. MULTAE SUNT CAUSAE] Non indiligenter conſideraverunt hanc meretricis orationem, qui illam inſtar controverſiae retulerunt. Nam & principium eſt, ME MISERAM, VEREOR NE ILLUD GRAVIUS PHAEDRIA TULERIT. Et narratio, SAMIA MIHI MATER FUIT. Et partitio cum confirmatione. ut, NUNC EGO EAM, MI PHAEDRIA, MULTAE SUNT CAUSAE, QUAMOBREM CUPIO ABDUCERE: PRIMUM QUOD SOROR EST DICTA, & caetera. Reprehenſio quoque, EGONE ID TIMEO? &, EGONE NON EX ANIMO MISERA DICO? Et concluſio per conqueſtionem: ut, QUAM JOCO REM VOLUISTI A ME TANDEM, QUIN PERFICERES? EGO IMPETRARE NEQUEO HOC ABS TE, BIDUUM SALTEM UT CONCEDAS SOLUM.

QUAMOBREM CUPIO ABDUCERE] Etiam hoc verbo gratificatur Phaedriae: non enim *accipere*, ut ab amico remunerante: ſed ABDUCERE, ut ab ſtulto, & experte.

67. UT SUIS RESTITUAM, AC REDDAM] *Reſtituimur* iis, quibus nos volumus: *Reddimur* iis, qui nos volunt. Ergo reſtituimus volentem, reddimus volentibus. Sed in hac utrumque eſt. SOLA SUM: HABEO HIC NEMINEM] SOLA SUM, ad familiarium refertur abſentiam. HABEO HIC NEMINEM, ad alienorum amicitiam. Poteſt enim ſola domi eſſe, habere tamen aliquem foris. Et, HABEO HIC NEMINEM, plus ſonat, quam, NEMINEM HIC HABEO. Et, SOLA SUM, ab iis quos natura conciliat per ſe. HABEO NEMINEM, eorum qui voluntate junguntur.

68. NEQUE AMICUM] Bene hoc apud amatorem: quia eſt aliud *amator*, aliud *amicus*. *Amator*, qui ad tempus, *Amicus*, qui perpetuo amat. An quia in patris poteſtate eſt Phaedria? QUAMOBREM, PHAEDRIA] [21] In neceſſariis interponi nomen licet audientis.

69. CUPIO ALIQUOS PARARE AMICOS BENEFICIO MEO.] Hic oſtendit ſpecialiter, cujuſmodi amicos quaerat, ne Phaedriam contemnere videatur. PARARE AMICOS BENEFICIO MEO.] [22] Quia parantur & ſuo, ſed minus diligunt.

OBSERV. IN DONAT.

21. *In neceſſariis*] Quae h. l. ſunt in impreſſis veteribus, ſana non ſunt. Fortaſſis legendum, *in rebus ſeriis*.

22. *Quia parantur & ſuo*] Editiones Venetae: *Quia parantur & alieno*.

COMMENTARIUS.

rum Thaidi; ſeque adeo ſine rivali ea potiturum. De ipſa locutione vide And. II. I. 25.

65. CUPIAM] Ita ex Libro Bembino, aliiſque antiquis legit Faërnus. Alii cum Donato, CUPIO.

69. PARARE] Faërnus ex Codice Bembi ob metrum, PARERE tuetur. Mſſ. Leidenſium unus, PRAEPARARE.

 70. Quo

Id amabo! adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hoſce aliquot dies
Apud me habere. nihil reſpondes? *Ph.* Peſſuma,
Egon' quidquam cum iſtis factis tibi reſpondeam?
Pa. Eu noſter! laudo. tandem perdoluit. vir es.
Ph. At ego neſciebam quorſum tu ires? parvola
Hinc eſt abrepta: eduxit mater pro ſua:

Soror

DONATI.

70. ID, AMABO! ADJUTA ME, QUO ID FIAT FACILIUS.] Παρέλκον. bis ID poſuit. ADJUTA ME] Mira coactio. pro *patere excludi*, ADJUTA ME, dixit.

71. SINE ILLUM] Blande SINE ILLUM, tanquam in manu ejus ſit injuriam non pati, & excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *patere*, ſed SINE. PRIORES PARTES HOSCE ALIQUOT DIES] Honeſte circumloquitur, & oratorie, ne dicat, *Abi foras*, *atque excludi te patere.*

72. NIHIL RESPONDES?] Jam ſilentium accuſat, quia ſcit nihil reſponſurum contrarium. " Et ſatis blande, NIHIL RESPONDES? dixit, tanquam qui debeas amoris vicem.

73. EGO QUIDQUAM] Facete exprimitur illud, AMANTIUM IRAE, AMORIS INTEGRATIO EST.

74. TANDEM PERDOLUIT.] Nimis doluit, id eſt, perſenſit dolorem. Et TANDEM, quaſi qui nimis patiens fuit. TANDEM PERDOLUIT. VIR ES.] Eleganter variavit perſonam ſecundam, & tertiam. VIR ES.] Non *puer*, ſed jam VIR, qui meretricem contemnis.

75. PARVULA HINC EST ABREPTA: EDUXIT MATER PRO SUA] Vide μίμησιν cum odio inductam, & depravatam pronuntiatione: ita ut & ὁμοιοτέλευτα non vitarentur de induſtria. PARVULA HINC EST ABREPTA, EDUXIT MATER PRO SUA, SOROR EST DICTA.

OBSERV. IN DONAT.

23. *Et ſatis blande*, NIHIL RESPONDES? *dixit*, *tanquam qui debeas amoris vicem*] Omnino legendum videtur: *Et ſatis blande*, MIHI, *dixit*, *tanquam cui debeas amoris vicem.* Quanquam integer Senarius videtur τὸ MIHI reſpuere.

COMMENTARIUS.

70. QUO ID FIAT] Mſ. Mark. QUO FIAT.

71. PRIORES PARTES] Πρότερον παρ' ἐμοὶ εἶναι. τὰ πρωτεῖα φέρεσθαι. Locutio tranſlata ab hiſtrionibus, quorum primae, ſecundae, tertiae partes erant. Quo itidem reſpexit Adelph. V. 4. 26.

Non poſteriores feram.

ubi Donatus: *ſubauditur*, *partes.* Non dixit igitur Thais, *primum eſſe*, ne vere amari a ſe militem, ſed partibus ſuis actis excludendum eſſe innueret. Cicero ad Q. Fr. III. 4. *Simul & illud* (*ſine ulla mehercle ironia loquor*) *tibi iſtius generis in ſcribendo* priores partes *tribuo*, *quam mihi.*

HOSCE ALIQUOT DIES] Mſ. Lipſ. alter, PER HOSCE ALIQUOT DIES.

72. NIHIL RESPONDES?] Mſ. Mark. & editiones vetuſtiſſimae, etiam anni 1469. NIHIL MIHI RESPONDES? Sed & apparet, Donatum ita legiſſe. Ut adeo, emphaticum ſit τὸ MIHI. Quod & exhibent Mſſ. Pall. quatuor.

73. CUM ISTIS FACTIS] De uſu voculae CUM vide ad And. V. 4. 38.

TIBI RESPONDEAM?] Mſ. Mark. non agnoſcit τὸ TIBI. Quod apte infertur poſt MIHI.

74. NOSTER] Ita ſolent de heris & herilibus filiis.

PERDOLUIT.] Αὐξητικὸν eſt τὸ PER. Hyginus

Soror eſt dicta: cupio abducere, ut reddam ſuis.
Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique;
Ego excludor: ille recipitur: qua gratia?
Niſi illum plus amas, quam me: & iſtam nunc times,
Quae advecta eſt, ne illum talem praeripiat tibi.
Th. Egon' id timeo? *Ph.* Quid te ergo aliud ſollicitat? cedo.
Num

DONATI.

78. HAEC NUNC VERBA] Id eſt, falſa dicta. HUC REDEUNT] Ut excludar.

80. NISI ILLUM PLUS AMAS, QUAM ME] Repudiatis cauſis, quas illa attulerat, per derivationem cauſae: hic aliud dicit eſſe cur repellatur. ET ISTAM NUNC TIMES, QUAE ADVECTA EST] Adeo, inquit, amas militem, ut etiam invideas ſi quam amaverit.

81. TALEM PRAERIPIAT TIBI.] *Εἰρωνεία* ſtomachantis amatoris.

82. QUID TE ERGO ALIUD SOLLICITAT?] Quid eſt, inquit, ſi hoc non eſt?

COMMENTARIUS.

nus Aſtron. II. 40. *Cuidam civium* perdoluit *inceptum Demiphontis.* Unde adeo male exponitur in Fabri Theſauro, *dolorem ſuum ſuſtinere vel ſuperare potuit.* Id enim eſt *dedolere*, Gr. *ἀπαλγεῖν.*

VIR ES] Adelph. IV. 2. 25.

Laudo, Cteſipho; patriſſas. abi, virum *te judico.*

Eſt igitur laudandi formula. Flor. III. 3. de Mario: *Flagitante aquam exercitu*, Viri, *inquit*, eſtis, *en illic habetis.* Liv. I. 58. *Si vos* viri eſtis.

75. AT EGO NESCIEBAM] Tres hoſce integros verſus laudat Quinctilianus Inſtit. IX. 2. Variant Mſſ. Codices & impreſſi, in prima voce. Leidenſes duo cum Bodl. legunt, AUT EGO NESCIEBAM; quando continua erit Phaedriae oratio, cum ſigno interrogandi exprimenda, quod facit Codex Lipſ. Leidenſis unus, HAUD EGO NESCIEBAM. quod Faërnus tuetur. Sed Boeclero τὸ AT longe ſignificantius eſt h. l. quam HAUD. Et ſane videtur Phaedria apte adſimulare, ſe non animadvertiſſe antea, quo tenderent illae ambages, donec tam importuna petitio rem ultro proderet. Tum Quinctilianus AT legit, loc. cit. Eſt autem ſimilis *μίμησις*, ſi non acerbior, in illo Didonis apud Virg. Aen. IV. 376.

nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo
Interpres divûm fert horrida juſſa per auras.

80. NISI] Mſ. Bodl. NISI SI.

81. ILLUM TALEM] *Εἰρωνικῶς.* Citra ironiam *Talis* eſt tantus, & tam excellens. Plaut. Capt. V. 2. 2.

Quid me oportet facere, ubi tu talis *vir falſum autumas?*

Cic. Fam. XIII. 73. *Certe mihi perſuadeo, te*, talem *virum, nil temere feciſſe.* Nepos Alcib. 6. *Itaque & Siciliae amiſſum, & Lacedaemoniorum victorias culpae ſuae tribuebant, quod* talem *virum e civitate expuliſſent.* Malim, *Siciliam amiſſam.* Phaed. III. 9. 6. de Socrate:

Quaeſo, tam anguſtam talis *vir ponis domum?*

Sic *Qualis* pro quantus. Ovid. Faſt. V. 460.

Cernite ſim qualis; qui modo qualis *eram!*

Poſſit & latere obſcoenior ſenſus. Certe in rebus, quas nominare pudor non ſinebat, veteres pronomine *ille* eſſe uſos, Illuſtriſſimus Vir, Joſephus Scaliger obſervat ad Catull. LXIV. 5. firmatque exemplis.

82. EGON' ID TIMEO?] Simulare ſaltem timorem praecipit Magiſter Amorum, Arte Am. III. 604.

Ut ſis liberior Thaïde, finge metus.

Num ſolus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem ſenſiſti in te claudier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,

Quae-

DONATI.

83. NUM SOLUS ILLE DONA DAT?] Jam quaſi quaeſtiones tractantur: ſed ille munus advexit. NUNCUBI MEAM BENIGNITATEM] Poſſunt enim dona dari, ſed exigua, aut minus liberaliter: & ideo mentionem benignitatis adjecit. NUNCUBI MEAM BENIGNITATEM] Sed ille benignus eſt. NUNC UBI, numquid alicubi. [24] Aut ſi, NUNC UBI, legimus, erit adverbium temporis: ut ſit ubi, quo in loco, qua in re. NUNCUBI MEAM BENIGNITATEM] Intelligit ſe & dona obtuliſſe, & id benigne ſaepe feciſſe. nam plerumque ingrata dona ſunt, in quibus benignitas non apparet: quae aut in quantitate rerum eſt, aut in facilitate praeſtantis.

84. CLAUDIER?] *Claudi*, aut *claudicare*. [25] *Salluſtius*, *Neque enim ignorantia claudit res*. Et, *Nihil ſocordia claudebat*.

85. NONNE, UBI MIHI DIXTI CUPERE TE] Plus dixit, UBI DIXTI CUPERE TE: quam ſi diceret, feciſti ut emerem. Plus eſt enim id praeſtitiſſe, [26] quod qui acceperit, non auſus fuerit poſtulare. CUPERE TE] Vult [27] rem parvi pretii, ex illius cupiditate & ſuo labore perpendi. EX AETHIOPIA] Non *Aethiopiſſam*: ſed honeſtius EX AETHIOPIA.

86. RELICTIS REBUS OMNIBUS, QUAESIVI?] Haec jam omnia in beneficiis conſiderari ſolent.

OBSERV. IN DONAT.

24. *Aut ſi*, NUNC UBI, *legimus*] Verba obſcura & depravata. Scilicet ſcripſerat Donatus, NUNC UBI, *numquid alicubi*. Mox vero ſeu Aſper, ſeu Cornutus, ſeu quicunque alius Interpres legens, NON UBI, quod eſt in quibuſdam Libris ſcriptis & editis, addidit, *Aut ſi* NUNC UBI *legimus*, *erit adverbium temporis, ut* SICUBI, *ſi quo in loco, qua in re.*

25. *Salluſtius*] In Fragmentis.

26. *Quod qui acceperit, non auſus fuerit poſtulare.*] Editiones Venetae: *Quod quae acceperit, non auſus fuerit poſtulare.*

27. *Rem parvi pretii*] Senſus poſtulat, ut legatur, *Rem quantivis pretii.*

COMMENTARIUS.

83. NUNCUBI] Mſ. Mark. NUM TIBI.

84. IN TE CLAUDIER?] Vide ad And. III. 3. 41. Varie autem haec leguntur. Mureti CALVIER h. e. decipi, ridet Lipſius, legens CLAUDERE h. e. claudicare & deficere. Mſſ. Leidenſium unus, INTERCLAUDIER. additumque alia manu, *intercipi, quin ſemper facerem, quae voluiſti*. Sed & INTERCLAUDIER ex Mſſ. & Codd. veteribus laudat Lindenbruchius. Et eſt in edit. 1469. Vide & Barth. Adverſ. XXXIII. 7.

85. EX AETHIOPIA ANCILLULAM] Eleganter & emphatice, pro, Aethiopiſſam. Sic infra III. 2. 18.

Ex Aethiopia *eſt uſque haec.*

Tibull. II. 3. 59.

Illi ſunt comites fuſci, quos India torret.

86. RELICTIS REBUS] De formula hac vide And. II. 5. 1.

87. EUNUCHUM] De Eunuchorum ortu & vario munere vide eruditam diſſertationem Viri Cl. Everardi Ottonis.

88. QUIA SOLAE HIS UTUNTUR REGINAE] Non placet Boeclero, *Reginas* h. l. accipi pro divitibus a Donato. mihi contra perplacet. Quae enim illa Thaidis arrogantia, Eunuchum velle, ſi ſolae vero nomine Reginae, h. e. Regum Perſarum uxores iis utantur, neque matronarum aliae?

89. MINAS VIGINTI] Id de ingenti ſumma accipiendum ex mente glorianti Phaedriae. Ubi vero ſolum Eunuchum viginti minis emtum dicit Parmeno, infra V. 6. 14. fugit eum ratio; quare & ancillulae ex Aethiopia non meminit, metu ſcilicet perturbatus. Tum quod Thraſo de Aethiopiſſa dicit III. 2. 18. *Hic ſunt tres minae*, non ex vero dicit, ſed per contemtum. Dicit autem, MINAS VIGINTI PRO AMBOBUS DEDI, uti Adelph. II. 1. 25.

Qui

Digitized by Google

Quaeſivi? porro Eunuchum dixti velle te,
Quia ſolae utuntur his reginae; repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi.

Ta-

DONATI.

87. Quaesivi?] Vide quemadmodum exhibeat. [28] atque aerumnas ſibi difficilium munerum dicat impoſuiſſe meretricem. Ex Aethiopia ancillulam, inqnit, dixti te cupere. Quid ego feci in re coeli, & ſolis, ac pene orbis alterius? quaesivi. non enim in promptu erat. Deinde, non petiſti, ſed dixisti: nec velle te, ſed cupere: non nigram, ſed ex Aethiopia: nec dedi, ſed relictis rebus omnibus, quaesivi. Quid hic non exquiſitum? quid non ita expreſſum, ut nihil addi poſſit? Eunuchum porro velle] Eunuchos a Perſis inſtitutos putant ex captivis. A Babyloniis enim Hellanicus auctor eſt id habuiſſe. Eunuchum porro dixti velle te] Vide quemadmodum ut majus faciat quod praeſtitit, non ſemel imputat duo mancipia: ſed primo *puellam*, deinde *eunuchum*. Eunuchum] Εὐνοῦχος εἴρηται, ὡς εὐνὴν ἔχων, τοῦτ' ἔστι, φυλάττων [29] OCOCeIN γyNeN KeKANΔPOC. * Porro] Deinde, vel poſtea, vel multo poſt.

88. Quia solae utuntur his Reginas] Illam, quia ex Aethiopia. hunc, quia ſolae his Reginae utuntur. Quid tale Thaidi rivalis dedit? Quia solae utuntur his Reginas] Varie Eunuchum dixit, & intulit, his. ut,

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, & minime multos laedere:
In his Poëta hic nomen profitetur ſuum.

Reginae] Id eſt, divites. ſed ἐμφατικώτερον eſt. Quia solae utuntur his Reginae] Nota, quum Eunuchum in ſingulari numero praepoſuerit, his ſubjunxiſſe. ſed his non ad Eunuchum retulit, ſed ad delicias, aut quid tale: quia ſolae utuntur hujuſmodi deliciis ſervitiiſque Reginae. Et oratorie hic ſubdidit, quod in ancillula praetermiſit. quia nulla Aethiopiſſa honeſta dici potuit. *Et Reginas* modo divites dicit. ut in Phormione, *Regem me eſſe oportuit.* Repperi.] Plus eſt quam *emi*. Et vide quam propriis & ampliſſimis verbis uſus eſt. quia & ancillam ex Aethiopia, & Eunuchum: quo ſolae utuntur Reginae. illam quaeſivi, & hunc repperi: neutrum enim horum facile poſitum erat.

89. Heri minas viginti pro ambobus dedi.] Recentiora beneficia graviora adverſum ingratos ſunt. Ergo a tempore inducitur exprobratio. Pro ambobus dedi.] Melius amborum pretium dixit, quam ut ſeparatim diceret, quanto emerit ancillulam nigram: de qua mox dicetur, Hic sunt tres minae. Nam conſtat Eunuchum ſolum emptum eſſe minis viginti, ut ipſe Parmeno confitebitur ſeni.

OBSERV. IN DONAT.

28. *Atque aerumnas ſibi difficilium munerum dicat impoſuiſſe*] Τὸ *Atque* & *dicat* non eſt in edd. vetuſtis, ſed ita, *Vide, ut exhibeat, aerumnas ſibi difficilium munerum impoſuiſſe meretricem.*

29. OCOCeIN] Lindenbruchius exhibet, OCOCeIN hNHN ΓyNeN KeKANΔPOC. Locus uti corruptus, ita intactus, quod ſciam. Abr. Wielingius ſuſpicabatur, ſcripſiſſe interpretem: ὁ σώζων εὐνὴν γυναικῶν, κένανδρος. En meam ſymbolam: ὅσα ἐν εὐνῇ γυνῆς τε καὶ ἀνδρός.

COMMENTARIUS.

Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?

Et Plaut. Moſtell. I. 3. 142.

Triginta minas pro capite tuo dedi.

Eſt vero *viginti minarum* frequentior apud Plautum mentio; valentque ſexcentos florenos noſtrates. Eſt enim *mina*, Gr. μνᾶ, ipſa argenti libra, continens florenos triginta, ſeu drachmas centum. Drachma autem reſpondet Batavorum *ſchellingo*.

90. Ta-

Digitized by Google

Tamen contemtus abs te. haec habui in memoria.
Ob haec facta abs te ſpernor. *Th.* Quid iſtic, Phaedria?
Quanquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri poſſe maxime: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut juſſeris.
Ph. Utinam iſtuc verbum ex animo ac vere diceres,
Po-

DONATI.

90. TAMEN CONTEMTUS ABS TE.] Et hoc ſervatur in beneficiis. Nam majora ſunt ceſſantibus meritis eorum, quibus praeſtantur.

91. OB HAEC FACTA ABS TE SPERNOR.] Sic [30] *Virgilius*,

—— nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.

Et cum interrogatione, aut cum increpatione proferri poteſt. OB HAEC FACTA ABS TE SPERNOR.] Hic duplex eſt pronuntiatio: vel [31] per invidioſam prolationem, vel per interrogationem. Et melius hoc modo, quam interrogative profertur: hic enim eſt multo gravior illo. QUID ISTIC?] Hoc adverbium conſentire incipientis eſt. & eſt ἔλλειψις: deeſt enim *remoramur*, aut quid tale.

92. CUPIO ABDUCERE] ABDUCERE dixit, tanquam ab ſtulto: nec per verum meritum, ſed per fraudem. [32] *Cicero, Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine.* ATQUE HAC RE ARBITROR] [33] Non dicit qua, hoc eſt, ex te. [34] Veruntamen ſcit meretrix, contentione quaedam negari. Ergo fingit ſe vinci, ut adoleſcentem molliat: & ipſa cedit, ut & ille remittat pertinaciam.

94. POTIUS QUAM TE INIMICUM HABEAM, FACIAM UT JUSSERIS.] Hoc totum loquitur, tanquam magis ipſa amet Phaedriam, quam ab illo ametur. TE INIMICUM HABEAM] Huic contrarium eſt, *Ut te amicum habeam*. FACIAM UT JUSSERIS.] Nec voluntate, nec vultu conſentientis hoc meretrix [35] agit: ſed callide tentat omnia. Nam quia perſiſtendo non perficit quod expectabat, docet Phaedriam etiam ipſum negligentius negare quod poſcitur. Et adeo hoc ſubtile eſt, ut ſtatim impetraverit. Pervulgatum eſt enim, Quod ſumma vi defenderis, quum extorqueretur, hoc idem poſtmodum remitte remittenti.

95. UTINAM ISTUC VERBUM] ET ISTUC VERBUM, pro tota ſententia. VERBUM pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα, id eſt, ſententia vel enunciatio, quae uno ligatur & aſtringitur verbo, VERBUM a veteribus dicebatur. EX ANIMO, AC VERE DICERES] Certe, quia eſt qui ex animo dicat, fallat tamen.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Virgilius*] Aen. IV. 217.

31. *Per invidioſam prolationem*] Lege ex edd. Venet. & Argent. *per invidioſam exprobrationem*.

32. *Cicero*] In Verr. III. 34. Atque ibi Hottom.

33. *Non dicit qua, hoc eſt, ex te*] Edd. Venetae, *Non dicit, quia hoc eſt ex te.* Videtur legendum: *Non dicit qua, quia hoc eſt ex te.* Scilicet non erat *ex re* Thaidis, ſpeciatim dicere coram exulcerato Phaedria, *qua re* id quod cupiebat, fieri poſſet maxime, ſcilicet Phaedria excludendo, Thraſone admittendo. Niſi legas: HAC RE. *Non dicit qua hoc eſt ex re.*

34. *Veruntamen ſcit meretrix, contentione quaedam negari*] Ita editiones, quas vidi, omnes. Suſpicor ſcripſiſſe Donatum: VERUMTAMEN] *Scit meretrix, conceſſione quadam leniri.* Quam lectionem, niſi fallor, firmant ſequentia.

35. *Agit*] Lege, *ait*. Neque enim agit, neque actura eſt, ſed ſe facturam ait.

COMMENTARIUS.

90. TAMEN CONTEMTUS ABS TE.] Majorem diſtinctionem poſui, contra ac fit vulgo. Singula enim ſeparatim pronuncianda, & cum intervallo quodam, ut majorem indignationem exprimant. Quanto minus placet Boecleri interpretatio: *i. e. quamvis excluſeris me, adeoque contempſeris, non tamen deſii curare munera tibi deſtinata.* HAEC HABUI IN MEMORIA. *i. e. non abjeci curam de muneribus tibi deſtinatis, ſed ut emerentur ac adducerentur ad te ancilla cum eunucho,*
accu-

Digitized by Google

Potius quam te inimicum habeam: ſi iſtuc crederem
Sincere dici, quidvis poſſem perpeti.
Pa. Labaſcit, victus uno verbo. quam cito!
Th. Ego non ex animo miſera dico? quam joco
Rem voluiſti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum,

Sal-

DONATI.

96. POTIUS QUAM TE INIMICUM HABEAM] Tantum in animum Phaedriae hoc deſcendit, ut etiam repetat, quod amica dixerat adulando.

97. SINCERE DICI, QUIDVIS POSSEM PERPETI.] *Sincerum*, purum, ſine fuco, & ſimplex: ut mel ſine cera. Bene ergo, ut mel, blandimentum meretricis dulce fatetur, ſed negat eſſe ſincerum.

98. LABASCIT] Omnia inchoativa triſyllaba, fere media producta enuntiantur.* VICTUS UNO VERBO. QUAM CITO!] QUAM CITO ait, qui illum falſa lacrymula vinci crediderat poſſe. Plus factum eſt: uno victus eſt verbo, & cito. VICTUS UNO VERBO.] Ut, *Utinam iſtuc verbum*. Et UNO VERBO, ut diximus, ſic accipe: ut verbum dictum intelligas, [36] quod verbo complectitur, & completae ſententiae pronunciationem, quod *ἀξίωμα* nominatur.

99. EGO NON EX ANIMO MISERA DICO?] Quod ſenſit multum valuiſſe, hoc Thais inculcat animo amici ſui. Et *ego*, vide quanta ſignificet. Convenit hoc pronomen blande multa exprobranti: ut [37] *Virgilius*, *Mene fugis?*

100. QUAM JOCO REM VOLUISTI] Contra illud refertur, quod ait Phaedria, *Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia ancillulam, relictis rebus omnibus, quaeſivi?* Sed hoc vehementius & diſertius, QUAM JOCO REM VOLUISTI? Non *munus*, inquit, ſed quod plus eſt, REM. Et non *ſerio*, ſed joco, a facilitate praeſtantis. Et VOLUISTI, non etiam *dixiſti*. Mirandum obſequium, ex voto animi pendens. Non exſpectat imperium: ne voluptati mora ſit, dum jubetur. Tum illud quod ait, PERFECERIS: nonne pondus hoc verbi & potentiam Phaedriae circa amicam, & illius obſequium vehemens, & rerum difficultatem quae extortae ſint, monſtrat, atque omnem obterit querelam Phaedriae?

101. EGO IMPETRARE NEQUEO HOC ABS TE] Tu & joco, & non petiſti, cum perfeceris tamen. at ego hoc impetrare non poſſum.

OBSERV. IN DONAT.

36. *Quod verbo complectitur*] Edd. Venetae, *amplectitur*. Senſus conſtabit, ſi junctim legas, *quod verbo complectitur completae ſententiae enunciationem.*

37. *Virgilius*] Aen. IV. 314.

COMMENTARIUS.

accurandum mihi duxi.

91. QUID ISTIC, PHAEDRIA?] De formula iſtac vide ad And. III. 3. 40.

95. EX ANIMO AC VERE] Expreſſit Catullus Carm. CVI.

Di magni, facite, ut vere *promittere poſſit,*
Atque id ſincere dicat, & ex animo.

98. LABASCIT] Metaphora, a ſtatua, aedificio vel arbore tranſlata ad animum. Adelph. II. 2. 31. ubi vide Donatum. Suet. Caeſ. 14. *Obtinuiſſetque adeo, transductis ad ſe jam pluribus, & in his Cicerone Conſulis fratre, niſi* labantem *ordinem confirmaſſet M. Catonis oratio.*

VICTUS UNO VERBO] Propert. II. 5. 11.

Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra noto,
Quam facile irati verbo *mutantur amantes:*
Dum licet, injuſto ſubtrahe colla jugo.

101. HOC ABS TE BIDUUM] Suſtuli *κόμματος* ſignum ante *τὸ* BIDUUM, ſequutus Juntarum & Aldi editiones. ut adeo HOC BIDUUM valeat,

hos

Saltem ut concedas, ſolum? *Ph.* Siquidem biduum;
Verum ne fiant iſti viginti dies.
Th. Profecto non plus biduum, aut. *Ph.* Aut? nihil moror.
Th. Non fiet: hoc modo ſine te exorem. *Ph.* Scilicet
Faciundum eſt quod vis. *Th.* Merito amo te. *Ph.* Bene facis.
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:

Ita

DONATI.

101. SALTIM UT CONCEDAS, SOLUM?] Argute additum SALTEM & SOLUM. Et bene, CONCEDAS, ut voluntatis ſit: ſic enim dixit ſupra, *Sine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me* 38 *obtinere.*

103. VERUM NE FIANT ISTI VIGINTI DIES.] Facete biduum decuplavit: & ſimul quia ex eadem ratione ſunt viginti, ex qua duo; & ex qua viginti, ducenti, duo millia. Et ſic deinceps.

104. PROFECTO NON PLUS BIDUUM, AUT.] Ἀποσιώπησις ſecunda.

105. HOC MODO SINE TE EXOREM.] Nove nunc, non *De te exorem:* ſed TE EXOREM. Et hoc abſolute.

106. FACIUNDUM EST QUOD VIS] Non *quod oportet*, ſed QUOD VIS dicendo, multum addidit obſequio ſuo. MERITO AMO TE.] Bene amoris mentionem ad auferendam ſuſpicionem contemptus Phaedriae fecit. BENE FACIS.] In conſuetudinem venit, BENE FACIS, & BENE FECISTI, non judicantis eſſe, ſed gratias agentis.

107. RUS IBO] Et hoc amatorium eſt, odiſſe urbem ſine amica. Nec dixit, *Ibi ero*: ſed, IBI HOC ME MACERABO BIDUUM. Pronunciandum eſt BIDUUM, ac ſi dixiſſet *biennio.*

OBSERV. IN DONAT.

38. *Obtinere*] E memoria laudavit verſum 71. Lege, *habere.*

COMMENTARIUS.

hos binos dies continuos proximos. Sic mox verſu 110.

In hoc biduum, *Thais*, *vale.*

Phaed. I. 1. 10.

Ante hos ſex menſes.

ubi vide Cl. Virum, Petrum Burmannum.

102. CONCEDAS] Abeas ab aedibus. Sic Heaut. III. 3. 11. & Phorm. V. 1. 14.

104. NON PLUS BIDUUM] Mſ. Tract. NON PLUS BIDUI.

PH. AUT? NIHIL MOROR.] Mſ. Mark. & editiones quaedam vetuſtae, AUT DIXTI? NIHIL MOROR. Guyetus explicat NIHIL MOROR per, non placet, nolo. mihi id voluiſſe videtur Phaedria, non concedo amplius, quam biduum, non exſpecto ultra biduum.

106. MERITO AMO TE.] Ita ſolent grati, ubi quid impetrarunt. Eodem ſenſu Thraſo infra III. 2. 2.

ô Thais mea,
Meum ſuavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſtac?

Vide Heaut. II. 3. 119. & Phorm. I. 2. 4. Plaut. Poen. I. 2. 42.

AN. *Quieſco.* AD. *Ergo* amo te.

BENE FACIS.] Et haec gratias agentis formula. Sic Plautus Moſtell. III. 2. 129.

Bene *benigneque arbitror te* facere.

Pſeud. I. 5. 106.

Bene *atque amice* dicis.

Quod vero Farnabius τὸ *benigne* Horatii Epiſt. I. 7. 16. huc refert, in eo fallitur. Eſt enim modeſte recuſantis formula. Vide locum. Georgius autem Fabritius utrumque Thaidi tribuit, hoc ordine: BENE FACIS. MERITO TE AMO. Sic Adelph. V. 8. 22.

Si vos tantopere iſtuc vultis, fiat. AE. Bene facis.
Merito te amo.

Ean-

Digitized by Google

Ita facere certum eſt: mos gerundus eſt Thaidi.
Tu Parmeno huc fac illi adducantur. *Pa.* Maxume.
Ph. In hoc biduum, Thais; vale. *Th.* Mi Phaedria;
Et tu. numquid vis aliud? *Ph.* Egone quid velim?
Cum Milite iſto praeſens, abſens ut ſies:
Dies noctesque me ames: me deſideres:
Me ſomnies: me exſpectes: de me cogites:

Me

DONATI.

108. Ita facere certum est] Ex his apparet verbis, quam ſibi amator hoc aegre imperet. Mos gerundus est Thaidi.] Cum pronunciatione & geſtu: ut oſtendat, quae vis amoris ſit, ut Thaidi mos geratur.

109. Huc fac illi adducantur.] Eunuchus & ancilla, figurate Illi: ſed praevalet genus maſculinum. Adducantur, pro *adducito eos.* Et bene adjectum eſt, ne dilatis [39] ob retentionem muneribus, non procederet actus fabulae. Et ſimul quia abſentia Phaedriae opus eſt, dum per Chaeteam ludificatur meretrix.

110. In hoc biduum, Thais, vale.] Nunc vale abſceſſum ſignificat, non ſalutationem: nam ſi mera ſalutatio eſt, biduo ſolum amicam valere optat. Sed praeſcribere conatur, quanto tempore abſuturus ſit, & ſimul oſtendit, quam invitus abſcedat. In hoc biduum, Thais, vale.] Accuſativo utens caſu expreſſit amatoris impatientiam. Biduum dicens, praeſcripſit de tempore. Et vale, majorem vim habet ex dolore diſcedentis, quam obſequio ſalutantis.

111. Et tu. numquid vis aliud?] *Vale* ſubaudiendum ſalutatorium. Et ſubintelligendum eſt poſt oſculum dici, Numquid vis aliud? quaſi recte factum.

112. Cum milite isto] Isto bene additum, quaſi odioſo; ut alibi, *Jam vero mitte Demea, tuam iſtam iracundiam.* Et [40] *Virgil. Aut quid petis iſtis?* Haec enim pronomina ſpernentis ſunt, odiumque monſtrantis. Praesens, absens] Κακόζηλον.

113. Me desideres] Αὔξησις. quia plus eſt amore deſiderium.

114. Me somnies: me exspectes] Ἐπαναφορὰ prima. Cum *amare* & *deſiderare* ſit voluntatis, atque etiamnum obſequii: *ſomniare*, ſatis amatorie dictum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

39. *Ob retentionem muneribus*] Lego, *aut retentis muneribus.* 40. *Virgil.*] Aen. IX. 94.

COMMENTARIUS.

Eandem lectionem tuetur Guyetus. Non videntur autem tres ſequentes verſus uni Thaidi eſſe dicti, ſed 107. ab averſo Phaedria ad ſpectatores; ſequens Parmenoni geſtu dolorem ſignificanti; proximus huic voce gloriante & munera ſua jactante.

108. Mos gerundus est Thaidi.] Mſ. Mark Morigerandum est Thaidi.

111. Numquid vis aliud?] Formula diſcedentis ab altero. Sic infra II. 1. 7. II. 3. 49. & 71. Adelph. II. 2. 39. Phorm. I. 2. 101. & II. 4. 18. Plaut. Aul. II. 2. 85.

Ibo igitur, parabo. numquid me vis?

Videtur autem locus hic expreſſus ex Plauti Amph. I. 3. 44.

Jup. Numquid vis? Alc. *Ut, quum abſim,*
me ames, me tuam abſentem tamen.

112. Absens ut sies] Virgil. Aen. IV. 83.
illum abſens abſentem auditque videtque.

114. Me somnies] Cicero Fam. XIV. 2. *Ante oculos dies, noctesque verſaris.* De Tetentia uxore. Ovid. Heroid. XV. 123.

Tu mihi cura, Phaon: te ſomnia *noſtra* reducunt;
Somnia formoſo candidiora die.
Illic te invenio; *quanquam regionibus* abſis.
Sed non longa ſatis gaudia ſomnus habet.

Me ſperes: me te oblectes: mecum tota ſis:
Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum tuus.
Th. Me miſeram! forſitan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quae mihi ſum conſcia, hoc certo ſcio,
Neque me finxiſſe falſi quidquam, neque meo
Cordi eſſe quemquam cariorem hoc Phaedria.

Et

DONATI.

115. ME SPERES] Cum ME EXSPECTES, jam dixerit: quid ſibi vult iterum ME SPERES? Inter *ſpem* & *exſpectationem* hoc intereſt: quia *exſpectatio*, certorum eſt: *ſpes* vero, incertorum. Et *exſpectatio*, propinquarum rerum: *Spes*, longinquarum. Et *Exſpectatio*, deſtinat tempus: *Spes*, non deſtinat. An, *me ſperes idem facere.* id eſt, de te cogitare. ut ſit SPERES, credas: ut ſtatim in ſubditis invenies: *Nam ejus fratrem ſpero jam propemodum reperiſſe.* ME TE OBLECTES] Septimus caſus ME. MECUM TOTA SIS] Toto animo. [41] Nam illam nunc animum vult eſſe, non corpus. Et ſimul quod ipſe ab ejus corpore patitur: id vult militi ejus mente contingere, tanquam penitus excluſo ab amica.

116. QUANDO EGO SUM TUUS.] *Animus* ſcilicet.

117. ME MISERAM! FORSITAN HIC MIHI] Recte Thais nunc partem argumenti exſequitur tacitam apud Phaedriam, propter praeſentiam ſervi: quem Poëta vult ita neſcire, ut audeat ad vitiandam virginem ſubornare Chaeream.

118. ATQUE EX ALIARUM INGENIIS NUNC ME JUDICET.] Hic *Terentius* oſtendit virtutis ſuae hoc eſſe, ut pervulgatas perſonas nove inducat: & tamen a conſuetudine non recedat: utputa meretricem bonam cum facit, capiat tamen & delectet animum ſpectatoris.

120. NEQUE ME FINXISSE FALSI QUIDQUAM] Aut, *dixiſſe*, debuit dicere. aut abundat FALSI. aut ideo, qnia & vanum aliquid fingi potuit. ut ſupra, *Si vanum, aut falſum, aut fictum eſt.*

121. ESSE QUEMQUAM CARIOREM] Melius, QUEMQUAM, quam ſi dixiſſet, *militem quemquam cariorem.* QUEMQUAM CARIOREM] Quaſi meretrix, non *carum* alterum, ſed CARIOREM negat.

OBSERV. IN DONAT.

[41]. *Nam illam nunc animum vult eſſe, non corpus.*] Malim, *nam illam nunc animum vult eſſe, nunc corpus.* In editis antiquis, *dixit eſſe.*

COMMENTARIUS.

Idem Heroid. XVI. 99.

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam;
Lumina quum placido victa ſopore jacent.

ME EXSPECTES] Cupidiſſime deſideres. Heaut. II. 4. 29. Plaut. Moſtell. I. 3. 31.

Tu ecaſtor erras, quae quidem illum exſpectes *unum, atque illi*
Morem praecipue ſic geras, atque alios aſperneris.

Ubi ὁ πάνυ J. Fr. Gronovius: *Nec nuptum verbum & praetextatum eſt* Exſpectare, *& tamen ſignificationem habet huic rei dicatam & propriam.* Laudat porro locum hunc ex Eunucho Terentii. Plaut. Mil. IV. 6. 29.

Sine ultro veniat, quaeritet, deſideret, exſpectet.

Ovid. Heroid. II. 97.

Et mihi diſcedens ſuprema dicere voce:
Phylli, face exſpectes *Demophoonta tuum.*

115. ME TE OBLECTES] Mſ. Mark. IN ME.

117. PARVAM] Guyetus, PARUM. Quod & Gruterus defendit ad Plaut. Menaechm. Prol. 26. Adde Pſeud. I. 5. 62.

Cum apud te parum *ſtet* fides.

Sed & Phorm. V. 3. 27. ſunt qui legunt, *Itane*

Digitized by Google

Et quidquid hujus feci, cauſa Virginis
Feci: Nam me ejus ſpero fratrem propemodum
Jam repperiſſe, adoleſcentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me conſtituit domum.
Concedam hinc intro, atque exſpectabo, dum venit.

DONATI.

122. Et quidquid hujus feci] Hujus abſolute; aut per ἔλλειψιν, ut deſit *rei*. In Hecyra,

Ne quid ſit hujus oro.

In Heautontimorumeno,

Nihil me iſtius facturum patri.

[42] Virgilius,

— aut quid petis iſtis?

Quidquid hujus] *Rei* ſubaudiendum eſt: quod eum excluſi foras.

123. Spero propemodum] Nove spero, pro credo vel confido. Propemodum ideo, quia hominem quidem novit, ſed fratrem eſſe virginis nondum probavit.

124. Adeo nobilem] Adeo, pro *nimis* poſitum eſt, aut pro expletiva particula.

126. Atque exspectabo, dum venit.] [43] Futurum actum promittere voluit: non quo aliquis geſtus ſit expectantis.

OBSERV. IN DONAT.

42. *Virgilius*] Aen. IX. 94.

43. *Futurum actum promittere voluit: non quo aliquis geſtus ſit exſpectantis.*] Scriptura corrupta, cui a libris nullis quidquam medelae. Conjiciebam legendum eſſe: *Venturum actutum promittere voluit: neque aliquis geſtus eſt exſpectantis.* Quam conjecturam haud diſplicituram Criticorum nationi ſpero.

COMMENTARIUS.

ne parum *mihi* fidem *eſſe apud te?* Plaut. Bacchid. III. 6. 41.

Si pergis parum *mihi* fidem *arbitrarier.*

118. Atque ex aliarum] Verſum hunc ex Turpilio deſumtum Guyetus obſervat, qui apud Non. *Nunc me ex aliorum ingeniis judicat: intercapedo quorum amicitias levat.*

120. Neque me finxisse] Duplicem ſuſpicionem a ſe amotam vult Thais; primum de falſo, cujus mentionem jam injecerat Parmeno, antequam narrare inciperet, verſu 14. deinde de amore militis, de quo dixerat Phaedria verſu 80.

122. Quidquid hujus feci] Mſ. Mark. & editiones quaedam veteres, quidquid feci, hujus causa virginis feci. Minus ex ſtilo Terentii. Infra V. 6. 10.

Quidquid hujus factum 'ſt, *culpa non factum 'ſt mea.*

Et V. 9. 40.

Me, hujus quidquid facio, *id facere maxime cauſa mea.*

Cic. Att. XVI. 4. *Itaque non video, ſciturum me*, quid ejus *ſit, ni ſtatim aliquid literarum.*

125. Constituit] Sic And. I. 5. 34. Vide ad Heaut. IV. 4. 4.

Digitized by Google

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

Phaedria. Parmeno.

Ph. FAc, ita ut juſſi; deducantur iſti. *Pa.* Faciam. *Ph.* At diligenter.
Pa. Fiet. *Ph.* At mature. *Pa.* Fiet. *Ph.* Satin' hoc mandatum 'ſt tibi? *Pa.* Ah!
Rogitare? quaſi difficile ſit.
Utinam tam aliquid invenire facile poſſis, Phaedria,
Quam

DONATI.

1. FAc, ita ut jussi] Jamamatorium multiloquium & vaniloquium continet iſta actio: nam & repetit quod jam dictum eſt: [1] & id facit magis & odioſe nimis.

3. Ah! rogitare? quasi difficile sit.] Deeſt *vis*, vel *pergis*: ut ſit, rogitare pergis? Vel *te*, ſi ipſum reſpicit: vel *hunc*, ſi [2] adverſus hoc dicit: ut ſit, Ah, rogitare te? aut, rogitare hunc? Et diſtinctione interpoſita, inferendum vultuoſe, quaſi difficile ſit id quod mandat. Ita & ineptiam nimiam circa hoc ſolliciti amatoris expreſſit: & oſtendit nihil eſſe facilius, quam deducere ad meretricem munera: cum contra illud ſit difficillimum, poſcenti aliquid non dare. Rogitare?] Subauditur *te*. Ut ſit, *mirum eſt te rogitare; quaſi ſit difficile complere quod jubes*.

4. Aliquid invenire facile possis] Invenire, acquirere. Sic Heautontim. *Non quaeris patri quo modo obſequare: & ut ſerves quod labore inveneris*. Nam ideo a praecedenti etiam *quaeſtus* dicitur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et id facit magis, & odioſe nimis*] Lectio depravata. Reſtituo ex conjectura: *Et id facite magis, & odioſe minus*.

2. *Adverſus*] Immo *averſus*, a Phaedriâ ſcilicet ad ſpectatores. Quod & Lindenbruchius vidit.

COMMENTARIUS.

2. Fiet] Mſ. Mark. Fiat.

Satin' hoc mandatum 'st tibi?] Formulae ſpeciem habet. Plaut. Capt. II. 3. 85.

> Ph. *mandaſti ſatis.*
> *Satin' habes, mandata quae ſunt, facta ſi refero?* Ty. *Satis.*

Ah! rogitare?] Enallage modi. clarius Hec. IV. 1. 11.

> *at rogitas?*

Vel poſſit per ellipſin dici, ut plene ſit, Ah! rogitare te oportebat? Eodem ſenſu Plautus Mil. III. 3. 48.

> Pa. *Nempe tu noviſti Militem meum herum?*
> Ac. *Rogare mirum 'ſt.*

5. Peribit!] Vere Geta Plautinus, Truc. II. 7. 16.

> *Meretricem ego item eſſe reor, mare ut eſt: quod des, devorat, nec unquam Abundat.*

6. Na

Quam hoc peribit! *Ph.* Ego quoque una pereo, quod mihi eſt
carius.
Ne iſtuc tam iniquo patiare animo. *Pa.* Minime: quin effectum
Sed numquid aliud imperas? [dabo.
Ph. Munus noſtrum ornato verbis; quod poteris: & iſtum ae-
Quod poteris, ab ea pellito. [mulum,
Pa. Memini, tametſi nullus moneas. *Ph.* Ego rus ibo, atque ibi
manebo.
Pa. Cenſeo. *Ph.* Sed heus tu. *Pa.* Quid vis? *Ph.* Cenſen' poſſe
me obfirmare,

Et

DONATI.

5. QUAM HOC PERIBIT!] Deeſt *facile:* ut ſit, *Facile hoc peribit.* QUOD MIHI EST CARIUS.] Pro, *qui mihi ſum carior.* Sed EGO dixit abſolute, occurrens huic [3] pronomini *quod.*

6. QUIN EFFECTUM DABO.] QUIN pro *immo.* ut in Heautontim. *Quin nolo mentiare.*

7. SED NUMQUID ALIUD IMPERAS?] In his ſervus nihil vult, niſi coactus facere, propter majorem dominum. ſic & alibi, [4] *Jubeſne inquit?* reſponderet ei Chaerea, *Cogo atque impero.*

8. MUNUS NOSTRUM ORNATO VERBIS] Ἠθικῶς non dixit *meum*, quaſi & Parmenonis ſit. ET ISTUM] Id eſt, moleſtum & odioſum: nam hoc ſignificat ISTUM.

9. AB EA PELLITO.] AB EA, ab ejus animo: Et non, *pelli facito:* ſed PELLITO.

10. TAMETSI NULLUS MONEAS.] Properat ſervus carpere vaniloquium domini. Et NULLUS, pro non. Sic in Hecyra, *Nullus dixeris.* *Plautus* In [5] Trinummo, *Nullus credas.* EGO RUS IBO] Et hoc jam dictum eſt: ſed oſtendit, quam moleſte id incipiat Phaedria.

11. CENSEN' POSSE ME OBFIRMARE, ET PERPETI?] Arbitraris: ut *Cenſores*, qui morum alienorum habent ſummum arbitrium [6] Et ideo hunc putant non cenſere, quia ipſa deſiderat fieri. POSSE OBFIRMARE, ET PERPETI] Verba ſunt deſperantis. non *firmare*, ſed OBFIRMARE: non *pati*, ſed PERPETI.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Pronomini* QUOD] Edd. veteres, *Pronomini* QUI.

4. *Jubeſne inquit? reſponderet ei Chaerea*] Rob. Steph. *reſpondere Chaerea.* Lege & diſtingue: JUBESNE? *inquit. Reſpondet ei Chaerea.* Vel cum Mſ. Hulſt. *Reſpondente Chaerea.*

5. *Trinummo*] III. 1. 5.

6. *Et ideo hunc putant non cenſere, quia ipſa deſiderat fieri*] Lege ex Mſ. Hulſt. *Et ideo hunc putas non cenſere, quia ipſe deſiderat fieri.*

COMMENTARIUS.

6. NE ISTUC] Hic verſus Guyeto ſpurius eſt, immerito.

8. MUNUS NOSTRUM ORNATO VERBIS] Exiſtimat Donatus, NOSTRUM dici, quaſi & Parmenonis ſit. Parum accurate. Ita enim ſolebant ſe efferentes. Sic intra III. 2. 15. Ubi vero ORNATO VERBIS dicit, vult & commendari munus, & cum honore verborum offerri Thaidi. Eodem ſenſu Cicero Off. II. 20. *Neque vero* verbis auget ſuum munus, *ſi quo forte fungitur, ſed etiam extenuat.*

QUOD POTERIS] Mſ. Mark. & Lipſ. QUOAD POTERIS. Eodem ſenſu Cic. Fam. I. 1. *Quod commodo rem facere poſſis.* Ubi conſule grande Muſarum decus, J. G. Graevium. Sic Heaut. III. 1. 7.

10. MEMINI] Mſſ. Lipſ. AU MEMINI.

11. CENSEO.] Magnifice dictum. *Cenſebant* Patres ſententiam in Curia de re publica dicentes.

Posse

Et perpeti, ne redeam interea? *Pa.* Te ne? non hercle arbitror.
Nam aut jam revertere: aut mox noctu te adigent horſum inſomnia.
Ph. Opus faciam, ut defetiger uſque, ingratiis ut dormiam.
Pa. Vigilabis laſſus: hoc plus facies. *Ph.* Ah, nihil dicis, Parmeno.

Eji-

DONATI.

12. TE NE?] TE quod ait, hanc vim habet, ut ſignificet perditum amore Phaedriam eſſe.

13. NAM AUT JAM REVERTERE] Modo JAM, pro *ſtatim*. TE ADIGENT HORSOM] Hoc eſt, ad urbem agent. INSOMNIA] Vigiliae. Legitur & ADIGET, ut ſit INSOMNIA numeri ſingularis.

14. UT DEFETIGER USQUE] Ordo eſt, *uſque ut defetiger*. INGRATIIS UT DORMIAM.] Id eſt, etiam invitus & coactus. Nam INGRATIIS, non ultro ſignificat: quia ultronea ingrata ſunt: *ingrata*, quae 7 ab inimicis fiunt, ac recuſantibus.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Ab inim cis fiunt*] Lege, *ab invitis fiunt*.

COMMENTARIUS.

POSSE ME OBFIRMARE ET PERPETI] Heaut. V. 5. 8. Plaut. Amph. II. 2. 14.

feram & perferam uſque
Abitum ejus animo forti atque obfirmato.

Ovid. Remed. Amor. 245.

Sed niſi firmata *properabis mente reverti*,
Inferet arma tibi ſaeva rebellis Amor.

13. MOX NOCTU TE ADIGENT HORSUM INSOMNIA.] Haec vulgata lectio eſt, quam & defendit Guyetus, & praeferunt Mſſ. pluſculi & editi quidam veteres. Si vero conſideres ea quae ſequuntur, dubium non eſt, quin ſcripſerit Terentius: MOX NOCTU TE ADIGET HORSUM INSOMNIA. ut adeo INSOMNIA non ſint ἐνύπνια, ſed ἀϋπνία ſeu vigilia. Ita accipiens verba Parmenonis Phaedria reſpondit, OPUS FACIAM, UT DEFETIGER USQUE, INGRATIIS UT DORMIAM. Mox rurſus Parmeno non credens dormiturum herum, VIGILABIS LASSUS, inquit. Et ſane, qui ἐνύπνια ejus, qui non dormiebat, in urbem adigere poterant Phaedriam? Eſt igitur h. l. INSOMNIA abſentia ſomni. Et gratis Donatum citat Guyetus, is enim teſtatur, & ADIGET legi. Mſſ. omnes, quibus uſus ſum, ADIGENT praeferunt; niſi quod Traject. dubie, *Adigẽt orſum*. Palatinorum unus, teſte Pareo, ADIGET, quod & Faërnus in Codice ſcripto invenit. Eodem ſenſu Fabrini reddidit: *il vegliar che voi farete, il penſiero di Taide di notte vi condurrà inverſo qua. cioè che voi ſtarete tanto affiſſo col penſiero à Taide, che voi non potrete dormire, e la mente ſendo tutta occupata in contemplarla vi condurrà qua di notte, che voi non potrete fare altro.* Et crediderim ferme, inſcitia Librariorum ADIGENT ſcriptum fuiſſe, quod ignorarent, INSOMNIA feminino genere dici. Gell. VI. 4. de Attilio Regulo: *Tuditanus autem ſomno diu prohibitum, atque ita vita privatum refert. Idque ubi Romae cognitum eſt, nobiliſſimos Poenorum captivos liberis Reguli a Senatu deditos, & ab iis in armario muricibus praefixo deſtitutos, eademque* inſomnia *interiſſe.*

14. OPUS FACIAM] Intelligit opus ruſticum. Heaut. I. 1. 21. Adelph. IV. 1. 2. De illo ita Cicero, Off. I. 42. *Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius.* Ad locum Terentii reſpexit Ovidius Remed. Amor. 205.

Nocte fatigatum ſomnus, non cura puellae
Excipit; & pingui membra quiete levat.

Adde Metam. XI. 34. Ad res voluptatum tranſtuli.

Digitized by Google

Ejiciunda hercle haec eſt mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non ego illa caream, ſi ſit opus, vel totum triduum?
Pa. Hui!
Univorſum triduum? vide quid agas. *Ph.* Stat ſententia.
Pa. Dî boni, quid hoc morbi eſt? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? hoc nemo fuit
Minus

DONATI.

16. NIMIS ME INDULGEO.] ME ſic veteres, quod nos MIHI dicimus. Alibi, *Te indulgebant, tibi dabant.*

17. TANDEM NON EGO ILLA CAREAM, SI SIT OPUS, VEL TOTUM TRIDUUM?] Sic coepit tanquam aliquid foret dicturus magnificum: non autem eſt παρὰ προσδοκίαν: ſed vere amator magnum hoc putat. VEL TOTUM TRIDUUM?] Magna profeſſio virtutis, cùm biduo ſit opus, triduo poſſe durare. Et TOTUM TRIDUUM, dicit univerſum triduum, εἰρωνικῶς: quaſi ſit triduum in multo numero.

18. VIDE QUID AGAS.] Sic dicitur magna aggredientibus. STAT SENTENTIA.] Et vultu & geſtu magis ſpectabile quod dixit, ATAT SENTENTIA: vel maxime eo, quod tanto ſonitu haec de ſe promittat Phaedria continuo rediturus, vel potius non acceſſurus ad villam: tantum autem aberit, quantum temporis opus eſt ad vitiandam virginem.

19. QUID NOC MORBI EST?] Excuſatio amoris, quando non culpa, ſed morbus eſt. ADEON HOMINES IMMUTARIER EX AMORE, UT NON COGNOSCAS EUNDEM ESSE?] More ſuo a plurali numero ad ſingularem ſe convertit.

20. UT NON COGNOSCAS EUNDEM ESSE?]Non ſolent ſtulti induci adoleſcentes: & ideo ad amorem retulit ſtultitiam Phaedriae.

COMMENTARIUS.

tulit Plautus Aſin. V. 2. 23. 24.

INGRATIIS] Proprie ablativum eſſe adverbialiter poſitum, diſcas ex Plauto, Caſin. II. 5. 7.

Vobis invitis, atque amborum ingratiis.

Et Merc. II. 4. 11. *tuis ingratiis.* Galli, *malgré.* Eodem ſenſu dixit Propertius III. 10. 25.

Dulciaque ingratos *adimant convivia ſomnos.*

Mſſ. quidam INGRATUS UT UT DORMIAM.

15. VIGILABIS LASSUS: HOC PLUS FACIES.] Mſ. Mark. FACIENS. Scilicet, dixerat Phaedria, OPUS FACIAM, UT DEFATIGER USQUE. Id ridet PARMENO, q. d. Recte ſane, tu opus facies ad laſſitudinem uſque. Neque tantum opus facies, ſed praeterea etiam vigilabis jam laſſus, quod amplius quid eſt, quam opus facere, ergo HOC PLUS h. e. tanto plus FACIES. Non ccpit vim horum verborum Guyetus, quem tamen optime ea explicuiſſe dicit Boeclerus. Sic Heaut. I. 1. 22. ſed citra Ironiam, *plus agas.*

NIHIL DICIS] Hugenius in Indice ſubaudit, *quod libenter audiam.* Senſus eſt, Quod dicis, nullius eſt momenti. And. II. 1. 14. Phorm. I. 4. 31.

16. EJICIUNDA HERELS HAEC EST MOLLITISS ANIMI] Ita Plautus Caſ. Prol. 23.

Ejicite ex animo *curam atque alienum aes.*

Trin. III. 2. 24.

Cape ſis virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo.

Curc. II. 1. 8.

Si recte facias, Phaedrome, auſcultes mihi,
Atque iſtam exturbes ex animo aegritudinem.

NIMIS] Mſ. Mark. HERCLE NIMIS.

ME INDULGAO] Mſſ. & impreſſi quidam: MIHI INDULGEO.

18. VIDE QUID AGAS.] Formula deterrentis. Intra V. 5. 22. Aliter Phorm. II. 2. 32. ubi Donatus: *Non terrentis eſt, ſed excitantis.*

STAT SENTENTIA.] Quodcunque firmiter decretum, *ſtare* & *ſedere* dicitur. Virg. Aen. II. 750.

Stat *caſus renovare omnes.*

Et V. 748.

Edocet, & quae nunc animo ſententia conſtet.

Et IV. 15.

Si mihi non animo fixum immotumque ſederet.

19. QUID HOC MORAI EST!] Amorem vocat *morbum*, uti *animum aegrotum* tribuit amanti

L l Pam-

Cum meo decrepito hoc Eunucho: haec ſuperat ipſam Thaidem. 25

DONATI.

25. Cum meo dacrepito hoc Eunucho] Facete meo, ad paraſitum retulit, cum pulchro munere venientem. Et praeparatio eſt ad ducendum Chaeream potius, quam deformem Eunuchum. Decrepito hoc Eunucho] *Decrepiti* ſunt dicti, quorum crepitu & plangore familiae fuerant jam conclamata funera. Haec superat ipsam Thaidem.] Hoc ſic accipias, non vituperari Thaidem, ſed tanquam ὑπερβολικῶς dici. Ideo addidit ipsam, quaſi nimiae pulchritudinis. Et bene ipsam, propter quam datur.

COMMENTARIUS.

25. Dacrepito] Prorſus ſene. Sic Adelph. V. 8. 16. Etymon incertum. Vide Donatum ad utrumque locum. Eugraphio *decrepiti* vocantur ſenes, quod longa ſenectute vix loqui poſſiut, & tantummodo fractis vocibus loquantur, & ſint quaſi quaedam *crepitacula*. Poſſit & metaphora videri deſumta a *crepuſculo* diei circa veſperam, vel a lucernis ſive candelis in extremo *crepitantibus*. Alii aliter. Vid. Voſſii Etym.

Haec superat ipsam Thaidem.] Citat Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XV. *Papae, haec ſuperat ipſam Thaidem.*

ACTUS SECUNDI

SCENA SECUNDA.

Gnatho. Parmeno.

Gn. Di immortales! homini homo quid praeſtat! ſtulto intelligens!

Quid

DONATI.

Di immortales! homini homo quid praestat!] *In hac Scena non ſtans, ſed quaſi ambulans perſona inducitur. Conſtitit tamen aliquantulum, intuens ſpectatores, dum ſecum loquitur. Exprimit autem paraſitum, & ſub ejus verbis corruptos mores in aſſentationem oſtendit: prorſus ut honeſtae quoque perſonae in hujuſmodi culpa inventae ſint: ut alibi, Obſequium amicos, veritas odium parit.*

1. Di immortales!] Hoc jam mire, & pro ſeculi ac temporum reprehenſione ſatyrice *Terentius*, quod apud eum *ſtultum* vocat ſimplicem

COMMENTARIUS.

1. Homini homo quid praestat!] Sic Phorm. V. 3. 7. Antiphanes Comicus, ſive is Smyrnaeus, ſive Rhodius, Εἰς Τύχην: Ἀνδρὸς διαφέρει τῦν' ἀνήρ. *Hoc vir a viro differt.* Liv. XXXI. 7. *Dico, quantum vel vir viro, vel gens genti praeſtat.*

Quid intereſt! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc, atque ordinis,
Ho-

DONATI.

cem paraſitus, [1] & *intelligentem malum.* DI IMMORTALES!] Admirantis exclamatio eſt, cum paraſiti geſticulatione. DI IMMORTALES! HOMINI HOMO QUID PRAESTAT!] Morata narratio a ſententia incipi ſolet: quae dicitur προμύθιον. HOMINI HOMO QUID PRAESTAT!] Alii diſtinguunt, [2] QUID PRAESTAT STULTO INTELLIGENS. quia ſic veteres loquebantur.

2. QUID INTEREST!] Hoc admirantis eſt, & ideo ſic pronuntiandum.

3. CONVENI HOMINEM] *Conveniſſe*, non vidiſſe tantum, ſed etiam collocutum fuiſſe ſignificat. MEI LOCI ATQUE ORDINIS] LOCI, ingenuum: ORDINIS, pauperem. Illud natalium, hoc fortunae eſt.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et intelligentem malum*] Editiones veteres: *Et ſe intelligentem malum.*

2. *Quid praeſtat ſtulto intelligens*] Addendum ex veteribus Codicibus: Alii, *Stulto intelligens quid intereſt.* Quomodo edidit Lindenbruchius.

COMMENTARIUS.

2. QUID INTEREST!] Videntur abſolute per admirationem dicta. Atque ita diſerte eſt in Mſ. Lipſ. Vir Cl. Jac. Perizonius ad Sanct. Min. III. 5. tamen conjunctim legit, STULTO INTELLIGENS QUID INTEREST! componens cum illo Gellii III. 14. *Quid dimidium dimidiato intereſſit.* Ita & citat Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. Cic. Catil. III. 6. *Quae ſupplicatio ſi cum ceteris conferatur, Quirites, hoc intereſt.* Liv. loc. cit. *Hoc quantum interſit, ſi unquam ante alias, Punico certe proximo bello experti eſtis.*

HOC ADEO EX HAC RE VENIT IN MENTEM MIHI.] Varie haec phraſis effertur; vel cum nominativo, uti h. l. & infra V. 3. 1. vel cum genitivo, Phorm. I. 3. 2. Cic. Fam. VII. 3. *Soles in mentem venire illius temporis.* vel abſolute. Eun. IV. 3. 24. vel denique integra ſententia ſequente. Hec. V. 1. 8. Plaut. Mil. IV. 8. 48.

Quum venit mihi in mentem, ut mores mutandi ſient.

Virg. Aen. IV. 39.

Nec venit in mentem, quorum conſederis arvis?

3. CONVENI] Obviam factus ſum. And. II. 2. 31.

MEI LOCI HINC, ATQUE ORDINIS] Non conſtat ſibi Donatus, dum primum ait, LOCI, *ingenuum*, ORDINIS, *pauperem*; additque, *illud natalium, hoc fortunae eſt*; mox ad verſ. 10. EX EODEM ORTUM LOCO, *ex eadem fortuna.* Quid ergo? Promiſcuus LOCI uſus eſt, ſeu de natalibus, ſeu de dignitate ſermo ſit. Cic. Fam. XIV. 18. *Vos videte, quid aliae faciant* iſto loco *feminae.* Juſtin. XV. 3. *Erat hic Lyſimachus illuſtri quidem Macedoniae* loco *natus.* Niſi placet cum Eugraphio MEI LOCI, *pauperem* intelligere, ORDINIS, *paraſitum.* Sic Plautus Ciſtell. I. 1. 24. *ordinem* tribuit meretricibus; vel ἐκ παραλλήλου, meae ſortis & conditionis, interpretari. Valet autem HINC ex hac urbe. Sic And. V. 1. 14.

4. HOMINEM HAUD IMPURUM] Mediocris laus. Sic mox verſu 42. Refertur autem non ad veſtitum, ſed ad ingenium. Heaut. IV. 1. 16. Adelph. II. 1. 29. II. 4. 17. Phorm. II. 3. 25. & V. 7. 93. notatque paſſim ſordidum & avarum. Phorm. I. 2. 33.

ITIDEM PATRIA QUI ABLIGURIERAT BONA.] In edit. anni 1469. & quibuſdam Mſſ. eſt OBLIGURIERAT. Cic. Catil. II. 5. *Patrimonia ſua profuderunt: fortunas ſuas* obligurrierunt. Eodem reſpexit manifeſte Fam. XI. 21. *Quocirca Segulium negligamus, qui res novas quaerit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem devoravit.* Sic Plaut. Truc. II. 3. 29. *ſentio aperiri fores,*

Quae obſerbent, quidquid venit intra peſſulos.

Sunt vero haec παρὰ προσδοκίαν a Gnathone dicta. Ubi enim magnifice ſatis dixiſſet, MEI LOCI HINC, ATQUE ORDINIS, ſubjungit, quod maxime erat ignominioſum, ITIDEM PATRIA QUI ABLIGURIERAT BONA. Quibus verbis ſimul κατὰ λιτότητα helluonem, hominemque edacem deſcribit. Qui vero patria & avita bona comediſſent, *prodigi* declarabantur. Vide porro infra V. 4. 54.

5. VI-

Digitized by Google

Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis anniſque obſitum.
Quid

DONATI.

4. HOMINEM HAUD IMPURUM] Non dixit prodigum, quia hoc ipſum probat: ſed non avarum, non improbum. Et ſic laudamus eos, in quibus nihil eſt quod magnopere efferamus: ITIDEM PATRIA QUI ABLIGURIERAT BONA.] Hoc joculari vultu dicitur. Et eleganter ex perſona paraſiti non culpatur quod comederit bona. ABLIGURIERAT] Suavibus eſcis conſumpſerat. Nam ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, eſt *ligurire*. Et λιγυρὸν Graeci ſuave appellant.

5. VIDEO SENTUM] Quam bene VIDEO, poſtquam dixit CONVENI. Et tempus mutavit & verbum. SENTUM] Horridum. SENTUM] Ad horrorem retulit. SQUALIDUM] Ad ſordes. AEGRUM] Ad maciem. PANNIS ANNISQUE OBSITUM.] Ad veſtitum & ad triſtitiam. Sed PANNIS & ANNIS, μωρολογίαι paraſitorum ſunt. PANNIS ANNISQUE OBSITUM.] Vel paraſitica vernilitate καθ' ὁμοιοτέλευτον dictum: vel quia [3] Homerus dixit, αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν, & eſt miſeriae ſenium deditum. Unde huic magis triſtitia gravitaſque diſplicuit, aliena ſemper ab omnibus paraſitis. ANNISQUE OBSITUM.] Bene addidit *annis*: quia ut quiſque miſerior eſt, ita ſenior videtur. OBSITUM.] Ut SENTUM, dixit OBSITUM. μεταφορὰ ab agro.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Homerus*] Odyſſ. T. 160.

COMMENTARIUS.

5. VIDEO SENTUM, SQUALIDUM, AEGRUM, PANNIS ANNISQUE OBSITUM.] Similem Plautus Menaechm. V. 2. 10c. vocat *impuriſſimum*,

Barbatum, tremulum, Titanum (an *Tithonum?*) *Cygno prognatum patre.*

Martialis vero IV. 53. 3, deſcribit:

Cum baculo peraque ſenem: cui cana putriſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit.
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos.

Cicero Tuſc. Quaeſt. III. 12. e veteri Poëta:

Nolite, inquit, *hoſpites, ad me adire ilico iſtic;*
Ne contagio mea bonis, umbrave obſit:
Tanta vis ſceleris in corpore haeret.

Et paullo poſt:

Refugere oculi; corpus macie extabuit;
Lacrymae peredere humore exſanguis genas;
Situ nidoris barba paedore horrida,
Atque intonſa infuſcat pectus illuvie ſcabrum.

Apul. Metam. I. *Ecce Socratem contubernalem meum conſpicio. Humi ſedebat ſciſſili palliaſtro ſemiamictus, paene alius, lurore ac miſera macie deformatus: qualia ſolent Fortunae deterrima ſtipes in triviis erogare.* Idem Metam. IX. *Dii boni! quales illic homunculi, vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorſumque plagoſum, ſciſſili centunculo magis inumbrati, quam obtecti; Nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen ſic tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti.*

SENTUM] *Horridum & incultum*; qualia ſunt loca vepribus & ſpinis obſita. Virg. Aen. VI. 462.

Per loca ſenta *ſitu.*

Quae Servius interpretatur *ſqualida*. Prudentius περὶ Στεφ. Hymno III. 46.

Ingreditur pedibus laceris
Per loca ſenta *ſitu & vepribus.*

Dixit vero SENTUM, SQUALIDUM, uti Plaut. Truc. V. 41.

Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque ſqualidum?

h. l. *ſordidum*. Quomodo quidam Mſſ. legunt pro AEGRUM.

PANNIS ANNISQUE OBSITUM.] Heaut. II. 3. 53. Plaut. Menaechm. V. 2. 4.

conſitus *ſum*
Senectute; onuſtum gero corpus; vires
Reliquere. ut aetas mala, merx mala eſt tergo!

Virg. Aen. VIII. 307.

ibat rex obſitus *aevo.*

Apul. Florid. I. *Vultu ferino trux, hiſpidus, illuvibarbus, ſpinis & pilis* obſitus. Suet. Calig. 35. *Conſtringi ſine mora juſſit, &* pannis obſitum *vicatim circumduci, ac mulieribus oſtendi, deinde jugulari.* Vide Barthium Adverſ. XIX. 11.

Digitized by Google

Quid iſtuc, inquam, ornati eſt? quoniam miſer quod habui, perdidi. hem,

Quo redactus ſum! omnes noti me, atque amici deſerunt.

Hic ego illum contemſi prae me. Quid homo, inquam, ignaviſſime?

Itan' paraſti te, ut ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi?

Si-

DONATI.

6. QUID ISTUC ORNATI? INQUAM] Scire nos convenit, cum recto caſu profertur interrogatio, non eſſe contumelioſum. Ut ſi dicas, *Quis hic homo eſt?* Si autem in obliquo, contemptum ſignificari. ut, *Quid hoc eſt hominis? quid mulieris? quid ornatus?* QUID ISTUC ORNATI? INQUAM] *Ornatus*, τῶν μέσων eſt, ad dedecus & ad turpitudinem. Vel ſimpliciter hoc accipe, vel εἰρωνικῶς. Et ORNATI, ut *ſenati*, antiquus genitivus. QUOD HABUI, PERDIDI.] Non dixit, id quod erat, comedi, aut conſumpſi.

7. HEM, QUO REDACTUS SUM!] Vel habitum ſuum, vel corpus oſtendens, hoc dicit. Nec quicquam hic, niſi ex media conſuetudine collocatum eſt. OMNES NOTI ME, ATQUE AMICI DESERUNT.] Sententioſe atque mordaciter in mores.

8. HIC EGO ILLUM CONTEMSI PRAE ME.] Hoc eſt illud, HOMO HOMINI QUID PRAESTAT! STULTO INTELLIGENS!

9. ITANE TE PARASTI] Quam objurganter! tanquam in illo ſit, quod miſer eſt. Et alibi,

Nam nemo illorum quiſquam, ſcito, ad te venit,
Quin ita paret ſe, abs te ut blanditiis ſuis,
Quam minimo precio, ſuam voluptatem expleat

Et hoc proprie verbum ad exprimendam inhumanitatem & ignaviam factum eſt. UT SPES NULLA RELIQUA IN TE SIET TIBI?] Sententioſe, ad illud quod & ⁴ *Virgilius* ait,

Ponite: ſpes ſibi quiſque.

UT SPES NULLA RELIQUA IN TE SIET TIBI?] Bene, quaſi qui rem a fortuna acceperit.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius*] Aeneid. XI. 309.

COMMENTARIUS.

6. QUID ISTUC, INQUAM, ORNATI EST?] Apulej. Metam. I. *Hem, inquam, mi Socrates, quid iſtud? quae facies? quod flagitium?* Plaut. Menaechm. I. 2. 37. *qui iſtic eſt ornatus tuus?* Alii cum Donato: QUID ISTUC ORNATI? INQUAM.

QUOD HABUI, PERDIDI.] Sic Plaut. Perſ. IV. 4. 91. *quod habuit, id perdidit.*

7. NOTI] Active, qui me norunt. Phaed. I. 11. 1.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam
Ignotos *fallit*, notis *eſt deriſui.*

Ad quem locum vide ſummos Viros, Schefferum & Burmannum.

DESERUNT.] Mſſ. quidam, DESERUERUNT. Leidenſium unus, *deſerer.*

8. HOMO] Ita ſolent per contemtum. Quae fere diſtinctio inter Ἄνθρωπον & Ἄνδρα uſitata Graecis.

9. IN TE] Emphatice dictum; eſt enim *ſpes* non inter Fortunae bona, ſed ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν.

10. SIMUL CONSILIUM CUM RE AMISTI?] Cic. pro Coel. 32. *Hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis.* Ovid. Pont. IV. 12. 47.

Crede mihi; miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re conſiliumque *fugit.*

11. QUI COLOR, NITOR, VESTITUS, QUAE HABITUDO EST CORPORIS!] Donatus h. l. ἀκριβέστερος quam neceſſe eſt; quidni enim & COLOR τῷ AEGRUM opponatur? infra II. 3. 26. Ovid. Heroid. III. 141.

abiit corpuſque colorque.

NITOR ad pinguedinem refertur. Phaed. III. 7. 4.

unde

Simul conſilium cum re amîſti ? viden' me ex eodem ortum loco?

Qui color, nitor, veſtitus, quae habitudo eſt corporis!

Omnia habeo, neque quidquam habeo. Nihil cum eſt, nihil deſit tamen.

At

DONATI.

10. SIMUL CONSILIUM CUM RE AMISTI?] [5] *Virgilius*,

> —— *nec, ſi miſerum Fortuna Sinonem*
> *Finxit: vanum etiam, mendacemque improba finget.*

Et [6] *Salluſtius*, *Neque Fortuna eget: quippe quae probitatem, induſtriam, aliaſque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam poteſt.* Ergo haec interrogatio increpantis eſt: nec deſiderat reſponſionem. Nam *conſilium* in bonis animi: *res* in poteſtate fortunae. EX EODEM ORTUM LOCO?] Ex eadem fortuna.

11. QUI COLOR, NITOR, VESTITUS, QUAE HABITUDO EST CORPORIS!] Hoc contra illud, VIDEO SENTUM, SQUALIDUM, AEGRUM, PANNIS, ANNISQUE OBSITUM. COLOR ergo ad SENTUM: NITOR ad SQUALIDUM: VESTITUS ad PANNIS ANNISQUE OBSITUM: HABITUDO CORPORIS, ad AEGRUM refertur. QUAE HABITUDO EST CORPORIS!] [7] *Plautus* in Epidico, *Corpulentior hercle, atque habitior.*

12. OMNIA HABEO] Ad QUOD HABUI, PERDIDI. NEQUE QUIDQUAM HABEO.] Ad MEI LOCI ATQUE ORDINIS HOMINEM. OMNIA HABEO, ad induſtriam retulit. NEQUE QUIDQUAM HABEO, ad fortunae culpam. Et item denuo, fortunae crimen, NIHIL CUM EST, ad ſuam laudem, NIHIL DESIT TAMEN. OMNIA HABEO, NEQUE QUIDQUAM HABEO.] Alterum horum, neutrumve poteſt cuivis accidere: utrumque nulli. NIHIL CUM SIT, NIHIL DESIT TAMEN.] Figura ὀξύμωρον. Ut apud [8] *Virgilium*,

> —— *Sequiturque ſequentem.*

Et [9] *Cicero*, *Cum tacent, clamant.*

OBSERV. IN DONAT.

5. *Virgilius*] Aeneid. II. 79.
6. *Salluſtius*] Jug. I.
7. *Plautus in Epidico*] I. 1. 8. ſed legitur nunc: *Corpulentior videre atque habitior.*
8. *Virgilius*] Aeneid. XI. 695.
9. *Cicero*] Catil. I. 8.

COMMENTARIUS.

> *unde ſic, quaeſo,* nites?
> *Aut quo cibo feciſti tantum corporis?*

Virg. Aen. III. 20.

> *ſuperoque* nitentem
> *Coelicolûm regi mactabam in litore taurum.*

Nep. Eum. 5. Nitida *jumenta*. Horat. Lib. I. Epiſt. 4. 15

> *Me pinguem, &* nitidum *bene curata cute viſes,*
> *Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.*

HABITUDO] Totam corporis externam formam complectitur, in primis praeſtantem. Unde *habitus* pro robuſto & obeſo, infra II. 3. 23. Gell. IV. 20. *Cenſores P. Scipio Naſica & M. Popillius, quum equitum cenſum agerent: equum nimis ſtrigoſum &* male habitum, *ſed equitem ejus uberrimum &* habitiſſimum *viderunt. Et cur, inquiunt, ita eſt, ut tu ſis, quam equus curatior? quoniam, inquit, ego me curo; equum Statius meus ſervus.* Sed & *habitus* idem quod *habitudo*. Cic. pro Coel. 24. de Q. Metello: *Integerrima aetate, optime* habitu, *maximis viribus.* Seneca Epiſt. XCIII. *In minore corporis* habitu, *poteſt homo eſſe perfectus.* Gr. εὐεξία. Unde Hippocratis Aph. 3. Sect. I. illud: Αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί. *optimus corporis habitus periculoſus.* Quanto major Guyeti audacia, legentis: QUI COLOR, NITOR VESTITUS, HABITUDO QUAE CORPORIS!

12. OMNIA HABEO, NEQUE QUIDQUAM HABEO:] Species ὀξυμώρου. Curt. IX. 3. *Omnium victores, omnium inopes ſumus.* Neque aliter Paulus Apoſtolus 2. Corinth. VIII. 9. Γινώσκετε γὰρ τὴν χάριν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι δι' ὑμᾶς ἐπτώχευσε πλούσιος ὤν, ἵνα ὑμεῖς τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ πλουτήσητε. Et 2. Corinth. VI. 10. Ὡς

πτω-

At ego infelix, neque ridiculus eſſe, neque plagas pati
Poſſum. Quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim iſti fuit generi quondam quaeſtus apud ſeclum prius.
Hoc novum eſt aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.

Eſt

D O N A T I.

13. AT EGO INFELIX] Jam tranſit *ἀπὸ τοῦ μιμητικοῦ πρὸς τὸ πρακτικόν*. AT AGO INFELIX, NAQUA RIDICULUS] Vehementer invectus eſt in tempora & mores Poëta, ſub hac perſona: in qua hominem ita inducit poenitere probitatis ſuae, ut ſe infelicem, non honeſtum dicat. Et, non *nolo*: ſed, NON POSSUM.

14. QUID? TU HIS REAUS CREDIS FSERI?] Dum quis ridetur, aut vapulat. TOTA ERRAS VIA.] *Παρόμοιον* per *μεταφοράν*.

15. APUD SECLUM PRIUS.] Scilicet cum eſſent tempora meliora.

16. HOC NOVUM EST AUCUPIUM] Vide quid interſit, cum illud QUAESTUM dicat, hoc AUCUPIUM: illud de ſapientibus, hoc de ſtultis. INVENI VIAM.] Adeo novum eſt aucupium.

C O M M E N T A R I U S.

πτωχοὶ, πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες· ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες.

NIHIL DEFIT] Mſ. Lipſ. NIHIL DEFICIT. Hec. V. 2. 1. Phorm. I. 3. 10. Virg. Ecl. II. 22.

Lac mihi non aeſtate, novum non frigore defit.

13. NEQUE RIDICULUS ASSE, NEQUE PLAGAS PATI POSSUM.] Duplex olim Paraſitorum genus, unum, quod ridiculis dicteriis cibum alienum captabat. De iis Plautus Capt. III. 1. 10.

Ita juventus jam ridiculos *inopeſque abs ſe ſegregat.*

Et per totam Scenam. Hi *γελωτοποιοὶ* Graecis dicti. Alterum, quod verbera aliaſque indignitates ultro patiendo victum quaeritabat. Appoſita ſunt verba Valeriani Sermone X. de Paraſitis: *Huic denique manducanti barba vellitur; illi bibenti ſedilia ſubtrahuntur; hic ligno ſciſſili, ille fragili vitro paſcitur.* Qualis omnino apud Homerum Irus fuit; cujus antagoniſtam ſe Ulyſſes ſimulat. Iſti a flagris, quibus caedebantur, *flagrones* dicti. Ac propterea quod ſcapulas ſuas ad plagas venditabant, a Plauto nuncupantur *plagipatidae*, *πληγὰς ὑπομένοντες κονδύλων.* Moſtell. II. 1. 12. adde Capt. I. 1. 20. Sed neutro generi ſe miſer iſte famelicus idoneum dicit; admoneturque a Gnathone, non duplex eſſe paraſitorum genus, ſed ſua etiam inventione tertium exiſtere, liberum ab iſtis miſeriis; & extra ludibria poſitum, *adulatores* ſcilicet, qui ubique ad omnia aliorum dicta & facta illud *Euge* accinunt: ſeque iſtius diſciplinae & ſcholae dogmatiſten aſſeverat. Quod genus omnium maxime noxium deterrimumque vocat Plutarchus Libello de Diſcrimine Amici & Adulatoris. Haec fere ex Petri Nannii Miſcellaneis Lib. I. cap. 14. confer Lex. Plaut. v. *Scurra*. Tertullianus de Patientia cap. 16. id genus hominum notans, Patientiam vocat, *quae ventris operaries, contumelioſis patrociniis ſubjectione libertatis, gulae addixit.* Idem Quinctiliano, Declam. 298. eſt, *contumelias in quaeſtu habere, & injuria paſci.* Sidonius Apollinaris Lib. III. Epiſt. 13. *Hoc ſolum comedens domi, ſi quid e raptis inter alaparum procellas praemiſit obſoniis.* His adde Forner. Select. II. 17. & Joh. Bernh. Reinoldi, Viri Cl. & Anteceſſoris Francofurtenſis, Civis mei, quem honoris cauſa nomino, Variorum Cap. XXIII. Ubi oppido erudite illuſtrata Juvenalis illa, Sat. V. 170.

Ille ſapit, qui te ſic utitur. Omnia ferre
Si potes, & debes. Pulſandum vertice raſo
Praebebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

14. QUID? TU HIS REBUS CREDIS FIERI?] Cum Heinſio & Dacieria duplicem feci interrogationem. Scilicet repetit illud QUID? quaſi admirabundus, ex verſu 8. Tum omnis emphaſis eſt in HIS REAUS.

TOTA ERRAS VIA.] Ariſtophanes Pluto 162. proprie:

Ἢ τῆς ὁδοῦ τοπαράπαν ἡμαρτήκαμεν;

An aberravimus a tota via? Vid. Eraſm. Adag. Belgae ad eundem fere modum, utroque ſenſu: *Hy is het ſpoor byſter.*

16. INVANI VIAM.] Vulgo *medium* vocant, h. e,

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos conſector. Hiſce ego non paro me ut rideant;
Sed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul.
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Ne-

DONATI.

17. Est genus hominum] Quia multi ſunt hujuſmodi, non dixit, *homines ſunt*, ſed, est genus hominum.

18. Hisce ego non paro me ut rideant] Quia ille dixerat, Ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.

19. Sed his ultro arrideo] Quid eſt, his arrideo? aut veluti pareo, id eſt, obſequor: aut veluti dictis delector. Atque arrideo, non ſicut in paraſitis fieri ſolet, ut his arrideatur a regibus, quum potius ipſi dictis, factiſque rideant alienis, hic eſſe intelligendum, etiam res ipſa indicat ex contrario. Nam quod ait ſupra, His ego non paro me ut rideant: hoc e contrario oſtendit, quod ſubjiciatur ex dictis. Sed his ultro arrideo] Ultro, verſa vice, an prior? an etiam inſuper, hoc eſt, ultra. Admiror simul.] Plus intulit, quam ſi *laudo* dixiſſet.

20. Quidquid dicunt] Non, *quod dicunt:* ſed quidquid dicunt, id eſt, bene vel male: ne vel ſi intercluſa fuiſſet aſſentatio, ſe impediat, quod contrarium laudaverit. Id rursum si negant, laudo id quoque.] Praeclare *Terentius*, quod a Satyrico de aliis diceretur, id hic de ſe dicentem inducit, facetius multo, quam ſi aliter feciſſet: ſcilicet καθαπτόμενος mores temporum jam tum vitiatos per aſſentationem: quod fere in pleriſque fabulis monſtrat. Ut etiam in Andria:

Nam hoc tempore obſequium amicos, veritas odium parit.

Et in Adelphis:

---- quod te iſti facilem & feſtivum putant,
Id non fieri ex vera vita: neque adeo ex aequo & bono:
Sed ex aſſentando, indulgendo, & largiendo.

COMMENTARIUS.

i. e. agendi rationem. Virg. Aen. IV. 478.

Inveni, *germana*, viam.

Juſtin. I. 10. *Ipſi igitur* viam invenerunt, *qua de ſe judicium religioni & fortunae committerent.*

17. Esse primos se omnium rerum volunt] Indigitat φιλοπρωτεύοντας. Tum illud se πλεονάζει. Vid. And. IV. 5. 2. Sed & τὸ rerum. Quod Poëtis familiare. Ovid. Arte Am. I. 213. Metam. XIII. 508.

18. Consector.] Reſpicit morem clientum, ſervorum, diſcipulorum, patronos, dominos, magiſtros ſequentium. Maxime autem paraſiti *conſectabantur* ſuos reges. Unde *Scurrae*, qui proprie paraſiti, olim a ſequendo *ſequerrae* dicti.

Hisce ego non paro me ut rideant] Explicat, quid ſit ridiculum eſſe.

19. Arrideo] Dicta laudo, & cum riſu proſequor. Adelph. V. 4. 10. Plaut. Capt. III. 1. 25.

Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier.

Saltem, ſi non arriderent, *dentes ut reſtringerent.*

Horat. Arte 101.

Ut ridentibus arrident, *ita flentibus adflent.*

Ingenia admiror] Eupolis priſcae Comoediae ſcriptor Athenienſis εἰς τὴν Κολάκων διαιταν·

Γματίω δέ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε. τούτοιν μεταλαμβάνων
Αἰεὶ θάτερον ἐξελαύνω εἰς ἀγοράν. ἐκεῖ δ' ἐπειδὰν
Κατίδω τιν' ἄνδρ' ἠλίθιον, πλουτοῦντα δ', εὐθὺς περὶ τοῦτον εἰμι.
Κἄντι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ ἐπαινῶ καὶ καταπλήττομαι,
Δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν.
Veſtes vero mihi duae ſunt feſtivae: harum induens
Semper alteram in forum erumpo: illicque poſtquam
Adſpicio quempiam virum fatuum, at divitem, ſtatim huic me applico,

Negat quis? nego: ait? aio. Poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari. Is quaeſtus nunc eſt multo uberrimus.
Pa. Scitum hercle hominem! hic homines prorſum ex ſtultis
inſanos facit.

Gn.

DONATI.

21. NEGAT QUIS? NEGO] Bene ſic dixit: NEGAT & AIT contraria ſunt. Ut [10] *Plautus* in Rudente, *Vel tu ais, vel tu negas.*

22. IS QUAESTUS NUNC EST MULTO UBERRIMUS.] Quam ille apud ſeculum prius fuerat. Et vide quemadmodum illiberalem vitam honeſtiore nomine primo AUCUPIUM, poſt etiam QUAESTUM nominaverit. [11] ΡΟΠΟΚΑΡhC * hic inducens.

23. SCITUM HERCLE HOMINEM!] Mire *Terentius* longae orationi interloquia quaedam adhibet, ut faſtidium prolixitatis evitet; velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem, haec loquitur.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Plautus in Rudente*] Act. V. Sc. II. 44. ubi hodie legitur: *Proin tu vel aias, vel neges.*

11. ΡΟΠΟΚΑΡhC * *hic inducens.*] Editiones Venetae non agnoſcunt Graecam vocem. Primus, quod ſciam, locum affectum tento. Suſpicabar igitur, ſcripſiſſe Interpretem: ΡΥΠΑΡΟΝ ΚΕΡΔΟC *ſic inducens.* Sane enim illiberalem vitam honeſtiore nomine tegens *ſordidum quaeſtum inducit*, i. e. tegit, obliterat.

COMMENTARIUS.

Et ſi quid forte dives dicat, vehementer laudo, & ſtupeſcens admiror,
Prae me ferens, quaſi verbis laeter.

21. NEGAT QUIS? NEGO: AIT? AIO.] Citat Cicero in Laelio cap. 25. quanto magis mirum, hunc verſum Guyeto ſpurium videri. Eleganter autem AIO & NEGO ſibi opponuntur. Sic And. V. 4. 5. & mox infra IV. 4. 46. Plaut. Menaechm. I. 2. 52.

ME. *Sed quid ais?* PE. *Egone? id enim quod tu vis, id* aio, *atque id* nego.

Rud. II. 4. 14.

Nunc, quamobrem huc ſum miſſa, amabo, vel tu mihi aias, *vel* neges.

Quae autem Gnathoni diſciplina erat, hanc & Naſo praecipit Arte Am. II. 199.

Arguet, arguito: quidquid probat illa, probato.
Quod dicet, dicas: quod negat illa, neges.
Riſerit, arride: ſi flebit, flere memento.
Imponat leges vultibus illa tuis.

Expreſſi autem cum interrogatione Gnathonis verba, quod & fecit Dacieria, majore, ni fallor, emphaſi. Sic Martial. XII. 40.

Mentiris? credo. recitas mala carmina? laudo.
Cantas? canto. bibis, Pontiliane? bibo.

Juvenal. III. 100.

Natio Comoeda eſt. rides? majore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacrymas adſpexit amici.

IMPERAVI EGOMET MIHI] *Imperat ſibi*, qui ſtatuit facere quid, quod niſi ratione quadam motus ſponte facturus non erat. Cic. Fam. VIII. 12. *Quum homo avarus, ut ea ſolveret*, ſibi imperare *non poſſet.* Attic. XI. 24. *Quod me mones de vultu & oratione ad tempus accommodanda; etſi difficile eſt, tamen* imperarem mihi, *ſi mea quidquam intereſſe putarem.* E Diodoro laudat Dacieria: Ἐγὼ μὲν οὖν τὸν νόμον ἐμαυτῷ τουτονὶ τίθεμαι. *Ego quidem mihi hanc legem pono.*

22. IS QUAESTUS NUNC EST MULTO UBERRIMUS.] Unde Menander, citante G. Fabritio: Πράττει δ᾽ ὁ Κόλαξ ἄριστα πάντων.

23. EX STULTIS INSANOS FACIT.] Sic And. IV. 2. 9. Graeci itidem diſtinguunt inter παραφρονεῖν, καὶ παντάπασι ληρεῖν. Huc pertinet illud: Μέμηνας ἤδη, καὶ πρὶν ἐξέστης φρενῶν.
Et celebris eſt JCtorum diſtinctio inter *ſtultum* & *inſanum*; ſeu proprie *mente captum* & *furioſum*. §. 3. & 4. Inſtit. de Curatoribus.

24. MACELLUM] Dictum a Gr. μάγειρος, *coquus.* Niſi verum eſt Varronis ἔτυμον. Donati illud omnium minime ſe approbat. Ita Varro L. L. Lib. IV. *Haec omnia poſtquam contracta in unum locum, quae ad victum pertinebant, & aedificatus locus, appellatum* macellum, *ut quidam*

ſcri

Digitized by Google

Gn. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus;
Concurrunt laeti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, aucupes;
Qui-

DONATI.

24. INTERRA LOCI] Duae partes orationis, cum conjunctae unam fecerint, mutant accentum.

25. CONCURRUNT LAETI MI OBVIAM] Et multos, & properos uno verbo oſtendit, & ex adverſo ad ſe feſtinantes. CUPEDINARII] Varro Humanarum Rerum: *Numerius Equitius Cupes*, inquit, *& Romanius Macellus, ſingulari latrocinio multa loca habuerunt infeſta. His in exilium actis publicata ſunt bona, & aedes, ubi habitabant, dirutae: eque ea pecunia ſcalae Deûm Penatium aedificatae ſunt. Ubi habitabant, locus, ubi venirent, ea quae veſcendi cauſa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero Forum Cupedinis appellatum eſt.* CUPEDINARII] Omnes qui eſculenta & poculenta vendunt, a rebus Cupedinis ob alimentum CUPEDINARII appellantur. Et ipſe ſubjecit, qui accipiendi ſunt CUPEDINARII.

26. CETARII] Qui cete, id eſt, magnos piſces venditant, & [12] bolonas exercent. LANII] Qui laniant pecora: unde & *laniſtae* dicti, qui laniandis praeſunt gladiatoribus. Sic & MACELLUM a mactandis pecoribus dictum. PISCATORES] Qui recentem piſcem praebent. FARTORES] [13] Qui inſitia & farcimina faciunt. CETARII, LANII, COQUI, FARTORES] Ἁμάρτημα comicum: in Palliata Romanas res loquitur.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Bolonas exercent*] H. e. univerſos retis jactus ſimul vendunt. βόλος jactus.

13. *Qui inſitia & farcimina faciunt.*] Feſto *Fartores* etiam dicuntur *Nomenclatores*, quod clam velut infarcirent nomina ſalutatorum in aurem candidati.

COMMENTARIUS.

ſcribunt, quod ibi fuerit ortus, alii, quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, *quae ibi publice diruta, e qua aedificium hoc, quod vocatur ab eo* macellum. Vide G. J. Voſſii Etymolog. Notandum autem, omnia, quae h. l. memorantur a Gnathone, veniſſe olim in *Macello*. Plaut. Aul. II. 8. 3. unde adeo *macellum* locus maxime publicus & celebris fuit. Cic. Verr. III. 62. *Albam Aemilium ſedentem in faucibus* macelli *loqui palam*. Et quia non tantum crudi, ſed & cocti cibi vendebantur in *macellis*, igitur Caeſar *epulum pronunciatum populo in filiae memoriam* macellariis *oblocavit*. Suet. Caeſ. 26. Tum quod tres mulli triginta millibus nummûm venirent, Tiberius *annonam macelli temperavit*. Suet. Tib. 34.

25. CUPEDINARII] Lampridius Heliogab. 30. *Pinxit ſe ut* Cupedinarium, *ut ſeplaſarium, ut popinarium*. Gell. VI. 13. Cupedinariorum genera ſunt, quae ſequuntur. Apulej. Metam. I. *Forum* Cupedinis *peto: inque eo piſcatum opiparum expoſitum video.* Ἔτυμον vocis varium. Eugraphio *Cupedinarii* ſunt, qui *Cupiditatibus* populi ſerviunt. Varro L. L. Lib. IV. *Forum Cupedinis* itidem memorat. Veteres autem *cupedo*, & *cuppedo*, pro *cupidine* dixerunt. Lucret. V. 46.

> *Quantae conſcindunt hominem* Cuppedinis *acres*
> *Sollicitum curae.*

Scaliger quaſi *caupedia* & *caupedinarius* a cauponando malebat dicta.

26. CETARII] Non. Marcellus: Cetarii *genus eſt piſcatorum, quod majores piſces capit. Dictum ab eo, quod* cete *in mari ſunt majora piſcium genera.* Sunt autem *cetaria* locus & apparatus, quibus majores piſces capiuntur. Horat. Sat. II. 5. 44. quas *cetarias* dixit Plinius XXXVII. 5. Erant vero *cetarii* & qui porro h. l. memorantur, viliſſimorum hominum genus.

LANII] Hi quidem vel ipſi laniabant pecus, vel laniandum praebebant. Ovid. Heroid. I. 95.

 Irus

Digitized by Google

Quibus & re ſalva, & perdita profueram, & proſum ſaepe.
Salûtant: ad coenam vocant: adventum gratulantur.
Ille ubi miſer famelicus videt me eſſe in tanto honore,

Et

DONATI.

27. QUIBUS ET RE SALVA] Cum de meo impenderem. ET PERDITA PROFUERAM] Cum de alieno [14] nanciſcor & expendo. SAEPE] Expletivae ſignificationis eſt.

28. AD COENAM VOCANT] Utrum ad emendam coenam? an ad convivium? ADVENTUM GRATULANTUR.] Accuſativum caſum pro dativo, pro *adventui gratulantur*. Et *adventus* proprie expectatorum, neceſſariorumque dicitur.

29. ILLE UBI MISER FAMELICUS VIDET ME] Hic oſtendit, quae res coegerit ad diſcendum: & ſimul vide ſecundum vulgi opinionem loqui paraſitum. Miſerum & famelicum, hominem honeſtis moribus praeditum. ILLE UBI MISER FAMELICUS VIDET ME] Vide ut ſententioſe demonſtret malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum praevalentibus. Videt mihi hoc prodeſſe, & diſcere optat, quod negabat ſe poſſe. IN TANTO HONORE] Quia *concurrunt*, *ſalutant*. FAMELICUS] a fame & edendo dictus eſt, quaſi *famedicus*.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Nanciſcor*] in Edd. Venetis eſt *manticinor*, quod videtur poſitum pro, *clam argento emungo*, *ſuppilo*. Voce a *mantica* derivata. Plautus Capt. IV. 2. 116.

Nam hercle, niſi manticinatus *probe ero*, *fuſti pectito*.

Ubi alii *manteſcinatus*, *manticulatus* legunt; Salmaſius *panticinatus*. Iidem Libri pro *expendo* legunt *imp.ndo*.

COMMENTARIUS.

Irus egens, pecoriſque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.

COQUI] Hi macellum frequentabant, atque inde conducebantur ab iis, qui lautiores epulas appararent. Plaut. Aul. II. 4. 1.

Poſtquam obſonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinaſque haſce, apud forum, edixit mihi,
Ut diſpartirem obſonium hic bifariam.

Vide integram Fabulam.

FARTORES] Hi dicti, quod aves *farcirent*, h. e. ſaginarent & altiles facerent. Unde iidem *aviarii* & *altiliarii* vocati, Gr. σιτευταὶ, ἀλλαντοπῶλαι, ὀρνιθοπῶλαι. *Anſeres farcire* dixit Cato R. Ruſt. Cap. 89. Citat autem veterem inſcriptionem Georg. Fabritius, quae Romae eſt: ANTIGONUS DRUSI CAESARIS AVIUM FARTOR PRIM. FECIT CONJUGI.

PISCATORES] Inter hos & *cetarios* id intereſt, quod illi vivos, hi muriaticos piſces & ſalſamenta fere venderent.

AUCUPES] Hanc vocem Faërnus, Tanaq. Faber, alii exulare h. l. jubent, & ob metri rationem, & quod Cicero Off. I. 42. eam omittit. Verba Ciceronis: *Minimeque artes hae probandae, quae miniſtrae ſunt voluptatum*, cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, *ut ait Terentius. Adde huc, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumque ludum talarium.*. Et quod Donatus non legit. Demum ob librum Bembinum, hac voce carentem. Verum ex ratione metri non ſatis firmum petitur argumentum. Cicero ἁμάρτημα μνημονικὸν committere potuit, nam & *cupedinarios* omiſit. Donatus plura intacta reliquit, quae tamen in dubium non vocantur. Bembi libro ceteri & Mſſ. & impreſſorum praeſtantiſſimi, & lectio Probi reclamant. Videturque Horatius reſpexiſſe hunc locum. Ita ille Sat. II. 3. 226.

Hic ſimul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant.

Demum videtur & h. l. Terentius imitator Plauti, cujus haec ſunt Trin. II. 4. 5.

Comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis.
Piſcator, piſtor abſtulit, lanii, coqui,
Olitores, myropolae, aucupes.

27. QUIBUS ET RE SALVA] Synchyſis verborum, ita reſtituenda: QUIBUS ET RE SALVA PROFUERAM SAEPE, ET PERDITA PROSUM.

28. AD COENAM VOCANT] De coena adventitia

Et tam facile victum quaerere: ibi homo coepit me obſecrare,
Ut ſibi liceret diſcere id de me: ſectari juſſi,
Si potis eſt, tanquam Philoſophorum habent diſciplinae ex ipſis
Voca-

DONATI.

30. TAM FACILE VICTUM QUAERERE] Quia ad coenam vocant. IBI.] Pro *tunc.* HOMO] Mire addidit HOMO. Aut additum ſupervacue HOMO. Ut, [15]

Donat habere viro, decus & tutamen in armis.

31. UT SIBI LICERET DISCERE] Quaſi diſciplinam, aut artem. Tantum auctoritatis criminum felicitas ſumpſit. DISCERE ID DE ME] Magis, *de illo*, & *de me*, veteres dicebant: quam ut nos dicimus *a me*, aut *ab illo.* SECTARI JUSSI] Proprie. Nam & *ſectae* Philoſophorum ab eo dictae ſunt.

32. EX IPSIS] Philoſophis ſcilicet. EX IPSIS VOCABULA] Ut Pythagorica, Platonica. Hoc igitur non eſt conſequens ad illud, quod vult dicere: niſi forte *diſciplinam* pro *diſcipulis* poſuerit.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Donat*] Virg. Aeneid. V. 262.

COMMENTARIUS.

titia vide ad Heaut. I. 2. 9. Quod vero Donatus dubitat, an ſenſus ſit, *Ad coenam emendam*, id diſerte affirmat Eugraphius. Praeter mentem, opinor, Poëtae & ipſius Gnathonis.

ADVENTUM GRATULANTUR.] Mſ. Mark. ADVENTUM GRATULANTUR MEUM. Gaſp. Scioppius ADVENTUM accipit pro ADVENISSE, ut ſol *occaſus*, qui *occidit*, *ventus*, qui *venit.* Durum, nec Terentio dignum.

29. ESSE IN TANTO HONORE] Haec varie leguntur. TANTO HONORE. ESSE TANTO HONORE. ESSE IN TANTUM HONOREM. Quomodo Juntae, Rob. Stephanus, Fabrini, alii ediderunt. De cujuſmodi loquendi genere Gellius I. 7. *Multam nos quoque*, ait, *apud veteres Scriptores loquutionum talium copiam offendimus.* Laudatque in primis Ciceronem & Plautum.

30. TAM FACILE VICTUM QUAERERE] Emphaticum eſt τὸ FACILE, h. e. *laute, atque ex ſententia.* Sic Adelph. III. 5. 56. Plaut. Curc. V. 2. 6.

propter eas vivo facilius.

Virg. Georg. II. 460.

Fundit humo facilem *victum juſtiſſima tellus.*

Port. apud Donat. in Vita Terentii:

Tres per idem tempus qui agitabant *nobiles* facillime.

Conſule ſummorum Virorum par, J. Fr. Gronovium ad Liv. XXIII. 11. & J. G. Graevium ad Cic. Fam. III. 12.

HOMO] Ita ſolent, quaſi cum commiſeratione fortunae alterius. Phaed. II. 2. 7.

Capillos homini *legere coepere invicem.*

Et III. 3. 13.

Hominiſ*que curam cura majore adgravant.*

Belgae: *de goede man.* ita & Germani.

31. DISCERE ID DE ME] De, ex, ab aliquo diſcere quid promiſcue dixerunt.

SECTARI] Proprie. Reſpicit morem Philoſophorum, & Doctorum veterum, qui docentes praeibant, diſcipulis pone ſequentibus. Unde & *ſectae* nomen natum. Plaut. Perſ. II. 1. 5.

Nam equidem te jam ſector *quintum hunc annum; cum interim, credo,*
Cucas ſi in ludum iret, potuiſſet jam fieri, ut probe litteras ſciret.

Gell. II. 2. *Taurus*, ſectatoribus *commodum dimiſſis, ſedebat pro cubiculi ſui foribus.* h. e. diſcipulis. Ita paſſim alibi.

32. SI POTIS EST] Guyetus τὸ POTIS inſititium vocat, & recidendum, legitque, SI EST. Sed non cogitavit vir, alia acutiſſimus, SI EST, PARASITI ITEM UT GNATHONICI VOCENTUR, idem valere atque, SI PARASITI ITEM GNATHONICI VOCENTUR. Sic Hec. III. 5. 51.

Si eſt, ut velis reducere uxorem, licet.

Tum SI POTIS EST ex omnibus Libris ſcriptis tuetur Faërnus. Qui quod legit DISCIPLINAM, non video, qua ratione ſenſus conſtare queat. Certe Donatum fruſtra citat, qui ſi DISCIPLINAM legiſſet, non ſcripſiſſet, *niſi forte* DISCIPLINAM *pro diſcipulis accipimus*, ſed ita: *niſi forte*

Vocabula, Paraſiti item ut Gnathonici vocentur.
Pa. Viden', otium, & cibus quid faciat alienus? *Gn.* Sed ego ceſſo
Ad Thaidem hanc deducere, & rogitare ad coenam ut veniat?
Sed Parmenonem ante oſtium Thaidis triſtem video,

Riva-

DONATI.

33. PARASITI ITEM UT GNATHONICI VOCENTUR.] [16] Non hoc intulit, quod coeperat dicere: niſi forte *diſciplinam* pro *diſcipulis* accipimus.

34. VIDEN', OTIUM ET CIBUS QUID FACIAT ALIENUS?] Rurſus Parmeno & facetias dicit, & diſtinguit longiloquium paraſiti. QUID FACIAT] Legitur &, QUID FACIT: ut ſit figura per modos, pro, QUID FACIAT.

35. HANC DEDUCERE] Proprie. Nam [17] *ducitur* quis ad ſupplicium: *Deducitur* ad laetitiam. ET ROGITARE AD COENAM] Vide paraſitum magis optare ad coenam Thaidem vocari, quam munus capere.

36. THAIDIS] Legitur & THAIS.

OBSERV. IN DONAT.

16. *Non hoc intulit*] Integra haec nota ex verbis proxime praecedentibus eſt repetita.

17. *Ducitur quis ad ſupplicium, deducitur ad laetitiam.*] Aut haec non ſunt a Donato, aut illa, quae notat infra II. 8. 85. *Abducimur, unde volumus; ducimur, quo volumus.* Et ſane promiſcue uſurpantur *ducendi, abducendi, deducendi* verba. Sic ſupra II. 1. 23. & mox verſu 51.

COMMENTARIUS.

te τὸ DISCIPLINAM *pro diſcipulis accipimus.* Senſus igitur & conſtructio verborum Terentii eſt: *ut Paraſiti item* (itidem) *vocentur Gnathonici, ſi potis eſt* (fieri) *tanquam diſciplinae* (ſcholae) *Philoſophorum habent vocabula ex ipſis* (Philoſophis.) Cic. Fin. III. 11. *Praeter enim tres* diſciplinas, *quae virtutem a ſummo bono excludunt, ceteris omnibus Philoſophis haec eſt tuenda ſententia.* Porro autem Paraſiti de ſeſe loquebantur, tanquam qui Libris in arte ſua uterentur. Sic Gelaſimus apud Plautum Stich. II. 2. 75.

Ibo intro ad libros, & diſcam de dictis melioribus.

Et III. 2. 1.

Libros inſpexi, tam confido, quam poteſt,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.

33. PARASITI] Vox origine proba, poſteriore uſu infamis. Παράσιτοι olim dicti, qui epulis ſacris adhibebantur, quorum peculiaris erat Magiſtratus, teſte Athenaeo V. 6. De recentiorum tribus generibus vide ſupra ad verſ. 13.

34. OTIUM] Palmerius & Muretus nixi Codice Bembino OSSUM defendunt, vocem barbaram & Terentio indignam. Faërnus & Guyetus OTIUM aſſerunt, ob conſenſum Codicum & auctoritatem Donati, Eugraphii & Dionyſii Pontif. Max. qui ita ad Severum: *Vos otioſi comedere vultis alienum cibum; videte ne in vos illud conveniat:* VIDE QUID FACIAT OTIUM ET CIBUS ALIENUS. Conſule omnino Rivium ad h. l.

36. ANTE OSTIUM THAIDIS TRISTEM VIDEO] Conſtans haec lectio, pro qua tamen alii, ANTE OSTIUM MERETRICIS TRISTEM VIDEO, reponunt, ut verſui conſulant, ſcilicet.

37. RIVALIS] Vix credibile, nihil ad hanc vocem notaſſe Donatum. Eugraphius ita: Rivales *dicuntur, qui unam amant, vel meretricem, vel amicam: quod quaſi uno* rivo *amoris utantur.* Vide tamen Donatum infra V. 9. 42. Sunt autem *Rivales* proprie eodem *rivo* utentes paſtores aliique. Gell. XIV. 1. *Eſſe autem nimis quam ineptum abſurdumque, ut, quoniam aeſtus Oceani cum Lunae curriculo congruit, negotium quoque alicujus, quod ei forte de aquaeductu cum* rivalibus, *aut de communi pariete cum vicino apud judicem eſt, ut exiſtimemus id negotium quaſi habena quadam de coelo vinctum gubernari.* Inde ob rixas inde ortas vox ad *amantes* tranſlata. Plaut. Stich. III. 1. 30.

Eadem eſt amica ambobus. rivales *ſumus.*

HIC HOMINES FRIGENT.] Gratia Thaidis exciderunt. Fabrini: *ogni uno gli pareva da poco riſpetto à ſe.* Cicero ad Q. Fr. III. 8. *Memmius in adventu Caeſaris habet ſpem: in quo illum puto errare; hic quidem* friget. Sed & *frigus* de amiſſa

gratia

Digitized by Google

Rivalis ſervum: ſalva res eſt: nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum eſt ludere. *Pa.* Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem eſſe. *Gn.* Plurima ſalute Parmenonem
Summum ſuum impertit Gnatho. Quid agitur? *Pa.* Statur.
Gn. Video.

Num

DONATI.

37. SALVA RES EST] Quia & ante oſtium, & triſtem video, SALVA RES EST. Nec hoc valet ad laetitiam, quod Parmeno eſt, ſed quod rivalis ſervus. SALVA RES EST] Proverbialiter.

38. NEBULONEM] Vel furem, quia nebulas objiciat: vel mollem, ut nebulam: vel inanem & vanum, ut nebula eſt. HICE] Pro *hi.* vetuſte [18] *Virgilius*,

His certe neque amor cauſa eſt: vix oſſibus [*haerent.*

Quia *hiſce* debebat dicere. HICE HOC MUNERE ARBITRANTUR] Non immerito Gnathonem deridet Parmeno, qui penitus noverit meretricis conſilium.

40. SUMMUM SUUM] Ἐλλειψις. SUMMUM SUUM IMPERTIT GNATHO.] Haec tota locutio, paraſiticae elegantiae, & ſimul *εἰρωνείας* plena eſt. Nam & plurimam dicit ei ſalutem, quem ne exiguam quidem velit continere: & SUMMUM dicit eum, qui nec levis amicus ſit ſibi: & PARMENONEM GNATHO, non *ego te.* SUMMUM SUUM] Quam venuſte, quod ſummum amicum non reſalutet Parmeno. QUID AGITUR?] Pro blandimento, non pro interrogatione nunc ponitur. Ut *O noſter, quid fit? quid agitur?* QUID AGITUR? STATUR.] Pro, *quid agis? ſto.* Et facete: [19] nam ſtat, cui ingredi non licet.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Virgilius*] Ecl. III. 102.
19. *Nam ſtat, cui ingredi non licet*] Lego: *ſtatur, cum ingredi non libet.* Cujus lectionis veſtigia ſunt in edd. vetuſtiſſimis. Et quia ex mente Donati facete dixit Parmeno, *ſtatur*, ea vox explicanda erat, & ratio, quamobrem facete dictum videretur, addenda. Et quidni liceret Parmenoni ingredi, juſſo dona deducere ad Thaidem?

COMMENTARIUS.

gratia uſurpatur. Horat. Sat. II. 1. 60.

o puer, ut ſis
Vitalis, metuo, & majorum ne quis amicus
Frigore *te feriat.*

Perſ. Sat. I. 108.

videſis, ne majorum tibi forte
Limina frigeſcant.

Seneca Epiſt. CXXII. *Et amicitia Tiberii notus, &* frigore. Suet. Claud. 41. *Et cum primum frequenti auditorio commiſiſſet, aegre perlegit*, refrigeratus *ſaepe a ſemet ipſo.* h. e. in cauſa fuit ipſe, cur minus fauſtis acclamationibus exciperetur. Alii, HI HOMINES FRIGENT. Rurſus alii, HOMINES FRIGENT.

38. LUDERE.] Mſ. Bodl., Boecleri omnes, alii: ELUDERE. Ita & editio Veneta anni 1490.

HICE HOC MUNERE ARBITRANTUR] Mſ. Mark. ISCE HOC MUNERE ARBITRATUR. An HISCE? quomodo legit Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XII. addens: *In quo videntur euphoniae cauſa S interpoſuiſſe.* Sic Plaut. Mil. II. 6. 6.

Non hercle hiſce *homines me marem, ſed feminam*
Vicini rentur eſſe ſervi Militis.

Mſ. Lipſ. ISTE HOC MUNERE ARBITRATUR. Dixit autem HOC MUNERE, h. e. ob hoc munus. Catull. XIV. 1.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundiſſime Calve, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.

40. SUMMUM SUUM] Quo minus τὸ SUUM notet idem quod *porcorum*, quod conjiciebat Scoppa, facit ignorantia illius rei in Parmenone, qui ad tam acerbum & nimis ſcopticum convicium

Num quidnam quod nolis, vides? *Pa.* Te. *Gn.* Credo: at num
quid aliud?

Pa. Qui dum? *Gn.* Quia triſtis es. *Pa.* Nihil equidem. *Gn.* Ne
ſis: ſed quid videtur

Hoc tibi mancipium? *Pa.* Non malum hercle. *Gn.* Uro hominem. *Pa.* Ut falſus animi 'ſt!

Gn. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare eſſe? *Pa.* Hoc
nunc dicis, Eje-

DONATI.

41. AT NUMQUID ALIUD?] Cum jurgio hic de illo reſpondit. Et ideo repetit dictum Gnatho.

42. QUI DUM?] Interrogat interrogantem, ne ipſe reſpondeat. NIHIL EQUIDEM.] Dicens NIHIL, mutavit vultum Parmeno in laetitiam. Ideo illi facete Gnatho agenti hoc ipſum, NE SIS, dixit: ut probaret triſtem fuiſſe. NIHIL EQUIDEM.] Pro *non*. Ut infra, [20] *Nihil dixit, ut ſequerer ſe.*

43. HOC TIBI MANCIPIUM?] Ταπείνωσις. MANCIPIUM dicit puellam, aut virginem. NON MALUM HERCLE.] Inimica laudatio. URO HOMINEM.] Sibi hoc geſtu & vultu paraſitico dicit. [21] Et pro eo quod eſt, dolere cogo. UT FALSUS ANIMI EST!] Similiter & Parmeno ſecum geſtu ſervili. Et ANIMI pro *animo*, ἀντίπτωσις veterum: qui, *ingens es virium*, &, *dives es opum*, amabant dicere. UT FALSUS ANIMI EST!] Ex hoc falſus animi eſt, quod putat hujuſmodi munere capi poſſe Thaidem.

44. QUAM HOC MUNUS GRATUM THAIDI] Mire inſultat Gnatho. Quanto enim magis munus gratum fuerit, tanto erit rivalis excluſior.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Ut ſequerer ſe.*] Lege, *ut ſequerere ſeſe.* Verba Pythiae ad Chremetem, infra IV. 5. 9.

21. *Et pro eo, quod eſt dolere cogo.*] Edd. Venetae: *& uro pro eo, quod eſt, dolore angor.* Lege *ango*, & habebis ſcripturam Donati.

COMMENTARIUS.

vicium non tacuiſſet. Dixit autem SUMMUM, uti Adelph. III. 2. 54.

Nam is noſtro Simulo fuit ſummus, *& nos coluit maxime.*

QUID AGITUR? PA. STATUR.] Ad eundem modum Plaut. Pſeud. I. 5. 42.

SI. *Salve.* quid agitur? PS. Statur *hic ad hunc modum.*

43. MANCIPIUM] Servos ſervaſque in bello captos, atque a Republica emtos proprie *mancipia* dixere. Unde plena & juſta poſſeſſio & jus dominii quiritarii *mancipium* audit JCtis, quaeque ita poſſidentur, res *mancipi* dicuntur. Vid. Boëth. in Top. Cic. Lib. III. Ulp. in Fragm. Tit. XIX. §. 3. Caj. Inſtit. VI. 3. atque ibid. Cl. Schulting. Denique Ampl. Bynkerſh. Opuſc. II. de Rebus Mancipi, cap. 1.

NON MALUM] Mediocriter laudandi formula. Plaut. Rud. Prol. 35.

Senex, qui huc Athenis exul venit, haud malus.

Cic. Tuſc. II. 19. *Venit Epicurus*, homo minime malus, *vel potius vir optimus.* Idem Divinat. *Qui tibi aeſtus, qui error, quae tenebrae, Dii immortales! erunt*, homini minime malo.

URO HOMINEM] Haec ad ſpectatores converſus dicit Gnatho. Quae vero moleſtiam nobis creant, *urere* dicuntur. Gr. δάκνειν. Infra III. 1. 48. Plaut. Bacchid. V. 1. 5.

Magis quam id reputo, tam magis uror.

Flor. II. 6. 2. Urebat *nobilem populum, ablatum mare, captae inſulae, dare tributa, quae jubere conſueverat.* Horatius eodem verbo de *dolore ex loris & calceo* uſus Epiſt. I. 17. 46. & 10. 43. Inde eadem metaphora Catullo 2. 8. *gravis ardor* eſt intenſiſſimus dolor. Simili ſenſu *mordendi* & *pungendi* verbis utuntur. Gr. ἀμύσσειν. Quod poſte-

Ejectos hinc nos: omnium rerum, heus, viciſſitudo eſt.
Gn. Sex ego te totos, Parmeno, hos menſes quietum reddam:
Ne ſurſum, deorſum curſites, neve uſque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? *Pa.* Men'? papae! *Gn.* Sic ſoleo amicos. *Pa.* Laudo.
Gn. Detineo te fortaſſe: tu profectus alio fueras.
Pa. Nuſquam. *Gn.* Tum tu igitur paululum da mihi operae:
fac ut admittar

Ad

DONATI.

45. OMNIUM RERUM, HEUS, VICISSITUDO EST.] Vide locum, in quo erumpere dolor Parmenonis potuit, niſi commiſſa ſervaret, & celaret Thaidis conſilium.

46. SEX EGO TE TOTOS] Quid eſt TOTOS? an diebus & noctibus? utpote amatoris ſervum: ac per hoc ſine ulla ceſſatione & intermiſſione. HOS MENSES] Hos, qui nunc aguntur, id eſt, hoc tempore. QUIETUM REDDAM] Facete: quaſi hoc ipſe fecerit. Et hoc eſt quod ait, PLURIMA SALUTE PARMENONEM SUMMUM SUUM IMPERTIT GNATHO: tanquam amico conſulat.

47. NA AURSUM, DEORSUM CURSITES] Quod eſt laboris. NAVA USQUA AD LUCEM VIGILES.] Quod eſt exitii.

48. SIC SOLEO AMICOS.] Hoc *εἰρωνικῶς*.

49. DETINEO TE] Valde teneo. FORTASSE TU PROFECTUS ALIO FUERAS.] Vult exprimere confeſſionem, quod ad Thaidem venerit, ſed intrare non poſſit.

50. PAULULUM DA MIHI OPERAE] Hoc quaſi ſupplicantis vultu ad irriſionem dicitur. PAULULUM DA MIHI OPERAE] Proprie ſic dicitur, *adjuva me*. Sic in Adelphis, *Haec opera ut data ſit*.

51. NUNC TIBI PATENT FORES HAS] ** Ex eo quantum licere oportuit oſtendit, * quam miſere nihil liceat Parmenoni.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Ex eo quantum licere oportuit, oſtendit, * quam miſere nihil liceat Parmenoni.*] in edd. vetuſtiſſ. ſine lacunae ſigno, *nihil illi liceat*. Legerim: *Ex eo, quantum licere oporteat, at quam miſere ſibi nihil liceat, oſtendit Parmeno.*

COMMENTARIUS.

poſterius Germani & Belgae imitantur.

FALSUS ANIMI] Mſ. Lipſ. FALSUS ANIMO.

45. OMNIUM RERUM, HEUS, VICISSITUDO EST.] Unde vere Aeſopus, teſte Diogene Laertio, interrogatus, quid ageret Jupiter? reſpondit: *Τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. Excelſa quidem deprimit, humilia autem extollit.* Plaut. Truc. II. 1. 9.

Actutum fortunae ſolent mutarier. varia vita eſt.

Horat. Epod. XV. 23.

Eheu, tranſlatos alio moerebis amores,
Aſt ego viciſſim riſero.

Haec vero uſurpant ſententiam pronunciaturi. Sic Heaut. II. 3. 72.

46. SEX] Notat Eugraphius, familiare eſſe Terentio, *ſex menſes* dicere. Et ſane ita Adelph. III. 4. 32. Alibi tamen *trium*, *ſeptem*, *decem* menſium meminit.

47. SURSUM, DEORSUM] Reſpicit ſitum Athenarum clivoſum. Sic Adelph. IV. 2. 35. Gr. *ἄνω κάτω*.

USQUE AD LUCEM VIGILES.] Scilicet dum exeat herus voluptatem cum Thaide capiens.

48. ECQUID BEO TE?] Utimur hoc verbo, quoties laeto nuncio quem impertimus. Sic And. I. 1. 79.

49. DETINEO TE FORTASSE] Moror, otio tuo abutor. Cicero pro Roſc. Amer. cap. 7. *Ne diutius vos teneam, judices.* Donatus, & bona pars Interpretum diſtinguunt poſt, DETINEO TE.

PROFACTUS] Mſſ. quidam, & in his Leidenſes tres, Traject. Mark. & alter Lipſ. ſed & im-

preſſi

Digitized by Google

Ad illam. *Pa.* Age modo, nunc tibi patent fores hae, quia iſtam ducis.

Gn. Num quem evocari hinc vis foras? *Pa.* Sine, biduum hoc praetereat:

Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Nae tu iſtas, faxo, calcibus ſaepe inſultabis fruſtra.

Gn.

DONATI.

QUIA ISTAM DUCIS.] Hoc quaſi ad Gnathonem, ſed lente, ac ſub lingua murmurat.

52. NUM QUEM EVOCARI HINC VIS FORAS?] Quia ipſe intrare non poteſt. SINE, BIDUUM HOC PRAETEREAT] Et hoc lentius. Nam ſi aliter pronuntiaveris, ſecreta produntur.

53. QUI MIHI] MIHI, τῷ ἀτλικτμῷ dictum eſt. FORTUNATUS] Ut ipſe videris tibi.

54. NAE TU] NAE, *valde.* NAE TU ISTAS, FAXO, CALCIBUS] Mira eloquentia, in qua utraque ὑπερβολὴ expreſſiſſima eſt. Nam neque UNO DIGITULO minus aliquid dici poteſt: neque CALCIBUS SAEPE INSULTABIS, aut amplius, aut ingentius. INSULTABIS FORES] [23] *Salluſtius, Multos tamen ab adoleſcentia bonos inſultavit.*

OBSERV. IN DONAT.

23. *Salluſtius*] In Fragmentis.

COMMENTARIUS.

preſſi veteres, praeter editionem anni 1469. PROFECTURUS. Plaut. Aul. I. 2. 40.

Nunc, quo profectus ſum, *ibo.*

Truc. I. 2. 105.

Jam hic ero; prope eſt, profecta *quo ſum.*

Leidenſes duo addunt: SI TE NON DETINUISSEM. ſed alia manu. Dicuntur autem *proficiſci* etiam qui in urbe e domo in domum eunt. Sic πορεύεσθαι in Evang. Luc. XI. 5. vide ad And. III. 4. 21.

52. SINE, BIDUUM HOC PRAETEREAT] Haec & quae ſequuntur, lente pronunciat, Gnathone interim introeunte in aedes Thaidis. Reſpicit autem BIDUUM illud, de quo convenerat inter Phaedriam & Thaidem, ſupra I. 2. a verſu 100. ad 110.

53. MIHI] παρέλκει, ornatus gratia. Phorm. V. 8. 21. Virg. Georg. I. 45.

Depreſſo incipiat jam tum mihi *taurus aratro Ingemere.*

Ubi vide Servium. Livius Praefat. *Ad illa* mihi *pro ſe quiſque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint.*

UNO DIGITULO] Facillime & nullo negotio. Trabea apud Ciceronem Tuſc. IV. 31.

Lena delinita argento nutum obſervabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam: adveniens digito *impellam januam:*
Fores patebunt.

Eodem ſenſu Florus IV. 2. 49. *Reliqua ſtrages, quaſi* una manu, *facta eſt.*

APERIS FORTUNATUS] Mſ. Lipſ. FORTUNATUS APERIS.

54. CALCIBUS SAEPE INSULTABIS FRUSTRA.] Ita ſolebant excluſi amantes. Horat. Carm. I. 25. 1.

Parcius junctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris juvenes protervi:
Nec tibi ſomnos adimunt: amatque
Janua limen.

Theocr. Idyll. B. 127.

Εἰ δ' ἄλλα μ' ὠθεῖτε, καὶ ἁ θύρα εἴχετο μοχλῷ,
Πάντως καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.

Sin alias repuliſſetis me, & fores peſſulo occluſae fuiſſent,
Omnino & ſecures & faces ad vos veniſſent.

Inde illud Adelph. I. 2. 8.

Fores

Gn. Etiam nunc hic ſtas, Parmeno? eho! numnam hic relictus cuſtos,
Ne quis forte internuntius clam a Milite ad iſtam curſitet?
Pa. Facete dictum. mira vero Militi quae placeant.
Sed video Herilem filium minorem huc advenire.
Miror quid ex Piraeeo abierit: nam ibi cuſtos publice eſt nunc.

Non

DONATI.

55. NUMNAM] Hic NAM abundat: ut *quidnam*. RELICTUS CUSTOS] Bene RELICTUS: quaſi ab excluſo.

56. NE QUIS FORTE INTERNUNTIUS] Proprie, INTERNUNTIUS. NE QUIS FORTE INTERNUNTIUS] Ex his verbis datur intelligi, paraſitum e domo meretricia egredi. NE QUIS FORTE INTERNUNTIUS CLAM A MILITE AD ISTAM CURSITET?] Et hoc facete: quaſi ipſe ſibi Thaidem totam vindicaverit, quod miles facit.

57. FACETE DICTUM.] *Εἰρωνικῶς*, quia inficete. MIRA VERO MILITI QUAE PLACEANT.] MIRA, pro *mirum*. *Virgilius*, [24] *Nota tibi*. Et eſt *εἰρωνεία*. Quid mirum eſt, inquit, facete loqui eum, qui militi placeat? Poteſt tamen & pluraliter intelligi.

58. SED VIDEO HERILEM FILIUM] Non poteſt *Terentius τρόφιμον* proprie dicere: & ideo HERILEM FILIUM dicit.

59. MIROR QUID EX PIRAEEO ABIERIT] Hic cauſa oſtenditur, cur poteſt ignotus eſſe vicinis, & pro Eunucho fingi. MIROR] Pro *neſcio*. MIROR QUID EX PIRAEEO ABIERIT] Ut ex Piraeeo diſcederet, ſymbola amicorum; ut huc perveniret omiſſo negotio, aſpectus virginis fecit. NAM IBI CUSTOS PUBLICE] Adverſus praedonum incurſus illic excubabat juventus Attica. *Piraeeum*; ut *Sunium*, eſt maritima & acceſſu littoris pars clementior. PUBLICE EST NUNC.] Nunc ambigua diſtinctione poſitum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

24. *Virgilius*] *Aen.* I. 669.

COMMENTARIUS.

Fores effregit, atque in aedes irruit
Alienas.

55. ETIAM NUNC HIC STAS?] Haec dicit rurſus egreſſus ex aedibus Thaidis. Rivius legit: ETIAM NUNC TU HIC STAS? Tanaq. Faber: ETIAM NUNC HIC STAS, PARMENO? NUMNAM HIC TU RELICTUS CUSTOS? deleto EHO, quod in editione Juntina non apparere dicit. Apparet autem in editione Philippi de Giunta, Florent. 1505. hoc modo: ETIAM TU HIC STAS, PARMENO? EHO, NUMNAM TU HIC RELICTUS CUSTOS?

CUSTOS] Explorator. Suet. Caeſ. 43. *Legem praecipue ſumtuariam exercuit: diſpoſitis circa macellum* cuſtodibus, *qui opſonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad ſe.*

56. INTERNUNTIUS] Tangit morem amantium. Ovid. Amor. III. 14. 31.

Cur toties video mitti recipique tabellas?

Dixit autem INTERNUNTIUS A MILITE, uti Plaut. Mil. IV. 1. 16.

Vah! egone ut ad te ab libertina *eſſe auderem*
internuntius?

CURSITET?] Ita Mſſ. quidam cum impreſſis praeſtantiſſimis exhibent. Ita & quinque Leidenſes Codices, & Donatus. Alii, CURSET.

57. FACETE DICTUM.] Imitatur Plautum Capt. I. 2. 73. & Poen. III. 3. 24. Unde nimis arguta eſt criſis Guyeti legentis, PA. FACETE. GN. DICTUM. Ne dicam, male ita inferri illa: MIRA VERO MILITI QUAE PLACEANT. q. d. Nec tantum facete, ſed & mirifice dictum; neque adeo tua dicta placerent Militi, niſi mira eſſent; ironia manifeſta. Senſus eſt, Nil mirum, te hominem inficetum poſſe placere inſulſo Militi.

59. PIRAEEO] Vide infra III. 4. 1.

PUBLI-

Non temere eſt; & properans venit: neſcio quid circumſpectat.

DONATI.

60. Non temere est] Ut [25] *Virg. Haud temere eſt viſum.* Et properans venit] Mire locuturum ante formavit, ut geſtus verba praecedant, verba habitum conſequantur.

OBSERV. IN DONAT.

25. *Virgil.*] Aen. IX. 375.

COMMENTARIUS.

Publice] Auctoritate publica, ſeu juſſu populi. Liv. IV. 13. *Minucius eandem* publice *curationem agens, quam Maelius privatim agendam ſuſceperat.* Nepos Ariſt. 3. *Quo factum eſt, ut filiae ejus* publice *alerentur, & de communi aerario dotibus datis collocarentur.* Suet. Caeſ. 17. *Cui, quod primus conſilia conjuratorum detexerat, conſtituta erant* publice *praemia.* Ulp. L. 24. D. de dam. inf. publice pro *jure publico*, & ſecundum libertatem naturalem, videtur accipere. Excubabat autem in portu Piraeeo juventus Attica, quae ex ephebis exceſſerat, adverſus praedonum incurſus, poſtquam per biennium in ipſa urbe excubaſſet. Erat autem *Piraeeus* portus Athenarum, auctore Themiſtocle exſtructus, relicto Phalereo. Conſule Stephanum, Strabonem, Pauſaniam, alios. Egregie autem hunc locum explicitum dedit Johannes Theodoricus Bellovacus in Spicilegio ſuo.

ACTUS SECUNDI

SCENA TERTIA.

Chaerea. Parmeno.

Ch. Occidi.
Neque virgo eſt uſquam: neque ego, qui illam e conſpectu amiſi meo.

DONATI.

Occidi.] *In hac Scena novus amor adhuc ephebi, & conſilium potiundae virginis demonſtratur: tanta virtute Poëtae Comici, ut hoc commentum non quaeſitum eſſe, ſed occurriſſe ſua ſponte videatur.*

1. Occidi. Neque virgo est usquam] Non habuit quid dicere debeat aliud, properans, & circumſpiciens, niſi occidi. Occidi.] Produc mediam ſyllabam verbi hujus, & contrarium ſignificat.

COMMENTARIUS.

1. Occidi.] Nimis appoſita perſonae Chaereae eſt vox, quam quae contra Codicum fidem a Guyeto imperitis Librariis imputari mereat.

3. Ubi

Digitized by Google

Ubi quaeram? ubi inveſtigem? quem perconter? quam inſiſtam viam?

Incertus ſum: una haec ſpes eſt, ubi ubi eſt, diu celari non poteſt.

O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.

Taedet cotidianarum harum formarum. *Pa.* Ecce autem alterum.

Ne-

DONATI.

1. Neque ego, qui illam e conspecto amisi meo.] Amatorie, dum illam non invenit, & ſe perdidit.

3. Ubi quaeram?] Hoc circumſpectantis eſt. Ubi investigem?] Plus intulit. Quem perconter?] Hoc tertium plus intulit. Nam ubi nec veſtigia reperiuntur, ſupereſt interrogatio. Quam insistam viam?] Si nec, qui interrogetur, apparet. Quam insistam viam?] Et qua via, legitur.

4. Ubi ubi est, diu celari non potest.] Ob nimiam ſcilicet formae gratiam.

5. O faciem pulchram!] Faciem modo, non partem corporis dicit, ſed totam ſpeciem quae apparet & cernitur: 1 *Virgilius,*

quibus aſpera quondam
Viſa maris facies.

Deleo omnes dehinc ex animo mulieres.] Πρὸς τὸ πιθανὸν argumentatus eſt, ut oſtenderet hunc grandem jam ephebum, etiam amoris expertem non fuiſſe. Sic & alibi,

Cum ipſum me noris, quam elegans formarum
In hac commotus ſum. [*ſpectator ſiem?*

6. Cotidianarum] Hoc eſt, levium & uſitatarum: eſt quippe huic contrarium, *Nova figura oris, papae!* Ecce autem alterum.] Sic dicimus, cum propter alterum de altero venit in mentem.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius*] Aeneid. V. 767.

COMMENTARIUS.

3. Ubi quaeram? ubi investigem?] Utrumque etiam conjunxit. Heaut. IV. 2. 8. metaphora a venatione tranſlata. Ovid. Arte Am. I. 44.

Quaerenda *eſt oculis apta puella tuis.*

Phaed. IV. 4. 4. memorat *puellam oculis venantem viros.* Ubi vide quae praeter Neveletum & Schefferum notavit Cl. Burmannus. Unde & *inveſtigare* norat invenire. Phorm. V. 1. 9.

Quem perconter?] Vox nautica. *Contus* nautarum inſtrumentum, quo vada explorantur. Eſt igitur *percontari* accurate exquirere.

Quam insistam viam?] Plaut. Ciſtell. IV. 2. 11. *utrum hac an illac* iter inſtiterit.

Virg. Aen. VI. 563.

Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen.

5. O faciem pulchram!] Totam exteriorem formam ſpeciemque intelligit. Tribuiturque etiam rebus inanimatis. Juvenal. VII. 137.

Et ſtrepitu, & facie majoris vivere cenſus.

Ovid. Triſt. I. 3. 26.

Haec facies *Trojae, quum caperetur, erat.*

Deleo omnes dehinc ex animo mulieres.] Cic. Philipp. I. 1. *Omnem memoriam diſcordiarum oblivione ſempiterna* delendam *cenſui.* Idem pro Dejot. 13. *Quae tanta* delebit *oblivio?* Metaphora a Scriptura deſumta. Contrarium vide And. I. 5. 48.

6. Taedet cotidianarum harum formarum.] H. e. vulgarium; Anthol. VII. 141.

Εἰ ταύτας ὁ κριτὴς ὁ Θεῶν ἐθεάσατο κούρας,
Οὐκ ἔτ' ἂν εἶδ' ἰδέσιν ἤθελε τὰς προτέρας.

Eſtque faſtidium in ipſa Chaereae pronunciatione. Sic Cic. Orat. III. 24. Quotidianis *& vernaculis rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam.*

Ecce autem] Ita ſolent in rebus inopinatis. Adelph. V. 1. 5. Phorm. II. 1. 34.

Neſcio quid de amore loquitur. o infortunatum ſenem!
Hic vero eſt, qui ſi occeperit, ludum jocumque dices
Fuiſſe illum alterum, praeut hujus rabies quae dabit.

Ch.

DONATI.

7. Nescio quid de amore loquitur.] Ut jamdudum Phaedria loquebatur. O infortunatum senem!] Hoc dictum praeſtruxit ad exitum fabulae ac Cataſtrophen. Nam perturbatus ad Thaidem [2] ingreditur hic ſenex, per fallaciam Pythiae, & indicium Parmenonis: atque ita firmabuntur nuptiae virginis, quam ducet Chaerea.

8. Hic vero est] [3] Utrum ſenex: an Chaerea? ſed ſenex potius. Hic vero est] Senex. Qui] Scilicet Chaerea.

9. Praeut hujus rabies quae dabit.] [4] *Prae*, ex comparatione ſignificat. Ergo proprie: & eſt integra locutio. Et ordo eſt, *Praeut illa ſunt, quae hujus rabies dabit.* Et bene *dabit*, quaſi de re violenta. Ut,

—— [5] dabit ille ruinam
Arboribus.

Praeut hujus rabies quae dabit.] Hic ex parte characteris inſcius quidem eſt perſonae Chaereae, quem moribus conjicit ſervus ardentiorem in amorem ferri poſſe, ſimul ac coeperit. Praeut hujus rabies quae dabit.] Et hic oſtenditur jampridem motum in res Venereas Chaeream. Et magna Poëtae cura eſt, ne incredibile videatur, adoleſcentulum, qui pro Eunucho deduci potuerit, tam expedite virginem vitiaſſe. Quocirca artifex ſummus, quod aetati non poteſt, naturae attribuit Chaereae: ut calidior ingenio, & ante annos amator, non libidinem in ſeſe, ſed quandam rabiem deſignaverit in Venereos appetitus.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Ingreditur*] Forte, *ingredietur.* uti mox, *firmabuntur*, & *ducet.*

3. *Utrum ſenex, an Chaerea?*] Alias res egit Donatus, haec ſcribens, ſi modo haec ſunt a Donato. Manifeſte enim de Chaerea ſermo eſt.

4. Prae, *ex comparatione ſignificat.*] Senſus obſcurus. Lego: Prae *& comparationem ſignificat.* mox: *prae illis, ut illa ſunt.*

5. *Dabit*] Virgil. Aeneid. XII. 453. Ubi hodie legitur, *ruinas.*

COMMENTARIUS.

8. Hic vero est] Mſ. Bodl. Hic vero puer est.

Qui si occeperit] Mſ. Bodl. Mark. & Lipſ. qui si occaperit amare. Quomodo & Donatum legiſſe diſcas ad verſ. 56. Itaque eſſe in omnibus Mſſ. Pall. auctor eſt Pareus. Videtur autem e gloſſa additum.

Ludum jocumque dices fuisse illum alterum] Non audiendi Faernus & Guyetus, reſcribentes ex Libro Bembino, dicet, quaſi id ad ſenem referatur. Ipſi ſpectatores intelliguntur, habetque τὸ dices vim imperſonalis. Cic. Offic. I. 29. *ludum* & *jocum* bis junxit. Martial. IV. 49. 1.

Neſcis, crede mihi, quid ſint epigrammata, Flacce;
Qui tantum luſus *illa*, jocoſque *putas.*

Eſtque proverbiale de re nullius momenti & pretii. Liv. XXVIII. 42. *Nae tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conſpexeris*, ludus & jocus *fuiſſe Hiſpaniae tuae videbuntur.*

9. Praeut] Vocula comparationi inſerviens. Plaut. Amph. I. 1. 218.

Parum etiam, praeut *futurum eſt, praedicas.*

Merc. II. 4. 1.

Pentheum diripuiſſe ajunt Bacchas. nugas maximas
Fuiſſe credo, praeut *quo pacto ego divorſus diſtrahor.*

Hujus rabies] Recte de amore immodico. Lucret. IV. 1077. Virg. Georg. III. 242. ſeqq. Theocr. Idyll. III. 43. de Atalanta:

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα.
Ut vidit, ut inſanit, ut in altum incidit amorem.

10. Ut illum Di Deaeque senium perdant] Silius VIII. 466. Mſ. Bodl. & edit. anni 1469. ut illum

Ch. Ut illum Dî Deaeque ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt:

Meque adeo, qui reſtiterim: tum autem, qui illum flocciſecerim.

Sed eccum Parmenonem. ſalve. *Pa.* Quid tu es triſtis? quidve es alacris?

Unde

DONATI.

10. Ut illum] Pro *utinam*. Dî, Deaeque senium perdant] Plus dixit senium, quam *ſenem*. Nec mireris, poſt senium, qui additum: ideo quia declinationem ad intellectum retulit: ut alibi, *In Eunuchum ſuam*. Et *ſenex*; ad aetatem refertur: Senium, ad convicium. Sic *Lucilius* ait, *At quidem te ſenium, atque inſulſe Sophiſta*. Remoratus est] A *remora* piſciculo, qui & ἐχενηΐς vocatur, *remoratio* & *remoratus* dicitur.

11. Tum autem, qui illum floccifecerim.] Tum autem, pro, *&c.* Duas vult enim cauſas eſſe, cur ſe ipſum Dî perdant: unam, quod reſtiterit: alteram, quod ſenem perveritus diu remanſerit a perſequenda virgine. Et nota floccifecerim, & *contemnere*, & *non contemnere* ſignificare: ut nunc, Qui illum floccifecerim. deeſt *vel*: ut ſit, *vel flocciſecerim*.

12. Quid tu es tristis? quidve es alacris?] Proverbiale eſt, in hominem perturbatum & incerti vultus. Aut laetus es. nam *alacris*, *L* litera pro *D* poſita, non triſtis, id eſt ἄδακρυς intelligitur. Quidve es alacris?] Et *alacer* & *alacris* dicitur: ut habes apud ❛ *Virgilium*:

Ergo alacris, cunctoſque putans excedere pugna.

Quidve es alacris?] *Alacritas* eſt mutatio quaedam vultus geſtientis in ſpem aliquam.

OBSERV. IN DONAT.

❛. *Virgilium*] Aeneid. V. 380.

COMMENTARIUS.

lum Dî Deaeque senem omnes perdant. Idem ex V. C. laudat Lindenbruchius. Pareus senem tuetur ex Mſſ. Pall. omiſſo omnes. Ita & Mſ. Lipſ. alter. De *Diis* & *Deabus* in precationibus & imprecationibus conſule Briſſon. Formul. Lib. I.

11. Qui illum flocci fecerim.] Mſſ. quidam, qui illum non floccifecerim. Quomodo & exhibet editio anni 1469. Juntina, aliaeque. Scilicet notante Donato, *flocciſacere* & contemnere & non contemnere ſignificat. Sic infra III. 1. 21. Plaut. Caſ. II. 5. 23.

Unus tibi hic dum propitius ſit Jupiter,
Tu iſtos minutos cave Deos flocci feceris.

Guyetus ſuo more mire finxit hunc locum, ita:

Ut tum Di Deaeque ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt:
Meque adeo, qui reſtiterim tum, haudque illum flocciſecerim.

Primo *ſenium* indignum Terentio eſt. *reſtiterim tum* minus eleganter infertur poſt *hodie*. Porro autem, *haudque* legens verſui conſulere voluit; Latinitati conſuluiſſet, ſi *neque* ſcripſiſſet. Ne dicam, *tum autem* eleganter notare rationem, quare optat, ut ſe *perdant Dii Deaeque*; quod & Donatus obſervat.

12. Quidve es alacris?] Mſ. Lipſ. alter: quidve alacris. Haec Guyetus expungit, ſubſtituens: *Sed eccum Parmenonem. ſalve.* Pa. *Salve tu. quid triſtis es?* Turnebus mallet, quidne es alacris? ſcilicet non credens, tristis & alacris ſimul ſtare poſſe. Eſt vero alacris h. l. qui totus in geſtibus & motu eſt corporis. Unde alacrem & laetum plus ſemel junxit Cicero. Apulejus Metam. I. *Emerge* laetus *atque* alacer.

16. Alt-

Unde is? *Ch.* Egone? neſcio hercule, neque unde eam, neque
quorſum eam.
Ita prorſum oblitus ſum mei.
Pa. Quiquaeſo? *Ch.* Amo. *Pa.* Hem! *Ch.* Nunc, Parmeno, te oſtendes, qui vir ſies.
Scis te mihi ſaepe pollicitum eſſe; Chaerea, aliquid inveni

Modo

DONATI.

13. UNDE IS?] Modo, *ad quid venis*, ſignificat. Sed *eo*, de loco ad locum veteres dicebant: quod mox in ſubjectis probabitur. QUORSUM EAM.] Bene: quia proxime dixerat, *Ubi quaeram? ubi inveſtigem? quem perconter? quam inſiſtam viam? Incertus ſum.* QUORSUM EAM.] Hinc, ut diximus, manifeſtum eſt, *ire* & adventum ſignificare.

14. ITA PRORSUM OBLITUS SUM MEI.] Huic contrarium,

[7] *Dum memor ipſe mei.*

[8] Ergo OBLITUS MEI, inſanus. ITA PRORSUM OBLITUS SUM MEI.] PRORSUM, recta, id eſt, omnino: nam PRORSUM, eſt porro verſum, id eſt, ante verſum. Hinc & *proſa oratio*, quam non inflexit cantilena.

15. HEM] Si cum *H*, Parmeno: [9] ſi leniter, Chaerea. OSTENDES, QUI VIR SIES.] Non, *ſi vir ſies*: ſed, QUI VIR SIES: quod eſt ἐμφατικώτερον. Si quaeſiſſet quidem, qui vir ſies, an debeat praeſtare, qui virum ſe ſic monſtraturus eſt? Et VIR modo, non ad ſexum, nec ad aetatem dicitur, ſed ad laudem. QUI VIR SIES.] In veteribus invenitur.

16. SAEPE POLLICITUM ESSE] POLLICITUM, quod promittentem ultro ſignificat, dixit. [10] Et *ſaepe pollicitum ſe*, an neceſſe ſit praeſtare eum, qui promiſerit? CHAEREA, ALIQUID INVENI] Induxit μίμησιν pragmatice, more ſuo, non contentus dicere, [11] qui pollicitus ſit tantum, ſed quo modo etiam, & quibus verbis.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Dum*] Virg. Aeneid. IV. 336.

8. *Ergo oblitus mei, inſanus.*] Sic Phaed. IV. 25. 35.
Dum ſanitas conſtabit, pulcre meminero.

9. *Si leniter*] H. e. ſi dempta aſpiratione, ſeu litera *H*. Promiſcue autem in Libris vetuſtis ſcriptum reperias *Hem*, & *em*. Quanquam & *em* dixerunt pro *eum*. Feſtus: EM pro EUM, *ab eo quod eſt* IS. Poſſitque id videri velle Donatus. Quando legendum ſit: CH. AMO. EM NUNC, PARMENO, TE OSTENDES, QUI VIR SIES. Vix autem veriſimile, Terentium EM dixiſſe pro EUM. Quare placet lectio doctiſſ. Wielingii: *Si* EN *legitur.*

10. *Saepe pollicitum ſe*] Integrum locum ita lego: SAEPE POLLICITUM ESSE] *ut neceſſe ſit praeſtare ea, quae promiſerit.* Edit. Argent. SAEPE] *Neceſſe eſt eum praeſtare, qui promiſit; magis neceſſarium, qui* ſaepe *promiſit.*

11. *Qui pollicitus ſit tantum*] Lindenbr. *Quid pollicitus ſit tantum.* Edd. veteres: *Quod pollicitus ſit tantum.*

COMMENTARIUS.

16. ALIQUID INVENI MODO, QUOD AMES] Ovid. Arte Am. I. 41.

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis;
Elige, cui dicas: tu mihi ſola places.

Quatuor autem hoſce verſus P. Victorius Var. Lect. XXX. 14. exiſtimat imitatum eſſe Ciceronem, Divin. in Q. Caecil. cap. 1. de Siculis loquentem, qui debere ipſum cauſam ſuam recipere ajebant, ſi promiſſis ſtare vellet. Verba Ciceronis: *Me ſaepe eſſe pollicitum, ſaepe oſtendiſſe dicebant, ſi quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Veniſſe tempus ajebant.*

18. CELLULAM] Pauperiorum & ſervorum erant *cellae* & *cellulae*. Adelph. IV. 2. 13. Martial. III. 48. 1.

Pauperis exſtruxit cellam, *ſed vendidit Ollus*
Praedia: nunc cellam *pauperis Ollus habet.*

Idem VII. 14. 5.

At mihi cella *datur, non tota clauſa feneſtra,*
In qua nec Boreas ipſe manere velit.
Sic habitare jubes veterem crudelis amicus?
Arboris ergo tuae tutior hoſpes ero.

CON-

Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoſcas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
Pa. Age, inepte! *Ch.* Hoc hercle factum eſt: fac ſis nunc promiſſa appareant:
Sive adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos.

Haud

DONATI.

17. Modo quod ames] Tantummodo. Quaſi haec mora ſit promiſſis complendis. In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam] An poſſit, qui poſſe ſe affirmavit? [12] plus eſt promiſerit, quam oſtendere quid poſſit.

18. Cum in cellulam] [13] Sic dicit anus * quae & acceperit beneficium. Patris penum omnem] Ipſum penum: non ex eo aliquid, ὑπερβολικῶς. Et hoc *penu*, & hic *penus*, & haec *penus*, veteres dixerunt. Ergo & *omnem* & *omne* legitur. Congerebam clanculum.] Λάθρα ἢ κρύφα.

19. Age, inepte!] Qui dubites de promiſſis: an, qui exprobres te multa eſſe largitum. Hoc hercle factum est] Inveni quod amem: hoc quod dicebas, inquit, morae eſſe: jam factum eſt; amo. Promissa appareant] Utilitatem ut cognoſcam tuam.

20. Sive adeo digna res est] Si perſona Parmenonis eſt, sive abundat: & pro expletiva conjunctione modo eſt. In quibuſdam omnino non legitur. Adeo autem abundat, aut nimis ſignificat, vel ſatis. Si Chaerea dicit, hic ordo & ſenſus eſt, Fac, ſi vis nunc, ſive adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos, ut promiſſa appareant. ut ſit sis, ſi vis: & addatur, *ut*, quod deeſt. *Fac ut promiſſa appareant.* Ubi tu nervos intendas tuos.] Utrum obſcene hoc, ut ſervus? an μεταφορικῶς, ubi laborare ac periclitari debeas? Sed melius legunt, qui hoc totum ad perſonam applicant Chaereae: & melius, quam, qui Parmenonem hoc putant loqui, Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Plus eſt promiſerit*] Lego: *plus eſt promiſiſſe*. Vel, *plus eſt probaſſe, quod promiſerit*. Ut Lindenbr. edidit.

13. *Sic dicit anus * quae & acceperit beneficium*] Ita impreſſi omnes. Niſi quod vetuſtiſſimi non habeant lacunae indicium. Mſſ. Hulſt. *Sic dicit an is qui & acceperit beneficium.* Suſpicabar, ſcripſiſſe Interpretem, *ſic dicit, annuens ei, qui acceperat beneficium.* Quam lectionem juvare videtur lectio Librorum veterum, cum in cellulam ad te.

COMMENTARIUS.

Congerebam.] Priſcian. Inſtit. Lib. XV. Congregabam.

Penum omnem] Editio anni 1469. penum omne. Servius ad Virg. Aeneid. I. 704. inter *penum* & *cellarium* hoc intereſſe ait, quod *cellarium* ſit paucorum dierum, *penus* vero temporis longi. Ciceroni autem de Nat. Deor. II. 27. Penus *eſt omne, quo veſcuntur homines*. Adde Feſtum v. *Penora*. Hinc *cella penuaria*. Suet. Aug. 6.

19. Hoc hercle factum est] Non cepit haec Donatus, intelligens de amore, q. d. Chaerea, nunc amo, nunc inveni quod amem. Reſpondet autem Chaerea ad verba Parmenonis, Age inepte, q. d. apage has ineptias de penu patris in cellulam meam congeſta, & de mea promiſſione. Utrumque igitur Chaerea vult eſſe factum, licet ſervus erubeſceret, audiens haec proferri palam.

Fac sis nunc promissa appareant] Mſ. Mark. Fac sis nunc promissa ut appareant ipsa.

20. Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.] Senſus horum verborum pendet a sive recte intellecto. Vid. And. I. 2. 19. Eſtque imperſonaliter dictum,

Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum; quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient;

Si

DONATI.

21. HAUD SIMILIS VIRGO EST VIRGINUM NOSTRARUM] Civium ſcilicet, id eſt, terrae ac patriae noſtrae. ut [14] *Virgilius:*

Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris.

Et [15] *Salluſtius, Noſtri foeda fuga, &c.* QUAS MATRES STUDENT] Hoc verbo oſtendit cultum induſtriae, non pulchritudinem naturalem.

22. DEMISSIS HUMERIS ESSE, VINCTO PECTORE] Antiqui enim Graeci etiam virginibus ſuis praebebant palaeſtram, ad componenda corpora. Vel, DEMISSIS HUMERIS ESSE, liquide & molliter deductis, neque extantibus, [16] alae in modum. DEMISSIS HUMERIS ESSE, VINCTO PECTORE] Non accipiendum eſt quaſi hoc dicat, *Ad hoc illas ſtudent matres demiſſis humeris eſſe, & vincto pectore, ut graciles ſient*: quaſi haec duo propter unum illud fiant. ſed varie tria dixit, [17] ne diceret * *aut ſtudent illas demiſſis humeris, & vinctum pectus, ut graciles ſient.* VINCTO PECTORE] Calligato ac tenui, & velut vincto. Deeſt ergo *velut.* UT GRACILES SIENT] [18] A ſingulari *gracilis* venit haec declinatio.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Virgilius*] Georg. II. 89.
15. *Salluſtius*] Locus incertus.
16. *Alae in modum*] Mſ. Hulſt. *Athletico modo.*
17. *Ne diceret * aut ſtudent illas demiſſis humeris, & vinctum pectus, ut graciles ſient.*] Haec abſunt ab edit. Argent. Et pauum ſani habent.

18. *A ſingulari* gracilis] Quis id neſcit? Quum vero Donatus ea notare ſoleat, quae rarius occurrunt apud auctores, crediderim, eum legiſſe, GRACILAE, & ſcripſiſſe, *A ſingulari* GRACILA *venit haec declinatio.* Conjecturam firmant teſtimonia Probi & Non. Marcelli.

COMMENTARIUS.

pro, *ubi quis nervos intendat ſuos.* An autem turpicula eſt oratio? Certe talis a rabidi Chaereae perſona non eſt aliena. Lucret. IV. 1109.

Tandem ubi ſe erupit nervis *conlecta cupido,*
Parva fit ardoris violenti pauſa parumper.

Cic. Fam. XV. 14. *Ut omnes* nervos *tuos in eo* contendas. Mſ. Bodl. verba haec Parmenoni tribuit. ita:

PA. *Si adeo digna res, ubi tu nervos intendas tuos.*
CH. *Haud ſimilis virgo.*

Ita & Mſ. Lipſ. alter. Vid. Donat.

22. DEMISSIS HUMERIS] Ita dixit, uti infra verſu 44. DEMISSIS LABIIS. Plaut. Pſeud. III. 2. 51.

CO. *Ubi omnes patinae fervent, omnis aperio,*
Is odos demiſſis pedibus *in coelum volat:*
Eum in oderem coenat Jupiter cotidie.
BA. *Odor* demiſſis pedibus? CO. *Peccavi inſciens.*
BA. *Quid eſt?* CO. *Quia enim* demiſſis manibus *volui dicere.*

Arguunt vero DEMISSI HUMERI teretis colli longitudinem. Sed & humeri vel maxime ad decus faciunt. Virg. Aen. I. 589.

Os humeroſque *Deo ſimilis.*

VINCTO PECTORE, UT GRACILES SIENT.] Alii, GRACILAE. Vide, quae notavit Weitzius & Joſ. Scaliger in Conjectaneis Varronianis. Adde Lexic. Plaut. v. *Strophiarius.* Scilicet non probabant mulieres mammoſas. Unde papillae faſciolis compreſſae, cinguloque arctatum pectus. Martial. XIV. 134.

Faſcia creſcentes dominae compeſce papillas,
Ut ſit, quod capiat noſtra, tegatque manus.

Et Epigr. 149.

Mammoſas metuo: tenerae me trade puellae,
Ut poſſint niveo pectore lina frui.

Ovid. Remed. Amor. 337.

Durius incedit? face inambulet. omne papillae
Pectus habent tumidae? faſcia nulla tegat.

Auſon. Epiſt. ad Heſperium: *Si qua tibi in his verſiculis videbuntur (nam vereor, ut multa ſint) fucatius concinnata, quam verius, & plus coloris, quam ſucci habere; ipſe ſciens fluere permiſi, venuſtula ut eſſent magis, quam ſerticula; inſtar virginum,* QUAS MATRES STUDENT DEMISSIS HUMERIS ESSE, VINCTO PECTORE, UT GRACILES SIENT. Claudian. in Nupt. Honorii & Mariae 284. De cura matris:

Ipſa

Google

Si qua eſt habitior paullo, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum.
Tametſi bona'ſt natura, reddunt curatura junceas.

Ita-

DONATI.

23. Si qua est habitior paullo] Unde & *habitudo* dicitur : ut, *Quae habitudo eſt corporis?* nam habilior, aptior intelligitur. ut,

[19] *Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum.*

Ergo habitior legendum eſt. Pugilem esse ajunt] [20] Laus in Virginem. Deducunt cibum] Mire vituperavit formam, quam accuraverit fames. Et proprie deducunt.

24. Tametsi bona 'st natura] Bona, id eſt, plena, magna, & pinguis. Reddunt] Exhibent, perficiunt. Curatura] *Cura* mentis eſt: *Curatio*, medicinae: *Curatura*, diligentiae. Junceas.] Tenues & pallidas.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Namque*] Virgil. Aeneid. I. 318.

20. *Laus in virginem*] Immo vituperium, ex ſententia matrum. vid. Commment.

COMMENTARIUS.

Ipſa caput diſtinguit acu, ſubſtringit amictus:
Flammea virgineis accommodat ipſa capillis.

Idem in VI. Conſ. Honor. 523.

Ac velut officiis trepidantibus ora puellae
Spe propiore tori mater ſollertior ornat
Adveniente proco, veſteſque & cingula comit
Saepe manu, viridique anguſtat jaſpide pectus,
Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.
Sic oculis placitura tuis.

Unde ſatis jam comptas & ornatas ἐυζώνους quaſi bene cinctas dixere Graeci. Ovid. Amor. I. 5. 21.

Quam caſtigato planus ſub pectore venter!

Aſſentior autem Faërno & Rivio, Donatum legiſſe, ut gracilae sient, atque adeo notaſſe tanquam rarius vocabulum, *a ſingulari* gracila *venit haec declinatio.* Et ſane gracilae eſt in pluſculis Mſſ. unde ita edidit Pareus poſt Aldum alioſque. Aliud autem eſt *praeligatum pectus*, Plaut. Bacchid. I. 3. 28. quali eſſe & dici videntur Turnebo, qui veneficiis ceu vinculis quaſi ligati ſunt, quique illecebris quibuſdam veluti defixi tenentur.

23. Si qua est habitior paullo, pugilem esse ajunt.] Ovid. Remed. Amor. 325. ſeqq.

Quam potes, in pejus dotes deflecte puellae;
Judiciumque brevi limite falle tuum.
Turgida, ſi plena eſt; ſi fuſca eſt, nigra vocetur;
In gracili macies crimen habere poteſt.

Donato habitior eſt aptior, & eſt laus in virginem. Immo vero eſt corpulentior & robuſtior, & eſt vituperium in virginem. Qualem Martialis XI. 100. vocat *amicam mille librarum.* Ne enim habitior ſit, cibus deducitur. Illuſtriſſ. Scaliger εὐεκτεῖ exponit, additque palaeſtritarum corpora εὐεκτεῖν oportere. Vide ſupra II. 2. 11. Plaut. Epid. I. 1. 8.

Corpulentior videre atque habitior.

De ſervo. Ubi autem dicit, pugilem esse ajunt, tangit morem puellarum Laconum, quas nudas in Gymnaſiis corpora exercuiſſe tradunt cum adoleſcentibus. Theocr. Idyll. XVIII. 23. χρισαμέναις ἀνδριστὶ, *virorum more unctas* vocat. Propert. III. 14. 1.

Multa tuae, Sparte, miramur jura palaeſtrae,
Sed mage virginei tot bona gymnaſii.
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros.

Cauſam refert Scholiaſtes Euripidis: Σώματος εὐρωστίας, inquit, ἀντιποιοῦνται Λάκωνες, διὸ τὰς παρθένους γυμνάζουσιν, ἵνα γενναῖα παιδία γεννῶσι. Hinc *pugilice & athletice* valere dixit Plautus Epid. I. 1. 18.

Deducunt cibum.] Cic. Tuſc. II. 17. Subduc cibum *unum diem athletae; ferre non poſſe exclamabit*. Virg. Ecl. III. 6.

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur *agnis.*

24. Tametsi] Mſſ. quidam, Tamen etsi.

Bona 'st natura] Ab animalibus & plantis ad corpus animumque humanum transfertur. Quintil. Inſtit. II. 5. *Incorrupta natura.* Propert. I. 2. 5.

Naturaeque decus *mercato perdere cultu,*
Nec ſinere in propriis membra nitere bonis.

Intelligit κάλλος ἀπηκριβωμένον τῇ φύσει.

Itaque ergo amantur. Quid tua iſtaec? *Ch.* Nova figura oris.
Pa. Papae! 25

Ch.

DONATI.

25. Itaque ergo amantur.] Itaque, inquit, nemo illas amat. *εἰρωνεία* eſt. Aut vere amantur: ut eo magis haec amanda ſit, quae naturae beneficio, non factis comptibus, aut induſtria, eſt pulchra. Itaque ergo amantur.] Atque ita ſit, ut amentur: non naturae merito, ſed induſtria. Quid tua istaec?] Recte: ſic enim ipſe dicet, *At nihil ad noſtram hanc.* Quid tua istaec?] Deeſt, *qualis eſt*, *dic.* Nova figura oris.] Laudis genus eſt, nova, quia dixerat, *Taedet cotidianarum harum formarum.* Papae!] Interjectio mira ſubito accipientis.

COMMENTARIUS.

Reddunt curatura junceas.] Ovid. Arte Am. II. 677.

> *Illae munditiis annorum damna rependunt:*
> *Et faciunt* cura, *ne videantur anus.*

Quae verba faciunt contra diſtinctionem Donati. Martialis XI. 100. 1. eadem hyperbole:

> *Habere amicam nolo, Flacce, ſubtilem,*
> *Cujus lacertos annuli mei cingant.*

Mſ. Mark. Tali curatura. Vid. Non. Marcell. v. *Curatura.* Dixit autem junceas, quaſi a ſummo ad imum aequaliter tenues. Auſon. Epiſt. IV. 44.

> *Pectore ſic tenero, plana ſic* junceus *alvo.*

25. Itaque ergo amantur] Καὶ ἤτω δὴ φιλῶνται. q. d. Haec demum vera cauſa eſt, quare amentur. Liv. IX. 31. *Loca difficilia hoſti quaeſita, ipſos tum ſua fraude impediebant.* Itaque ergo *perpaucis effugium patuit.*

Quid tua isthaec?] Donatus deeſſe putat, *Qualis eſt, dic.* Immo deeſt, *Referunt* vel *interſunt.* Adelph. IV. 5. 43. Plaut. Perſ. IV. 4. 43.

> *percontari volo,*
> *Quae ad rem* referunt.

Si vero Donati interpretatio valeret, duplex erat ſtatuenda interrogatio, ita: *Quid tua iſtaec? formoſiorne erat?* vel ſimilis. Sic And. V. 4. 29.

> *Quid eam tum? ſuamne eſſe ajebat?*

Nova figura oris] Haec & ſequentes verſus tres Chaereae adſcribit Guyetus, ſed praeter neceſſitatem. legit autem:

> Ch. *Nova figura oris. papae.*
> *Color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum; anni ſexdecim,*
> *Flos ipſe. hanc tu mi vel clam, vel precario*
> *Fac tradas.*

Dixit autem nova pro miranda. Virg. Ecl. III. 86.

> *Pollio & ipſe facit* nova *carmina.*

Ubi Servius: *nova, magna, miranda.*

26. Color verus] Recte Donatus: *naturalis, non fucatus.* Ovid. Arte Am. I. 62.

> *Ante oculos venit* vera *puella tuos.*

Eodem ſenſu Propert. I. 4. 13.

> Ingenuus color, *& multis decus artibus, & quae*
> *Gaudia ſub tacita dicere veſte libet.*

Horat. Carm. IV. 13. 17.

> *Quo fugit Venus? heu! quove* color decens?
> *Quo motus?*

Sub. decens. Neque enim neceſſe cum Viro Cl. Richardo Bentleio diſtinguere: *Quove color? decens quo motus?* Contrarium eſt *quaeſitus.* Propert. III. 23. 8.

> *Quum tibi* quaeſitus *candor in ore feret.*

Ovid. Arte Am. III. 164.

> *Et melior* vero *quaeritur arte* color.

Corpus solidum] Firmum, non langueſcens. *Solida* proprie vocantur, quae ſunt ex una materia. Non. Marcell. v. *Stare.* Unde & ad animum transfertur. Horat. Carm. III. 3. 1.

> *Juſtum, & tenacem propoſiti virum*
> *Non civium ardor prava jubentium;*
> *Non vultus inſtantis tyranni*
> *Mente quatit* ſolida.

Lucilius: Fragment. Lib. XXVIII.

> *Hic* corpus ſolidum *invenies, hic ſtare papillas*
> *Corpore marmoreo.*

Suc-

Ch. Color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum. *Pa.* Anni?
Ch. Anni? ſexdecim.
Pa. Flos ipſe. *Ch.* Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac

DONATI.

26. COLOR VERUS] Quia non de cura eſt ac de fuco, id eſt, naturalis, non fucatus. CORPUS SOLIDUM] Quia non vitiatum. CORPUS SOLIDUM] Plenum & forte, id eſt, non flaccidum. SUCCI PLENUM.] Quia nemo deduxit cibum. Nam ſuccus, eſt humor in corpore, quo abundant bene valentes. [21] *Virgilius:*

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Succus proprie, quaſi *ſugus:* quem ſibi ex alimentis membra ſugunt, ut ſe repleant. SUCCI PLENUM.] *Succus*, eſt interior pinguedo membrorum. ANNI? SEXDECIM.] Vide quemadmodum aetatem virginis maturae Poëta ex occaſione demonſtraverit.

27. HANC TU MIHI VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO] Haec tria ſunt, quibus non rite res agitur, VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO: ſine pretii mentione. Vel quia virgo, non meretrix: vel quia nulla Ephebo ſpes eſt fallendi Senis. HANC TU MIHI VEL VI, VAL CLAM, VEL PRECARIO FAC TRADAS] Secundum jus locutus eſt. Nam his tribus mala fide aliquid poſſidetur: *vi, clam, precario. Vi*, quia virgo: *clam*, quia cuſtoditur: *precario*, quia pretium non habet Chaerea.

OBSERV. IN DONAT.

21. *Virgilius*] Ecl. III.6.

COMMENTARIUS.

SUCCI PLENUM.] Intelligit ὑγρότητα. Plautus Mil. III. 1. 191. *Succidam* vocat. Apulej. Metam. II. *Inenormis proceritas*, ſucculenta *gracilitas, rubor temperatus.* Idem Apol. *En, vide quam facies ejus decora, &* ſucci palaeſtrici plena *ſit.* Plin. Lib. I. Epiſt. 14. *Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa: eſt ingenua totius corporis pulchritudo.* Dixit autem CORPUS pro carne. Cic. Fam. VII. 26. *Corpus amiſi.* h. e. macreſcere coepi. Ovid. Amor. I. 6. 6.

Aptaque ſubducto corpore *membra dedit.*

Niſi ibi *pondere* legendum. Phaed. III. 7. 5.

Aut quo cibo feciſti tantum corporis?

Vide Indicem Diſpontinii. Tum PLENUM dixere pingue. Ovid. Remed. Amor. 327.

Turgida, ſi plena *eſt; ſi fuſca eſt, nigra vocetur.*

Idem Arte Am. II. 661.

Dic habilem, quaecunque brevis, quae turgida, plenam.

Suet. Caeſ. 45. *Ore paullo* pleniore.

PA. ANNI?] Editio anni 1469. PA. ANNI QUOT?

CH. ANNI? SEXDECIM. PA. FLOS IPSE.] Primum ex conjectura ſexdecim annorum puellam dicit, uti Chaeream Pythias, infra IV. 4. 26. Sic Chremes de Menedemo, Heaut. I. 1. 10.

annos ſexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio.

Et Soſia de altero Soſia apud Plautum, Amph. II. 1. 67.

forma, aetate item,
Qua ego ſum.

Eſt autem FLOS aetatis ἀκμή. Ovid. Arte Am. II. 663.

Nec quotus annus eat, nec quo ſit nata, require
Conſule: quae rigidus munera Cenſor habet.
Praecipue, ſi flore *caret, meliuſque peractum*
Tempus, & albentes jam legit illa comas.

27. VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO] Horat. Lib. II. Epiſt. 2. 173.

Nunc prece, *nunc* pretio, *nunc* vi, *nunc forte ſuprema*
Permutet dominos, & cedat in altera jura.

Tria autem illa tanquam inhoneſti tituli nomina itidem junxit Ulpianus l. 22. de Acquir. Rer. Dom.

Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
Pa. Quid? Virgo, cuja eſt? *Ch.* Neſcio hercle. *Pa.* Unde eſt?
Ch. Tantumdem. *Pa.* Ubi habitat?
Ch. Ne id quidem. *Pa.* Ubi vidiſti? *Ch.* In via. *Pa.* Qua ratione amiſiſti?
Ch. Id equidem adveniens mecum ſtomachabar modo:
Nec quemquam eſſe ego hominem arbitror, cui magis bonae Feli-

DONATI.

28. MEA NIHIL REFERT, DUM POTIAR MODO.] Non hoc perſonae attribuendum eſt, ſed affectui. Non enim quia Chaerea eſt, ſed quia amator, de ſe cupit facere quemadmodum potiatur.

29. QUID? VIRGO, CUJA EST?] Utrum ſerva, an filia?

30. Na ID QUIDEM.] Pulchra varietas. *Neſcio*, *Tantumdem*, *Ne id quidem*. QUA RATIONE AMISTI?] Figura *συγκοπὴ*, pro *amiſiſti*. QUA RATIONE AMISTI?] Si non remanſiſſet Chaerea, ſed conſecutus virginem vidiſſet, quo deducta eſſet prius, quam Parmenonem conveniret, non ita procederet fabula, ut nunc procedit. Irruiſſet enim in cognitionem meretricis importune Chaerea, nec pro Eunucho adduceretur ulterius.

31. ID EQUIDEM] Deeſt *ob*, aut *propter*: ut ſit, *ob id*, aut *propter id*. MECUM STOMACHABAR] Bene MECUM: quia acriorem dolorem ſuſtinet, qui ipſe ſibi iraſci cogitur. MECUM ergo, pro *apud me*, vel *mihi*.

32. HOMINEM ESSE ARBITROR] Deeſt *quam me*. CUI MAGIS BONAE FELICITATES] BONAE, magnae. Nove autem dixit, magnas felicitates ſibi adverſari, eo quod virginem tantae pulchritudinis ex oculis amiſerit. Nam vidiſſe eam, felicitatis judicat: ſed amiſiſſe, adverſae felicitatis. Et quod BONAE dixit, vel magnae, vel nimiae intelliguntur. Vel *ἐπίθετον* eſt proprium & perpetuum felicitatum. FELICITATES] *Felicitas* adverſa eſt, cum ex proſperitate, quod laedat, naſcitur. BONAE FELICITATES] *Ἔμφασις* eſt, eo quod FELICITATAS pluraliter poſuit. *Ἐπίθετα* autem de tribus cauſis nominibus adduntur: diſcretionis, proprietatis, ornatus. Diſcretionis: ut,

---- [22] *Phrygiae molimur montibus Idae.*

Proprietatis: ut,

[23] *Terribili impexum ſeta & dentibus atris.*

Ornatus: ut,

[24] *Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam.*

OBSERV. IN DONAT.

22. *Phrygiae*] Virg. Aeneid. III. 6.

23. *Terribili*] Virg. Aeneid. VII. 667. ubi nunc legitur, *cum dentibus albis*.

24. *Alma*] Virg. Aeneid. I. 618.

COMMENTARIUS.

28. MEA NIHIL REFERT, DUM POTIAR MODO.] Alter Mſ. Lipſ. POTIOR. Sic Juvenal. XIV. 207.

Unde habeas, quaerit nemo, ſed oportet habere.

29. QUID? VIRGO CUJA EST?] Binos hoſce verſus ita ordinat Guyetus:

PA. *Quid? virgo cuja eſt?* CH. *Neſcio hercle, Parmeno.*
PA. *Unde eſt?* CH. *Rogas? tantundem.* PA. *Ubi habitat?* CH. *Ne id quidem.*
PA. *Ubi vidiſti?* CH. *In via.* PA. *Qui amiſti, Chaerea?*

Sed praeterquam, quod nulla niſi ſua utitur auctoritate Guyetus, vel ideo ſuſpecta haec lectio eſt, quod illa, PA. *Unde eſt?* CH. *Rogas? tantundem*, non ſapiunt ſtilum Terentianum. Certe,

Felicitates omnes adverſae ſient.
Pa. Quid hoc eſt ſceleris? *Ch.* Perii. *Pa.* Quid factum 'ſt? *Ch.* Rogas?
Patris cognatum, atque aequalem, Archidemidem,
Noviſtin'? *Pa.* Quid ni? *Ch.* Is, dum ſequor hanc, fit mihi obviam.
Pa. Incommode hercle. *Ch.* Immo enimvero infeliciter:
Nam

DONATI.

34. QUID HOC AST SCALARIS?] [25] Propter hoc quod patior, inquit. Nunc enim ſcelns dicit a ſene commiſſum.

35. ARCHIDEMIDEM NOSTIN'?] Hoc ſic pronunciandum eſt, ut appareat ex ipſo nomine ſtatim, odioſum neſcio quem occurriſſe ac permoleſtum.

36. QUIDNI?] Correptio eſt ab ſe manifeſta inquirentis. Eſt enim ſenſus, Quid niſi, aut cur non noverim? eſt enim QUID NI, aut quid niſi, aut cur non. Quia veteres *ni* pro *ne* ponebant, & *ne* pro *non*. ut [26] *Plautus*, *Ni ſtulta ſis*, pro ne. Et *Ne vult*, pro non vult.

37. IMMO ENIMVERO INFELICITER] Bene hoc interponit, [27] quod incredibile eſt, tardiorem futurum amatorem inceſſu virginis.

OBSERV. IN DONAT.

25. *Propter hoc quod patior*] Videtur Donatus illa: QUID HOC EST SCELERIS? tribuiſſe Chaereae, & ad ea notaſſe: *propter quod hoc patior*. Et continuo: *non enim ſcelus dicit a ſene commiſſum*.

26. *Plautus*] Menaechm. I. 2. 1. Adde Lexic. Plaut. Parei. v. Ni.

27. *Quod incredibile eſt*] Editiones vetuſtiſſimae: *quod incredibile eſt παράδοξον, tardiorem amorem fuiſſe in inceſſu virginis.*

COMMENTARIUS.

Certe, *rogas?* qui dicit, rationem rogatus erat alicujus rei, atque ideo pluribus verbis reſpondet. Sic mox verſu 34. PA. *Quid factum 'ſt?* CH. *Rogas? patris cognatum atque aequalem, Archidemidem, noviſtin'?* Et rurſus verſu 74. PA. *Quid ita?* CH. *Rogitas? ſumma forma ſemper*, cetera. Et And. I. 1. 136. SO. *Quapropter?* SI. *Rogas? mala mens, malus animus.*

31. STOMACHABAR] Irae & indignationis ſedem bili & *ſtomacho* tribuerunt. Unde paſſim & bilis & *ſtomachus* pro iracundia, *ſtomachari* pro iraſci & expoſtulare dixerunt. Contrarium eſt *ἰσομάχως* ferre. Cic. Attic. IX. 5.

33. ADVERSAS] Tranſlatio a ventis. Propert. I. 14. 15.

Nam quis divitiis adverſo *gaudet amore?*

Ita *ſecundum* pro fauſto. Propert. II. 25. 27.

Mendaces ludunt flatus in amore ſecundi.

34. QUID HOC EST SCELERIS?] Vulgo haec verba Parmenoni tribuuntur. Boeclerus Donatum laudat, tribuentem Chaereae. Male; continent enim verba ſubitam admirationem, qualis in Chaeream poſt tam longam narrationem non convenit. Neque adeo Parmeno Chaereae dixit, mox dicturus, INCOMMODE HERCLE, & nolens INFELICITER dicere, ne Chaereae rabiem magis etiam incitaret. Quo minus veriſimile, QUID HOC EST SCELERIS? dixiſſe Parmenonem, audiente Chaerea. Crediderim igitur, a Parmenone ad ſpectatores converſo haec dicta, Chaerea non audiente. SCELUS autem infelicitatem vocat, uti *ſceleratum* infelicem dixerunt. Martial. VII. 14. 1.

Accidit infandum, noſtrae ſcelus, *Aule, puellae.*

Idem ſignificatus *vici ſcelerati*, *campi ſcelerati*, *portae ſceleratae*. Et MATER SCELERATA in Inſcriptionibus, pro infelici. Plaut. Capt. III. 5. 104. Scilicet credebant infortunia immitti propter ſcelera. Vide Acta Apoſt. XXVIII. 4. Aelian. V. H. XIII. 2. ibique Cl. Periz. not. 10.

QUID FACTUM EST?] Cl. Vir, Jac. Perizonius conjiciebat, legendum eſſe, QUI ID FACTUM 'ST?

Digitized by Google

Nam incommoda alia ſunt dicenda, Parmeno.
Illum liquet mihi dejerare, his menſibus
Sex ſeptem prorſum non vidiſſe proximis,
Niſi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho! nonne hoc monſtri ſimile 'ſt? quid ais? *Pa.* Maxume.
Ch. Continuo adcurrit ad me, quam longe quidem,

Incur-

DONATI.

38. Nam incommoda alia sunt dicenda] Quae minora ſunt ſcilicet, aut ſimilia.

39. Illum liquet mihi dejerare] Liquidum eſt, conſtans & manifeſtum, & certum. Et ſic liquet, pro liquidum eſt: ut *claudit*, pro claudum eſt. Ut apud [28] *Salluſtium*, *Nihil ſocordia claudebat*. Et eſt liquet verbum juris, quo utebantur judices, qum *amplius* pronunciabant, obſcuritate commoti cauſae magis, quam negotii ſimplicitate. Dejerare, valde jurare: ut *demiror*, & *deamo te Syre*. Si *de* producta legeris. Si correpta, Deos jurare intelligitur.

40. Prorsum non vidisse proximis] Quia non vidisse dixit, proximis, praeteritis intelligimus. Proxima enim nobis aut praeterita, aut futura ſunt: nam praeſentis ea ſunt, in quibus nunc ſumus.

41. Nisi nunc quum minime vellem] Quia ſemper nolui, ideo nunc minime, utpote adoleſcens ſenem. Minimeque opus fuit.] Saepe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non eſt.

43. Quam longe quidem] Bene longe dixit: quia *a longe* non potuit dicere. An ſubauditur *erat*, ut ſit, quam longe erat?

OBSERV. IN DONAT.

28. *Salluſtium*] In Fragmentis.

COMMENTARIUS.

'st? ut ſenſus ſit, Qua ratione factum eſt, ut virginem e conſpectu amiſeris? Atqui id jam rogaverat verſu 30. Eſtque in vulgata lectione commoda interrogatio, quare ſe adeo infelicem dicat Chaerea.

35. Archidemidem] Mſ. Mark. cum quibuſdam aliis: Archimenidem. corrupte. Terentius e Plauto mutuatus Archidemidis nomen. Bacchid. II. 3. 50.

39. Liquet mihi dejerare] Vide ad And. IV. 3. 14.

His mensibus] Significanter dixit his, notans menſes proximos. Phaed. I. 1. 10.

Ante hos *ſex* menſes.

Ubi vide Interpretes & Cl. Burmannum.

40. Sex septem] Mſ. Mark. Sex vel septem. Solet autem hic numerus pro indefinito ſed longo accipi tempore. Cic. Att. IX. 8. *Quippe qui florentiſſimus ac novus* ſex ſeptem *diebus ipſi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbiſſimum venerit*. Sed & pro numero incerto. Horat. Lib. I. Epiſt. 58.

Si quadringentis ſex ſeptem *millia deſint*,
Plebs eris.

42. Monstri simile] Cic. Orat. pro Ligar. 4. Prodigii ſimile *eſt*, *quod dicam*. Idem Philipp. II. 27. *Incredibile*, *ac* ſimile portenti *eſt*.

45. Tibi dico] Phaed. IV. 19. 18.

Tibi dico, *avare*, *gaudium heredis tui.*

Ad quem locum plura παράλληλα congeſſerunt Clariſſimi Viri, Schefferus & Burmannus.

48. Advocatus] Duplicem ſignificatum habet, notans vel *amicum*, qui cum reo ibat in judicium, tantum honoris & teſtimonii cauſa, neque cauſam agebat, vel ipſum *cauſidicum*. Aſcon. in Divin.cap.4. *Qui defendit alterum in judicio,*

aut

Incurvus, tremulus, labiis demiſſis, gemens.
Heus! heus! tibi dico, Chaerea, inquit. reſtiti.
Scin' quid ego te volebam? dic. cras eſt mihi
Judicium. quid tum? ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mihi eſſe ut meminerit.
Dum haec dicit, abiit hora. rogo num quid velit?

Recte;

DONATI.

44. INCURVUS, TREMULUS, LABIIS DEMISSIS, GEMENS] Ut omnia oſtendat in contrarium ſibi verſa eſſe, etiam curſum attribuit ſeni. *Labra*, ſunt ſuperiora: *labia*, inferiora. *Labra* aſinorum proprie dicuntur. GEMENS autem, ob continuam tuſſim. Sic *Lucilius:*

Ante fores autem, & triclini limina quidam
Perditus Tireſia tuſſi grandaevus gemebat.

INCURVUS] Valde curvus. Sic [29] *Virgilius,*

Turnus ut infractos adverſo Marte Latinos
Defeciſſe videt.

Infractos enim valde fractos ſignificat. Nam *in* praepoſitio nunc auget, nunc minuit dictionem. Recte etiam deformitatem deſcribit ſenis, qui praeter aetatem poſt pulchram virginem foedior videbatur. Et quam importune omnia? pro puella, ſenex occurrit: pro virgine, *incurvus, tremulus*: pro pulchra, *labiis demiſſis, gemens*: & cum amator ſit, inaniter adoleſcenti ipſe judicium loquitur: dum feſtinandum ſit, remoratur. LABIIS DEMISSIS] Majora labra, unde *labeones*. Alii *labia* inferiora, & *labra* ſuperiora.

45. HEUS! HEUS! TIBI DICO, CHAEREA] TIBI DICO, CHAEREA, non adderet, niſi videret Chaeream diſſimulantem praeterire. INQUIT.] Aliter *inquit* pronunciandum eſt, hoc eſt, concitate. Nam ſenis verba aliter proferenda ſunt.

46. SCIN' QUID EGO TE VOLEBAM?] Hic oſtenditur odioſa tarditas ſenis, apud feſtinantem Chaeream. Nam non dicit, ſed promittit ſe dicturum. CRAS EST MIHI JUDICIUM.] Huic morae etiam illud additum, quod quum debeat dicere quid velit, prius dicit quod non eſt neceſſarium, quare velit.

47. UT DILIGENTER NUNTIES] DILIGENTER. Nihil tam abundanter, nihil tam moraliter dici potuit.

48. ESSE UT MEMINERIT.] Non ut ſit, ſed; ut eſſe meminerit. O prolixitas!

49. DUM HAEC DICIT] Dat tempus verbis: quae non potuit, quamvis imitaretur, exprimere. ROGO, NUMQUID VELIT.] Hoc eſt, ſignifico me abire. Nam abituri, ne id dure facerent, *Numquid vis?* dicebant his, quibuſcum conſtitiſſent. Quid eſt ergo? ROGO, NUMQUID VELIT? hoc eſt, dico quod abeuntes ſolent.

OBSERV. IN DONAT.

29. *Virgilius*] Aeneid. XII. 1.

COMMENTARIUS.

aut Patronus *dicitur*, *ſi orator eſt*; *aut* Advocatus, *ſi jus aut ſuggerit, aut praeſentiam ſuam commodat amico*: *aut* procurator. *ſi negotium ſuſcipit*; *aut* cognitor, *ſi praeſentis cauſam novit, & ſic tuetur, ut ſuam.* Cic. Fam. VII. 14. *Multi te* Advocato *cauſa cadent.* Prior ſignificatus frequens in Comoediis. Vid. Calvini Lex. Jurid. & Boecleri Chreſtom.

49. DUM HAEC DICIT] Libri quidam Mſſ. & typis expreſſi, DUM HAEC LOQUITUR.

ABIIT HORA.] Longiſſimum tempus notat. Imitatus Horatius I. Sat. 5. 13.

dum aes exigitur: dum mula ligatur:
Tota abit hora.

Digitized by Google

Recte; inquit. abeo. cum huc reſpicio ad virginem,
Illa ſeſe interea commodum huc advorterat
In hanc noſtram plateam. *Pa.* Mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quae data eſt dono. *Ch.* Huc cum advenio, nulla erat.
Pa. Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem?
Ch. Verum: Paraſitus cum ancilla. *Pa.* Ipſa eſt: ilicet!
De-

DONATI.

50. RECTE; INQUIT.] Pro eo quod eſt *nihil:* & moraliter τῷ ἀντιστερμῷ. CUM HUC RESPICIO AD VIRGINEM, ILLA SSSE INTEREA COMMODUM HUC ADVORTERAT] In hanc partem ſcilicet, qua meretrix habitabat.

51. INTEREA COMMODUM] Tantum quod, vel ipſo eodemque tempore. INTEREA COMMODUM] Una. Et hoc ſignificat: ut ſi dicas, Eodem tempore quo hoc agebatur. Nam INTEREA, nunc conjunctio accipienda eſt: non, ut alias, pro adverbio ponitur.

52. IN HANC NOSTRAM PLATEAM.] Recte quia vicina eſt illis Thais, ad quam deducitur.

53. NULLA ARAT.] Etenim ingreſſa jam fuerat.

54. COMITES SECUTI SCILICAT SUNT VIRGINEM?] Interrogative quidem: ſed ſic, ut ſcire videatur id quod quaerit, ſed ad hoc quaerere, ut quod ſcit, confirmet.

55. VERUM: PARASITUS] VERUM, modo inceptiva eſt, non relativa particula. Ut in Andria, *Verum: vidi Cantharam ſuffarcinatam.*

COMMENTARIUS.

50. RACTE] Ita ſolebant εὐφημοῦντες, quoties *nihil* dicere nollent. Vide ad Adelph. IV. 5. 19. Gr. ἔχει κάλλιστα.

51. ADVORTERAT] Phraſis nautica, apta Chaereae publice cuſtodi in Piraeeo portu. Ovid. Heroid. XII. 23.

Juſſus inexpertam Colchos advertere *puppim.*

54. COMITES ESQUUTI] Dicuntur igitur & *comites ſequi* alterum. Cicero Catil. II. 5. *Hunc vero ſi ſui* comites *fuerint* ſequuti.

55. ILICET] Libri quidam junctim, IPSA 'ST SCILICET. Vide ſupra I. 1. 9. Plaut. Amph. I. 1. 182.

Ilicet, *mandata heri perierunt.*

56. CONCLAMATUM 'ST.] Vide Boecleri Chreſtomath. v. *conclamo*. Locutio tranſlata a re funebri, extremam fere deſperationem indicat. Scilicet homine morti proximo omnis familia *conclamabat*, ſeu ut vicini concurrerent, ſeu ut anima forte delitefcens in angulo quodam corporis excitaretur. Vid. Kirchmann. de Funerib. Roman. I. 13. Qui tamen vapulat a Deſiderio Heraldo, Animadv. ad Arnobii Lib. V. Verba Heraldi: *Quum igitur exſpiraret aliquis*, conclamabatur *a familia, deinde deponebatur humi; tuncque* ſupra terram *eſſe dicebatur, ut docet Servius.* Lucan. Lib. II. 21.

ſic funere primo
Attonitae tacuere domus; quum corpora nondum
Conclamata *jacent; nec mater crine ſoluto*
Exigit ad ſaevos famularum brachia planctus.

Philo Diſſert. de Joſepho: Τελευταίων ἀσπασμάτων ἐκοινώνησε, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνέκλεισε, ἐπιδακρύσασα κειμένῳ τῷ νεκρῷ, πολυτελῶς ἐκήδευσε, τῶν νομιζομένων οὐδὲν παραλιπών. *Atque haec prima* conclamatio. *Et hinc* conclamati *mortui.* Euripides in Alceſtide:

Κτύπει τις ἢ στεναγμὸν, ἢ χερῶν κτύπον.
Κατὰ στέγας, ἢ γόον, ὡς πεπραγμένων.

Nota, ὡς πεπραγμένων. *Unde tranſlatum Terentio:* DESINE, JAM CONCLAMATUM 'ST. εἰς οἰμωγὴν *dicit* Herodianus Lib. I. *Atque haec de prima* conclamatione. *Quum autem aliquot dies aſſervatus eſſet, ut componeretur, & pararetur jam pompa funeris, ultimum* conclamabatur. Servius ad haec Virgilii; VI. 218. Aeneid. Pars calidos latices. *Servabantur cadavera octo diebus, & calida abluebantur; & poſt ultimam* conclamationem *comburebantur.* Et paullo poſt: *Statim igitur, quum exſpirarat mortuus*, conclamabatur, *dein deponebatur; poſtremum quum exportandum eſſet cadaver,* ulti-

Deſine: jam conclamatum eſt. *Ch.* Alias res agis.
Pa. Iſtuc ago quidem. *Ch.* Noſtin' quae ſit? dic mihi:
Aut vidiſtin'? *Pa.* Vidi, novi: ſcio, quo abducta ſit.
Ch. Eho, Parmeno mi, noſtin'? *Pa.* Novi. *Ch.* Et ſcis ubi ſiet?
Pa. Huc deducta eſt ad meretricem Thaidem: ei dono data eſt.
Ch. Quis is eſt tam potens cum tanto munere hoc? *Pa.* Miles
Thraſo,

DONATI.

56. JAM CONCLAMATUM EST.] Tranſactum ac finitum. Ut conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitae officia. CONCLAMATUM AST.] Manifeſtum ſignificat, ipſam eandem eſſe, [30] vel pulchram eſſe, quia & ipſe dixerat, *Haec ſuperat ipſam Thaidem.* Ut in conclamatis funeribus nulla dilatio eſt doloris & luctus. Unde [31] *Lucanus* ait:

—— corpora nondum
Conclamata jacent.

Aut CONCLAMATUM, ſatis deploratum, ſatiſque vociferatum eſt: quia dixerat, *O infortunatum ſenem: ſi & hic amare coeperit.* Tanquam dicat, Jam occiſum patrem tandem ſcimus, jamque deflemus. ALIAA RES AGIS.] Recte, quia dixit ille, *Jam conclamatum eſt.* ALIAA REA AGIA.] Aut, *non attendis ad id quod dico*, ſignificat, ut nulla ſit in eo attentio. Nam hinc natum eſt, *Agite, amabo.* Aut, *nugatorias res agis*, hoc eſt, jocaria: quaſi dicat, vanaa res agis.

58. SCIO, QUO ABDUCTA AIT.] Plus dixit, quam interrogabatur: credo taedio interrogantis; nam properat, [32] ut dicturus eſt, ad deducendum Eunuchum ad Thaidem cum ancilla ex Aethiopia. SCIO, QUO ABDUCTA SIT.] Secunda ἀποσιώπησις.

59. EHO, PARMENO MI, NOSTIN'? ET SCIA UBI SIET?] Amatorie ſatis repetuntur quae ſemel dicta ſuffecerant.

60. HUC DEDUCTA EAT AD MERETRICEM] Et hoc confundit ſemel, quum acervatim dicit, velut odio interrogantis ſaepius, & feſtinatione ad mandata Phaedriae peragenda.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Vel pulchram eſſe, quia & ipſa dixerat*] Lectio corrupta. Reſtituo: *vel puellam eſſe, de qua ipſe dixerat.* Vide ſupra II. 1. 25. Niſi mavis, *pulchram eſſe, quia de ipſa dixerat.* Vel, *qu a & ipſe dixerat.*

31. *Lucanus*] II. 23.

32. *Ut dicturus eſt*] Edd. Ven. *ut ducturus eſt.* Utrumque corrupte. Lego: *& iturus eſt.* Vid. Donat. ad verſ. 60.

COMMENTARIUS.

ultimum conclamabatur. *Poſtremo, quum in ignem imponeretur, ultimum deflebatur.* Sed & *vaſa* dicebantur *conclamari*, itinere militibus indicto. Caeſ. B. C. I. 66.

ALIAS RES AGIA.] Qui animum & cogitationem non occupant in re praeſenti, *alias res agere* dicuntur. Hec. V, 3. 28. Plaut. Pſeud. I. 2. 19.

Hoc vide ſis; ut res alias agunt! *hoc agite,*
hoc animum advortite.
Huc adhibete aures, quae ego loquar.

Vide ſupra I. 2. 50. Catull. LX. 13.

Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

57. NOATIN' QUAE SIT? DIC MIHI: AUT VIDISTIN'?] Quare id roget Chaerea? Aut qui ei inciderit ſuſpicio, Parmenonem noſſe virginem, aut ſaltem vidiſſe? Crediderim ſervi vultum hilarem anſam cogitandi dediſſe Chaereae.

61. QUIS EST TAM POTENS CUM TANTO MUNARE HOC?] Ad divitias referuntur *potens* & *potentia*. Plaut. Epid. I. 2. 50.

Eſt Euboicus miles locuples, multo auro potens.

Propert. II. 26. 21.

Phaedriae rivalis. *Ch.* Duras fratris partes praedicas.
Pa. Immo enim ſi ſcias, quod donum huic dono contra comparet:
Tum magis id dicas. *Ch.* Quodnam quaeſo hercle? *Pa.* Eunuchum. *Ch.* Illum ne obſecro
Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt heri, ſenem, mulierem?
Pa. Iſtunc ipſum. *Ch.* Homo quatietur certe cum dono foras.
Sed iſtam Thaidem non ſcivi nobis vicinam. *Ch.* Haud diu eſt.

Ch.

DONATI.

62. PHAEDRIAE RIVALIS.] Cum pronunciatione addendum, quo magis doleat, *Phaedriae rivalis.* DURAS FRATRIS PARTES PRAEDICAS.] Scilicet contra aemulum & divitem & largiſſimum. Et PARTES DURAS, μεταφορικῶς ab actoribus ſcenicis.

63. COMPARET] Hic jam oſtenditur miles, illuſtrior per rivalis dona, quam per ſua. Et eſt qualitas comparativa. COMPARET pro emat, aut, comparandum putet.

64. TUM MAGIS ID DICAS.] Duras partes fratris eſſe. QUODNAM QUAESO HERCLE?] Curioſitatem addidit, παρελκόντων *Quaeſo* & *Hercle.* Et vide quam molliter & ſine intellectu ſpectatoris ad argumenti ſpectati ordinem Poëta perveniat: ut de Eunucho facta mentione conſilium naſcatur ſupponendi Chaereae. EUNUCHUM.] Mire *Terentius* primo ſimpliciter Eunucho nomen poſuit, huic quoque detracturus.

65. INHONESTUM] Foedum: ut contra, *facie honeſta.* Ut apud [23] *Virgilium*,

Et laetos oculis afflarat honores.

HOMINEM] Opportune HOMINEM dixit, tanquam incerti ſexus. SENEM, MULIEREM?] Non communi genere dixit SENEM: quippe qui alibi ſeparaverit, dicendo, *ſenex atque anus*: ſed ſubdiſtinguendum eſt: ut ſit duplex vituperatio: una ab aetate, quod ait SENEM: altera a membrorum mollitie, quod ait MULIEREM.

66. QUATIETUR CERTE CUM DONO FORAS.] Mire CUM DONO: tanquam illi repulſae cauſa donum futurum ſit. Tum deinde non rejicietur, ſed QUATIETUR. Vide quam contumelioſius dictum ſit, QUATIETUR FORAS: vel verberibus pelletur foras, non expulſione, ſed detruſione. Vel ſic dixit, FORAS QUATIETUR: ut deſit, *verſum*: ut ſit, foras verſum verberabitur; ut verberetur & fugetur foras. Nam & pervulgatae conſuetudinis dictum eſt, *Feri canem foras*, hoc eſt, feriendo canem foras ejice.

67. SED ISTAM THAIDEM NON SCIVI NOBIS VICINAM.] Quomodo enim pro Eunucho veniet,

OBSERV. IN DONAT.

23. *Virgilium*] Aeneid. I. 591.

COMMENTARIUS.

Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella
Serviat, & tota dicar in urbe potens.

Horat. Carm. IV. 1. 17.

Et, quandoque potentior
Largis muneribus riſerit aemuli.

Phaed. I. 24. 1.

Inops potentem *dum vult imitari, perit.*

62. DURAS FRATRIS PARTES PRAEDICAS.] Edit. anni 1465. DURAS PARTES FRATRIS PRAEDICAS. Difficilem cauſam, quam ſuſtineat, non valens ſuperare tam potentem rivalem. Phorm. I. 2. 22.

63. CONTRA COMPARET] Opponat, ad vincendum militis donum. Locutio a gladiatoribus

Digitized by Google

Ch. Perii! nunquamne etiam me illam vidiſſe? ehodum dic mihi;
Eſtne, ut fertur, forma? *Pa.* Sane. *Ch.* At nihil ad noſtram hanc. *Pa.* Alia res eſt.
Ch. Obſecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. *Pa.* Faciam ſedulo, ac
Dabo operam, adjuvabo. numquid me aliud vis? *Ch.* Quo nunc is? *Pa.* Domum,

Ut

DONATI.

niet; ſi aut novit aut notus eſt? Et ſi mulierem adoleſcens ne novit quidem: ipſe multo maxime neſcietur. SED ISTAM THAIDEM NON SCIVI NOBIS VICINAM.] *Οἰκονομία* contra illud, quod meretrix vicina erat. HAUD DIU EST.] Vicina ſcilicet. 14 Et eſt cauſa, an veriſimile ſit neſcire potuiſſe vicinam? Et nota, apud *Terentium* vicinas poni ſaepius adoleſcentibus meretrices, ut haec ſit prima amoris illecebra.

68. NUNQUAMNE ETIAM ME ILLAM VIDISSE?] Artificioſe inculcat Poëta τὸ πιθανόν.

69. ESTNE, UT FERTUR, FORMA?] Hoc propter illud, quod ſupra diximus. Sed nimio lepore Terentiano, jam illud agitur. Nam hic oſtenditur, veriſimile eſſe pro Eunucho creditum apud vicinam meretricem Chaeream: qui adeo ignotus ſit mulieri, ut nec ipſe eam noverit: quod erat facilius & promptius. Et additur color, quod & illa non diu vicina eſt, & quod adoleſcens plurimum in Piraeeo commoratus eſt. NIHIL AD NOSTRAM HANC.] Moraliter NOSTRAM dixit, pro meam. ALIA RES EST.] Non potuit melius ſuam utrique gratiam reſervare; nam & illa & haec amantur.

70. FACIAM SEDULO] Mire in promiſſis poſterioribus difficultas rei oſtenditur: quum primo FACIAM dixerit.

71. NUMQUID ME ALIUD VIS?] Hoc dicere abeuntes ſolent. Et bene, NUMQUID ME ALIUD VIS? quia feſtinat. Et ſimul quia hinc naſcitur dolus fallendae meretricis.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Et eſt cauſa, an veriſimile ſit*] Niſi *cauſa* valeat, quaeſtio, legendum videtur, *ut veriſimile ſit*. quomodo conjiciebat Eruditiſſ. Wielingius.

COMMENTARIUS.

bus deducta, quorum paria invicem *comparabantur*. Adelph. II. 2. 4. Ovid. Amor. I. 8. 33.

Eſt etiam facies, quae ſe tibi comparet, *illi*.

Suet. Calig. 35. *Hunc e ſpectaculis detractum, repente & in harenam deductum, Thraci, & mox Hoplomacho* comparavit. Unde Juſtinus VI. 2. *Par ducum tam bene comparatum* dixit.

65. INHONESTUM] Foedum. Virg. Aeneid. VI. 497.

truncas inhoneſto *vulnere nares*.

MULIEREM?] Convicium in hominem ignavum, qualis idem Eunuchus dicitur infra IV. 3. 20. Plaut. Bacchid. IV. 8. 4.

Non me arbitratur militem, ſed mulierem.

Mil. II. 6. 6.

Non hercle hiſce homines me marem, ſed feminam,
Vicini rentur eſſe ſervi militis.

Poſſit & de molli & glabro, utpote evirato intelligi. Apulej. Metam. VIII. *Cinaedum & ſenem, calvum quidem.*

69. NIHIL AD NOSTRAM HANC.] Comparationi inſervit τὸ AD. Plaut. Capt. II. 2. 25. de Thalete Mileſio:

Nam ad *ſapientiam hujus nimius nugator fuit.*

Cic. Orat. pro Dejot. 8. *Nihil* ad *tuum equitatum.*

ALIA RES EST.] Formula contemtus. Turpilius apud Non. v. *Tangere.*

71. NUMQUID ME ALIUD VIS?] Ita ex Mſſ.

Digitized by Google

Ut mancipia haec, ita ut juſſit frater, deducam ad Thaidem.
Ch. O fortunatum iſtum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
Pa. Quid ita? *Ch.* Rogitas? ſumma forma ſemper conſervam domi
Videbit: conloquetur: aderit una in unis aedibus:
Cibum nonnumquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.
Pa.

DONATI.

72. Ut mancipia haec, ita ut juſſit frater, deducam ad Thaidem.][35] Vide *Terentium*, ut non quaeſita eſſe haec fallacia, ſed ipſa ſe obtuliſſe videatur.

73. O fortunatum iſtum Eunuchum] Iſtum, ſaepe annotavimus; aut ad contemptum, aut ad odium referri. Ut [36] *Virgilius*,

Aut quid petis iſtis?

Et,

[37] *Iſta quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,*

Jupiter.

Qui quidem in hanc datur domum!] Quid facilius quam imitari velle, quod laudes? nec quiſquam, niſi qui cupit, eligitur pro Eunucho, qui Eunuchum putat eſſe beatum. Vide, quam molli deſcenſu ad hoc conſilium pervenitur. Res enim hoc ſuggerit potius, quam Parmeno: ideo quia ſervum hoc ſuadere Chaereae, nimis temerarium fuit.

74. Quid ita?] Potuit intelligere ſtatim ſervus: ſed ad hoc interrogat, ut doceatur ſpectator.

75. Videbit: colloquetur: aderit una] Amatorie nimis, quinque lineas amoris executus eſt: adeoque diligenter, ut etiam ordinem cuſtodierit. Videbit: colloquetur: aderit una in unis aedibus] Mire amator non ſimul effudit hoc bonum, ſed particulatim digeſſit: ut major voluptas futura eſſe noſcatur. Videbit: colloquetur: aderit] Iſtae enim ſunt amoris lineae: etſi eas non omnes eſt perſecutus.

OBSERV. IN DONAT.

35. *Vide Terentium*] Videtur ſcriptum fuiſſe: *Vide T. artificem*, h. e. *Vide Terentii artificium.*

36. *Virgilius*] Aeneid. IX. 94.

37. *Iſta quidem*] Virgil. Aeneid. XII. 808.

COMMENTARIUS.

quibuſdam ediderunt Juntae, Rob. Stephanus, alii. Sunt autem & Libri ſcripti & editi, omittentes τὸ vis. Hos Faërnus ſequitur. Videturque ἔλλειψις apta feſtinanti. Plaut. Moſtell. II. 1. 57.

Ch. Quo nunc is? Pa. Domum.] Mſ. Lipſ. Ch. Quid nunc is domum?

73. Detur] Quaſi in ſervitutem. Plaut. Aſin. III. 3. 119.

Poſtea ad piſtores dabo, *ut ibi cruciere currens.*

Suet. Aug. 16. *Viginti ſervorum millibus manumiſſis, & ad remum* datis. Eadem tamen ratione ad terram, ad languorem, ad metalla, in ſudorem, in ruborem, in piſtrinum *dari* quis dicitur.

75. Vidabit; conloquetur] Anthol. VII. 135.

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος ὅστις ἀκούει,
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

Achill. Tat. Amor. I. 1. *Σὺ δὲ βλέπεις ἀεὶ, καὶ ἀκούεις ἀεὶ, καὶ συνδίαιτης.*

76. Propter dormiet.] *Ἀμφιβολία* eſt in vocula propter, quae & notat non longe a re aliqua, & arctiſſimam conjunctionem deſignat. Phaed. II. 6. 7.

Venit per auras cornix, & propter *volans.*

Plaut. Amph. IV. 1. 8.

quem

Digitized by Google

Pa. Quid ſi nunc tute fortunatus fias? *Ch*. Qua re, Parmeno?
Reſponde. *Pa*. Capias tu illius veſtem. *Ch*. Veſtem? quid tum
poſtea?
Pa. Pro illo te ducam. *Ch*. Audio. *Pa*. Te eſſe illum dicam.
Ch. Intelligo.
Pa. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
Cibum una capias, adſis, tangas, ludas, propter dormias:
Quan-

DONATI.

77. Quid si nunc tute fortunatus fias?] Sic videtur Parmeno dicere, potius ut jocetur, quam ut fieri credat poſſe.

78. Capias tu illius vestem.] [11] Non ſemel oſtenditur, quod futurum ſit: quia particulatim poteſt etiam quod turpe eſt, tamen mitti ad perſuaſionem. Simul in geſtum reſpicitur. Ergo non dixit, ibis pro Eunucho: ſed primo, Capias illius vestem. Tum deinde, hoc ipſum non aſpernante domino, pergit ſervus ad caetera, quae audaciora ſunt. Vestem?] Quam libenter audiat, repetitio dictorum per interrogationem oſtendit.

79. Audio.] Id eſt, libenter hoc admitto, & conſentio. Ut in Phormione, *Audio, & fateor.* Et contra; *Non audio.* Intelligo.] Audio & intelligo vim modo non uſitatam exprimunt, ſcilicet conſentientis immodicum affectum.

81. Cibum una capias] Bene ſervus interturbavit ſupra dictas amandi lineas, & ordinem voluptatum: quippe qui amare non noverit. Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias] Etſi ſatis erat ſuperior verſus, tamen incentiva ſunt amoris, etiam ſigillatim haec enumerata, quae una ſententia ſuperior verſus oſtenderat.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Non ſemel*] Lege: *Non ſimul oſtenditur, quid futurum ſit.* Sic ad verſ. 75. *Non ſimul effudit hoc bonum.*

COMMENTARIUS.

quem propter *corpus ſuum ſtupri compleverit.*
Tum *dormire* pro ipſo concubitu uſurpatur, addito plerumque *cum*, non *propter*. Ovid. Remed. Amor. 481.

Nam ſi Rex ego ſum, nec mecum dormiet *illa.*
Amor. I. 6. 45.

Forſitan & tecum tua nunc requieſcit *amica.*
Pareo *dormitator* apud Plautum. Trin. IV. 2. 20. & 145. eſt nocturnus amator. Malim cum Turnebo accipere de fure nocturno, qui interdiu dormiat, noctu evigilet ad furandum. Gr. ἡμερόκοιτος.

77. Quid si nunc tute fortunatus fias?] Fabrini vertit: *Si ora tu proprio diventaſſi felice, come queſto Eunuco?* Tanaq. Faber, *Elegantiores homines*, inquit, *quantum eſt, mihi favebunt, legenti*, Quid si nunc tuta is fortunatus fias? Perſuaſit filiae Annae Dacieriae, reddenti: *Et ſi preſentement vous étiez cet heureux là?* D. Hoogſtratanus non dubitavit τὸ is in contextum recipere, ſcilicet, quia dixerat Chaerea, O fortunatum istum Eunuchum. Mirum autem, non legiſſe & ſcripſiſſe elegantiores homines, quid si nunc tu ista fortunatus fias? quomodo in vetuſtiſſimo Codice manu ſcriptum reperi.

78. Quid tum postea?] Mſ. Lipſ. Quid postea?

79. Pro illo] H. e. quaſi tu Eunuchus ſis. Infra V. 5. 7. Adelph. III. 2. 48. Juſtin. XXIV. 7. *Deſertiſque ſignis ad occupanda omnia* pro victoribus *vagabantur.* Et ſaepe alibi.

81. Tangas] Verbum impudicum. Infra IV. 2. 10. Heaut. IV. 6. 15. Adelph. IV. 5. 52. Horat. Sat. I. 2. 54.

matronam nullam ego tango.

Sic

Digitized by Google

Quandoquidem illarum neque te quiſquam novit, neque ſcit qui ſies.

Praeterea forma, & aetas ipſa'ſt, facile ut pro Eunucho probes.

Ch. Dixti pulchre: nunquam vidi melius conſilium dari.

Age,

DONATI.

82. QUANDOQUIDEM ILLARUM QUISQUAM] Pro, *ex illis*. QUISQUAM] Quia *quaequam* dicere, abſurdum eſt. ILLARUM QUISQUAM] QUISQUAM, multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protuliſſe: ita ut in numeris & generibus haec pronomina infinita ſint. NEQUE SCIT QUI SIES.] Hoe eſt, quod ſupra callide Poëta praeſtruxit.

83. FORMA, AETAS, IPSA 'ST] Deeſt, *in te*. FACILE UT PRO EUNUCHO PROBES.] Formam ſcilieet & aetatem. FORMAM, quia pulcher es: AETATEM, quia ephebus. FACILE UT PRO EUNUCHO PROBES.] PROBES, fingas, atque perſuadeas: Ut in conſuetudine dicimus, *Homo ſacrilegus pro innocente ſe probavit*. Et [39] *Cicero, Hoc tu his probabis?* Itaque deeſt *te*, quod ſubaudiamus. Ut ſit, *pro Eunucho te probes*. PROBES.] Ut, [40] *Migrantes cernas*. Aut *probes*, perſuadeas. Et ſimul honeſte, non dixit quod erat rectum, ut Eunuchum probes, ſed PRO EUNUCHO: ne eſſet eontumelioſum in Chaeream.

OBSERV. IN DONAT.

39. *Cicero*] Locus incertus.

40. *Migrantes cernas*] Virgil. Aen. IV. 401.

COMMENTARIUS.

Sic & *attingo*. Hec. I. 2. 61. Et pro ipſa *συνουσίᾳ*, Catull. LX. 56.

Sic virgo, dum intacta *manet, dum inculta ſeneſcit.*

Plaut. Aul. IV. 10. 25.

Ergo quia ſum tangere *auſus, haud cauſificor, Ego habeam potiſſimum.* [*quin eam*

Ovid. Metam. X. 343.

Ut praeſens ſpectem Cinyram; tangam*que, loquarque,*
Oſculaque admoveam, ſi nil conceditur ultra.

Similiter נגע & *ἅπτεσθαι*, Gen. XX. 6. Et 1. Corinth. VII. 1. *Καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι.* Ubi vide Grotium, ſed & Th. Gatakerum eontra Phochenium.

LUDAS] In obſeoenis eſt, pro laſcivire & libidinari. Ita infra III. 5. 38. de Jove & Danaë. Plaut. Moſtell. V. 2. 36.

Scis ſolere illanc aetatem tali ludo ludere.

Catull. LIX. 211.

Ludite, *ut lubet, & brevi*
Liberos date.

Ovid. Arte Am. I. 643.

Ludite, *ſi ſapitis, ſolas impune puellas.*

Eſt vero *εὐσχημόνως* de Iſaaco dictum, Gen. XXVI. 8. מצחק את רבקה אשתו Quod LXX. verterunt: *παίζοντα μετὰ Ῥεβέκκας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ.* Junius & Tremellius: *Colludentem cum Ribka uxore ſua.* Diodati, *Scherzava con Rebecca ſua moglie.* Sane & *παίζειν* & *colludere* de re turpieula paſſim uſurpatur. Vid. Druſ. ad Gen. loc. eit. Plaut. Aſin. I. 3. 73.

82. QUISQUAM] Utroque genere dixerunt *Quis, Quiſnam, Quiſquam, Aliquis.* Plaut. Aul. II. 1. 16. quis *ea*
Eſt nam *optuma?*

Sie Adelph. IV. 4. 24.

Aperito aliquis *actutum oſtium.*

Paul. L. 1. D. de Verb. Sign. imitatione Graecorum, quibus *τὶς* itidem utroque genere dieitur. Priſcian. Lib. XIII.

83. PRAETEREA] Guyetus verſum hunc inſititium vocat, & abeſſe jubet. Elegantior autem eſt, quam qui locum non tueatur. Quum enim in deliciis erant Eunuchi & glabri, tum in eo eſt Parmeno, ut quae commendare deductionem Chaereae poſſint, enarret, in quibus vel praeeipuum locum obtinebant *forma & aetas* ipſius. Utramque ſane & ipſe laudabit infra III. 2. 20. & ipſa mox Thais, verſu 21. quin ipſe Thraſo cum Gnathone, uterque tacens ſatis laudat; ſed & Pythias, IV. 4. 15. & 19. Nee obſtat, quod dicatur, FACILE UT PRO

EUNU-

Age, eamus intro: nunc jam orna me; abduc, duc, quantum potes.

Pa. Quid agis? jocabar equidem. *Ch.* Garris. *Pa.* Perii. quid ego egi miſer?

Quo trudis? perculeris jam tu me. tibi equidem dico, mane.

Ch.

DONATI.

85. Nunc jam orna me] Hortative orna dixit: non deſpolia, aut exue me. Abduc] " Abducimur unde volumus: Ducimur quo volumus. Quantum potes.] " Deeſt, *cito*.

86. Quid agis?] Callide ſervus non vult ſe auctorem videri tanti facinoris.

87. Quo trudis?] Comici ſemper ea oſtendunt fieri ab altero verbis alterius perſonae, quae oſtendi per ſe ipſa non poterant: ut nunc manu agere Chaeream " Parmenone ipſo dicente cognoſcimus. Quo trudis?] Praebet ſe vi cogendum domino, quem compulit dictis. Perculeris tu me] Perverteris. Unde proverbium, *Bene plauſtrum perculit.* Tibi equidem dico, mane.] Sigillatim iſta pronuncianda ſunt: ex quibus intelligatur, non ceſſare Chaeream, quin adhuc impellat & trudat.

OBSERV. IN DONAT.

41. *Abducimur*] Vide ſupra II. 2. 35.

42. *Deeſt, cito*] Lego, *id eſt*, *cito*. Vel, *deeſt tantum.* Ut integrum ſit, *Tantum, quantum potes.*

43. *Parmenone*] Lege: *Parmenonem, Parmenone ipſo dicente cognoſcimus.*

COMMENTARIUS.

Eunucho probes, ſuppreſſo te, quod ſubaudiri non poſſe ait Guyetus; quidni enim cum Donato ſubaudiamus ipſam *formam & aetatem*? Similis conſtructio eſt apud Plautum, Pſeud. I. 1. 98.

Niſi tu illis drachmis fleveris argenteis,
Quod tu iſtis lacrumis te probare *poſtulas,*
Non pluris refert, quam ſi imbrem in cribrum geras.

Haud abſimile exemplum ex Ariſtophane laudat Boeclerus. Locus eſt Θεσμοφορ. 273.

ΕΥ. Α'νὴρ μὲν ἡμῖν οὑτοσὶ καὶ δὴ γυνὴ
Τό γ' εἶδος. ἢν λαλῇς δ', ὅπως τῷ φθέγματι
Γυναικιεῖς εὖ καὶ πιθανῶς.

84. Vidi] Audivi. Scilicet verba ſenſuum permutantur. Adelph. V. 7. 24. Plaut. Trin. III. 2. 72.

Scio equidem te, animatus ut ſis: video, *ſubolet, ſentio.*

85. Jam orna] Mſ. Mark. Jam, oro, orna.

Abduc] E judiciis petita vox. *Abducebantur* Addicti a Praetore. Plaut. Merc. III. 4. 31. Poen. III. 4. 10.

Quantum potes.] Alii, Quantum poteſt. Sub. fieri. quod & quam potes dixerunt. Ovid. Arte Am. I. 489.

Neve aliquis verbis odioſas offerat aures,
Quam potes, *ambiguis callidus abde notis.*

86. Quid agis?] Mſ. Mark. Quid ais? Ita & in quibuſdam impreſſis veteribus.

Jocabar equidem.] Mſ. Lipſ. Jocabar. omiſſo equidem.

87. Perculeris jam tu me.] Tundendo ad terram dederis, everteris. *Percellimus* enim, quae cum impetu in terram evertimus. Virg. Aeneid. V. 372.

Victorem Buten immani corpore, qui ſe
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, *& fulva moribundum extendit arena.*

Unde Cicero μεταφορικῶς Orat. pro Domo 11. *Deſinant, deſinant homines iiſdem machinis ſperare me reſtitutum poſſe labefactari, quibus antea ſtantem* perculerunt. Suet. Tib. 55. *Horum omnium vix duos aut tres incolumes praeſtitit; caeteros, alium alia de cauſa* perculit.

Ch. Eamus. *Pa.* Pergin'? *Ch.* Certum eſt. *Pa.* Vide ne nimium calidum hoc ſit modo.

Ch. Non eſt profecto: ſine. *Pa.* At enim iſtaec in me cudetur faba. *Ch.* Ah!

Pa.

DONATI.

88. PERGIN'?] Quaſi vero joco dixerit, non ſerio. NE NIMIUM CALIDUM] Periculoſum. Sed melius *callidum* legitur. NIMIUM] Proverbiale; quia NIMIUM propria vox eſt.

89. AT ENIM ISTAEC IN ME CUDETUR FABA.] Id eſt, in me hoc malum recidet, in me haec vindicabitur culpa: ut laborat ſolum, in quo cuditur, id eſt, batuitur faba, quum ſiliquis exuitur tunſa fuſtibus: ut in areis more ruſticorum fit. Vel quod quidam male coctam fabam, & quae non maduerit, ſed dura permanſerit, ſupra caput coqui, velut ipſi fabae irati, ſaxo comminuunt. Tum univerſum malum, & omnis dolor ad coquum pervenit. Simile & alibi a pulmento proverbium eſt:

Tute hoc intriſti, tibi hoc eſt exedendum: accingero.

COMMENTARIUS.

88. CALIDUM] Mſ. Mark. CALLIDUM. Quod & in editione anni 1469. & aliis quibuſdam impreſſis eſt. In Mſ. Lipſ. ſcriptum fuerat CALIDUM, ſed alterum L ſupraſcriptum. Eadem ratione Graeci *θερμὸν πρᾶγμα* dicunt praeceps; expromtum, & quaſi ex tempore natum. Cic. Off. I. 24. *Reperies multos, quibus periculoſa &* calida *conſilia, quietis & cogitatis & ſplendidiora, & majora videantur.* Plaut. Mil. II. 2. 71.

Reperi, comminiſcere, cedo calidum *conſilium cito.*

Eadem ratione opus *calere*, & fervere dicitur, quod incitata vi peragitur.

89. ISTAEC IN ME CUDETUR FABA.] Origo locutionis obſcurior. Vide Donatum. In Mſ. Lipſ. additum margini: *Antiqui fabam peccantibus in manum cudebant. Unde uſus molevit, fabam pro culpa aut poena dici.* Plin. XVIII. 27. *Faba metitur, deinde cuditur.* ubi tamen vulgo, *concutitur.* Quod facit contra Turnebum Adverſ. XVIII. 27. Columella tamen R. R. II. 10. *Duriſſimae quidem acus reſectae ſeparataeque erunt a* cudentibus: *minutae vero, quae de ſiliquis cum faba reſederunt, aliter ſecernentur.* Poſſit & videri tranſlata locutio a ſcutica habente nodos in modum fabae, qua ſervi percutiebantur. Auctor hujus opinionis Scholiaſtes Perſii: *Scutica,* inquit, *erat quaedam corrigia habens in ſummitate nodos quoſdam in modum* fabae, *ſimiles vero caeſiuum. de qua Terentius:* HAEC FABA CUDETUR IN ME. *Et erat poena ſervorum.* Vide porro Eraſm. in Adag. Affine quid eſt in illo Plauti Amph. I. 1. 7.

Quaſi incudem me miſerum homines octo validi caedant.

q. d. *tax, tax, tergo meo erit.* quomodo loquitur ſervus Plautinus, Perſ. II. 3. 12. Nec abludit illud Martialis III. 94.

Eſſe negas coctum leporem, poſciſque flagella:
Mavis, Ruſe, coquum ſcindere, quam leporem.

Eſt & aliud proverbium de *Faba*, cujus meminit Feſtus in voce *Tam*, ſcilicet, *Tam perit, quam extrema faba.* Dictum in illos, qui multorum injuriis exponuntur, maxime qui in limitibus ſiti, aut loco excurſionibus hoſtilibus expoſito facile ab improbo milite vexantur, inſtar *fabae* prope viam ſatae, quae pleruinque vel conteritur, vel decerpitur a praetereuntibus. Sic *Nux* apud Ovid. Eleg. init.

Nux ego juncta viae quum ſim ſine crimine vitae,
A populo ſaxis praetereunte petor.

Alia conjectura. *Fabas cudere*, lupinos *cudere*, plumbeos nummos *cudere* ii dicti videntur, qui officia ſe praeſtare ſimulantes, in fraudem illiciunt alterum. Certe quidem hujus generis nummi Comici dicti ſunt, quod externa ſpecie fallerent ſpectatores. Plaut. Moſtell. IV. 2. 11. ubi ſervus alter Phaniſcum ſervum adverſitorem ita alloquitur, & ſimulati officii incuſat:

Tace ſis, faber, qui cudere *ſoles plumbeos*
Nummos.

Idne igitur velle videtur Parmeno, dum tibi calidi iſtius conſilii primus auctor ſum, obſequium in ſpeciem tibi praeſtans, ſed revera maximum

Pa. Flagitium facimus. *Ch.* An id flagitium eſt, ſi in domum meretriciam
Deducar; & illis crucibus, quae nos, noſtramque adoleſcentiam Ha-

DONATI.

90. Flagitium facimus.] Flagitium more militari dicitur, res flagitatione, hoc eſt, increpatione digna. Nam *flagitatio*, a ſtrepitu dicitur: unde *flamma*, & *flagella*, & *flagitare*, id eſt, perſonare intelligimus dici. Nam haec omnia ſine ſonitu crepituque non ſunt An id flagitium est?] An liceat? an deceat? Et prius, quia licet. An id flagitium est?] *Terentius* laudat argumentum hujus fabulae: in quo exemplum promitur, quod proſit parentibus, obſit meretricibus: & ſimul deliberationibus tractans ad faciendum. Si in domum meretriciam deducar] Hoc tale eſt; nulla lex prohibeat, & defendatur in licitum.

91. Et illis erucibus] Hoc jam ad illud pertinet, ut oſtendatur decere. Et primo a perſona ejus fit.

COMMENTARIUS.

ximum conciens malum, vereor, ne meo id faciam damno, & ne fraus illa in me recidat? Quae interpretatio non videtur abhorrere a verbis Pythiae ancillae, infra V. 7. 20.

Tu jam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas
Flagitiis, & eundem indicas. uterque in te exempla edent.

Porro de *Fabae* inviſo nomine ita Feſtus: Fabam *nec tangere nec nominare Diali Flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & Lemuralibus jacitur larvis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore ejus luctus literae apparere videntur.* Dum haec puto, incidit alia ſuſpicio, ſcilicet, laborare locum unius literulae permutatione, potuiſſeque fieri, ut dixerit Parmeno: At enim isthaec in me ludetur faba. Primum enim fuiſſe olim notiſſimum Mimum, *Fabae* nomine, argumenti ridiculi, Viri docti conjiciunt ad illa Ciceronis Att. I. 16. *Sed heus tu, videſne Conſulatum illum noſtrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, ſi hic factus erit,* Fabam mimum *futurum*? Quanquam non ignoro, miris conjecturis locum hunc tentari a Viris Criticis.. Tum peraccommodatum eſt h. l. *ludendi* vocabulum, quo in eadem re utitur Chaerea, infra III. 5. 38 dicens de Jove:

quia conſimilem luſerat
Jam olim ille ludum.

Porro autem, in me ludetur idem eſt, quod, meo damno & periculo. *Ludi* enim in aliquid dicitur, quod vel vinci, vel perdi *ludendo* poteſt. Demum niſi de calido Chaereae conſilio ludificandi virginem, dici ſatis apte via poterat, istaec faba. Poſſit & *παρὰ προσδοκίαν* dictum videri a Parmenone ſervo, faba, quum exſpectarent ſpectatores, ut diceret, *Fabula.* Quae tamen vox etiam pro *faba* uſurpata Plauto.

90. Flagitium facimus.] Praeſtat haec lectio prae illa, flagitium, facinus, quam tuetur Georg. Fabritius, & praefert Mſ. Lipſ. ſed ita, *facinꝰ*, unde apparet, initium τῦ *m* fuiſſe eraſum. *Flagitium* vero, teſte Donato, peccatum eſt in re militari, oriturque ab ignavia; quum ſcelus conjunctam habeat vim. Juſtin. XXII. 8. *Exemplum* flagitii *ſingulare, rex exercitus ſui deſertor, filiorumque pater proditor.* Nepos Hamilc. I. *Armis relictis Sicilia decederent: ſuccumbente patria, ipſe periturum ſe potius dixerit, quam cum tanto* flagitio *domum rediret.* Sed & in amoribus illicitis ſedem fixit. Nonius Marcellus: Flagitium *veteres vitium, quod virgini infertur, dici voluerunt.* Iſidorus autem, Orig. V. 26. Flagitium *a flagitando corruptelam libidinis, quod noceat ſibi.* Appoſitiſſimus locus apud Ciceronem, Tuſc. IV. 32. *Et ut turpes ſunt, qui efferunt ſe laetitia tum, quum fruuntur Venereis voluptatibus; ſic* flagitioſi, *qui eas inflammato animo concupiſcunt.* Unde Iſidorus Orig. X. lit. F. Flagitioſus, *eo quod frequentius flagitet atque oppetat libidinem.* Adde Phaed. III. 10. 14. ibique Laurent. Ita *Flagitare* apud JCtos eſt de ſtupro vehementius appellare. Ulp. Leg. 2. §. 5. D. de privat. Del. Ubi Fornerius II. Select. 2. exponit *ſtuprare.* Stuprum enim JCtis vocatur *Flagitium.* Ita Paul. Leg. I. §. 2. D. de Extr. Crim. Confer Tacit. Annal. II. 85. Cic. Tuſc. IV. 33. ex Ennio, ibique Beroald. p. m. 20:. b. & 202. a.

91. Cruciaus] Vera meretricum appellatio. Plaut. Aul. III. 5. 48.

Habent deſpicatam, & quae nos ſemper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam; atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius haec pati? aequum eſt fieri, ut a me ludatur dolis.
Quod qui reſcierint, culpent: illud merito factum omnes putent.

Pa.

DONATI.

92. HABENT DESPICATAM] Contemptam atque deſpectam. Et ita eſt ἐπίθεσις & μεταπλασμός. Vel certe alterius verbi declinatio, ab eo quod eſt *deſpicor*, ut *conſpicor*. ** *Salluſtius, Quum interea Metellus monte degrediens cum exercitu conſpicatur, primo dubius quidnam inſolita facies oſtenderet.*

93. NUNC REFERAM GRATIAM] Non eas, inquit, laceſſim: ſed quod juſtum eſt, vicem reddam: quaſi ipſe in aliis laeſus ſit. UT AB ILLIS FALLIMUR?] Non dixit, *alii falluntur.*

94. AN POTIUS HAEC PATI? AEQUUM EST FIERI] Illic viciſſitudo extat in *Pati dolos.* UT A ME LUDATUR DOLIS.] Σύλληψις: ſubauditur *pati.*

95. QUOD QUI RESCIERINT] Ex conſequentibus argumentum: nam illud factum vituperatio ſequitur, hoc approbatio. ILLUD MERITO FACTUM OMNES PUTENT.] Bene, non *judicent*: quia & hoc ipſum non ſatis probum eſt, vel meretricem fallere.

OBSERV. IN DONAT.

44. *Salluſtius*] B. Jug. 49. Ubi nunc legitur: *Quum interim Metellus, ignarus hoſtium, monte degrediens cum exercitu conſpicitur. Primo dubius, quidnam inſolita facies oſtenderet.*

COMMENTARIUS.

Aut aliqua mala crux *ſemper eſt, quae aliquid petat.*

Caſ. II. 6 64.

mala crux *ea eſt quidem.*

92. DESPICATAM] Plaut. Caſ. II. 2. 15. Eraſmus laudat DESPECTAM. Quomodo eſt in Cod. Bemb. aliiſque.

93. REFERAM GRATIAM] Ulciſcar. Infra IV. 4. 51. & V. 3. 2.

EAS ITIDEM FALLAM] Idem praecipit Magiſter Amorum, Arte Am. I. 645.

Fallite fallentes: *ex magna parte profanum*
Sunt genus. in laqueos, quos poſuere, cadant.

94. AN POTIUS HAEC PATI?] Senſus eſt: An potius flagitium eſt, haec pati, h. e. adoleſcentiam noſtram haberi deſpicatam, & nos ſemper ab illis crucibus omnibus cruciari modis? Eſt autem vexatiſſima lectio horum duorum verſuum. Faërnus ex libro Bembino tuetur, quod pluſculae editiones ſequuntur, AN POTIUS HAEC PATRI AEQUUM EST FIERI, UT A ME LUDATUR DOLIS? Et in Mſ. Lipſ. eſt PATI. unde licet ſuſpicari, τὸ R eſſe craſum. Sed obſtat grandior ellipſis poſt injectam patris mentionem, quam ita explet ipſe Faërnus: *Pecuniam ſcilicet ab eo per fallacias auferendo: quam in amores & voluptates meas inſumam? cum liceat, fallendo has meretrices, cupiditatem meam ſine ullo ſumtu aut diſpendio explere.* Longe haec petita videntur. Neque probis Mſſ. neque impreſſis vetuſtiſſimis Libris caret lectio, quam exhibeo; firmaturque Donati auctoritate. Eugraphius tamen PATRI legit.

LUDATUR] Videtur ἀλλοιότης τοῦ ἀριθμοῦ, pro, LUDANTUR. Quod de crucibus generatim dictum, in Thaide ſola deſinit. Tibull. III. 4. 63.

Sed flecti poterit, mens eſt mutabilis illis,

Heaut. II. 3. 19. & II. 4. 13.

95. QUOD QUI RESCIERINT] Mſ. Mark. cum editis quibuſdam antiquis: QUOD QUI RESCIERINT, CULPENT NULLI, SED ILLUD FACTUM MERITO OMNES PUTENT. Poſtrema etiam in duobus Mſſ. Pall. reperiri, teſtis eſt Pareus. Quae lectio

Digitized by Google

Pa. Quid iſtuc? ſi certum eſt facere, facias: verum, ne poſt conferas
Culpam in me. *Ch.* Non faciam. *Pa.* Jubeſne? *Ch.* Jubeo, cogo, atque impero.
Nunquam defugiam auctoritatem: ſequere. *Pa.* Dî vortant bene.

DONATI.

96. QUID ISTUC?] Adverbium eſt aegre concedentis. FACIAS.] Pro facito. VERUM, NE POST CONFERAS] Si NE prohibentis eſt, nihil deeſt: ſi percontantis, ut ſit *ne forte*, deeſt, *timeo*. VERUM, NE POST CONFERAS CULPAM IN ME.] In hoc negotio non auctor vult intereſſe, ſed ſervus. VERUM] Deeſt, *vide*.

97. COGO, ATQUE IMPERO.] Evidenter oſtendit plus eſſe *imperare* quam *jubere*.

98. NUNQUAM DEFUGIAM AUCTORITATEM] Non, inquit, recuſabo facere, dum tu tamen auctor ſis facti.

COMMENTARIUS.

lectio planiſſimum reddit ſenſum, omnemque de patre lectionem excludit. In vulgata, haec: QUOD QUI RESCIERINT, CULPENT, objectionem Parmenonis continent; cui reſpondens Chaerea inquit: ILLUD MERITO FACTUM OMNES PUTENT.

97. COGO] Mſ. Mark. IMMO COGO. Ita & Mſ. Lipſ. & editio anni 1469.

98. NUNQUAM DEFUGIAM AUCTORITATEM] Mſ. Lipſ. PA. NUNQUAM DEFUGIAM AUCTORITATEM. SEQUERE. CH. DÎ VORTANT BENE. Mſſ. alii: PAR. NUNQUAM DEFUGIAM AUCTORITATEM. CH. SEQUERE. Quomodo & Donatus videtur legiſſe. Atque ita eſt in editione anni 1469. Rectius autem utrumque Chaereae tribuitur; eſt enim *non defugere auctoritatem*, non negare, ſe auctorem & impulſorem fuiſſe. Plaut. Poen. I. 1. 17.

AG. *Si tibi lubido eſt, aut voluptati, ſino.*
Suſpende, vinci, verbera, auctor ſum, ſino.
MI. *Si* auctoritatem *poſtea* defugeris,
Ubi diſſolutus tu ſies, ego pendeam.

Cic. Orat. pro Sulla, cap. 11. *Itaque attende jam, Torquate, quam ego* defugiam auctoritatem *conſulatus mei.* Vulgo, *non defugiam.* Senſus eſt: quam ego recuſem, me auctore dici geſta, quae in meo conſulatu & oppreſſione conjurationis geſta ſunt. Confer omnino Donatum ad V. 5. 20. In XII. Tabb. *Qui* defugerit teſtimonium, *tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.*

Digitized by Google

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

Thraso. Gnatho. Parmeno.

Th. Magnas vero agere gratias Thais mihi? *Gn.* Ingenteis. *Th.* Ain' tu? laeta 'ſt? *Gn.* Non tam ipſo quidem
Dono, quam abs te datum eſſe: id vero ſerio
Triumphat. *Pa.* Huc proviſo, ut ubi tempus fiet,

Dedu-

DONATI.

1. Magnas vero agere gratias] Hic ſermo ſic prodit, ut poſt Scenam inchoatus eſſe videatur. Continet autem aſſentationem paraſiticam, & ſtultitiam glorioſi militis. Agere] Plus ſonat infinitus modus, finito.

2. Ingenteis.] Vide quantum adjiciat paraſitus. Ille, magnas dixit, hic reſpondit, ingenteis: ille, laeta 'st: hic, triumphat.

3. Quam abs te datum esse] Majoris eſt gratiae, tantum potuiſſe amorem militis, ut meretrix minus laetaretur ob lucrum. Id vero serio] Id, ob id: ut, *Id amabo adjuta me.* [1] Alias παρέλκεται, id eſt, productionis locus eſt.

4. Triumphat.] Ut militaribus dictis tangit Militem Paraſitus. Huc Proviso] Tertia perſona venit in ſcenam: ſed ſeparatim loquitur, & ſecum.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Alias* παρέλκεται, *id eſt*, *productionis locus eſt.*] Si ita legas, quomodo nunc vulgo editur, poſteriora illa, *id eſt*, *productionis locus eſt*, a recentiore manu videntur inſerta. Editiones autem Venetae plane aliam lectionem exhibent, ita: serio. *Alias* παρέλκον, *at nunc productionis locus eſt.*

COMMENTARIUS.

1. Magnas vero agere gratias Thais mihi?] Citat Cicero de Amicitia 26. additque: *Satis erat reſpondere*, magnas; ingenteis *inquit. Semper auget aſſentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum.* Lucret. VI. 677.

Maxima *quae vidit quiſque*, *haec* ingentia *fingit.*

3. Abs te datum esse]. Ovid. Heroid. XVII. 71.

Utque ea non ſperno; ſic acceptiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quae pretioſa facit.

4. Triumphat.] Sic Heaut. IV. 2. 5. Phorm. III. 3. 10. Cic. Att. IX. 16. *Meum factum probari abs te*, triumpho *gaudio*. Eſt vero accommodatum militi *triumphandi* verbum. Sic mox verſu 27. jugularas.

5. Est istuc datum profecto, ut grata mihi sint, quae facio, omnia.] Mſ. Bodl. Ut grata sint, quae mihi facio omnia.

Digitized by Google

Deducam. ſed eccum Militem. *Th.* Eſt iſtuc datum
Profecto, ut grata mihi ſint, quae facio, omnia.
Gn. Advorti hercle animum. *Th.* Vel rex ſemper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram: aliis non item.
Gn. Labore alieno magnam partam gloriam

Ver-

DONATI.

5. Sed eccum militem.] Injurioſe Militem. Honorifice proprio nomine dicitur: ut in ſubjectis, [2] *Audire vocem viſa ſum modo militis.* Est istuc datum.] Fato decretoque conceſſum: ut,

[3] *Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis.*

6. Ut grata mihi sint, quae facio, omnia.] Gratae nobis ſunt aut res aut perſonae: ſed nunc res dicit. Quae facio, omnia.] Ἔλλειψις vel σύλληψις.

7. Advorti hercle animum.] Approbat dictum & hoc, *Ait*, *aio*. Vel rex semper maxumas mihi agebat.] Quam intempeſtive miles ad Regem tranſitum fecit, cum de meretrice agatur. Vel rex.] Ut in Hecyra,

Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
quam ſancte?

Vel rex semper maxumas.] Subauditur *gratias*: ab eo quod ſupra dixit, *Magnas vero agere gratias Thais mihi.*

9. Partam gloriam.] Id eſt, quae paritur. Ut, [4] *Vectus equo ſpumante Sacer.*

OBSERV. IN DONAT.

2. *Audire vocem viſa ſum modo militis.*] Atqui in his verbis injurioſae tantum, non etiam honorificae appellationis exemplum eſt. Addidit igitur Donatus: *Atque eccum. ſalve, mi Thraſo.*

3. *Non dabitur.*] Virgil. Aeneid. VII. 313.

4. *Vectus equo.*] Virgil. Aeneid. XII. 651.

COMMENTARIUS.

nia. Vult autem Thraſo, opinor, ſibi hoc datum a Diis immortalibus, ut omnia, quae faciat, gratiam ſibi concilient. Sic Plaut. Amph. Prol. 48. Heaut. II. 3. 21. Contrarinm eſt apud Cic. Fam. V. 5. *Sin autem* ingrata *eſſe ſentiam, non committam, ut tibi ipſe inſanire videar.* Mſ. Mark. Est istuc datum profecto ab fato mihi. Eleganter autem *datum* ſimpliciter dicitur, quod a natura conceſſum eſt. Ovid. Faſt. VI. 103.

Unde datas *habeat vires, obſcurior aevo*
Fama: ſed e noſtro carmine certus eris.

Horat. Serm. II. 2. 31.

Unde datum *ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto*
Captus hiet?

Perſ. V. 124.

Liber ego, unde datum *hoc ſumis, tot ſubdite rebus?*

Martial. I. 42. 18.

Non cuicunque datum *eſt, habere naſum.*

Lucret. II. 302.

Quantum cuique datum *eſt per foedera naturaï.*

Cic. Catil. IV. 1. *Mihi quidem ſi haec conditio conſulatus* data *eſt.*

7. Rex.] Intelligit Darium, tertium Perſarum Regem, Menandri aetate regnantem. Sic Heaut. I. 1. 65. Niſi malis cum Daceria accipere de Seleuco Rege Aſiae; ſcilicet, quod Pyrrhi fit mentio, infra IV. 7. 13.

8. Mihi agebat.] Mſ. Mark. Mihi gratias agebat. Guyetus delet τὸ mihi.

Aliis non item.] Imitatus Cicero Fam. XV. 21. *Quod tibi facetum videtur, quidquid ego dixi; quod* aliis *fortaſſe* non item.

9. Labore alieno magnam partam gloriam verbis saepe in se transmovet, qui habet salem, quod in te est.] Exponit Servius ad Virg. Aen. I. 35. Sunt qui haec Gnathonem averſum dixiſſe exiſtimant, ne miles audiret. Verum, ſi non audivit miles, qui reſpondere potuit, habes? Dicam, quod res eſt. Vix adeo inſulſus fingi poteſt Thraſo, ut non intellexerit, haec ad ſuam contumeliam dicta eſſe. Quia tamen laudat, dicens, habes, crediderim, Gnathonem ad ſpectatores conver-

Digitized by Google

Verbis ſaepe in ſe tranſmovet, qui habet ſalem,
Quod in te eſt. *Th.* Habes. *Gn.* Rex te ergo in oculis. *Th.* Scilicet.
Gn. Geſtire. *Th.* Vero: credere omnem exercitum,
Conſilia. *Gn.* Mirum. *Th.* Tum ſicubi eum ſatias
Homi-

DONATI.

10. VERBIS SAEPE IN SE TRANSMOVET, QUI HABET SALEM.] Mire adulator hoc attribuit mihi, quod minime habet, vel *verba*, vel *ſalem*. QUI HABET SALEM.] [5] *Sal* neutraliter, condimentum eſt: maſculini, ſapientia.

11. QUOD IN TE EST.] Quod tu habes. HABES.] Intelligis. Quod enim tenemus corpore, habemus animo: quodque item animo habemus, intelligimus. HABES.] Pro intelligis. Sic dicitur *accipe*, & *da*. HABES etiam, id eſt, dicis. Ut [6] *Salluſtius: Tarteſſum Hiſpaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadirum habent.* REX TE ERGO IN OCULIS. SCILICET. GESTIRE. VERUM.] Vide inconditam properationem laudari ſe cupientis, adeo, ut non ſinat verba impleri, quin praefeſtinet, SCILICET & VERUM dicere.

12. CREDERE OMNEM EXERCITUM.] [7] Magis ridebis, ſi conſideres militem notum eſſe, qui * CREDERE OMNEM EXERCITUM, CONSILIA.] Sub obtentu militis, ea ſtultitia, deſcripſit breviter comitem regium, acceptumque imperatori. Nam qui nunc credit exercitum, credit & conſilia. [8] *Virgilius:*

Nulla meis ſine te quaeretur gloria rebus,
Seu pacem, ſeu bella geram: tibi maxima rerum,
Verborumque fides.

13. CONSILIA.] Αὔξησις. Plus enim eſt conſilia, quam totus exercitus. MIRUM.] Melius per εἰρωνείαν pronunciamus MIRUM. Quaſi dicat, Quis non crederet tali viro? ſed poteſt etiam ſimpliciter pro admirantis geſtu accipi. UBI SATIETAS HOMINUM, AUT NEGOTI SI QUANDO ODIUM CEPERAT.] Reipub. princeps duas res patitur, homines & negotia, id eſt, perſonas & res hominum. SATIETAS HOMINUM, AUT NEGOTI SI QUANDO ODIUM CEPERAT.] Proprie reddidit & decenter, *hominum ſatietas, negotii odium.* Non enim par erat Reip. principem hominum odio laborare.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Sal, neutraliter condimentum eſt, maſculini, ſapientia.*] Feſtus laudans hunc Terentii locum, *maſculini generis eſt*, inquit, *non neutri, nec ab hoc accuſativo nominativus eſſe poteſt, hoc ſale.* Maſculino tamen genere etiam pro *condimento* uſurpatur. Scripſit autem Donatus *maſculine*, non *maſculino*.

6. *Salluſtius.*] In Fragmentis. Legitur & *Gaddir.* Ecciam Priſcianus Inſtit. Lib. V.

7. *Magis ridebis, ſi conſideres, militem notum eſſe, qui.*] Quia ſenſum perfectum non videbant in his verbis, lacunae notam adjecerunt, quae nulla apparet in Libris vetuſtiſſimis. Mihi Donatus nihil addidiſſe videtur, ſed rem dictu turpem ſuppreſſiſſe, quam & Gnatho mox tangit verſu 15. Quia vero in quibuſdam impreſſis eſt *notum*, & mox ſequitur, *ſub obtentu militis*, Doctiſſ. Abr. Wielingius conjiciebat legendum eſſe, *militum morem*. Quomodo *more militari* dixit ſupra II. 3. 90.

8. *Virgilius.*] Aeneid. IX. 278.

COMMENTARIUS.

converſum dixiſſe: LABORE ALIENO MAGNAM PARTAM GLORIAM VERBIS SAEPE IN SE TRANSMOVET. Quod enim nunc faciebat Thraſo, gloriatus, VEL REX SEMPER MAXIMAS MIHI AGEBAT, QUIDQUID FECERAM: ALIIS NON ITEM, id Gnatho SAEPE eum facere indicat ſpectatoribus. Ne vero quid Thraſoni ſuboleat, ſibi contumeliam fieri, rurſus ad eum converſus Gnatho addit, QUI HABET SALEM, QUOD IN TE EST. Miles igitur de laude ſua ſecurus, ſtatim, HABES, inquit. Similes joci Gnathonis plures ſunt in hac Fabula. Neque enim, ſi omnia Thraſoni dixiſſet, qui commode τὸ SAEPE dixerit paraſitus, video; quod ſpectatoribus dictum non exiguam vim habet. Dixit autem, QUI HABET SALEM, pro ingenii acumine & ſermonis elegantia. Catull. Carm. LXXXIV. 4.

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

Horat. Sat. I. 10. 3.

at idem, quod ſale *multo*
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.

Idem Arte 270.

At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales.

Simili

Digitized by Google

Hominum, aut negotî ſi quando odium ceperat:
Requieſcere ubi volebat; quaſi. noſtin'? *Gn.* Scio:
Quaſi ubi illam exſpueret miſeriam ex animo. *Th.* Tenes.

Tum

DONATI.

15. REQUIESCERE UBI VOLEBAT] Bono verbo uſus eſt. Nam *ceſſat* deſidioſus: *requieſcit* defeſſus. QUASI. NOSTIN'?] Grate expreſſit ſtulti infantiam militis, qui ante vult intelligi quod ſentit, quam ipſe dicat. Et proprie hoc morale eſt ſtolidi, ſive ruditer loquentis. QUASI. NOSTIN'?] Ἀποσιώπησις, pro, habes hoc? hoc eſt, quod ſupra, *Intelligis?*

16. QUASI UBI ILLAM EXSPUERET MISERIAM] UBI pro *quando*, & in his, & ſupra. EXSPUERET] *Exſpuere* eſt cum faſtidio aliquid rejicere & expellere. Nam *exſpuere*, eſt extra pus mittere, id eſt, foras. Nam *pus* eſt omnis humor corpori oneroſus.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Grate expreſſit.*] Ita dixit, uti infra III. 5. 56. *Grate explicata narratio eſt.* Unde *Grace*, quod eſt in antiquis Libris, barbarum eſt.

COMMENTARIUS.

Simili metaphora uſus Plautus Bacchid. III. 3. 1:

Nunc experiar, ſitne acetum *tibi cor acre in pectore.*

Et Pſeud. II. 4. 49.

Ecquid habet is homo aceti *in pectore?* CH. *Atque acidiſſumi.*

Vide Parei Lex. Plaut. Idem vero Gnatho eundem Thraſonem infra V. 9. 49. INSULSUM vocat & FATUUM.

11. QUOD IN TE EST.] Ita edidi, motus auctoritate Donati, Servii, Feſti, Acronis, Priſciani, Nonii Marcelli, ſed & pluſculorum Mſſ. & Edd. veterum poſt an. 1469. Sic Heaut. II. 3. 123. Alii, QUI IN TE EST. Quos refellit Georg. Fabritius.

REX TE ERGO IN OCULIS.] Summi amoris & benevolentiae expreſſio, *geſtare quem in oculis.* Cic. Fam. XVI. 27. *Te, ut dixi*, fero oculis. Idem Philipp. VI. 4. *Oderat tum, quum ille tabulis novis adverſabatur: jam* fert in oculis. Et Orat. de Haruſp. 23. Ferebant in oculis hominem *quidam boni viri.* Latinus Pacatus Paneg. Theodoſio dicta: *Hos ille Phalaris in amicis habebat, hi* in oculis *ejus, atque etiam in oſculis erant.* Cic. Att. VI. 1. *Publicanis* in oculis *ſumus.* Ἐν ὀφθαλμοῖς ἔχειν. Adde Plin. Paneg. 47. & 55. Reges porro Perſarum Satrapas *Oculos* ſuos vocabant. Ariſtoph. Ἀχαρν. 92. & Scholia.

12. GESTIRE.] Ita Mſſ. plurimi cum editorum praeſtantiſſimis. Subaudiendum autem, habere vel ferre. Vulgo cum Mſ. Lipſ. Libriſque aliis, GESTARE, quando ellipſis nulla.

VERO.] Certe, utique. Adelph. III. 5. 23. atque ita paſſim apud Comicos. Cic. Off. III. 13. *Num id injuſte, an improbe fecerit. Ille* vero, *inquit Antipater.* Alii, VERUM.

13. SATIAS HOMINUM.] Ita eſt in Mſſ. & editis probatiſſimis, etiam anni 1469. itaque flagitat metrum. Alii tamen cum Donato SATIETAS legunt. Eſt autem SATIAS & SATIETAS faſtidium. Lucret. II. 1037.

feſſus ſatiate *videndi.*

Sic *honorum ſatietatem* dixit Suetonius Tib. 10. Et Salluſt. Jug. 31. *Niſi forte nondum etiam vos dominationis eorum* ſatietas *tenet.*

14. SI QUANDO ODIUM CEPERAT.] Edit. anni 1469. SI QUOD OTIUM CEPERAT.

15. REQUIESCERE UBI VOLEBAT.] Hos binos verſus faceſſere jubet Guyetus, utpote Terentio indignos. Sed & apte cohaerent, & Latine dicti ſunt, & firmantur auctoritate Mſſ. & Donati. Quid autem cogitarit Thraſo, incertius eſt, quum per ἀποσιώπησιν diceret, QUASI. Salluſt. Catil. 4. *Igitur, ubi animus ex multis miſeriis, & periculis requievit.*

16. QUASI UBI ILLAM EXSPUERET MISERIAM EX ANIMO.] Lucret. II. 1040.

Exſpuere *ex animo rationem.*

Plin. *A ſidere coeleſtis ignis exſpuitur.* Cic. Att. XII. 45. *Nullo enim alio modo a miſeria quaſi aberrare poſſum.* Videtur autem jactantia haec Thraſonis in animo fuiſſe Ciceroni, Off. I. 38.

Tum me convivam ſolum abducebat ſibi. *Gn.* Hui!
Regem elegantem narras. *Th.* Immo ſic homo eſt
Perpaucorum hominum. *Gn.* Immo nullorum arbitror,
Si tecum vivit. *Th.* Invidere omnes mihi:

Mor-

DONATI.

17. TUM ME CONVIVAM SOLUM ABDUCEBAT SIBI.] Hoc ſupererat, ut, qui eſſet miniſter magnarum rerum, id eſt, conſiliarius: voluptatum quoque Regis particeps eſſet. Et vide quo ſignificatu dicatur, ME, & CONVIVAM, & SOLUM, & ABDUCEBAT: nam non vocabat. Et SIBI, quaſi non propter me, ſed ut *ſibi* bene eſſet. TUM ME CONVIVAM] Id eſt, quum ſatietas hominum eſſet, cum odiſſet negotia. CONVIVAM SOLUM ABDUCEBAT] Ut,

—— [10] *ſolam nam perfidus ille*
Te colere.

Significat autem, ſaepiuſcule factum.

18. REGEM ELEGANTEM NARRAS.] Qui eligere ſciat, aut qui ipſe ſit eligendus.

19. PERPAUCORUM HOMINUM.] Aut qui paucis utitur: aut qui de paucis eſt, aut qui paucis placet: hoc eſt, bonis & ſapientibus, qui fere pauci ſunt. IMMO NULLORUM ARBITROR, SI TECUM VIVIT.] Hoc averſus, ne miles audiat. Poteſt tamen & aliter intelligi, [11] maxime cum milite.

20. INVIDERE OMNES MIHI] Plus poteſt ad ſignificandum infinitum tempus, quam finitum.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Solam*] Virgil. Aeneid. IV. 421.

11. *Maxime cum milite*] Languent verba haec, niſi legas, *maxime cum illo milite.* Quare & *notum militem* dixerat ſupra ad verſum 12.

COMMENTARIUS.

38. ſcribenti: *Deforme etiam eſt, de ſe ipſo praedicare, falſa praeſertim, & cum irriſione audientium, imitari MilitemGlorioſum.* Quanquam & Plautinus ille poteſt reſpici.

18. REGEM ELEGANTEM.] Eligere ſcientem. Infra III. 5. 18.

SIC HOMO EST, PERPAUCORUM HOMINUM.] πάνυ παύρων ἀνθρώπων. Eadem phraſi uſus Horatius de Maecenate, Serm. I. 9. 44. Senſus autem eſt, paucos admittit in familiaritatem, ſed & paucis ſui conveniendi poteſtatem facit. Cic. Att. IX. 15. *Vide, quam ſim antiquorum hominum.* i. e. antiquorum morum. Idem de Fato: *Allatus eſt forte acipenſer, qui admodum raro capitur, ſed eſt piſcis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum & alterum ex his, qui eum ſalutatum venerant, invitaſſet, pluresque etiam invitaturus videretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas, acipenſer iſte* paucorum hominum eſt. Eadem conſtructione *omnium horarum amicos* dixit Suetonius Tib. 42. quod Quintilianus Inſtit. VI. 4. *omnium horarum homo* dixit.

19. TECUM VIVIT.] TE familiariter utitur. Cic. Amic. 4. *Sed tamen recordatione noſtrae amicitiae ſic fruor, ut beate vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim.* Ubi vero ait, IMMO NULLORUM ARBITROR, SI TECUM VIVIT, acerbiora haec videri queant, quam quae Thraſone audiente credantur eſſe dicta. Non enim homo, ſed fungus Thraſo videtur Gnathoni. Qui eſt homo unius hominis, non queat dici NULLORUM HOMINUM. Et immerito Dacieria incuſat Donatum, ut qui averſum haec dixiſſe a milite Gnathonem ſcribat; quum non minus Donatus, quam Dacieria, ambiguum verborum ſenſum agnoſcat, & militi ipſi dictum poſſe videri. Scilicet credebat Thraſo, id dici a Gnathone, Regem ſale & feſtivitate ſua captum reliquos ſine diſcrimine mortales faſtidire, quum is verus verborum paraſiti eſſet ſenſus, fieri non poſſe, ut Rex viri vel mediocris ingenii familiaritate utatur, quem adeo inſulſus homo delectare queat. Planiora autem omnia evadent, ſi Parmenoni haec tribuas. Quod facit Edit. anni 1469. & Eugraphius. Praeterea, TECUM VIVIT. licet.

Mordere clanculum: ego non flocci pendere.
Illi invidere miſere. verum unus tamen
Impenſe, elephantis quem Indicis praefecerat.
Is ubi moleſtus magis eſt; quaeſo, inquam, Strato,

Eone

DONATI.

21. EGO NON FLOCCI PENDERX.] Quod morderent clanculum, vel quod inviderent.

22. ILLI INVIDERE MISERE.] *Miſer* enim eſt, cui animae miſeria ineſt. VERUM UNUS] Proprie UNUS. Nam *unus* ex multis dicitur. Et mire eſt facta nullius ponderis repetitio, ad inertiam loquentis exprimendam. Nam poſtquam dixit, INVIDERE OMNES MIHI: repetit, ILLI INVIDERE MISERE. Quin & *impenſe* & *miſere* idem ſignificant: & mox tamen ſine ullo auctu addidit, VERUM UNUS TAMEN IMPENSE. [12] Aut plus eſt *miſere*, quam *impenſe*.

23. ELEPHANTIS QUEM INDICIS PRAEFECERAT.] Et hoc ſtulte: cum hoc ad dignitatem ſumit, & ſic pronunciat, ut magna eſſe praefectura videatur haec ipſa. Et hoc a ſtolido milite ſic profertur, tanquam magnum hominem velit eſſe, qui ſibi invideret. Et INDICIS πρὸς ἀντιδιαστολὴν Maurorum, qui & mitiores ſunt.

24. IS UBI MOLESTUS MAGIS EST] More ſuo MAGIS addidit, ne diceret *moleſtior*. QUAESO, INQUAM, STRATO] STRATO, nomen accommodatum militiae.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Aut plus eſt miſere, quam impenſe*] Senſus poſtulat, ut legatur, *Aut plus eſt impenſe, quam miſere.*

COMMENTARIUS.

licet inferatur ad τὸ CONVIVAM, ἐν αἰσχροῖς tamen eſt. Plaut. Amph. Prol. 135. *quae cum moecho eſt.* Gudius xd Phaed. III. 6. conjiciebat ſcripſiſſe Terentium, IMMO MULORUM, quod ſcilicet ex aſinorum genere Thraſo videretur eſſe Gnathoni; ut adeo τὸ MULORUM opponatur τῷ NOMINUM. Elegantius autem NULLORUM opponitur Thraſonis PERPAUCORUM.

21. MORDERE CLANCULUM] Quales Graeci λαθροδήκτας, κρυφοδήκτας vocant. Sic infra verſu 55. & Adelph. V. 3. 21. Horat. Carm. I. 18. 4. *mordaces ſollicitudines* dixit. Cic. Famil. III. 12. *Neque non me tamen* mordet *aliquid.* Att. XIII. 12. *Valde me* momorderunt *epiſtolae tuae de Attica noſtra: eaedem tamen ſanaverunt.* Eadem metaphora & *allatrare* & *conlatrare* quem dixerunt Columella, Livius, Seneca. *Rodere* Cicero, *Theonino dente circumrodere*, *atro dente petere* quem, Horatius uſurpavit.

EGO NON FLOCCI PENDERE. ILLI INVIDERE MISERE.] Et haec expuncta vult Guyetus. Scilicet quia ILLI INVIDERE MISERE repetita videntur ex, INVIDERE OMNES MIHI. Sed haec vindicavit Boeclerus, raro caeteroquin diſſentiens a Guyeto. Et ſane repetitio haec infantiam inſulſi Thraſonis arguit. Addo, τὰ EGO NON FLOCCI PENDERE, ſine diſpendio abeſſe non poſſe. Diceretne enim Thraſo, ſe invidiam ſibi omnium contraxiſſe, & taceret, quod facile palmarium erat in jactantia, quomodo ipſe hos invidos non flocci fecerit? Non videtur. Mſ. Mark. & editio anni 1469. EGO FLOCCI PENDERE. Quam lectionem laudat Georg. Fabritius. Mſ. Lipſ. INVIDERE MISERE, omiſſo ILLI.

23. IMPENSE] Vehementer. Plaut. Epid. IV. 1. 39.

Ut alias res eſt impenſe *improbus.*

Ovid. Metam. II. 405.

Arcadiae tamen eſt impenſior *illi*
Cura ſuae.

Sic *impenſo pretio* dixit Livius II. 9. eodem ſenſu infra III. 5. 39 ait,

impendio *magis animus gaudebat mihi.*

ELEPHANTIS QUEM INDICIS PRAEFECERAT.] Hi ἐλεφαντισταὶ, ἐλεφανταγωγοὶ dicti Graecis. Citat Servius ad Virgil. Georg. I. 57. & Cerda ad Aeneid. XII. 717. Mſ. Mark. & vetuſtiſſimae editiones quaedam, ELEPANTIS QUEM REX INDICIS PRAEFECERAT. Et Fabrini in verſione

 addit

Digitized by Google

Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
Gn. Pulchre mehercle dictum, & ſapienter. papae!
Jugularas hominem. quid ille? *Th.* Mutus ilico.
Gn. Quidni eſſet? *Pa.* Dii voſtram fidem! hominem perditum
Miſerumque, & illum ſacrilegum. *Th.* Quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nun-

DONATI.

25. EONE ES FEROX] Cauſale eſt, *ideone* ſignificans. QUIA HABES IMPERIUM IN BELLUAS?] Mire extulit, IMPERIUM IN BELLUAS. Sic [13] *Virgilius:*

---- illa ſe jactet in aula
Aeolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

26. PULCHRE MEHERCLE DICTUM] [14] Immodica laudatione vertit, etiam ſiquid facete dictum eſt. Sufficeret enim, PULCHRE, quod eſt. SAPIENTER.

27. JUGULARAS HOMINEM] Pulchre tangit militem, JUGULARAS dicendo, non, *occideras:* quaſi gladio, non verbis uſus ſit. MUTUS ILICO.] Tam hoc ſtultum eſt, quam ſi diceret, ſtatim nihil. Recte autem diceret, *Ex illo mutus fuit.* Tale eſt & illud, *Tacere feſtinat.*

28. QUIDNI ESSET?] Hoc eſt, ut poſſet eſſe, *jugularas.* HOMINEM PERDITUM] Deeſt, *ô:* ut ſit, *ô hominem perditum!* ſed ſic melius ſonat: majoris enim ſtuporis eſt, hoc modo pronunciatum. HOMINEM PERDITUM MISERUMQUE, ET ILLUM SACRILEGUM.] Vide quantum addiderit, qui non hominem ſimpliciter, ſed *perditum*, & *miſerum illum:* nec malum, ſed *ſacrilegum* dixerit.

30. TETIGERIM] Luſerim, fatigaverim. Nam *Tangere*, cum multa, tum etiam hoc ſignificat.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Virgilius*] Aeneid. I. 140.

14. *Immodica laudatione vertit.*] Scripſerat Donatus: PULCHRE MEHERCLE DICTUM, ET SAPIENTER. PAPAE! *immodica laudatione evertit.* Neque enim in τῷ PULCHRE eſt immodica laus, niſi addatur & SAPIENTER, & PAPAE. Tum prius *e* in *evertit* videtur abſorptum per compendium ſcribendi, LAUDATIONE, cuius vocis poſterior litera valet geminum E. Eſt igitur *evertit*, pervertit, corrupit. Sic infra ad verſ. 56. fin.

COMMENTARIUS.

addit, *Il Re.* Mſſ. Leidenſium unus: ELEPHANTIS QUEM INDICIS PRAEFECERAT REX. Plaut. Mil. I. 1. 25.

Eccum aedepol vel elephanto in India
Quo pacto pugno perfregiſti brachium!

Quum autem PRAEFECERAT dicit, nota, & *praefectos* & *magiſtros* pecorum dici, Gr. ἐπιστάτας. vide Cerdam ad Virg. loc. cit. & *procuratores* ad elephantos. Ceterum elephanti Indici laudantur prae Africanis, a magnitudine & uſu bellico. Lucian. in φιλοψευδ. Adde, quae ex Achille Tatio & Philoſtrato citat Lindenbruchius. Unde dentes Indi, & ebur Indicum paſſim celebrantur Scriptoribus. Martial. V. 37. 5. Videntur autem h, l. omnino intelligi elephanti ad bellum. Salluſt. Jug. 52. *Elephantis & parti copiarum pedeſtrium praefectus.* Unde ſimul gloriam ſibi captabat Thraſo, utpote cui cum tanto viro fuerit negotium, quique eum jugulaverit. Ceterum de elephantorum docilitate & artibus pluſcula ſcitu jucunda collegit Lipſius Cent. Miſcell. Epiſt. L.

25. IMPERIUM IN BELLUAS?] Mſ. Lipſ. POTESTATEM IN BELLUAS. Proprie de Elephantis. Flor. I. 18.

26. JUGULARAS.] Apta locutio apud militem; i. e. rubore ſuffuſum ad ſilentium redegeras & ἐχεμυθίαν. Adelph. V. 8. 35. Cic. Att. I. 16. *Quum illum plumbeo gladio* jugulatum iri *tamen diceret.* Plin. *Veniam ergo peterem?* jugularem *reum, quem ita deliquiſſe concederem, ut ſervari, niſi venia, non poſſet.*

28. Ho-

Digitized by Google

Nunquid tibi dixi? *Gn.* Nunquam: ſed narra, obſecro.
Plus millies audivi. *Th.* Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adoleſcentulus.
Forte habui ſcortum: coepit ad id alludere,
Et me irridere. Quid agis, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, & pulpamentum quaeris? *Gn.* Ha, ha, he!
Th.

DONATI.

31. NUMQUAM: SED NARRA, OBSECRO.] Callide paraſitus intelligit ad hoc ſe interrogatum, ut audire poſtulet.

32. PLUS MILLIES JAM AUDIVI.] [15] Ὑπερβολή. Aut ſuperfutura * ut aequatur: aut ſubjacet, ut tantum non millies convenit ſtultum eundem & immemorem eſſe, qua & intelligentia eſt.

34. FORTE HABUI SCORTUM.] Vide quemadmodum miles, [16] dum multa ad dictum ſuum pervenire fateatur, interim quam contemptus ſit atque deriſus. Abdomen in corpore foeminarum, patiens injuriae coitus, *ſcortum* dicitur: ideo quia *ſcorta* ſunt dura coria. A parte ergo ſui meretrices *ſcorta* dicuntur: vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Graece *palpitare* intelligitur: quod illae faciunt ſaltando aſſidue: vel potius criſſando, ut *Lucretius* ait, [17] lib. 4. ob eam cauſam, ut concinniorem Venerem exhibeant viris: aut ſibi abigant conceptum, quod in vulvam foeminae, in ipſo coitu non ſe moventis, incidit.

36. LEPUS TUTE ES, ET PULPAMENTUM QUAERIS?] [18] LEPUS pro infamia multa ponitur:

OBSERV. IN DONAT.

15. Ὑπερβολή] Locus depravatus. Fortaſſe legendum: ὑπερβολῇ *haud ſuperflua utitur, ut ſenſus ſit, tantum non millies. Et convenit, ſtultum eundem & immemorem eſſe, cui intelligentia non eſt.* Certe poſtrema illa: *cui intelligentia non eſt*, leguntur in Venetis & Argentina, quae nullum lacunae indicium notant.

16. *Dum multa*] Reſtituo audacter: *Dum vult ad dictum ſuum pervenire, fatetur interim, quam contemtus ſit atque deriſus.*

17. *Libro* 4.] Haec non ſunt in Libris antiquis, videnturque ex Lindenbruchii obſervationibus irrepſiſſe in contextum. Idem accidit infra Sc. III. 8.

18. Lepus *pro infamia multa ponitur.*] Mſ. Hulſt. *ob multa.* Malim: *Lepus pro infami ob multa ponitur.*

COMMENTARIUS.

28. HOMINEM PERDITUM MISERUMQUE, ET ILLUM SACRILEGUM.] Non ſatis haec diſtinguit Donatus. PERDITUM MISERUMQUE Thraſonem, SACRILEGUM Gnathonem vocat.

30. RHODIUM] Id tanto glorioſius ſibi ducit fatuus miles, quod Rhodii uti rei nauticae & eloquentiae laude erant clari, ita & elatos animos gerebant.

TETIGERIM] Μείωσις eſt. Dictis enim aculeatis pungere & laedere, *tangere* dixerunt. Inde & *de coelo tacta* dicuntur fulmine percuſſa. Et *taxare* pro reprehendere. Suet. Aug. 4.

31. NUMQUID] An NUMQUAM, quod eſt in quibuſdam Mſſ. ſed & editis.

34. ALLUDERE] Annuere, arridere, ſed & laſciva manu pertentare. Plaut. Stich. II. 2. 58.

Quando adbibero, alludiabo.

Juſtin. I. 4. *Quem* (puerum) *ubi in manum mulier accepit, velut ad notam* alluſit. Mſ. Lipſ. & edit. anni 1469. AD ID LUDERE.

35. QUID AGIS?] Ita expreſſi ex quibuſdam Mſſ. & impreſſis. Vulgatum QUID AIS? languet.

36. LEPUS TUTE ES, ET PULPAMENTUM QUAERIS?] Additum in Mſ. Lipſ. margine: *Dicunt, Leporem Sodomiticae conſuetudinis eſſe, adeo ut saepe maſculis foetus in utero inveniantur.* Vid. Donat. Niſi autem cum interrogationis nota exprimatur, minus ἐμφατικὸν erit. Suadentque id verba proxime praecedentia, in quibus itidem interrogatio eſt. Ipſum vero dictum ex Livio Andronico deſumtum, teſte Donato, &

Digitized by Google

Th. Quid eſt? *Gn.* Facete, lepide, laute: nihil ſupra.
Tuum ne, obſecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.
Th. Audieras? *Gn.* Saepe; & fertur in primis. *Th.* Meum eſt.
Gn.

DONATI.

tur: vel quod magis a poſteriori parte, hoc eſt, armis, pulpamentum de ſe praebeat, cum in convivio carpitur appoſitus. Ut [19] *Horatius* ait,

Foecundi leporis ſapiens ſectabitur armos.

Vel quod venantur illum, & perſectantur canes: quos pro amatoribus ἀλληγορικῶς intelligimus: ut ipſe *Terentius* ait,

Cervam videre fugere, ſectari canes.

[20] Vel quod illum ſic fugiant omnes, conſtituat ut hunc libido effeminata. Vel quod a Phyſicis dicatur incerti ſexus, ac eſſe modo mas, modo foemina. Lepus tute es, et pulpamentum quaeris?] Quod in te habes, hoc quaeris in altero. Et eſt τρόπος ἀλληγορία. Ha, ha, he!] Paraſitus hic interjectionem riſus addidit: quo magis, nunc primum hoc audiſſe, credatur.

37. Quid est?] Haec interrogatio geſtum vultumque continet cujuſdam alacris, & certi, quod laudandus ſit. Facete] *Facetus* eſt, qui facit verbis quod vult. Lepide] *Lepidus*, qui politus eſt, ut λεπὶς, id eſt, lamina. Laute] *Lautus* qui mundus & ſplendidus eſt.

38. Tuum obsecro ne hoc dictum erat?] Et dicta, & proverbia, & adagiones, quod rem agant, facetis hominibus aſcribuntur: & hoc laudis genus eſt, ad potiores referre, quod alter probatur dixiſſe. Vetus credidi.] Quia omnia vetera, magna ſunt.

39. Saepe] Non ex ipſo: nam eſſet contrarium ſuperiori. Meum est.] Non ſenſu tantummodo, ſed verbis quoque ipſis agreſte eſt, quod nunc dicit, Meum est.

OBSERV. IN DONAT.

19 *Horatius*] Serm. II. 4. 44. ubi Cl. Vir, Rich. Bentlejus *foecundae* tuetur.

20. *Vel quod illum ſic fugiant omnes, conſtituat ut hunc lib do effeminata.*] Lectio corrupta, cui nihil praeſidii ex Codd. veteribus. Et Eraſmus in Adag. verba haec intacta reliquit, citans tres reliquas Donati rationes. Mollitiem reſpici manifeſtum eſt, de qua multa Phyſicorum filii, & Pierius Valerianus Hieroglyph. XIII. 4. Conjiciebam autem, ſcripſiſſe interpretem: *Vel quod, ſi illum liguriunt homines, conſtituat tunc libido effeminata.*

COMMENTARIUS.

Vopiſco in Numeriano, verbis tectum, re impudentiſſimum eſt. Unde Fabrini reddidit: *Tu ſteſſo ſei uno, che fai piacere di te, a chiacunque ſi vuole, e timetti ſotto ad ogni uno, e cerchi cio ne faccia a te.* Niſi forte jam inde e veteri Comoedia depromſit Menander, atque ex hoc Noſter. Vid. Eraſm. Adag. Affine eſt huic dictum illud ſervi in puerum, apud Plaut. Perſ. II. 4. 13.

Video ego te! jam incubitatus es.

h. e. Embaſicoetas incubuit tibi. Item Catulli, Carm. XCI.

ipſa olera olla legit.

Sed & Ciceronis illud ad Q. Fr. III. 1. *Ipſi fontes jam ſitiunt.* Porro autem credebant, qui leporinam ediſſent, formoſos fieri. Martial. V. 29.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum, lux mea, narras:
Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

Adde Plin. XXVIII. 19. Pulpamentum vocabant obſonium lautum e pulpa, ſeu poſteriore parte leporis, quae carnoſior eſt. Unde lepus in deliciis habitus. Martial. VII. 78.

Sumen, aprum, leporem, *boletos, oſtrea, mullos*
Mittis. habes nec cor, Papile, nec genium.

Idem XIII. 92.

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Ubi pro *gloria* alii *mattea*, alii *beſtia* legunt. Addo, quod ex gloſſa Mſ. Iſ. Voſſii ad h. l. obſervavi. Scilicet ſunt in Pacto L. Salicae, Tit. XXXIII. §. IV. haec verba: *Si quis alterum* Leporem *clamaverit*, CCXL. *den. qui faciunt ſolid.* VI. *culpabilis judicetur.* Origo convicii petenda a timiditate & fugacitate illius animalis, quo apud veteres Germanos & Gallos nihil cenſebatur turpius. Vid. Cl. Bignonius ad h. l.

40. Do-

Digitized by Google

Gn. Dolet, dictum imprudenti adoleſcenti & libero.
Pa. At te Dî perdant. *Gn.* Quid ille, quaeſo? *Th.* Perditus.
Riſu omnes, qui aderant, emoriri. denique

Me-

DONATI.

40. DOLET DICTUM IMPRUDENTI ADOLESCENTI ET LIBERO.] Deeſt *mihi*, ut ſit, *Dolet mihi.* Et DICTUM, participium eſt, id eſt, quod dixiſti. Addidit enim paraſitus, quo gravius ſit dictum, commiſerationem ejus in quem dictum eſt, utpote imprudentem adoleſcentem & liberum. Scit enim homines ſtultos, malos videri velle. Et vide paraſitum in iiſdem verſari, cum ait ſupra, JUGULARAS, hic, DOLET DICTUM. IMPRUDENTI] Scilicet qui minime crederet, tali ſe percuti poſſe convicio: aut cum tali viro ſibi rem futuram. Et ſic laudat militem, ut miſeratione jam dignus ſit adoleſcens. [21] Tam feſtive* ut etiam miſereri inimicorum vacet.

41. AT TE DÎ PERDANT.] Nove Parmeno, non ipſi, ſed de ipſo loquitur, non audiente eo. Εἰρωνικῶς. Parmeno hic [22] male facit; AT TE DÎ PERDANT, inquit.

42. RISU OMNES, QUI ADERANT, EMORIRI.] Diſciplina eſt Comicis, ut ſtultas ſententias, ita etiam vitioſa verba, adſcribere ridiculis imperitiſque perſonis. Ut [23] *Plautus*, *Latronibus ego denumerem ſtipendium*, inquit ex perſona militis. Itaque hic EMORIRI dixit. At vero Atticus adoleſcens in Heautont. *Emori cupio.* Vide igitur Poëtam, pro loco ac tempore ſcire quid dicat.

OBSERV. IN DONAT.

21. *Tam feſtive*] Edd. veteres: *Eam nec non infeſtat.* Locus hiatu & corruptis vocibus laborans. Reſtituo ex conjectura: LIBERO.] *Tam non inceſſit, ut etiam miſereri inimicorum vacet.* Quin enim τὸ LIBERO non minus quam IMPRUDENTI interpretatus ſit, dubium nullum eſt. Tum poterat videri Gnatho inceſſere Rhodium illum adoleſcentulum, vocando *liberum*, i.e. procacem: id vero tantum abeſſe ait Donatus, ut etiam miſereatur.

22. *Male facit*] Lege, *male dicit*, vel, *male dicens.* Ex conjectura Doctiſſ. Wielingii. Niſi verba haec: *εἰρωνικῶς. Parmeno hic male facit* loco ſuo mota ſtatuas. Certe quidem optime adduntur Notae Donati ad III. 2. 10.

23. *Plautus*] Mil. I. 1. 74. ubi nunc legitur,
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium.

COMMENTARIUS.

40. DOLET, DICTUM IMPRUDENTI ADOLESCENTI ET LIBERO.] Quare hunc verſum volente Guyeto expungamns, cauſa nulla eſt. Recte tribuitur Gnathoni a Donato, qui commodum ei tribuit ſenſum. Κόμματος ſignum feci poſt DOLET, ut ſenſus ſit, DOLET MIHI. Sic infra IV. 7. 32.

Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem
facias inimicum tibi.

Scilicet pertinebat hoc ad adulationem, ita efferre Thraſonem, ut qui tam valide ſeu tangeret homines, ſeu iis iraſceretur, ut in perpetuum miſeri fierent & deplorandi. Dixit autem LIBARO, pro eo qui eſt liberae linguae. Ovid. Metam. I. 757.

ille ego liber,
Ille ferox tacui.

Quanquam & *liberum*, non ſervum fuiſſe apparet, quod in illis *fratribus*, quos vocat Petronius, nullus injuriae locus eſſet. In Mſ. Lipſ. hic verſus Thraſoni tribuitur.

41. AT TE DÎ PERDANT.] Non militi haec, ut vult Donatus, neque de milite, ut Guyetus, nec quod ferre non poſſet illud, MEUM EST, quum ſciret eſſe Livii Andronici, ſed de Gnathone dicit Parmeno, quum ejus jam non amplius ferre aſſentationes poſſet. Adeone enim ſervus Parmeno ſcivit, quae ex Livio Andronico, aliove Scriptore vetere eſſent petita, quae ſecus?

42. RISU OMNES, QUI ADERANT, AMORIRI.] ἐξέθνησκον γέλωτι. Donatus diſciplinam Comicam h. l. invenit. Idem vero ridiculus Thraſo infra IV. 7. 2. *Mori me ſatius eſt*, inqnit ſatis Latine. Mihi igitur aliud ſuccurrit, quod itidem ad artificium Comicum pertinet. Scilicet Thraſo riſum illum omnium in convivio ipſe ridens narrare videtur. Unde apta quaedam erat mora in pronunciando cum riſu, AMO-RI-RI. Eſt igitur EMORIRI verbnm rei peraccommodatum. Fallitur autem Eugraphius, ſcribens comice tantum EMORIRI dici. Ovid. Metam. XIV. 215.

mor-

Digitized by Google

Metuebant omnes jam me. *Gn.* Non injuria.
Th. Sed heus tu, purgon' ego me de iſtac Thaidi?
Quod eam me amare ſuſpicata 'ſt? *Gn.* Nihil minus.
Immo auge magis ſuſpicionem. *Th.* Cur? *Gn.* Rogas?
Scin'? ſi quando illa mentionem Phaedriae
Facit, aut ſi laudat, te ut male urat. *Th.* Sentio.
Gn. Id ut ne fiat, haec res ſola eſt remedio.
Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam

Con-

DONATI.

43. METUEBANT OMNES JAM ME.] Ne cui diceret, *Lepus tute es, & pulpamentum quaeris.* Aut, *Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?* NON INJURIA.] Hoc ſic pronuncia, quemadmodum illud ſupra, *Quidni eſſet?*

44. PURGON' EGO ME DE ISTAC THAIDI?] Οἰκονομία ad litem futuram inter militem & Thaidem.

45. QUOD EAM ME AMARE SUSPICATA 'ST?] Quia apparet illam militi quoque κατὰ τὸ σεσιωπημένον oſtendiſſe, quod dixit Phaedriae.

46. IMMO AUGE MAGIS SUSPICIONEM.] Haec erit cauſa rejiciendi militis.

47. SCIN'?] Monentis eſt dicere *ſcin'*, vel *ſcito.* SI QUANDO ILLA MENTIONEM] SI QUANDO & prima ſyllaba acui poteſt, & media. Tamen variat ſententiam.

49. ID UT NE FIAT] Modo *Ne*, non, ſignificat. HAEC RES SOLA EST REMEDIO.] Si te ſuſpicetur amare Pamphilam.

50. UBI NOMINABIT] Et locum & tempus ſignificat *Ubi.* TU PAMPHILAM CONTINUO] Hic magna οἰκονομία eſt, qua *Terentius* praeparat, quemadmodum jurgium inter Thaidem militemque, & Gnathonem, per duas partes ſerpat fabulae. Et bene CONTINUO: ut intelligat meretrix, non tam Pamphilam amari, quam ſibi vicem dari.

COMMENTARIUS.

mortemque timens, cupiduſque moriri.

Eadem voce Plautus plus ſemel uſus. Apulej. Metam. III. *Conſpicio prorſum totum populum riſu cachinnabili diffluentem, non ſecus illum bonum hoſpitem, parentemque meum Milonem riſu maxime diſſolutum.*

44. PURGON' EGO ME DE ISTAC THAIDI?] Mſ. Mark. PURGEMNE. Plaut. Amph. III. 2. 28. Jupiter ad Alcumenam.

Et id huc reverti, uti me purgarem tibi.

Cic. Fam. VII. 27. *Quod ſi humaniter mecum queſtus eſſes, libenter* tibi me *& facile* purgaſſem. Eodem autem ſenſu *purgare* ſe de crimine, & excuſare crimen dicitur.

45. QUOD EAM ME AMARE SUSPICATA 'ST.] Unde haec ſuſpicio? Jam ante nata erat. Unde Thais ſupra I. 2. 62.

ſed, ego quantum ſuſpicor,

Ad virginem animum adjecit.

Aucta vero, quum eam in convivium vocari juberet Thraſo, infra IV. 1. 11.

50. UBI NOMINABIT] Sex integros hoſce verſus citat Cicero Fam. I. 9. Mſ. Mark. NOMINAVERIT.

52. COMMISSATUM] Origo & ſcribendi ratio varia, quam diſquirit Voſſius in Etymolog. De re conſtat, *commiſſationem* fuiſſe compotationem & amatoriam laſciviam & ſaltationem, quae poſt coenam fieret in multam noctem. Κῶμος ſaltus eſt, & Deus nocturnorum tripudiorum praeſes. Unde Anacreon Ode VI. de Cupidine:

Κῶμον μέτεισι χαίρων.
Commiſſationem peragit laetus.

Adde Parei Lexic. Plaut. v. *Commiſſari.*

PAMPHILAM CANTATUM PROVOCEMUS.] E Gynae-

Digitized by Google

Continuo: ſi quando illa dicet, Phaedriam
Intromittamus commiſſatum: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. ſi laudabit haec
Illius formam: tu hujus contra. denique
Par pari referto; quod eam mordeat.
Th. Siquidem me amaret, tum iſtuc prodeſſet, Gnatho.
Gn. Quando illud, quod tu das, exſpectat, atque amat:
Jam dudum te amat: jam dudum illi facile fit,

Quod

DONATI.

52. PAMPHILAM CANTATUM PROVOCEMUS.] Eleganter, quia ille foris eſt, haec intus: illum intromittamus, hanc provocemus. Haec eſt in verbis Poëtae germana proprietas.

54. TU HUJUS CONTRA.] Hic CONTRA, vicem ſignificat.

55. QUOD EAM MORDEAT.] *Quod par*. Aut abſolute QUOD, quae res.

56. SIQUIDEM ME AMARET, TUM ISTUC PRODESSET, GNATHO.] His verſiculis perſonam Militis & Gnathonis continentibus, *οἰκονομία* inducitur, quod veriſimile ſit, facile militem ferre poſſe, anteponi ſibi Phaedriam, qui ſe ſemper intellexerit non amari. Nam ſi hoc tolles, aut excludendus eſt Phaedria, aut ex dolore militis in hac fabula ſit exitus Tragicus. Et hoc miles, ut ſapiens, locutus eſt. Ergo meminiſſe convenit ridiculas perſonas non omnino ſtultas & excordes induci a Poëtis Comicis. Nam nulla delectatio eſt, ubi omnino, qui deluditur, nihil ſapit. Stultitia autem eſt in his quatuor modis: aut non venire in mentem, quod oportet: aut ſi venerit, non tenere: aut bonum conſilium amittere: aut malum admittere. Vide ergo, ut hoc quod commode miles viderat, non tenuerit, totumque amiſerit. Hoc autem idcirco interpoſuit Poëta, ut oſtenderet, quid veneni haberet aſſentatio: per quam non modo errantes decipiuntur, ac praecipites eunt: verum etiam ſapientes interdum, ſanique evertuntur.

57. QUANDO ILLUD, QUOD TU DAS, EXSPECTAT.] [24] Hac ſententia tollitur militi, quod recte ſenſerat: nec perſuadetur tamen, quod ametur ab amica.

58. JAMDUDUM TE AMAT.] Vel nimium & valde, vel jampridem.

OBSERV. IN DONAT.

24. *Hac ſententia tollitur militi, quod recte ſenſerat*] Credebam τὸ *tollitur* h. l. valere, aufertur, eripitur. Sed ſollicitat lectionem Doctiſſ. Wielingius, ſubſtituens, vel, *Haec ſententia tollitur militi*. h. e. fertur. Quomodo Phaed. III. 13. 13.

Tunc illa talem ſuſtulit ſententiam.

Vel, *Hac ſententia tollitur miles*, h. e. laudatur vel intumeſcit.

COMMENTARIUS.

Gynaeceo ſcilicet. Tangit autem morem, de quo Livius XXXIX. 6. *Tum pſaltriae, ſambuciſtriaeque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis*. Gell. XIX. 9. *Ubi eduliis finis & poculis mox, ſermonibuſque tempus fuit, deſideravit exhiberi, quos habere eum adoleſcentem ſciebat, ſcitiſſimos utriuſque ſexus, qui canerent voce, & qui pſallerent. Ac poſteaquam introducti pueri, puellaeque ſunt, jucundum in modum* Ἀνακρεόντεια *pleraque, & Sapphica, & Poëtarum quoque recentium* ἐλεγεῖα *quaedam erotica, dulcia & venuſta accinerunt*.

55. PAR PARI REFERTO.] Ἴσον ἴσῳ ἐπίφερε; μοῖτον ἀντὶ μοίτου. Loquitur autem ex diſciplina Gentilium. Sic Phorm. Prol. 21. Phaed. I. 26.

Nulli nocendum; ſi quis vero laeſerit,

Mul-

Quod doleat: metuit ſemper, quem ipſa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
Th. Bene dixti: at mihi iſtuc non in mentem venerat.
Gn. Ridiculum: non enim cogitaras. caeterum
Idem hoc tute melius quanto inveniſſes, Thraſo!

DONATI.

59. QUOD DOLEAT.] Hoc ad illud refertur, quod ſupra dixit, *Par pari referto, quod eam mordeat.*

60. NE QUANDO IRATUS TU ALIO CONFERAS.] Et hic iocum pro perſona poſuit: ut ne diceret, *ad aliam.*

61. AT MIHI ISTUC NON IN MENTEM VENERAT.] Sic pronunciandum eſt, quaſi militi monſtri ſimile videatur, ſapiens dictum alii prius veniſſe in mentem, quam ſibi.

62. RIDICULUM] Vel hominem, vel dictum ſignificamus. CAETERUM IDEM HOC TUTE MELIUS QUANTO INVENISSES, THRASO!] Scilicet ſi cogitaſſes.

COMMENTARIUS.

Mulcandum ſimili jure fabella admonet.
Ubi vide Ritterſhuſium. Sanctius in Minerva IV. 6. pag. 684. ait, peritiores legere: PAR PRO PARI REFERTO. Et ſane ita eſt in Mſ. Lipſ. & duobus Mſſ. Leidenſibus, & Eugraphio, ſed & edit. anni 1469. laudatque ex antiquis Libris Faërnus. Tum poſt Lindenbruchium editiones nuperae quaedam ita exhibent. Juntina, Aldina, Stephani aliaeque probatiſſimae legunt, ut edidi.

QUOD EAM MORDEAT.] Vide ſupra verſu 21. Alii, QUOD EAM REMORDEAT. Atque ita eſt in uno Mſſ. Leidenſium; laudatque e Mſ. & Servio Rivius. Videturque non male inferri ad illud, REFERTO.

59. METUIT SEMPER, QUEM IPSA NUNC CAPIT FRUCTUM, NE QUANDO IRATUS TU ALIO CONFERAS.] Sic ſupra I. 1. 35.

Nam quod nos capere *oportet, haec* intercipit. Mſſ. & editi quidam vetuſtiſſimi, METUAT. Quod praelaturum fuiſſe Faërnum credo, ſi inveniſſet. Senſus autem eſt, Age metuat, fac metuat. Tum autem diſtinctionem majorem ante τὸ METUAT poſuerim. Mſſ. duo Leidenſes, Lipſ. & Traject. METUET. Ita & Fabrini edidit, aliique. Edit. anni 1469. NON CAPIT FRUCTUM.

60. ALIO CONFERAS.] Cic. Off. I. 14. *Quas enim copias his & ſuppeditari aequius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos.*

62. RIDICULUM] Vocem hanc Thraſoni tribuit Dacieria. Praeter neceſſitatem, opinor.

NON ENIM COGITARAS.] Et in his verbis videtur eſſe σκῶμμα, ſi verum eſt, quod ait Cicero: *Non eſt ſapientis, dicere,* NON COGITARAM.

ACTUS

ACTUS TERTII

SCENA SECUNDA.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO. PYTHIAS.

Th. AUDIRE vocem viſa ſum modo militis.
Atque eccum. ſalve, mi Thraſo. *Thr.* O Thais mea,
Meum ſuavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſtac? *Pa.* Quam venuſte! quod dedit
Prin-

DONATI.

AUDIRE VOCEM VISA SUM MODO MILITIS.] *Hic inducitur multiplex concurſus diſſimilium perſonarum, & tamen virtute & conſilio Poëtae diſcretarum, ut confuſio nulla ſit facta ſermonis: ſimul etiam pro ſe cuique accommodata mire repraeſentatur oratio.*

1. AUDIRE VOCEM VISA SUM MODO MILITIS.] [1] Omnes ſenſus *viſa* dicuntur, ab eo quod eſt certiſſimum oculorum: Ergo *viſa ſum*, ſenſi. Ut [2] *Virgilius:*

— viſaeque canes ululare per umbram,
Adventante Dea.

2. SALVE, MI THRASO.] [3] Quia ſecum, *Militis*: quia apud illum, *Thraſo*. Eſt quaedam actio cujus nomen honeſtum eſt: ſicut orator, philoſophus. eſt quaedam, cujus nomen offenſum eſt, ut miles, lanarius.

3. MEUM SUAVIUM] Tria ſunt oſculandi genera, *oſculum* ſcilicet, *baſium*, & *ſuavium*. *Oſcula* officiorum ſunt: *Baſia*, pudicorum affectuum: *Suavia*, libidinum vel amorum. MEUM SUAVIUM] Cum oſcularetur, dixit. QUID AGITUR?] Et hoc blandimenti genus eſt poſt oſculum. Sed duri eſt & agreſtis: [4] infert enim, *Ecquid nos amas*? Et *Ecquid*, aliquantulumne ſignificat: & ideo illa *plurimum*, recitat. [5] *Cicero* in Catilinam, *Quid eſt, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum ſilentium?*

4. DE FIDICINA ISTAC?] DE, *propter*: ut ſit, propter fidicinam. Et vide non puellam, ſed *fidicinam*, quaſi ab amatore dictam, & eo amatore, qui quaſi memor ſit artis, qua delectatur: & quia puella ſit aemula meretricis: nam meretricum eſt fidicinam eſſe. QUAM VENUSTE! QUOD DEDIT PRINCIPIUM ADVENIENS!] Bene reprehendit Parmeno. Nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, & meminiſſe qui accepit. Et eſt gravis *εἰρωνεία*, *Quam venuſte!*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Omnes ſenſus*] Abr. Wielingius: *Omnes ſenſus viſa dicuntur, ab eo, quo eſt certiſſimus, oculorum.* Ut intelligatur *certiſſimus ſenſus*, non, *certiſſimum viſum*. Cic. III. 41. de Orat. *Facilius ad ea, quae viſa, quam ad illa, quae audita ſunt, mentis oculi feruntur.*

2. *Virgilius*] Aen. VI. 257.

3. *Quia ſecum*] Lectio ſatis proba. Editiones tamen vetuſtae: *Quaſi nomen* MILITIS *apud illum non honeſtum ſit*, THRASO.

4. *Infert*] *Inferre* Donato valet *ſubjungere*. Sic And. V. 6. 14.

5. *Cicero in Catilinam*] Orat. I. cap. 8.

COMMENTARIUS.

1. AUDIRE VOCEM VISA SUM MODO MILITIS.] Citat Apulejus Libro de Deo Socratis.

4. DE FIDICINA] Pro fidicina. Cic. pro Roſc. Comoedo cap. 12. *Utrum Roſcius cum Flavio de ſua parte, an de tota ſocietate fecerit pactionem.* Idem Fam. I. 1. *Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga*

Principium adveniens! *Th.* Plurimum merito tuo.
Gn. Eamus ergo ad coenam: quid ſtas? *Pa.* Hem alterum:
Ex homine hunc natum dicas. *Thr.* Ubi vis, non moror.
Pa. Adibo, atque adſimulabo, quaſi nunc exeam.
Ituran', Thais, quopiam es? *Th.* Ehem! Parmeno,

Bene

DONATI.

5. PLURIMUM MERITO TUO.] Facete meretrix amorem ſuum non ad avaritiam retulit, ſed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem praecipue merito tuo. Alii ſic reſpondere intelligunt, ut ipſa de fidicina gratias agat. Nam cum ille dixerit, ECQUID NOS AMAS? illa reſpondit, PLURIMUM. Quod autem DE FIDICINA hac dixit ille, ſubjecit haec, MERITO TUO. id eſt, quoniam mereris, dando eam. Sed melius eſt, ut praeter munus *Meritum* dixerit. quamquam multi *munus meritum* intelligant. Ut eſt illud * *Virgilii:*

Quique ſui memores alios fecere merendo.

id eſt, gratos ſibi reddidere munerando.

6. EAMUS ERGO AD COENAM.] Decuit paraſitum de coena etiam importune admonere, cum quadam ἐμφάσει, velut magnae rei. HEM ALTERUM] Bene alterum, quia duo ſunt. HEM ALTERUM] Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum*: ſi paraſitus, *alterum hominem.* Vult enim Parmeno & paraſito eſſe verſutior, ⁊ & debet eſſe, cum pejoris conditionis ſit. HEM ALTERUM] ALTERUM, non-reſpective, ſed abſolute. ac ſi dixiſſet, aliud dictum, vel alterum ſtultum.

7. EX HOMINE HUNC NATUM DICAS.] Recte reprehendit Parmeno duos, quorum unus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio coenam oſtendit, tanquam ad eam currendum ſit: nam hoc ſignificat, QUID STAS? quaſi ſit cauſa properandi. UBI VIS, NON MOROR.] Ad, EAMUS AD COENAM, UBI VIS retulit: Ad, QUID STAS? NON MOROR.

8. QUASI NUNC EXEAM] Mire, NUNC EXEAM, quippe qui jamdudum procul ſteterit.

9. ITURANE, THAIS, QUOPIAM ES?] Ut experiatur Thaidis animum, fingit neſcire quo eat. EHEM! PARMENO] Vide deprehenſam meretricem velle blandimentis ſatisfacere Parmenoni.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virgilii*] Aen. VI. 664.

7. *Et debet eſſe*] Edd. Venetae: *Qui & debet eſſe.* Dixit autem: *cum pejoris conditionis ſit*, non quod Gnatho liber, Parmeno ſervus eſſet, ſed quod hic non eadem, qua ille, gratia valeret apud Thaidem; atque adeo verſutior fingendus, ad Thaidis gratiam ſibi conciliandam, pulſo Gnathone.

COMMENTARIUS.

me meritorum, ut, quoniam tu, niſi perfecta re de *me non conquieſti, ego, quia non idem in cauſa tua faciam, vitam mihi acerbam putem.*

6. EAMUS ERGO AD COENAM.] Obtinet morem ſervorum & paraſitorum, mentionem coenae vel in rebus graviſſimis ingerentium. Sic Adelph. III. 4. 57. & IV. 2. 49.

7. EX HOMINE HUNC NATUM DICAS.] Si τὸ HOMINE capias de Thraſone, ſenſus erit, *Dicas hunc alterum natum, ex iſtoc homine*; ita ſcilicet pares ſunt invicem. Quod Plautus Menaechm. V. 9. 30. dixit,

Neque aqua aquae, neque lacte eſt lacti, crede mihi, uſquam ſimilius,

Quam hic tui eſt, tuque hujus.

Sic Heaut. V. 3. 18. Cic Philipp. XI. 3. *Imaginem M. Antonii crudelitatis in Dolabella cernitis: ex hoc illa efficta eſt.* Quae explicatio ſi minus placet, ecce alteram, EX HOMINE HUNC NATUM DICAS? q. d. credas, hunc hominem eſſe, & non potius belluam? Si ita accipias, contumelia erit gravior. Sic infra verſu 36. Plaut. Mil. II. 2. 80.

Merus

Bene feciſti : hodie itura. *Pa.* Quo ? *Th.* Quid ? hunc non vides ?
Pa. Video, & me taedet. ubi vis, dona adſunt tibi
A Phaedria. *Thr.* Quid ſtamus ? cur non imus hinc ?
Pa. Quaeſo hercle ut liceat, pace quod fiat tua,

Dare

DONATI.

10. BENE FECISTI] Quid bene fecit Parmeno ? An quaſi perturbata haec loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix & faceta ? An quod illuſerit convicio ? HODIE] Dulciter additum HODIE, quaſi cum exceptione : quo ſe ſignificat non perpetuo obſecuturam militi : & ut quae promiſerit, biduum tantum abfuturum Phaedriam. QUID ? HUNC NON VIDES ?] ⁸ Si dixerit *militem*, laedit praeſentem ; ſi *amicum*, laedit Parmenonem. Mire igitur pronomen invenit.

11. VIDEO, ET ME TAEDET.] Opportune Parmeno fatetur odium militis, ut retundat ab eo amorem Thaidis. UBI VIS, DONA ADSUNT TIBI A PHAEDRIA.] Nil potuit exitioſius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret munus, & poſterior, & coram ipſo. DONA ADSUNT TIBI A PHAEDRIA.] Cum illa ſub pronomine celavetit nomen militis, ex arte Parmeno pronunciavit, A PHAEDRIA.

12. QUID STAMUS ?] QUID STAMUS ? ad moram refertur. QUID STAMUS ?] His verbis miles inſulſus dolere ſe indicat. CUR NON IMUS HINC ?] Ubi ſervus rivalis eſt Parmeno.

13. PACE QUOD FIAT TUA] PACE, aut gratia, aut voluntate : & deeſt *cum*. Et ſic locutus eſt, quaſi bellum his verbis omnibus indixerit. PACE QUOD FIAT TUA, DARE HUIC QUAE VOLUMUS, CONVENIRE ET CONLOQUI.] Proprie : quia *pax*, *datio*, *deditio*, *conventio*, *colloquium*, militiae verba ſunt : & invidioſe ſic ait, quaſi per eum non accipere liceat dona Thaidem. Et ſic pronunciandum, ut ſubaudiatur *vel* : ut ſit, vel dare, vel convenire, & colloqui : ut inter hoſtes ſolet. ⁹ *Salluſtius : Quae pacta in conventione non praeſtitiſſent*. Et alibi, *Cujus ad verba voluntate, colloquio militibus premiſſo, corruptio facta paucorum, & exercitus Syllae datus eſt.*

OBSERV. IN DONAT.

8. *Si dixerit militem*] Edd. Venetae : *ſi dixit ad militem*, & mox, *ſi ad amicum*. Fortaſſe legendum : *Si d cat* militem, *laedit praeſentem ; ſi dicat* amicum, *laedit Parmenonem*.

9. *Salluſtius*] Uterque locus in Fragmentis eſt. Sed alter ita legendus : *Cujus adverſa voluntate, colloquio militibus permiſſo, corruptio facta paucorum, & exercitus Syllae datus eſt.* Ubi *adverſa* valet, animadverſa. Vide Douzam ad h. l.

COMMENTARIUS.

Herus meus elephanti corio circumtentus eſt,
non ſuo:
Neque habet plus ſapientiae, quam lapis.

10. BENE FECISTI.] Rogat Donatus, *Quid bene fecit Parmeno ?* Mihi nulla obſcuritas videtur in hiſce verbis Thaidis. Ipſa enim exitura, & jam in procinctu ſtans, ubi videt Parmenonem, BENE FECISTI, inquit, adveniendo ſcilicet, ſi vis me conventam ; nam HODIE, i. e. jam jam ITURA eram. Venis igitur in ipſo articulo ; nam paullum ſi ceſſaſſes, domi me non offendiſſes.

TH. QUID ? HUNC NON VIDES ? PA. VIDEO, ET ME TAEDET.] Haec ſubmiſſe, Thraſone ad conſpectum rivalis ſervi paullum averſo.

11. UBI VIS, DONA ADSUNT TIBI A PHAEDRIA.] Scilicet audierat Parmeno, Thraſonem dicentem, UBI VIS, NON MOROR. Aegre igitur illi facturus, qui invitus retinebatur, clare pronunciat itidem, UBI VIS. Mſ. Lipſ. non agnoſcit τὸ TIBI.

13. PACE QUOD FIAT TUA.] Eleganter ad militem nil niſi caedem ſpirantem. Habetque formulae ſpeciem. Plaut. Amph. I. 232.

Obſecro, ut per pacem *liceat te alloqui.*

Cic. Fam. VII. 17. Pace tua *dixerim*. Catull. Carm. LXIV. 71.

Pace tua *fari haec liceat, Rhamnuſia virgo.*

Petron. cap. 2. Pace veſtra *liceat dixiſſe*. Ubi vide Interpretes.

Dare huic quae volumus, convenire & conloqui.
Thr. Perpulchra credo dona, haud noſtris ſimilia.
Pa. Res indicabit. heus jubete iſtos foras
Exire, quos juſſi, ocius. procede tu huc.
Ex Aethiopia eſt uſque haec. *Thr.* Hic ſunt tres minae.

Gn.

DONATI.

14. DARE HUIC QUAE VOLUMUS.] Haec ſingula cum invidia pronuncianda ſunt. CONVENIRE ET CONLOQUI.] Sic pronunciandum eſt, ut quaſi dicat, liceat per te, miles, quod etiam inter hoſtes, & in bello licet.

15. PERPULCHRA CREDO DONA] *Eiρωνεία* de fiducia pulchrae virginis. NOSTRIS SIMILIA.] Et *his ſimilia*, & *horum ſimilia*, dicimus.

16. RES INDICABIT.] Scit Eunuchi nomen poſſe contemni: & ideo videri vult potius, quam ſperari munera ſua, id eſt, Chaeream. JUBETE ISTOS FORAS EXIRE, QUOS JUSSI, OCIUS.] Cum fiducia & alto vultu pronunciat; & feſtinat, ne occupet miles prius abire, quam videat. Et eſt ordo, OCIUS EXIRE.

17. PROCEDE TU HOC.] Bene PROCEDE dixit, non *accede*, aut *veni*: ut appareat dignitas in inceſſu. Et callide ab inferiore incipit munere, hoc eſt, a puella ad Chaeream venturus, ſimul ut a vero mancipio incipiens, ad falſum ſine ſuſpicione tranſiret.

18. EX AETHIOPIA EST USQUE HAEC.] Quod Thais cupiebat. Nam ſupra, NONNE UBI DIXTI CUPERE TE EX AETHIOPIA ANCILLULAM. USQUE additum, ut longinquitas monſtraretur. [10] Et hoc eſt quod facit, MUNUS NOSTRUM ORNATO VERBIS, QUOD POTERIS. EX AETHIOPIA EST USQUE] Hic oſtendit quid ſit *ex Aethiopia*, addendo USQUE: ut ex longinquitate dignitas muneris ponderetur. Et quid erit jam criminis in colore, quando ipſe dicere gloriatur unde ſit? Et mire ab inferiore coepit, ut *αὔξησιν* doni faceret in Chaerea: & turpi praecedente lenocinium comparat ſecuturo pulchro. USQUE modo adverbium de loco eſt: ut, [11]

Siculo proſpexit abuſque Pachinno.

HIC SUNT TRES MINAE.] Callide munus ad pretium revocavit, ut ad avaritiam converteret meretricem: ne officio donantis & gratia leniretur. Et ideo non dixit, *tribus minis valet*, ſed, HIC SUNT TRES MINAE: quaſi jam vendenda ſit.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Et hoc eſt, quod facit*] Editi veteres: *Et hoc eſt quod facit ſupra.* Lego: *Et hoc eſt, quod Phaedria a t ſupra.* Vide II. 1. 6. Scilicet ex PH. *ait* natum *facit.* Abr. Wielingio placebat, *Hoc eſt quod facit.*

11. *Siculo*] Virg. Aen. VII. 289. ubi vulgo editur, *Pachyno.*

COMMENTARIUS.

15. HAUD NOSTRIS SIMILIA.] Ita & Priſcianus citat, Inſtit. Grammat. Lib. XIV. & XVII. Faërnus tuetur, AUT. quod & Cl. Perizonio placebat. In libris antiquis, Mſſ. & editis utrumque invenias. Παράλληλον eſt illud Alcumenae apud Plautum, Amph. I. 3. 39.

Ecaſtor condignum donum, quali' eſt, cui dono datu' eſt.

16. HEUS, JUBETE ISTOS FORAS EXIRE, QUOS JUSSI, OCIUS. PROCEDE TU HUC.] Sunt, qui maximam *στιγμὴν* poſt JUSSI ponunt. Minus accurate. Primum enim in vicinia erant aedes Phaedriae; ut adeo ſufficeret *ocius* exire ex aedibus, quo facto jam erant in conſpectu Thaidis, nec jam amplius opus erat, *ocius procedere.* Deinde Chaeream, majus multo donum puella illa ex Aethiopia ſimpliciter alloquitur ſervus, UBI TU ES, DORE? ACCEDE HUC. Ubi illud OCIUS aptius addi potuerat, neque tamen additur. Accedit auctoritas Donati.

18. USQUE] Emphaſin habet in magno temporis vel loci ſpatio. Plaut. Curc. II. 2. 18.

Ellum uſque *in platea ultima.*

Dixit autem EX AETHIOPIA EST USQUE HAEC, ut Virgilius Aeneid. IV. 480.

Oceani finem juxta, ſolemque cadentem,
Ultimus Aethiopum locus eſt.

Suet. Vitell. 13. *Muraenarum lactes a Carpathio* uſque

Gn. Vix. *Pa.* Ubi tu es, Dore? accede huc. hem Eunuchum tibi!
Quam liberali facie, quam aetate integra!
Th. Ita me Dî ament, honeſtus eſt. *Pa.* Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraſo?
Tacent: ſatis laudant. fac periculum in literis,

Fac

DONATI.

19. Vix] Aut *difficile* ſignificat, aut *non*: ut ſit, *nec hoc. Lucilius: Carcer vix carcere dignus.* Ubi tu es, Dore?] Tanquam quaerat eum, ut nomen indicet: quo audito magis diſſimulet Chaeream. Accede huc.] Vultu eo dicitur, quo debuit dicere, & dicto aemulorum laeſus, & confidentia deſtitutus, velut in eo dumtaxat conſpectu Chaereae confidens. Hem Eunuchum tibi!] [12] Mire poſtquam dixit,

---- Eunuchum porro dixti velle te,
Quia ſolae utuntur his reginae; repperi.

20. Quam liberali facie] Non narrative laudat, ſed per interrogationem, quae major fiducia eſt. Quam aetate integra!] Id eſt, qua florent puberes, ut [13] *Virgilius*,

atque integer aevi
Aſcanius.

21. Ita me Dî ament.] Juravit ideo, ut non amore Phaedriae, ſed veritate cogi ad laudandum videatur coram milite. Honestus] Pulcher. [14] *Virgilius*,

Et laetos oculis afflarat honores.

Honestus] Hic ſubdidit, quod in ancilla praetermiſit, quia Aethiopiſſa honeſta dici non potuit.

22 Numquid habes] Habes pro inveniſti. Quod contemnas?] Plus eſt contemnas, quam *vituperes*: & deeſt, *in hoc*: ut ſit, *numquid habes, quod in hoc contemnas?*

23. Tacent: satis laudant.] Taciturnitas, confeſſionis genus eſt, praeſertim contra adverſarii interrogationem. Ideo tacere hoc, vel quaſi laudis argumentum eſt: quia ſupra tacere vituperavit: ideo & ipſe ſic ait, Quid tu ais, Gnatho? numquid habes, quod contemnas? Tacent: satis laudant. Et, Quid tu autem, Thraso? quia ſupra contempſerat puellam. Fac periculum in literis, fac in palaestra, in musicis.] Si totum ſingulariter diceret, esset ὁμοιοτέλευτον, *Litera, palaeſtra, muſica.*

OBSERV. IN DONAT.

12. *Mire*] Legendum ex veteribus veſtigiis: *Mire, poſtquam* Eunuchum *dixit*, tibi *intulit. q. d. Eunuchum dixti velle te, Eunuchum tibi repperi.*

13. *Virgil.*] Aeneid. IX. 255.

14. *Virgilius*] Aeneid. I. 591.

COMMENTARIUS.

que, *fretoque Hiſpaniae.* An, *A Parthia uſque?*

23. Tacent: satis laudant.] Mſ. Lipſ. Tacent. laudant. Ita Cic. Catil. I. 8. *Dum tacent, clamant.* Stobaeus Tit. LXXVII. refert e Menandro:

Θυγάτηρ ἐπίγαμος κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.

Baſilius Magnus in princip. Proverb. Salom. Αὕτη σιωπῶσα βοᾷ. *Ipſa tacens clamat.* Cic. pro Sext. 18. *Me vero non* (movebat) *illius oratio, ſed etiam eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur: qui tum, quanquam ob aliam cauſam tacebant, tamen hominibus, omnia timentibus*, tacendo loqui, *non inficiando confiteri videbantur.*

Fac periculum in literis.] E Xenophonte laudat Turnebus Adverſ. XXVII. 26. Εὐθὺς δὲ πέμπουσιν εἰς διδασκάλων, μαθησομένους καὶ γράμματα, καὶ μουσικὴν, καὶ τὰ ἐν παλαίστρᾳ. Unde Terentiana videntur expreſſa. Muretus vero ex Ariſtotelis Polit. VII. citat haec: ἔστι δὲ τέτταρα σχεδὸν, ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα, καὶ γυμναστικὴν, καὶ μουσικὴν, τέταρτον ἔνιοι γραφικήν. Sunt autem, qui *Literas* de arte Arithmetica intelligunt, quod in ea Literis uterentur veteres. Non obſtat tamen, quo minus

nus

Digitized by Google

Fac in palaeſtra, in muſicis: quae liberum
Scire aequum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.
Thr. Ego illum Eunuchum, ſi opus ſit, vel ſobrius.
Pa. Atque haec qui miſit, non ſibi ſoli poſtulat
Te vivere, & ſua cauſa excludi caeteros.

Neque

DONATI.

24. QUAE LIBERUM SCIRE AEQUUM EST] Quondam liberi pueri his artibus erudiebantur. Et eſt figura ἔλλειψις: deeſt enim, *His.*

25. SOLERTEM] Id eſt, diſertum. Utrum *haec ſolertem.* Ut [15] *Horatius*,

Docte ſermones utriuſque linguae.

An aſſumendum eſt *His* extrinſecus? SOLERTEM] Deeſt, *His. Solers*, quaſi totus ex arte conſiſtens, ut ὅλος ἀρετὴ, quod Latinis verbis, quaſi *ſolus in arte* ſit. Huic *iners* contrarium. Nam *ſolers*, quaſi ὅλος ἀρετὴ dictus. Ὅλον *ſolum. ut* ἕξ *ſex*, & ὗς *ſus* dicimus.

26. EGO ILLUM EUNUCHUM, SI SIET OPUS, VEL SOBRIUS.] Hoc ut militare eſt, ita importunum praeſente Thaide: extra quam, miles ſi ſaperet, nihil amatorie contemplari debuit. Sed & hoc accedit ad ejus odium: praeterquam quod jam in ſuſpicione eſt amicae ſuae, quod fidicinam magis diligat. Et hoc mire, quod nemo prior Eunuchum eſſe Chaeream, quam miles, credidit: adeo ſtultus etiam nomine ipſo appellavit. Sed ſtatim ſtulte miles, primo quidem convicium ipſi Eunucho facit: in quo poteſt jam laedere amicam. Deinde atteſtatur hoc dicto pulchritudinem hujus muneris. Quid igitur proficit? Satis autem joculare eſt, ſi cogites Chaeream eſſe, qui haec de ſe audiat, & tacere cogatur. VEL SOBRIUS.] Honeſta Ἔλλειψις, propter mulieris praeſentiam. Ut [16] *Virgilius*,

Novimus & qui te.

Et ipſe in Hautont.

Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam.

Hoc tamen miles coactus a Parmenone dicit; quia reprehenſus eſt tacuiſſe.

27. ATQUE HAEC QUI MISIT] Id eſt, tanta munera. Hoc enim HAEC ſignificat. NON SIBI SOLI POSTULAT] Hoc eſt, ISTUM AEMULUM, QUOD POTES, AB IPSA PELLITO.

28. SUA CAUSA EXCLUDI CAETEROS.] Nihil potuit dici invidioſius. Non enim dixit *Phaedriam*, ſed CAETEROS, quaſi futuri amatores fuiſſent, niſi metueretur exemplum Phaedriae.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Horatius*] Carm. III. 8. 5.

16. *Virgilius*] Ecl. III. 8.

COMMENTARIUS.

nus de Literis Humanitatis, ſtudiiſque liberalibus capiamus. Adde Nep. Praefat & Epam. 2. Exercitia juventutis recenſet Plautus, Bacchid. III. 3. 20. ſeqq. Moſtell. I. 2. 45. & 73. 74. & Lucianus in Amoribus.

24. MUSICIS] Intelligit *canendi artem.* Poëtica enim ars LITERIS continetur.

LIBERUM] Omnis pronunciandi vis in hac voce eſt; pertinebatque id ad commendationem ſolertiae in Chaerea; qui quum crederetur eſſe ſervus & Eunuchus, non minus tamen ſciens ſit harum artium, quam liberum adoleſcentem deceat. Scilicet & ſervi Literas docebantur, quo vel carius venirent, vel meliora officia praeſtarent dominis. Horat. Lib. II. Epiſt. 2. 6.

Verna miniſteriis ad nutus aptus heriles:
Literulis Graecis imbutus, idoneus arti
Cuilibet.

26. EGO ILLUM EUNUCHUM, SI OPUS SIT, VEL SOBRIUS.] Turpiſſimae rei ἀκοσιώπησις, praeſente muliere. Niſi forte ſoli Gnathoni ſuo haec dixit, Thaide in ſermonem Parmenonis intenta. Lucian. Dial. Deor. Καλὸς γὰρ εἶ, καὶ κομήτης, ὡς καὶ νήφοντα ἄν σοι τὸν Περίαχον ἐπιχειρῆσαι. *Formoſus enim tu & comatus es, ut vel ſobrius*

Digitized by Google

Neque pugnas narrat, neque cicatrices ſuas
Oſtentat: neque tibi obſtat, quod quidam facit:
Verum ubi moleſtum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, ſat habet, ſi tum recipitur.
Thr. Apparet ſervum hunc eſſe domini pauperis

Miſe-

DONATI.

29. NEQUE PUGNAS NARRAT] Deſcriptio militis, tantum excepto nomine. NEQUE CICATRICES] Inſigne foeditatis. Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent? Nam cicatrices etſi ſemper glorioſae ſint, non tamen etiam apud meretrices, quibus poſt pretium forma placet. Ut [16] *Salluſtius* quoque fatetur, *Haec ſunt virtutis inſignia: dehoneſtamento tamen eſſe corpori, maxime laetabatur.*

30. NEQUE TIBI OBSTAT.] Qui a te repellat amatores tuos. QUOD QUIDAM FACIT.] QUIDAM recte. Nam & figuratum & aptum ſententiae eſt, & contemptum indicat hoc verbum.

31. UBI MOLESTUM NON ERIT] Ad ſuperiora retulit, quod nunc dicit: Scilicet ad NON SIBI SOLI POSTULAT TE VIVERE, ET SUA CAUSA EXCLUDI CAETEROS: NEQUE PUGNAS NARRAT, &c. UBI MOLESTUM NON ERIT, UBI TU VOLES. Ad, NEQUE TIBI OBSTAT: UBI TEMPUS TIBI ERIT. Et mire occupat animum meretricis, cum illam hujus impulſu inducit facere, quidquid dnre fecjt excludendo Phaedriam. Hic igitur qui ſcit praecepta de beneficiis aeſtimandis, intelligit oratorie in utramque partem dicta omnia. VERUM UBI MOLESTUM] Utrum tibi moleſtum, an aliis? ſed aliis, quia illaturus eſt.

32. UBI TEMPUS TIBI ERIT] Non amatori. Et *ubi tu voles:* non ut nunc in milite pateris. UBI TEMPUS TIBI ERIT, SAT HABET, SI TUM RECIPITUR.] His dictis & militem repulit ab animo meretricis, & commendavit adoleſcentem: & perfecit, ne injuria videatur apud Thaidem, quod ſponte ſuſceperit Phaedriam.

33. APPARET SERVUM HUNC ESSE DOMINI PAUPERIS] Triſtiores enim ſunt ſervi pauperum, & ob hoc ipſum nequiores. Et hoc melius erat: quamvis illud aliter Paraſitus exponat. DOMINI PAUPERIS MISERIQUE.] Bene additum MISERI: quia non continuo pauper etiam miſer eſt.

OBSERV. IN DONAT.

16. *Salluſtius*] Locus incertus.

COMMENTARIUS.

brius Priapus ille aggredi te queat. Verba Bacchi ad Apollinem.

29. PUGNAS NARRAT.] Exemplum eſt Pyrgopolinices, apud Plautum, Mil. I. 1. ſed & Stratophanes, qui Truc. II. 6. 1. ita:

Ne exſpectetis, ſpectatores, meas pugnas dum praedicem:
Manibus duelli praedicare ſoleo; haud in ſermonibus.

CICATRICES SUAS OSTENTAT.] Ovid. Amor. III. 8. 19.

Cerne cicatrices, *veteris veſtigia pugnae.*

30. QUOD QUIDAM FACIT.] Τὸ QUIDAM in contemtu dicitur. Sic Plaut. Amph. I. 1. 165.

Olet homo quidam, *malo ſuo.*

Trin. II. 2. 61.

Sed ego hoc verbum cum illi cuidam *dico, praemonſtro tibi.*

Similiter Graecorum τὶς & δεῖνα. Parmeno autem memor praecepti herilis, ſupra II. 1. 8.

Munus noſtrum ornato verbis, quod poteris: & iſtum aemulum,
Quod poteris, ab ea pellito,

Poſtquam munera collaudaſſet, nunc accingitur, ut invidioſis verbis animum Thaidis paullatim elabi faciat Thraſoni. Quae erudita Eugraphii obſervatio eſt.

31. UBI MOLESTUM NON ERIT, UBI TU VOLES, UBI TEMPUS TIBI ERIT, SAT HABET, SI TUM RECIPITUR.] Come verborum officium, ſimul

Digitized by Google

Miſerique. *Gn.* Nam hercle nemo poſſet, ſat ſcio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Pa. Tace tu, quem ego eſſe infra infimos omneis puto
Homines: nam qui huic animum aſſentari induxeris,
E flamma petere te cibum poſſe arbitror.
Thr. Jamne imus? *Th.* Hos prius introducam, & quae volo,
Simul imperabo: poſt continuo exeo.
Thr.

DONATI.

34. Nam hercle namo posaat.] Secundum illud, Ait, aio, approbat paraſitus quod miles dixit. Et eſt ordo, *Nam hercle ſatis ſcio, nemo poſſet hunc perpeti, qui haberet, qui pararet alium ſervum.* Nam hercle nemo posset.] Aliam cauſam ſubtiliorem aſſignat Paraſitus, quam quam dixerat miles.

35. Qui haaberet, qui pararat.] Prius Qui, pronomen: ſequena adverbium eſt.

36. Quem ego esse puto infra omnis infimos homines.] Multum dixit, infra infimos omnis homines. Nam haec ſententia vult illum hominem ſervis etiam eſſe pejorem: quia & ſervus, homo. Ut in Phormione,

Servum hominem cauſam orare leges non ſinunt.

37. Qui huic animum assentari induxeris.] Proprie: nam *animus inducitur* adverſum objectas difficultates.

38. E flamma te petere cibum posse arbitror.] Unde ſine damno aut malo nihil poteſt auferri. E flamma] Hoc intelligit non ex foco, ſed ex medio igni, vel incendio flammae. Nam antiquum verbum eſt, *Petere cibum e flamma.* mordetque utrumque ſimul: ut neſcias quem pejus v.tuperaverit, hujuſne famem, an illius immanitatem, vel voraginem. Et ſimul vide convicium redditum, unde conjectum eſt: id eſt, de paupertate & egeſtate.

39. Jamne imus?] Odium Parmenonis, & ſtomachum militis iſta indicat feſtinatio. Et Jam increpatio morae eſt.

40. Post huc continuo exeo.] Legitur & postea, ut ſit post pro *poſtea.* [17] ΑΠΟΡΩΤΙΗΔΕ * [18] quomodo pro poſtremo *poſt.*

OBSERV. IN DONAT.

17. ΑΠΟΡΩΤΙΗΓΕ*] Senſus poſtulat, ut legatur: ΑΠΟΚΟΠΗ τῦ ΕΑ.

18. *Quomodo pro poſtremo poſt.*] Mſ. Hulſt. *Quomodo* poſt *pro* poſtremo.

COMMENTARIUS.

exprimens indolem & morem meretricum, cupidos amantes eludendo & differendo magis etiam incendentium. Pluribus haec exſequutus eſt Plautus, Mil. II. 2. 95. ſeqq.

trecentae poſſunt cauſae colligi:
Non domi eſt; abiit ambulatum; dormit; ornatur; lavat;
Prandet; potat; occupata 'ſt; operae non eſt; non poteſt.
Quantum vis prolationum.

36. Esse infra infimos omnas puto.] Ovid. Triſt. V. 8. 1.

Non adeo cecidi, quamvis abjectus, ut infra
Te quoque ſim: inferius quo nihil eſſe poteſt.

C. Grachus apud Gell. XV. 12. *Omnium natorum poſtremiſſimus & nequiſſimus.* Ita Paulus Apoſtolus de ſemet, Eph. III. 8. Ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων τῶν ἁγίων. q. d. *Mihi minimis omnium ſanctorum minori.*

38. E flamma petere te cibum posse arbi-

Thr. Ego hinc abeo, tu iſtam opperire. *Pa.* Haud convenit
Una ire cum amica imperatorem in via.
Thr. Quid tibi ego multa dicam? domini ſimilis es.
Gn. Ha, ha, he. *Thr.* Quid rides? *Gn.* Iſtuc quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.
Sed Thais exit. *Thr.* Abi prae, curre, ut ſint domi
Parata. *Gn.* Fiat. *Th.* Diligenter, Pythias,
Fac cures, ſi Chremes huc forte advenerit,

Ut

DONATI.

41. Ego hinc abeo.] Conſequens erat ut offenderetur miles, tam diligenter rivalis munus ſuſcipiente meretrice.

42. Una ire cum amica imperatorem in via.] Vide προπαρασκευὴ futurae litis inter Thaidem & militem. Cum amica.] Mirifice *amicam* dixit, non *meretricem*. Imperatorem in via.] Congrue in militem: quaſi ipſe ſit, ſub quo eſt. Et hic ſervat Parmeno, quod ſibi mandatum eſt, *Et iſtum aemulum, quod poteris, ab ea pelliso.* Et bene mutat nomina, hinc ad honorem, hinc ad invidiam. Hanc, non *meretricem*, ſed *amicam* dixit: hunc, non *militem*, ſed *imperatorem*.

43. Quid tibi ego multa dicam?] Non habuit aliud miles ſtultus: & redit ad illa quae ſupra dixit, Domini pauperis miſerique. Domini ſimilis es] Ineptus jocus, in quo ſervus injuriae vice domino comparatur.

44. Quid rides?] Et hoc eo vultu dicitur, quaſi ſibi conſcius ſit miles facete dicti convicii. Nam non quod neſciat cauſam riſus, eo interrogat quid riſerit: ſed ideo, ut denuo laudetur.

45. Et illud de Rhodio dictum.] Hoc eſt illud, *Eorum ingenia admiror ſimul.* Et huic, ut apparet, ſit amicior: ideo facilius ab amica, quam a paraſito ſeparabitur.

46. Abi prae, curre, ut ſint domi parata omnia.] Non dixit *quaè*: quia intelligitur. Domi ut ſint parata omnia.] Ἔλλειψις ἠθικὴ, in qua plus vultu ſignificatur, quam verbis.

47. Fiat] *Faciam*, vel *fiet*, diceret ſervus: liber vero, fiat: tanquam & ipſe jubeat ſibi.

48. Si Chremes huc forte ad me venerit.] Οἰκονομία ad litem futuram, & exitum fabulae. Et hoc non audit miles: nam ſi audiret, nimis iraſceretur.

COMMENTARIUS.

arbitror.] Ductum proverbium ab iis, qui prae nimia paupertate cibos petebant a coenis mortuorum. Catull. Carm. LVII.

> *Bononienſis Ruſa Ruſulum fellat*
> *Uxor Meneni? ſaepe quam in ſepulcretis*
> *Vidiſtis* ipſo rapere de rogo coenam;
> *Quum devolutum ex igne proſequens panem*
> *A ſemiraſo tonderetur uſtore.*

Cujuſmodi hominem Plautus *buſtirapum* vocat. Pſeud. I. 3. 127. Idem Rud. I. 2. 52.

> *Heus tu! qui fana ventris cauſa circumis,*
> *Jubere melius eſt prandium ornari domi.*

Graeci ejuſmodi ſcurras βωμολόχους vocabant. Vide muſcam id ſibi laudi ducentem apud Phaed. IV. 23.

39. Quae volo, simul imperabo] M. Lipſ. non agnoſcit τὸ simul.

43. Quid tibi ego multa dicam?] Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. Quid tibi ego plura dicam? Mox eodem Libro: Quid multa tibi dicam?

46. Abi prae, curre.] In aliis eſt: Abi, praecurre. Exiguo diſcrimine, quod ad ſenſum attinet. Pro illis autem, Ut sint domi parata, Mſſ. pluſculi, cum editis, Ut sint domi parata omnia. Mſ. Mark. Ut sint domi omnia parata.

Digitized by Google

Ut ores, primum ut maneat: ſi id non commodum eſt,
Ut redeat: ſi id non poterit, ad me adducito.
Py. Ita faciam. *Th*. Quid? quid aliud volui dicere?
Ehem, curate iſtam diligenter virginem:
Domi adſitis, facite. *Thr*. Eamus. *Th*. Vos me ſequimini.

DONATI.

50. AD ME ADDUCITO.] Modo *ubi ſum* ſignificat.

51. QUID? QUID ALIUD VOLUI DICERE?] Pro, *quid aliud*? hinc eſt illud [19] *Ciceronis, Quem, quemnam? recte admones: Polycletum eſſe dicebant.*

52. CURATE ISTAM DILIGENTER VIRGINEM] Haec res eſt, quae faciet virginem claudi, in lectulo collocari, & obdormire. CURATE ISTAM DILIGENTER VIRGINEM.] Ridiculum, quum contra eventurum ſit.

53. VOS ME SEQUIMINI.] *Κωφὰ πρόσωπα* ſunt puellae, quae ſequuntur.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Ciceronis*] Verr. IV. 3.

COMMENTARIUS.

50. AD ME ADDUCITO.] Mſ. Lipſ. AD ME DEDUCITO.

51. QUID? QUID ALIUD VOLUI DICERE? EHEM.] Sic Cic ad Q. Fr. III. 1. *Quid praeterea? quid? etiam.* Idem Att. I. 17. *Quid aliud ſcribam ad te? quid? multa ſunt: ſed in aliud tempus.* Vide ad And. V. 1. 22.

53. DOMI ADSITIS.] Mſ. Lipſ. DOMI UT SITIS.

ACTUS TERTII

SCENA TERTIA.

CHREMES. PYTHIAS.

Ch. PROFECTO quanto magis magiſque cogito,

Nimi-

DONATI.

1. PROFECTO QUANTO MAGIS MAGISQUE COGITO.] Haec perſona apud *Menandrum*, adoleſcentis ruſtici eſt, & [1] inconſequens oratio eſt. Sed conceditur ſecum loquentibus multa tranſcendere, quae taciti intelligunt: eſt enim integrum hoc modo, *Profecto quanto magis magiſque cogito, nimirum intelligo vel invenio, quod dabit haec Thais mihi magnum malum.* Poteſt autem *nimirum* & pro confirmatione accipi, ut nihil deſit: ut ſit *nimirum*, ſine dubio, pro certo.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Inconſequens*] Editio Argentina, *inconveniens*.

2. Ni-

Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea aſtute labefactarier.
Jam tum cum primum juſſit me ad ſe arceſſier;
Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem;
Ubi veni, cauſam, ut ibi manerem, repperit.
Ait, rem divinam feciſſe, & rem ſeriam

Velle

DONATI.

2. NIMIRUM DABIT HAEC THAIS MIHI MAGNUM MALUM.] Solve NIMIRUM, & fac, *non eſt mirum*: & ſtatim conſequens erit per *ἀσύνδετον* tota ſententia, quaſi dixerit, *non eſt mirum*: & ſubdiſtinctione interpoſita mox intulerit, DABIT HAEC THAIS MIHI MAGNUM MALUM. Nam *Ni*, ne ſignificat: & *Ne* non. *Ni* pro ne: [2] *Virgilius*,

Laeti diſcrimine parvo
Ni teneant.

Ne pro non: [3] *Plautus*, *Ne vult*, inquit, pro non vult. NIMIRUM DABIT HAEC THAIS MIHI MAGNUM MALUM.] His verbis intelligitur ſe ſentire paulatim labi in amorem meretricis, quamvis invitum, & adhuc retinentem mentem.

5. ROGET QUIS, QUID TIBI CUM ILLA?] Prius intulit, quam interrogavit.

6. UT IBI MANEREM] MANEREM, modo, non dormirem, ſed remanerem ſignificat.

7. ET REM SERIAM VELLE AGERE MECUM.] Scilicet, quae non poſſet nunc agi, cum operetur. An rem ſeriam magis agendam tunc putabat, cum rem divinam feciſſet?

OBSERV. IN DONAT.

2. *Virgilius*] Aeneid. III. 685. quod vero *laeti* vulgo editur, legendum eſt *lethi*. i. e. mortis.

3. *Plautus*] Epid. IV. 2. 16.

COMMENTARIUS.

3. ITA ME VIDEO AB EA ASTUTE LABEFACTARIER.] Sollicitat hanc lectionem Guyetus, dicens τὸ LABEFACTARIER hic nullum habere locum. Subſtituit igitur, TRACTARIER. Scilicet quia in Mſ. Pal. legitur, TACTARIER. Quem vero adfert locum, ex hac Fabula V. 4. 2.

Quod ſi aſtu rem tractavit,
Is bona fide *ἀπεσοδιώνυος* eſt. Aliud eſt, *tractare rem*, aliud, *tractare hominem*. Alter locus eſt Heaut. II. 3. 125. Verum & ibi *tractabat* valet, lactabat & falſa ſpe producebat. Quod vero dicit Guyetus, τὸ LABEFACTARIER hic nullum locum habere, gratis quidem dicit. Sane *labefactatur* quis, quum ſenſim convellitur & a propoſito abducitur. Quod h. l. vel maxime in Chremetem convenit, tenaciſſimum propoſiti de non amanda Thaide, non agnoſcenda ea ſorore ſua, neque de amittendo rure. Ita plane eſt apud Plautum, Merc. II. 3. 68.

Labefacto *paullatim.*

6. UT IBI MANEREM] H. e. ſecum coenarem. Infra IV. 1. 8. Virgil. Aeneid. IV. 51. de ſimili re:

Indulge hoſpitio, cauſaſque innecte morandi.

7. AIT, REM DIVINAM FECISSE.] Quidam Mſſ. & impreſſi, FECISSE SE. Alii: FECISSE SESE. Intelligit autem ſacrificium Veneri oblatum. Sic Hec. I. 2. 109. Plaut. Poen. III. 5. 3. de haruſpicibus:

Qui in re divina *dudum dicebant, mihi*
Malum damnumque maximum portendier.

Idem ſimpliciter *Facere* dixerunt. Plaut. Aul. IV. 2. 14.

ô Fides,
Mulſi congialem plenam faciam *tibi fideliam.*
Id adeo tibi faciam: *verum ego mihi bibam, ubi id* fecero.

Stich. I. 3. 96.

Jamne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?

Digitized by Google

Velle agere mecum. Jam tum erat ſuſpicio,
Dolo malo haec fieri omnia: ipſa accumbere
Mecum, mihi ſeſe dare, ſermonem quaerere.
Ubi friget, huc evaſit: quam pridem pater
Mihi & mater mortui eſſent. dico, jam diu.
Rus Sunii ecquod haberem, & quam longe a mari?

Cre-

DONATI.

9. Dolo malo haec fiari omnia.] *Dolus* a laedendo dictus, id eſt, a dolando, id eſt, minuendo. Nam & *δόλος* Graece laeſio dicitur: & *dolones*, tela quaedam bellica: 4 & *dolare* fabri, lignum eſt aſcia caedere. Quod autem addidit malo: aut *ἀρχαϊσμὸς* eſt, quia ſic in duodecim Tabulis a veteribus ſcriptum eſt: aut *ἐπίθετον doli* eſt perpetuum: aut diaſtole eſt, quia eſt & *bonus*, quo a medentibus falli aegros, non tamen decipi, *Lucretius* Poëta teſtatur, initio lib. 4. Accumbera mecum.] Macum, penes me ſignificat.

10. Mihi sese dare] Non poteſt magis ſignificari profuſa petulantia. Sermonem quaarere.] *Sermonem quaerimus*, quando non ſolum quod dicamus quaerimus, verum etiam quomodo alter nobis reſpondeat & obloquatur: puta cum deficientibus ſermocinandi cauſis, *quota ſit hora?* &, *ſatis recte quis valuerit?* percontamur.

11. Huc avasit] Tanquam impudenter contenderit ad hanc inquiſitionem. Quam pridem patar mihi at mater mortui essent.] Hoc propter aetatem puellae inquiſitum eſt.

12. Jamdiu.] Jam olim.

13. Et quam longa a mari?] Hoc ideo meretrix inquiſivit, ut ſciret, utrum rapina praedonibus fuiſſet: quippe ad mediterraneum locum, qui acceſſus eſſe potuit Piratis? Sed tamen non abhorret a ſuſpicione hujus meretricis, quod & ſcire vellet, cujus pretii fundum habeat Chremes: hoc eſt, quam amoenum, vel quam maritimum.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Et* dolare *fabri, lignum eſt aſcia caedere*] Editio Argentina: dolare *fabri lignum eſt, aſcia caedere.* Libri Veneti: *aſcia ſcindere.*

5. *Initio Libri* 4.] Haec verba neque Mſ. neque editiones vetuſtiſſimae agnoſcunt, videmurque ex Lindenbruchii obſervationibus irrepſiſſe in contextum. Verba autem Lucretii Lib. IV. verſu 11. ſeqq. ſunt:

Nam veluti pueris abſinthia tetra Medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur.

COMMENTARIUS.

Virgil. Ecl. III. 77.

Cum faciam *vitula pro frugibus, ipſe venito.*

Sed & plurali numero efferunt. Virgil. Aeneid. VIII. 306.

Exin ſe cuncti divinis rebus *ad urbem*
Perfectis referunt.

Rem seriam.] Sic Virgil. Aeneid. IX. 231.

Rem magnam, pretiumque morae fore.

Solebant autem res ſerias & magnas a ſacrificiis fere auſpicari. Ad quod non ſatis attendit Donatus.

9. Dolo malo.] Cic. Off. III. 14. *Sed quid faceret? nondum enim Aquillius, collega & familiaris meus protulerat de* Dolo malo *formulas: in quibus ipſis cum ex eo quaereretur*, Quid eſſet Dolus malus? *reſpondebat*, cum eſſet aliud ſimulatum, aliud actum. *Hoc quidem ſane luculenter, ut ab homine perito definiendi.* Quid porro *Dolus malus*, & quemadmodum differat a *Dolo bono*, explicat & exemplis illuſtrat Ulpianus in l. 1. §. 2. & 3. ff. de Dol. mal. Utriuſque *Doli* differentiam exſequutus eſt Cl. Anteceſſor, Gerardus Noodt, *de Form. emend. Dol. mal. cap.* 1. Conſule porro Summi Viri, Everardi Ottonis Diſſertationem ſingularem *de Dolo Bono.*

Ipsa accumbere mecum.] Scilicet ad convivium

Credo ei placere hoc: ſperat ſe a me avellere.
Poſtremo, ecqua inde parva periſſet ſoror?
Ecquis cum ea una? quid habuiſſet, cum perit?
Ecquis eam poſſet noſcere? Haec cur quaeritet?
Niſi ſi illa forte, quae olim periit parvula

So-

DONATI.

14. Sperat se a me avellere.] Bono uſus eſt verbo avellere, tanquam a pertinaciter retinente.

16. Quid habuisset, cum perit] Cum, pro quando: aut, *cum periret*.

17. Haec cur quaeritet?] In geſtu ac vultu id quod reſtat oſtenditur. Nam deeſt, *neſcio*.

COMMENTARIUS.

vivium ex victima paratum. Mſ. Lipſ. ipsa accumbebat mecum. Id vero probroſum erat non tantum Graecis, ſed & Romanis moribus. Apud illos ſegregabantur a menſa virorum mulieres. apud hos adſidebant ad pedes. Quo ritu dixit Apulejus Metam. I. *Eumque accubantem exigue admodum grabatulo, & commodum coenare incipientem invenio. Adſidebat pedes uxor.* Iſidorus Orig. Lib. XX. cap. 11. Sedes *dictae, quod apud veteres Romanos non erat uſus accumbendi. Unde &* conſedere *dicebantur. Poſtea, ut Varro ait in Vita populi Romani, viri diſcumbere coeperunt, mulieres ſedere, quia turpis viſus eſt in muliere accubitus.* Quanquam id non perpetuo obſervatum. Vide Gulielmi Philandri Caſtilionii Annotationes ad Vitruv. Lib. VI. cap. 5. Sedentes autem ad pedes dicebantur *inferiores accumbere*. Unde P. Scipio Africanus inſectatus mollitiem femineam Sulpicii Galli, inquit: *Qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit.* Gell. VII. 12.

10. Mihi sese dare.] Explicat Guyetus, fruendam ſe mihi exhibere, quantum in ſe erat. Si ita accipias, *τὸ dare*, de muliere dictum *ἐν ἀστχροῖς* erit. Sic Plaut. Pſeud. V. 1. 31.

idem amicas dabam me *meas*,.
Ut me amaret.

Non videtur autem id velle Chremes, quia hujus rei nullam in narrando mentionem facit. Componenda igitur haec phraſis cum illa de Pamphilo, And. I. 1. 36.

iis ſeſe dedere.

H. e. voluntati eorum ſe accommodare. Heaut. IV. 3. 10. Adelph. V. 3. 52. Cic. Att. IX. 5. *Video, ut* ſe *huic* dent, *ut* daturi *ſint*.

Sermonem quaerere.] Optime explicuit Donatus. Belg. *Zy zogt een praetje.* Ovid. Arte Am. I. 143.

Hic tibi quaeratur *ſocii ſermonis origo:*
Et moveant primos publica verba ſonos.

Suet. Claud. 21. *Ac ſaepe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, dominos identidem appellans, immiſtis interdum frigidis & arceſſitis jocis.* Aliud eſt, *Dare alicui ſermonem*. Cic. Fam. IX. 3. *Dabimus ſermonem iis.* h. e. in ſermones incidemus; materiem obtrectandi dabimus.

11. Ubi friget] Farnabio Thais intelligitur. Fortaſſe reſpexit illud: *nimirum hic homines frigent*. Supra II. 2. 37. Guyeto autem *friget* oratio; quum deficit, *calet*, quum abundat. Et ſane videtur de ſermone accipiendum; hunc enim quaerebat Thais. Ubi vero quod amplius quaereret, vel loqueretur, non eſſet, ipſe ſermo *frigere* poterat dici, ſeu *frigidus*. *Frigida* enim dicuntur, in quibus parum eſt gratiae. Vid. J. Fr. Gronov. ad Plaut. Poen. III. 5. 15. Quod & Batavi imitantur. Cic. Fam. III. 8. Refrigerato *jam leviſſimo* ſermone *hominum provincialium*. Sueton. loc. cit.

13. Haberem] Mſ. Lipſ. Habeam. Idem & in aliis Libris eſt.

14. A me avellere.] Mſ. Mark. Se posse a me avellere. Dixit autem, Sperat a me avellere, uti Cic. Fam. II. 10. *Ut ſperes, te aſſequi, quod optaſſes.* Idem pro Flacco 24. *Credo*, avulſum *eſt enim praeter ſpem, quod erat ſpe devoratum lucrum.*

15. Ecqua inde] Mſ. Mark. & edit. 1481. Haec qua in die. Corrupte, ut videtur.

16. Quid habuisset, cum perit?] Reſpiciuntur annuli, aliaeve monumenta, unde poſſet cognoſci. Id familiare Comoediis.

19. Ut.

Soror, hanc ſe intendit eſſe, ut eſt audacia.
Verum ea ſi vivit, annos nata 'ſt ſedecim,
Non major. Thais, quam ego ſum, majuſcula 'ſt.
Miſit porro orare, ut venirem, ſerio.
Aut dicat quod volt; aut moleſta ne ſiet:
Non hercle veniam tertio. Heus, heus. *Py.* Ecquis hic?
Ch. Ego ſum Chremes. *Py.* O capitulum lepidiſſimum!

Ch.

DONATI.

19. HANC SE INTENDIT ESSE] Proprie *intendere*, eſt crimen in adverſarium jacere.

21. MAJUSCULA 'ST] Diminutive dixit, ut oſtenderet [6] utramque eſſe primaevam.

22. MISIT PORRO ORARE.] PORRO, pro poſtea. UT VENIREM SERIO.] Utrum, *ut venirem ſerio*, an *orare ſerio*?

23. AUT DICAT QUID VOLT.] Pio, *quid velit.* In Hecyra,

At vide, quam immerito aegritudo haec oritur
mihi abs te, Soſtrata.

AUT MOLESTA NE SIET] [7] Aut hoc moraliter, (nam cui hoc imperat?) aut cum quo hoc agit.

24. HEUS, HEUS. PY. HIC QUIS EST?] Haec ſeparatim pronuncianda ſunt, nam apparet inter haec verba pulſatam januam perſonare.

25. EGO SUM CHREMES.] [8] Vide quantum diſtet, ac varia ſit hujus ruſticitas, EGO SUM CHREMES: a faceta Meretricis diſciplina. O CAPITULUM LEPIDISSIMUM] Nam ruſticum eſſe ſtatim magis apparebit, ubi dixerit, RUS EO: & *ὑποκορίσματα σὺν* ΠΟΝΙCΜΩ.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Utramque eſſe primaevam.*] Si id credidit Donatus, & ſororem Chremetis, & Thaidem eſſe majorem natu ipſo Chremete, errare videtur. Unde enim conficitur, Chremetem nondum ſexdecim annos fuiſſe natum? Legerim itaque, *utcunque eſſe primaevam.* Mſ. Hulſt. corrupte, *utraque eſſe primae.*

7. *Aut hoc moraliter (nam cui hoc imperat?) aut cum quo hoc agit.*] Parentheſi etiam poſtrema verba includenda eſſe monet Abrah. Wielingius. Poſſit & integra nota fortaſſis ita ordinari: AUT] *Hoc moraliter. nam cui hoc imperat? aut cum quo hoc agit?*

8. *Vide quantum*] Et haec nota diſtinctione & lacuna laborat. Scripſit Donatus: EGO SUM CHREMES] *Vide, quantum diſtet, & varia ſit hujus ruſticitas*, EGO SUM CHREMES, *a faceta meretricis diſciplina*, O CAPITULUM LEPIDISSIMUM. *Nam ruſticum eſſe, ſtatim magis apparebit, ubi dixerit*, RUS EO, *&*, DICO EGO MIHI INSIDIAS FIERI. O CAPITULUM LEPIDISSIMUM] *ὑποκορίσματα σὺν ποππυσμῷ.*

COMMENTARIUS.

19. UT EST AUDACIA] Caſus ſextus eſt, monente Langio ad Cic. Lael. 14. valetque, *qua eſt audacia.*

21. QUAM EGO SUM] Citat Priſcianus Inſtit. Grammat. III.

22. MISIT PORRO ORARE, UT VENIREM, SERIO.] Ita diſtinguo; ut ſenſus ſit, MISIT PORRO SERIO ORARE, UT VENIREM. Quia enim REM SERIAM actura erat cum Chremete Thais, SERIO rogandus erat, ut veniret, i. e. etiam atque etiam. Donatus dubitat, an hic ſenſus ſit, an ille, MISIT PORRO ORARE, UT SERIO VENIREM. Sed quid eſt *ſerio venire?* Confirmant me illa Pythiae, verſu 26.

Thais maximo
Te orabat opere, ut cras redires.

Proprie autem Legati & Nuncii dicuntur *mitti.* Phaed. I. 2. 22. de ranis: miſere *ad Jovem.* Cic. Fam. XVI. 9. *Curio* miſi, *ut Medico honos haberetur.*

23 DICAT QUOD VOLT.] Editio anni 1469. DICAT QUID VELIT.

AUT MOLESTA NE SIET] Mſ. Mark. & edit. 1481. AUT NE MOLESTA SIET.

24. HEUS, HEUS. PY. ECQUIS HIC? CH. EGO SUM CHREMES.] Sic cum Donato legendum & diſtinguendum monet Guyetus. At Donatum haec omnia uni Chremeti tribuere, recte obſervat Faërnus. Si enim illa, ECQUIS HIC? tribuiſſet Pythiae, non dixiſſet, HEUS, HEUS, ECQUIS HIC? *ſeparatim pronuncianda* eſſe. q. d.

primum

Digitized by Google

Ch. Dico ego mihi inſidias fieri. *Py.* Thais maximo
Te orabat opere, ut cras redires. *Ch.* Rus eo.
Py. Fac amabo. *Ch.* Non poſſum, inquam. *Py.* At tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipſa. *Ch.* Nihil minus. *Py.* Cur, mi Chrémes?
Ch. Malam rem! hinc abis? *Py.* Si iſtuc ita certum eſt tibi,
Ama-

DONATI.

26. DICO EGO MIHI INSIDIAS FIERI.] Blandimentum ruſticus inſidias putat.

27. RUS EO] Pro potiore negotio rus poſuit. Et major negatio eſt, quam ſi diceret, *Non huc venio.*

28. NON POSSUM, INQUAM] Plus eſt, quam *nolo.*

29. DUM REDEAT IPSA] IPSA, vel domina, vel ipſa, de qua agitur. NIHIL MINUS.] Deeſt *faciam.*

30. MALAM REM! HINC ABIS?] Hoc adverbialiter dixit: quemadmodum dicimus, *Domum ibis.* Et apparet illum manu tactum eſſe, qui ſic iraſcitur, quia dixit Pythias, CUR, MI CHREMES? quaſi dicat, Cur meus ſic indignatus eſt adoleſcens? nam ab eo quod eſt *meus*, vocativus *mi* facit.

COMMENTARIUS.

primum illud, HEUS, HEUS, eſſe auditum; tum pulſum januae, demum, ECQUIS HIC? Mſ. Traject. ET QUIS HIC EST? Quatuor Leidenſes, PY. ECQUIS HIC EST? Unus, PY. ECQUIS HIC? Editio anni 1469. QUIS EST HIC? Ut dicam, quod ſentio; poterat adoleſcens commode dicere, EGO SUM CHREMES, licet non interrogatus, ECQUIS HIC? Sic Adelph. IV. 4. 24.

Heus, heus: Aeſchinus ego ſum. aperite aliquis actutum oſtium.

Sed & commode Chremes clamat de via: ECQUIS HIC? ſub. intus, vel, in aedibus eſt. Quae verba ſi Pythiae tribuas, vix audiri potuit in ipſis aedibus loquens. Sed nec aperturi oſtium loquebantur fere, niſi jam aperto oſtio. Sic Adelph. IV. 5. 3.

Sed quis oſtium hoc pulsavit?

Demum, niſi parturientium, non audita in aedibus loquentis vox. Porro autem *Ruſticum* Donatus vocat Chremetem, eumque non ſemel *ruſticitatis* inſimulat. Scilicet quia minus blande reſpondet blandienti Pythiae; tum quia dicit, RUS EO. Ego vero laudi duxerim, ſi is, quem ipſa Thais vocat ADOLESCENTEM NOBILEM, ſupra I. 2. 124. & quo MINUS POTENS, MINUS NOTUS, MINUS AMICORUM HABENS erat Thraſo, infra IV. 6. 22. mulieres meretrices a ſe ſegregatas voluit.

26. DICO EGO, MIHI INSIDIAS FIERI.] Haec ad ſpectatores converſus loquitur Chremes, non audiente Pythia. Et ſane, Menandro cenſente,

Τότε τὰς γυναῖκας δεδιέναι μάλιστα δεῖ,
Ὅταν περιπλάττωσι τοῖς χρηστοῖς λόγοις.

Et Phaed. I. 19.

Habent inſidias hominis blanditiae mali.

Phorm. II. 1. 44.

Inſidias noſtrae fecit adoleſcentiae.

Attius, vetus Poëta:

Vigilandum eſt ſemper: multae inſidiae ſunt bonis.

30. MALAM IN REM HINC ABIS?] Ita vulgo editur. Mſ. Lipſ. MALAM IN REM HINC IBIS. Ita & Leidenſes quatuor. De Donati lectione non convenit inter Guyetum & Faërnum. Ille ſcribere ſe ait cum Donato: MALAM REM HINC IBIS? Hic Donato tribuit: MALAM REM ABIS? Non una igitur Donati lectio. Editio Veneta 1490. & in contextu, & in Notis Donati exhibet: MALAM IN REM HINC ABI! In aliis editionibus eſt: MALAM REM ABIS HINC? Utrumque ἐμφατικώτερον, maxime ſi poſterius diſtinguas, MALAM REM! ABIS HINC? Quomodo non dubitavi edere. Videtur autem ita increpare Chremes Pythiam palpum ſibi facientem. q. d. non manum abſtines, ſceleſta?

 31. ANA-

Digitized by Google

Amabo, ut illuc tranſeas, ubi illa eſt. *Ch.* Eo.
Py. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

DONATI.

31. AMABO, UT ILLUC TRANSEAS, UBI ILLA EST.] Vide non eſſe otioſum, quod omnia praetenta ſunt potius, quam res importuna fieret, ut ad Militis domum Chremes deduceretur. Neque enim hoc conveniebat perſonae, Bacchiali: quoniam aut infacetum, & praeter uſum, aut importunum: ideo hoc ipſum Doriae praecepit. UT ILLUC TRANSEAS UBI ILLA EST.] Ut brevem viam demonſtraret, non *eas*, ſed *tranſeas*, dixit. AMABO] Interjectio eſt amantis: ſic verbum ſonat.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Bacchiali*] Editi vetuſtiores, *Bacchanali*.

COMMENTARIUS.

31. AMABO, UT ILLUC TRANSEAS.] Ubi dicit ILLUC, δεικτικῶς pronunciat, domum vicinam oſtendens. Unde & TRANSEAS addit. Et facit hoc ad perſuadendum Chremeti, ne Thaidem domi non offendens ire rus pergat.

UBI ILLA EST.] Malim haec magis diſtinguere a ſuperioribus, & legere: IBI ILLA EST.

32. DEDUCE] Editiones annorum 1469. 1481. & 1490. DEDUE.

ACTUS TERTII

SCENA QUARTA.

ANTIPHO.

HERI aliquot adoleſcentuli coimus in Piraeeo,

In

DONATI.

HERI ALIQUOT ADOLESCENTULI COIMUS IN PIRAEEO.] *In hoc proloquio inſinuatio perſonae ejus eſt, cui narraturus eſt Chaerea, quae a ſe poſt Scenam facta ſunt. Fit autem hoc populi cauſa, ut ſpectator auribus accipiat, quod ſubjicere oculis Poeta non potuit.*

1. HERI ALIQUOT ADOLESCENTULI] Bene inventa perſona eſt, cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur: ut apud *Menandrum*. COIMUS] COIMUS, conſenſimus, ac pepigimus: ne ſit ſoloeciſmus. IN PIRAEEO.] Pro in Piraeeum.

COMMENTARIUS.

1. HERI ALIQUOT ADOLESCENTULI COIMUS IN PIRAEEO.] Guyetus, & Boeclerus contendunt legendum eſſe, PIRAEO. Sed & Malaſpina ad Cic. Att. VII. 3. ita legit. Itaque eſt in pleriſque veteribus impreſſis, praeterquam anni 1481. Variant Mſſ. Ego vero ſtandum cenſeo τῷ πάνυ J. Fr. Gronovio, Obſerv. I. 3. evincenti, omnes Graecos ita loquutos, ut Πειραιεῖ vel Πειραιῷ vocarint

In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus. Chaeream ei rei
Praefecimus: dati annuli: locus, tempus conſtitutum eſt.
Praeteriit tempus: quo in loco dictum eſt, parati nihil eſt.
Homo ipſe nuſquam eſt: neque ſcio quod dicam, aut quid conjectem.
Nunc mihi hoc negotî caeteri dedere, ut illum quaeram:
Idque adeo viſam, ſi domi eſt. Quiſnam hic a Thaide exit?
Is eſt, an non eſt? ipſus eſt. quid hoc hominis! qui hic ornatu' eſt?
Quid

DONATI.

2. Ut de symbolis essemus.] *Plautus* [1] in Menaechmis, *Minore numquam fui diſpendio.* Sed melius *Eſſemus*, producta (*e*) litera.

3. Praefecimus] Id eſt, *συμποσίαρχον* fecimus. Dati annuli] Nihil interim de ſcorto. Apparet enim ephebos eſſe.

4. Praeteriit tempus.] Quia tempus conſtitutum eſt. Quo in loco] Quia locus conſtitutus eſt.

5. Homo ipse] Quia Chaeream ei rei praefecimus.

6. Caeteri dedere] Caetari, exceptis me atque illo.

7. Quisnam hinc a Thaide] Cauſa ſciſcitandi eſt admiratio de habitu commutato, & vix agnitus Chaerea.

8. Is est, an non est? ipsus est.] Vide an potuerit meretricem [2] ignotam hoc habitu atque ornatu fallere, qui ab Antiphone vix agnoſcitur. Quid hoc hominis!] Vide an longam narrationem poſſit audire, [3] qui nondum amico narrat, & jam affectus pendet. Quid hoc hominis!] Quod a Thaide ephebus exit. Qui hic ornatus est?] Quia Eunuchi veſte indutus eſt.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Menaechmis*] III. 2. 20. ubi vulgo legitur: *Minore nuſquam bene fui diſpendio.*
2. *Ignotam*] Quae ipſum ignorabat.
3. *Qui nondum amico narrat*] Doctiſſ. Wielingius legit, *cui nondum amicus narrat*. Editiones veteres exhibent, ut edidi.

COMMENTARIUS.

rint oppidum ac portum Athenarum; nunquam *πειραιὸν* oppidum, nunquam *πειραιέα* hominem ex portu. Idem gravis Scriptor nec in metri leges peccari, ſi Piraeeo legatur, oſtendit. Sed & ita exhibent in Cicerone loc. cit. Clariſſimi Viri, J. G. Graevius, & Jac. Gronovius. Conſentit editio Aſcenſiana, anni 1511. niſi quod bis pireaeum legit, vitio, ut videtur, operarum. Ceterum praeſtat legere, piraeeo, quam cum Cicerone, Piraeeum. Videntur autem illi aliquot adolescentuli cuſtodes publice fuiſſe una cum Chaerea, atque coiiſſe, i. e. conveniſſe & pacti eſſe, ut de ſymbolis ederent poſtridie. Cic. Att. I. 17. *Caeſar cum eo* coire *per Arrium cogitat*. De symbolis vide ad And. I. 1. 61. & Salmaſ. de Uſur. pag. 52. ſeqq. Tangit hunc morem Cicero de Senect. 13. *Primum habui ſemper ſodales. Sodalitates autem me Quaeſtore conſtitutae ſunt, ſacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice, ſed erat quidam fervor aetatis: qua progrediente, omnia fiunt indies mitiora. Neque enim ipſorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum, & ſermonibus metiebar.*

4. Praeteriit tempus.] Id de apparatu convivii intelligendum, non de ipſo convivio. Vid. infra III. 5. 59.

8. Quid hoc hominis!] Sic Plaut. Amph. II. 1. 26.

Quid illud mali eſt? nequeo ſatis mirari, neque conjicere.
Niſi quidquid eſt, procul hinc lubet prius, quid ſit, ſciſcitari.

DONATI.

9. QUID ILLUD MALI EST?] Quod timidus egreditur.

10. QUID SIT, SCISCITARI.] SCISCITARI, eſt occulta magis & ſecretiora rimari, ac velle cognoſcere, ut,

4 Suſpenſi Eurypilum ſcitatum oracula Phoebi Mittimus.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Suſpenſi*] Virgil. Aeneid. II. 114.

COMMENTARIUS.

quid hoc ſit hominis?
Poen. Prol. 92.
Quid id ſit hominis, *cui Lyco nomen ſiet?*
Noſter Hec. IV. 4. 21.
quid mulieris
Uxorem habes?

9. QUID ILLUD MALI EST?] *Quia timidus egreditur*, inquit Donatus. Immo vero, quia geſtit & laetus eſt. Vid. Scen. ſeq. Ubi igitur dicit, QUID ILLUD MALI EST? in admirationem raptus exputare nequit, neque conjicere, quid Chaerea hoc tempore, ornatu, geſtu egrediatur e Thaidis aedibus.

ACTUS TERTII

SCENA QUINTA.

CHAEREA. ANTIPHO.

Ch. NUMQUIS hic eſt? nemo eſt. numquis hinc me ſequitur? nemo homo 'ſt.

Jam-

DONATI.

NUMQUIS HIC EST? NEMO EST.] *In hac Scena, verba geſtum vultumque indicant exeuntis: cui obvia perſona objicitur, ſub cujus occaſione ſpectatoribus geſta narrabuntur.*

1. NUMQUIS HIC EST? NEMO EST. NUMQUIS HINC ME SEQUITUR?] Duo metuit, ne quis obvius comprehenſor occurrat: & ne quis ſui perſecutor exiſtat. NEMO HOMO 'ST.] Quamvis per NEMO, homo intelligatur: tamen addidit HOMO, ut veteres ſolent, τῷ ἀρχαϊσμῷ.

COMMENTARIUS.

1. NUM QUIS HIC EST?] Haec tantum quod ex aedibus Thaidis proſiliens & circumſpectans loquitur.

NUM QUIS HINC ME SEQUITUR?] Paullo progreſſi & reſpicientis cum trepidatione verba ſunt.

NEMO

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? prô Juppiter!
Nunc eſt profecto, interfici cum perpeti me poſſum,
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.
Sed neminemne curioſum intervenire nunc mihi,
Qui

DONATI.

2. JAMNE ERUMPERE HOC LICET MIHI GAUDIUM?] ERUMPERE, quaſi activum verbum poſuit, pro neutrali: ut ſit, *Licetne mihi erumpere hoc gaudium?* Aut ERUMPERE quaſi exire. MIHI, pro a me. ERUMPERE] Utrumne ERUMPERE, pro emittere poſuit? An ERUMPERE pro exclamare? ut *erumpere vocem* dicitur, qui exclamat. Nam, *Prô Juppiter* dicturus eſt.

3. NUNC EST PROFECTO] Ordo & ſenſus hic eſt, *Nunc eſt profecto tempus, cum perpeti me poſſum interfici.* Hoc autem cur ipſe dixerit, ſtatim ſubjicit cauſam. CUM PERPETI ME POSSUM.] Animadvertendum eſt, quod ſi CUM conjuncte legeris, *quando* ſignificat: ſi ſeparatim, *dum* ſignificat. NUNC EST PROFECTO] Figurate, ac conjuncte lege ſine disjunctione.

4. CONTAMINET VITA AEGRITUDINE ALIQUA.] Mire vitae [1] crimen oſtendit: velut ipſa ſit campus, poſſeſſioque fortunae inſtabilis variorum.

5. SED NEMINEMNE CURIOSUM] Apparatus ad intentionem futurae narrationis [2] dicitur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Crimen*] Lege omnino, *diſcrimen*. Abr. Wielingius.

2. *Dicitur*] Edd. Venetae, *dicit*. Forte legendum, *ducitur*.

COMMENTARIUS.

NEMO HOMO] Sic Adelph. II. 3. 6. Hec. III. 1. 1. Phorm. IV. 2. 1. Plaut, Perſ. II. 2. 29. Cic. Fam. XIII. 24. Hominem *eſſe* neminem, *qui unquam mentionem tui ſine tua ſumma laude fecerit.*

2. JAMNE ERUMPERE HOC LICET MIHI GAUDIUM?] Haec uno quaſi ſaltu in mediam Scenam ſe inſerens exclamat. Dicit autem ERUMPERE GAUDIUM, uti Cic. Att. XVI. 3. *Ne in me* ſtomachum erumpant, *quum ſint tibi irati.* Virg. Georg. I. 445.

Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi erumpent *radii.*

3. NUNC EST PROFECTO, INTERFICI QUUM PERPETI ME POSSUM.] Mſ. Mark. NUNC EST TEMPUS PROFECTO. Ita & editi quidam. Alii, NUNC TEMPUS PROFECTO EST. Editio Veneta in Donati Notis legit POSSIM, quod haud ſcio, an ſit elegantius. Solebant autem voti compotes facti mortem fere optare. Plaut. Poen. I. 2. 95.

AG. *Eho tu! vin' tu facinus facere lepidum & feſtivum?* MI. *Volo.*
AG. *Poteſne mihi auſcultare?* MI. *Poſſum.* AG. *Abi domum, ac ſuſpende te.*
MI. *Quamobrem?* AG. *Quia jam nunquam audibis verba tot tam ſuavia.*
Quid tibi opu 'ſt vixiſſe? auſculta mihi modo, ac ſuſpende te.

Cic. Att. XIV. 10. *Melius fuit periiſſe illo interfecto, quod utinam accidiſſet, quam haec videre.* Emphaticum autem eſt τὸ NUNC. Ovid. Triſt. IV. 8. 5.

Nunc erat, *ut poſito deberem fine laborum*
Vivere.

Caecilius apud Non. Nunc enim vero eſt, *cum meae morti remedium reperibit nemo.*

4. VITA] Mſ. Mark VITAM. quomodo & impreſſi quidam veteres.

5. SED NEMINEMNE CURIOSUM INTERVENIRE NUNC MIHI.] Ita eſſe in Libro Bembino, teſtatur Faërnus. Quod pluſculae editiones ſequuntur. In aliis eſt, SED NEMINEM CURIOSUM INTERVENIRE NUNC MIHI VIDEO. Quatuor Mſſ. Leidenſes, cum Traject. & Lipſ. NEMINEM HIC CURIOSUM INTERVENIRE NUNC MIHI. Quae varietas facit lectionem dubiam. Si NEMINEMNE retineas, videtur τὸ SED abeſſe debere; eritque ſententia magis abrupta, qualis h. l. convenit in alacrem & geſtientem Chaeream.

Qui me ſequatur: quoquo eam, rogitando obtundat, enecet:
Quid geſtiam, aut quid laetus ſim: quo pergam, unde emergam: ubi ſiem
Veſtitum hunc nactus, quid mihi quaeram: ſanus ſim, anne inſaniam?

An. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

Chae-

DONATI.

6. QUI MA SEQUATUR.] Id cupit gaudens, quod triſtibus moleſtum eſt. Nam contra *Menedemus* gravatur narrare quae dolet. OBTUNDAT] Odioſe inſtet ac repetat, moleſtus & odioſus ſit. ENECET] Εὐφημότερον quam ENICET.

7. QUID GESTIAM?] Deeſt *quaerens:* ut ſit, *rogitando obtundat & enecet, quaerens quid geſtiam. Geſtire*, eſt motu corporis monſtrare quid ſentias. Conſtat autem, a pecudibus ad homines eſſe tranſlatum. QUID GESTIAM] *Geſtire* proprie eſt, ſenſum corporis geſtu indicare: quod magis brutorum eſt animalium. [3] *Virgilius*,

Et ſtudio incaſſum videas geſtire lavandi.

AUT QUID LAETUS SIM.] Propter quid. UNDE EMARGAM.] Proprie dixit EMERGAM, ut ex luſtris atque inhoneſtis locis, utpote meretricis domo. [4] *Cicero*, *At ne tum quidem emerſiſti, lutulente Caeſoni ex miſerrimis naturae tuae ſordibus.*

8. VESTITUM HUNC NACTUS.] Bene NACTUS dixit: ut qui non ſumeret, niſi ſuaſiſſet haec occaſio.

9. ADIBO, ATQUE AB EO GRATIAM] Senſus & ordo hic eſt, *Adibo, atque ab eo gratiam hanc inibo. Gratiam inire*, eſt dare beneficium, ac per hoc alicujus inire gratiam, id eſt, amicitiam. Sed haec eſt elocutio, *Gratiam ab eo inibo*, pro, ejus gratiam merebor. Nam *ab eo*, amat *Terentius* pro *ejus* ponere: ut in Andria,

Haec primum animadvertenda ab eo injuria eſt.

Id eſt, *ejus injuria. Inire* autem *gratiam*, eſt mereri gratiam. [5] *Plautus:*

Inies tamen ſolidam & grandem gratiam.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Virgilius*] Georg. I. 387.
4. *Cicero*] in Piſonem 12.
5. *Plautus*] Curc. Act. III. verſu 35. ubi nunc legitur; *Inibis a me ſolidam & grandem gratiam.*

COMMENTARIUS.

ream. Sin retineas SED, multum decedet admirationi. Porro autem, uti fere in deteriorem partem ſumuntur adjectiva terminata in *oſus*, ita & *curioſus*. Plaut. Stich. I. 3. 44.

Sed curioſi *ſunt hic quam plures mali,*
Alienas res, qui curant ſtudio maxime,

Et verſu 54.

Nam curioſus *nemo eſt, quin ſit malevolus.*

6. QUI ME SAQUATUR: QUOQUO AAM, ROGITANDO OBTUNDAT.] Ita ediderunt Juntae, Aldus, Rob. Stephanus, Faernus, Heinſius, alii. Guyetus veram lectionem & genuinam eſſe ait, quam etiam praefert Mſ. Lipſ. QUI MA SEQUATUR, QUIQUE JAM ROGITANDO OBTUNDAT. Atque ita nunc vulgo editur. Quum autem continuo praeceſſerit NUNC, τὸ JAM vix locum tuebitur. Quae enim gratia in verbis, NEMINEM MIHI NUNC INTERVENIRE, QUI ME JAM OBTUNDAT? Si conjecturae locus eſt, crediderim eas literas, unde effecerunt illa, QUIQUE JAM, & QUOQUO EAM, parum perſpicue lectas eſſe. Unde mallem, modo liceret per Codd. QUI ME SEQUATUR, QUIQUE ME ROGITANDO OBTUNDAT. Sic ſenſus planus, Latinitas ſalva, metrum etiam ſervatum. Itaque exhibet Mſſ. Leidenſium unus, & Mſ. Traject. uterque tamen omiſſo altero MA.

7. QUID GESTIAM.] *Geſtire* eſt geſtibus & motu corporis magnum deſiderium declarare. Vid. Feſt. Plaut. Mil. IV. 5. 15.

PA. *Reddam impetratum.* PY. *At* geſtio. PA. *At modice decet.*
Moderare animo: ne ſis cupidus.

Ovid. Metam. IV. 130.

Quan-

Digitized by Google

Chaerea, quid eſt, quod ſic geſtis? quid ſibi hic veſtitus quaerit?
Quid eſt, quod laetus ſis? quid tibi vis? ſatin' ſanus? quid me
aſpectas?
Quid taces? *Ch.* O feſtus dies hominis! amice! ſalve.
Nemo 'ſt hominum, quem ego nunc magis cuperem videre
quam te. [hercle ut audias.
An. Narra iſtuc quaeſo quid ſiet. *Ch.* Immo ego te obſecro
No-

DONATI.

10. QUID EST, QUOD SIC GESTIS?] Facete repetit verba ejus interrogationis: ut ſciat ſe jampridem eſſe praeſentem. QUID SIBI HIC VESTITUS QUAERIT?] Facete & figurate dictum eſt. Sic & alibi,

Ut pernoſcatis quid ſibi Eunuchus velit.

11. QUID EST, QUOD LAETUS SIS?]. Vide aliud eſſe *geſtire*, aliud *laetum eſſe.* QUID TIBI VIS?] Πρὸς τὸ, *Quid mihi velim.* SATIN' SANUS?] Πρὸς τὸ, *Sanus ſim, an inſaniam?* QUID ME ASPECTAS? QUID TACES?] His duabus interrogatiunculis deſcripſit vultum dicturi.

12. O FESTUS DIES HOMINIS! AMICE! SALVE.] Decet a ſalutatione incipere luculente dicturum. Illud autem veriſimile eſt, & percuſſum re nova, & audiendi cupidum, immemorem extitiſſe ſalutandi. O FESTUS DIES.] Utrum quia cauſa eſt feſti ac laeti diei? an quia ipſe tantus ſit quantus eſt feſtus dies? O FESTUS DIES HOMINIS.] Pro, *homo feſti diei.* Sic dicitur etiam *ſcelus homo.* Ennius. *O pietas animi.*

13. QUEM EGO NUNC MAGIS] Bene additum MAGIS. ut his amicis ſe antepoſitum intelligat: quos cum optet videre Chaerea, tamen eum magis; adeo ut aliis amicis antepoſitum neminem cupiat.

14. IMMO EGO TE OBSECRO HERCLE UT AUDIAS.] Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandum, ut ſolet, narrationem futuram. IMMO TE OBSECRO HERCLE UT AUDIAS.] Bene contulit verba: ut ex his appareat, quid agere velit. Ille dixit QUAESO, hic OBSECRO.

COMMENTARIUS.

Quantaque vitarit, narrare pericula geſtit.

Suet. Calig. 6. *Paſſim cum luminibus & victimis in Capitolium concurſum eſt, ac pene revulſae templi fores, ne quid* geſtientes *vota reddere moraretur.*

UNDE EMERGAM.] Reſpicit lupanaria ſubterranea. Unde proprie ſe *emergebant* amatores. And. III. 3. 30.

9. AB EO GRATIAM HANC INIBO.] Plaut. Epid. III. 4. 5.

ecquam abs te inibo gratiam?

Nep. Alcib. 9. *Id ſi ei aperuiſſet, magnam ſe* ab eo initurum gratiam *videbat.*

12. O FESTUS DIES HOMINIS!] Guyetus Eugraphium ſequutus, expungit τὸ HOMINIS. Neque ferenda videtur conſtructio verborum, FESTUS DIES HOMINIS. Conjiciebam, dixiſſe fortaſſis Chaeream: O FESTUS DIES! HOMO MI! AMICE SALVE! vel, O FESTUS DIES! O MI AMICE SALVE! qualis exclamatio & appellatio convenientiſſima in Chaeream, gaudium ſuum nimiſquam erumpere geſtientem. Sane *hominem feſtivum* & exoptatum dicebant FESTUM DIEM. Plaut. Caſ. I. 1. 49. Niſi forte per hypallagen dixit, FESTUS DIES HOMINIS, pro, HOMO FESTI DIEI. Quales Graeci vocantur καλλίμεροι. Turnebus Adverſ. III. 12. FESTUS DIES HOMINIS dictum putat mira quadam & nova dicendi ratione, pro *fauſto homine*, *auſpicato* & *optato*; tranſlatione ducta a diebus feſtis. Ex Ampl. Viri, Corn. van Bynkershoek doctiſſimis literis duplicem conjecturam didici; ſcilicet, O FESTUS DIES HOMINI. Et, O FESTUS DIES OMINIS. Quarum utraque ſe & minima mutatione, & optimo ſenſu adprobat.

13. HOMINUM] Ita ex Mſſ. quibuſdam edidit Faernus. Mſ. Lipſ. aliique, OMNIUM. Editio Juntina, Aldina, Stephani, aliae omiſerunt.

14. UT AUDIAS.] Mſ. Mark. UT AUDIAS ISTUC.

15. Opi-

Digitized by Google

Noſtin' hanc, quam amat frater? *An.* Novi, nempe, opinor Thaidem.

Ch. Iſtam ipſam. *An.* Sic commemineram. *Ch.* Quaedam hodie eſt ei dono data

Virgo. quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem, aut laudem, Antipho:

Cum ipſum me noris, quam elegans formarum ſpectator ſiem?

In hac commotus ſum. *An.* Ain' tu? *Ch.* Primam dices, ſcio, ſi videris.

Quid

DONATI.

15. Noſtin' hanc, quam amat frater?] Quaeritur an veriſimile ſit Antiphoni notam eſſe Thaidem, quam frater ipſe neſciverit. Sed intelligere debemus, modo notitiam non vultus, ſed famae poſitam eſſe: quam famam potuit ex Phaedria & Antiphone ſcire. At vero aliam notitiam negaverat Chaerea ſibi fuiſſe cum Thaide, hoc eſt, viſus, vultus, oris, & corporis. Novi, nempe, opinor, Thaidem.] Veriſimile eſt haec ſcire Antiphonem, qui adeo ſit familiaris Chaereae. Et eſt ordo hic; *Novi, nempe, opinor, Thaidem.* Opinor, Thaidam] Optime & ab illo tacitum, & ab hoc nomen [6] ablatum eſt: ut appareat quam noverit; & [7] quam poſſibile ſit alloqui quae dicentur.

17. Quid ego ejus tibi] Ordo hic eſſe debet, *Quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem, aut laudem, Antipho? in hac commotus ſum: cum me ipſum noris, quam elegans formarum ſpectator ſiem,* ut ſit ſenſus; In hac commotus ſum: ille ſcilicet, qui, ut ſcis, formas ſolet eligere, ac faſtidire pro merito. Faciam praedicem, aut laudam.] *Praedicamus*, ut res ſunt: *Laudamus* extollendo. Vel *praedicamus* voce: *Laudamus* argumentis.

18. Quam elagans formarum apectator aiam?] *Elegans ſpectator* eſt, qui ſit cunctantis & faſtidioſi judicii: cui non quid placet facile. Spectator] Probator: ut *pecuniae ſpectatores* dicuntur.

19. In hac commotus sum.] Non eſt conſequens: eſſet autem, ſi diceretur, *In hac commotum me ſcias.* Erit ergo ordo, & ſenſus qui ſupra. Primam dicas, scio.] O fiduciam elegantiae, & de alienis oculis judicare.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Ablatum*] Legendum ex Libris vetuſtis: *nomen ob'atum eſt.*

7. *Quam poſſibile ſit*] Editiones annorum 1481. 1490. aliaeque vetuſtae: *Quam poſſis.* Sed & ita Lindenbr. edidit.

COMMENTARIUS.

15. Opinor] Mſ. Mark. Ut opinor.

18. Elagans formarum spectator.] Agnoſce artificium Poëtae, tribus exquiſitiſſimis & maxime propriis vocabulis mentem & indolem Chaereae exprimentis. *Formae* ſunt, quas Galli *Beautés* vocant. *Spectare* eſt attentius conſiderare. *Elegantes* dicuntur, qui maxime norunt eligere. Supra III. 1. 18. unde ſtilus *elegans* dicitur, qui adhibet verba cuique rei propria & maxime emphatica. Sic *elegans & temperatum genus eloquendi.* Suet. Aug. 86.

19. In hac commotus sum.] Ἐν ταύτῃ συνεκινήθην. ἐν ταύτῃ συνεταράχθην. Alii, in hanc. Solent autem verba amorem ſignificantia ablativo fere jungi cum praepoſitione. Ovid. Heroid. IV. 99.

Arſit & Oenides in Menalia Atalanta.

Metam. IV. 234.

neque enim moderatus in illa
Solis amor fuerat.

Metam.

Digitized by Google

Quid multa verba? amare coepi. forte fortuna domi
Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neque is deductus etiamdum ad eam. ſubmonuit me Parmeno
Ibi ſervus, quod ego arripui. *An.* Quid id eſt? *Ch.* Tacitus
citius audies.
Ut veſtem cum eo mutem, & pro illo jubeam me illuc deducier.
An. Pro Eunuchon'? *Ch.* Sic eſt. *An.* Quid ex ea re tandem
ut caperes commodi?
Ch. Rogas? viderem, audirem, eſſem una, qua cum cupiebam,
Antipho.

Num

DONATI.

20. QUID MULTA VERBA? AMARE COEPI.] Ordine egit. Nam prius eſt, commoveri: inde amare. Et bene non ante dicit, quid aggreſſus fuerit, niſi amoris mentione praelata: quo cogente nihil eſt infectum cupientibus.

22. SUBMONUIT] Leviter monuit, & recte, quia ARRIPUI dicturus eſt. Et totum optime: nam ut non erat boni adoleſcentis, hanc technam reperire: ſic ab illo repertam, fuit plane veri amatoris arripere.

23. TACITUS CITIUS AUDIES] In oratione ſolemus corripere extra ordinem percontantes. Et bene celeritatem promiſit, qua facile tenetur auditor. Et mire, tanquam ſola interrogatio morae ſit.

24. ET PRO ILLO JUBEAM ME ILLUC DUCIER.] JUBEAM amico dixit, tanquam inter honeſta ſit, quod utile ſit. Et turpe factum plerumque perſeverante impudentia relevatur.

25. QUID EX EA RE TANDEM] Tranſit a reprehenſione facti, ad cauſam ipſius facti.

COMMENTARIUS.

Quomodo Heinſius in vetuſtioribus libris eſſe teſtatur. Vulgo, *in illam*. Metam. VIII. 50.

merito Deus arſit in illa.

Remed. Amor. 311.

Haeſerat in quadam nuper mea cura puella.

PRIMAM] Praecipuam, pulcherrimam. Supra I. 1. 5. & ibi Donat. infra V. 9. 51. Heaut. V. 2. 10. & paſſim alibi. Phaed. I. 13. 8.

Si vocem haberes, nulla prior *ales foret.*

Ubi vide Interpretes.

22. ETIAMDUM] Mſ. Mark. ETIAM TUM.

23. ARRIPUI] Occaſionem *arrripere* eſt non amittere, ſed avide amplecti. Cic. Fam. V. 12. *Ad properationem meam quiddam intereſt, non te exſpectare, dum ad locum venias; ac ſtatim cauſam illam totam & tempus* arripere. Virg. Aeneid. XI. 459.

Immo, ait, ô cives, arrepto *tempore, Turnus.*

Quod Phaedrus V. 8. vocat *occupare* occaſionem; ſcilicet quam ſemel elapſam non poſſis reprehendere. Sed & *arripere* dicuntur diſcipuli praecepta magiſtrorum. Cic. Senect. 8. *Graecas literas ſenex didici, quas quidem ſic avide* arripui, *quaſi diuturnam ſitim explere cupiens.* Nepos Att. 1. *Ut non ſolum celeriter* arriperet, *quae tradebantur, ſed etiam excellenter pronunciaret.*

TACITUS CITIUS AUDIES.] Varie haec leguntur in Mſſ. & impreſſis. Quidam, TACE TU, CITIUS AUDIES. Alii, TACITUS SIS, CITIUS AUDIES. Rurſus alii, TACE SIS, CITIUS AUDIES. Malim, TACEDUM, CITIUS AUDIES. Non enim adeo imperat ſilentium, quam rogat, ſuadetque. Et neſcio, quid duriuſculi eſt in illo TU, quod nec πάθος geſtientis & laeti Chaereae admittit.

28. LAB-

Num parva cauſa, aut parva ratio 'ſt? traditus ſum mulieri.
Illa ilico ubi me accepit, laeta vero ad ſe abducit domum:
Commendat virginem. *An.* Cui? tibine? *Ch.* Mihi. *An.* Satis tuto tamen,
Ch. Edicit, ne vir quiſquam ad eam adeat: & mihi, ne abſcedam, imperat:
In interiore parte ut maneam ſolus cum ſola. annuo,

Ter-

DONATI.

27. NUM PARVA CAUSA, AUT PARVA RATIO 'ST?] Sic illata interrogatio eſt, quaſi ad hanc annuere, & vultu conſentire Antipho ſit coactus.

28. LAETA VERO AD SE ABDUCIT DOMUM: COMMENDAT VIRGINEM.] Omnia mire, quod *laeta*, quod *abducit*, quod *domum*, quod *commendat virginem.* [8] Specta ſingula, & mirare virtutem Poëtae. Hic enim commendandus eſt locus, erroris initium continens, [9] apud Thaidem convicium.

29. TIBI NE?] Non interrogat, ſed miratur.

SATIS TUTO TAMEN.] Quid hic facit TAMEN? Utrum hoc? etſi meretrix, tamen ſatis tuto agit. An? etſi Chaereae, ſatis tuto tamen: quia nullus accedet alius.

30. EDICIT] [10] *Edicimus*, jubemus: vel jure dicimus. *Edicta* enim Imperatoris ſunt. ET MIHI, NE ABSCEDAM, IMPERAT.] Certe nullus vir accedit.

31. MANEAM SOLUS] Remaneam, perſeveremque in loco, ac per hoc ſim miſer, utpote dono datus, & ſerviens meretrici. Et eſt *εἰρωνεία*.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Specta ſingula.*] Editiones Venetae: *Specta ſingularem & miram virtutem Poetae.*

9. *Apud Thaidem convicium*] Robertus Stephanus de mendo ſuſpicatus ante hanc vocem expreſſit lacunae ſignum * Fortaſſe legendum, *& occaſionem vitii.* Certe Donatus ad verſum 33. quaſi jam mentione facta de occaſione vitii, dicit: *quae ſub vitii hujus occaſione nuptura eſt.* Niſi cum Doctiſſ. Wielingio legis, *& apud Thaidem convicium.* Et mox ad verſum 33. *ſub officii hujus occaſione.*

10. *Edicimus*] Locum integrum ita lego: *Edicimus, cum jubemus vel jura dicimus. Edicta enim Praetoris ſunt.*

COMMENTARIUS.

28. LAETA VERO] Habent haec verba tacitam commendationem ſui ipſius. Verus tamen eſt Chaerea; Thais enim liberali ejus vultu capta, *Ita me Di ament, honeſtus eſt*, dixerat ſupra III. 2. 21.

ABDUCIT] Mſ. Mark. DEDUCIT.

29. CUI?] Mſ. Mark. non agnoſcit hanc vocem.

SATIS TUTO TAMEN.] Si per Codd. liceret, tribuerem haec Chaereae. Certe optime cohaerent cum proxime ſequentibus.

30. EDICIT] Pro imperio ſcilicet in ancillas. Vide ad And. I. 2. 33.

31. IN INTERIORE PARTE.] Nepos Praefat. In interiore parte *aedium, quae γυναικωνῖτις appellatur: quo nemo accedit, niſi propinqua cognatione conjunctus.* Gynaeceum vocat Phorm. V. 6. 23.

ANNUO, TERRAM INTUENS MODESTE.] Ut pro Eunucho ſe probet, & mancipium ſimulet, nec Thaidem alloquitur, nec virginem intuetur, prae pudore, ſcilicet. Sic de conjuratis, Cic. Catil. III. 5. *Sic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe adſpiciebant.* Sed & venerationis ſignum. Ovid. Faſt. I. 147.

> *Sumſi animum, grateſque Deo non territus egi.*
> *Verbaque ſum* ſpectans *pauca loquutus* humum.

Unde hoc geſtu in ſimulatione uſus Ulyſſes, ſtans

> *Κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.*
> *In terram lumina fixus.*

32. MISER!] Qui Chaereae hanc vocem tribuunt, multum gratiae ei adimunt.

33. QUAE CIRCUM ILLAM ESSENT.] Quae praeſto eſſent, ad curandam virginem. Quod juſſe-

Digitized by Google

Terram intuens modeſte. *An.* Miſer! *Ch.* Ego, inquit, ad coenam hinc eo.
Abducit ſecum ancillas: paucae, quae circum illam eſſent, [manent,
Novitiae puellae. continuo haec adornant, ut lavet.
Adhortor, properent. dum apparatur, virgo in conclavi ſedet,
Suſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura haec:
Jovem Quo

DONATI.

32. Ego, inquit, ad coenam hinc eo.] *Μίμησις*, ad imprudentiam mulieris exprimendam, quae hoc die erit ſecura de cuſtode Eunucho.

33. Abducit secum ancillas.] Memoriter: nam dixerat abiens, Vos me sequimini. Paucae, quae circa illam essent.] Relictae nonnullae, ut lavari poſſit ea virgo, quae ſub vitii hujus occaſione nuptura eſt. Hoc enim totum ſic inducit Poëta, ut non abhorreat a legitimis nuptiis, in ea praeſertim quae uxor futura eſt. Manent] Pro, remanent. *ἀφαίρεσις*.

34. Novitiae puellae.] *Αὔξησις*, novitiae, & puellae. Contino haec adornant, ut lavet.] Haec pluraliter, pro has. Ut in Phormione, *Haec illae erant itiones.* Adornant autem, ex medio ſignificatu, pro apparant.

35. Dum apparatur, virgo in conclavs sedet.] Impersonaliter dixit. Et dum apparatur, pro, *dum apparetur:* & sedet, pro *ſedebat.* Viroo in conclavi sedet.] *Conclave*, eſt ſeparatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa & cubicula clauſa ſint adhaerentia triclinio.

36. Suspectans tabulam quandam pictam.] Bene. accedit repente pictura ad hortamenta aggrediendae virginis: ideo quia non ad hoc venerat Chaerea, ut continuo vitiaret puellam: ſed ut videret, audiret, eſſetque una: cum nihil amplius cogitaret, auſus, incitatuſque dum picturam cerneret. Jovem quo pacto] Mira inventio, qua haec pictura domui tribuitur meretricis, adverſus omnium pudicitiam [11] amorum, contra parſimoniam, contra dignitatem, contra pudicitiam.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Amorum*] Quia *parſimoniam* & *dignitatem*, crediderim ſcripſiſſe Interpretem, *adverſus omnium pudicitiaM orum.* quod valet, *pudicitiam morum.* Ubi pudicitia notat honeſtatem, mox vero ſpeciatim caſtitatem.

COMMENTARIUS.

juſſerat Thais ſupra III. 2. 52. Sic Aulici dicuntur *circa* Regem. Phraſi Graeca, *οἱ περὶ τὸν βασιλέα*. Nepos Eum. 10.

34 Novitiae puellae.] Sic Petron. cap. 139. *Unus ex* novitiis ſervulis *ſubito adcucurrit.*

Haec adornant, ut lavet.] Philargyrius ad Virg. Georg. III. 305. aliique eum ſequuti enallagen generis hic ſtatuunt, exiſtimantes, haec dictum pro hae, ſub. paucae novitiae puellae. Malim, per τὸ haec reſpici virginem.

Adornant.] Abſolute. frequentius tamen cum accuſativo. Infra IV. 4. 6. Plaut. Aulul. II. 1. 35. *nuptias* adorna.

Ut lavet.] De balneis intelligendum fere, quoties abſolute ſumitur. Liv. XLIV. 6. Lavanti *Regi dicitur nunciatum, hoſtes adeſſe.* Suet. Calig. 24. *Juſtitium indixit: in quo riſiſſe*, laviſſe, *coenaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve, capital fuit.* Ner. 35. *Tuſcum nutricis filium relegavit, quod in procuratione Aegypti, balneis in adventum ſuum exſtructis*, laviſſet. Eſt vero tota haec narratio quaſi de virgine eunte ad nuptias. Haec enim *lavari* ſolebat, antequam domum duceretur.

35. In conclavi] Feſto conclavia *dicuntur loca, quae una clave clauduntur.* Heaut. V. 1. 29. Videntur autem fuiſſe loca, in quae per multas partes intrabatur.

36. Suspectans] Erat igitur altius ſuſpenſa tabula picta. Virg. Aen. I. 438.

Quo pacto Danaae miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.

Egomet quoque id ſpectare coepi. et quia conſimilem luſerat

Jam

DONATI.

37. Misisse ajunt.] Bene Ajunt: & quia fabula eſt, & quia tam turpis Jovi, quam apta meretrici. Quo pacto Danaae misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.] Quae aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras, quam haec, quae exemplum continet amoris, & amoris puellae, & amoris ad Jovem pertinentis: & amoris non gratuiti, nec [12] parvi propoſiti, ſed auro in gremium fluente venalis? Tum quod in gremium Danaae etiam ipſe Jupiter, ut ſplendidus imber illabitur: nonne videtur meretrix dicere adoleſcentulis, illam corporis partem auctore Jove velut inauratam fuiſſe? Imbrem aureum.] Non rorem vel pluviam, ſed Imbrem [13] addiderat. O avaritiam meretricis!

38. Egomet quoque id spectare coepi.] Moris eſt ad id oculos vertere, quod videmus: & eum quem aſpicimus, intueri.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Parvi propoſiti*] Lego ex Libris vetuſtis, *parvo propoſiti*. i. e. amoris non propoſiti parvo pretio. Ita & Lindenbr.

13. *Addiderat*] Libri Veneti: *addidit ad avaritiam meretricis*. Utcunque, τὸ *addiderat* non videtur a Donato ortum.

COMMENTARIUS.

faſtigia ſuſpicit *urbis*.

Huic contrarium eſt *deſpicere*. Prius inde magni facere, poſterius contemnere etiam notat; quod, quae ſpernimus, ne adſpectu quidem dignamur.

Ubi inerat pictura haec.] Boeclerus eumque ſequuti plures, ibi inerat. Quomodo eſt in uno Mſſ. Leidenſium. Aſt τὸ ubi vincit numero Mſſ. & editorum probatiſſimorum, videturque omnino elegantius. Sic Plaut. Mil. II. 1. 40.

Capiunt praedones navem illam, ubi *vectus fui*.

Erat autem haec pictura accommodata ad domum meretricis. Tum uſus picturarum fuit vulgaris. Vide Interpretes ad Phaed. IV. 5. Plaut. Menaechm. I. 2. 34.

Dic mihi, nunquam tu vidiſti tabulam pictam in pariete,
Ubi *aquila Catamitum raperet*, *aut* ubi *Venus Adoneum?*

Cic. Verr. IV. 1. *Nego ullam picturam, neque in tabula, neque in textili fuiſſe*. Propert. I. 2. 21.

Sed facies adorat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis eſt color in tabulis.

Idem III. 9. 11.

In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles.

Auſon. Epiſt. ad Gregor. *En unquam vidiſti nebulam pictam in pariete? Vidiſti utique, & meminiſti, Treviris quippe in triclinio Aeoli fucata eſt pictura haec: Cupidinem cruci affigunt mulieres amatricos, non iſtae de noſtro ſeculo, quae ſponte peccant; ſed illae heroicae, quae ſibi ignoſcunt, & plectunt Deum. Quarum partem in Lugentibus campis Maro noſter enumerat. Hanc ego imaginem ſpecie & argumento miratus ſum.*

37. Misisse] Proprie. Plaut. Rud. I. 1. 1.

Proh Di immortales! tempeſtatem cujuſmodi.
Neptunus nobis nocte hac miſit *proxima!*

Horat. Carm. I. 2. 1.

Jam ſatis terris nivis, atque dirae
Grandinis miſit *pater*.

Ovid. Metam. I. 596.

Sceptra manu teneo; ſed qui vaga fulmina mitto.

Quo minus neceſſe, cum Georg. Fabritio ninxisse tueri, vel cum Palmerio, nisisse, aut ninsisse.

Imbrem aureum.] Anthol. VII. 163.

Εἰς Δανάην ἔῤῥευσας Ὀλύμπιε χρυσὸς, ἵν' ἡ παῖς
Ὡς δώρῳ πεισθῇ, μὴ τρέσῃ ὡς Κρονίδην.

Pindarus Pyth. 7.

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.
Taurus, Olor, Satyrus, fit & aurum Jupiter ardens

Euro-

Digitized by Google

Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi:
Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque in alienas tegulas
Ve-

DONATI.

39. JAM OLIM ILLE LUDUM.] Bene, non ſcelus, ſed LUDUM dixit. IMPENDIO] Id eſt, magis magiſque luſerat. Et LUSERAT LUDUM, ut,

[14] *Hunc oro, ſine, me furere ante furorem.*

Figura ἀρχαϊσμός.

40. DEUM SESE IN HOMINEM CONVERTISSE.] Philoſophice nunc *Terentius* demonſtravit, quam cladem moribus hominum, & civitatibus afferant figmenta Poëtarum, cum exempla ſcelerum afferant [15] peccaturis. DEUM SESE IN HOMINEM CONVERTISSE.] Utrum quia Jupiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, [16] non pro Jove aurum? an, IN HOMINEM, id eſt, hominis audaciam atque flagitia? ATQUE IN ALIENAS TEGULAS.] Hic apparet Jovem ſeparatim, ſeparatim aurum fuiſſe pictum. IN ALIENAS TEGULAS.] Satis comico charactere locutus eſt, & preſſo ſtylo.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Hunc oro*] Virgil. Aeneid. XII. 680.

15. *Peccaturis*] Hanc vocem non agnoſcunt vetuſti Codices. Malim, *cum exempla ſcelerum offerant.*

16. *Non pro Jove aurum*] Lege ex edd. vetuſtis, *an pro Jove aurum.*

COMMENTARIUS.

Europen, Leden, Antiopen, Danaën.

Ovid. Amor. III. 8. 29.

Jupiter admonitus, nihil eſſe potentius auro,
Corruptae pretium virginis ipſe fuit.
Dum merces aberat; durus pater, ipſa ſevera,
Aerati poſtes, ferrea turris erat:
Sed poſtquam ſapiens in munere venit adulter;
Praebuit ipſa ſinus: & , dare juſſa, dedit.

Vulgo *in munera*. Idem Metam. IV. 610.

Perſea, quem pluvio Danaë conceperat auro.

Et verſu 697.

Quam clauſam implevit foecundo Jupiter auro.

Lactant. Inſtit. Div. I. 11. *Danaën violaturus Jupiter aureos nummos largiter in ſinum ejus infudit.* Plato autem de Repub. Lib II. hanc cauſam inter caeteras adfert, cur Poëtas nolit in ſua Republica, quod, quae de Diis ſunt commenti, peſſimum ſint legentibus exemplum. Ex quo loco ſunt illa verba Menippi ſumta apud Lucianum in Necyomantia. Eadem dicit Auguſtinus de Civit. Dei. II. 7. & deinceps.

38. ID] Quod ſcilicet inerat in tabula picta. Ad ſenſum enim refertur, non ad τὸ PICTURA.

39. IMPENDIO MAGIS ANIMUS GAUDEBAT MIHI.] Cic. Att. X. 4. *At ille* impendio *nunc* magis *odit Senatum.* Gell. I. 2. *Loquacior*, impendio *& promtior.* Plaut. Aul. Prol. 18.

Atque ille vero minus minuſque impendio
Curare.

Unde Theod. Marcilius ad Catull. Epigr. LIX. in Noſtro legit, IMPENDIO MAGIS MAGISQUE.

40. DEUM SESE IN HOMINEM CONVERTISSE.] Haec non erant picta in tabula, in qua non Deus forma humana, ſed aureus imber conſpiciebatur. Exponit ergo his verbis Chaerea, quid credat de hac pictura. Atque hoc pertinet vel maxime ad Literas, de quibus eum commendaverat Parmeno, ſupra III. 2. 23. Ita & Ovid. loc. cit. Amor. III. 8. 29. Dixit vero, HOMINEM pro *humano facinore*. Solent ſcilicet nomina ſeu propria, ſeu appellativa pro attributis ipſis uſurpari. Suet. Caeſ. 1. *Caeſari multos Marios ineſſe.* Juſtin. IV. 3. *Auſi facinus nulli tyranno comparandum.*

ATQUE IN ALIENAS TEGULAS.] Mſ. Lipſ. ET PER ALIENAS TEGULAS. Guyeto placebat, ET PER AHENAS TEGULAS. Omnis vero vis eſt in τῷ ALIENAS. Sic Adelph. I. 2. 8.

Fores effregit, atque in aedes irruit
Alienas.

Cic Philipp. II. 18. *Cum tamen tu, nocte ſocia, hortante libidine, cogente mercede,* per tegulas *demitterere.* Evang. Luc. V. 19. Καὶ μὴ εὑρόντες διὰ ποίας εἰσενέγκωσιν αὐτὸν, διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ εἰς τὸ μέσον, ἔμπροσθεν τοῦ Ἰησοῦ. Porro autem de *tegularum* ratione & differentia vide quae erudite collegit Caſtilionius ad Vitruv. II. 1. & VII. 1.

Digitized by Google

Veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa coeli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens.
Dum haec mecum reputo, arceſſitur lavatum interea virgo:

It,

DONATI.

41. VENISSE CLANCULUM PER IMPLUVIUM.] Haec omnia non ut difficilia factu, ſed ut humilia, & Jove indigna proferuntur, ut merito ſequatur, EGO HOMUNCIO HOC NON FACEREM? quod non ſolum non Jovi, ſed ne homini quidem, niſi furi, aptum erat? FUCUM FACTUM MULIERI.] Id eſt, *ut fucum faceret*, hoc eſt, inſidias & fraudem. FUCUM, aſtutam fraudem: & MULIERI, pro, *feminae*.

42. QUI TEMPLA COELI SUMMA SONITU CONCUTIT.] Ab auctoritate perſonae, ut ſit in exemplis. SONITU CONCUTIT.] Παρῳδία [17] de Ennio. TEMPLA COELI.] Sententia Tragica: ſed de induſtria, non errore.

43. EGO HOMUNCIO HOC NON FACEREM?] Oratorie. Ut Jovem extulit, ita detraxit ſibi: ut puta, Ille eſt Deus, & magnus: ego non homo, ſed homuncio.

44. DUM HAEC MECUM REPUTO, ARCESSITUR LAVATUM.] Servavit ordinem nuptiarum: & proprio verbo, quaſi de nuptura dixit. ARCESSITUR.] Ut alibi,

Quam mox virginem arceſſant.

Nam ipſe illam eſt habiturus uxorem. DUM HAEC MECUM REPUTO.] Hic oſtendit, non ſibi primum haec nunc in mentem veniſſe, ſed tunc etiam cogitata, cum nondum eſſet in domo meretricis.

OBSERV. IN DONAT.

17. *De Ennio*] Hic ita Annal. Lib. II. *Contremuit templum magnum Jovis altiſonantis.*

COMMENTARIUS.

41. PER IMPLUVIUM.] Durior Guyeto videtur repetito τοῦ PER, ſi legas, PER TEGULAS, PER IMPLUVIUM. Legit igitur, IN IMPLUVIUM, citatque Plautum, Amph. V. 1. 56.

Devolant angues jubati deorſum in impluvium *duo.*

Atque adeo ex Plauto reſtituendum noſtrum contendit, cum h. l. tum Phorm. IV. 4. 27. Ego vero Plautum Plauto oppono. Ita igitur ille Mil. II. 2. 3.

Mihi quidem jam arbitri vicini ſunt, meae quid fiat domi.

Ita per impluvium *intro ſpectant.*

Ita & II. 3. 69. II. 6. 72. Eſt vero IMPLUVIUM, teſte Aſconio ad Cic. Verr. I. 23. *Locus ſine tecto in aedibus, qui* implucre *imber in domum poſſit.* Feſtus IMPLUVIUM vocat, *quo aqua* impluit, *collecta e tecto.* Scilicet, fuit locus in medio aedium vacuus ſub aëre, in quem pluvia omnis conflueret. Suetonius Aug. 92. *compluvium* vocat.

FUCUM FACTUM MULIERI.] *Fucus* adulterinus color eſt, & mala res muliebris, qua anni celantur. Plaut. Moſtell. I. 3. 118. unde pro fraude & dolo. Cic. Att. I. 1. init. Eſt igitur *fucum facere* alteri, in fraudem illicere. Eodem ſenſu dixit Plautus Capt. III. 4. 123.

Ita mihi ſtolide ſurſum verſum os ſublevere offuciis.

42. AT QUEM DEUM! QUI TEMPLA COELI SUMMA SONITU CONCUTIT.] Editio anni 1469. SUMMO SONITU. Sententiam Tragicam recte vocat Donatus. Artificium id eſt Poëticum, verba rei accommodare. Et faciebat id ad exprimendam Jovis majeſtatem, cui ipſe HOMUNCIO tanto magis oppoſitus videri debebat. Hujuſmodi ſunt illa Phaedri, IV. 5.

Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu.

Adde Fab. 6. ubi *in cothurnis prodit Aeſopus novis.* Ad quae loca vide Interpretes, maxime Cl. Burmannum. Menander:

Δέσποιν' ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον.
Οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ἐν οὐρανῷ Θεῶν
Ζεύς, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκασθεὶς ποιεῖ.

Citat Stobaeus Flor. Tit. LXIII. ἐκ τοῦ Ἥρωος.

Cicero

It, lavit, redit. deinde eam in lectum illae conlocant.
Sto expectans, ſi quid mihi imperent. venit una, heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum, & ventulum huic ſic facito, dum lavamus:
Ubi

DONATI.

45. IT, LAVIT, REDIT.] *Συντομία*, [17] quia ſolet, utitur. DEINDE ILLAM IN LECTO ILLAE CONLOCANT.] Vide an aliquid deeſt legitimis nuptiis: nam & ipſum verbum CONLOCANT proprium eſt, & adſcribitur pronubis.

46. STO EXPECTANS, SI QUID MIHI IMPERANT.] *Ἐνάργεια*. Non enim dixit *ſtabam*. EXPECTANS, deſiderans. Et mire omne tempus executus eſt ſalva veritate, in qua [19] *Virgilius* negligens invenitur: cum poſt occiſum *Mezentium*, non facta noctis mentione, ſtatim intulit.

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.

47. CAPE HOC FLABELLUM.] Praeclare non ſenſum, ſed verba ipſa per *μίμησιν* induxit, per quam puellaris error exprimitur. CAPE HOC FLABELLUM, ET VENTULUM HUIC SIC FACITO] Quam particulatim, cum qua diligentia & *δεικτικῶς* jubet, quaſi novitio & imperito. VENTULUM HUIC SIC FACITO, DUM LAVAMUR.] Demonſtrativum, & geſtu explicandum.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Qua ſolet, utitur*] Libri veteres, *Συντομία, quia bis ſeparatim utitur.*

19. *Virgilius*] Aeneid. XI. 1.

COMMENTARIUS.

Cicero Somn. 3. *Niſi Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt.* Varro apud Non. *Tunc repente coelitum altum tonitrubus templum toneſcit.* Ovid. Heroid. XVIII. 117.

Per genus infelix juro, generiſque parentem,
Qui freta, qui terras, qui ſua regna quatit.

Lucretius plus ſemel *coeli templa* dixit. Sed & Martianus Capella in Choro Muſarum ingeminat illud,

Scande coeli templa *Virgo.*

Omnes imitati Ennium, Annal. Lib. II.

Quanquam multa manus ad coilei coirula templa
Tendebam lacrumans, & blanda voce vocabam.

Eſt vero *Templi* vocabulum ex diſciplina augurali ſumtum, notans proprie ſpatium illud, quo Deos conſulens ſedebat augur, quaſi *Tuemplum* a tuendo dictum; unde *contemplari* pro diligenter intueri. Vide And. III. 2. 38.

43. EGO HOMUNCIO.] Optime ad haec Donatus. Format autem *τὸ Homo* ex ſe, Homuncio, Homunculus, Homulus, Homullus.

EGO ILLUD VERO ITA FECI, AC LUBENS.] Pace eruditorum dixerim, *τὸ* ITA mihi videri otioſe *παρέλκειν*, neque habere, quo referatur. Rogaverat enim Chaerea, EGO HOMUNCIO HOC NON FACEREM? volebat igitur HOC facere, non ITA facere. Unde continuo ſat commode dicebat, EGO ILLUD VERO FECI, AC LUBENS. Neque aliter ediderunt Aldus & Heinſius. Mſſ. variant.

45. DEINDE EAM IN LECTUM ILLAE CONLOCANT.] Ita edidi ob metrum, accedente auctoritate Donati, & quorundam Mſſ. & edit. 1469. Quanquam mira in his verbis varietas Librorum. Sunt qui IN LECTO habent, ſunt item, qui IN LECTULO. In quibuſdam eſt COLLOCARUNT. Ita nuptam in lectum genialem collocabant pronubae. Catull. Carm. LIX. 186.

Vos bonae ſenibus viris
Cognitae bene feminae,
Collocate *puellulam.*

Apulej. Metam. II. *Veſperi quoque cum ſomno concederes, & in cubiculum te duxit comiter, & blande* lectulo collocavit, *& ſatis amanter cooperuit.* Ceterum requieſcebant, ubi laverant. Nam & circa veſperam utebantur balneo. Unde in Domitiano reprehenditur, quod de die laverit. Suet. Domit. 21.

46. EXSPECTANS] Mſ. Mark. SPECTANS.

47. VENTULUM HUIC SIC FACITO.] Plaut. Caſ. III. 5. 24.

continuo.

Digitized by Google

Ubi nos laverimus, ſi voles, lavato. accipio triſtis.
An. Tum equidem iſtuc os tuum impudens videre nimium vellem:
Qui eſſet ſtatus, flabellum tenere te aſinum tantum.
Ch. Vix elocuta 'ſt hoc, foras ſimul omnes proruunt ſe.
Abeunt lavatum: perſtrepunt, ita ut fit, domini ubi abſunt.
Inter-

DONATI.

48. UBI NOS LAVERIMUS.] Vide uſum verbi tam cito variatum, DUM LAVAMUR: &, UBI LAVERIMUS. SI VOLES, LAVATO.] [20] Quaſi ſatisfacientis eſt, cum ſolum illum relinquant cum virgine. ACCIPIO TRISTIS.] Id eſt, triſti ſimilis: ut,

> [21] *Namque, ut conſpectu in medio turbatus inermis Conſtitit.*

ACCIPIO TRISTIS.] Bene TRISTIS, tanquam aliud magis vellet, hoc eſt, lavare, aut ludere: metuit enim ne quod cupit, prodatur gaudio.

49. OS TUUM IMPUDENS] Licet jocanti & amico officium jocunde facere.

50. QUIS ESSET STATUS.] *Statura* corpori adſcribitur: STATUS ad habitum refertur. Ergo *ſtatus* eſt *σχῆμα*: *Statura*, longitudo corporis. TE ASINUM TANTUM] Quia hoc miniſterium delicatorum ſervorum eſt.

51. OMNES PRORUUNT SE.] Verbo neutrali quaſi activo uſus eſt.

52. UBI ABSUNT] UBI, & temporis & loci poteſt eſſe.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Quaſi ſatisfacientis eſt.*] Abrah. Wielingius conjiciebat legendum: *Quaſi ſatisfacientes.* Poſſit tamen retineri lectio vulgata, ſi pro *relinquant* ſubſtituas *relinquunt*, quod eſt in edd. Venetis.

21. *Namque*] Virgil. Aeneid. II. 67.

COMMENTARIUS.

contine pectus, face ventulum, *amabo*, *Pallio.*

DUM LAVAMUS] Donatum legiſſe LAVAMUR, diſcas ex ejus verbis. Faërnus laudat Libros antiquos, qui LAVAMUR legant. Et ita Rob. Stephanus edidit. Variant Mſſ. In Mſ. Lipſ. τὸ s mutatum in R. In Mſ. Mark. abſunt voces, SIC, &, LAVAMUS. Quod vero h. l. de ancillis abſente Thaide balneo utentibus, idem de duobus ſervis abſente hero refert Apulejus Metam. X.

50. FLABELLUM TENERE TE ASINUM TANTUM.] Guyetus, ut major oppoſitio ſit inter FLABELLUM & ASINUM TANTUM, jubet FLABELLULUM nos legere. Sed & ita legit Anteſignanus. Suet. Aug. 82. *Aeſtate apertis cubiculi foribus, ac ſaepe in periſtylio ſaliente aqua, atque etiam* ventilante *aliquo cubabat.* Ad quem locum vide Caſaubonum de *flabellorum* e pavonum pennis factorum uſu & forma erudite diſſerentem. Sed & Heinſium ad Ovid. Arte Am. I. 161. ubi *flabella* ex tabulis etiam tenuioribus eſſe facta docet. *Aſini* autem appellatio in conviciis erat. Sic Adelph. V. 8. 12. & Plaut. Pſeud. I. 2. 4.

> *Neque ego homines magis* aſinos *unquam vidi, ita plagis coſtae callent.*

Lyſippi vetuſtiſſimi Poëtae dictum fertur:

> *Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ·*
> *Εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ τεθήρευσαι, δ' ὄνος·*
> *Εἰ δ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις, κανθήλιος.*

Vide Barth. Adverſ. VIII. 14. Cic. Att. IV. 5. *Scio, te voluiſſe; & me* aſinum *germanum fuiſſe.* Quae tamen lectio varie ſollicitatur ab hominibus Criticis.

51. Hoc] Mſ. Mark. HAEC.

PRORUUNT SE.] Mſ. Lipſ. PRORUUNT, ITA UT FIT, UBI DOMINI ABSUNT. omiſſis intermediis.

53. Li-

Interea ſomnus virginem opprimit: ego limis ſpecto,
Sic per flabellum clanculum: ſimul alia circumſpecto,
Satin' explorata ſint. video eſſe: peſſulum oſtio obdo.
An. Quid tum? *Ch.* Quid? quid tum? fatue. *An.* Fateor.
Ch. An ego occaſionem

Mihi

DONATI.

53. Intersa somnus virginem opprimit] Utpote compreſſam ſomno, & oblectatam flabello, atque ab Eunucho nihil metuentem. Ego limis specto.] Limis, ſi nominativus ſingularis eſt, tranſverſus ſignificat: ſi ſeptimus pluralis, deeſt *oculis*. Nam limis, eſt tranſverſus: unde *limen* dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibuſque tranſverſum eſt. Quum igitur diſſimulant homines ſe videre quod vident, & non recta facie, ſed tranſverſa intuentur, *limis* dicuntur *aſpicere*. Limis specto] Cum *limi* dicantur obliqui generaliter, hoc tamen [22] de oculis dicitur.

54. Sic per flabellum clanculum] Sic δεικτικῶς eſt, & neceſſario additum. Nam & limis & per flabellum, ſine demonſtratione parum intelligitur.

55. Pessulum ostio obdo.] Scilicet ut amoveret, arceretque auxilium virginis.

56. Quid tum fatue?] Quid enim praeter vitium ſupereſt, ubi amator eſt adoleſcens, & virgo dormiens & incluſa? Grate explicata narratio

OBSERV. IN DONAT.

22. *De oculis*] Libri Veneti: *proprie de oculis.*

COMMENTARIUS.

53. Limis specto.] Mſ. Mark. Adspecto. Plaut. Bacchid. V. 2. 12.

Viden' limulis, *obſecro, ut intuentur?*

Eſt vero oculus *limus* tranſverſus & obliquus; ſed & laſciviae & amorum index. Quinctil. Inſtit. XI. 3. *Quadam voluptate ſuffuſi, aut* limi, *&, ut ſic dicam, Venerei.* Ovid. Amor. III. 1. 33.

Altera, ſi memini, limis *ſubriſit ocellis.*

Unde & ipſa Venus *ſtraba* dicitur. Ovid. Arte Am. II. 659. ex lectione Heinſii:

Si qua ſtraba eſt, Veneri ſimilis: ſi rava, Minervae.

55. Explorata.] Tuta, certa. Phorm. IV. 3. 23. A ſilva tranſlatione facta, in quam quoties ſeu in venatione, ſeu in itinere faciendo praemittebantur, qui ploratu & vociferatione feras excitarent e latibulis, ſilva ipſa *explorata* dicebatur. Hinc *exploratum* quid habere eſt diligenter inquiſiſſe in rem, & pernoſcere. Phaed. III. 10. 5.

Ergo exploranda *eſt veritas multum, prius*
Quam ſtulta prave judicet ſententia.

Suet. Caeſ. 24. *Adeo ut Senatus quondam Legatos ad* explorandum *ſtatum Galliarum mittendos decreverit.*

Pessulum ostio obdo.] Fallitur Muretus exiſtimans obſcoenum in hiſce verbis eſſe ſenſum. Primum enim proprie & ſimpliciter ita cepit Antipho, atque adeo omnes ſpectatores; tum nullus eſt lepos in jocis, quos non capias. Quod de Antiphone dixi, inde conſtat, quod ubi dixiſſet Chaerea, pessulum ostio obdo, ille, nihil etiam ſuſpicans mali, pergit rogare, quid tum? q. d. Quid, poſtquam peſſulum oſtio obdidiſti? quando irriſus, & geſtibus petulantibus admonitus de virgine vitiata, demum intellexit. Plane ita Plautus in re ſimili, Caſ. V. 2. 17.

forem obdo; *ne ſenex me opprimat.*

56. Quid? quid tum? fatue] Ita Juntae, Faërnus, alii. Melanchthon edidit, Quid tum? fatue. Sed & Aldus cum Stephano. Et ſunt pluſculi Mſſ. & editi vetuſtiſſimi, in quibus τὸ quid non geminatur.

Digitized by Google

Mihi oſtentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam inſperatam,
Amitterem? tum pol ego is eſſem vere, qui ſimulabar.
An. Sane hercle ut dicis. ſed interim de ſymbolis quid actum eſt?
Ch. Paratum eſt. *An.* Frugi es: ubi? domin'? *Ch.* Immo apud libertum Diſcum.
An. Perlonge'ſt: ſed tanto ocius properemus. muta veſtem.
Ch. Ubi mutem? perii: nam domo exulo nunc: metuo fratrem,
Ne intus ſit: porro autem, pater ne rure redierit jam.

An.

DONATI.

ratio eſt, quam audientis curioſitas finit, & cujus in extrema parte major attentio eſt. FATEOR] Me fatuum, qui hoc quaeſierim, ſubauditur. AN EGO OCCASIONEM MIHI OSTENTATAM, TANTAM, TAM BREVEM, TAM OPTATAM, TAM INSPERATAM, AMITTEREM?] Vide quanta dixerit: non voluntatem, ſed *occaſionem*: non animadverſam, ſed *oſtentatam*: non hanc, ſed *tantam*: non anguſtam, ſed *brevem*: non appetitam, ſed *optatam*: non repentinam, ſed *inſperatam*. Et bene INSPERATAM: aliud enim ſibi promiſerat; ut ſupra diximus, non quod pictura occaſioque perſuaſit.

58. TUM POL EGO IS ESSEM VERE, QUI SIMULABAR.] Eunuchus ſcilicet.

59. SANE HERCLE UT DICIS.] Deeſt, *ita eſt*. SED INTERIM DE SYMBOLIS QUID ACTUM EST?] Bene memor eſt perſonae, quam induxit Poeta, per hanc interrogationem. SED INTERIM DE SYMBOLIS.] Παροιμιῶδες, ἀλλὰ περὶ τοῦ χοιριδίου.

60. FRUGI ES.] Utilis & neceſſarius: ut fruges humano generi. FRUGI eſt ergo, in quo eſt aliquid quo fruamur, id eſt, utamur. DISCUM] Nomen eſt proprium [22] *Diſcum*.

61. SED TANTO OCIUS PROPEREMUS.] PROPEREMUS dixit, pro ambulemus. MUTA VESTEM.] Haec οἰκονομία eſt ad id, quod in domum Thaidis rediturus eſt Chaerea.

62. UBI MUTEM?] Vultu oſtendit, quod ſubaudiatur, *neſcio*. NAM DOMO EXULO.] Deeſt *Prope*, aut *Veluti*: ut ſit, Prope jam exulo. EXULO duobus modis dicitur: & de loco in quo exul eſt, & de loco ex quo ejectus eſt. NUNC METUO FRATREM.] Cauſas oſtendit, cur domo penitus veluti exulet.

63. PATER NE RURE REDIERIT.] Praeparatur jam interventus ſenis: & eſt ζεῦγμα ad ſuperiora. Nam & hic *metuo* eſt ſubaudiendum.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Diſcum*] Inepte repetita vox, neque in editis vetuſtiſſimis lecta. Tum *Diſcu* nominandi caſus eſt.

COMMENTARIUS.

57. TANTAM] In praeſtantiſſimis editionibus, Juntina, Rob. Stephani, Frobenii, aliis, haec vox omiſſa. Nec adeo metrum videtur admittere, ni legas, OSTENTAM. Mſ. Lipſ. agnoſcit.

58. SIMULABAR] Mſ. Lipſ. & edit. anni 1469. ADSIMULABAR. Sic Petron. cap. 80. *facies aſſimulata*.

60. FRUGI ES.] Formula, qua ſervi proprie laudabantur. q. d. bonus es, res probe curas. Infra IV. 7. 46. Heaut. III. 3. 36. Unde eodem verbo omnes pariter complectebantur virtutes.

61. PERLONGE] Mſſ. quidam & editi vetuſtiſſimi: AN. *Perlonge eſt*. CH. *Sed tanto ocius properemus*. AN. *Muta veſtem*. Mſ. Traject. AN. *Perlonge eſt; ſed tanto ocius muta veſtem*.

64. IBI

An. Eamus ad me: ibi proximum eſt, ubi mutes. *Ch.* Recte dicis. Eamus: & de iſtac ſimul, quo pacto porro poſſim Potiri, conſilium volo capere una tecum. *An.* Fiat.

DONATI.

64. IBI PROXIMUM EST.] Hoc eſt, domus mea. RECTE DICIS. EAMUS.] Ipſa verba quodammodo feſtinationem ſonant.

65. QUO PACTO, PORRO.] PORRO, poſtea, deinceps.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

DORIAS.

ITA me Dii bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo miſera,
Ne quam ille hodie inſanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam poſtquam iſte advenit Chremes adoleſcens, frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti jubeat. ille continuo iraſci:
Ne-

DONATI.

ITA ME DÎ BENE AMENT.] *Ea perſona quaeſita eſt, quae terribilem credat militem:* [1] *& eo magis in experiendo vanus ac ridiculus eſſe poſſit.*

1. ITA ME DÎ BENE AMENT.] Hoc loco quid poſt Scenam geſtum ſit, hoc eſt, in convivio militis, ancilla demonſtrat: ut jam quae in proſcenio agantur, ex his poſſimus agnoſcere.

2. NE QUAM ILLE HODIE INSANUS.] *Illum*, & *Ille inſanus*, ſic effertur, ut omnibus inſuavis miles eſſe noſcatur.

3. NAM POSTQUAM ISTE ADVENIT] [2] Inſtanter admonet, qui ſcilicet ſit Chremes.

4. MILITEM ROGAT.] Et hoc quaſi de odioſo *Militem* dixit, non *Thraſonem*. CONTINUO IRASCI] Ut rivali.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et eo magis*] Lege ex Mſ. Hulſt. *Ut eo magis.*
2. *Inſtanter*] Diſerte & pluribus verbis. Dicit enim & CHREMES, & ADOLESCENS, & FRATER VIRGINIS. Malebat tamen Eruditiſſ. Wielingius: *incuſanter admonet.*

COMMENTARIUS.

1. DÎ BENE AMENT] Codex Bembinus & Mſ. Mark. DÎ AMENT. Nec metri ratio videtur admittere τὸ BENE; quanquam eſt in Libris pleriſque omnibus.

QUANTUM EGO ILLUM VIDI.] H. e. Pro eo ac ego illum vidi. Supra I. 2. 62.

4. ILLE CONTINUO IRASCI: NEQUE NEGARE AUDERE.] Unde quia vanas exercebat Thraſo minas,

Neque negare audere. Thais porro inſtare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius cauſa: quia illa, quae cupiebat
De ſorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat triſtis: manſit. ibi illa cum illo ſermonem occipit.

Miles

DONATI.

5. NEQUE NEGARE AUDERE.] Ut amicae poſcenti. INSTARE, UT HOMINEM INVITET.] Vide impudentiam meretricis. primum petit, ut jubeat eum admitti: poſtea ut invitet, quod eſt majus.

6. ID FACIEBAT RETINENDI ILLIUS CAUSA.] Admonet ſpectatorem, ne exiſtimet alteri rivali injuriam fieri Phaedriae. Et ſimul eſt hic προπαρασκευὴ virginis agnoſcendae.

8. INVITAT TRISTIS.] TRISTIS, invitus, non libenter. Ut e contrario [3] *Virgilius*,

> *Vobis* laetus *ego hoc candentem in littore taurum*
> *Conſtituam ante aras, voti reus.*

Et, *Accipio triſtis*, eodem modo. MANSIT IBI.] Adoleſcens ſcilicet. Et MANSIT pro remoratus eſt, id eſt, accubuit, nec receſſit, MANSIT ſignificat. [4] Simile eſt, MANSIT, paſſus eſt. Sic, *Chremes manſit*, immoratus eſt, conviva neceſſitate diſceſſit, accipiendus eſt. SERMONEM OCCIPIT.] SERMONEM colloquium dicit.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Virgilius*] Aeneid. V. 236.

4. *Simile eſt*, MANSIT, *paſſus eſt. Sic* CHREMES MANSIT, *immoratus eſt, conviva neceſſitate diſceſſit, accipiendus eſt.*] Verba corrupta. Forte legendum: *Simul &* MANSIT, *paſſus eſt ſe retineri.* MANSIT. i. e. *moratus eſt, nec ſtatim diſceſſit, conviva accipiendus.* Abr. Wielingius: *Immoratus eſt convivio, nec ſtatim diſceſſit.* Mſ. Hulſt. ſed & editio Tarviſiana anni 1481. & Venetae annorum 1490. & 1512. omittunt.

COMMENTARIUS.

minas, Thais vere de illo, infra IV. 7. 15.

> *Sane, quod tibi nunc vir videatur eſſe hic, nebulo magnus eſt.*

7. AD EAM REM TEMPUS NON ERAT.] Indicat igitur infra IV. 6. 7.

8. MANSIT.] Mſ. Lipſ. MANSIT IBI.

IBI ILLA CUM ILLO SERMONEM OCCIPIT.] Emphaſis eſt in τοῖς CUM ILLO. Sub. Chremete, neglecto ſcilicet Thraſone. Atque inde illa ſuſpicio de aemulo ſibi adducto. Mſ. Mark. SERMONEM ILLICO OCCIPIT. Juntae, ILLICO, omiſſo OCCIPIT. Mſ. Lipſ. INCIPIT. quod & eſt in Mſſ. tribus Leidenſibus, totidem Pall. teſte Pareo, V. C. Lindenbruchii, & edit. 1469.

10. PAMPHILAM ARCESSE.] Scilicet memor eſt praecepti Gnathonis, ſupra III. 1. 50. ſeqq.

11. UT DELECTET HIC NOS.] Saltando ſcilicet & cantando.

12. IN CONVIVIUM ILLAM?] Sub. adducas. Alii, TUN' IN CONVIVIUM ILLAM? Praeter morem ſcilicet Graecorum. Nepos Praefat. Cic. Verr. I. 26. *Poſteaquam ſatis calere res Rubrio viſa eſt; quaeſo, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? Homo, qui & ſumma gravitate, & jam id aetatis, & parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto. Inſtare Rubrius. Tum ille, ut aliquid reſponderet, negavit moris eſſe Graecorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres.* Adde Vitruv. VI. 10. & Juſtin. VII. 3. & quae ibi notavit Berneccerus. Noluit autem Thais Pamphilam adduci in convivium, ne quid de caſtitate ejus delibaretur audiendo verba nupta & parum verecunda, ſed ut eam ſuis integram & pudicam redderet ac reſtitueret. Romanorum autem conviviis tantum virgines arcebantur. Cujus rei rationem refert Varro apud Non. v. *Acerbum.* Verba Varronis: *Virgo de convivio abdicatur ideo, quod majores noſtri virginis acerbae aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.*

MELES TENDERE.] H. e. Contendere. Virg. Aen. I. 18. Horat. Epiſt. I. 19. 16.

> *Dum ſtudet urbanus*, tendit*que diſertus haberi.*

Fruſtra autem fuiſſe conatus militem, inde apparet, quod pugna jam futura Chremes ſororem ſuam nondum viderat; Thaidi enim dono data in aedibus ejus ſervabatur. Infra IV. 6. 9.

13. IN-

Digitized by Google

Miles vero ſibi putare adductum ante oculos aemulum:
Voluit facere contra huic aegre. heus! inquit, puer, Pamphilam
Arceſſe, ut delectet hic nos. illa exclamat, minime gentium:
In convivium illam? miles tendere. inde ad jurgium.
Interea aurum ſibi clam mulier demit: dat mihi ut auferam.
Hoc

DONATI.

9. ADDUCTUM AEMULUM.] Plus dixit ADDUCTUM, quam *Admiſſum*: & ſimul quia videbat furibundum Chremem, [5] & totum crimen revocat ad Thaidem. Et haec eſt cauſa, cur a milite in ejus domo nullam rixam patiatur Chremes.

10. HUIC AEGRE.] Huic Thaidi, non adducto. HEUS! INQUIT, PUER.] Hic oſtenditur, quod [6] ſupra apparatum eſt. PAMPHILAM ARCESSE] Non *provoca*, ſed *arceſſe*: [7] quia non eſt aptum militi.

11. UT DELECTET HIC NOS.] Quaſi dicat, quod haec non facit. Sed *delectare*, fidicinae eſt: quia ſupra de illa dixerat, ET FIDIBUS SCIRE. Et bene HIC, quaſi inſuaviter nunc tractemur. ILLA EXCLAMAT.] [8] Non *reſpondit*: inquit: ſed EXCLAMAT. MINIME GENTIUM.] Hoc magis mirum, *minime gentium*, quam *nuſquam gentium*.

12. IN CONVIVIUM ILLAM?] Ἐμφατικῶς. ut, [9] *Cantando tu illum?* ILLAM?] Deeſt, *arceſſas*: & eſt figura ἀποσιώπησις, MILES TENDERE.] Proprie dixit TENDERE. quod ſignificat pertinacem contentionem. [10] *Virgilius*,

---- Vaſto certamine tendunt.

INDE AD JURGIUM.] Subauditur, *ventum eſt*.

13. INTEREA AURUM SIBI CLAM MULIER DEMIT.] [11] Ne aurum pro virgine, quod retinebat, amitteret. Vel AURUM DEMIT, ut eſſet ad fugam expeditior, vel ad rixam. Et opportune *mulierem* dixit, non *Thaidem*: ut oſtenderet malitiam ſexus.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Et totum crimen*] Editiones Venetae non agnoſcunt τὸ *Et*, quo omiſſo ſenſus clarior eſt.

6. *Supra*] III. 1. 50. ſeqq.

7. *Quia non eſt aptum militi.*] Libri Veneti: *quia non aptum militi*. Utraque lectio corrupta. Reſtituo audacter: *Quia non eſt apud militem*. Non poterat igitur provocari ex conclavi aedium Thraſonis, ſed arceſſenda erat ex aedibus Thaidis, cui jam dono erat data. Forte ſcriptum fuerat, *quia non eſt apud mil.*

8. *Non reſpondit.*] Vel *repon't* legendum, vel *reſpondet*.

9. *Cantando*] Virgil. Ecl. III. 25.

10. *Virgilius*] Aeneid. XII. 553.

11. *Ne aurum pro virgine, quod retinebat, amitteret.*] Abr. Wielingius legit: *Ne aurum pro virgine, quam retinebat, amitteret*. Guido Juvenalis Donati imitator, *Ne amittat aurum, quod tenebat*. Fortaſſe ſcripſit Interpres: *Ne aurum per jurgium, quod tenebat, amitteret*.

COMMENTARIUS.

13. INTEREA AURUM SIBI CLAM MULIER DEMIT.] Intellige annulos, inaures, armillas, caetera. Lege vero cautum eſſe Athenis, ne meretrix vel aurea corona, vel aurata veſte, vel auro uteretur, Meurſius Them. Att. I. 6. docet. Unde mirum Petito viſum, Thaidem tamen aurum geſtaſſe. Scilicet legem hanc vulgo violatam, tot meretricum exempla evincunt. Quid quod nec ancillas habere meretrici ex lege licuit? An ideo minus integros ancillarum greges in meretricum familiis reperias? Optime rem expedit Ampliſſimus Vir, Corn. van Bynkershoek in humaniſſimis ad me literis.

„ Forte, inquit, non ſemper, nec omni aetate Graeciae meretricibus interdictus fuit auri uſus. Ut ita tempora diſtingui poſſent. Et ſi vel ſemper; quid vetat domi, dum amoribus vacabant, aurum geſtaſſe, dummodo ne auro ornatae in publicum prodirent? Et quid etiam vetat, meretrices inter medias Leges peccaſſe? Ipſae matronae honeſtiores ſaepe Leges Sumtuarias ſpernebant vel eludebant apud Romanos. Utque Leges Sumtuariae ſimul ac natae, ſic fere mortuae, ita fere Lex Attica, quae meretriculis interdicebat auri uſum. Sed & refert Athenaeus Lib. XII. ex

Hoc eſt ſigni, ubi primum poterit, ſe illinc ſubducet, ſcio.

DONATI.

14. Hoc eſt ſigni, ubi primum poterit.] Ad quam rem ſigni? Utrum, *Hoc eſt ſigni, quamobrem metuam ne quam ille hodie inſanus turbam faciat, aut vim Thaidi*? An, *Hoc eſt ſigni, unde ſcio quod ubi primum poterit, ſe illinc ſubducet*? Erit igitur ſubaudiendum ſic, " *unde* & *quod*: ut ſit, *Unde ſcio, quod ubi primum poterit.*

OBSERV. IN DONAT.

12. *Unde* & *Quod*] Linacer Lib. VI. minus durum fore dicit, ſi verbum *Scio* per parentheſin legatur, vel *Quod* bis ſubaudiatur. Prius placet. Idem obſervat, τὸ *Unde* nuſquam ſubaudiri.

COMMENTARIUS.

Plutarcho: Ὅτι παρὰ Συρακουσίοις νόμος ἦν, τὰς γυναῖκας μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ, μηδ᾽ ἀνθινὰ φορεῖν, μηδ᾽ ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφάς, ἐὰν μή τις αὐτῶν συγχωρῇ ἑταίρα εἶναι κοινή. *Apud Syracuſanos lex erat, ne mulieres auro, purpura, floridis veſtibus uterentur, neve iis, quae purpureos haberent clavos, niſi ſi qua ſe publicam meretricem eſſe concederet.* Tertullianus vero diſcrimen habitus matronalis & meretricii indicat Libro de Cultu Feminarum: *Quid minus habent infeliciſſimae illae publicarum libidinum victimae? quaſi quae Leges a matronis & matronalibus decoramentis coërcebant, jam certe ſeculi improbitas quotidie inſurgens honeſtiſſimis quibuſque feminis uſque ad errorem dignoſcendi coaequavit. Quanquam lenocinia formae non proſtituto corpori conjuncta & debita etiam ſcripturae ſuggerunt.* Adde Apulej. Metam. II.

14. Signi] Unus Mſſ. Leidenſium, Signum, quod poſt mutatum in Signi. Guyeto in Scholiis Mſſ. τὸ Signi *hic nullius pretii eſt.* Subſtituit igitur Scin' i. e. Sciſne. Sed praeterquam quod auctoritate Codicum deſtituitur, perperam eidem perſonae tribuitur Scin' & Scio. Quod aliter fit ſupra III. 1. 47. Quem locum gratis in ſuas partes vocat Guyetus.

Poterit] Editio anni 1469. potuerit.

Illinc] Nonius v. *Subducere* legit illi. Et forte eo reſpexit Thraſo, infra IV. 7. 25.

& cum eo clam te ſubduxti mihi.

In aliis eſt ilico.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA SECUNDA.

PHAEDRIA.

DUm rus eo, coepi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo eſt moleſtiae,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Pejorem partem. quid opus eſt verbis? dum haec puto,
Praeterii imprudens villam. longe jam abieram,
Cum

DONATI.

DUm rus eo, coepi egomet.] *Hic nunc cauſa narratur, cur ſtatim in urbem redeat Phaedria, qui diſceſſerat abſuturus biduum, ad tollendum jurgium militis, [1] & importune redit.*

1. Dum rus eo] Jam tempus eſt revocandi in Scenam Phaedriam, poſtquam acta ſunt omnia, quae illius abſentiam deſiderabant. Coepi egomet mecum.] Ordo, *coepi aliam rem ex alia re cogitare.* Inter vias.] Figurate & nove, inter vias.

3. Et ea omnia in pejorem partem.] Utrum ſubaudiatur, *cogitare*? an, *ibant*, aut *vergebant*, aut quid tale?

4. Dum haec puto.] Id eſt, exiſtimo. Ut [2] *Virgilius*,

Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.

Et eſt ἀφαίρεσις pro *reputo.* *Putamus* enim inſtantia: *Reputamus* praeterita.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et importune redit.*] Edd. Venetae: *Sed importune redit.*
2. *Virgilius*] Aeneid. VI. 332.

COMMENTARIUS.

1. Dum rus eo.] Conſtituerat ſupra I. 2. 107. Inter vias.] Id *nove dictum* ait Donatus. Sed dudum ante ita Plautus Aul. II. 8. 9.

Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi.

Et Poen. V. 3. 43. Imitati Salluſtius, Suetonius, alii. Cicero Attic. IV. 3. *Inter viam.* Sic Virg. Ecl. X. 52. & Aen. III. 646.

inter deſerta ferarum.

Juſtin. II. 2. *Inter ſilvas.*

2. Ubi quid in animo est molestiae.] Magis Terentiana phraſis, quam altera illa Pareo laudata, ubi quid animum est molestia. i. e. edit. De quo loquendi genere vid. Heinſ. ad Ovid. Metam. XIV. 209.

3. Aliam rem ex alia.] In quibuſdam Codicibus eſt: Aliam rem ex alia re.

Omnia in pejorem partem.] Hunc locum Cicero videtur in animo habuiſſe, ſcribens ad Q. Fr. III. 3. *Neque deſino, ut fit in amore, ea quae minime volo, cogitare.*

4. Dum haec puto.] Mſ. Lipſ. Dum haec reputo. Ita & editio anni 1469. & Mſſ. omnes Boecleri; tum Mſ. Lindenbruchii, & Pall. unus.

5. Longe jam abieram.] Ita praeſtantiſſimae editiones, Juntarum, Stephani, Aldi, & his.

Digitized by Google

Cum ſenſi. redeo rurſum ; male vero me habens.
Ubi ad ipſum veni diverticulum, conſtiti.
Occepi mecum cogitare: Hem! biduum hic
Manendum eſt ſoli ſine illa ? quid tum poſtea ?

Nihil

DONATI.

7. UBI AD IPSUM VENI DIVERTICULUM.] DIVERTICULUM eſt, ubi iter de via flectitur. Et proprie *diverticula* dicuntur in via domicilia, ad quae de itinere divertendum ſit. CONSTITI.] Plus eſt nunc ſcientem ſtetiſſe, quam praeteriiſſe neſcientem.

8. HEM! BIDUUM HIC MANENDUM EST.] Interjectio laborantis animi. BIDUUM ſic pronuncia, ut longum nimiumque tempus. Tum deinde HIC, tanquam in loco ſolo atque triſti.

9. SOLI SINE ILLA?] Aut ſine alio oblectamento. SINE ILLA?] Satis amatorie, SINE ILLA?] Jam cauſa eſt, cur biduum gravetur loco triſti, cur ſolatium conquirendum. Sunt autem qui idem putent *ſoli* eſſe, & *ſine illa*: ut SINE ILLA ἐξόγνωτις ejus ſit, quod dixerat, SOLI.

COMMENTARIUS.

his multis partibus vetuſtiores Tarviſiana, Venetae, Argentinae, aliae exhibent; itaque recenſuerunt Anteſignanus, Heinſius cum reliquo eruditorum choro. Neque aliter in Mſſ. Unus tamen D. Hoogſtratanus ſeorſim ſentiens, LONGE HINC ABIERAM, edidit. In uno Mſſ. Leidenſium eſt ABERAM, ſed eraſa litera r.

6. MALE VERO ME HABENS.] Editio anni 1469. MALE QUIDEM ME HABENS.

7. DIVERTICULUM.] Iſidorus Orig. XV. 16. Divortia *ſunt flexus viarum, h. e. viae in diverſa tendentes: eaedem* diverticula *ſunt, h. e. diverſae ac diviſae viae: ſive ſemitae tranſverſae, quae ſunt alterae viae.* Gr. Καταγωγεῖον, καμπὴ ὁδοῦ. In Codd. vetuſtis, DEVERTICULUM.

CONSTITI.] Reſpexit huc Ovidius, Remed. Amor. 215.

Tu tamen i, quamvis firmis retinebere vinclis;
I procul, & longas carpere perge vias.
Flebis, ut occurret deſertae nomen amicae.
Stabit & in media pes tibi ſaepe via.

10. SI NON TANGENDI COPIA 'ST, EHO, NE VIDENDI QUIDEM ERIT.] Heaut. IV. 6. 15, Adelph. IV. 5. 52. Imitatus Naſo, Metam. III. 478.

liceat, quod tangere *non eſt,*
Adſpicere; & miſero praebere alimenta furori.

12. CERTE EXTREMA LINEA AMARE HAUD NIHIL EST.] Editio anni 1469. EXTREMA LINEA AMORIS. quod & in duobus Mſſ. Boecleri erat. Tralatitias Donati *lineas* modo negat Guyetus recte ſtatui, modo ait, motus maxime verbis Horatii, Carm. I. 13. 15.

Laedentem oſcula, quae Venus
Quinta parte ſui nectaris imbuit.

Additque, oſculum quinta pars eſt, i. e. una ex quinque partibus. Non putem. *Oſcula* pro ore ſeu labellis poſuit. Haec laedi morſiunculis dicuntur. Ampliſſimo Viro, Eduardo van Zurk *quinta parte* valet, quae vulgo dicitur *quinteſſentia*. Quomodo obſervante Nannio Athenaeus mel nonam Ambroſiae partem dixit. Verum ſi, quod facit Ramirez de Prado, laudatus Cl. Bentlejo, legas,

Quanta *parte ſui nectaris imbuit!*

Et ſenſus erit efficacior, & omne inde argumentum pro quinta amoris linea peribit. Quid igitur? Alii cum Turnebo ad ſtadia recurrunt; alii cum Nannio ad ſpectaculorum cuneos; alii denique alio. Quorum varias ſententias pluribus verbis recenſet Joannes Theodoricus Bellovacus. Adde Eraſmum in Adag. Inde adeo incertum manet, quo & alii Scriptores *linearum* mentionem facientes reſpexerint. Illud enimvero notum eſt, rem amatoriam ludo paſſim comparari. Sic ſupra III. 5. 38. de Jove; & Plaut. Moſtell. V. 2. 36.

Scis, ſolere illanc aetatem tali ludo ludere.

Et refert Suidas dictum Menandri, ἐκ τοῦ Καταψευδομένου,

Ἐφ' ἱερᾶς γραμμῆς ἐν τῇ τῶν πεττῶν παιδιᾷ.

A ſacra linea in calculorum ludo. Fuitque, eodem Suida teſte, proverbium, Κινήσω ἀφ' ἱερᾶς, q. d. *movebo a ſacra linea.* ſub. calculum. Dicebatur vero

Nihil eſt. quid? nihil? ſi non tangendi copia 'ſt,
Eho, ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,
Saltem hoc licebit. certe extrema linea
Amare haud nihil eſt. villam praetereo ſciens.

Sed

DONATI.

10. NIHIL EST. QUID? NIHIL?] Amantium diſputationes intermiſcent quaedam conſilia ſanae mentis, quae tamen ſtatim reſurgentis amoris ſaevitia devincuntur.

11. EHO, NE VIDENDI QUIDEM ERIT?] EHO, ridicule additum: tanquam omnino non ſecum loquatur, ſed cum altero. SI ILLUD NON LICAT, SALTEM HOC LICEBIT.] Bene bis dictum LICET, LICEBIT: quaſi de re magna loquatur. totum ergo amatorie.

12. CERTE EXTREMA LINEA.] Et hoc recte: quia quinque lineae perfectae ſunt ad amorem. prima viſus, ſecunda loqui, tertia tactus, quarta oſculari, quinta coitus. An ſic dixit EXTRAMA LINEA, quemadmodum dicitur *longis lineis quid fieri?* Id eſt, de longinquo.

13. AMARA HAUD NIHIL EST.] AMARE modo frui amore dicit. *Plautus*, [3] in Bacchidibus,

Prius hic adero, quam te amare deſinam.

Et, *Sine te amem.* VILLAM PRAETEREO ACIENS] Sciens quidem, ſed non minus amatot, quam prius.

OBSERV. IN DONAT.

3. *In Bacchidibus*] I. 2. 67.

COMMENTARIUS.

vero ἱερὰ γραμμὴ in ludo calculorum media linea, teſtibus Platone & Plutarcho. Scilicet in teſſerarum ludo quinque erant calculi utrique luſori, totidem lineis impoſiti, πεσσὰ πέντεγραμμα vocat Sophocles. Conſule Meurſium de Lud. Graec. pag. 50. & in Palamede, cap. XXI. An vero eadem metaphora ἄκραν γραμμὴν κακῶν dixerint, non affirmaverim. Fuitque quum crederem, Phaedriae locutionem a calculorum ludo petitam. Nunc non credo. Scilicet rebus omnibus lineas ſuas tribuebant veteres. Valer. Max. I. 7. 8. *Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Ruſi equitis Romani ſomnium certo eventu admonitum eſt.* Tertullianus Libro adverſus Hermogenem, cap. 3. ad hominem retulit. *Adjiciam*, inquit, *& ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes* extrema linea *eſt.* Quod Pamelius recte videtur de imperitiſſimo interpretari. Idem Libro adverſus Praxean, cap. 15. de Deo: *Cui coelum thronus, & terra ſcabellum, in quo omnis locus, non ipſe in loco, qui univerſitatis* extrema linea *eſt, ille altiſſimus.* Cum quibus verbis, ſi componas, quae idem Tertullianus adverſus Hermogenem ſcribit, cap. 38. *In loco ergo materia. Si in loco, ergo intra locum: ſi intra locum, ergo determinatur a loco, intra quem eſt: ſi determinatur, habes* lineam extremam, *quam quantum proprie pictor, agnoſcis finem eſſe omni rei, cujus* linea extrema *eſt. Non ergo erit infinita materia, quae dum in loco eſt, a loco determinatur, & dum determinatur ab illo,* extrema *eam* linea *patitur.* Mox paucis interjectis: *Et obduceris, corpore eam infinitam faciens, cum locum ei adſcribens, intra locum &* extremam *loci* lineam *includis.* Rurſus cap. 39. *Et hic a* lineis *tuis excidiſti.* Haec igitur verba cum ſuperioribus illis de Deo componens non dubitabis, opinor, lineas Pictorum, vel, ſi mavis, Mathematicorum reſpici. Atque adeo & inde Terentianam locutionem eſſe arceſſendam, affirmare auſim. Eodem referre licet Horatii illud Lib. I. Epiſt. 16. 79.

Mors ultima linea *rerum eſt.*

De quinque porro amoris lineis, quarum extrema Viſus, vide Farnabium. Rufini illud fertur:

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε, τρισόλβιος, ὅστις ἀκούει,
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ σύνων.

Ciceroni autem Orator. 56. *Extrema lineamen-*

ta

Digitized by Google

Sed quid hoc, quod timida ſubito egreditur Pythias?

DONATI.

14. SED QUID HOC, QUOD TIMIDA SUBITO EGREDITUR PYTHIAS?] Ex his verbis perſona in Scenam veniens, & locutura deſcribitur. Et TIMIDA, modo aegra, turbata, commota, [4] *Plautus*,

Manum ex mari, timide.

Et hic ipſe, *Uxorem* inquit *Philumenam pavitare, neſcio quid, dixerunt.* Timidum aliud naturale, aliud eventu eſt: ut,

[5] *Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Aegle.*

OBSERV. IN DONAT.

4. *Plautus*] Locus incertus.

5. *Addit*] Virgil. Ecl. VI. 20.

COMMENTARIUS.

ta omnino diverſum quid ſunt. Ubi enim de numero dicit, *quaſi quandam palaeſtram & extrema lineamenta orationi attulit*, omnia illa ornamenta intelligit, quibus per aſſiduam exercitationem oratio decenter exornari ſolet. Egregie huc facit locus, quem ex Auguſtino de Civ. Dei, II. 21. laudat Tanaq. Faber: *Noſtra vero aetas cum remp. ſicut picturam accepiſſet egregiam, ſed evaneſcentem vetuſtate, non modo eam coloribus iiſdem, quibus fuerat, renovare neglexit, ſed ne id quidem curavit, ut formam ſaltem ejus, &* extrema *tanquam* lineamenta *ſervaret.* Quanquam ſanctiſſimo Antiſtiti *extrema lineamenta* omnino idem eſſe videntur cum *extremis lineis*. Addo Plinii teſtimonium de Apelle, Lib. XXXV. cap. 10. *Apelli fuit perpetua conſuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non* lineam ducendo *exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit.* Quae vero Terentio EXTREMA LINEA, eadem Quinctiliano *lineae primae* videntur dictae; cui *primas lineas ducere*, &, *primis lineis deſignare*, Inſtit. II. 6. & IV. 2. valet leviter adumbrare & primo colore tingere; quod Galli *croquer*, Belgae *doorverwen* vocant.

13. HAUD NIHIL EST.] Ita dixit, ut Ovid. Heroid. III. 131.

Eſt aliquid, *collum ſolitis tetigiſſe lacertis,*
Praeſentiſque oculos admonuiſſe ſui.

ACTUS QUARTI

SCENA TERTIA.

PYTHIAS. PHAEDRIA. DORIAS.

Py. UBi ego illum ſceleroſum, miſera, atque impium inveniam? aut ubi quaeram?

Hoc-

DONATI.

UBI EGO ILLUM.] *In hac Scena operae pretium delectationis eſt ſpectatoribus ex querela ancillae Thaidis, atque errore Phaedriae.*

1. UBI EGO ILLUM.] Hoc initio oſtenditur tanquam perſequentem fugientem, progreſſam eſſe perſonam. SCELEROSUM] *Sceleroſus*, eſt multorum: *Sceleſtus*, vel unius. *Sceleroſus*, proprie auctor eſt ſceleris: *Sceleratus*, in quo ſcelus

Hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum? *Ph.* Perii! hoc quid ſit vereor.

Py. Quin etiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatus eſt virginem,

Veſtem omnem miſerae diſcidit: tum ipſam capillo conſcidit. *Ph.*

DONATI.

lus ſit conſtitutum vel commiſſum. SCELAROSUM ATQUE IMPIUM.] SCELEROSUM in Thaidem, IMPIUM in virginem.

2. AUDAX FACINUS FACERE.] FACINUS FACERE, figura ἀρχαϊσμός. HOC QUID SIT? VEREOR.] Pro duobus unum dixit, ſcilicet VEREOR, pto, & neſcio, & vereor.

3. QUIN ETIAM INSUPER.] Accuſatio facti. SCELUS] Αὔξησις. Plus enim eſt *ſcelus*, quam *ſceleſtus*. Ut, *Lucilius:*

Carcer, vix carcere dignus.

POSTQUAM LUDIFICATUS EST VIRGINEM] Argumentum ab his quae ſunt poſt negotium geſta. Et mire, POSTQUAM LUDIFICATUS EST, DISCIDIT dixit: cum ille videlicet, dum virgo teluctatur, hoc fecerit. Et mire expreſſit vitium illatum virgini ab eo quidem, qui vitiare jam poſſet: ſed tamen ejuſmodi adoleſcentulo, cujus propter teneras adhuc vires, ad explendam venerem, ¹ longiore noxa adverſus virginem utendum fuit. Nam ideo praeter occaſionem familiae diſcedentis, tempus, locus, & caetera attributa negotio, etiam ſomnus virginem opprimens, adjuvat Chaeream. Et mire LUDIFICATUS potius, quam complexus eſt, aut tale aliquid, quod amorem indicaret.

4. VESTEM OMNEM MISERAE DISCIDIT.] Adeo ut non amore fecerit, ſed injuria. Et vide, ut ex his appareat, multum virginem reluctatam eſſe. TUM IPSAM CAPILLO CONSCIDIT.] Multo melius, quam ſi diceret, *Capillum illi conſcidit.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Longiore noxa*] Lectio ſuſpecta. Malim vel *mora*, vel *vires*, vel forte *lucta*. Hoc placebat Doctiſſimo Wielingio.

COMMENTARIUS.

2. PERII.] Haec vox in Mſſ. Leidenſibus omnibus, Traject. Lipſ. ſed & editis quibuſdam vetuſtiſſimis etiam Pythiae tribuitur. Quam lectionem ex Mſſ. ſuis laudant Georg. Fabritius & Goveanus, non male. Qui enim PERII diceret Phaedria, neſciens quid actum fuerit? Unde verſu 5. HEM dicit, quaſi admirabundus; & verſu 7. NESCIO, QUID PROFECTO ABSENTE NOBIS TURBATUM EST DOMI. Quod ubi reſcivit, tum demum verſu 33. Sc. 4. OCCIDI, inquit. Merito autem PERII dicit Pythias, praeſagiens animo iracundiam Thaidis. Vide infra V. 1.

3. LUDIFICATU 'ST.] Vitiavit. Vide omnino Parei Lexic. Plaut. v. *Ludos facere.*

4. VESTEM OMNEM MISERAE DISCIDIT.] Dilaceravit, luctando ſcilicet. Adelph. IV. 2. 20. Virgil. Aen. XII. 602.

Purpureos moritura manu diſcindit amictus.

Et verſu 609.

It ſciſſa veſte *Latinus.*

Propert. II. 15. 17.

Quod ſi pertendens animo veſtita cubaris,
Sciſſa veſte *meas experiere manus.*

TUM IPSAM CAPILLO CONSCIDIT.] Lectionem mendoſam & non ferendam pronunciat Guyetus, ſubſtituens, TUM IPSOM CAPILLOM CONSCIDIT. De phraſi conſule Vallam, Linacrum, Budaeum, Turnebum, alios. Mſ. Lipſ. CAPILLO DISCIDIT. Mihi ita videtur, quum dixiſſet Pythias, VESTEM OMNEM MISERAE DISCIDIT, per ὑπαλλαγὴν addidiſſe, TUM IPSAM CAPILLO CONSCIDIT, pro eo quod eſt, TUM IPSI CAPILLUM CONSCIDIT. Donatus etiam lectionem vulgatam laudat. Prope accedunt ad hanc conſtructionem Horatii illa, Carm. I. 17. 25.

ne male diſpari
Incontinentes injiciat manus,
Et ſcindat *haerentem coronam*
Crinibus, *immeritamque veſtem.*

Ph. Hem! *Py.* Qui nunc ſi detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!
Ph. Neſcio, quid profecto abſente nobis turbatum 'ſt domi.
Adibo. quid iſtuc? quid feſtinas? aut quem quaeris, Pythias?
Py. Ehem Phaedria, egon'? quem quaeram? abi hinc, quo dignus, cum donis tuis

Tam

DONATI.

6. Ut ego unguibus facile illi in oculos involem.] Nonne credis Pythiam id comminari, quod a virgine minus factum ſit? quod, quia puella, non potuit. Unguibus.] Quibus armatur hic ſexus. In oculos.] Quaſi amatori. Venefico.] [2] Mutanti homines, & ex virginibus mulieres facienti. An venefico, amatori? quia amor, venenum occultum eſt. ut [3] *Virgilius*,

Occultum inſpiras ignem, fallaſque veneno.

[4] Et,

longumque bibebat amorem.

7. Absente nobis turbatum 'st domi.] Aut ſubdiſtinguendum eſt, & ſubaudiendum, *me*, aut ἀρχαϊσμὸς figura eſt, absente nobis, pro, nobis abſentibus. *Pomponius*, *Sine ergo iſtuc, praeſente amicis inter coenam.* *Varro* in Marcellum, *Id praeſente Legatis omnibus, exercitu, pronunciat.* Absente nobis.] Cum ſic dicit, pro praepoſitione ponit Absente: ac ſi diceret; [5] Coram amicis.

8. Quid festinas?] Properas, turbaris & trepidas? [6] *Salluſtius*, *Feſtinantibus in ſumma inopia patribus.* Egon'? quem quaeram.?] Deeſt *rogas?*

OBSERV. IN DONAT.

2. *Mutanti homines*] Recte Boeclerus acumen hoc Grammaticale ineptias vocat. Melius Eugraphius: Venefico, *ſcelerato, malo.*

3. *Virgilius*] Aen. I. 688.

4. *Et*] Aen. I. 749.

5. *Coram amicis*] Cum oppoſita ſint, *abſente* & *coram*, ſuſpicabar, ſcripſiſſe Donatum, *clam nobis*.

6. *Salluſtius*] In Fragmentis.

COMMENTARIUS.

An expreſſa ex verbis Terentii? Cicero *conſcindendi* verbo ſaepius utitur, loquens de epiſtolis. *Capillo ſciſſo*, Plaut. Aſtraba, verſu 11. Ovid. Heroid. III. 79.

Neve meos coram ſcindi *patiare* capillos.

Amor. I. 7. 49.

At nunc ſuſtinui, rapsis a fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas.

6. Unguibus facile illi in oculos involem.] Sic infra V. 2. 20. ubi vide Donatum. Nonius: *Involare eſt irruere, aut a* volatu, *aut a media* vola *dictum.*

7. Absente nobis.] Τὸ nobis magis ad ſenſum, quam ad verbum referendum. Veteres enim & *abſente* & *praeſente nobis* dixiſſe, auctor eſt Nonius in v. *abſente.* Plaut. Amph. 1. 2. 394.

Nec nobis praeſente *aliquis niſi ſervos Seſia affuit.*

Plura adducit Non. loc. cit. addens, *praeſente* & *abſente* fuiſſe olim formae monoptotae.

10. Tam lepidis] Mſ. Lipſ. edit. anni 1467. aliaeque, Tam inlepidis.

11. Quas turbas dedit!] Imitatus Caecilium, Umbris: *Mirum adeo, niſi frater demi ebrius* turbam *aliquam* dedit. Sic Virgil. Aeneid. XII. 453.

dabit *ille* ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis.

Cic. pro Mil. 7. *Nunc ejuſdem Appiae nomen quantas Tragoedias excitat!* Vide ſupra II. 3. 9.

13. Utinam sic sient, qui mihi male volunt!] Vetuſtiſſimus imprecandi mos, quo, quae a ſe remota volebant, hoſtibus evenire optabant. Heaut. V. 3. 13.

iſtuc

Tam lepidis. *Ph.* Quid iſtuc eſt rei?
Py. Rogas me? Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit!
Virginem, quam herae dono dederat miles, vitiavit. *Ph.* Quid ais!
Py. Perii. *Ph.* Temulenta es. *Py.* Utinam ſic ſient, qui mihi
male volunt!
Do. Au obſecro mea Pythias, quid iſtuc nam monſtri fuit?
Ph.

DONATI.

11. EUNUCHUM QUAM DEDISTI NOBIS, QUAS TURBAS DEDIT!] Aut ἀντίπτωσις: ut, [7] *Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.* Aut QUEM cum interrogatione pronunciandum, ut ſit, *qualem.* EUNUCHUM QUEM DEDISTI.] [8] Quidam volunt QUEM diſtinguere: quaſi dicat *qualem*: ſed neſciunt, hac figura multum veteres uſos eſſe. EUNUCHUM enim ad DEDISTI verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμα aſſumendum extrinſecus, *is Eunuchus.* Nam quoties uno nomine, aut pronomine diverſae declinationis enuntiationes comprehenduntur, neceſſe eſt quod alteri accommodatum fuerit, ab altero diſcrepare. QUAM DEDISTI, QUAS TURBAS.] Et QUAM & QUAS ſic accipe, quaſi dixerit, *qualem Eunuchum*, & *quales turbas.*

12. QUID AIS!] Hoc admirantis eſt magis, quam interrogantis.

13. TEMULENTA ES.] Ebria. a *Temeto.* quo nomine antiqui grave vinum appellabant, [9] eo quod tentaret mentem, id eſt, labefactaret. [10] *Virgilius*,

Tenuiſque Lageos
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

UTINAM SIC SIENT, QUI MIHI MALE VOLUNT.] [11] Bene, non ebriam eſſe, in maledictum vertit: quaſi vero temulentam eſſe, felicitatis ſit. An non negat ſe eſſe ebriam, ſed non vino, verum malo ebriam vult intelligi?

14. MEA PYTHIAS] MEA, & *mea tu*, & *amabo*, & alia hujuſcemodi, mulieribus apta ſunt blandimenta. QUID ISTUCNAM MONSTRI FUIT?] Quippe *monſtrum* eſt omne contra naturam. Si igitur Eunuchus eſt, & vitiavit virginem, contra rerum naturam factum eſt, & recte *monſtrum* eſt. [12] Et ordo eſt: *Quid iſtucnam monſtri fuit?*

OBSERV. IN DONAT.

7. *Urbem*] Virgil. Aen. I. 573.
8. *Quidam*] Haec non Donati, ſed manifeſto alterius Interpretis verba ſunt.
9. *Eo quod tentaret mentem.*] Idem dixit ad And. I. 4. 2.
10. *Virg.*] Georg. II. 93.
11. *Bene, non ebriam*] Integer locus ita expreſſus in Codd. Venetis: *Bene ſe non ebriam eſſe in maledictum verbum protulit: quaſi vero temulenta eſſe infelicitatis ſit procul dubio: qui a non negat, ſe eſſe ebriam: ſed non vino, verum malo ebriam vult intelligi.* Verba interpolata & corrupta, quibus a Mſ. nihil praeſidii. Abr. Wielingius legit ex conjectura; *Bene; nam ebriam eſſe in maledictum vertit; quaſi vero non temulentam eſſe, felicitatis ſit.* Guido Juvenalis non videtur legiſſe verba priora; ita enim παραφράζει: *Utinam illi, qui mihi male volunt, ſic ſint ebrii, ut ego ſum. quaſi diceret, non nego me eſſe ebriam, at non vino, ſed malo & indignatione.* Si autem conferas ea, quae infra ad IV. 4. 16. dicit, dubitas, an poſteriora haec verba ſint a Donato.
12. *Et ordo eſt:* QUID ISTOCNAM MONSTRI FUIT?] Immo ordo eſt: QUIDNAM ISTUC MONSTRI FUIT. Atque ita eſt in Codd. Venetis.

COMMENTARIUS.

iſtuc inimicis ſiet!
Plaut. Aſin. V. 2. 13.
Utinam, male qui mihi volunt, ſic rideant!
Similis plane locutio eſt 2. Sam. XVIII. 32.

14. AU, OBSECRO MEA PYTHIAS, QUID ISTUCNAM MONSTRI FUIT?] Hunc verſum Guyetus nothum vocat, ob lectionis varietatem ſcilicet. Quaſi vero non varient lectiones in ſexcentis aliis, quae tamen nemo temere ſuſpecta habuerit, ne ipſe Guyetus quidem. Mihi ita videtur, Doriam ancillam alteram Thaidis poſtquam Pythias jam quaſi furibunda ſe foras proruiſſet,

Ph. Inſanis: qui iſtuc facere Eunuchus potuit? *Py.* Ego illum neſcio
Qui fuerit: hoc, quod fecit, res ipſa indicat.
Virgo ipſa lacrumat, neque cum rogites, quid ſit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nuſquam apparet: etiam hoc miſera ſuſpicor,
Aliquid domo abeuntem abſtuliſſe. *Ph.* Nequeo mirari ſatis,
Quo ille abire ignavus poſſit longius; niſi ſi domum

Forte

DONATI.

15. QUI ISTUC FACERE EUNUCHUS POTUIT?] ISTUC FACERE, [13] honeſtius apud puellam, quam ſi *Vitiare* dixiſſet. Et [14] poteſt videri aliquid nutu ſignificare. EGO ILLUM NESCIO QUI FUERIT.] Σύλληψις. Bene vitavit Eunuchi nomen, ut vitiaſſe virginem obtinere poſſit.

17. VIRGO IPSA LACRUMAT] Nunc oſtendit quid fecerit, & oſtendit argumentis. NEQUE CUM ROGITES, QUID SIT, AUDET DICERE.] Quid ſi verberata eſſet? ſed non puderet queri. Haec autem injuria apud virginem non habet nomen.

18. BONUS VIR] *Εἰρωνικῶς.* non enim jam Eunuchus. Bene igitur VIR: quia hoc illum eſſe contendit. NUSQUAM APPARET.] [15] Neſcias utrum fuga ejus quaeratur, an culpa. Sed conſtat, haec argumenta eſſe, quod ipſe virginem vitiaverit. ETIAM HOC MISERA SUSPICOR.] Bene ETIAM: quia & hoc ſuſpicatur, virginem vitiatam.

19. NEQUEO MIRARI SATIS] Bene hic omnes ſuſpiciones ad Eunuchum, quem novit, revocat: neſcit Chaeream ſiquidem hunc eſſe. Et mira locutio, pro eo quod eſt, *neſcio.*

OBSERV. IN DONAT.

13. *Honeſtius apud puellam, quam ſi* vitiare *dixiſſet.*] Atqui ipſa Pythias modo dixerat, VITIAVIT.

14. *Et poteſt videri aliquid nutu ſignificare.*] Id Boeclerus recte *περίεργον* vocat. Certe contraria ſunt ſuperioribus.

15. *Neſcias*] Lego cum Doctiſſ. Wielingio: *Neſcias, utrum fugam ejus queratur, an culpam.*

COMMENTARIUS.

ruiſſet, ſermoneſque miſceret cum Phaedria, animadverſo tumultu de virgine vitiata etiam provolaſſe ex aedibus, & quaſi obſtupefactam ubi incidiſſet in Pythiam, exclamaſſe, AU, OBSECRO MEA PYTHIAS, QUID ISTUC NAM MONSTRI FUIT! Sed & neceſſe erat, perſonam Doriae intervenire, ut Phaedria mox in aedes ſuas ingreſſo ſubſerviret orationi Pythiae. Vide porro, quae notavit Boeclerus.

15. EGO ILLUM NESCIO QUI FUERIT.] Comice, pro, neſcio quis ille fuerit. Neque adeo opus, NESCIO ILLUM interpretari, ignoro illum. Plaut. Aul. Prol. 29.

Is ſcit adoleſcens, quae ſit, quam compreſſerit:
Illa illum neſcit.

h. e. neſcit, quis ille ſit.

16. RES IPSA INDICAT.] De re clariſſima, quae ita per ſe lucet, ut oratione non indigeat. Sic infra IV. 4. 37. Cic. pro Mil. 20. *Res ipſa loquitur.* Gr. *τὰ πράγματα ἀληθεύει. τὰ πράγματα αὐτὰ βοᾷ, καὶ φωνὴν ἀφίησι.*

19. ALIQUID DOMO ABEUNTEM ABSTULISSE.] Tangit morem fugitivorum. Phorm. I. 4. 13. Martial. XI. 54.

Non miror furem, qui fugitivus erat.

Cic. Fam. XIII. 77. *Dionyſius, ſervus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, quum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit.* Idem Paulus de Oneſimo Philemonis ſervo ſuſpicatur, in Epiſt. ad Philem. verſu 18.

20. NISI SI DOMUM] Tres Mſſ. Leidenſes, NISI DOMUM. quod ſi olim ſcriptum fuit, NISI DOMUM, valebit, NISI SI DOMUM.

21. SCIES] Editiones vetuſtiſſimae omnes, SCIAS.

22. AUDIVI] Mſ. Mark. AUDISTI.

23. AT POL EGO AMATORES MULIERUM ESSE

AUDIE-

Digitized by Google

Forte ad nos rediit. *Py.* Viſe amabo, num ſit. *Ph.* Jam faxo ſcies.
Do. Perii! obſecro tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
Py. At pol ego amatores mulierum eſſe audieram eos maximos:
Sed nihil poteſſe: verum miſerae non in mentem venerat:
Nam illum aliquo concluſiſſem, neque illi commiſiſſem virginem.

DONATI.

21. VISE AMABO, NUM SIT.] *Domi* ſubaudiendum eſt: aut, *Num ſit quod dicis.*

24. SED NIHIL POTESSE.] Ut voluntatis rei ſint, non etiam facti. VERUM MISERAE NON IN MENTEM VENERAT.] Non, *nihil poteſſe eos*, ſed, *amatores eſſe maximos.* Ad partem enim ſententiae pertinet quod dicit, NON IN MENTEM VENERAT: non ad totum [16] quod audiviſſe ſe dudum. Etiam niſi penitus negative conſideraveris, controverſia inerit. Si enim nihil poſſe audieras, quid eſt quod in mentem non venerit ut vitares? utrum igitur amatores mulierum eſſe maximos audieras? Quod ipſum vitandum fuit. Neque enim hoc ſatis eſt ad pudicitiam, ſtuprum vitaſſe, cum impudica fieri vel ſolo oſculo poſſit, quam omnino integram & illibatam velis. [17] An VERUM, non erit conjunctio, ſed nomen? ut illud quaſi falſum audierit: hoc autem, quod verum inventum eſt, non ipſa ſuſpicata ſit. Nam *in mentem venire*, non reminiſci tantum, ſed etiam cogitare ſignificat. Sic [18] *Cicero, In mentem tibi non venit, cauſam publicam ſuſtinere*, id eſt non cogitas, non ſuſpicaris. VERUM MISERAE] Si *verum* pro conjunctione accipimus, ſubaudiendum erit, AMATORES MULIERUM EOS ESSE MAXIMOS. NON IN MENTEM VENERAT.] Non quod audieram: ſed, quod hic fecit. An non aliud in mentem venerat? non ſcilicet facturum fuiſſe quod fecit. NON IN MENTEM VENERAT.] Aut, non erat cogitatum: aut, non eram recordata.

25. NAM ILLUM ALIQUO CONCLUSISSEM.] Mire CONCLUSISSEM dixit, ut ſaevam feram. Sic alibi: *Concluſam hic habeo uxorem ſaevam.* NEQUE ILLI COMMISISSEM VIRGINEM.] Si vel amatorem tantum meminiſſem.

OBSERV. IN DONAT.

16. *Quod audiviſſe ſe dudum*] Lego: *quod audiviſſe ſe dicit.*
17. *An* VERUM, *non erit conjunctio, ſed nomen?*] Inepta interrogatio & clariſſimae ſententiae obſcuratio.
18. *Cicero*] Pro S. Roſc. Amer. 21.

COMMENTARIUS.

AUDIERAM EOS MAXIMOS, SED NIHIL POTESSE.] Nihil mirum, ſi ancilla meretriciae domus de amoribus Eunuchorum audivit. Ubi vero addit, SED NIHIL POTESSE, turpicula ejus oratio eſt. Martial. XI. 97.

Una nocte quater poſſum; *ſed quatuor annis*
Si poſſum, *peream, te, Theleſilla, ſemel.*

Juven. VI. 365.

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbae,
Et quod abortivo non eſt opus.

Vide Lindenbruchium. Rem exemplo illuſtrat Virgilius, Georg. III. 98. ſeq.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA QUARTA.

Phaedria. Dorus. Pythias. Dorias.

Ph. Exi foras, ſceleſte! at etiam reſtitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. *Do.* Obſecro. *Ph.* Oh!
Illud vide; os ut ſibi diſtorſit carnufex!
Quid huc reditio 'ſt? quid veſtis mutatio?

Quid

DONATI.

1. Exi foras, sceleste!] Jocundus error, in quo [1] non dubitet Phaedria ipſum eſſe qui quaeritur: verum inſuper ſic aggreditur, tanquam ſit ipſe. Sceleste!] Quale eſt ſceleſtum appellari, qui nihil ſciat. Restitas?] Neceſſario reſtitat, qui miratur ſe protrahi.

2. Fugitive?] Et ſceleſtum & fugitivum increpat, in hunc crimen transferens Chaereae. Male conciliate.] Opportune adoleſcens hic exprobrat munus magno emptum. Male, magno ſignificat, ut [2] *Plautus* in Amphitruone,

Haec nox ſcita 'ſt exercendo ſcorto conducto male.

Ergo Male conciliata, magno empte ſignificat. Nam omnis conventio, *conciliatio* nominatur. *Conciliatum* ergo, magno emptum. Os ut sibi distorsit.] Et hic memor adoleſcens inſinuandi muneris, dicit illum ſibi os diſtorſiſſe, qui natura ſit pulcher. *Os* autem dicimus illi *diſtorquere*, quem natura pulchrum deturpamus.

4. Quid huc reditio 'st?] Eleganter ei reditio objicitur, qui revera loco ſe non moverit. Quid vestis mutatio?] Sic veteres. [3] *Plautus* in Trinummo,

[acceſſio eſt?
Quid tibi interpellatio, aut in conſilium huc
Cacci-

OBSERV. IN DONAT.

1. *Non dubitet*] Senſus poſtulat, ut legatur, *Non tantum non dubitat.*

2. *Plautus in Amphitruone.*] I. 5. 132.

3. *Plautus in Trinummo*] III. 2. 23. legendum autem *concilium.*

COMMENTARIUS.

1. Exi foras, sceleste!] Ita diſtinxi, ut ſingula dicta ſingula ſequantur maledicta. Expreſſum e Plauto, Pſeud. I. 2. 1.

Exite, agite, ite ignavi, male habiti. & male conciliati.

At etiam restitas?] Aptum objurgationibus τὸ etiam. Plaut. Perſ. II. 4. 4.

ſcelerate! etiam *reſpicis?*

Et verſu 7.

Etiamne *dicis, ubi ſit, veneſice?*

2. Male conciliate.] Verbum contractibus proprium. Unde paſſim de emtione uſurpatur. Plaut. loc. cit. & Epid. III. 4. 36.

Conciliaviſti pulcre.

Eſt vero *bene conciliare*, vili, *male conciliare*, magno pretio emere. Cicero facetiſſime apud Suet. Caeſ. 50. *Quo* melius emtum *ſciatis, Tertia deducta eſt.*

4. Quid huc reditio 'st?] Periphraſis per verbalia Comicis uſitata. Plaut. Aul. III. 2. 9.

Sed

Digitized by Google

Quid narras? paullum ſi ceſſaſſem, Pythias,
Domi non offendiſſem: ita jam adornabat fugam.
Py. Habeſne hominem, amabo? *Ph.* Quidni habeam? *Py.* O factum bene!
Do. Iſtuc pol vero bene. *Py.* Ubi eſt? *Ph.* Rogitas? non vides?
Py. Videam? obſecro quem? *Ph.* Hunc ſcilicet. *Py.* Quis hic eſt homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie eſt. *Py.* Hunc oculis ſuis
Noſtrarum numquam quiſquam vidit, Phaedria.

Ph.

DONATI.

Caecilius ἀγραζομένῃ, *Quid tibi aucupatio eſt argumentum, aut de meo amore verbificatio eſt patri?* QUID VESTIS MUTATIO?] Nam liberi veſtem habebat, utpote Chaereae: ſervi vero atque Eunuchi depoſuerat.

5. PAULLUM SI CESSASSEM, PYTHIAS.] ⁴ Familiare eſt iratis, avertere ſe ad aliam perſonam ab ea, in quam commoveantur.

6. ITA JAM ADORNABAT FUGAM.] ⁵ Ut ſupra, *Adornant, ut lavet.*

7. HABESNE HOMINEM, AMABO?] Haec omnia Pythias, cernens Eunuchum, loquitur. Id enim erit jocundum, ut quaerat illum quem videt. QUID NI HABEAM?] QUID NI, quid niſi? hoc eſt, cur non habeam?

8. UBI EST.] *Dorum* contemplata, dicit, UBI EST? quia non ipſum, ſed alterum novit. ROGITAS? NON VIDES?] Stomachatur uterque errans mirifice: illa, quod Eunuchum ⁶ credidit, Chaeream videns: hic, quod Eunucho objecit, quod commiſit Chaerea.

9. HUNC SCILICET.] Hoc jam, tangens Eunuchum, dicit Phaedria.

10. HUNC OCULIS SUIS NOSTRARUM NUMQUAM QUISQUAM VIDIT.] Ἀρχαϊσμὸς eſt figura, pro *noſtrûm*. vel *noſtrarum*, id eſt, quae familiae noſtrae ſunt: ut paruin ſit, non vidiſſe Thaidem, niſi addatur, ne familiarium quidem ullam eſſe, quae hunc viderit.

11. QUISQUAM] Antiqua locutio éſt.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Familiare eſt iratis.*] Exempla vide And. V. 3. 5. ſeqq. & Phorm. V. 8. 22.

5. *Ut ſupra.*] In Venetis praemittuntur illa, quae dicta ad verſum 4. *Nam liberi veſtem habebat, utpote Chaereae: ſervi vero atque Eunuchi depoſuerat*, quae ſupra omittuntur.

6. *Credidit*] Rectius, *credit*, & mox, *objicit*.

COMMENTARIUS.

Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio eſt?
Amph. I. 3. 21.
Quid tibi hanc curatio eſt rem, verbera, aut muttitio?
Poen. V. 5. 29.
Quid tibi hanc digito tactio eſt?
Sic Trin. III. 2. 83. Truc. II. 6. 30. & II. 7. 61. ſeqq.

6. ITA JAM ADORNABAT FUGAM.] Ita Plautus paſſim. Itaque expreſſi ex Mſſ. quamplurimis & editis antiquiſſimis. Juntae, Aldus, Stephanus aliique, ORNABAT. Mſ. Lipſ. ADORNARAT. Editi quidam, ORNARAT. Editio anni 1469. PARARAT. Phorm. I. 4. 14.
Quam hic fugam aut furtum parat?

7. FACTUM BENE.] Mſ. Lipſ. O FACTUM BENE.

Ph. Non vidit? *Py.* An tu hunc credidiſti eſſe, obſecro,
Ad nos deductum? *Ph.* Nam quem? alium habui neminem.
Py. Au!
Ne comparandus hic quidem ad illum eſt: ille erat
Honeſta facie & liberali. *Ph.* Ita viſus eſt
Dudum, quia varia veſte exornatus fuit:

Nunc

DONATI.

12. NON VIDIT?] Totidem, iiſdemque verbis repetit. Et interrogatio ſtuporem admirantis oſtendit, & jam veluti conſentientis.

13. NAMQUE ALIUM HABUI NEMINEM.] Bene ad illud quod ait, AN TU HUNC: quaſi ex multis.

14. AU! NE COMPARANDUS HIC QUIDEM EST.] Au, interjectio eſt conturbatae foeminae, nec conſtantis ſibi. ILLE ERAT HONESTA FACIE ET LIBERALI.] Τῷ ἰδιωτισμῷ, ERAT, quaſi de mortuo, aut qui non eſt, ſcilicet Thaidi, quia fugit.

15. HONESTA FACIE ET LIBERALI.] Commode deſcriptus eſt Chaerea.

COMMENTARIUS.

12. ESSE] Abeſt haec vox a pluſculis Mſſ.

13. NAM QUEM?] Ita Giſan. in Ind. Lucret. v. *Victus*. Mſ. Lipſ. NAM QUEM ALIUM? HABUI NEMINEM. Alii, NAMQUE ALIUM HABUI NEMINEM.

14. AD ILLUM] Τὸ AD eleganter comparationi inſervit. Supra II. 3. 69.

16. QUIA VARIA VESTE EXORNATUS FUIT.] De varia Eunuchorum veſte inſignis eſt locus Ciceronis de Oratore, cap. 70. *Neque veſtis, aut caelatum aurum, & argentum, quo noſtros veteres Marcellos, Maximoſque multi Eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt.* Eugraphius ad h. l. *Eunuchi veſte utebantur verſicolore, ut multis coloribus texta fulgerent.* Salmaſio autem eſt alia *varia* veſtis, alia *verſicolor*; illa ποικίλη, variis coloribus diſtincta, auroque intertexta; haec colorem ſubinde mutans, atque adeo aliter refulgens, cum aſpicitur, aliter cum ſuſpicitur. Gr. χρῶμα ἀλλάσσον Varium autem κατάστικτον, maculoſum. Plaut. Pſeud. I. 2. 12.

Ita ego veſtra latera loris faciam, ut valide varia *ſint:*
Ut ne periſtromata quidem aeque picta ſint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Epid. I. 1. 15.

EP. *Quid ais? perpetuon' valuiſti?* TH. Varie. EP. *Qui* varie *valent,*
Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.

Virg. Georg. III. 264.

Quid lynces Bacchi variae, *& genus acre luporum.*

Ovid. Heroid. XV. 37.

Et variis *albae junguntur ſaepe columbae.*

Eadem & *Diſcoloria veſtis* dicta Petronio, Satyr. cap. 97. Cujus loci ſententiam egregie illuſtratam dedit civis meus Abrahamus Wielingius in Diatribe de Furto per Lancem & Licium concepto, cap. III. §. 5.

17. NUNC EO TIBI VIDETUR FOEDUS.] Mſſ. & editi quidam non agnoſcunt τὸ EO.

QUIA ILLAM NON HABET.] q. d. Veſtis virum facit. Gr. Εἵματ' ἀνήρ. Plaut. Epid. IV. 2. 8.

Scio, quid erres, quia veſtitum atque ornatum immutabilem
Habet haec.

21. VETUS] Donati ἔτυμον firmat Servius ad Virg. Aen. III. 31. Adde Feſtum.

VETERNOSUS] De veterni ſeu lethargi morbo vid. Celſ. III. 20. inde *veternus* pro ſupina pigritia, *veternoſus* pro inerti & ſomniculoſo. Cic. Fam. II. 13. *Erat in eadem epiſtola* veternus *civitatis.* Virg. Georg. I. 124.

Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.

Vid. Feſt. v. *Veternoſus.* ubi Catonem laudat, cui *veternoſus* eſt hydropicus. Verba Catonis: Veternoſus *quam plurimum bibit, tam maxime ſitit.*

22. COLORE MUSTELLINO] Reprehenditur a Donato Terentius, ut qui male intellexerit verba Menandri: ὥσπερ ἰκτὶς γαλεώτης γέρων. Scilicet

γα-

Nunc eo tibi videtur foedus, quia illam non habet.
Py. Tace obſecro; quaſi vero paullum interſiet.
Ad nos deductus hodie eſt adoleſcentulus,
Quem tu vero videre velles, Phaedria.
Hic eſt vetus, vietus, veternoſus, ſenex,
Colore muſtellino. *Ph.* Hem, quae haec eſt fabula?

Eo

D O N A T I.

17. Nunc eo tibi videtur foedus.] Facete, foedus videtur, non eſt enim.

18. Tace obsecro.] Apte dictum eſt Tace, foemineo ſtomacho, quaſi impudenter aſſiſtenti formae improbae, & argumenta inaniter pertinaciterque invocanti. Tace obsecro.] De conſuetudine dictum eſt, Tace. Et bene additur, Obsecro: ne Tace ipſum, videatur injuria.

20. Quem tu vero videre velles, Phaedria.] Commota adverſus Phaedriam, cogitur eum laudare, cui irata eſt: & ideo totum callide. Quem tu vero videre.] Facete, quaſi nec hunc, nec ipſum qui miſit, conſpectum velit. Quem tu] Quem, talem. Et breviter ejus forma laudata eſt: cum prolixius illius ſit deſcribenda deformitas. Quem tu vero videre.] Vero, Pulchre. Pulcher enim eſt, cujus forma nec odium, nec convicium commeruit. [7] *Lucilius* in Satyra Athemnydis * *ex facie florem delegeris*. Quem tu videre.] Quare tu? an quia iſte jam non velit videre, iratus ſcilicet ob vitiatam virginem? An tu? quaſi ſpectator elegans formarum, & qui amator ſis Thaidis?

21. Hic est vetus, vietus, veternosus, senex.] Sic hoc totum pronunciandum, quaſi iraſcatur huic, propter quem laudaverit Chaeream. Vetus, Ad vituperationem modo, non ad laudem ponitur: ut,

Veteris Poëtae maledictis reſpondeat.

Vetus eſt, cujus diminutivum eſt *vetulus*. Vietus] Mollis, flaccidusque, & flexibilis corpore. Unde & *vimina* & *vimenta*, & *vites*, & *vietores* dicuntur. Et *viere*, religare dicitur: quia *vietis* virgis magis religare poſſumus quidlibet. [8] *Lucretius araneae* dixit *vietam veſtem*, id eſt, putri [9] mollitia praeditam. Veternosus] Morbo vetere confectus, id eſt, veterno: quales ſunt qui hydropem patiuntur. Et recte. Nam ſaepe Eunuchi in ſenecta veternoſi fiunt; & cito hoc laborant morbo. Senex.] Ex morbo aegritudineque rugoſus. Senex.] [10] Utrum ſenex? an quia videtur ob deformitatem?

22. Colore mustellino] Erravit *Terentius*, non intelligens *Menandricum* illud, [11] ὄντως ἐςὶν γα-

OBSERV. IN DONAT.

7. *Lucilius*] Varie haec leguntur. Mſ. Hulſt. *Athymidi facto*. Editio Veneta, anni 1490. *Lucil. in Saty. Athimidi fores ex f. f. l. delegerit*. Altera, anni 1512. *Luci. in Saty. Attimidi Sacti ex facie delegerit*. Mſ. Lindenbruchii: *Lucilius in Satyra Athymnidis* * in codice Pithoei adſcriptum erat: *In Satyra Atti. diligens ex f.* Rob. Stephanus, quia nihil expediebat, edidit: *Lucilius in Satyra * ex facie florem delegeris*. Citat Douza ex incerto Satyrarum Libro, verſ. 125. ex Mſ. Rodolphi Snellii: *Ex facie florem delegens*.

8. *Lucretius*] III. 384. *neque aranei tenuia fila*
Obvia ſentimus, quando obretimur euntes;
Nec ſupera caput ejuſdem cecidiſſe vietam
Veſtem.

9. *Mollitia*] Antiqui Codices, *mollitie*.

10. *Utrum ſenex*] Lego, *Utrum vere ſenex*.

11. ὄντως] Robertus Stephanus edidit: γαλεώτης ἐςὶ τὸ χρῶμα. haud ſcio, an rectius.

COMMENTARIUS.

γαλεώτης Donato apud Menandrum notat Stellionem, quum γαλῆ ſit muſtela. Unde adeo ex mente Donati dicendum fuerat: colore stellionino; h. e. maculoſo, lentiginoſo, inſtar Stellionis, ſeu lacertae. Biſetus vero ad locum Ariſtophanis Donato laudatum haec citat, e Suida: Ἀσκαλαβώτης, ὁ καὶ γαλεώτης, ἐςὶ ζωΰφιον ἐοικὸς σαύρᾳ, ἐν τοῖς τοίχοις τῶν οἰκημάτων ἀνέρπον. ἀλλ᾽ ἑκάτερον ἐνταῦθα οὐδὲν ἄλλο σημαίνειν δοκεῖ, ἢ γαλῆν, τουτέστιν αἴλουρον. Ut diſcrimen

 ſit

Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet neſciam.
Eho tu! emin' ego te? *Do.* Emiſti. *Py.* Jube, mihi denuo
Reſpondeat. *Ph.* Roga. *Py.* Veniſtin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit, annos natus ſedecim,
Quem ſecum adduxit Parmeno. *Ph.* Age dum, hoc mihi expedi
Pri-

DONATI.

γαλεώτης γέρων. Ait autem Stellionem, animal quod lacertae non diſſimile eſt, maculoſo corio. Nempe ad id genus coloris facies exprimitur Eunuchorum corporis, quia plerique lentiginoſi ſunt. Hinc ergo erravit ideo, quia *γαλῆ Muſtella* dicitur, *γαλεώτης Stellio.* [12] Ὥς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Νεφέλαις. ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους. Ego Adeſionem ſequor, qui recte intelleait, *Terentium* ſcientem, *muſtellino colore* Eunuchum dixiſſe coloratum, velut ſublivido: quia vere Eunuchi, aut ex candidiſſimis lentiginoſi fiunt, ut ex Gallis, & hujuſmodi occidentalibus: aut ex fuſcis, ſublividi, ut ex Armeniis, & aliis orientalibus.

23. UT, QUID AGERIM, EGOMET NESCIAM.] Pro, non meminerim, vel, non agnoſcam.

24. EHO TU! AMIN' EGO TE?] Miro ſtomacho quod ipſe fecit, id ex alio conatur audire: & donec haec audiat, an hoc fecerit, dubitat.

JUBE, MIHI DENUO RESPONDEAT.] Hoc eſt, quod in Rhetoricis [13] *Cicero* ait, *Contra firmam argumentationem, aliam aeque firmam aut firmiorem opponimus.* haec eſt autem aeque firma. DENUO autem, ad RESPONDEAT pertinet, non ad JUBE. DENUO RESPONDEAT.] *Jube vero, mihi denuo reſpondeat*, intelligendum eſt.

25. ROGA] Mire utrinſque fiducia confertur, & apud utrumque eſt veritas, cum uterque fallatur.

26. AT ILLE ALTER VENIT.] Bene inſtat, quaſi ex parte jam obtinuerit Pythias.

27. AGE DUM, HOC MIHI EXPEDI.] Haec *Plautina* ſunt, cum in iiſdem longa ſit diſputatio: ſed mire a *Terentio* proferuntur ad ejus exemplum: &, quod eſt plus, carent *Plautinis* nugis. AGE DUM] DUM, *παρέλκον* eſt, & adjuvat ex animo loquentem.

OBSERV. IN DONAT.

12. Ὥς] Verba ſunt verſu 174. ſenſus eſt: *gaudeo, quod ſel i percacavit Socratem.*

13. *Cicero*] Locum non invenio. niſi quod ſimilia quaedam legantur ad Heren. III. 10. ſed quae parum illuſtrandis Pythiae verbis faciunt.

COMMENTARIUS.

ſit nullum inter *γαλεώτην* & *γαλῆν*, ſi Suida ſtamus; atque male a Donato reprehendatur Terentius. Vide & quae pro Terentio diſputavit Turnebus Adverſ. XII. 10. Adde Salmaſium Exercit. Plin. pag. 532. edit. Ultraject. & Guyetum ad h. l. Turnebus porro ea, quae ex Ariſtophane citantur, de muſtela vel fele, non de ſtellione, intelligenda eſſe contendit, laudatque Heſychium: *γαλεώτης, ὁ ἀσκαλαβώτης, καὶ ἰχθὺς, καὶ ζῷον χερσαῖον.* *Muſtolatos peplos* dixit Apulejus. Color autem muſtelae in ventre nonnihil lividus eſt, qualis in Eunuchis & hydropicis cernitur. Belg. *Bleekgeel.* Γαλεὸς autem Aeliano, Hiſt. Anim. I. 45. genus canis marini eſt, *κατεστιγμένος καὶ ποικίλος.* Sed & Luciano in Reviviſcentibus. Vid. Cl. V. Lamb. Bos Animadv. cap. 14.

23. EO REDIGIS ME, UT, QUID EGERIM, EGOMET NESCIAM.] Quod in antiquis quibuſdam Libris eſt, EMERIM, perveruſtum videtur, & jam a Ciceronis aevo; qui haud ſcio, an huc reſpexerit, ſcribens Att. I. 19. *Ille alter ita nihil eſt, ut plane, quid* emerit, *neſcias.* Sed & EMERIM legiſſe videtur Donatus. An locus expreſſus e Plauto? Vid. Epid. III. 4. 40.

quin tu fidicinam
Produci intus jubes. Pa. *Haec ergo eſt fidicina.*
Hic alia nulla 'ſt. Me. *Non mihi nugari potes.*

Quin

Primum: iſtam quam habes, unde habes, veſtem? taces?
Monſtrum hominis! non dicturus? *Do.* Venit Chaerea.
Ph. Fraterne? *Do.* Ita. *Ph.* Quando? *Do.* Hodie. *Ph.* Quam dudum? *Do.* Modo.
Ph. Quicum? *Do.* Cum Parmenone. *Ph.* Noraſne eum prius?
Do. Non. nec quis eſſet, unquam audieram dicier.

Ph.

DONATI.

28. TACES?] Et recte tacet: quia metuit Chaeream.

29. MONSTRUM HOMINIS!] Bene Eunucho dictum eſt MONSTRUM HOMINIS: hoc eſt, nec mas, nec foemina exiſtens. Sic & ſupra SANUM MULIEREM dixit.

30. MODO] Nota MODO aperte pro praeterito tempore dictum eſſe, id eſt, jamdudum. Nam qui vitiaverat virginem, non MODO, ſed longe ante veſtem mutavit cum Eunucho Phaedriae.

31. QUICUM?] Praepoſitio *cum*, his dictionibus ſupponitur, *quicum*, *nobiſcum*, *vobiſcum*. Caeteris vero, ita ut ipſum nomen praeſcribit, praeponitur: ut, *Cum amicis*, *cum exercitu*, *cum advocatis*.

COMMENTARIUS.

Quin tu huc producis fidicinam Acropoliſtidem?
PE. *Haec, inquam, eſt.* MI. *Non haec, inquam, eſt: non noviſſe me*
Meam rere amicam poſſe? PE. *Hanc, inquam, filius*
Meus deperibat fidicinam. MI. *Haec non eſt ea.*
PE. *Quid? non eſt?* MI. *Non eſt.* PE. *Unde haec igitur gentium eſt?*
Equidem hercle argentum pro hac dedi. MI. *Stulte datum*
Reor, & peccatum largiter. PE. *Immo haec ea'ſt,*
Nam ſervom miſi, qui ſectari ſolet meum
Gnatum. ipſe hanc emit *fidicinam.*

Praetulerim tamen EGERIM. Sic Phorm. V. 7. 86.

in id redactus ſum loci,
Ut, quid agam *cum illo*, neſciam *prorſum.*

Mſ. Lipſ. & Edit. 1469. QUOD EGERIM, EGO NESCIAM.

25. VENISTIN' HODIE AD NOS?] Hic Guyetus gloſſema agnoſcit, reſcribens, VENISTI AD NOS? mihi nihil mutandum videtur. Mitto enim de metro dicere, quod ſatis commodum in hoc verſu invenit Anteſignanus; τὸ HODIE ἐμφατικὸν eſſe, apparet e verſu 10. & 19. Et ſane, poterat veniſſe aliquando Dorus ad aedes Thaidis, verum id nunc querebatur, an HODIE venerit, atque adeo, an pro Eunucho Phaedriae adductus ſit ad Thaidem.

26. AT ILLE ALTER VENIT.] Guyetus τὸ ALTER expungit, magis volens Terentium metro, quam metrum Terentio alligare. Certe ILLE ALTER ſatis eleganter dicitur. Salluſt. Jugurth. 13. *In duas partes diſcedunt Numidae: plures Adherbalem ſequuntur, ſed* illum alterum *bello meliores.*

ANNOS NATUS SEDECIM.] Haec ex conjectura dicit Pythias. Quanquam admodum adoleſcentem fuiſſe oportet, de quo ita pater, infra V. 6. 16.

an ſcit jam ille, quid meretrix ſiet?

27. EXPEDI.] Planum fac, quod obſcurum & intricatum eſt. Phaed. III. 14. 6.

expedi, *quid fecerim.*

Inde ſimpliciter pro narrare. Infra V. 6. 20. Plaut. Menaechm. IV. 2. 50.

qui tu miſera es? *mihi* expedi.

Pomp. Mela, in Prooem. Graev. ad Juſtin. XLIII. 1. Mſ. Lipſ. HOC NUNC MIHI EXPEDI PRIMUM.

32. NEC QUIS ESSET, UNQUAM AUDIERAM DICIER.] Haec verba Rivius adulterina pronunciat. Credo, quia Aldina editio non legit. At legunt aliae antiquae, & Edit. 1469. neque adeo videntur repudianda, quod in iis eſt omnimoda Dori ignorantia, qualem manifeſtari oportebat, ne quid culpae in ipſo Doro reſidere crederetur. Et agnoſcunt Mſſ. Leidenſes tres, totidem Palati-

Digitized by Google

Ph. Unde igitur fratrem meum eſſe ſciebas? *Do.* Parmeno
Dicebat eum eſſe: is dedit mihi hanc veſtem. *Ph.* Occidi.
Do. Meam ipſe induit: poſt una ambo abierunt foras.
Py. Jam ſatis credis ſobriam eſſe me, & nihil mentitam tibi?
Jam ſatis certum eſt, virginem vitiatam eſſe? *Ph.* Age nunc, bellua,
Credis huic quod dicit? *Py.* Quid iſti credam? res ipſa indicat.
Ph. Concede iſtuc paululum: audin'? etiam nunc paululum. ſat eſt.
Dic dum hoc rurſum: Chaerea tuam veſtem detraxit tibi?

Do.

DONATI.

33. UNDE IGITUR FRATREM MEUM ESSE SCIEBAS?] Utpote novitius: & eum qui ex Piraeeo raro diſceſſerit: & longo intervallo εἰς τὸ ἄστυ venerit. Et hae ſunt obliquae interrogationes: quibus uti oratores videmus, cum derivare teſtimonium nituntur. Et ideo ſic ait Phaedria, ut fruſtretur omnia, quae confeſſus eſt Dorus. Vult enim fratri eſſe conſultum. PARMENO DICEBAT EUM ESSE.] Prope infirmatum teſtimonium eſt. Quod enim ſic ait, PARMENO DICEBAT EUM ESSE: falſum eſſe poteſt. Et mire ſic ait: ut,

[14] *Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.*

Sic autem dicimus, quando non ſemel, quod factum fuerit, ſed ſaepius demonſtramus.

36. JAM SATIS CREDIS SOBRIAM ESSE ME?] Quia ſupra dixit, TEMULENTA ES: & quaſi gravem injuriam hoc dicto paſſa ſit, memoriter dictum retulit. Ut, [15] *En ego victa ſitu?* &, [16] *Pulſus ego?*

37. JAM SATIS CERTUM EST VIRGINEM VITIATAM ESSE?] Ordine ait, quum primum de ſe, tum de adverſario loquitur.

38. CREDIS HUIC QUOD DICIT?] A perſonae qualitate derogat fidem. Nam quid credendum eſt ſervo Eunucho fugitivo? QUID ISTI CREDAM? RES IPSA INDICAT.] Hic a perſona quae convincebatur, oratorie ad factum ſe retulit.

39. CONCEDE ISTUC PAULULUM.] [17] Ad ſe verſum dicit iſtuc: ut longe ſit a Pythia. Eunucho enim dicit Phaedria.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Sola*] Virgil. Aen. III. 183.
15. *En ego*] Virgil. Aen. VII. 452.
16. *Pulſus ego?*] Virgil. Aen. XI. 392.
17. *Ad ſe verſum dicit iſtuc*] Vel legendum, *Ad ſe verſo dicit iſtuc*; vel, *Ad ſe verſum dicit* ISTUC.

COMMENTARIUS.

ni, ſed & Traject. & Lipſ. Faërnus dubitanter tuetur vulgatam, ſcilicet quod ita verboſior videtur Dorus, quam pro novitio. Sed non pauciora verba ſunt iſta: PARMENO DICEBAT EUM ESSE. IS DEDIT MIHI HANC VESTEM. MEAM IPSE INDUIT. POST UNA AMBO ABIERUNT FORAS. Tum Gellius XII. 6. laudat, AUDIVI DICIER.

33. UNDE IGITUR FRATREM MEUM ESSE SCIEBAS?] Mſ. Traject. UNDE IGITUR MEUM ESSE SCIEBAS?

36. NIHIL MENTITAM TIBI?] In Mſ. Lipſ. non eſt τὸ TIBI?

37. BELLUA] Joculare convicium in mulierem. Aptius in Pythiam, ſi eam fingas craſſam. Sed & Geta ita de ſemet, Phorm. IV. 2. 11.

41. EA EST INDUTUS?] Mſſ. pluſculi & edd. EAM EST INDUTUS? Mſſ. Leidenſ. unus, EAM EST INDUCTUS?

Digitized by Google

Do. Factum. *Ph.* Et ea eſt indutus? *Do.* Factum. *Ph.* Et pro
te huc deductus eſt? *Do.* Ita.
Ph. Juppiter magne! ô ſceleſtum atque audacem hominem!
Py. Vae mihi!
Etiam nunc non credis, indignis nos eſſe irriſas modis?
Ph. Mirum ni tu credis quod iſte dicit. quid agam neſcio.
Heus! negato rurſum. poſſumne ego hodie ex te exſculpere
Verum? vidiſtin' fratrem Chaeream? *Do.* Non. *Ph.* Non po-
teſt ſine Malo

DONATI.

42. O SCELESTUM, ATQUE AUDACEM HOMINEM!] Chaeream ſcilicet vel Parmenonem. Sed ſic pronunciandum eſt, ut putet ancilla de Eunucho dici, [18] hoc ipſo quod praeſto eſt. Ideo illa infert, VAE MIHI! ETIAM NUNC NON CREDIS, INDIGNIS NOS ESSE IRRISAS MODIS?

VAE MIHI!] [19] Hoc totum, VAE MIHI, quidam a Pythia, uſque ad IRRISAS MODIS, dici exiſtimant.

44. MIRUM NI TU CREDIS, QUOD ISTE DICIT.] Utrum an ſervs, quod ſervus? an ſtults, quod ſtultus? an foemina, quod Eunuchus?

MIRUM NI TU] Clare dicit. Quidam preſſius putant.

45. HEUS TU, NEGATO RURSUM.] RURSUM, non ad negationem pertinet, ſed ad interrogationem: ut ſit, *rurſus interrogatus. Rurſus*, retro, id eſt; e contrario: ac per hoc contrarium ſuperioribus dicito.

46. NON POTEST SINE MALO FATERI, VIDEO.] Amplistio & dilatio quaeſtionis, argumento eſt, nihil conſtitiſſe. Adde quod poenam minatur, non tanquam jam incerto, ſed falſo teſti. Deinde ipſum FATERI conſideremus quale ſit. Non eſt teſtis *fateri*, ſed rei. Hic igitur ut in illum culpam transferat univerſam, *fateri* dixit, non indicare: ut ipſe reus, non alieni facti teſtis eſſe dicatur. NON POTEST SINE MALO.] Quaſi nec haec fuerit, nec illa confeſſio, in quibus nulla veritas ſit.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Hoc ipſo, quod praeſto eſt*] Edd. Venetae: *de Eunucho dici hoc ipſum, quis praeſto eſt.*

19. *Hoc totum*] Videtur igitur crediſſe Donatus, illa VAE MIHI etiam a Phaedria eſſe dicta.

COMMENTARIUS.

CTUS? Sic infra V. 7. 14. Plaut. Epid. II. 2. 39.

Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam, an
Impluviatam? ut iſtae faciunt veſtimentis nomina.

ET PRO TE HUC DEDUCTUS EST?] Exagitat omnes, qui ita legunt, tanquam amentes, Palmerius. Scilicet exiſtimat haec in aedibus ſuis dixiſſe Phaedriam; unde non fuerit dicendum, HUC, ſed HINC. Legit igitur, PRO TE DUCTUS EST? Verum illud de aedibus gratis dicitur. Tum paullo digreſſus cum Doro a Pythia, & digitum intendens in aedes Thaidis, ſatis eleganter dicere poterat, AT PRO TE HUC DEDUCTUS EST? Firmant lectionem Libri ſcripti & impreſſi.

44. MIRUM NI TU CREDIS, QUOD ISTE DICIT.] Ita didi, ſequutus auctoritatem Guyeti. Nec fere MIRUM NI dicitur, niſi ſequente indicativo. Sic And. III. 4. 19. Supra II. 2. 24. Heaut. IV. 1. 50. Plaut. Amph. I. 1. 163.

Mirum, ni *hic me quaſi muraenam exoſſare*
cogitat.

Caecilius, Umbris: Mirum *adeo*, niſi *frater domi ebrius turbam aliquam* dedit. Ed. 1469. MIRUM SI. Haec autem ideo dicit Phaedria, quia ſervo teſtimonii dictio non erat, utpote cui nulla dicenti haberetur fides, niſi torto.

45. EXSCULPERE.] Tormenta intendit Doro. Plaut. Ciſtell. II. 2. 6.

In quaeſtione vix exſculpſi, *ut diceret.*

46. NON POTEST SINE MALO FATERI.] Plaut. Truc. IV. 3. 3.

Rogitavi ego vos verberantes & pendentes ſimul:
Com-

Malo fateri, video: ſequere hac: modo ait, modo negat.
Ora me. *Do*. Obſecro te vero Phaedria. *Ph*. I intro nunc jam.
Do. Oi, ei,
Ph. Alio pacto honeſte quo modo hinc abeam neſcio.
Actum eſt, ſiquidem tu me hic etiam nebulo ludificabere.
Py. Parmenonis tam ſcio eſſe hanc technam, quam me vivere.
Dor. Sic eſt. *Py*. Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.
Sed

DONATI.

47. SEQUERE HAC.] Quaſi ad tormenta. MODO AIT, MODO NEGAT.] Teſtis aut ab adverſario convincitur falſitatis: aut a ſe ipſo, ſi variaverit dicta. Ergo priora quia non potuere convinci, ab inconſtantia teſtis, praeſidium defenſionis inquiſitum eſt.

48. ORA ME.] Hoc lentius: ut ſit cauſa non ſaeviendi. OBSECRO TE VERO, PHAEDRIA.] Bene VERO. Nam quia ille dixerat, ut ſimularet preces: hic annixus VERO addidit, oſtendens, ſerio ſe rogare, & ex animo: non ut ille jubebat, dolo. I INTRO.] Terribiliter, dummodo eum ſummoveat. INTRO.] Utrum INTRO domum ad Phaedriam? an ad Thaidem? Sed non oportet ad Thaidem intelligi, ne celandarum rerum index teneatur. OI, EI.] Bene OI, EI σχετλιασμὸν ruſticum poſuit, utpote & ſervi & novitii. Et eſt deploratio [20] ab eis ſic dicta.

49. ALIO PACTO HONESTE.] Contra officium fuit, mentiri docuiſſe ſervum, & adfuiſſe mendacio liberalem adoleſcentulum. Sed vide quemadmodum defendatur, dum ſe mentiri coactum dicit, dum conſulit honeſtati. Hanc autem cauſam longae ſermocinationis, ad hoc induxit artifex Poeta, ut apud omnes jam certum ſit, a Chaerea vitiatam virginem, ne ullo errore impediantur ulterius nuptiae, vel finis fabulae differatur. ALIO PACTO HONESTE.] *Nullo alio* ſcilicet, niſi per hanc fallaciam.

50. ACTUM EST SIQUIDEM.] Hoc rurſus clare. Et ſic dicit tanquam adhuc iratus Eunucho ſuo.

51. QUAM ME VIVERE.] [21] Deeſt *magis*: ut ſit, *Magis ſcio, quam me vivere*.

52. INVENIAM POL HODIE.] Haec eſt προοικονομία ad futurum exitum fabulae. Nam dum ſe ulciſcitur Pythias, ſit indicium patri Chaereae, & confirmantur nuptiae.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Ab eis ſic dicta*] Verba ſine ſenſu. Suſpicabar ſcripſiſſe Interpretem: *Et eſt deploratio Att eis ſic dicta*, ſub. σχετλιασμός. Quamvis & pro *ab eis ſic* poſſit videri ſubſtituenda vox Graeca, deplorationem notans. Vel legendum, *a miſeris*. σχέτλιος enim primo miſerum notat; vel ſaltem ſubaudiendum *ſervis*, *& novitiis*, quorum conditio eſt miſera. Prius tamen clarius videtur.

21. *Deeſt magis*] Quin nihil deeſt; poſt *tam* enim infertur *quam*. Neque adeo haec videntur ſcripta a Donato.

COMMENTARIUS.

Commemini, quo quidque pacto ſitis confeſſae: ſcio.
Hic nunc volo ſcire eodem pacto, ſine malo fateamini.

48. I INTRO.] Mſ. Lipſ. INTRA.

49. QUOMODO HINC ABEAM.] Quâ ratione me hinc expediam. Idem & *diſcedere* dixit, Phorm. V. 2. 8. & V. 8. 58.

50. ACTUM EST, SIQUIDEM TU ME HIC ETIAM NEBULO LUDIFICABERE.] Varie haec diſtinguuntur. Nulla interrogatio eſſe in verbis videtur, neque τὸ ACTUM EST, neque SIQUIDEM ſubmiſſe pronunciandum, quod vulgo jubent Interpretes, ſed omnia clare & cum vehementia quadam exprimenda; ut omnis emphaſis ſit in TU & NEBULO. Sic Simo de Pamphilo, And. V. 3. 31.

Quidvis cupio, dumne ab hoc *me falli comperiar.*

52. INVENIAM.] Eleganter *invenire* pro ſcire, reperire, ponitur. Sic Heaut. I. 1. 56.

53. FACIENDUM CENSES.] Mſ. Lipſ. & Edit. 1469. FACIENDUM SUADES. Idem Pareus citat ex duobus Mſſ. Pall. & Pariſ.

54. UTRUM

Sed nunc, quid faciendum cenſes, Dorias? *Dor.* De iſtac rogas
Virgine? *Py.* Ita. utrum taceamne, an praedicem? *Dor.* Tu
pol, ſi ſapis,
Quod ſcis, neſcis, neque de Eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re, & te omni turba evolves, & illi gratum feceris.
Id modo dic, abiſſe Dorum. *Py.* Ita faciam. *Dor.* Sed videon'
Chremem? Thais

DONATI.

54. UTRUM TACEAMNE, AN PRAEDICEM?] Tertium παρέλκον: abundat enim aut UTRUM, aut NE: aut certe hoc fit, ut ſit figura τμῆσις. TU POL, SI SAPIS, QUOD SCIS, NESCIS.] Non poſſumus neſcire quod ſcimus. Sed ita, ut *Concordia diſcors.* Et [22] *Virgilius,*

Sequiturque ſequentem.

TU POL, SI SAPIS, QUOD SCIS, NESCIS.] Videamus, cur nolit Poëta de vitio virginis continuo ſcire Thaidem: utrum ne improviſo malo vehementius commoveatur, ac doleat? an ut ex ejuſdem virginis habitu [23] vultuque iſto cognoſcat? quod eſt actuoſius. An, quod proximum vero eſt, ut illam & Thais, & frater, ignorantes vitiatam, animoſius adverſus militem defendant, repetitum eam venientem, cum tanto ſtrepitu ac minis? Nam quo ore praeterea diceret Thais Chremeti, de ſororis pudore ſollicito, EDUCTA EST ITA UTI TEQUE ILLAQUE DIGNUM EST: ſi ſciret eam virginem non eſſe?

55. QUOD SCIS, NESCIS.] Unde in Heautont. *Neſcias quod ſcis, ſi ſapis.* Et hoc eſt quod κακόζηλον dicitur. QUOD SCIS, NESCIS.] Proverbiale eſt, & multum apud dialecticos tractatum: ut, *Facio, & non facio:* & *Amicus ſum, & non ſum:* &, *Audio, & non audio:* & caetera hujuſmodi. DE EUNUCHO] Quid fuerit. DE EUNUCHO.] Quod Chaerea ſit, non Eunuchus. DE VITIO VIRGINIS.] Quod jam mulier facta ſit.

56. HAC RE, ET TE OMNI TURBA EVOLVES.] Cauſa quaeſita, cur ante jurgium cum milite Thais neſciat vitiatam virginem. ET ILLI GRATUM FECERIS.] Cui, niſi virgini? cujus crimen, ut ſupra, ſilentio texeris, praeſertim tacentis injuriam ſuam, & ſic dolentis amiſſam virginitatem, ut nec confeſſionem ſuae calamitatis ſubire poſſit.

57. ID MODO DIC.] ID pro *hoc*, ſubjunctivum pro praepoſitivo.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Virgilius*] Aeneid. XI. 695.

23. *Vultuque iſto cognoſcat*] Edd. Venetae rectius: *vultuque iſta cognoſcat.*

COMMENTARIUS.

54. UTRUM TACEAMNE, AN PRAEDICEM?] Sic Ovid. Pont. IV. 3. 1.

Conquerar? an taceam? ponam ſine nomine crimen?

Virgil. Aeneid. III. 39.

Eloquar? an ſileam?

TU POL, SI SAPIS, QUOD SCIS, NESCIS.] Conſtans lectio. Guyetus tamen expungit TU, ſed & NESCIS inepte & ſine ſenſu dicit legi, ſubſtituens NESCI, vel NE SCI. Senſum expreſſit Fabrini, vertens, *Se tu ſei ſavia, tu dirai di non ſapere quel che tu ſai.* Locus expreſſus e Plauto, Mil. II. 6. 88.

Nae tu hercle, ſi te Dii amant, linguam comprimes

Poſthac: etiam illud, quod ſcies, neſciveris.

Simile ὀξύμωρον eſt Bacchid. IV. 6. 21.

neſcio etiam id, quod ſcio,

Et II. 3. 90.

Profecto de auro nihil ſcio, niſi neſcio.

Mil. II. 4. 16.

Qui plus vident, quam quod vident.

Poſſit autem NESCIS dictum videri pro NESCIVERIS. Sic Cic. de Legib. II. 9. *Sacrum, ſacrove commendatum qui clepſit, rapſitque, parricida eſto.*

56. TE OMNI TURBA EVOLVES.] Turnebus malebat EVOLVIS, pro EVOLVERIS, credo quod continuo ſequatur, FECERIS. Sic Lucilius:

Thais jam aderit. *Py*. Quid ita? *Dor*. Quia cum inde abeo, jam tum inceperat

Turba inter eos. *Py*. Aufer aurum hoc: ego ſcibo ex hoc quid ſiet.

DONATI.

58. THAIS JAM ADERIT.] Bene dixit, ADERIT. huic enim aderit THAIS. QUIA CUM INDE ABEO.] Aliam cauſam ex alia ſuppoſuit: quaſi diceret, *Video cauſam*.

COMMENTARIUS.

Cui nil demſit nix, & ſacculus abſtulerit nil. Ubi *demſit* maniſeſto pro *demſerit* poſitum.

ET ILLI GRATUM FECARIS.] Donatus, eumque ſequuti Interpretes virginem intelligunt. Mihi Phaedria videtur intelligendus. Virginem enim occultum non voluiſſe crimen, conſciſſa veſtis & lacrimae ſatis prae ſe ferebant. Gratum igitur faciebat Phaedriae tacendo vitium virgini per ſuppoſitum Eunuchum ſuum oblatum. Sed & jam in gratiam redierant ancillae cum Phaedria, Pythia ultro agnoſcente, Parmenonis hanc fuiſſe technam. Adde, quod neſcire oportebat ancillas, an gratum eſſet virgini celatum crimen, ipſa non rogante, ut celaretur. Porro autem aequum erat, ut gratum facerent Phaedriae, quo neminem eſſe Thaidi cariorem noverant, cuique diſciplina videtur fuiſſe, remunerari ancillas primum, quoties ad dominam adfectaret viam.

59. AUFER AURUM HOC.] Mſ. Lipſ. TU AUFER AURUM HOC. Quod ex antiquis laudat Georg. Fabritius.

ACTUS QUARTI

SCENA QUINTA.

CHREMES. PYTHIAS.

Ch. AT at! data hercle verba mihi ſunt: vicit vinum quod bibi.

Ac

DONATI.

AT AT? DATA HERCLE VERBA MIHI SUNT.] *Hic ſemigravis inducitur vino Chremes priorum memor, titubans in praeſentibus, ut fere adpoti ſolent.*

1. AT AT!] Interjectio eſt paulatim percepti atque intellecti mali. DATA VERBA.] Fraus facta. DATA HERCLE VERBA.] A milite, an a meretrice, cujus jampridem dolum malum in omni

COMMENTARIUS.

1. VICIT VINUM, QUOD BIBI.] Mſſ. pluſculi: VICIT ME VINUM. Sic Virg. Aen. I. 122. *Vicit hiems.*

Niſi vero Chremes paullo plus adbibiſſet, ad conſpectum Thraſonis ejuſque copiarum aufugiſſet. In qua re eſt artificium Poëtae. De phraſi ipſa vid. Parei Lexic. in *Percuti vino*.

2. Ac-

Ac dum accubabam, quam videbar mihi eſſe pulchre ſobrius!
Poſtquam ſurrexi, neque pes, neque mens ſatis ſuum officium facit.
Py. Chremes! *Ch.* Quis eſt? ehem Pythias. vah! quanto nunc formoſior

Vide-

DONATI.

omni re ſuſpicatus eſt? an magis a vino, quaſi captioſo aliquo, data verba ſunt? quia bibere, dulce eſt: ebrium fieri, turpiſſimum. adeo his quae ſequuntur, quaſi ſubtilem fraudem ebrietatis inducit. [1] *Plautus* de vino,

Pedes captat primum, luctator doloſus eſt.

[2] *Virgilius* de uva,

Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

2. Ac dum accubabam.] Hic verba data ſunt. Quam videbar mihi esse pulchre sobrius!] Nihil elegantius. Non dixit, videbar mihi tunc eſſe ſobrius: ſed ut hoc ipſum jam erroris eſſet, ac vinolentiae accumulatio, *Videbar*, inquit, *mihi nimium ſobrius.* Pulchre.] Fortiter ac nimis.

3. Neque pes] Ad inceſſum. Neque mens.] Ad facta ac dicta. Satis suum officium facit.] Bene: non enim omnino non facit, nam hoc inſani eſt: ſed, non ſatis facit, quod eſt ebrietatis.

4. Quia est? ehem Pythias.] Γνωμικῶς & ſatis miro exemplo mutatam credit, poſtquam ipſe mutatus eſt. Quanto nunc formosior videre mihi, quam dudum!] Hoc multum Academicos juvat, qui ajunt, Prout habiti fuerimus atque affecti, ita nobis aliud atque aliud videri; & ideo nihil certi comprehendi poſſe.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Plautus*] Pſeud, V. 1. 6.

2. *Virgilius*] Georg. II. 94.

COMMENTARIUS.

2. Accubabam.] Libri quidam ſcripti & editi: Accumbebam.

3. Postquam surrexi, neque pes, neque mens satia suum officium facit.] Sic plus potus apud Menandrum in Ἀῤῥηφόροις, citante Athenaeo:

Ἀνίσταμαι γὰρ τέσσαρας κεφαλὰς ἔχων.

Surgo enim quatuor capita habens. Juvenal. VI. 300. ſeqq. Plaut. Pſeud. V. 1. 1.

Quid hoc? ſiccine hoc fit, pedes, ſtatin', an non?
An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.

Verba ſunt ebrii. Ovidius Arte Am. I. 589. imitatus Noſtrum:

Certa tibi a nobis dabitur menſura bibendi:
Officium praeſtent menſque pedeſque ſuum.

Faſtor. VI. 677.

Nec mora; convivae valido titubantia vino
Membra movent: dubii ſtantque labantque pedes.

Lucret. III. 475.

Denique cur, hominem cum vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur gravitas membrorum? praepediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?
Et jam caetera de genere hoc quaecunque ſequuntur,
Cur ea ſunt? niſi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam conſuevit corpore in ipſo.

Vetus Epigramma de uva:

Vindicas ipſa ſuos, quos pertulit uva labores.
Quae pede quod premitur, ſubtrahit ipſa pedem.

Et ὄινος φρένας ἔχειν dicitur Graecis.

4. Quanto nunc formosior videre mihi, quam dudum!] Mſſ. quidam: Quam tu nunc formosior. Homerus Odyſſ. Π. 181.

Ἀλλοῖός μοι, ξεῖνε, φάνης νέον, ἠὲ πάροιθεν.
Alius mihi, hoſpes, apparebas nuper quam coram.

Theocr. Idyll. VI. 19.

ἦ γὰρ Ἔρωτι

Videre mihi, quam dudum! *Py.* Certe tu quidem pol & multo hilarior.

Ch. Verbum hercle hoc verum eſt, ſine Cerere & Libero friget Venus.

Sed Thais multo ante venit? *Py.* Anne abiit jam a milite?

Ch. Jamdudum: aetatem. lites ſunt inter eos factae maxumae.

Py.

DONATI.

5. CERTE TU QUIDEM POL.] Et CERTE & POL, haec dixit, ut appareret hanc vere loqui, quae ſobria eſt: illum vero ex vino falli. Et honorifice, atque ut ſobria, non dixit, temulentior, aut laſcivior, ſed *alacrior*.

6. VERBUM HERCLE HOC.] VERBUM, proverbium. ut idem in Andria: *Verbum illud verum eſt, vulgo quod dici ſolet.* SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS.] Hoc ſi ad ſententiam revoces, non conveniet ebrio: ſi ad petulantiam [3] quam * ſic ante dictum eſt. Nam & improbior factus eſt. Et quum tropice locutus ſit, tamen ordinem naturalem ſervavit: nam primum cibus, deinde potus, poſtremo libido Venerea. FRIGET autem, quia omnis ejuſmodi voluptas in calore ſanguinis conſtituta eſt, qui his rebus alitur. Et FRIGET proprie, non, adhaeret. Tranſlatum enim hoc proverbium [4] a picatione vaſorum, quae frigida picem non tenent; quum alia [5] multa meliora ſint ad uſum frigida, ut ferrum, argentum, aurum, & caetera hujuſmodi. Nam ſic alibi, *Ubi friget, huc evaſit.* Et vide tres *μετωνυμίας*, *Cererem*, *Liberum*, *Venerem*.

7. SED THAIS MULTO ANTE VENIT?] Interrogative pronunciandum hoc. Et ſcias de his interrogationibus hanc ipſam eſſe, in quibus ita quaerimus, ut qui interrogantur, reſponſuri nobis ſe neſcire videantur.

8. JAMDUDUM: AETATEM.] Quia JAMDUDUM infinitae morae eſt, addit AETATEM, ut oſtendat multum abiiſſe temporis, ut factum eſt. JAM DUDUM: AETATEM, pro longinquo tempore. *Lucilius*,

Ut multos menſeſque dieſque:
Non tamen aetatem.

AETATEM.] Diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut eſt aetas. Nam ſic dicimus de die & *dieculam*, aliquantulam moram.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Quam * ſic ante dictum eſt.*] In Edd. Venetis nullum lacunae indicium. Legerim autem: *quamvis apte dictum eſt.*
4. *A picatione vaſorum*] Hanc interpretationem frigidam & affectatam vocat Eraſmus in Adag.
5. *Multa*] Veneti Codices, *multo.*

COMMENTARIUS.

Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.
certe enim Amori,
Saepe, ô Polypheme, non pulcra pulcra videntur.

5. HILARIOR.] Muretus Donatum ſequutus ALACRIOR legit. quod & Libri quidam exhibent.

6. SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS.] Appoſita & plane *παράλληλα* habet Eraſmus in Adag. quae ibi legi poſſunt. Adde Boeclerum & Farnabium, maxime Lindenbruchium. Crates apud Diog. Laërtium:

Ἔρωτα παύει λιμὸς, εἰ δὲ μὴ, χρόνος.
Fames amorem ſinit, aut dies.

Plaut. Caſin. IV. 3. 5.

Nihil facio tibi, Amor, pericli: mihi inanitate
Jamdudum inteſtina murmurant.

Ovid. Arte Am. I. 244.

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

9. NIHIL DIXIT TUM.] Mſ. Mark. NIHIL DIXIT TUNC. Revocavi autem TUM ex quibuſdam Mſſ. & editis antiquiſſimis & praeſtantiſſimis, ſed & Donato. Impreſſi recentiores omittunt.

UT SEQUERERE.] Mſ. Lipſ. UT TU SEQUERERE.

10. IN DICERE ILLAM.] Dici etiam dicuntur, quae

Py. Nihil dixit tum, ut ſequerere ſeſe? *Ch.* Nihil, niſi abiens mihi innuit.

Py. Eho nonne id ſat erat? *Ch.* At neſciebam id dicere illam, niſi quia

Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extruſit foras.

Sed eccam ipſam: miror ubi ego huic antevorterim.

DONATI.

9. NIHIL DIXIT TUM, UT SEQUERERE SESE?] NIHIL, pro non. [6] *Virgilius:*

Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.

NIHIL, NISI ABIENS MIHI INNUIT.] Apparet quaſi iratam diſceſſiſſe Thaidem a Milite, & tamen ſic iratam, ut illi ira conſilium non ademerit. INNUIT, inquit, *quum abires.*

10. EHO NONNE ID SAT ERAT?] Adeo ſimplex hic inducitur adoleſcens, ut a Pythia reprehendi poſſit. Nam quid opus fuit dicere, ſi innuit? AT NESCIEBAM ID DICERE ILLAM.] DICERE pro velle, vel ſignificare. Sic alibi,

Quaſi tu dicas id factum conſilio meo. NISI QUIA CORREXIT MILES, QUOD INTELLEXI MINUS.] Hoc videtur facetius & ſapientius, quam dici ab ebrio, ruſtico, & adoleſcente debuiſſet. Hoc vitium tunc fit, quum Poëtae ingenium ſuum in perſonas conferunt.

11. QUOD INTELLEXI MINUS.] Veriſimile hunc tantum extruſum fuiſſe, non etiam vapulaſſe: quia miles Thaidi magis, quam huic iraſcitur.

12. MIROR UBI EGO HUIC ANTEVORTERIM.] Id eſt, hanc praeceſſerim. UBI] In qua parte viae.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virgilius*] Aeneid. V. 751.

COMMENTARIUS.

quae geſtu ſignificantur aut nutu. Sic ſupra II. 2. 44.

11. CORREXIT MILES.] Mſſ. quidam & editi, CORREXIT ME MILES.

EXTRUSIT FORAS.] Ob *δόλιον νεῦμα* Thaidis, ut rebatur miles. De Nutu in meretricibus ſignis multa egregia collegit Lindenbruchius. Sic Plautus plus ſemel. Phaedrus V. 7. 39.

Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

Ad quem locum vide, quae erudite obſervavit Vir Cl. Petrus Burmannus.

12. ECCAM IPSAM.] Mſ. Lipſ. ECCAM IPSAM VIDEO. Ita & editi annorum 1469. 1481. 1490.

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA SEXTA.

Thais. Chremes. Pythias.

Th. Credo equidem illum jam adſuturum eſſe, ut illam a me eripiat. ſine veniat!
Atqui ſi illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.
Uſque adeo ego illius ferre poſſum ineptias, & magnifica verba,
Verba

DONATI.

1. Credo equidam illum jam adfuturum esse, ut illam a me eripiat.] Vides ut ex ipſis appareat verbis, quam [1] concita & recens a litigio veniat Thais. Itaque nec nominat militem, nec virginem: ſed pronomine utrumque ſignificat, quaſi in medio conſtituta negotio. Adfuturum esse.] Id eſt, adventurum: ut [2] *Aſſuit & Mneſtheus.* Sine ut veniat.] Quaſi dicat, [3] ſine * nullis. Et comminantis eſt: ut, *Sine modo.*

2. Atqui si illam digito attigerit uno.] Moris comminantium eſt, ad exiguum revocare commiſſa, quae ſe ulturos praedicent. Oculi illico effodientur.] Et foemineae minae ſunt, & in libidinoſos quam maxime: Nam hunc ſuſpicatur amatorem eſſe virginis. Sic & alibi,

Ut ego unguibus facile illi in oculos involem veneſico.

In oculos autem maxime ſaevire foeminas, & Tragoediae fere omnes, & Comoediae proteſtantur.

3. Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba.] Non dixit, Uſque adeo illum poſſum amare: ſed, quam inſuavis jam diu ſit, oſtendit, dicendo, Ferre possum. Et cito oſtendit, quae ſit amicitia militis. Ineptias, inquit, et magnifica verba.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Concita*] Edd. antiquiſſ. *concitata.*
2. *Aſſuit*] Virgil. Aeneid. X. 143.
3. *Sine * nullis*] Lacunae indicium nullum in vetuſtis editionibus. Fortaſſe legendum: *ſine, nil eſt.* Abr. Wielingius reponit: *minus terror nullis.*

COMMENTARIUS.

1. Sine vaniat.] Haec abſunt a Mſ. Lipſ.

2. Si illam digito attigerit.] Proverbialiter dictum, pro, leviſſime attigerit. Gr. ἅπτεσθαι μόνον τῷ δακτύλῳ. Plant. Perſ. V. 2. 15.

Ne ſis me uno digito attigeris, *ne te ad terram, ſcelus, affligam.*

Rud. III. 4. 15.

Agedum ergo, tange *utramvis* digitulo minimo *modo.*

Porcius Licinius apud Gellium XIX. 9.

Si digito attigero, *incendam ſilvam ſimul omnem.*

Eodem ſenſu dixit Servator Luc. XI. 46. Αὐτοὶ ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ προσψαύετε τοῖς φορτίοις.

Oculi illico effodientur.] Minae mulierum Comicis familiares. Supra IV. 3. 6. Plaut. Aul. I. 1. 14.

Oculos *hercle ego iſtos, improba*, effodiam *tibi.*

3. Illius ferre possum ineptias.] Imitatu s C icero Att. XII. 36. *Hae meae tibi* ineptiae, *fateor*

Verba dum ſint: verum enim ſi ad rem conferentur, vapulabit.
Ch. Thais, ego jam dudum hic adſum. *Th.* O mi Chreme, te ipſum expectabam.
Scin' tu turbam hanc propter te eſſe factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? *Ch.* Ad me? qui? quaſi iſtuc! *Th.* Quia dum tibi ſororem ſtudeo
Reddere & reſtituere, haec atque hujuſmodi ſum multa paſſa.

Ch.

DONATI.

4. Verba dum sint.] Hoc eſt, quae vim non admiſceant rerum. Verum enim si ad rem conferentor, vapolabit.] Si diſceſſerit a verbis: & rem experiri coeperit, vapulabit. Et bona locutio: ut ſi dicas, Verba ad rem contulit, hoc eſt, agere, quod dicebat, aggreſſus eſt.

7. Ad me? qui? quasi istuc!] Et ruſticus, & timidus, & pudens commotus eſt meretriculae dicto.

8. Reddere et restituere.] Proprie *redditur* cupientibus, ut domino ſervus: *Reſtituitur* cupiens, ut patriae civis: *Redditur*, & *reſtituitur*, cupiens cupientibus, ut parenti filius. Ergo in hac utrumque eſt, & *reddi* & *reſtitui*.

Haec atque hujusmodi sum multa passa.] Mulier facunda meretrix, haec imputat adoleſcenti quae vidit, * & alia, quibus interfuit.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Et alia, quibus interfuit.*] Legendum omnino cum Codd. vetuſtis: *Et alia, quibus non interfuit.*

COMMENTARIUS.

fateor enim, ferendae *ſunt*.

Magnifica verba.] Proprie de glorioſo & jactabundo milite. Plaut. Curc. IV. 4. 18.

At ita me machaera & clypeus
Bene juvent pugnantem in acie: niſi mihi virgo redditur,
Jam ego te faciam, ut hic formicae fruſtillatim differant.
Ca. *At ita me volſellae, pecten, ſpeculum, calamiſtrum meum*
Bene me amaſſint, meaque axicia, linteumque exterſum,
Ut ego tua magnifica verba, *neque iſtas tuas magnas minas*
Non pluris facio, quam ancillam meam, quae latrinam lavat.

Virgil. Aen. X. 547.

Dixerat *ille* aliquid magnum, *vimque affore verbo*
Crediderat, coeloque animum fortaſſe ferebat.

Liv. XXV. 22. *Quibus Annibal* magnifice *reſpondit*. Horat. Arte 97. *ampullas & ſeſquipedalia verba* vocat. Tibull. II. 6. 11.

Magna loquor: *ſed* magnifice *mihi* magna *locuto*
Excutiunt clauſae fortia verba fores.

4. Si ad rem conferentur.] Si exſequatur, quae minatus eſt. Verba enim & Res opponuntur. Liv. XXXIX. 13. *Orare coepit, ne mulieris libertinae cum amatore ſermonem*, in rem *non ſeriam modo, ſed capitalem etiam*, verti *vellet*.

5. Jam dudum hic adsum.] Mſ. Lipſ. Jam dudum hic sum.

Expectabam] Mſſ. Boecleri, cum Mark. & Lipſ. Exspecto. Ita & editiones omnium antiquiſſimae, & Anteſignani.

7. Qui? quasi istuc!] Fabrini ſubaudit, fecerim, vertitque: *Come ſe io habbi fatto queſto.* Latomus, Guyetus, alii, moverim. Malim, credam. Editio anni 1469. quasi ego istuc. Acidalius legit, Qui quaeso istuc? eleganter.

8. Reddere et restituere.] *Reddimus* rem iis, qui volunt recipere; *reſtituimus* eos, qui volunt reſtitui. Ita ſervus fugitivus *redditur* domino; exſul *reſtituitur* patriae. Hec. I. 2. 75. Cic. pro Domo cap. 28. *Utrum me patria ſic accepit, ut lucem, ſalutemque* redditam *ſibi*, ac reſtitutam

Ch. Ubi ea eſt? *Th.* Domi apud me. *Ch.* Hem! *Th.* Quid eſt?
Educta ita, uti teque illaque dignum eſt. *Ch.* Quid ais? *Th.* Id quod res eſt.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quidquam abs te pretii.
Ch. Et habetur, & refertur, Thais, a me, ita uti merita es, gratia.
Th. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.
Nam haec ea 'ſt; quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, ciſtellam, Pythias, domo effer cum monumentis.

Ch.

DONATI.

9. Hem!] Extimuit adoleſcens, cum ſororem ſuam in domo meretricis eſſe audivit: cui rei ſtatim occurrit Thais.

10. Educta.] Subanditur *eſt*. Uti teque illaque dignum est.] Bene purgavit, [5] quod ex faſtu meretricio expectabatur. Non inquit, *ut me dignum eſt*, apud me eſt. Quid ais?] Recte: quia mirum apud meretricem liberaliter educatam.

11. Hanc tibi dono do.] Melius dixit, quam *Dono:* ut donum placidius videatur & praeſtantius. Neque repeto pro illa quicquam abs te pretii.] Ex eo quod potuit jure facere, beneficium demonſtravit, oratorie dicens ſerio, non eſſe facturam.

12. Et habetur et refertur, Thais, a me.] Qui habet apud ſe gratiam, nondum retulit. *Retulit* qui deſtitit habere. Multum ergo hic dixit, & habetur gratia & refertur. Quem ſenſum tranſtulit [6] *Salluſtius* in bellum Jugurthinum, *Arma, pecuniam, ſume, utere: & quoad vixeris, numquam redditam tibi gratiam putaris, ſemper apud me integra erit.*

13. Ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.] Hoc in Comoedis licet more vulgi dicere. Caeterum non poteſt amitti, quod nondum acceptum ſit. [7] An quia jam dudum ſumtum ſit?

14. Nam haec ea 'st, quam miles a me vi nunc ereptum venit.] Non ad deterrendum, ſed ad praeparandum animum adoleſcentis haec dicit, quem audacem putat, aliter ac res ipſa eſt. Nam mox Thais mutabit orationem, & dicet, *Quicum res tibi eſt, peregrinus eſt: Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.*

OBSERV. IN DONAT.

5. *Quod ex faſtu meretricio expectabatur*] Lectio ſuſpecta. Reſtituo ope Codicum veterum, *Quod ex aſtu meretricio ſpectatur.* Certe quidem *faſtus* nullum hic locum habere videtur. *Aſtus* autem in eo conſiſtit, quod, Donato obſervante, non inquit, *ut me dignum eſt*, ſed, ut teque illaque dignum est.

6. *Salluſtius:*] Jug. cap. 110. Verba ſunt Bocchi ad Sullam, quae nunc ita leguntur: *Arma, viros, pecuniam, poſtremo quidquid animo lubet, ſume, utere: & quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam putaveris. ſemper apud me integra erit.* Editiones Venetae legunt, *imputaris.*

7. *An quia jam dudum ſumtum ſit?*] Guido Juvenalis reliqua Donati exhibens, haec omiſit, forte quod viderentur aliunde aſſuta. Sunt autem in editis antiquis, quos vidi, omnibus.

COMMENTARIUS.

gratam *accipere debuit, an ut crudelem tyrannum?*

12. Refertur] Aſſentior Guyeto, legenti referetur, quod teſte Anteſignano primus ita legit Linacer. Faërnus idem ex Bembino & aliis Libris antiquis aſſerit. Et ſane ſenſus ita poſtulat. Neque enim verbis refertur gratia, ſed re ipſa. Unde & Heinſius ita recenſuit. Et eſt in Mſſ. Leidenſibus quatuor, & Lipſ. Editiones Aldinae variant. Illa vero, a me, abſunt a quibuſdam Mſſ. ſed & Priſciano Inſtit. Grammat. Lib. XVIII.

15. Domo effer cum monumentis.] Mſ.

Mark.

Ch. Viden' tu illum, Thais? *Py.* Ubi ſita 'ſt? *Th.* In riſco. odioſa ceſſas?

Ch. Militem ſecum ad te quantas copias adducere?

Atat. *Th.* Num formidoloſus obſecro es, mi homo? *Ch.* Apage ſis, Egon' formidoloſus? nemo 'ſt hominum, qui vivat, minus.

Th. Atque ita opus eſt. *Ch.* Hau! metuo, qualem tu me eſſe hominem exiſtumes.

Th. Immo hoc cogitato; quicum res tibi eſt, peregrinus eſt;

Minus

DONATI.

15. CUM MONUMENTIS.] *Monumenta* ſunt, quae Graeci dicunt [1] *γνωρίσματα καὶ σπάργανα*.

16. VIDEN' TU ILLUM, THAIS?] Longe videre, timoris eſt indicium. UBI SITA 'ST?] Trepidantes perſonas immiſcuit. IN RISCO.] Ciſta pelle contecta: nomen Phrygium.

17. QUANTAS COPIAS.] Proprie dixit COPIAS: nam ſic dicuntur legiones in unum collectae. Convenit tamen rudi & ruſtico adoleſcenti, ſex homines, COPIAS dicere: Militem ſcilicet, Paraſitum, Donacem, Syriſcum, Simalionem, Sangam.

18. NUM FORMIDOLOSUS, OBSECRO, ES, MI HOMO?] FORMIDOLOSUS, & terribilis, & timidus intelligitur. APAGE SIS.] [9] *Plautus* in Trinummo; *Apage amor*.

20. ATQUE ITA OPUS EST.] Ut minus formidoloſus ſis. METUO, QUALEM TU ME ESSE HOMINEM EXISTUMES.] Videtur ebrius factus hic Chremes jam etiam diſplicere nolle mulieri. Nam idcirco fatetur, ſe timere malam opinionem Thaidis de ſe. Et, METUO QUALEM TU ME EXISTUMES, nove dixit: pro, *Metuo ne ignara ſis*.

21. PEREGRINUS EST; MINUS POTENS QUAM TU.] [10] Quam * poſtquam tamen ipſa non eloquitur, quid efficiatur, ex eo quod ait, PEREGRINUS EST; MINUS POTENS QUAM TU: bene ſic dixit: quia tardum fuit dicere: *Ille impotens, tu potens*, & caetera.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Γνωρίσματα*] Uterque Venetus: *λείψανα σπάργανα*.

9. *Plautus in Trinummo*] II. 1. 25. ubi nunc legitur: *apage te, Amor: non places: nihil te utor.*

10. *Quam * poſtquam tamen ipſa non eloquitur.*] Integrum locum ita ordino: *Poſt* QUAM TU *ipſa non eloquitur, quid efficiatur ex eo quod ait:* PEREGRINUS EST; MINUS POTENS QUAM TU. *Tamen bene ſic dixit.*

COMMENTARIUS.

Mark. AFFER. Tangit autem morem veterum, in liberis exponendis; qui ne omnino expertes bonorum eſſent, ſed & ut haberent, unde agnoſcerentur, cum crepundiis quibuſdam ſeu monumentis, quae Graeci *ἐπίγνωμα*, *γνωρίσματα* & *σπάργανα* vocabant. Vid. Lindenbr. ad h. l. & Heaut. IV. 1. 36. ſeqq. Sunt & qui MONUMENTA literas interpretantur, in quibus vel de civitate Attica, vel de hereditate Pamphilae perſcriptum fuerit.

16. IN RISCO.] Ad haec ita Engraphius: RISCUM *ciſtellae genus de vimine factum & tectum corio intelligimus.* Nonius exponit *Loca in parietibus anguſta.* Polluci autem Lib. X. cap. 31. *ῥίσκος* eſt in repoſitoriis veſtium muliebrium, auctoritate Antiphanis. Unde bifariam expoult Fabrini: *ne la buca del muro, o ne la feneſtrella del muro di camera. over ne la caſſa.* Anteſignano eſt *l'armoire de la muraille.* Dacieria exponit, *dans le cofre.* Gr. *λάρναξ*.

17. AD TE] Mſ. Lipſ. ATQUE.

19. HOMINUM.] Mſ. Mark. OMNIUM. Mſ. Lipſ. NEMO HOMO. Pro illis autem, QUI VIVAT, MINUS, Mſſ. quidam habent, QUI METUAT MINUS.

21. PEREGRINUS] Cui adeo difficiles lites in loco alieno. Sic And. IV. 5. 15.

Minus potens quam tu; minus notus, minus amicorum hic
habens.
Ch. Scio iſtuc. Sed tu quod cavere poſſis, ſtultum admittere 'ſt.
Malo ego, nos proſpicere, quam hunc ulciſci, accepta injuria.
Tu abi, atque obſera oſtium intus, ego dum hinc tranſcurro ad
forum.
Volo ego adeſſe hic advocatos nobis in turba hac. *Th.* Mane.
Ch.

DONATI.

23. SED TU, QUOD CAVERE POSSIS.] Oſtendere vult *Terentius*, plures ſententias ad timiditatem congruere, quam ad audaciam: Nam & mox dicturus eſt, OMNIA PRIUS EXPERIRI, QUAM ARMIS, SAPIENTEM DECET. Quia ex providentia timor, ex audacia temeritas provenit. ADMITTERE 'ST.] Fieri ſinere. Et melius dixit, quam *Pati*. hoc generale eſt. Nam nunc ADMITTERE, *pati fieri* ſignificat.

24. MALO EGO, NOS PROSPICERE.] Providere ne fiat: id eſt, proſpicere & cavere. ab eo quod praecedit, id quod ſequitur. ACCEPTA INJURIA.] Hic cauſa oſtenditur, cur illud malit.

25. OBSERA OSTIUM INTUS.] Pavidi conſilium nihil aliud continet poſt clauſtra & fugam. Nam *ſera* eſt clauſtrum januae. TRANSCURRO AD FORUM.] TRANSCURRO dixit, non *Curro*: ut proximitatem fori oſtenderet.

26. VOLO EGO.] Quaſi minus timeat: *cupio* non inquit, ſed VOLO. IN TURBA HAC.] Vide timidum *turbam* appellare, quam mulier non timet.

COMMENTARIUS.

23. SED TU QUOD CAVERE POSSIS, STULTUM ADMITTERE 'ST.] Citat Willichius ſententiam Menandri ex Stobaeo: *Σωφρονίστερον δ' οἶμαι τῶ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν.* Ex eodem laudant Muretus, Georg. Fabritius & Gerh. Falkenburgius in Scholiis Mſſ.

Εὐήθειά μοι φαίνεται δεδογμένη,
Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ' ἃ δεῖ.

24. MALO EGO, NOS PROSPICERE.] In eandem ſententiam Cicero Verr. III. 13. *Tamen hoc novum genus injuriae ferre nemo poſſet, te, quum tuos omnes fructus publicano tradidiſſes, & rem de manibus amiſiſſes, tum bona tua repetere, ac perſequi lite, atque judicio.* Vide ad And. III. 5. 18.

25. TRANSCURRO AD FORUM. VOLO EGO ADESSE HIC ADVOCATOS NOBIS.] Obſervat Lindenbruchius, in foro Cauſidicos ambulaſſe, exſpectantes, cui advocationem, linguaeque venale ſervitium venderent. Iidem hinc *ἀγοραῖοι* dicti. Adde inſignem locum e Cicerone, de Orat. III. 33. *M. vero Manilium nos etiam vidimus tranſverſo ambulantem* foro: *quod erat inſigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus conſilii ſui copiam: ad quos olim & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi, ſic adibatur, non ſolum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur.* Ubi vide Jac. Lud. Strebaeum, p. 506. & Gul. Budaeum ad Pand. annot. pr. pag. 164. Illa autem, VOLO EGO ADESSE HIC ADVOCATOS NOBIS IN TURBA HAC, abſunt a Mſſ. Lipſ. & Pal. & edit. anni 1469. In aliis eſt, ADVOCATOS IN TURBA. TH. MANE, MANE.

30. IN JUS.] Ad tribunal, locum judicii. Quod Graeci *ἐν βήματι*. Scilicet ſolent & locus & res, quae agitur in loco, eadem voce appellari quandoque apud Graecos & Romanos, quod nec Batavis inuſitatum, aliiſque gentibus. Sic L. penult. D. de J. & J. ubi Paulus: *Alia ſignificatione* Jus *dicitur locus, in quo* Jus *redditur, appellatione collata ab eo, quod fit, in eo, ubi fit. Quem locum determinare hoc modo poſſumus: Ubicunque Praetor ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum, jus dicere conſtituit, is locus recte* Jus *appellatur.* Conſule *τοῦ πάνυ* J. G. Graevii Lectiones Heſiodeas, cap. XXI. pag. 107.

31. FAC ANIMO HAEC PRAESENTI DICAS.] H. e. intrepido & conſtanti. Sic Phorm. V. 7. 64. Quidam Libri cum Donato: UT PRAESENTI.

ATTOLLE PALLIUM.] Haec intelligi nequeunt, niſi formam *pallii* noris. Erat vero non aliter atque

Ch. Melius eſt. *Th.* Mane. *Ch.* Omitte: jam adero. *Th.* Nihil opus eſt iſtis, Chreme:
Hoc modo dic, ſororem illam tuam eſſe, & te parvam virginem
Amiſiſſe: nunc cognoſſe: ſigna oſtende. *Py.* Adſunt. *Th.* Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? *Ch.* Probe.
Th. Fac animo haec praeſenti dicas. *Ch.* Faciam. *Th.* Attolle pallium.

Perii!

DONATI.

27. Malius ast.] [11] Fugae occaſionem hic cupit dari. Mane.] Hoc, geſtu jam adjuvatur. Omitta: jam adero.] [12] Ex hujus verbis apparet, etiam manu comprehenſum eſſe adoleſcentem. Omitta: jam adero.] Quia cauſam probari non non videt, celeritatem redeundi pollicetur. Nihil opus ast istis.] Istis, [13] utrum advocatis, an iſtis omnibus quae dixiſti? [14] *Virgilius*,

Aut quid petis iſtis?

28. Hoc dic modo, sororam illam tuam esse.] Ordine eſt executus: primo utrum perſonam habeat, Dic, sororem, inquit, illam tuam essa. Utrum negotium habeat, Et te parvam virginem amisisse. Cur hodie agat, Nunc cognosse. Et unde probet, Signa ostende. Haec omnia ſic pronuncianda ſunt, ut & juſta & factu facilia demonſtrentur.

30. Si vim faciet, in jus ducito hominam.] Et recte: quia violento civiliter reſiſti ſolet.

31. Fac animo haac ut praasenti dicas.] Hsec non dicerentur a Thaide, niſi in illius vultu pavor nimius appareret. Faciam.] Adjuvandum pronunciatione: Faciam enim, timide dictum eſt. Attolla pallium.] [15] His verbis Chremetis demonſtravit nimium [16] liberaliter pavidi adoleſcentuli animum. Attolle pallium.] Vel quia ſimplex eſt, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Fugae*] Veteres Libri, *Fugiendi.*
12. *Ex hujus verbis.*] Malim: *Ex hujus verbis.*
13. *Utrum advocatis*] Nihil opus erat hac interrogatione in re clariſſima. De Advocatis ſermo eſt.
14. *Virgilius*] Aeneid. IX. 94.
15. *His verbis Chremetis demonſtravit.*] In Edd. Veteris eſt: *His verbis Chremes demonſtravit.* Legendum omnino videtur: *His verbis Thais demonſtravit.* Scilicet cum ſcriptum eſſet Th, Librarii legerunt Ch.
16. *Liberaliter*] Malim, *illiberaliter.*

COMMENTARIUS.

atque toga ad pedes demiſſum, ſed & ſatis laxum; ut ſinum etiam haberet, aeque ac toga. Phaed. V. 5. Qui vero expedire ſe volebant, ad iter vel curſum, aliamve rem agendam, aut *deponebant* pallium, aut *attollebant*. Quod Plautus Capt. IV. 1. 12. dicit:

Conjiciam in collum pallium.

Mox IV. 2. 9.

Collecto quidem eſt pallio. quidnam acturu' ſt?

Ad quae verba notat Boxhornius: *Pallium collectum opponitur fluido. Hoc otioſe deambulantium eſt; illud eorum, qui gnaviter & celeriter aliquid acturi ſunt.* Atque adeo haud opus cum Donato dicere, Chremetem prae ſimplicitate vel ebrietate traxiſſe pallium; aut cum Farnabio, pallium Chremeti humeris delapſum. Scilicet, quod more otioſe ambulantium ad pedes demiſſum erat, *attolli*, h. e. colligi vult Thais, ut expeditior eſſet Chremes. Unde & in Mſ. Lipſ. ſupraſcriptum: *praepara te ad reſiſtendum.* Vide Ferrar. de Re Veſtiar. Parte II. Lib. IV. cap. 8. Quanquam & *ſuſtolli* amiculum dicitur, quod trahi, σύρεσθαι, defluere videtur. Plaut. Ciſtell. I. 1. 117. Poen. I. 2. 136. Cui contrarium eſt εὐσχημονεῖν. Vide Gronov. ad Sen. de Ira III. 35. Notat autem Meurſius Spicilegio ad Theocr. Idyll. XVI. ex Philoſtrato, nigra olim fuiſſe pallia, uſque ad Herodis Sophiſtae

Perii! huic ipſi eſt opus patrono, quem defenſorem paro.

DONATI.

32. Perii! huic ipsi est opus patrono.] Haec meretricis querela, rudem adoleſcentulum magis & honeſte natum, quam culpandum eſſe demonſtrat.

COMMENTARIUS.

phiſtae tempora, qui primus albo indutus fuerit.

32. Huic ipsi patrono est opus.] De origine Patronorum & Clientum vide Dion. Halic. Lib. I. & Plutarch. in Romulo. Tum, quo ordine Romae habiti ſint clientes, differit Gellius, V. 13. Hinc porro factum, ut patronus & cliens etiam in judiciis vocentur, & patronus notet defenſorem ſeu cauſidicum, uti h. l.

ACTUS QUARTI

SCENA SEPTIMA.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

Thr. Hanccine ego ut contumeliam tam inſignem in me accipiam, Gnatho?

Mori

DONATI.

1. Hanccine ego ut contumeliam.] *Hic rurſus inepti vanitas Militis demonſtratur, ad amicam tanquam ad hoſtilem exercitum pergentis irritato animo, concitato curſu, inclinata chlamyde, trepidi & quatientis caput. Et haec verba pro hortatu Imperatoris accipienda ſunt: quandoquidem omnia de exercitu transferuntur.* ² Contumaliam vero proprie, & ut miles. *Salluſtius, Ne qua contumelia.* Contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?] Apparet, Gnathonem & dehortatorem eſſe certaminis, & ad pocula militem provocare: maxime cum videat perſuaſiſſe iſta conſilia, ut hoc certamen moveretur. Tam insignem.] Insignem, ut miles dixit, quia *inſignia* armorum ſunt.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Inclinata chlamyde*] Quid eſt, *chlamys inclinata?* Legeſim ex edd. Venetis: *Undans chlamyde.* Quo ipſo notatur militis corpus ſuccuſſantis, & ridicule faſtoſi & truculenti ingreſſus. Juvat lectionem locus, Plauti Epid. III. 3. 54.

Sed h.c quis eſt, quem huc advenientem conſpicor,
Suam qui undantem chlamydem *quaſſando facit?*

Itidem de Milite. Ad quem locum videſis H. Jun.

2. Contumeliam *vero proprie, & ut miles. Salluſtius: Ne qua contumelia.*] Haec ita exhibent Libri Veneti: Contumeliam. *Proprie, non ut miles, ſed ut nequam.* Quae vera videtur lectio.

COMMENTARIUS.

1. Ut] Abeſt a quibuſdam Libris. Eſt autem Particula apta indignanti. Horat. Serm. II. 5. 18.

Ut *ne tegam ſpurco Damae latus?*

Idem Epod. XVII. 56.

Dul-

Mori me ſatius eſt. Simalio, Donax, Syriſce; ſequimini.
Primum aedeis expugnabo. *Gn.* Recte. *Thr.* Virginem eripiam. *Gn.* Probe.
Thr. Male mulcabo ipſam. *Gn.* Pulchre. *Thr.* In medium huc agmen cum vecti, Donax:

Tu,

DONATI.

2. MORI ME SATIUS EST.] Ridicula praeſumptio: tanquam adverſus meretricem jurgia nunquam Thraſo ſumere auſus eſſet, niſi morte propoſita. Ergo velut mortis contemptu opus eſt ad tale praelium. MORI ME SATIUS EST.] Tanquam aliter miles adverſus mulierem audere non poſſet, [3] vel quia nihil, vel quia amator. MORI ME SATIUS EST.] Quaſi ille ſibi dicat, vel moleſtum eſſe certamen, vel amicam non eſſe laedendam. SIMALIO.] [4] Et hoc concitate pronunciandum eſt. SEQUIMINI.] Hujuſmodi militia per tumultum repente ſuſcipitur, & dicitur *Evocatio*: ubi dux alloquitur cives, *QUI REM PUBLICAM SALVAM VULTIS, ME SEQUIMINI.* Unde [5] *Virgilius* ſic ait,

deſuetaque bello
Agmina in arma vocat ſubito, ferrumque retractat.
Ipſe vocat pugnas: ſequitur tum caetera pubes.

3. PRIMUM AEDES EXPUGNABO.] [6] Debet hic eſſe vociferatio vana ad hoc, & verbum militis cum quodam motu ingenti, & per immanes minas, ſine ulla vi rerum. Vanaque comminatio eſt, velle aedes expugnare, cum foris ſit meretrix.

4. MALE MULCABO IPSAM.] Vide ordinem belli. Primo expugnatio moenium. tum recuperatio captarum rerum. demum poena praedonum. PULCHRE.] Poſtquam non obtinuit, quod volebat, Gnatho, aſſentatur ad omnia.

Vide

OBSERV. IN DONAT.

3. *Vel quia nihil*] Nihili obſervatio. Lego ἀπὸ κοινοῦ: MORI ME SATIUS EST. *Vel quia miles, vel quia amator.*

4. *Et hoc*] Non habet quo referatur *Et*. Unde merito abeſt a Venetis.

5. *Virgilius*] Aeneid. VII. 691. illa vero,

Ipſe vocat pugnas: ſequitur tum caetera pubes.

leguntur Aeneid. VII. 614. unde in Edd. Venet. praemittitur, *Et alibi.*

6. *Debet*] Integrum locum ope Codd. veterum ita reſtituo: *Debet hic eſſe vociferatio vana, ad hoc, ut verbo miles cum quodam motu ingenti, & per immanes minas, ſine ulla vi rerum, vanaque comminatione velle videatur aedes expugnare; cum foris ſit meretrix.*

COMMENTARIUS.

Inultus ut *tu riſeris.*

CONTUMELIAM TAM INSIGNEM.] Suet. Caeſ. 79. *Adjecit ad tam* inſignem *deſpectus Senatus* contumeliam, *multo arrogantius factum.* Dicuntur autem proprie *inſignes*, qui aliqua corporis parte ſunt notabiles. Lucil. Lib. XII. Inſignis *varis cruribus & petilis.* Curt. IX. 1. *Si quos* inſignes *aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent.* Unde ad laudem & vituperium transfertur. Infra V. 6. 31. Cic. Verr. III. 41. *Habet enim quendam aculeum* contumelia, *quem pati pudentes, ac viri boni difficillime poſſunt.*

2. MORI ME SATIUS EST.] Supra I. 1. 21. Menander: Ἁπλοῦν γὰρ ἦν, τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν ἀλύπως, ἀποθανεῖν. *Simplicius erat, eum, qui non poterat ſine moleſtia vivere, mori.* Citat Stobaeus Flor. Tit. LXI. ἐν τῷ Ἁλιεῖ. Plaut. Aſin. IV. 2. 1. *egon' haec patiar? aut taceam?* emori Me malim.

Cic. Att. XIV. 22. Millies mori melius, *huic praeſertim aetati.*

SEQUIMINI.] Mſſ. quidam & editi: SEQUIMINI ME.

4. MALE MULCABO IPSAM.] Sic Adelph. I. 2. 10. Phaed. I. 3. 9.

male mulcatus *graculus.*

Vide omnino, quae de hujus vocis etymo & uſu diſputat Gronovius pater ad Liv. XXVIII. 30. & ad Plaut. Stich. III. 1. 19. denique Obſerv. IV. 24.

Tu, Simalio, in ſiniſtrum cornu: tu, Syriſce, in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio eſt Sanga, & manipulus furum?
Sa. Eccum adeſt.
Thr. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui iſtuc huc portes, cogitas? *Sa.*

DONATI.

Vide autem manifeſtam irriſionem ex ipſo genere laudandi. Nam quid eſt in *aedium expugnatione* vecti? quid in *virginis ereptione* probitatis? quid in *male mulcanda muliere* pulchritudinis? Sed hoc eſt, quod ait ſupra de ſe ipſo paraſitus, *Quidquid dicunt, laudo.* IN MADIUM HUC AGMEN CUM VACTI, DONAX.] Mire compoſita ad contemtum nomina legionariorum ſunt. 7 Nam DONAX ab arundine, veluti ſit inanis & fragilis, nomen ſortitus eſt. IN MADIUM HUC.] Ridicule ſatis. Armaturas leves non putat adverſus Thaidem idoneas: & ideo 8 agmen cum vecti vult venire in medium. An ideo cum vecti, quia ad expugnationem venitur aedium?

5. SIMALIO.] A ſimio, vel a ſimia derivatum eſt, ob foeditatem oris vel naſi. SYRISCE.] Jam diminutivum eſt a *Syro*. TU, SIMALIO, IN SINISTRUM CORNU: TU, SYRISCA, IN DAXTERUM.] Hic agmen inſtruitur. Facetum autem eſt, cum a rebus magnis res ridiculae deriventur

6. CADO ALIOS.] Non *reliquos* dixit, ſed ALIOS, quaſi multi ſint. SANGA.] Nec ſangarius ſaltem, ut nomen eſſet. MANIPULUA FURUM.] MANIPULUS proprie eſt militis. Cum Romani & Latini ſub uno Centurione bellum aggreſſuri deputabantur, ſibi ſertum vel coronam ex *manipulo* herbae, vel hujuſmodi, conficiebant, quem pro ſigno ſequebantur. Merito ergo Centurionem videns, *manipulum* deſideravit: hoc eſt, coquum videns, convivas deſiderat: qui apparaverat, 9 quotiens locus affuit, id eſt, convivium eſt conſtitutum. Alii MANIPULUM FURUM, coci diſcipulos eſſe putant. ECCUM ADAST.] Pro ſe ac pro diſcipulis Sanga.

7. QUID? IGNAVA?] Apparet, coquum ad repentinum ſtrepitum ſic exiiſſe, ut ad artem ſuam fuerat expeditus.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Nam Donax ab arundine.*] Pollux IV. 9. *Καὶ Δόνακα δέ τινα ὑπολύριον οἱ κωμικοὶ ὠνόμαζον, ὡς πάλαι ἀντὶ κεράτων ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις.* Quanquam in pluſculis Codd. eſt DORAX.

8. *Agmen cum vecti vult venire in medium.*] Legerim: *Donacem cum vecti vult venire in medium agmen.*

9. *Quotiens locus affuit, id eſt, convivium eſt conſtitutum.*] Si haec ſunt Donatiana, legerim: *Quotiens & locus dictus, & tempus convivio conſtitutum affuit.*

COMMENTARIUS.

CUM VACTI.] Erat *vectis* palus ferreus, quo perfodiebantur muri vel aedes, expugnandi vel furandi gratia. Lucil. Lib. XXVIII.

Vecte *atque ancipiti ferro effringam cardines.*

Inde *vecticularii* & *vecticulariam facere* dicti, ſed & *perfoſſores parietum* apud JCtos *τοιχωρύχοι*. Feſtus in v. *Vecticularia*. de Vectium uſu in levandis oneribus vide Vitruv. X. 8. Ibique Gulielmi Philandri Caſtilionii Annotat.

5. SINISTRUM.] Mſ. Lipſ. SINISTRO. Et mox, DAXTERO.

6. CANTURIO.] Horum ſinguli ſingulis centum peditibus praeerant, bini ſingulis manipulis. Erat autem munus eorum fere ejuſmodi, quale eſt hodie eorum, quos *Sergents* vocamus, licet conferri ſoleant cum *Capitaneis* noſtris. Ipſi enim ſua manu verberabant milites; eratque inſigne eorum vitis ſeu baculus flexibilis. Tacit. Annal. I. 23. Praeerant iidem vigiliis & operibus militum; nec intererant conſilio militari, niſi omnium Centurionum primus. Mſ. Mark. UBI CENTORIO SANGA?

MANIPULUS.] Etymon dat Ovidius Faſt. III. 115. de ſignis militaribus:

Illaque de foeno, ſed erat reverentia foeno,
Quantum nunc Aquilas cernis habere tuas,
Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris *nomina miles habet.*

Quo reſpiciens Iſidorus Orig. XVIII. 3. inquit: *Sub Romulo autem faſciculos foeni pro vexillis milites*

tes

Sa. Egon'? Imperatoris virtutem noveram, & vim militum:
Sine ſanguine hoc fieri non poſſe, qui abſtergerem vulnera?
Thr. Ubi alii? *Sa.* Qui, malum, alii? ſolus Sannio ſervat
domi.

Thr.

DONATI.

8. EGON'?] Haec cauſa eſt. IMPERATORIS VIRTUTAM NOVERAM, ET VIM MILITUM.] Hoc plus habebit ſalis, ſi ſic intellectum fuerit, ut *Sanga* uno eodemque tempore & quaerat quid dicat, ſimulque reſpondeat, *Hoc noveram, ſine ſanguine fieri non poſſe*, ſcilicet ἀπροσδοκήτως. Quid igitur ſi hoc ſciebat?

9. QUI ABSTERGEREM VULNERA?] Quaſi hoc fuerit auxilii genus. Quid hoc eſt? unde vulnera? quorum vulnera? utrum utriuſque partis? an, quod magis ridiculum eſt, ſuorum?

10. QUI, MALUM.] MALUM, per παρένθεσιν ſuaviter infertur. [10] *Plautus* in Epidico, *Quae (malum) haec impudentia eſt?* Et non interponitur MALUM, niſi oculis converſis ad eum, qui id quod reprehendimus, dixerit. MALUM nunc interjectio eſt. SOLUS SANNIO SERVAT DOMI.] Haec figura παρόμοιον dicitur. SOLUS SANNIO SERVAT DOMI.] Ut,

[11] *Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.*

SERVAT DOMI.] Pro remanet, ut obſervet. Nam SERVAT DOMUM, rectum erat: non, SERVAT DOMI, ſi *cuſtodit* intelligeretur. Vel SERVAT, pro ſedet: ab eo quod ſequitur, id quod praecedit. Nam non *ſervat*, niſi qui prius in eo loco ſederit.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Plautus in Epidico.*] Seu excidit ex Epidico locus, ſeu e memoria laudans erravit Donatus.

11. *Sola mihi.*] Virgil. Aeneid. III. 183.

COMMENTARIUS.

tes habuerunt. Hinc & Manipuli appellantur. Manipulos *enim dicimus faſces foeni, quod manum impleant.* Varro autem de L. L. lib. IV. *Manipulos* exercitus vocat minimas manus, quae unum ſequuntur ſignum. Dubium ἔτυμον facit idem Iſidorus, Orig. IX. 3. Manipulus *ducentorum eſt militum.* Manipuli *autem dicti ſunt milites, ſive quia bellum primo* manu *incipiebant, ſive, quod antequam ſigna eſſent*, manipulos *ſibi, i. e. faſciculos ſtipulae vel herbae alicujus pro ſignis faciebant; a quo ſigno* manipulares *milites cognominati ſunt. De quibus Lucanus* I. 296.

Convocat armatos extemplo ad ſigna maniplos.

SA. ECCUM ADEST.] Mſ. Lipſ. GN. SANGA ECCUM ADEST.

7. PENICULON'.] Cic. Fam. IX. 22. *Caudam antiqui* penem *vocabant: ex quo eſt propter ſimilitudinem* penicillus. *At hodie* penis *eſt in obſcenis.* Porro autem *peniculum* dicebant ſpongiam oblongam, qua rebus abſtergendis utebantur. Plaut. Menaechm. I. 1. 1.

Juventus nomen fecit Peniculo *mihi,*
Ideo, quia menſam, quando edo, detergeo.

Illuſtriſſ. Scaliger de cauda bubula exponit. Graecis eſt σπογγιά, σπογγίον, σπογγιάριον. Vid. Voſſ. Etymol. & Lindenbr. ad h. l.

9. SINE SANGUINE HOC FIERI NON POSSE.] Ennius incerta Tragoedia:

Salmaci da ſpolia, ſine *ſudore & ſanguine.*

Quem locum vindicavit Vir Cl. J. G. Graevius ad Cic. Off. I. 18. docens, Ennium alloqui hominem mollem & ignavum, & quaſi Salmacide Nympha effeminatiorem. vulgo *Salmacida.*

QUI ABSTERGEREM VULNERA?] Plaut. Menaechm. II. 3. 40.

ER. Peniculo. ME. *Quis iſte eſt* peniculus?
qui extergentur *baxeae?*

Ubi Junius *peniculum* interpretatur ſpongiam oblongam caudae ſimilem, qua, praeter caetera, baxeae etiam abſtergebantur, i. e. calceamenti Philoſophorum genus. Ariſtoph. Ranis 493.

Ἐγὼ δ' ἀνέστην, καὶ προσέτ' ἀπεψησάμην.
Ego vero ſurrexi, & nates abſterſi.

Spongia ſcilicet, quae cordi erat applicanda. Dixit autem ABSTERGEREM, penultima producta. Quidam Codd. cum interrogationis ſigno haec exprimunt, quos ſequutus ſum. Citat Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. IX.

10. DOMI.] Mſ. Mark. & Lipſ. cum editis quibuſdam, DOMUM. Gruterus, Inſcript. pag. 769.

Digitized by Google

Thr. Tu hoſce inſtrue: hic ego ero poſt principia: inde omnibus ſignum dabo.

Gn. Illuc eſt ſapere! ut hoſce inſtruxit, ipſus ſibi cavit loco.

Thr. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. *Ch.* Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?

Nimi-

DONATI.

11. POST PRINCIPIA.] Magnifice ad riſum commovendum. Nam dicere debuit, *poſt vos.* Et hunc locum ſibi optimum elegit, ut timidus. POST PRINCIPIA] Militare dictum eſt. Et ambigunt multi, an in extremo agmine ſit hic locus, an in medio. INDE OMNIBUS SIGNUM DABO.] Tanquam non omnibus dari poſſit, ſi aliunde detur.

12. IPSUS SIBI CAVIT LOCO.] An Loco ſimpliciter, quia *poſt principia*? an Loco, in loco, opportune & *ſὺνκαίρως*? *Terentius* in Adelphis, *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.* An pro, *de loco?*

13. IDEM HOC JAM PYRRHUS FACTITAVIT.] Irridet quidem Poëta: veruntamen oſtendit, officium Imperatoris hoc eſſe, ne ſe in periculum projiciat. Sic [11] *Salluſtius, Et in praeliis actu promtus.* Et hoc totum, quaſi in Palliata: ſed conceſſum Poëtis fuit. PYRRHUS autem peritiſſimus ſtrategematωn fuit: primuſque, quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Salluſtius*] In Fragmentis.

COMMENTARIUS.

769. DOMUM SERVAVIT. Quanquam id potius notat, *domum prole auxit.* Apulej. Metam. VI. *Ante ipſum limen & atra atria Proſerpinae ſemper excubans*, ſervat *vacuam Ditis* domum. Dixit autem DOMI, uti Plautus Amph. I. 1. 196.

So. *Bene facit: quia nos eramus peregre*, tutatu' Moſtell. II. 2. 21. [eſt domi.

natus nemo in aedibus
Servat, *neque qui recludat, neque qui reſpondeat.*

Ovid. Metam. I. 625.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.
Inde ſuis vicibus capiebant bina quietem;
Caetera ſervabant, *atque in ſtatione manebant.*

Ex Amm. Marcell. laudat Lindenbruchius: *Ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto.* Citat Nonius v. *Sanniones.* Perperam autem exiſtimat Boeclerus, Donatum legiſſe, DOMUM.

11. HIC EGO ERO POST PRINCIPIA.] Recte cepit Anteſignanus, vertens: *Je ſerai icy après les plus forts, & ceux de la premiere bande.* Fabrini: *Io ſaro qui doppo i Principi de le ſquadre.* Sane ipſi Principes, h. e. genus militum inter haſtatos & triarios ſeu pilanos medium in acie *Principia* dicta. Tac. Hiſt. I. 48. Non. v. *Mandare*, II. 516. Poſt principia *paulatim recedunt, atque inde cum paucis fugae ſe mandant.* Adde Vegetium I. 20. atque ibi Stewechium. Inde caſtrenſe verbum eſt, *A poſtprincipiis incipere. In poſtprincipiis ſtare. In poſtprincipiis eſſe.* Varro apud Gell. XVI. 18. *Sed haec aut omnino non diſcimus: aut prius deſiſtimus, quam intelligamus, cur diſcenda ſint. Voluptas autem, vel utilitas talium diſciplinarum in* poſtprincipiis exiſtit, *cum perfectae abſolutaeque ſunt:* in principiis *vero ipſis, ineptae & inſuaves videntur.* Scilicet *poſtprincipia* una voce dicta de rebus omnibus, quae principia negotii alicujus ſequuntur. Plaut. Perſ. IV. 1. 3.

ferme ut quiſque rem accurat ſuam,
Sic ei procedunt poſtprincipia *denique.*

Varro R. R. Lib. III. cap. 4. Marcellus Donatus ad Sueton. Oth. 1. & 6. multis locis evincit, per *Principia* intelligenda eſſe publica tabernacula in caſtris, in quibus militares magiſtratus jura militibus reddebant, atque ubi aquilae

Digitized by Google

Nimirum conſilium illud rectum eſt de occludendis aedibus.

Tha. Sane, quod tibi nunc vir videatur eſſe hic, nebulo magnus eſt.

Nc

DONATI.

14. Nimirum consilium illud rectum est.] Illud rectum est. Et nova locutio, & ſuperiori ſimils, *Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum:* " pro, ſine dubio rectum eſt.

15. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est: ne metuas.] Figurata locutio, & praeterea ὑπέρβατον intermixtum. Nam hic ordo eſt, *Sane hic nebulo eſt, ne metuas.* An hic erit ordo & ſenſus, ut ſit dictum, *Ne metuas: ſane qui tibi vir videtur eſſe, hic nebulo magnus eſt.* Et recte: nam obterretur adoleſcens, & aetate militis, quod jam vir eſt: & magnitudine, quod magnus corpore: quae utraque in illo vana eſſe, meretrix ut experta denuntiat. Nebulo autem, vel inanis, vel vanus, aut mollis, ut eſt nebula, dicitur. " Et hoc εἰρωνικῶς dictum eſt. Meretrix, fruſtra metuentem corripiens Chremetem, *Sane*, inquit, *quod tibi nunc vir videatur eſſe.* Et deeſt, *Non eſt*: ut ſit, Non eſt quod tibi nunc vir videatur eſſe: hic nebulo magnus eſt. Sic & alibi,

Si in platea hac te offendero poſt unquam, nehil quod dicas mihi,
Alium quaerebam: iter hac habui: periſti.

Ut ſit, Non eſt quod dicas mihi.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Pro ſine dubio rectum eſt.*] Non erant haec continuo jungenda verbis Chremetis; quibus vel ſubjunxit Donatus, *pro, ſine dubio*; vel ἀπὸ κοινοῦ fuerat ſcriptum, Nimirum rectum est, *pro, ſine dubio rectum eſt.* Niſi ordinem verborum turbatum ita reſtituas: Nimirum consilium illud rectum est. *Pro ſine dubio rectum eſt. Et nova locutio & ſuperiori ſimilis:* Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum.

14. *Et hoc εἰρωνικῶς dictum eſt.*] Immo minime εἰρωνευομένη dicit Thais magnum nebulonem eſſe militem. Neque aliter ſenſiſſe putem Donatum. Qui quum junctim legiſſet & interpretatus eſſet, illa Thaidis: Sane, quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est, quivis alter Interpres ſubjunxit diviſim, Sane. *Id eſt vero, vel valde conſilium unquam rectum eſt de occludendis aedibus. Et hoc εἰρωνικῶς dictum eſt.*

COMMENTARIUS.

lae & ſigna cuſtodiebantur. Plutarchus in Galba: Καὶ διέφθειρεν ἐν ταῖς ἀρχαῖς, ἃ ΠΡΙΓΚΙΠΙΑ καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Turnebus Adverſ. III. 9. intelligit locum Triariorum, qui erat ultimus in acie; atque adeo opportuniſſimus fugae. Liv. II. 65. *Ubi illuxit, Romanus integer, ſatiatuſque ſomno, productus in aciem; feſſum ſtando & vigiliis Volſcum primo impetu perculit. Quamquam ceſſere magis, quam pulſi hoſtes ſunt: quia ab tergo erant clivi, in quos* poſt principia *integris ordinibus tutus receptus fuit.* Editio anni 1469. *Tu hoſce inſtrue hic, ego ero* poſt principia.

13. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit.] Comparatio glorioſa & ridicula cum Pyrrho Epirotarum Rege, altero illo militari gloria Ducum poſt Alexandrum Magnum, judicio Hannibalis; ſed & aciei inſtruendae, & caſtrametandi arte incluto. Cic. Fam. XII. 21. *Quod idem acceperam & cognoveram a ſummis viris factitatum.* In pluſculis autem Codd. haec verba Gnathoni tribuuntur.

15. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.] Notanda ἀντίθεσις. Gallis nebulo eſt *un poltron.* Eſt autem Elliptica loquendi ratio, in qua explenda multus eſt Donatus, eumque ſequuti Scioppius & Boeclerus. Senſus eſt: *Sane, quod tibi nunc vir videatur eſſe hic, id non eſt; nebulo magnus eſt.* Heaut. I. 2. 30.

Et quod illum inſimulat durum, id non eſt.

Vide Boecleri Chreſtomath. v. *Quod.* Sunt vero Libri, in quibus eſt, Sane, qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est. Idem jam Rivius obſervavit. Quod autem nebulo magnus dixit, id Galli & Belgae imitantur. Aliter Cicero pro Dejot. 8. *An Coelium iſtum magnum hominem putabat?*

16. Fun-

Ne metuas. *Ch.* Quid videtur? *Tha.* Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.
Thr. Sed eccam Thaidem ipſam video. *Gn.* Quam mox irruimus? *Thr.* Mane.

Om-

DONATI.

16. QUID VIDETUR?] Non diceret miles, ſi ſtaret in ſententia: ſed jam videtur timore mutatus. QUID VIDETUR?] " Dubitandi eſt quod dictum ſit, *Quid videtur?* Ego ſane hoc Militem puto dicere, quem paulatim a violentis atque acribus principiis ad terrorem deſidiamque perducit timor. Nam primo ipſe praecedit, utpote qui dicat, *Sequimini.* Dum denique propius deventum eſt, *poſt principia* refert pedem. Poſt jam nihil ipſe audet, ſed quaerit conſilium Paraſiti. Denique, ubi cominus res gerenda eſt, dixit *Mane*, & continet irruentes. Ad poſtremum diffiſus, neſcit quid agat: ad paraſitum ſpectans, *Quid agimus*, inquit? FUNDAM TIBI NUNC.] Mire Paraſitus hoc ait: vel quia Militem nolle videt, vel quia non audet impugnare, conſilium formidoloſum, & aptum metuenti dedit, ſubtiliter tamen: nam *funda* pugnant, qui cominus non poſſunt: & *ex occulto*, qui non audent palam. Sed honeſta cauſa, non, quia timeas, inquit, ſed *ut fugiant*: tanquam niſi hoſtes fugerint, non ſit tutum accedere. FUNDAM TIBI.] Non dixit haſtam, aut lanceam: " ſed ſagittam, FUNDAM, quae nimirum longe jactatur. ut ex hoc intervallo pavorem oſtenderet non audentis accedere. Et mire TIBI: tanquam ipſe Paraſitus nec hoc audeat. Sunt autem qui putent haec a Thaide ad Chremetem dici, ſed male. non enim conveniunt iſta meretricis dictis ſuperioribus: niſi quia movet me, quod EX OCCULTO dicit: quaſi conſtet ei, jamdudum videri militem, & ipſum non vidiſſe, cum qua pugnaturus ſit.

17. UT TU ILLOS.] Meretricem ſcilicet cum ſuis. ut alibi, " *Nos prius introducant.* UT CAEDERES.] Pro caedendo cogeres ut facerent fugam. FACERENT FUGAM.] Deeſt rurſus *ut.* ſic, *Ut facerent fugam*, vel ἀσυνδέτως illatum eſt. FACERENT FUGAM.] Deſiderat conjunctionem *enim:* ut ſit, *Facerent enim fugam.*

18. SED ECCAM THAIDEM IPSAM.] ECCAM & IPSAM, figura ἔμφασις. quaſi ECCAM principem belli: & IPSAM, contra quam pugnaturus eſt. QUAM MOX IRRUIMUS?] Hoc paraſitus irridens militem dixit. Et *irruere* proprie dicuntur, qui cum furore praelium ineunt.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Dubitandi eſt.*] Edd. vetuſtae: *Dubitandum eſt.* Mſ. Hulſt. *Dubitantis eſt.* Malim, *dubitant, a quo dictum ſit.* Ubi enim de aliis dixiſſet, ipſe mox ſuam ſententiam addit, dicens: *Ego ſane hoc militem puto dicere.*

16. *Sed ſagittam*] Lectio interpolata. Lego: *Sed* FUNDAM, *quae nimirum a longe jactatur.*

17. *Nos prius introducant*] Legendum: *Hos prius introducam.* Verba ſunt Thaidis, ſupra III. 2. 39.

COMMENTARIUS.

16. FUNDAM TIBI NUNC NIMIS VELLEM DARI.] Sic Plaut. Aſin. III. 2. 43.

Nimis vellem habere perticam. LE. *Quoi rei?*
LI. *Qui verberarem*
Aſinos, ſi forte occeperint clamare hinc ex crumina.

Sunt vero etiam Donati aetate haec a nonnullis credita Thaidis ad Chremetem eſſe verba. Scilicet dixerat Thais, Thraſonem ipſum magnum eſſe nebulonem; ut igitur exercitum itidem imbellem ſignificet, & Imperatori ſimilem, vel unico jactu unius *fundae* in fugam poſſe agi affirmat; idque ex occulto, Chremete & Thaide nondum viſis a Thraſone, neque a quoquam in ejus agmine. Fac enim, Gnathonis eſſe verba ad Thraſonem, uti vulgo editur, ergone is Militem ad primum impetum faciendum hortaretur,

Digitized by Google

Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet.
Quî ſcis, an quae jubeam, ſine vi faciat? *Gn.* Dî voſtram fidem.
Quanti eſt ſapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior. *Thr.*

DONATI.

19. OMNIA PRIUS EXPERIRI, QUAM ARMIS, SAPISNTEM DECET.] Animadverte quantam vim habeant ad delectandum in Comoediis ſeverae ſententiae, cum a ridiculis perſonis proferuntur: quale eſt apud [18] *Plautum*, ubi miles ſuam formam admirans, ait,

Nimia eſt miſeria nimis pulchrum eſſe hominem.

QUAM ARMIS.] Ἀνακόλουθον: pro, *quam arma.* Aut Ἔλλειψις eſt, ſi ſubaudiamus *agere*. Et mire non dixit ME, ſed SAPISNTEM, quod magis ridiculum eſt.

20. AN QUAE JUBRAM.] Et mire non *velim*, ſed JUBEAM dixit. JUBEAM pro *velim*: ut, *jubeo Chremetem.* DÎ VOSTRAM FIDEM.] Bona ἀναλογία: qui leviora laudaverat, hic exclamare jam debet. Et hoc eſt quod ſupra ait, *Id rurſum ſi negant, laudo id quoque.* Nam negat rurſum male pugnandum eſſe, qui ſuperius retineri non poterat, quin in praelium vel moriturus irrueret. DÎ VOSTRAM FIDEM, QUANTI EST SAPERE! NUNQUAM ACCEDO, QUIN ABI TE ABEAM DOCTIOR.] Mire egit perſonam admirantis, per trinam ἀποστροφήν. Ad Deos, ut, DÎ VOSTRAM FIDEM. Ad ſe ipſum, QUANTI EST SAPERE! Ad militem, NUNQUAM ACCEDO, QUIN ABS TE ABEAM DOCTIOR. Et ridicule Paraſitus, Nunquam accedo ad te, dixit, qui nunquam recedit.

21. QUIN ABI TE ABEAM DOCTIOR.] Nimis impudens aſſentatio, ſe fieri doctiorem ex militis ſapientia.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Plautum*] Mil. I. 1. 68. ſed legendum: *Nimia eſt miſeria pulchrum eſſe hominem nimis.*

COMMENTARIUS.

tur, qui ipſe ſibi cavens loco ſignum tantum daturus erat? An EX OCCULTO poterat caedere Thraſo, qui in omnium oculis verſabatur? Tum quos ILLOS caederet? Thaidemne cum ancillis? Atqui ſic ILLAS dicendum fuerat. Denique qui FUGAM FACERENT, quibus ante fores ſtantibus facilis in ipſas aedes erat receptus? An, quia unico *fundae* jactu expugnatae forent aedes? ridiculum. Adde, quod illa Gnathonis, QUAM MOX IRRUIMUS? tacite declarant, nondum jam de impetu vel ulla vi facienda quidquam monitum eſſe. Vide porro de *Fundae* forma & uſu Veget. I. 16. & III. 14. & quae ibi notavit *Stewech*.

17. UT TU ILLOS.] Mſ. Traject. UT ILLOS. FACERENT FUGAM.] Sunt qui ἀμφιβολίαν agnoſcunt in hiſce verbis, ut vel ſenſus ſit, *fugerent*, quomodo intellexit Thraſo, vel, daret te cum tuis in fugam.

19. OMNIA PRIUS EXPSRIRI, QUAM ARMIS, SAPIENTEM DECET.] Nae, parum conſuluit huic loco Guyetus, gloſſema vocans τὸ SAPIENTEM, quo tota gloriatio continetur. Unde mox Gnatho, DÎ VOSTRAM FIDEM, inquit, QUANTI EST SAPERE! Plana autem erunt omnia, ſi ita capias: DECET SAPISNTEM PRIUS OMNIA EXPERIRI, QUAM ARMIS EXPSRIRI. Quando ἀνακόλουθον nullum eſt. Videtur autem proverbii ſpeciem habere, *omnia experiri*. Cic. Att. VII. 2. *Itaque omnia experiar.* Vide ad And. II. 1. 11. E Dionyſ. citat Lindenbruchius: Μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειραθῆναι τῶν λόγων, Qui locus favet lectioni quorundam Librorum, EXPIRIRI VERBIS legentium, ob octonarium. In aliis eſt, CONSILIO, quod & apud Nonium legas. Prius defendit Muretus, improbante Rivio, laudans haec e Libanio: πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιτηδεῦσαι, ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. Unde ſuſpicatur, Aldum hauſiſſe ſuum VERBIS.

21. Ac-

Thr. Thais, primum hoc mihi reſponde; cum tibi do iſtam virginem,
Dixtin' hos mihi dies ſoli dare te? *Tha.* Quid tum poſtea?
Thr. Rogitas? quae mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum!
Tha. Quid cum illo agas? *Thr.* Et cum eo clam te ſubduxti mihi.
Tha.

DONATI.

22. THAIS, PRIMUM HOC MIHI RESPONDE.] Omiſſa contentione repetendae virginis. non enim jam puellam, ſed pactum exigit, ut Amator. CUM TIBI DO.] Pro, *cum tibi darem.*

23. QUID TUM POSTEA?] Aut, *dixi*, reſpondendum erat: aut, *Non dixi.* Sed vide contumaciam meretricis: [19] in contemptionem perſonae militis interrogantem. interrogare maluit, quam per inductionem capi.

24. ROGITAS?] Contentionis genus interrogativae. QUAE MIHI ANTE OCULOS CORAM.] Utrum ſignificat inepti militis dictum? An, ANTE OCULOS, minus eſt quam CORAM? ANTE OCULOS CORAM.] Poteſt ANTE OCULOS, & longe tamen intelligi: CORAM, proximitatem ſignificat.

25. QUID EUM ILLO AGAS?] Omnino meretrix non putat illum idoneum, cui reddenda ſit ratio, cuique ſe purget: adeo apud illam amicitiae ejus pertaeſum eſt. Nam errant qui dicunt, [20] eam ſe velle militi reconciliare. ET CUM EO CLAM SUBDUXTI TE MIHI?] Invidioſe, ET CUM EO: nam ut ſupra legimus, excluſit Chremem. SUBDUXTI TE MIHI.] Furtim ſubtraxiſti mihi. [21] *Virgil.*

& fidum capiti ſubduxerat enſem.

OBSERV. IN DONAT.

19. *In contemptionem perſonae militis interrogantem.*] Enimvero abſurde maxima diſtinctio vulgo ponitur poſt τὸ *interrogantem.* quod nec Rob. Stephanum, nec Lindenbruchium miretis animadvertiſſe. Legendum junctim: *In contemptionem perſonae militis, interrogantem interrogare maluit, quam per inductionem capi.* Edd. Venetae aliter: *In contemptione perſonae militis, qua per interrogationem potius, quam per inductionem illum alloqui voluit.* Vid. Donat. ad II. 2. 42.

20. *Eam ſe velle militi reconciliare.*] Malim ope Codd. veterum: *Eam velle militi reconciliari.*

21. *Virgil.*] Aeneid. VI. 524.

COMMENTARIUS.

21. ACCEDO.] Mureto placebat, ACCEDO AD TE. quomodo eſt in quibuſdam Codd.

24. MIHI ANTE OCULOS CORAM AMATOREM ADDUXTI TUUM!] Sic Heaut. V. 4. 18. Imitatus Ovidius Heroid. IX. 121.

Ante meos oculos adducitur *advena pellex.*

Et Faſt. III. 483.

Auſus es ante oculos adducta *pellice noſtros*
Tam bene compoſitum ſollicitare torum?

25. QUID] Joh. Clericus, Vir Cl. Art. Crit. III. 1. 9. 13. QUIN legit, ſed praeter fidem Codicum. CLAM TE SUBDUXTI MIHI.] Id facturam Thaidem dixerat Dorias, ſupra IV. 1. 14. Sed integer hic verſus Guyeto ſuppoſititius videtur. Immerito.

26. LUBUIT.] Juſto acutior eſt Donatus, ſcribens *meretricium* id eſſe *verbum.* Alter Plautus Epid. V. 2. 32.

PE. *Qua fiducia auſus primum, quae emta eſt nudius tertius,*
Filiam meam dicere eſſe? EP. Libuit: *ea fiducia.*

Et verſu 45.

PE. *Cur dare auſus?* EP. *Quia mihi* libitum eſt.

PAMPHILAM ERGO HUC REDDE.] Stomachum habet illud HUC, & invidioſe dictum eſt.

Tha. Lubuit. *Thr.* Pamphilam ergo huc redde, niſi vi mavis eripi.

Ch. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium. *Gn.* Ah, quid agis? tace.

Thr. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? *Ch.* Tuam autem? Furcifer!

Gn.

DONATI.

26. LUBUIT.] Superbum eſt, & meretricium verbum. Sic de Chelidone [22] *Cicero* ait, *Libenter ait ſe facturam.* Huc REDDE.] Idioma eſt, [23] pro contumelia repoſcentis. Sic & in Hecyra, *Renumeret dotem huc: eat.* NISI VI MAVIS ERIPI.] Utrum *niſi* pro *non* & *ſi*? ut ſit, *Si tibi illam non mavis eripi.*

27. TIBI ILLAM REDDAT?] Se primum interponit Chremes, ut adoleſcentulus potuit, jam fracto milite. AUT TU ILLAM TANGAS? OMNIUM.] Ait utrumque Chremes. Nam quia dixit, NISI SI TIBI MAVIS ERIPI, ait, TU ILLAM TANGAS? & addidit, OMNIUM. Et eſt ἀποσιώπησις ſecunda. Sic autem loqui ſolent plus geſtu, quam verbis conciti. TIBI ILLAM REDDAT? AUT TU ILLAM TANGAS? OMNIUM.] Magna vis in pronominibus, & ſignificatio eſt. ut, [24] *Cantando tu illum?*

28. QUID TU TIBI VIS?] Recte. cum Thaide enim loquebatur, non cum hoc. EGO NON TANGAM MEAM?] Bene addidit MEAM. Hinc enim probatur injuſte dictum, TU ILLAM TANGAS? TUAM AUTEM? FURCIFER!] Incongrue, ut imperitus adoleſcens, liberum ſervilibus conviciis exagitat.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Cicero*] Cicero Verr. I. 52. *Reſpondit illa, ut meretrix, non inhumane: Libenter, ait, ſe eſſe facturam.*

23. *Pro contumelia repoſcentis*] Malim: *Per contumeliam repoſcentis.*

24. *Cantando*] Virgil. Ecl. III. 25.

COMMENTARIUS.

Quam vim hujus particulae omiſit in Indice Hugenius.

NISI VI MAVIS ERIPI.] Mſſ. pluſculi: NISI SI VI MAVIS ERIPI. Ita & editio anni 1469.

28. QUID TU TIBI VIS?] In Mſſ. Leidenſibus quatuor, Lipſiano, aliis, ſed & editis antiquiſſimis haec Chremeti adſcribuntur. Neque ſane inepte; ſi enim Thraſonis ſtatuas eſſe verba ad Chremetem, idem bis dixiſſe videtur. Vide verſ. 34. Illa vero, EGO NON TANGAM MEAM? Thraſonis ſunt, reſpicientis ſolemnem vindicandi morem. Servum enim vindicans injecta manu ajebat, *Hic meus eſt.* Ovid. Amor. I. 4. 39.

Oſcula ſi dederis, fiam manifeſtus amator:
Et dicam: mea ſunt, *injiciamque manus.*

TANGAM MEAM?] Mſ. Lipſ. TANGAM EAM? ſcilicet ſcriptum fuerat, TANGAM EAM. quod valet, TANGAM MEAM.

TUAM AUTEM? FURCIFER!] Graviſſima contumelia in hominem liberum, nedum Imperatorem exercitus Perſici. Neque tamen haec ruſticitas vocanda in Chremete, quod facit Donatus, ſed juſta quaedam ἀνταπόδοσις, pro illo Thraſonis, EGO NON TANGAM MEAM? quibus verbis ſervam ſibi deputabat Pamphilam, quae civis erat. Id igitur vindicaturus Chremes, TUAM AUTEM? inquit cum ſtomacho, additque, FURCIFER! h. e. furcam ſeu crucem merite. Vide Boeclerum & Plutarchum in Coriolano. Tum illud AUTEM inſervire repetitis interrogationibus cum indignatione, recte obſervat Janus Gruterus in Scholiis Mſſ. ad h. l. Idem de Graecorum δὲ notat Budaeus.

 29. NE-

Gn. Cave ſis; neſcis, cui nunc male dicas viro. *Ch.* Non tu hinc abis?
Scin' tu, ut tibi res ſe habeat? ſi quidquam hodie hic turbae coeperis,
Faciam, ut hujus loci, dieique, meique ſemper memineris.
Gn. Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
Ch. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis. *Gn.* Ain' vero, canis?

Sicci-

DONATI.

29. CAVE SIS, NESCIS CUI NUNC MALE DICAS VIRO.] Animadverte, Paraſitum neque tacere omnino, ne defuiſſe patrono videatur: neque in aliena cauſa rixam in ſe transferre. CAVE SIS.] Quia imperativa ſunt contumelioſa, addebant veteres, SIS: quod ſignificat *ſi vis*. NON TU HINC ABIS? SCIN' TU, UT TIBI RES SE HABEAT?] [25] Hoc Paraſito, illud Militi Chremes.

30. SCIN' TU.] Non paraſito, ſed militi dicit.

31. FACIAM, UT HUJUS LOCI, DIEIQUE, MEIQUE SEMPER MEMINERIS.] Moris eſt magnas eſſe minas hominum meticuloſorum. Specta ergo quam acriter timidus comminetur. HUJUS LOCI, DIEIQUE, MEIQUE] LOCI, in quo laeſus. DIEI, quo caeſus. MEI, a quo caeſus.

32. MISERET TUI ME.] Hic Paraſitus nunc quaſi monitor Chremeti reſpondet. QUI HUNC TANTUM HOMINEM FACIAS INIMICUM TIBI.] Ne nunc quidem Paraſitus a militis aſſentatione diſcedit.

33. DIMINUAM EGO CAPUT TUUM HODIE, NISI ABIS.] Ruſticius dixit, CAPUT TUUM DIMINUAM, quam ſi diceret, DIMINUAM TIBI CAPUT. AIN' VERO, CANIS?] Hoc verbo impudentibus inimicis convicium fieri ſolet. Nam militare dictum eſt in hoſtem, CANIS: & [26] apud *Homerum* pro gravi contumelia in adverſarium dicitur, velut in illo loco,

Τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοίτε, κυνῶπα;

OBSERV. IN DONAT.

25. *Hoc paraſito, illud militi*] Immo, *hoc militi, illud paraſito*. Unde mox recte SCIN' TU non paraſito, ſed militi dicuntur dicta.

26. *Apud Homerum*] Iliad. A. 159. Eſt autem *κυνώπης* *homo caninis oculis*. quo magis invidus, quam impurus notatur.

COMMENTARIUS.

29. NESCIS, CUI NUNC MALEDICAS VIRO.] Cic. Fam. IX. 25. *Neſcis, quo cum Imperatore tibi negotium ſit.*

30. COEPERIS.] Mſſ. quidam & editi, FECERIS.

31. FACIAM, UT HUJUS LOCI, DIEIQUE, MEIQUE SEMPER MEMINERIS.] Expreſſa haec ſunt ex Plauti Captivis, IV. 2. 20.

Faciam, ut ejus diei, locique, meique ſemper
memineris.

Et Perſa IV. 3. 24.

Faciam, ut mei memineris, dum vitam vivas.

33. DIMINUAM EGO CAPUT TUUM.] Ita Plaut. Amphitr. IV. 2. in Suppoſitis, Scena, TUN' ME, verſu 6.

hac tegula
Tuum deminuam caput, *ut cum dentibus*
linguam exſcreas.

Aliter Rud. IV. 4. 73.

ſi praeter hac
Verbum faxis hodie, ego tibi comminuam
caput.

Quae vero h. l. Nannius de Capitis diminutione JCtis celebrata obſervat, *περίεργα* ſunt.

Nisi

Siccine agis? *Thr*. Quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi eſt?
Ch. Scibis: principio eam eſſe dico liberam. *Thr*. Hem! *Ch*. Civem Atticam. *Thr*. Hui!
Ch. Meam ſororem. *Thr*. Os durum! *Ch*. Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, & ſigna oſtendam haec. *Thr*. Tun' me prohibeas,

Meam

D O N A T I.

34. Quis tu homo es? quid tibi vis?] [27] Ε'πιτροχασμὸς figura eſt, ubi multa terribiliter interrogantur, ut,

> [28] *State viri: quae cauſa viae? quive eſtis in armis?*
> *Quove tenetis iter?*

35. Scibis.] Non obſequenter, ſed figurate dicitur ab irato. Sciais.] Et *ſcies*, & *ſcibis* dicitur [29] poſt productionem tertiae conjugationis. Principio eam esse dico liberam.] Quo tollitur, *Tuam videri*. Principio.] In tria diviſit officium defenſionis ſuae. In aſſertoris, Principio eam esse dico liberam. In cognitoris, Civem Atticam. In fratris, Meam sororem. Et bonus eſt ordo, *Libera*, *civis*, *nobilis*. Civam Atticam.] Quo etiam negotium poteſt ei fieri, qui ſe pro domino geſſit in civem. Hui.] *Hui*, *hem*, & caetera hujuſmodi generis, ſannae ſunt adverſus eos, quibus iraſcimur.

36. Meam sororem.] Quo conſtat, praeſto eſſe defenſionem puellae. Os durum.] Quaſi ex omnibus hoc ſit impudentius, quod & ſororem ſuam dicat. Os durum.] Os impudens: ut contra, *mollis frontis* dicuntur, qui ſunt reverentes. Nunc adeo adico tibi.] Ut ſuperbe, quaſi militi. Nam *edictum*, Praetoris dicitur & Imperatoris. Miles, nunc adeo edico tibi.] Miles, contumelioſe dixit. De iis enim eſt officiis, quae ſuo nomine contumelioſa cenſentur. ſicut in Adelphis,

> *Delibera hoc, dum ego redeo, leno.*

37. Ne vim facias ullam in illam.] Servavit praecepta meretricis: adeo ut meminerit, *ſi vim faciet, in jus ducito hominem.* Ego eo ad Sophronam] [30] Hoc lentius a Thaide Chremeti.

OBSERV. IN DONAT.

27. Ε'πιτροχασμὸς] Codd. Veneti, περιπλοκασμός.
28. *State viri*] Virgil. Aeneid. IX. 376.
29. *Poſt productionem*] Libri Veneti: *pro productione*.
30. *Hoc lentius a Thaide Chremeti*] Immo, *ad Thaidem Chremes*; quomodo eſt in Codd. Venetis, & in ſuo Cod. legit Rivius.

COMMENTARIUS.

Nisi abis.] Mſ. Lipſ. Nisi hodie abis.

Ain' vero, canis?] Acerbiſſimum convicium; nec ſacris Literis ignoratum. Vide 2. Sam. XVI. 9. An *canem* dixit paraſitum, utpote menſarum aſſeclam? Nugatur Eraſmus, τὸ canis exponens, garris, nugaris.

35. Hui!] Mſ. Lipſ. Qui?

36. Os durum!] Impudens. Cic. pro P. Quint. 24. *Mihi videri* ore duriſſimo *eſſe*, *qui praeſente eo* (Roſcio) *geſtum agere conaretur*. Ovid. Metam. V. 451.

> duri *puer* oris, *&* *audax*.

Verecundi contra *mollis frontis* eſſe dicuntur.

37. Thais, ego eo.] Mſ. Lipſ. Th. Ego eo.

Meam ne tangam? *Ch.* Prohibeo, inquam. *Gn.* Audin' tu? hic furti ſe alligat.
Satis hoc tibi eſt. *Thr.* Idem hoc tu ais, Thais? *Tha.* Quaere, qui reſpondeat.
Thr. Quid nunc agimus? *Gn.* Quin redeamus: jam haec tibi aderit ſupplicans

Ultro.

DONATI.

39. Prohibeo, inquam.] Non ſatis exercitate adoleſcens totidem verbis dictum repetit militis. Audin' tu? hic furti se alligat.] Gnatho occaſionem finiendi litigii jamdudum quaerit, ob deſiderium menſae & cibi: & ideo quaſi de jure conſilium ſuggerit, hunc reum militis eſſe poſſe, qui paratus eſt alienam rem ſuam dicere, & id in jure profiteri, hoc eſt, apud Praetorem. Ergo furti se alligat, id eſt, rerum ſe efficit fraudis. Nam *μεταληπτικῶς furtum* pro omni fraude & dolo accipimus & injuria. Alligat.] Aſtringit, illaqueat, & obnoxium facit. Omne igitur quod fraude fit, furtum eſt. Sic [31] *Virgilius*,

Furta paro belli,

id eſt, inſidias. &

[32] *Dulcia furta*,

id eſt, adulteria. Omne malum factum.

[33] *Quae quis apud ſuperos, furto laetatus inani,*
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

[34] *Furtum* duobus modis dicitur. Uno, cum omne maleficium generaliter ſignificatur: altero. cum res ſurrepta demonſtratur. Nunc ergo *furtum*, maleficium eſt.

40. Satis hoc tibi est.] Ad repetendam ſcilicet virginem, ſumendamque injuriae vindictam. Idem hoc tu ais.] Id eſt, hoc quod Chremes, & tanquam Chremes. Et ipſam circumventurus interrogat, quod illa intelligens, malitioſe ait, Quaere, qui respondeat. Satis contumelioſe: Illud enim quaeritur, quod difficile reperitur. Ergo non modo indignus es, inquit, cui ego reſpondeam: ſed vix invenies, qui te dignum reſponſo judicet. Quaere, qui respondeat.] Et contempſit interrogantem: & indixit inimicitias profeſſione iracundiae, cum dixit indignum militem.

41. Quid nunc agimus?] Vide ut evanuerit actio militis. Primo dixit, Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet. Poſt, Idem hoc tu ais, Thais? Et poſtremo, Quid nunc agimus? Et, Quid nunc agimus? conſilium quaerentis eſt. Quid nunc agimus?] Languidi atque defeſſi eſt. Quid nunc agimus?] Ubi eſt illud quod ait, Primum aedes expugnabo, & caetera. Sed vani impetus hunc exitum ſemper accipiunt. Quin redeamus] Quin, modo *imo*, Non abeamus, inquit, ſed redeamus: ut irritos conatus uno verbo oſtenderet.

OBSERV. IN DONAT.

31. *Virgilius*] Aeneid. XI. 515. Barth. Adverſ. XIII. 7.
32. *Dulcia furta*] Virgil. Georg. IV. 346.
33. *Quae quis*] Virgil. Aeneid. VI. 568.
34. *Furtum*] Videntur eſſe verba veteris JCti.

COMMENTARIUS.

20. quod & alii Libri praeferunt. Perperam. Chremetis verba ſunt, iſque nutricem arceſſivit. Vide infra V. 2. 53. & V. 3. 3.

Sophronam nutricem] Frequens & antiquiſſima Nutricum mentio, etiam apud Scriptores ſacros. Vide opuſculum de Nutricibus & Paedagogis, doctiſſimi Viri, Joh. Jac. Claudii.

39. Hic furti se alligat.] Dat tibi actionem furti adverſus ſe, apud Praetorem. Plaut. Poen. III. 4. 27.

Homo furti ſeſe adſtringet.

Cic. pro Domo cap. 8. *Populumque Romanum ſcelere obligaſſes.* Videtur autem Eugraphius legiſſe: Furti te alligat, ſcribens, *dum hoc proponitur, furti tibi crimen intenditur.*

40. Satis hoc tibi est.] Mſ. Lipſ. Satis hoc tibi est? Commode autem haec in Libris quibuſdam tribuuntur Chremeti, ſeu cum

inter-

Ultro. *Thr.* Credin'? *Gn.* Immo certe. novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Thr.* Bene putas.
Gn. Jam dimitto exercitum? *Thr.* Ubi vis. *Gn.* Sanga, ita uti fortes decet
Milites, domi focique, fac viciſſim ut memineris.

Sa.

DONATI.

42. CREDIN'?] Ex parte conſentit, qui ſic interrogat. CREDIN'?] *Credere*, dubitantis eſt: *Certum eſſe*, fidentis.

43. UBI NOLIS, CUPIUNT ULTRO.] Plus intulit ſpei, non revocando verbum quod expectabatur: hoc eſt, *volunt*: ſed CUPIUNT. Ergo variavit: non enim intulit, *Volunt ultro*. BENE PUTAS.] Hoc eſt, recte putas, ſapis, vel intelligis. [35] *Virgilius*,

Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.

Vel conjicis. Vel *putas*, diſputas. Vel *putas*, cogitas.

44. JAM DIMITTO EXERCITUM?] *Dimitti exercitus*, dicitur, vel pace facta, vel vexatis hoſtibus. Ridicula ergo magnificentia verborum eſt, cum ſint facta deformia. SANGA, ITA UTI FORTES DECET MILITES, DOMI FOCIQUE FAC VICISSIM UT MEMINERIS.] Ut mire in coquum, qui focum curat [36] in domo. quia [37] milites hi fortiter puguant, qui ſunt memores domorum. Vide ergo quam utrumque comicum. Ad ineundum praelium, reſque bellicas, Donax primus eſt: ad res domeſticas Sanga, qui coquus eſt. DOMI FOCIQUE.] *Domi* & *Foci*, genitivi ſunt. *Caecilius*, *Decora domi.* [38] *Plautus*,

Quanquam domi cupio, opperiar tamen.

OBSERV. IN DONAT.

35. *Virgilius*] Aeneid. VI. 332.
36. *In domo*] Edd. Venetae: *domi.*
37. *Milites hi fortiter pugnant*] Lege ex Codd. antiquis: *Milites vix fortiter pugnant.*

38. *Plautus*] Trin. IV. 1. 22. Ubi ſi legas, ut recte vulgo editur:

Quanquam domum cupio, opperiar hic, quam gerat rem.

apparet verba h. l. eſſe ἀπροσδιόνυσα.

COMMENTARIUS.

interrogatione pronuncies, ſeu citra interrogationem.

IDEM HOC TU AIS, THAIS?] Guyeto τὸ AIS gloſſema eſt, & ſubaudiendum. Videtur autem ſibi placere Thraſo in ſua paronomaſia, AIS, THAIS. Eſtque hoc ſpecimen Atticae illius eloquentiae, ſcilicet.

QUAERE, QUI RESPONDEAT.] Belgae dicerent: *Ik heb geen praet voor u.* Plaut. Perſ. II. 4. 2.

Emere oportet, quem tibi obedire velis.

Ovid. Amor. III. 11. 28.

Quaere alium, pro me qui queat iſta pati.

Metam. V. 181.

Quaere alium, tua quem moveant miracula.

41. QUIN REDEAMUS.] Non inepta lectio quorundam Librorum: QUID? REDEAMUS. Sunt vero Mſſ. integrum hunc verſum Gnathoni tribuentes.

42. NOVI INGENIUM MULIERUM: NOLUNT, UBI VELIS; UBI NOLIS, CUPIUNT ULTRO] Scilicet, quia Parmenone judice, Hec. III. 1. 32.

mulieres ſunt ferme, ut pueri, levi ſententia.

Unde eleganter Horatius Serm. II. 3. 258.

Porrigis irato puero cum poma: recuſat.
Sume, catelle; negat. ſi non des: optat.

Idem vero in puero ſuo laudat Martialis IV. 42. 11.

Saepeque nolentem cogat, nolitque volentem.

Aliter V. 83.

Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Naevius Agitatoria: *Quaſi dedita opera, quae ego volo, ea tu nevis; quae ego nolo, ea cupis.* Theocr. Idyll. VI. 18.

Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.
Et fugis amantem, & non amantem ſectatur.

44. JAM DIMITTO EXERCITUM?] Plautus Capt. I. 2. 51. ad patinas tranſtulit.

Nullumne interea nactus, qui poſſet tibi
Remiſſum, quem dixti, imperare exercitum?

45. DOMI FOCIQUE.] Editi quidam vetuſti: DOMIQUE FOCIQUE.

Sa. Jamdudum animus eſt in patinis. *Gn.* Frugi es. *Thr.* Vos me hac ſequimini.

DONATI.

46. JAMDUDUM ANIMOI EIT IN PATINII.] Hic aperuit cauſam Poëta, cur & invitus Gnatho iret ad litem, & libens domum redeat. FRUGI ES.] Utilis & neceſſarius: a frugibus, quae quod his fruamur, dictae ſunt. Inde *fructus* & *frumentum*. *Frui* autem eſt veſci. a frumine, quae eſt ſumma pars gulae: a qua re, etiam his, quae nec cibo nec poculo ſunt, *frui* dicimur, καταχρηστικῶς: utpote rebus Venereis: & delectatione odoris, viſus, auditus, & caeteris.

COMMENTARIUS.

46. JAM DUDUM ANIMUI EIT IN PATINIS.] Heaut. V. 5. 19. Plaut. Ciſtell. II. 1. 6.

ubi non ſum, ibi eſt animus.

Aſin. I. 3. 4. Pſeud. I. 1. 32. Perſ. IV. 6. 27. Cic. Fam. XV. 18. *Ubi igitur, inquies, Philoſophia? Tua quidem in culina; mea moleſta eſt.* Att. XII. 12. *Igitur animus in hortis: quos tamen inſpiciam, quum venero.* Alexis apud Athenaeum, obſervante Gerardo Falkenburgio in Scholiis Mſſ. ὁ νοῦς γάρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον. Janus Gruterus ſuo Codici adſcripſerat ex Platone: Ἐν τῷ καπήλῳ νοῦς. *Animus ad cauponem.*

47. THR. VOS ME HAC SEQUIMINI.] Mſ. Lipſ. SAN. VOS ME HAC IEQUIMINI. Ita & Boecleri Mſſ. omnes. Editio anni 1469.

THR. VOS ME IEQUIMINI HAC.

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

THAIS. PYTHIAS.

Th. PERGIN', ſceleſta, mecum perplexe loqui?
Scio; neſcio; abiit; audivi; ego non adfui.

Non

DONATI.

1. PERGIN', SCELESTA, MECUM PERPLEXE LOQUI?] *Nunc demum virgo violata eſſe cognoſcitur a Thaide, opportune, poſtquam magnopere & defenſa eſt, & retenta. Nam ſtatim conſequentur nuptiae ejus & Chaereae, qui illam vitiavit.* PERPLEXE LOQUI?] Ideo PERPLEXE, quia ſtatuerat crimen virginis celare.

2. SCIO; NESCIO; ABIIT; AUDIVI.] Mire ex dictis omnibus pauca decerpit: & oſtendit quid perplexe dixerit: & ſtomachum ſaevientis expreſſit.

COMMENTARIUS.

1. PERPLEXE.] Dubie & obſcure, ut dicta quaſi ſecum pugnent. περιπλεγμένως, περιπλέγδην. Plaut. Aſin. IV. 1. 47.

Neque illum verbum faciat perplexabile.

Aul. II. 2. 81.

at ſcio, quo vos ſoleatis pacto perplexarier.

Stich. I. 2. 18. *perplexim*, verſu 28. *perplexabiliter* dixit. Cic. Philipp. II. 37. *Mira verborum* complexio.

2. SCIO; NESCIO; ABIIT; AUDIVI; EGO NON

Non tu iſtuc mihi dictura aperte es, quidquid eſt?
Virgo conſciſſa veſte lacrumans obticet.
Eunuchus abiit. quamobrem? quid factum eſt? taces?
Py. Quid tibi ego dicam, miſera? illum Eunuchum negant
Fuiſſe. *Th.* Quis fuit igitur? *Py.* Iſte Chaerea.

Th.

DONATI.

expreſſit. Scio.] Flere puellam. Nescio.] Vitiatam. Abiit.] Eunuchus. Audivi.] Domi hoc admiſſum. Ego non adfui.] Cum haec fierent. Acriter iratorum eſt, ea repetere, quae proxime dixerint, quibus iraſcuntur. Ut,

¹ *En ego victa ſitu, verique effoeta ſenectus.*

3. Non tu istuc.] ² Non eſt hic interrogatio.

4. Virgo conscissa vaste lacrumans oatiest.] ³ Haec omnia rixam eſſe ſignificant. Vsrgo obticat.] *Tacemus* conſilia: ut, ⁴ *Nec tacui demens.* *Reticemus* dolores: ut, *Ne verere, ne retice.* *Obticemus* quorum nos pudet: ut in Phormione, ⁵ *Heu quidnam obtices?*

5. Eunuchus abiit.] Non *Chaerea*, ſed Eunuchus: non *fugit*, ſed abiit dixit. Quamobrem? quid factum est? tacas?] Haec ἀσύνδετα inſtantis dominae vultum habitumque demonſtrant.

7. Quis fuit igitur?] Haec ⁶ cunctative pronuncianda ſunt: aut quia invita indicat, aut dubitat de nomine ignoti: aut trepidat per timorem: aut, ut non videatur affuiſſe, cum fuerit factum: aut quia non libenter dicat ejus nomen, cui iraſcitur. Sed ego agnoſco ancillarum conſuetudinem, ⁷ quae obliviosae ſunt.

OBSERV. IN DONAT.

1. *En ego victa*] Virgil. Aeneid. VII. 452. Eſt vero in Donato leve mendum. Scilicet ita Turnus:

Sedte victa ſitu, verique effoeta ſenectus.

Alecto contra: *En ego victa ſitu, quam veri effoeta ſenectus.*

2. Non *eſt hic interrogatio.*] Amplius hoc, interrogando jubet. Vid. Gud. ad Phaed. III. 6. 2.

3. *Haec omnia rixam eſſe ſignificant.*] Conſtans lectio etiam Codd. veterum, niſi quod in iis eſt, ſignificaverant. Laborat autem ſenſus. Unde Abr. Wielingius vel *rixam fuiſſe*, vel *rixatam eſſe* legit. Niſi malis, *vitiatam eſſe.*

4. *Nec tacui demens.*] Virgil. Aeneid. II. 94.

5. *Heu, quidnam obtices?*] Immo, Ehem, quid nunc obticuisti? Vide Phorm. V. 8. 2.

6. *Cunctative*] Lego ex Codd. vetuſtis, *minative.*

7. *Quae obliviosae ſunt.*] Exempla Veneta: *Quae obliviosae ſunt dominarum.*

COMMENTARIUS.

non adfui.] Mimeſis elegans verborum Pythiae, quam varie explent Interpretes. Anteſignanus ita παραφράζει: *Je ſay, que la fille pleure; mais je ne ſay pas de vray, qu'elle aye eſté gaſtée; l'eunuque s'en eſt allé; j'ay bien ouy dire, qu'il a commis un meſchant acte contre la fille; mais je n'eſtois pas a la maiſon, quand ces choſes ont eſté faites.* Boeclerus Donatum has ellipſes non bene explere ait; nec ipſe adeo meliora adfert. Fingamus igitur, Thaidem a coena domum redeuntem, virginemque lacrumantem & veſte conſciſſa offendentem in ſuſpicionem ſtupri illati veniſſe, atque in ipſis aedibus rogaſſe Pythiam, cui praecipua ejus cura commiſſa erat, ad hunc modum:

Th. *Scis tu, nullum virum acceſſiſſe ad eam?* Py. Scio.

Th. *Quae igitur cauſa lacrumarum & veſtis conſciſſae?* Py. Nescio.

Th. *Ubi nobis Dorus noſter?* Py. Abiit.

Th. *Qui ſcis, abiiſſe Dorum?* Py. Audivi.

Th. *Quare non retraxiſti fugientem?* Py. Ego non adfui.

Si haec minus placent, quod non ſatis perplexe ſint dicta, ἐποχῇ. Confer autem cum perplexo Pythiae reſponſo & indicio conſilium ejuſdem de tacendo virginis ſtupro, ſupra IV. 4. fin.

4. Conscissa veste.] Dubium, ab Eunochone, an a ſeſe. Scilicet vix gens ulla in hiſtoria antiqua, cui lugenti non fuerit in more poſitum, *veſtes ſcindere.* Curt. III. 11. de Darii uxore: *Ingens circa eam nobilium feminarum turba conſtiterat, laceratis crinibus,* abſciſſaque veſte.

Digitized by Google

Th. Qui Chaerea? *Py.* Iſte ephebus frater Phaedriae.
Th. Quid ais, venefica? *Py.* Atqui certo comperi.
Th. Quid is, obſecro, ad nos? quamobrem adductus eſt? *Py.* Neſcio;
Niſi amaſſe credo Pamphilam. *Th.* Hem! miſera occidi.
Infelix! ſiquidem tu iſtaec vera praedicas.
Num id lacrumat virgo? *Py.* Id opinor. *Th.* Quid ais, ſacrilega?

Iſtuc-

DONATI.

8. Iste ephebus.] Ephebus nomen ad aetatem retulit, non ad facinus commiſſum. Ephebus.] Cito oſtendit, cur iſte Eunuchus creditur.

9. Quid ais, venefica?] Redit rurſum ad iracundiam. aptum convicium & comicum in ancillas; *venefica*, *lupa*, *vipera & ſacrilega*, [1] & caetera.

10. Quid is, obsecro, ad nos?] Non rogantis eſt obsecro, ſed dolentis.

11. Nisi amasse credo Pamphilam.] Deeſt *quod:* ut ſit, *niſi quod*.

13. Num id lacrumat virgo?] Ut ſupra: Id vero serio triumphat: pro, ob id. Id opinor.] Callide Pythias opinor dixit, cum ſciat. Quid ais, sacrilega?] Αὔξησις. Nam primo scelesta, deinde venefica, poſtremo sacrilega.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Etcaetera.*] An *exetra?* Quo convicio utitur Plautus Pſeud. I. 2. 82. Quanquam familiare Donato ſcribere *& caetera*.

COMMENTARIUS.

Ad quem locum vide Interpretes. Nihil notius in ſacris Literis. Virgil. Aen. V. 685.

Tum pius Aeneas humeris abſcindere veſtem.

Obticet.] Bene diſtinguit Donatus. Horat. Arte 283.

chorusque
Turpiter obticuit, *ſublato jure nocendi.*

Juſtin. XXXII. 2. *Turba querelarum confuſus adoleſcens repente* obticuit. Eſt autem *conticere* deſiſtere a loquendo. Virg. Aen. II. 1.

Conticuere *omnes, intentique ora tenebant.*

14. Istuccine interminata.] Vide dicta Thaidis, ſupra III. 2. 52.

15. Quid facerem?] Ita ſolent laudantes & excuſantes quae fecerunt. Plaut. Trin. I. 2. 136.

Sed nunc rogare ego viciſſim te volo,
Quid fuit officium meum me facere? fac ſciam.

Virg. Ecl. I. 41. & VII. 14.

Quid facerem?

Gr. Τί ἔχεων με ποιεῖν; Vide Interpretes ad Evang. Luc. XVI. 3. Τί ποιήσω;

Justi.] Mſ. Lipſ. Jussisti, omiſſo τὸ. Eandem lectionem ex Mſſ. Pall. & Pariſ. laudat Pareus. Et eſt in edit. 1469.

Soli credita 'st.] Verba Thaidis narrat ipſe Chaerea, ſupra III. 5. 30. 31.

16. Lupo ovem commisisti.] Dictum in eos, quibus parum tuto quid ſervandum committitur. Plaut. Pſeud. I. 2. 8.

Ut mavelis lupos apud oves linquere, *quam hos domi cuſtodes.*

Cic. Philipp. III. 11. *O praeclarum* cuſtodem ovium, *ut ajunt*, lupum! Ovid. Arte Am. III. 8.

rabidae tradis ovile lupae.

Gr. καταλείπειν ὄϊν ἐν λύκοισι. Adde Eraſm. in Adag. Quod Germani dicunt: *Du haſt den bock zum Kohlgärtner gemacht.* Batavi: *Gy hebt de kat den kaas toevertrouwt.* Apologi ſpeciem habent illa Plauti Trin. I. 2. 132.

Adeſurivit magis, & inhiavit acrius
Lupus. obſervavit, dum dormitaret canes,
Gregem univerſum voluit totum avertere.

Vide

Iſtuccine interminata ſum, hinc abiens tibi?
Py. Quid facerem? ita ut tu juſti, ſoli credita 'ſt.
Th. Sceleſta, lupo ovem commiſiſti. diſpudet,
Sic mihi data eſſe verba. quid illuc hominis eſt?
Py. Hera mea tace; tace obſecro, ſalvae ſumus:
Habemus hominem ipſum. *Th*. Ubi is eſt? *Py*. Hem! ad ſiniſtram,
Videſne? *Th*. Video. *Py*. Comprehendi jube, quantum poteſt.
Th.

DONATI.

14. ISTUCCINE INTERMINATA SUM.] Satis moraliter. ISTUCCINE INTERMINATA SUM: pro, *Num iſtuc tibi comminata ſum?* ISTUCCINE INTERMINATA SUM HINC ABIENS TIBI?] Apparet haec poſt ſcenam eſſe mandata. Nam [9] ſupra non meminit: [10] ſed dixerat, *Tamen hos prius introducam, & quae volo ſimul imperabo: poſt continuo exeo.*

15. ITA UT TU JUSTI, SOLI CREDITA 'ST.] Dixerat enim prius Chaerea, *Edicit, ne vir quiſquam ad eam adeat: & mihi, ne abſcedam, imperat.* JUSTI.] Συγκοπὴ καὶ μεταπλασμὸς pro JUSSISTI.

16. SCELESTA, OVEM LUPO COMMISISTI.] Bene dilatum tot occaſionibus proverbium, perſonae Thaidis aſſcriptum eſt. continet enim foemineam reverentiam & meretricium ſenſum, reditque rurſus ad minora convicia; quia videt ſe eſſe convictam. Et eſt proverbium, OVEM LUPO COMMISISTI.

17. SIC MIHI DATA ESSE VERBA.] Videtur plura fuiſſe dictura, niſi ſuperveniſſet Chaerea. QUID HOMINIS ILLIC EST?] Per genitivum caſum injurioſe dicitur: per nominativum, honorifice. QUID ILLUC HOMINIS EST?] Non continuo agnoſcit hunc hominem Meretrix. Quia etſi adhuc Eunuchi veſte indutus eſt, attamen exuit ſpadonis inceſſum: vultum, habitumque mutavit: & praeter veſtem, totus in Chaeream rediit.

18. HERA MEA TACE; TACE OBSECRO.] Blande ac puellariter arridet. TACE.] Non ſilentium indicentis eſt, ſed ſecuram facientis: ut,

Tace. egomet conveniam ipſum.

19. HABEMUS HOMINEM.] Mire HOMINEM dixit, ut reum.

20. COMPREHENDI JUBE.] Pro, *comprehende.* [11] JUBE enim *velle ſignificat.* QUANTUM POTEST.] [12] Deeſt *cito.*

OBSERV. IN DONAT.

9. *Supra non meminit.*] Immo vero meminit ſupra III. 2. 52.

10. *Sed dixerat,* TAMEN HOS PRIUS INTRODUCAM] Lege, *Sed dixerat tantum:* HOS PRIUS INTRODUCAM.

11. *Jube enim velle ſignificat.*] Lege, *Jubere enim velle ſignificat*; quomodo eſt in Libris Venetis.

12. *Deeſt, cito.*] Immo deeſt, *Tantum.*

COMMENTARIUS.

Vide quae ex Homero & Herodoto laudat Pareus.

17. QUID ILLUC HOMINIS EST?] Ita ſolent admirabundi ſimul per contemtum loqui. Hec. IV. 4. 21.

quid mulieris uxorem habes?

Acidalius verba haec Pythiae ſecum loquenti tribuit. quod placet. Plaut. Amph. II. 1. 26.

quid hoc ſit hominis?

18. HERA MEA TACE; TACE OBSECRO.] Mſ. Lipſ. HERA MEA, TACE, OBSECRO. Mſſ. Leidenſ. unus: O HERA MEA, TACE, TACE, OBSECRO.

19. HABEMUS HOMINEM IPSUM.] Formulae ſpeciem habet in manifeſto deprehenſum. Plaut. Caſin. II. 8. 34.

habeo viros.

20. QUANTUM POTEST.] Locutio Plauto familiaris. Gr. ὡς δυνατόν.

Th. Quid illo faciemus, ſtulta? *Py.* Quid facias, rogas?
Vide amabo! ſi non, quum aſpicias, os impudens
Videtur. *Th.* Non eſt. *Py.* Tum quae ejus confidentia 'ſt!

DONATI.

21. Quid illi faciemus, stulta?] Subauditur *comprehenſo*. Quid facias, rogas?] Moraliter expreſſit puellae ſtupentis verba, & non habentis quid reſpondeat ad ea, quae dicta ſunt.

22. Vide amabo! si non, cum aspicias, os impudens videtur.] Mire ab eo quod reſpondere coeperat, ad aliud tranſit, mirata confidentiam Chaereae. 23 Non eſt impudens, inquit, non eſt, niſi ſimilis impudenti. Sic alibi, *Severitas ineſt in vultu, atque in verbis fides.*

OBSERV. IN DONAT.

23. *Noneſt impudens, inquit, non eſt, niſi ſimilis impudenti.*] Verba interpolata & corrupta, quae paullo melius in Edd. vetuſtis leguntur. Scripſerat Donatus: Th. Non est. *Non eſt impudens, inquit.* Illa vero, *Niſi ſimilis impudenti*, Grammaticaſter quidam attexuiſſe videtur, interpretaturus ſcilicet voces Si non. Eugraphius τὸ non est etiam Pythiae tribuit, ſcribens: *Senſus autem talis: Vide impudentiam, vide aſpectum, quemadmodum incedit.* Os *ergo* impudens *videtur cum aſpicias venire. Et quaſi aliquid meretrix dixerit, ita ſubjungit,* Non est? *quaſi, negas eſſe, quod dico? Et hoc ut confirmet, adjungit, Cur igitur tanta confidentia fretus incedit?*

COMMENTARIUS.

21. Quid illo faciemus?] Ita Faërnus & alii recenſuerunt Sed in Mſſ. pluſculis & Donato, eſt illi. Vide mox V. 2. 10.

Quid facias.] Variant Mſſ. Faciam, facias, faciemus, legentes.

23. Non est.] Varie haec exhibentur. Sunt, qui Pythiae tribuunt, ſunt item qui Thaidi. Heinſius recenſebat, Th. Non. Py. Tum quae ejus confidentia 'st? Atque ita eſt in Mſ. Lipſ. Tres Mſſ. Leid. Pythiae tribuunt, non est? quomodo Pareus & alii ediderunt. Mihi in mentem veniebat, Chaerea propius accedente, Pythia vero interim in eum debacchante, Thaidem dixiſſe, non. st. Acidalius legebat: Monstrum! quae ejus confidentia est? Vereor, ne magis ingenioſe, quam vere.

ACTUS QUINTI

SCENA SECUNDA.

Chaerea. Thais. Pythias.

Ch. Apud Antiphonem uterque, mater & pater,
Quaſi

DONATI.

1. Apud Antiphonem uterque.] *Rediens in viciniam ſuam, cauſam reddit Chaerea, cur non mutaverit veſtem. Oportuit autem, & de neceſſitate argumenti fuit, Chaeream non mutaſſe veſtem; ut cum meretrix virginem a Chaerea vitiatam audiret, & eum cum turpi habitu incedentem intueretur, eum reum vitiatae virginis putaret.* Apud Antipho-

Quaſi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire poſſem, quin viderent me. interim
Dum ante oſtium ſto; notus mihi quidam obviam
Venit. ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam deſertum: inde item
In aliud, inde in aliud: ita miſerrimus

Fui

DONATI.

PHONEM, dixit, pro, in domo ejus. UTERQUE, MATER ET PATER.] Non, uterque pater, & utraque mater, ſed *uterque parens:* quia pater & mater.

2. QUASI DEDITA OPERA DOMI ERANT.] Non tam mirum, ſi domi erant: ſed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in aedes introeundum erat adoleſcentulo. UT NULLO MODO INTROIRE POSSEM.] Superius cauſa continetur, cur non mutaverit veſtem: inferius autem, cur huc redierit.

3. QUIN VIDERENT ME.] QUIN, modo pro *quo minus*.

4. DUM ANTE OSTIUM STO.] Antiphonis ſcilicet. NOTUS MIHI QUIDAM OBVIAM VENIT.] An notus, qui me poſſet agnoſcere? an qui me noverit, id eſt, amicus?

5. QUANTUM QUEO.] [1] Deeſt *velociter*.

6. IN ANGIPORTUM.] Vide illum non vitaſſe ſub una clauſula bis IN dicere. IN PEDES, IN ANGIPORTUM. ANGIPORTUM dicebant vicum non pervium, [2] viam publicam. IN ANGIPORTUM QUODDAM DESERTUM.] Deeſt, fugiens.

7. ITA MISERRIMUS FUI FUGITANDO.] Id eſt, fatigatus, laſſus, & languidus ſum, dum fugio. Et honeſta locutio eſt; ut, *Miſer amando, miſer currendo.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Deeſt, velociter*] Potius deeſt, *Tantum.*
2. *Viam publicam*] Edd. Venetae: *Angiportus ergo eſt via publica.* Ita & Mſ. Hulſt. Doctiſſ. Wielingius reponit: *Angiportum dicebant vicum pervium, vel viam non publicam.*

COMMENTARIUS.

2. QUASI DEDITA OPERA.] Studio & navata opera. Plaut. Poen. III. 1. 5.

> *Atque equidem hercle* dedita opera *amicos fugitavi ſenes.*

Cic. Fam. VIII. 1. *data opera.* Hinc *deditus* rei vel in re aliqua dicitur, qui tota mente in rem incumbit. Lucret. III. 647.

> *Et ſimul in pugnae ſtudio quod* dedita *mens eſt.*

Videntur autem Antiphonis parentes nunc quidem non in gynaeconitide conſediſſe, ſed in anteriore aedium parte verſati; unde nec introiens quiſquam, nec exiens eos latere potuerit. Qua de re Chaerea monitus ab Antiphone reſugit, ne cognoſceretur.

4. NOTUS.] Bene Donatus: *Qui poſſet me agnoſceret an qui me agnoverat?* Plaut. Pſeud. IV. 2. 39.

> *Novi*, notis *praedicas.*

Cic. Fam. V. 12. *Atque illi artifices, corporis ſimulacra* ignotis *nota faciebant.* Phaed. I. 11. 2.

> Ignotos *fallit*, notis *eſt deriſui.*

Ad quem locum vide Interpretes, & Cl. Virum, Petrum Burmannum.

5. EGO ME IN PEDES.] Sub. DO, conjicio, Plaut. Capt. I. 2. 12.

> *Si non eſt, quod dem, mene vis* dem *ipſe* in pedes?

Quod vero eſt in Libris quibuſdam, EGOMET IN PEDES, poſſit videri natum ex antiqua ſcriptura, EGO MED IN PEDES.

6. IN ANGIPORTUM QUODDAM DESERTUM.] Rationem denominationis dedit Voſſius in Etymolog. Gr. *στενωπός.* Quia vero addit Chaerea, INDE ITEM IN ALIUD; INDE IN ALIUD, obſervat Meurſius in Athenis Atticis III. 8. minus pulcre in plateas ſectam fuiſſe civitatem. Solebant

Fui fugitando; ne quis me cognoſceret.
Sed eſtne haec Thais, quam video? ipſa 'ſt: haereo.
Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
Th. Adeamus. bone vir, Dore, ſalve: dic mihi,
Aufugiſtin'? *Ch.* Hera, factum. *Th.* Satin' id tibi placet?
Ch. Non. *Th.* Credin' te impune habiturum? *Ch.* Unam
hanc noxiam Mit-

DONATI.

8. NE QUIS ME COGNOSCERET.] Nota improprie dictum, pro *Agnoſceret*.

9. SED ESTNE HAEC THAIS, QUAM VIDEO?] Jampridem ipſe viſus, nunc primum videt. HAEREO.] Incertus remaneo atque defigor. Primus metus adimit conſilium: ſed recogitatio reddit confidentiam.

10. QUID MEA AUTEM?] Colligit ſe rurſus ad impudentiam Chaerea. Et vide, ſi non eadem eſt audacia in Chaerea, quae in ſuſcipiendo facinore fuit. Et ἐλλειπτικῶς, QUID MEA AUTEM? QUID FACIET MIHI?] Opportune ſe confirmavit, quia ſi extimuiſſet & fugiſſet, nihil nuptiae promoverentur.

11. BONE VIR, DORE.] Hoc totum figurate dixit, ut meretrix, & ſubtiliter. Nam ſcit Chaeream eſſe quem alloquitur, non Eunuchum. Et hic magna occaſio datur meretrici adeundi adoleſcentis, qui habitum non mutavit: & adhuc quaſi Eunuchus & ſervus eſt. BONE VIR, DORE, SALVE.] Major objurgatio eſt, per hanc diſſimulationem Thaidis adverſus Chaeream, quam ſi illum id, quod eſt, appellet.

12. HERA, FACTUM.] Non potuit ſubtilius reſpoudere Chaerea, quam accommodare ſe interroganti. SATIN' ID TIBI PLACET?] Hoc poteſt, & non figurate dici, ſed aperte.

13. UNAM HANC NOXIAM OMITTE.] Triſyllabo nomine NOXIAM dixit, quaſi *noxam*. 4 Alibi aliter, *Dominam* dixit *extra noxam*.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Et*] Vocula haec recte abeſt a Codd. antiquis.

4. *Alibi aliter, dominam dixit extra noxam.*] Edd. Venetae: *Sic alibi dictum eſt*, DOMINAM ESSE EXTRA NOXAM. Locus eſt Heaut. II. 3. 57. ubi tamen varie legitur, NOXIAM & NOXAM.

COMMENTARIUS.

bant in *angiportis* habitare meretrices.

DESERTUM.] Quod nunc non ut olim frequentaretur ab incolis. Virgil. Aen. II. 713.

Eſt urbe egreſſis tumulus, templumque vetuſtum
Deſertae *Cereris.*

10. QUID MEA AUTEM? QUID FACIET MIHI?] Formula contemnendi minas alterius aut periculum. Plaut. Perſ. II. 3. 16.

quid faciet mihi?

11. BONE VIR.] Similis ironia eſt And. III. 5. 10. Adelph. IV. 2. 17. Plancus Ciceroni, Fam. X. 21. *Conclamarint* viri boni, *pacem ſe velle, neque eſſe cum ullis pugnaturos.*

12. SATIN' ID TIBI PLACET?] Formula deprehendentis alterum in manifeſto ſcelere, idque reprehendentis. Adelph. IV. 7. 19. Cic. Att. VI. 6. *Sed heus tu*, πυρὸς εἰς δῆμον *Athenis?* placet hoc tibi?

13. HABITURUM.] Mſ. Lipſ. & edit. 1469. ABITURUM. quomodo edidit Rob. Stephanus, & ex duobus Mſſ. Pall. citat Pareus. Praeſtat tamen HABITURUM, cum ob plurimorum Codd. conſenſum, tum quod infra V. 7. 18. ait:

Siquidem iſtuc impune habueris.

Eſt autem *impune habere* idem quod *inultum auferre.*

UNAM HANC NOXIAM.] Ita eſt in Libris, quod quidem ſciam, omnibus. niſi quod Franciſcus Floridus Sabinus in defenſione pro Laurentio Valla adverſus Andream Alciatum legit NOXAM. Vide Opuſcula de Latinitate JCtorum veterum, ex recenſione Viri Cl. Caroli Andreae Dukeri, pag. 11. Sed & in Mſ. Lipſ. eſt NOXAM. Diſtinguunt vulgo, quod NOXIA ſit culpa ſeu peccatum,

Digitized by Google

Mitte: ſi aliam admiſero unquam, occidito.
Th. Num meam ſaevitiam veritus? *Ch.* Non. *Th.* Quid igitur?
Ch. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
Th. Quid feceras? *Ch.* Paululum quiddam. *Th.* Eho! paululum, impudens?
An paullum hoc eſſe tibi videtur, virginem
Vitiare civem? *Ch.* Conſervam eſſe credidi.
Py. Conſervam! vix me contineo, quin involem in
Capil-

DONATI.

14. SI ALIAM ADMISERO UNQUAM, OCCIDITO.] Verba ſervorum, quibus nihil horribile eſt poſt praeſentes plagas. Et non *Caedito*, ſed OCCIDITO: [5] & non *alias* dixit, qnaſi illa Chaereae dixerit, [6] *at hic irriſer es, ut fugitivus.*

15. NUM MEAM SAEVITIAM VERITUS ES?] Ut fugeres.

16. HANC METUI, NE ME CRIMINARETUR TIBI.] Perfecte imitatus eſt verba fugitivorum, quae apnd dominos faciunt comprehenſi.

19. VITIARE CIVEM?] Bene intnlit CIVEM: qnod plus eſt, quam VIRGINEM VITIARE. Αὔξησις gradatim facta. CONSERVAM ESSE CREDIDI.] Locus erat ut diceret, SERVAM ESSE CREDIDI, ſed admirabiliter CONSERVAM dixit. Et hoc ipſum, miſerabiliter pronunciandum eſt: tanquam miſerabiliter crediderit conſervam eſſe, quae civis erat, atque eam quaſi conſervam vitiare debuerit.

20. CONSERVAM!] Oportune ſtomachatur Pythias, facta mentione conſervae. VIX ME CONTINEO, QUIN INVOLEM IN CAPILLUM.] Minae iſtae proprie foeminarum ſunt, & in ſe, & in alios unguibus ſaevientium: ut,

[7] *Unguibus ora ſoror foedans, & pectora pugnis.*

Sed INVOLEM, ab avibus tractum eſt, ut apud [8] *Virgilium*,

praedam pedibus circumvolat uncis.

Ergo hoc geſtu, & dicto, & corporis motu, eſt adjuvandum. INVOLEM IN CAPILLUM.] Apparet, more veterum intonſum eſſe.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Et non* ALIAS *dixit.*] Senſus poſtulat, ut legatur: *Et non* ALIAS *dixit, ſed* ALIAM.

6. *At hic irriſor es.*] Mſ. Hulſt. & Veneti: *Adhuc irriſor es.* Abr. Wielingius hic lacunam eſſe conjicit, & verba haec, *Quaſi illa Chaereae dixerit, at hic irriſor eſt, & fugitivus*, rejicit in finem eorum, quae notavit Donatus ad verſum 21.

7. *Unguibus*] Virgil. Aeneid. IV. 673.

8. *Virgilium*] Aeneid. III. 233.

COMMENTARIUS.

catum, NOXA damnum ſeu poena e culpa ſequens. Utrumque autem & culpam & poenam notat. Virg. Aen. I. 45.

Unius ob noxam, *& furias Ajacis Oilei.*

14. MITTE.] Mire variant Libri ſcripti & Impreſſi, exhibentes, MITTE, OMITTE, AMITTE, DIMITTE. Plautus Moſtell. V. 2. 47.

Tranioni remitte, quaeſo, hanc noxiam, cauſa mea.

Ad eundem modum Ovidius Amor. II. 14. 43.

Di faciles, peccaſſe ſemel concedite tute.
Id ſatis eſt: poenam culpa ſecunda feret.

ADMISERO.] Peccavero, commiſero. Heaut. V. 2. 3. Adelph. III. 4. 44. Nepos Epam. 6. *Domi ſcelere* admiſſo. Ovid. Heroid. XI. 107.

Quid puer admiſit *tam paucis editus horis?*

Similis ſententia eſt And. III. 5. 5. Cic. pro Ligar. cap. 10. *Ignoſcite, judices; erravit; lapſus eſt; non putavit. Si unquam poſthac. Ad parentem ſic agi ſolet.*

17. PAULULUM.] In Cod. Bemb. & aliis bis poſitum PAULLUM. Quod ob metrum laudat Faërnus.

20. VIX ME CONTINEO.] Sic Hec. IV. 3. 9. Plaut. Menaechm. V. 2. 72.

non tu te tenes?

22. QUID

Capillum. monſtrum; etiam ultro deriſum advenit.
Th. Abin' hinc, inſana? *Py.* Quid ita vero? debeam,
Credo, iſti quidquam furcifero, ſi id fecerim:
Praeſertim cum ſe ſervum fateatur tuum.
Th. Miſſa haec faciamus. non te dignum, Chaerea,
Feciſti. nam etſi ego digna hac contumelia

Sum

DONATI.

21. ETIAM ULTRO DERISUM ADVENIT.] Mire nunc addidit accuſationem, quod non ſaltem fugeret.

23. DEBEAM, CREDO, ISTI QUICQUAM FURCIFERO.] [9] Subauditur *vero*, aut *εἰρωνικῶς* pronunciandum eſt. Sane debere dicimur poenas pro injuria ei, cui injuriam fecerimus: quas ſe non debituram Chaereae ut furcifero dicit Pythias, ſi illi caedem intulerit in ſervili habitu conſtituto. SI ID FECERIM.] Si involaverim in capillum ejus.

25. MISSA HAEC FACIAMUS.] Haec ſcilicet jocularia & futilia. NON TE DIGNUM, CHAEREA, FECISTI.] Artificioſe meretrix ab eo quod licuit, ad id quod oportuit, tranſiit: nec tractat quid ſit [10] legitimum, ſed quid honeſtum. Itaque totam illam partem facti accuſandi omittit, & [11] ab accidentibus perſonae adoleſcentis objurgat. Scit enim, uno verbo obſtari poſſe, *Licuit mihi*, [12] in domo meretricia ſcilicet: [13] ne videatur irrationabilis eſſe audacia illa ingenui a Poëta inducta eſſe. NON TE DIGNUM.] DIGNUM, pro digne. aut deeſt *facinus*: ut ſit, *non te dignum facinus feciſti.* Mira accuſatio mixta laudi & blandimento.

26. NAM SI EGO DIGNA HAC CONTUMELIA SUM.] Deeſt, &, ut ſit ordo: *Nam etſi maxume.* Et bene additum eſt MAXUME, [14] ut appareat, quod etſi digna pati ſit meretrix, non tamen maxime digna pati Thais eſt.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Subauditur, vero*] Lectio corrupta. Scripſit Donatus: QUID ITA VERO! *Abeam, ſubauditur.* VERO *autem εἰρωνικῶς pronunciandum eſt.*

10. *Legitimum*] Abr. Wielingius legit LICITUM. Ita Paulus L. 144. D. de Reg. Jur. *Non omne, quod licet, honeſtum eſt.* Et Claudian. IV. Conſ. Honor. 266.

ſed comprime motus;
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

11. *Ab accidentibus*] Edd. Venetae: *A ſuccedentibus.*

12. *In domo meretricia ſcilicet*] Veteres editiones addunt, *Et contra meretricia.*

13. *Ne videatur irrationabilis eſſe audacia illa ingenui a Poëta inducta eſſe.*] Libri antiqui: *Ne videatur irrationabilis audacia illa cujus a Poëta inducta eſt.*

14. *Ut appareat*] Nullus in ſubjectis ſenſus. ita varie & corrupte leguntur. Reſtituo ex conjectura: *Ut appareat, quod, etſi maxime digna pati ſit, ut meretrix, non tamen pati digna a tali.*

COMMENTARIUS.

22. QUID ITA VERO?] Mſ. Lipſ. aliique, QUID ITA VERO ABEAM? Ex gloſſa. vid. Obſerv. in Donat.

DEBEAM.] Poſt Turnebum, Adverſ. XII. 10. hunc locum expoſuit Schottus, Obſ. II. 23. Qui per injuriam factam alteri ſe quaſi obligat, *debere* ei dicitur. Virgil. Aen. XI. 51.

Nos juvenem exanimum, & nil jam coeleſtibus ullis
Debentem *vano moeſti comitamur honore.*

Juvenal. X. 311.

fiet adulter
Publicus, & poenas metuet, quaſcunque maritis
Iratis debent.

Vulgo, *quaſcunque mariti irati debent.* Alii, *quaſcunque maritus exigit iratus.* Neque aliter intelligenda verba Orationis Dominicae Matth. VI. 12. *Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν.* Dixit autem CREDO, *εἰρωνικῶς*, uti Graeci uſurpant ſuum *οἶμαι.* Vide ſupra III. 2. 15.

23. FURCIFERO.] Infra V. 6. 19. Cauſam denominationis exſequitur Lipſius de Cruce III.

3.

Digitized by Google

Sum maxume; at tu indignus, qui faceres tamen.
Neque aedepol, quid nunc conſilii capiam, ſcio,
De virgine iſtac: ita conturbaſti mihi
Rationes omnes, ut eam non poſſim ſuis,
Ita ut aequum fuerat, atque ut ſtudui, tradere:

Ut

DONATI.

27. At tu indignus qui faceres tamen.] Recte dixit. Quatuor enim ſunt modi in hujuſmodi rebus: ita ut aut uterque dignus ſit, aut uterque indignus: [15] aut alter dignus, alter indignus: aut contra.

28. Neque aedepol, quid nunc consilii capiam, scio, de virgine istac.] Intelligit Thais amari virginem ab hoc: & ideo ſic ait, ut conciliet nuptias. Nam ſatis ſigni eſt, quod Eunuchi habitum propter hanc ſumpſit. Et vide quemadmodum ad captionem nuptiarum [16] res eant: quod tamen dicere non audet Thais: ſed oſtendit adoleſcenti conjecturis, quem tentat, ſciens amantem virginem: & viam oſtendit petendae ſibi uxoris.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Aut alter dignus.*] Mala lectio. Melior illa edd. veterum: *aut alteri digno alter indignus, aut contra.*

16. *Res eant*] Libri Veneti: *Tranſeat; ut, quod dicere non audet Thais, oſtendat adoleſcenti conjecturis.*

COMMENTARIUS.

3. Gloſſae veteres: *Furcifer*, σταυροκόμιστος, δικραιοφόρος. οἱ πταίοντες ἀντὶ τιμωρίας δίκραιον ἐν τοῖς τραχήλοις ἔχοντες περιεβόμιζον, διὰ τῆς πόλεως περιαγόμενοι. Eadem ratione Petronius cap. 126. ſervum *crucem* vocat.

25. Missa haec faciamus.] Intelligit verborum ludibria & leporem comicum, in quibus hucuſque perſtiterant & Thais, & Chaerea, gerens ſe pro fugitivo reprehenſo.

26. Etsi ego digna hac contumelia sum maxume; at tu indignus, qui faceres tamen.] Explicat Gronovius Obſerv. III. 8. *Si ego hoc merebar pati, attamen tu non debebas facere: non conveniebat perſonae tuae.* Quam ſignificationem τῦ *dignus*, & maxime *indignus* pluribus exemplis adſtruit. Imitatur Hieronymus adverſus Rufin. citante Lindenbruchio: *Nonne etiamſi ille dignus eſſet contumelia, tu facere non deberes?* Hec. III. 5. 27. Plaut. Curc. IV. 2. 27.

Indignis *ſi malo dicitur, maledictum id eſſe dico.*
Verum ſi dignis *dicitur, benedictum 'ſt, meo quidem animo.*

Citat Cicero ſententiolam edicti Antoniani, Philipp. III. 9. *Nulla contumelia eſt, quam facit dignus.* Exagitat autem, ut parum Latinam. *Primum*, inquit, *quid eſt dignus? nam etiam malo digni multi ſunt, ſicut ipſe. An quam facit is, qui cum dignitate eſt? quae autem poteſt eſſe major? Quid eſt porro, facere contumeliam? quis ſic loquitur?* ſcilicet viſus Antonius Ciceroni eſt dixiſſe ἀκύρως *facere contumeliam*, ſenſu paſſivo; quo dicimus facere jacturam, facere damnum, & ſimilia. Super quo loco doctorum hominum ſententias recenſuit, ſuamque ipſius ἐπίκρισιν addidit J. Fr. Gronovius Obſerv. loc. cit. Graeci pariter ὕβριν λέγειν & ποιεῖν, δρᾷν ſeu πράττειν τινὶ dicunt.

29. Conturbasti mihi rationes omnes.] Metaphora a negotiatoribus petita, qui rationes conficiunt, & dicuntur *conturbare*, quum vident ſe aere alieno oppreſſos, nec eſſe ſolvendo, confundunt; vulgo, *bancam ruptam faciunt.* Cic. pro Planc. 28. *Verum fac, me multis debere, & in iis Plancio: Utrum igitur me* conturbare *oportet: an ceteris, quum cujuſque dies venerit, hoc nomen, quod urget, nunc cum petitur, diſſolvere?* Martial. IX. 4. 5.

Conturbabit *Atlas, & non erit uncia tota,*
Decidat tecum qua pater ipſe Deûm.

Et X. 96. 9.

Hic pretioſa fames, conturbatorque *macellus.*

 i.e.

Ut ſolidum parerem hoc mihi beneficium, Chaerea.
Ch. At nunc dehinc ſpero aeternam inter nos gratiam
Fore, Thais. ſaepe ex hujuſmodi re quapiam, &
Malo principio, magna familiaritas
Conflata eſt. quid ſi hoc quiſpiam voluit Deus?
Th. Equidem pol in eam partem accipioque, & volo.
Ch. Immo ita quaeſo. unum hoc ſcito: contumeliae

Non

DONATI.

32. Hoc mihi beneficium, Chaerea.] Blande nomen repetitum eſt, Chaerea.

33. At nunc dehinc spero.] Nunc jam Chaerea vera veris aequiparans, recedit a jocularibus.

34. Saepe ex hujusmodi re.] Hoc eſt, turbulenta. Quapiam.] Quacumque, vel aliqua.

36. Quid si hoc quispiam voluit Deus?] Pleraque repentinis impulſionibus nata, miriſque proventibus, Deo aſcribi ſolent. Ut,

[17] *Deſcendo, ac ducente Deo flammam inter & hoſtes*
Expedior.

Et,

[18] *Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.* Et [19] *Salluſtius: Ut tanta repente mutatio non ſine Deo videretur.* Quid si hoc quispiam voluit Deus?] Vult Amorem intelligi Deum.

37. Equidem pol in eam partem accipioque, et volo.] [20] *Evenire* ſubauditur: & eſt σύλληψις tertia.

38. Immo ita quaeso.] Utrum meretricem, an Deos quaeſo? [21] utrumque enim accipi poteſt. [22] Unum hoc scito.] Unde hoc ſciat Thais, inepte quaeritur, quum ipſa res clamet, nunquam hanc conditionem ſubiturum Chaeream, ut pro Eunucho, etiam ſervo, ſe fingeret ſine amoris impulſu..

OBSERV. IN DONAT.

17. *Deſcendo*] Virgil. Aeneid. II. 632.
18. *Hinc*] Virgil. Aeneid. III. 715.
19. *Salluſtius*] In Fragmentis. Vide Douzam.
20. *Evenire ſubauditur.*] Libri veteres: *Ut aeterna inter nos ſit gratia, & ex malo principio compleatur magna familiaritas.* Et, volo, *evenire ſubauditur.*
21. *Utrumque enim accipi poteſt.*] In Edd. antiquis additur, *An*, quaeso unum? Verba Donato indigna. Senſus eſt: *Quaeſo, ut in eam partem accipias.*
22. Unum hoc scito.] Ad haec verba non notavit Donatus ea, quae proxume ſequuntur, ſed ad Thaidis Scio.

COMMENTARIUS.

i. e. hic in macello omnia tam ſunt cara, ut qui crebro inde obſonare velit, neceſſe habeat, *conturbare*, & foro cedere. Sed & ſervus peculium habens JCtis *conturbare* dicitur, quum domini pecuniam diſſipavit. Vide porro Manut. ad Cic. Att. II. 1. contrarium eſt *expedire rationes*. Eadem metaphora dixit Heaut. IV. 2. 7.
ratio de integre ineunda eſt mihi.

32. Solidum.] Integrum. Plaut. Curc. III. 35.
Inibit a me ſolidam *& grandem gratiam.*
Vide ad And. IV. 1. 23. & Lexic. Plaut. Parei, v. *Solidum.*

33. Gratiam.] Amicitiam, concordiam ex diſcordia. Hec. III. 1. 11. & III. 5. 29. Juſtin. XVI. 1. *Cujus adventum verens Lyſimachus perſuadet genero ſuo Antipatro, ut malit cum fratre* in gratiam reverti, *quam paternum hoſtem in Macedoniam admitti.*

34. Saepe ex hujusmodi re quapiam, et malo principio, magna familiaritas conflata est.] Imitatus Livius I. 9. *Mollirent modo iras, & quibus fors corpora dediſſet, darent animos. Saepe ex injuria poſtmodum gratiam ortam.* Verba Romuli de raptu Sabinarum.. Eſt vero *conflandi* vox a metallorum fuſoribus deſumta. quae enim liqueſcunt, *conflari* proprie dicuntur.

36. Quid

Digitized by Google

Non me feciſſe cauſa, ſed amoris. *Th.* Scio.
Et pol propterea mage nunc ignoſco tibi.
Non adeo inhumano ingenio ſum, Chaerea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, neſciam.
Ch. Te quoque jam, Thais, ita me Dî bene ament, amo.
Py. Tum pol tibi ab iſtoc, hera, cavendum intellego.
Ch. Non auſim. *Py.* Nihil tibi quidquam credo. *Th.* Deſinas.

Ch.

DONATI.

40. NUNC IGNOSCO TIBI.] Quod culpa non ſit hominis, ſed amoris.

41. NON ADEO INHUMANO INGENIO SUM, CHAEREA.] Hoc eſt, [23] immitis non ſum, quantum putas: ut,

[24] *Non obtuſa adeo geſtamus pectora Poeni.*

42. NEQUE TAM IMPERITA.] Id eſt, non experta. UT, QUID AMOR VALEAT, NESCIAM.] Non *inhumana*, quia homo. non IMPERITA, quia meretrix. Et NEQUE TAM IMPERITA inquit: quaſi dicat, *Neque tam pudica ſum, ut, quid amor valeat, neſciam.*

43. TE QUOQUE JAM, THAIS.] Bene QUOQUE: non enim jam hanc ita amat, ut negligat illam: ſed hanc illius cauſa.

44. POL TIBI AB ISTOC, HERA, CAVENDUM.] Facete. tanquam qui ſoleat capillum & veſtem ejus conſcindere, quam amaverit.

45. NON AUSIM.] Pro, *non audebo:* & eſt verbum hujus temporis tantum. NON AUSIM.] Utrum propter aetatem? an propter fratrem ſuum Phaedriam potius? NIHIL TIBI QUIDQUAM.] Παρέλκει quartum. aut NIHIL, pro *non*. DESINAS.] Pro eo quod eſt, *deſine:* an deeſt *fac:* ut ſit, *fac deſinas.*

OBSERV. IN DONAT.

23. *Immitis non ſum quantum putas.*] Lego, *Tam immitis non ſum, quam tu putas.*

24. *Non obtuſa*] Virgil. Aeneid. I. 567.

COMMENTARIUS.

36. QUID SI HOC QUISPIAM VOLUIT DEUS?] Ut ne de Cupidine intelligam, facit τὸ QUISPIAM. Videtur temerarius abuſus Providentiae Divinae. Sic Plautus Aul. IV. 10. 7. itidem de ſtupro virginis.

Deus impulſor mihi fuit, is me ad illam illexit.

Et verſu 12.

Deos credo voluiſſe.

Sed & quoties cauſas rei reddere neſcirent, rem divinitus accidiſſe dicebant. Horat. Carm. I. 33. 10.

Sic viſum Veneri.

Ovid. Metam. I. 366.

Sic viſum ſuperis.

Metam. XIII. 597. Virg. Aen. IV. 45. Homer. Iliad. A. 5.

Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Et Iliad. Γ. 164.

Οὔτι μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν.

Non tu, ſed Dii mihi auctores ſunt. Verba Priami ad Helenam. Citat Janus Gruterus in Scholiis Mſſ. Liban. Declam. XXII. Τὴν δὲ τοῦ Ἔρωτος δύναμιν, ὡς ἄμαχος ὁ Θεὸς, ὡς ἀνίκητος, ὡς πάντας αὐτῷ ποιῶν ἀσθενεστέρους, τίς ἀγνοεῖ;

42. NEQUE ITA IMPERITA.] Mſ. Lipſ. NEQUE IMPERITA. Alii: NEQUE TAM IMPERITA.

44. TUM POL TIBI AB ISTOC, HERA, CAVENDUM INTELLIGO.] Guyetus hic mire acutus eſt, legens contra fidem Codicum, TU POL TIBI AB ISTOC, HERA, CAVENDUM ATTENDITO. Addens pro ratione, τὸ INTELLIGO parum ad ſententiam facere. Scilicet non animadvertebat vir cetera ſagaciſſimus, in ſenſu latere illa, *Si te quoque jam amat Chaerea.* Certe poſt ea commode infertur TUM. Plaut. Rud. I. 3. 9.

Sed id ſi parate curavi ut caverem,

Tum.

Ch. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adjutrix ſies.
Ego me tuae commendo & committo fidei.
Te mihi patronam capio, Thais: te obſecro:
Emoriar, ſi non hanc uxorem duxero.
Th. Tamen ſi pater. *Ch.* Quid? ah! volet, certo ſcio:
Civis modo haec ſit. *Th.* Paululum opperirier
Si vis: jam frater ipſe hic aderit virginis:
Nutricem arceſſitum iit, quae illam aluit parvolam:
In cognoſcendo tute ipſe aderis, Chaerea.

Ch.

DONATI.

47. EGO ME TUAE COMMENDO ET COMMITTO FIDEI.] Satis amatorie, ut appareat nunc maxime captum Chaeream, ac mancipatum virgini. *Commendamus* nos cognitis: *Committimus* ignotis. Ergo αὔξησις eſt majoris officii, fideique circa Thaidem.

48. TE MIHI PATRONAM CUPIO.] TE adjectum, vim habet, & ex animo ſupplicantis habitum adoleſcentis oſtendit.

49. EMORIAR, SI NON HANC UXOREM DUXERO.] Vide amatorem adoleſcentulum, cui in ipſo flore nihil dulcius vita eſt, ipſam deſpicere, ſi ſibi uxor non datur.

50. TAMEN SI PATER.] Ἔλλειψις, aut *ἀποσιώπησις* ſecunda. QUID? AH! VOLET, CERTO SCIO.] QUID? deeſt *dicas*. Sed iſta omnia ad confirmationem valent.

51. CIVIS MODO HAEC SIT.] Mire hic in votum converſum eſt, quod timere potuit, non ducturus uxorem. PAULULUM OPPERIRIER SI VIS: JAM FRATER IPSE HIC ADERIT VIRGINIS.] Adeo cito probari poteſt.

COMMENTARIUS.

Tum *hoc mihi indecere, inique, immodeſte*
Datis, Di.

Mſ. Mark. TUM POL TIBI AB ISTO CHAEREA CAVENDUM INTELLIGO. Mſ. Lipſ. TUM POL AB ISTOC, ERA, CAVENDUM INTELLIGO.

46. NUNC EGO TE.] Mſ. Lipſ. IDEM NUNC EGO TE.

48. TE MIHI PATRONAM CAPIO.] Hic verſus Guyeto inſititius videtur, ſed praeter rationem; neque enim idem continet, quod proxime praecedens, magis quam iſte, NUNC EGO TE IN HAC RE MIHI ORO, UT ADJUTRIX SIES. Neque alienum eſt ab inique rogantibus idem pluribus verbis petere. Sed & utrumque jungitur infra Adelph. III. 5. 10. Cupit autem Chaerea Thaidem PATRONAM in concilianda ſibi Pamphila, non quaſi libertus ab ea e ſervo factus, quod Farnabius exiſtimat.

49. EMORIAR, SI NON HANC UXOREM DUXERO.] Ἐμφατικῶς EMORIAR dixit pro ſimplici MORIAR. Sic Heaut. V. 2. 18. Phaed. I. 6. 7.

Nunc, inquit, omnes unus exuris lacus,
Cogitque miſeras arida ſede emori.

Pomp. Mela II. 2. 25. *Alii redituras putant animas obeuntium; alii, etſi non redeant, non exſtingui tamen, ſed ad beatiora tranſire; alii*, emori *quidem, ſed id melius eſſe, quam vivere.* Senſus autem verborum Chaereae eſt, Nullam cauſam dico, quin aut mortem oppetam, aut uxorem ducam violatam virginem. Quarum rerum optio apud ſtupratam ingenuam erat. Meurſius Them. Att. I. 7. Cic. Fam. VII. 23. *Ne vivam, ſi tibi concedo.* Similes formulae ſunt, *me ille perdat Jupiter*; &, *ne valeam*; &, *diſpeream.*

50. TAMEN SI PATER.] Editio anni 1469. TAMEN SI PATER VELIT.

53. NUTRICEM ARCESSITUM.] Vide ſupra IV. 7. 37.

PARVOLAM.] Mſ. Lipſ. PARVAM.

54. IN COGNOSCENDO TUTE IPSE ADERIS, CHAEREA.] Haec dum dicit Thais, manifeſto conciliatricem agit. Mſ. Lipſ. IPSE HIC ADERIS.

59. CREDE HOC MEAE FIDEI.] Plaut. Amph. I. 1. 235. *tuae fidei credo?* ME. *Meae.*

60. DABIT HIC ALIQUAM PUGNAM DENUO.] Acu-

Ch. Ego vero maneo. *Th.* Vin' interea, dum is venit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante oſtium?
Ch. Immo percupio. *Py.* Quam tu rem actura, obſecro, es?
Th. Nam quid ita? *Py.* Rogitas? hunc tu in aedeis cogitas
Recipere poſthac? *Th.* Cur non? *Py.* Crede hoc meae fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. *Th.* Au, tace obſecro.
Py. Parum perſpexiſſe ejus videre audaciam.
Ch. Non faciam, Pythias. *Py.* Non pol credo, Chaerea,
Niſi ſi commiſſum non erit. *Ch.* Quin, Pythias,

Tu

DONATI.

55. EGO VERO MANEO.] Modo VERO conſentientis eſt adverbium: alias confirmantis: alias conjunctio: alias particula ironiam juvans: ut,

[25] *Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis*
Tuque puerque tuus.

56. DOMI OPPERIAMUR POTIUS, QUAM HIC ANTE OSTIUM?] Non ignara illecebrarum meretrix, non ſolum Chaeream retinet: verum etiam vocat, ubi virgo eſt. Et ſatis callide interrogat an velit: quaſi neſciat velle.

57. IMMO PERCUPIO.] Amatorie, non *Volo*: ſed PERCUPIO.

58. HUNC TU IN AEDES.] Pronomen in his plus valet, quam accuſatio. HUNC TU IN AEDES COGITAS?] Mire: cum illa jam velit, COGITAS dixit, [26] volens ut recogitet. IN AEDES COGITAS RECIPERE POSTHAC?] Per ancillae verba vult oſtendere, quam ſit tractandorum adoleſcentium perita Meretrix.

59. POSTHAC?] Poſt hoc factum, poſt hanc audaciam. CREDE HOC MEAE FIDEI.] Puellariter dixit, MEAE FIDEI.

60. DABIT HIC ALIQUAM PUGNAM DENUO.] Pro ſtupro: ut,

[27] *At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella.*

Et, [28] *Vereturque bella & ingens facinus.*

Et *Lucilius*,

Vicimus, ô ſocii, & magnam pugnavimu' pugnam.

DABIT, autem proprie pro inducet: ut,

[29] *magnam dabit ille ruinam.*

AU, TACE OBSECRO.] Au interjectio eſt perturbatae mulieris: ut apud Graecos *ἰώ*.

61. PARUM PERSPEXISSE EJUS VIDERE AUDACIAM.] PARUM *ἐπίτασις* eſt. Et non *Senſiſſe*, ſed PERSPEXISSE dixit: ut jam non ſit experienda illius audacia, quae ſit perfecte cognita.

62. NON FACIAM, PYTHIAS.] Bene & moraliter appoſitum. PYTHIAS. NON POL CREDO, CHAEREA, NISI SI COMMISSUM NON ERIT.] Jlocaliter, ut ille, PYTHIAS, dicit, ita haec, CHAEREA.

63. QUIN, PYTHIAS.] Iterum nomen vultuoſe eſt additum. QUIN, pro immo.

OBSERV. IN DONAT.

25. *Egregiam*] Virgil. Aeneid. IV. 93.
26. *Volens, ut recogitet.*] Lego: *volens, ut ne cogitet.*
27. *At non*] Virgil. Aeneid. XI. 736.
28. *Vereturque bella & ingens facinus.*] Edd. Venetae: *Feventi & ingens facinus.*
29. *Magnam dabit*] Τὸ *magnam* ex proxime praecedentibus repetitum. Locus eſt apud Virg. Aen. XII. 453.

dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis.

Quae poſteriora verba etiam ſunt in Edd. Venetis.

COMMENTARIUS.

Acutiores, quam par eſt, eſſe mihi videntur Interpretes, intelligentes PUGNAM de ſtupro. *Pugnam dat*, qui ciet turbas. Supra IV. 3. 11. Plaut. Capt. III. 4. 53.

profecto jam aliquid pugnae *edidit*. h. e. facinus aliquod audax patravit.

63. NISI SI COMMISSUM NON ERIT.] Ὀξύμωρον videtur. Senſus enim eſt, *Non credo, niſi*

Tu me ſervato. *Py*. Neque pol ſervandum tibi
Quidquam dare auſim, neque te ſervare: apage te.
Th. Adeſt optume ipſe frater. *Ch*. Perii hercle: obſecro,
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veſte videat. *Th*. Quamobrem tandem? an quia pudet?
Ch. Id ipſum. *Py*. Id ipſum? virgo vero! *Th*. I prae, ſequor.
Tu iſtic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

DONATI.

64. NEQUE POL SERVANDUM TIBI QUIDQUAM DARE AUSIM.] Totum garrule & geſticuloſe, ut puellam cum adoleſcentulo fabulari videas.

66. ADEST OPTUME IPSE FRATER.] OPTUME, opportune. Et non eſt additum, cujus frater: utpote in re manifeſta.

67. NOLO ME IN VIA CUM HAC VESTE VIDEAT.] Subtiliter adoleſcens, quia nihil profecerat, dicendo, PERCUPIO; invenit cauſam, qua tandem ingredi poſſit.

68. QUAMOBREM TANDEM?] Pro *tamen*. Interrogatio haec increpationem continet impudentiſſimi facti. AN QUIA PUDET?] Haec interrogatio irriſionis plena eſt, in eum quem nihil pudet.

69. ID IPSUM?] Hoc veluti moleſto vultu dicitur: adeo ut imitetur dictum, vultumque ejus Pythias. VIRGO VERO!] VERO *εἰρωνικῶς*: nam *εἰρωνεία* eſt. Ut, [30] *Egregiam vero laudem!* VIRGO.] Quaſi qui minime pudicitiae ſtatum ac verecundiae virginalis veneretur. I PRAE, SEQUOR.] Manifeſtum eſt, cur meretrix docta capiendorum juvenum, praeire velit Chaeream, & in conſequendo ipſa ſit tardior. Vult enim liberum ſine arbitris cum puella eſſe colloquium, & licitum amorem. Niſi forte putamus *Terentium* haec ſine cauſa feciſſe, qui ſit artificioſiſſimus Poëta. Nam neque ipſa ingreditur cum Chaerea, neque ingredi ſimul permittit [31] Phaedriam.

70. TU ISTIC MANE, UT CHREMEM INTRODUCAS.] Relicta eſt Pythias ob multas cauſas: & in primis, ut poſſit per eam deluſus Parmeno pavore ſuo ſenem compellere, ingredi ad meretricem, & praeſentem fieri ad confirmandas nuptias.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Egregiam*] Virgil. Aeneid. IV. 93.
31. *Phaedriam*] Omnino legendum, *Pythiam*. quomodo & editiones Venetae, Tarviſiana, Argentina, exhibent. Unde & mox Donatus: *Relicta eſt Pythias, ob multas cauſas.*

COMMENTARIUS.

niſi tum, ſi tibi commiſſum non erit quidquam: Sic Fabrini vertit: *Io non te lo credo, Cherea, eccetto che ſe non ti ſarà commeſſo.* Anteſignanus: *Si n'eſt, qu'on ne vous baille rien en garde.* Mſ. Lipſ. COMMISSUM NON FUERIT.

69. VIRGO VERO!] Stomachoſe haec dicta. Cic. Att. IX. 19. *Etſi hic quidem timoris cauſa;* Ille vero? *Sed ſtomachari deſinamus.* Faernus & Dacieria, praeeunte Donato, *εἰρωνικῶς* in Chaeream dictum accipiunt. q. d. Eja vero! credas, virginem eſſe, cui vel minima turpitudo ſit dedecori. Editi vetuſtiſſimi: VIRGO VERO VITIATA.

SEQUOR.] Mſſ. pluſculi, SEQUAR. And. I. 1. 144.

ACTUS

ACTUS QUINTI

SCENA TERTIA.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

QUID? quid venire in mentem nunc poſſit mihi?
Quidnam? qui referam illi ſacrilego gratiam,
Qui hunc ſuppoſuit nobis? *Ch.* Move vero ocius
Te, nutrix. *So.* Moveo. *Ch.* Video, ſed nihil promoves.
Py. Jamne oſtendiſti ſigna nutrici? *Ch.* Omnia.
Py. Amabo! quid ait? cognoſcitne? *Ch.* Ac memoriter.
Py.

DONATI.

1. QUID? QUID VENIRE IN MENTEM.] *In hoc loco cogitantis diſputatio eſt apud ſe ipſam Pythiae, quatenus Parmenonem dolo poſſit ulciſci.*

2. QUIDNAM?] Sic [1] *Cicero, Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum eſſe dicebant.* QUI REFERAM.] QUI, quomodo, vel ut.

3. QUI HUNC SUPPOSUIT NOBIS.] Proprie SUPPOSUIT. Nam ut *ſubduci* dicuntur, quae nolumus amittere, ita *ſupponi* quae non deſideramus. Sic [2] *Plautus,*

Ei pro ſcorto ſupponetur hircus unctus nautea.

MOVE VERO OCIUS TE, NUTRIX.] VERO pro interjectione poſuit ſtomachantis.

4. VIDEO, SED NIHIL PROMOVES.] Hinc eſt illud [3] *Virgilianum,*

Illa gradum celerans ſtudio properabat anili.

Scilicet non re celerabat, ſed ſtudio. PROMOVES.] Proficis.

6. AMABO! QUID AIT? COGNOSCITNE?] Exhibitum ſpectatori eſt, quid poſt ſcenam geratur,

OBSERV. IN DONAT.

1. *Cicero*] Verr. IV. 3.
2. *Plautus*] Caſina, Grex verſu 7.
3. *Virgilianum*] Aeneid. IV. 641. ubi nunc legitur: *Sic ait. illa gradum ſtudio celerabat anili.*

COMMENTARIUS.

3. SUPPOSUIT.] Sic Prol. 39. Vide ad Heaut. V. 3. 12.

MOVE VERO OCIUS TE, NUTRIX.] Plaut. Aul. I. 1. 10.

Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.

Menaechm. V. 3. 12.

movet formicinum gradum.

Adde Merc. IV. 1. 4. ſeqq. Trin. III. 3. 73. Theocr. Idyll. XV. 29.

Κινεῦ δὴ, φέρε θᾶσσον ὕδωρ· ὕδατος πρότερον δεῖ.

Move vero, fer aquam: aqua prius opus eſt.

6. AC MEMORITER.] Guyetus, AC ME NOVERIT. Mſ. Pal. AC ME NORIT. Praeſtat lectio vulgata. Plaut. Aſin. III. 2. 38.

Ut memoriter *me Sauream vocabat atrienſem!*

Captiv. II. 1. 52.

hem! iſtuc ſi potes

Py. Bene, aedepol, narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro: jamdudum hera vos exſpectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video. vide ut otioſus it, ſi Dîs placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum ſciam:
Poſt exibo, atque hunc perterrebo ſacrilegum.

DONATI.

tur, id eſt, agnitio puellae. Ac memoriter.] Plus intulit quam interrogabatur: nam * magna ſunt ſigna, in quibus anilia memoria non erat. Ac memoriter.] Reſponſionis brevitas attulit compendium perquirenti, ne plura interrogaret.

7. Nam illi faveo virgini.] Quaſi dicat, illi faveo, non Chaereae. Et ſimul cauſa eſt, cur illum ulciſci cupiat: quia ſcilicet multum illi favet.

9. Virum bonum.] *Eiρωνεία*. Eccum Parmenonem incedere video.] Res odio dignior, novitate ſcilicet inceſſus.

10. Vide ut otiosus it.] Invidet illi ſecuritatem, quem ſollicitum reddítura eſt: non enim ulla alia erit vindicta poſt, praeter iſtam. Vide, ut otiosus it.] Vultu dicit, & geſtu, eum eſſe ſecurum. Et mire Poëta laetum deſcribit, ut repente oſtendat eſſe commotum. Si Dis placat!] Proprium eſt exclamantis propter indignitatem alicujus rei.

11. Spero me habere.] Pro *habituram*. aut, spero pro *credo*, more ſuo. Meo modo.] Id eſt, ut volo.

12. Ibo intro, de cognitione ut certum sciam.] Eleganter, † defatigare Parmenonem, non neceſſarium putat, ſed ex occaſione. Nam * poſt eum dicit ſe ire intro: exitura autem, ut ipſum in timorem conjiciat.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Magna*] Quia vero Sophrona nutrix memoriter cognoſcere ſigna dicitur, ſuſpicabar ſcripſiſſe Donatum: *Magna ſunt ſigna, in quibus anilis memoria non errat.*

5. *Defatigare*] Mſ. Hulſt. *Interrogare.* unde conjiciebam, legendum eſſe, *interturbare.* Sub. placide incedentem & otiosum.

6. *Poſt eum*] Editio Argentina: *Prius dicit ſe ire intro.* Melius.

COMMENTARIUS.

Memoriter meminiſſe, *ineſt ſpes nobis in hac aſtutia.*

Non. Marcell. cap. XI. v. memore: *Sed ne cum iſta haec* memore meminiſti, *indica, qui illud aurum abſtuleris. Non didici hariolari gratis.* And. IV. 3. 8. *Exprompta memoria* dicitur. Nonio autem *memore* valet memoriter. Simile memoriae exemplum in nutrice eſt Heaut. IV. 1. 3.

9. Incedere.] Eſt otioſe & cum dignitate quadam ambulantium. Virg. Aen. I. 46.

Aſt ego, quae Divum incedo regina, Joviſque Et ſoror, & conjux.

10. Ut otiosus it.] Sunt veteres impreſſi & manu exarati Libri, in quibus eſt, ut otiosus sit. Ita Mſ. Lipſ. & quinque Leidenſes, cum omnibus Mſſ. Boecleri, & edit. anni 1469. Praeſtat autem it, quia incedere praeceſſit. Guyetus in Scholiis Mſſ. Hiſpanos id vocare ait, *andar con ſoſſiego.*

Si Dis placet.] De frequentiſſimo hujus dicti uſu vide ad Adelph. III. 5. 30.

11. Meo modo.] Vide ad And. I. 1. 126.

12. De cognitione.] Nihil frequentius in Comoedia, quam de liberis ſuppoſitis & expoſitis, cognitio, & agnitio. Vid. Lindenbr.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA QUARTA.

PARMENO. PYTHIAS.

Pa. REVISO, quidnam Chaerea hic rerum gerat.
Quod ſi aſtu rem tractavit, Dî voſtram fidem!
Quantam, & quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, &
Cariſſimum ab meretrice avara: virginem
Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia,

Sine

DONATI.

1. REVISO, QUIDNAM CHAEREA HIC RERUM GERAT. QUOD SI ASTU REM TRACTAVIT.] ASTU, Pro *aſtute*, modo adverbium eſt. alias nomen: ut, *An in Aſtu venit?*

2. DÎ VOSTRAM FIDEM!] Modo non invocantis eſt, ſed admirantis, & eſt figura ἐπιμονὴ per ἐκφώνησιν facta.

4. NAM UT MITTAM, QUOD EI AMOREM DIFFICILLIMUM, ET CARISSIMUM.] Quum dicere deberet, *quod ei amorem & difficillimum & cariſſimum confeci:* primo quaſi oblitus dicti ſuperioris, tranſit ad virginem: deinde addit cauſam ex abundanti. Quod ſi dixiſſet, AMOREM CONFECI: poſſet intelligi CONFECI, expedivi, perfeci. At vero VIRGINEM CONFECI, quid intelligemus, niſi hoc unum, quod inſultat Parmeno confectam virginem: quaſi dicat ſuperatam atque devictam? Nam proprie hoc verbum convenit gladiatoribus iis, qui graviſſimis vulneribus occubuerunt. Sic [1] *Cicero* in Catilinam, *Gladiatori illi confecto & ſaucio.* Convenit ergo ſervilibus verbis, & velut jocoſe verniliterque jactanti, rem confectam eſſe in puella virgine, & non exhibere Chaereae damnum vel negotium.

5. AB MERETRICE AVARA: VIRGINEM QUAM AMA-

OBSERV. IN DONAT.

1. *Cicero in Catilinam*] II. 11.

COMMENTARIUS.

5. AVARA.] Mſ. Mark. addit, SURRIPUI. quod & Rivius a ſe inventum merito gloſſam vocat.

6. EAM CONFECI SINE MOLESTIA.] Non audiendus Donatus ſcribens ad gladiatores reſpici, & virginem intelligi adeo devictam, ut graviſſimo vulnere occubuerit. Senſus enim eſt, *feci ut potiretur virgine, quam amabat.* Nec video, qui Guyetus τὸ CONFECI explicans per *devici, ſuperavi*, Boeclero dici queat cordatius explicuiſſe Donato. Eſt porro emphaſis in τῷ CONFECI, amplius quid ſonante, quam *effeci*. Id igitur vult, *effeci ei virginem ſuo modo fruendam.* Plaut. Pſeud. I. 1. 110.

Satin eſt, ſi hanc hodie mulierem efficio *tibi*,
Tua ut ſit?

Cic.

Sine ſumptu, ſine diſpendio. tum hoc alterum,
Id vero eſt, quod ego mihi puto palmarium,
Me repperiſſe, quo modo adoleſcentulus
Meretricum ingenia & mores poſſet noſcere:
Mature ut quum cognorit, perpetuo oderit.

Quae

DONATI.

amabat.] Ἀποσιώπησις ſecunda. • Difficillimum, quia virginem quam amabat: Cariſſimum, quia a meretrice avara.

8. Id vero est.] Vero, niſi ornativum eſſet, nihil ſignificaret. Palmariom.] Palma dignum.

10. Meretricum ingenia.] Optime, non *meretricis* dixit, ſed potius Maretricum.

11. Mature.] Cito & ante tempus. Ut cum cognorit.] Suaviter non *Noverit*, ſed Cognorit, dixit: quod eſt plenae perſpicaciae. Mature ut cum cognorit.] Bene addidit Matura. Fere enim ꞉ cito cognoviſſe obfuit: • ſed id ad illecebram fuit quod * cognitus eſt cito.

OBSERV. IN DONAT.

2. Difficillimum, *quia virginem*] Abr. Wielingius legit: Difficillimum, *quia a meretrice avara.* Cariſſimum, *quia virginem, quam amabat.*

3. *Cito cognoviſſe*] Edd. Venetae non agnoſcunt τὸ *cito.*

4. *Sed id ad illecebram fuit, quod * cognitus eſt cito.*] Lego: *Et ad illecebram fuit, quod cognovit cito.* Loquitur Donatus ex ſua, non ex Parmenonis mente. In Mſ. Hulſt. nullum eſt lacunae indicium; ſed neque in Codd. Venetis. Primus, opinor, Rob. Stephanus ita expreſſit. Abr. Wielingio, *cognitus eſt* active ſumitur, legenti: *Sero enim cognoviſſe obfuit: ſed ad illecebram fuit, quod cognitus eſt cito.*

COMMENTARIUS.

Cic. Manil. 10. de Cn. Pompejo: *plures provincias* confecit, *quam alii concupiverunt.* In pluſculis Mſſ. eſt, confeci ut potiretur, ex gloſſa ſcilicet, obſervante Rivio.

8. Palmarium.] Palma dignum, atque adeo praecipuum ἀξιόνικον. Heaut. IV. 3. 31. Phorm. Prol. 17. Plaut. Amph. Prol. 69. Gell. III. 6.

10. Meratricum.] Hic verſus levi transpoſitione fiet hexameter, ſi legas: Ingania et mores meretricum noscere posset.

12. Mundius.] Proprie de mulieribus. Plaut. Menaechm. II. 3. 4.

Munditia *illecebra animo eſt amantum.*

Horat. Carm. I. 5. 5.

Simplex munditiis.

Lucret. Lib. IV. 1275.

Nam facit ipſa ſuis interdum femina factis,
Morigeriſque modis, & mundo corpori cultu,
Ut facile inſueſcat ſecum vir degere vitam.

Ubi vide Lambinum. Quem vero *mundum muliebrem* vocat Phaedrus IV. 4. 21. ea *mala res muliebris* dicitur Heaut. II. 3. 48. Quod vero Rigaltius ad Phaed. loc. cit. differentiam obſervat inter *veſtem muliebrem*, *mundum muliebrem*, & *ornamenta muliebria*, ex l. 25. D. de auro, arg. mund. aliter effertur 1. Petr. III. 3. ubi de mulieribus: Ὧν ἔσω οὐχ' ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων, ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος.

13. Compositum.] Formatum ad venuſtatem. Proprie *componi* res dicitur, quae in juſtum & decorum ordinem redigitur. Tum forma & vultus dicitur *componi* in quandam elegantiam. Tac. Annal. IV. 1. *palam* compoſitus *pudor*. Hinc etiam de dolis & conſiliis initis ad fallendum ſpecie boni. Phorm. V. 1. 29.

14. Quae, cum amatore suo quum coenant, liguriunt.] Supra II. 2. 4. Adelph. IV. 2. 51. Non audiendus Guyetus, verſum hunc in Morboniam ablegans. Agnoſcit Donatus, agnoſcunt Codices Mſſ. Et ſi oppoſitionis legem conſideres, appoſitiſſimus eſt. Quae enim foris dicuntur *mundae*, *compoſitae*, *elegantes*, eaedem domi *ſordidae*; rurſus, quae cum amatore coenantes dicuntur *ligurire*, hae ſolae ſine amatore *avidae cibi ex jure heſterno panem atrum vorare* dicuntur. Certe enim τὸ solae oppoſitum τοῖς cum amatore. Eſt vero *Ligurire*

Digitized by Google

Quae dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans.
Quae, cum amatore ſuo quum coenant, liguriunt,
Harum videre ingluviem, ſordes, inopiam:
Quam inhoneſtae ſolae ſint domi, atque avidae cibi:

Quo

DONATI.

12. QUAE DUM FORIS SUNT.] Apud amantes ſcilicet. NIHIL VIDETUR MUNDIUS] Bene VIDETUR: non enim ſunt.

13. NEC MAGIS COMPOSITUM QUIDQUAM.] Bona varietas. Nam haec omnia per MAGIS adverbium profert: ' nec omnia per comparativum gradum. NEC MAGIS ELEGANS.] More ſuo, ne diceret compoſitius aut elegantius: ut ſupra, *Hoc nemo fuit minus ineptus, magis ſeverus.*

14. QUAE, CUM AMATORE SUO QUUM COENANT.] Unum CUM, praepoſitio eſt: alterum conjunctio. Et dicitur haec figura λιπτότης. LIGURIUNT.] Α'πὸ τῦ λιγυρῦ quod ſecundum Graecos *ſuave* intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter & more ſenum multo faſtidio ſuaviora quaeque deguſtat.

15. HARUM VIDERE INGLUVIEM.] Ordo erat, HARUM VIDERE INGLUVIEM, SORDES, INOPIAM, QUAM INHONESTAE SOLAE SINT DOMI: id eſt, cum ſolae ſint, ut inhoneſtae, atque avidae cibi: quae quum foris ſunt, coenant ſcilicet.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Nec omnia per comparativum gradum.*] Corrupta lectio. Integram notam ita ordinaverim: NEC MAGIS COMPOSITUM QUIDQUAM. *Bona varietas. Nam haec omnia per* MAGIS *adverbium profert.* NEC MAGIS COMPOSITUM QUIDQUAM, NEC MAGIS ELEGANS. *Haec omnia per comparativum gradum, more ſuo, ne diceret*, COMPOSITIUS AUT ELEGANTIUS. *Ut ſupra*, HOC NEMO FUIT MINUS INEPTUS, MAGIS SEVERUS.

COMMENTARIUS.

gurire carptim & quaſi faſtidioſe cibum capere. Gr. λιχνεύειν. Apulej. Metam. 10. *Partes opimas quaſque devorabam, & rancidiora ſeligens*, abliguriebam *dulcia*. Horat. Sat. I. 3. 80.

Si quis eum ſervum, patinam qui tollere juſſus,
Semeſos piſces, tepidamque ligurrierit *jus,*
In cruce ſuffigat.

Eleganter idem *ligurire* illud expreſſit Sat. II. 6. 86.

cupiens variâ faſtidia coena
Vincere, tangentis male ſingula dente ſuperbo.

Varro de R. R. III. 16. de apibus: *Non ut muſcae* liguriunt, *quod nemo has videt, ut illas in carne aut ſanguine, aut adipe. Ideo modo conſidunt, in quo eſt ſapor dulcis.* Malim, *in eo modo conſidunt*. Ubi P. Victorius annotat: *Duo rr hoc verbum habere in optimis exemplaribus & hic, & apud Terentium obſervavi in Eunucho*, QUAE CUM AMATORE SUO CUM COENANT, LIGURRIUNT. LIGURRIUNT *enim, floſculos epularum carpunt, & delicatiores dapes ſtudioſe ſectantur. Quem ſenſum in Adelphis aliis verbis expreſſit*, ATQUE UNUM QUOD QUIDEM ERIT BELLISSIMUM, CARPAM. Sed & pluſculi Mſſ. habent LIGURRIUNT. In aliis eſt: QUAE CUM AMATORES SUOS VOCANT, LIGURIUNT. Hinc ad alia transfertur. Cic. Fam. XI. 21. *Cum quidam de collegis noſtris agrariam curationem* ligurrirent; *diſturbavi rem.* Idem Verr. III. 76. *Non reperietis hominem timide, nec leviter haec improbiſſima lucra* ligurientem. devorare *omnem pecuniam publicam non dubitavit.* Exemplum *ligurrientis* meretricis eſt in Plauti Bacchidibus, & Heaut. III. 1. 48. ſeqq. Lucian. in Crobylo.

15. INGLUVIEM.] Ita praeſtantiſſimae editiones, Rob. Stephani, Aldi, Juntarum, aliaeque vetuſtiores, etiam anni 1469. cum Mſſ. plurimis. Faërnus tamen tuetur ILLUVIEM. In Mſ. Lipſ. eſt INLUVIEM. Ita & duo Mſſ. Leidenſes, & fuit in tertio, unde poſtea formatum *igluviem*. Duo diſerte, ILLUVIEM: Sic Heaut. II. 3. 54. Gr. ἀλουσία. Vide autem, an non idem ſit *illuvies* cum ſordibus. Tum verſus hic explicatur verſu proxime ſequente; eſt enim *ingluvies* aviditas cibi. ſunt ſordes, dum inhoneſtae

Digitized by Google

Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent:
Noſſe omnia haec, ſalus eſt adoleſcentulis.
Py. Ego pol te pro iſtis dictis & factis, ſcelus,
Ulciſcar: ut ne impune in nos illuſeris.

DONATI.

17. Quo pacto ex jure.] Ex pro *cum* poſitum eſt. aut deeſt *madidum*, aut *maceratum*, aut *emollitum*. nam apparet & ſordidum eſſe, & quaſi atrum durumque panem, qui ex jure heſterno fit comedendus. Cui contrarium * *Salluſtius* poſuit, de deliciis militum loquens, *Panes enim in dies mercari*, inquit. Ex jure hesterno panem atrum vorent.] Hoc eſt, ut quidam volunt, ex antiquitate mucidum: quaſi dicat, panem mucidum heſterno jure, accipientes deglutiunt.

19. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar.] Miro artificio Poëtae, & ab initio non placatur Pythias, nec in gratiam redit Chaereae. Et inſuper nunc mire a Parmenone irritatur magis: ut per eam Parmeno terreatur, & per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur Senex: & demum per Senem nuptiae confirmentur. Haec ergo artificibus & eruditis, caetera ſpectatoribus Poëta exhibet.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Salluſtius*] Jug. 44. Ubi τὸ *enim* non legitur. Sed & Valla, teſte Rivio, *in diem*, legebat. quaſi id voluerit Salluſtius, milites Romanos ante Metelli adventum in Numidiam praeſentis tantum diei habuiſſe rationem, nec de craſtino fuiſſe ſollicitos.

COMMENTARIUS.

neſtae ſolae ſunt domi; eſt denique inopia, cum ex jure heſterno panem atrum vorant. Cic. Att. IX. 10. *Sicut in τοῖς ἱερατικοῖς alienant immundae, inſulſae, indecorae.* Anteſignanus ingluviem *la gourmandiſe*, Fabrini *goloſità* reddunt.

17. Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent.] Is Graecis eſt μέλας ἄρτος, Germanis *ſchwartz brodt.* Dixit autem panem ex jure, phraſi Medica. Plaut. Merc. I. 2. 28.

Reſinam ex melle Aegyptiam vorato, ſalvom feceris.

Celſus III. 19. *Intritum ex vino.* Sed & generatim in rebus, quae miſcentur, *ex* valet *cum.* Varro R. R. III. 10. *Pullis apponitur naſturtium ex aqua.* Homer. Odyſſ. XIX. 536.

Χῆνές μοι κατ' οἶκον ἐείκοσι πυρὸν ἔδουσιν
Ἐξ ὕδατος.

Anſeres mihi viginti in domo triticum edunt
Ex aqua.

Sic κρέας ἐκ ζωμοῦ *caro juſculenta*, Linacer cum jure legit. Eandem porro inopiam deſignat Argyrippus ille Plautinus, Aſin. I. 2. 16.

Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.
Atque ea ſi erant, magnas habebas omnibus Dis gratias.

Ubi vide Taubmannum. Idem Pſeud. III. 2. 25. *Atrum olus* tribuit coenis pauperculorum. Cic. Tuſc. V. 34. *Quid? victum Lacedaemoniorum in Philitiis nonne videmus? ubi cum tyrannus coenaviſſet Dionyſius, negavit ſe jure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum.* Juvenal. Sat. V. 11.

ſordes farris mordere canini.

Qualem *furfuribus conſperſum panem* vocat Phaedrus IV. 17. 4.

18. Adolescentulis.] Mallet Guyetus in Scholiis Mſſ. Adolescentuli. ut ad ſolum Chaeream referatur. quomodo ſupra Adolescentulus dixit.

19. Pol te pro istis dictis.] Mſ. Lipſ. Pol pro istis te dictis. Plaut. Amph. I. 1. 129.

Ego pol te iſtis tuis pro dictis, & malefactis, furcifer,
Accipiam.

20. Ulciscar.] Mallet Guyetus in Scholiis Mſſ. Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris?

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI
SCENA QUINTA.

PYTHIAS. PARMENO.

Py. PRoh fidem Deûm! facinus foedum! o infelicem adoleſcentulum!
O ſceleſtum Parmenonem! qui iſtum huc adduxit. *Pa.* Quid eſt?
Py. Miſeret me: itaque, ut ne viderem, miſera huc effugi foras,
Quae futura exempla dicunt in eum indigna? *Pa.* O Juppiter!
Quae

DONATI.

1. PROH FIDEM DEÛM!] *Vim magnam oſtendit, Deorum implorans fidem: quaſi in hoc negotio nihil poſſit humanum conſilium.* PROH FIDEM DEÛM!] Simulata perturbatione ſui, Parmenonem terret Pythias. PROH FIDEM DEÛM!] Haec ſingula pronuncianda ſunt pavido & attonito vultu. FOEDUM!] Crudele. [1] *Salluſtius, Foedi oculi.* O INFELICEM ADOLESCENTULUM!] [2] Plus eſt miſeriam adoleſcentis dicere Pythiam, quam iraſci ei.

2. O SCELESTUM PARMENONEM!] Ut verba ſunt, periit miſer adoleſcens, quum in eodem peccato iraſcitur Parmenoni Pythias, non Chaereae.

3. MISERET ME.] Haec omnia quaſi ſecum loquitur: & fingit ſe neſcire, quod aſſiſtat Parmeno.

4. QUAE FUTURA EXEMPLA DICUNT IN EUM INDIGNA?] Graves poenae, quae poſſunt caeteris documento eſſe, EXEMPLA dicuntur. IN EUM INDIGNA?] Modo per INDIGNA, foeda, crudeliaque ſignificat. Ut [3] *Virgilius,*

atque illi Miſenum in littore ſicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Salluſtius* Catil. 15.
2. *Plus eſt*] Lectio ſuſpecta. Mſ. Hulſt. *Plus eſt, miſereri jam adoleſcentis Pythiam, quam iraſci.* Abr. Wielingius ex conjectura: *Plus eſt miſerum adoleſcentem dicere Pythiam, quam iraſci ei.* Vid. ad verſ. ſeq. & 11.
3. *Virgilius*] Aeneid. VI. 162.

COMMENTARIUS.

1. FACINUS FOEDUM!] Crudele, ſaevum. Ovid. Metam. I. 165.

Foeda *Lycaoniae referens convivia menſae.*

Virgil. II. 55.

Impulerat ferro Argolicas foedare *latebras.*

Ubi Servius: Foedare, *dilacerare. Nam* foedum *tam apud hunc, quam apud Salluſtium non* turpe, *ſed* crudele *ſignificat.* Verba Salluſtii laudat Donatus.

4. QUAE FUTURA EXEMPLA DICUNT IN EUM INDIGNA?] Mſ. Lipſ. DIGNA. Infra V. 7. 21. Phorm. IV. 4. 7. Plaut. Moſtell. V. 1. 67.

Exempla *aedepol faciam ego in te.*

Cl. Perizonius ad Sanct. Min. IV. 11. n. 3. conjunctim legit: ITAQUE UT NE VIDEREM, MISERA HUC EFFUGI FORAS, QUAE FUTURA EXEMPLA DICUNT IN EUM INDIGNA. Ut ſenſus ſit, ſublata Synchyſi: *Itaque miſera huc effugi foras, ut ne viderem exempla indigna, quae dicunt in eum futura.* Cujus ego auctoritate motus maximam diſtinctionem ſuſtuli poſt FORAS. Donatus recte explicat EXEMPLA graves poenas, quae caeteris

Digitized by Google

Quae illaec turba 'ſt? numnam ego perii? adibo. quid iſtuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? *Py*. Rogitas, audaciſſime?
Perdidiſti iſtum, quem adduxti pro Eunucho adoleſcentulum,
Dum ſtudes dare verba nobis. *Pa*. Quid ita? aut quid factum 'ſt? cedo.
Py. Dicam: virginem iſtam, Thaidi, quae hodie dono data 'ſt,
Scis eam hinc civem eſſe; & fratrem ejus eſſe apprime nobilem?
Pa. Neſcio. *Py*. Atqui ſic inventa 'ſt. eam iſte vitiavit miſer.
Ille

DONATI.

5. Quae illic turba 'st?] ¹ Quae loquitur: aut quam oſtentat ex vultu ac dictis. Sed apparet, vultum Pythiae *turbam* dicere. Ut in Andria, *Sed quid Pamphilum exanimatum video? Vereor quid fiet. Operiar, ut ſciam nunc, quidnam haec turba mihi triſtitiae adferat.*

6. Rogitas, audaciſſime?] Totum hoc terribile eſt in geſtu ac vultu Pythiae, & nimis uſitatum & femineum.

7. Perdidiſti iſtum, quem adduxti.] Artificioſe non accuſat, quid peccaverit adverſus Thaidem, quaſi ex poena adoleſcentis plus doleat, quam iraſcatur Parmenoni.

8. Dum ſtudes dare verba nobis.] Bene, Studes dare: neque enim dediſti. Quid ita?] Deeſt *dicis*: ut ſit, *Quid ita dicis?*

10. Scis eam hinc civem eſſe.] Eam abundat: quemadmodum ſupra, *Quam amabat virginem, eam confeci ſine moleſtia.* Et fratrem ejus apprime nobilem?] Haec ad terrorem & gratiam aucta ſunt. Nam primo *Virginem* poſuit, poſt *Civem*, ad ultimum *nobilis Sororem.*

11. Neſcio.] ² Perturbatur Parmeno: nec negare potuit, nec conſentire volebat: ſed quaſi defenſionis loco dixit, neſcio. Atqui ſic inventa 'st.] Facile eſt ut credat, qui dicit neſcio. Ergo Pythias non laborat, ut ſuadeat civem eſſe. Atqui ſic inventa 'st.] Magnum horrorem incutit audienti, non accuſando, ſed miſerando Chaeream.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Quae loquitur.*] Mſ. Hulſt. *An, quam loquitur? an, quam oſtentat ex vultu?* Rectius.

5. *Perturbatur.*] Lego ex Codd. Venetis: *Perturbatus Parmeno nec negare potuit, nec conſentire voluit.*

COMMENTARIUS.

teris documento ſunt. Gr. παράδειγμα. quod quemadmodum differat a νουθεσίᾳ & τιμωρίᾳ, docet Gellius VI. 14. Vide Phorm. IV. 4. 7.

12. Frater violentiſſimus.] Violentia iis tribuitur, qui iram cohibere nequeunt. Ovid. Amor. III. 1. 11.

Venit & ingenti violenta *Tragoedia paſſu.*

Suet. Caeſ. 35. *Ne quandoque* violentiorem *praeſidem nacta novarum rerum materia eſſet.*

13. Miſeris modis.] Mſ. Lipſ. Miſeris nodis. Sed eraſa prima parte τῦ m.

14. Py. Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide. Pa. Quid ais?] Haec abſunt a Mſ. Lipſ. In editione anni 1469. eſt, Atque equidem fecit orante.

15. Seſe id.] Mſ. Lipſ. Seſe id facturum.

Quod moechis ſolet.] His ἐπαυτοφώρῳ deprehenſis virilia amputabantur. Quo reſpexit Plau-

Digitized by Google

Ille ubi hoc reſcivit factum, frater violentiſſimus.

Pa. Quidnam fecit? *Py.* Colligavit primum eum miſeris modis. *Pa.* Hem!

Colligavit? *Py.* Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.

Pa. Quid ais? *Py.* Nunc minatur porro, ſeſe id, quod moechis ſolet:

Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. *Pa.* Qua audacia

Tantum facinus audet? *Py.* Quid ita tantum? *Pa.* An non tibi hoc maximum eſt?

Quis

DONATI.

12. FRATER VIOLENTISSIMUS.] ‹ Hoc inventum eſt, quod daretur ad nobilem.

13. COLLIGAVIT PRIMUM EUM.] Mira tarditas, ad torquendum Parmenonem: ſimul etiam relictus ad ſuccurrendum locus.

14. ATQUE EQUIDEM ORANTE, UT NE ID FACERET, THAIDE.] Adeo VIOLENTISSIMUS. Et recte hoc additum, ne ſperet auxilium a Thaide.

15. NUNC MINATUR.] MINATUR, ut ſuccurri poſſit ei, qui non ſit paſſus. MINATUR PORRO, SESE.] Deeſt *facturum*. QUOD MOECHIS SOLET.] Deeſt *fieri*.

17. QUID ITA TANTUM?] › Nimis callide Pythias hunc dicit violentum: & tamen injuſtum, audacemque dici non patitur, ſed defendit, ut magis terreat Parmenonem.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Hoc inventum eſt, quod daretur ad nobilem.*] Lectio corruptiſſima. Reſtituo ex conjectura: *Hoc inventum eſt, quo declaretur* APPRIME NOBILEM. Supra verſu 10. vel, AUEO NOBILEM, ex I. 2. 124. Mallet tamen Abr. Wielingius: *Quod daretur ad noxam.* Vid. Caj. in L. 1. D. de noxal. act.

7. *Nimis callide.*] Edd. veteres: *Minus callide.*

COMMENTARIUS.

Plautus Poen. IV. 2. 40.

Facio, quod manifeſto moechi haud fermo ſolent.
Mi. *Quid id eſt?* Sy. *Refero vaſa ſalva.*

Eodem ſenſu Paulus Apoſtolus 1. Theſſ. IV. 4. praecipit cuivis *τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ.* Quod paullo ante dixerat, *ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας.* Plaut. Mil. V. verſu 4. apertius tangit moechorum ſupplicium.

Vide, ut illic tibi ſit acutus, Cario, culter probe.
Ca. *Quin jam dudum geſtit moecho hoc abdomen adimere;*
Ut faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.

Plures moechorum poenas Athenis a Dracone & Solone Legiſlatoribus conſtitutas collegit Meurſius Them. Att. I. 4. in quibus & Mors erat. Menander:

Οὐκ ἔστι μοιχοῦ πρᾶγμα τιμιώτερον,
Θανάτῳ γὰρ ἐστιν ὤνιον.

Citat Stobaeus Flor. Tit. VI. *ἐκ τῆς Ὀργῆς.* Sed & indemnatos, ubi deprehenſi eſſent, a privatis ad ſupplicium trahi fas erat. Meurſius loc. cit. Vide porro Lindenbruchium, Boeclerum & Farnabium ad h. l. ſed & Weitzium, & Interpretes ad Ariſtoph. Nub. 1079. ſeqq. Lucian. Peregrin. Parei Electa Plaut. Tit. Adulterii.

16. QUOD EGO NUNQUAM VIDI FIERI.] Videtur innuere corruptos civitatis mores, uſque adeo, ut non amplius punirentur moechi.

NEQUE VELIM.] An prae verecundia, an quod ita rarus eſſet quaeſtus meretricius?

17. AN NON TIBI HOC MAXIMUM EST?] Guyetus in gloſſis Mſ. de *ſtupro virginis* explicat. Perperam. Facinus violentiſſimi fratris notatur.

Quis homo pro moecho unquam vidit in domo meretricia
Prehendi quemquam? *Py.* Neſcio. *Pa.* At ne hoc neſciatis, Pythias,
Dico, edico vobis, noſtrum eſſe illum herilem filium. *Py.* Hem,
Obſecro, an is eſt? *Pa.* Ne quam in illum Thais vim fieri ſinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? *Py.* Vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi proſis, & tu pereas: nam hoc putant,
Quidquid factum eſt, ex te eſſe ortum. *Pa.* Quid igitur faciam miſer?

Quid-

DONATI.

18. Quis homo pro moecho unquam.] ⁸ Cauſa finalis. Virginem Civem apud Meretricem vitiavit: mercedem offert: petitur ad ſupplicium.

19. Neſcio.] Quam aſtute dixit Neſcio: ne laborans ad contradicendum, amitteret fidem ⁹ ſupplicis perſonae, ac vera dicentis. Vult enim magis nuntii officio fungi, quam perſuadentis.

20. Dico, edico vobis.] Αὔξησις, ut ſupra, *Ubi quaeram, ubi inveſtigem?* Dico.] Tibi, Pythias. Edico.] Omnibus tuis. Ergo ad univerſos utrumque refertur, & Dico & Edico.

21. Obſecro, an is eſt?] Inſultantis. ut in Phormione, ¹⁰ *Hiccine eras?* nam ſciebat eum eſſe. Ne quam in illum Thais vim fieri ſinat.] ¹¹ Quam bene providet Pythias!

22. Atque adeo autem cur non egomet intro eo? Py. Vide, Parmeno, quid agas, ne neque illi proſis, et tu pereas.] Totum hoc ad id addidit, ut ſenex intromittatur ad confirmandas nuptias. Sed Poëta hoc agit, perſonae neſciunt.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Cauſa finalis.*] Lego: *Cauſa fit talis.* h.e. Controverſia.

9. *Supplicis perſonae.*] Lindenbr. & Codd. veteres: *ſimplicis perſonae.* quae vera videtur lectio. Cum enim dolo omnem hanc ſcenam inſtruxiſſet Pythias, candorem & ſimplicitatem morum verbis vultuque praefert. Boeclerus.

10. *Hiccine eras?*] Edd. Venetae: *Hoccine eras?* Utrumque perperam. Locus eſt Phorm. V. 8. 23. ubi Nauſiſtrata Chremeti inſultans inquit: Haeccine erant itiones crebrae et manſiones diutinae Lemni? haeccine erat ea, quae noſtros fructus minuebat, vilitas? Niſi forte reſpexit locum, qui eſt Phorm. V. 7. 52. Ho! tune is eras?

11. *Quam bene providet Pythias!*] Legendum omnino: *quam bene providet Parmeno!* Niſi forte non Parmenoni, ſed Pythiae tribuit Donatus illa; Ne quam in illum Thais vim fieri ſinat. quod Boeclerus exiſtimat.

COMMENTARIUS.

18. Pro moecho.] Inſtar moechi, ut moechus. Supra II. 3. 83. Infra V. 6. 22. Cic. pro Arch. 5. *Ita ſe jam tum geſſiſſe* pro cive. Apud Romanos autem etiam adulterii crimen ceſſabat in meretricibus. L. 22. C. ad L. Jul. de Adulter. Vide porro quae huc congeſſerunt Boeclerus & Farnabius, maxime Lindenbruchius.

19. Prehendi.] Prehenditur & deprehenditur, qui in facto illicito opprimitur. Cic. Fam. VIII. 7. *Servius Ocella nemini perſuaſiſſet, ſe moechum eſſe, niſi triduo bis* deprehenſus *eſſet.*

21. Ne quam in illum Thais vim fieri ſinat.] Exiſtimat Boeclerus, Donatum haec verba Pythiae tribuere, laudatque. Certius id conſtaret, ſi integris vocibus expreſſa eſſent omnia Donati. Ubi enim dixerat, *Quam bene providet Pythias!* addit: *quae equidem o. n. n. ſ. i. t.* Quodcunque fuerit, verba edicentis & interminantis Phaedriae eſſe videntur. Sin aliter ſpias, multum de vi verborum decedere neceſſe eſt. Neque aliter apte ſatis cohaerent illa: Atque adeo autem cur non egomet intro eo? Prohibiturus ſcilicet, ne vis fiat in Chaeream.

26. Di-

Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem ſenem.
Dicam huic, an non? dicam hercle, etſi mihi magnum malum
Scio paratum: ſed neceſſe eſt, huic ut ſubveniat. *Py.* Sapis.
Ego abeo intro: tu iſti narra omnem rem ordine, ut factum ſiet.

DONATI.

25. QUIDVE INCIPIAM?] *Facimus* mediocria, *Incipimus* ingentia. ECCE AUTEM VIDEO RURE REDEUNTEM SENEM.] [12] Choragii eſt adminiſtratio, ut opportune in proſcenium.

26. DICAM HUIC, AN NON?] [13] Hoc non eſſet veriſimile, niſi dubitaſſet. Quid enim ad Chaeream pertinet, dubitat.

27. SCIO PARATUM: SED NECESSE EST.] Haec cauſa dubitandi fuit: quod hinc Parmenonis, illinc adoleſcentis periculum cernitur. SED NECESSE EST.] *Dicere* ſubaudiendum eſt: ut ſit, *Sed neceſſe eſt dicere*, & *ἀνταπόδοτως* inferendum eſt quod ſequitur. Deeſt enim *propterea*, vel quid tale. SAPIS.] SAPIS dicit, non videns quid fururum ſit: ſed tantum deriſiſſe contenta.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Choragii eſt adminiſtratio, ut opportune in proſcenium.*] Lego: *Choragi ſit artificio, ut opportune in proſcenium veniat ſenex.* Vid. ad verſ. 22. & mox ad V. 6. 1.

13. *Hoc non eſſet veriſimile.*] Scriptum depravata. Corrigo ex conjectura: DICAM HUIC, AN NON? DICAM HERCLE. *Hoc non eſſet veriſimile, niſi dubitaſſet. quod ad Chaeream pertinet, non dubitat: quod ad ſe ipſum pertinet, dubitat.* Confirmant hanc lectionem ea quae proxime ſequuntur. Atque ita fere eſt in edd. antiquis, omiſſis tantum, *non dubitat.*

COMMENTARIUS.

26. DICAM HERCLE.] Guyetus in Scholiis Mſſ. DICAM HERCLE, DICAM.

28. ORDINE.] Mſſ. Mark. & Lipſ. OMNEM ORDINEM. Ita & editiones annorum 1469. & 1481. aliaeque, quas laudat Rivius. In aliis varie.

ACTUS QUINTI

SCENA SEXTA.

LACHES. PARMENO.

La. EX meo propinquo rure hoc capio commodi,

Neque

DONATI.

EX MEO PROPINQUO RURE HOC CAPIO COMMODI.] [1] *Annotandum, quod hujus ſenis nomen apud* Terentium *non eſt: apud* Menandrum *Simon dicitur.*

1. EX MEO PROPINQUO RURE HOC CAPIO COMMODI.] Firmatur mentis ſtatus trepidantis Senis, ut appareat, quam inopinato malo ameus fieri poſſit: quod ipſum ſuperius & in Parmenone

OBSERV. IN DONAT.

1. *Annotandum, quod hujus ſenis nomen apud Terentium non eſt.*] Appoſuerint igitur Grammatici veteres *Lachetis* nomen; quod obſervant Boeclerus & Georg. Fabritius. Nec in Cod. Bembino exprimi Faërnus memorat.

2. PER-

Neque agri, neque urbis odium me umquam percipit.
Ubi ſatias coepit fieri, commuto locum.
Sed eſtne ille noſter Parmeno? & certe ipſus eſt.
Quem praeſtolare, Parmeno, hic ante oſtium?
Pa. Quis homo 'ſt? ehem, ſalvum te advenire, here, gaudeo.

La.

DONATI.

menone ſervatum eſt. Imparatis enim mentibus mala majora ſunt. Ergo nunc tam otioſus incedit ſenex, ut neque mores increpet, nec quidquam ſuſpicetur mali: ſed agat gratias proximae villae: cujus beneficio non ſcit, quid in urbe agerent filii. Et nunc adeſt, ubi opus eſt Poëtae. [2] Et vide hanc cauſam fuiſſe, cur non ad villam diverterit. Omnes villas comicas ſuburbanas eſſe, commoditatem ipſam nunc explicat & oſtendit.

2. NEQUE AGRI, NEQUE URBIS.] Tragicus apparatus. Delicias memorat, qui pericula cogniturus eſt. ODIUM ME UNQUAM PERCIPIT.] Faſtidium ex abundantia eſt.

3. UBI SATIAS COEPIT FIERI.] Suffecerant ad hanc ſententiam duo ſuperiores ii verſus: ſed ἐνέργεια eſt ſenilis eloquii, faceti & garruli ſimul. UBI SATIAS.] Deeſt *Nam:* ut ſit, *Nam ubi ſatias coepit fieri.* Et COEPIT, pro *coeperit.* SATIAS, odium: ab eo quod praecedit, id quod ſequitur. COMMUTO LOCUM.] Mira brevitate duas res explicuit ſimul.

4. SED EST NE ILLE NOSTER PARMENO? ET CERTE IPSUS EST.] Et dubitavit, & firmavit poſtea: utpote ſenex, viſu jam languido, atque oculis aetate defeſſis.

5. QUEM PRAESTOLARE, PARMENO, HIC ANTE OSTIUM?] [3] Nove: non, *Cui praeſtolare:* ſed, QUEM dixit. Aliter [4] *Tullius* in Catilinam, *Qui tibi ad forum Aurelium praeſtolarentur. Praeſtolari*, eſt praeſto eſſe & apparere, hoc eſt, obſequi.

6. QUIS HOMO 'ST?] Quare, QUIS HOMO? quum providerit venientem: Utrum non vult videri providiſſe, ne quid fallaciae paraſſe videatur? Sic & in Andria, *Quaſi de improviſo reſpice ad eum.* Vel, quia perturbatur exanimatus, qui dum quid apud Thaidem geratur, auſcultat, non videt Senem propius accedere, quem longe viderat. An vero idcirco hoc fingit, quia quod parabat dicere de Chaerea, poſtquam cominus ventum eſt, non audet loqui?

OBSERV. IN DONAT.

2. *Et vide*] Ordo verborum videtur turbatus. Reſtituo ex conjectura: *Et vide, omnes villas comicas ſuburbanas eſſe, & hanc cauſam fuiſſe cur non ad villam deverterit. Commoditatem ipſam nunc explicat & oſtendit.*

3. *Nove: non* CUI PRAESTOLARE, *ſed* QUEM, *dixit.*] Eandem differentiam etiam Eugraphius notat. Sed qui nove dixit, quod toties ante eum Plautus? Vide Caſin. III. 5. 15.

Te, caſtor, praeſtolabar.

4. *Tullius in Catilinam*] I. 9.

COMMENTARIUS.

2. PERCIPIT.] Αὐξητικὸν eſt τὸ PAR. Plaut. Truc. II. 5. 14.

ejus eam cito odium percipit.

Menaechm. V. 5. 21.

quid ceſſas dare
Potionis aliquid, prinſquam percipit *inſania.*

Amph. V. 1. 66.

Nam mihi horror membra miſero percipit *dictis tuis.*

Lucret. VI. 804.

At quum membra hominis percepit *fervida febris.*

3. UBI SATIAS COEPIT FIERI.] Sic Hec. IV. 2. 18. Plaut. Pſeud. I. 3. 100.

Ut hodie ad litationem huic ſuppetat ſatias *Jovi.*

Accius Aſtyanacte: *Quorum crudelitatem nulla unquam expleт* ſatias *ſanguinis.*

COMMUTO LOCUM.] Mſ. Mark. SIMUL COMMUTO LOCUM.

5. ANTE

La. Quem praeſtolare? *Pa.* Perii! lingua haeret metu.
La. Hem! quid eſt? quid trepidas? ſatin' ſalve? dic mihi.
Pa. Here, primum te arbitrari, quod res eſt, velim:
Quidquid hujus factum eſt, culpa non factum eſt mea.
La. Quid? *Pa.* Recte ſane interrogaſti: oportuit

DONATI.

7. LINGUA HAERET METU] [5] *Virgilius*,
Et vox faucibus haeſit.

8. QUID EST, QUOD TREPIDAS?] Inſtandum eſt ſeni ad audienda, quae de facili nunquam fateretur Parmeno. SATISNE SALVE?] SALVE, integre, recte, commode. [6] *Plautus* in Trinummo, *Benevolens tuus atque amicu'ſt.* LE. *Satin' ſalve.* SATISNE SALVE?] Nunc adverbium eſt: producta eſt *e* litera. [7] *Salluſtius*, *Inde ortus ſermo, percontantibus utrimque, ſatin' ſalve, quam grati ducibus ſuis, quantis familiaribus copiis [8] agerentur.*

9. HERE, PRIMUM TE ARBITRARI, QUOD RES EST, VELIM.] Quod ante narrationem confirmatio inducitur, contra morem & praecepta eſt: [9] ſed merito, quia perturbatus eſt, [10] licet ſimul * ut non poſſit dicere.

10. QUIDQUID HUJUS FACTUM EST.] Abſolute. Ut ſupra, *Et quidquid hujus feci, cauſa virginis feci.* Aut deeſt *rei*: ut ſit, *hujus rei.* Stomachoſe.

11. QUID?] QUID, interrogat. quis enim ante, crimen, quam objiciatur, aut proponatur, neget? RECTE SANE.] Docte *Terentius* ipſe ſe reprehendit. Nam ordine factum non eſt, prae timore & conſcientia.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Virgilius*] Aeneid. II. 774.
6. *Plautus in Trinummo*] V. 2. 51.
7. *Salluſtius*] In Fragmentis. Videtur autem legendum: *Satin' ſalvae?* Sub. res ſunt.
8. *Agerentur*] Lego: *Augerentur.*
9. *Sed merito*] Videtur legendum, *ſed neceſſario.* Scriptum fuerat *necrio*, unde natum *merito.*

10. *Licet ſimul* * *ut non poſſit dicere.*] Ita poſt Rob. Stephanum plures ediderunt. Mſ. Hulſt. *Quid & ſimul ut poſſit dicere.* Mſ. Lindenbr. *Quidem ſimul ut poſſit dicere.* Editi veteres exhibent ut edidi, ſed ſine lacunae ſigno. Videtur autem τὸ *ita* excidiſſe poſt *quia*; ut ſenſus ſit: *ſed neceſſario, quia ita perturbatus eſt, licet ſimulet, ut non poſſit dicere.*

COMMENTARIUS.

5. ANTE OSTIUM.] Mſ. Mark. ANTE OSTIUM THAIDIS.

6. SALVOM TE ADVENIRE, HERE, GAUDEO.] Sic Hec. III. 2. 18.

gaudeo veniſſe ſalvom.

Mſ. Lipſ. SALVOM TE ADVENISSE GAUDEO. Ita & edit. 1469. aliaeque vetuſtae, ſed addito, HERE.

7. LINGUA HAERET METU.] Scilicet φόβος γλώττης δεσμός ἐστι. Phaed. I. 2. 26.

vocem praecludit metus.

Ovid. Amor. I. 7. 20.

pavido lingua retenta metu.

8. QUID EST? QUID TREPIDAS?] Ita tres Mſſ. Leid. & Boecleri omnes. Alii junctim, QUID EST, QUOD TREPIDAS? SATIN' SALVE? Ita Donatus, ſed & Mſſ. & editi quidam. Mſ. Lipſ. QUID TU TREPIDAS? Ita & Mſſ. Leidenſium unus. unus vero, QUID EST, QUOD TU TREPIDAS? In aliis eſt SALVAE. Ita Livius I. 58. & XL. 8. In aliis SALVE: Ita Plautus & Salluſtius Donato citati. Apulej. Apol. *Puer ubi ſit, & quam* ſalve *agat*, *interrogas.* Senſus igitur eſt, vel, *ſatin' ſalve agis?* vel, *ſatin' ſalvae res ſunt?* Eſtque ſolennis formula peregre redeuntium, vel aliunde advenientium. Vide Briſſon. de Form. Lib. VIII. & Boecleri Chreſtomath. v. *Salus.*

9. QUOD RES EST.] Mſſ. & edd. vett. quidam, ID QUOD RES EST. Similiter praefatur nuncius apud Sophoclem in Antigona; ſed & Soſtrata, Heaut. IV. 1. 10. Eſtque adeo in Parmenone verum, quod vulgo dicunt Galli: *Qui s'excuſe, s'accuſe.*

Rem praenarraſſe me. Emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret. *La.* Cui? *Pa.* Thaidi.
La. Emit! perii hercle. quanti? *Pa.* Viginti minis.
La. Actum eſt. *Pa.* Tum quandam fidicinam amat hic Chaerea.
La. Hem! quid? amat? an ſcit jam ille, quid meretrix ſiet?
An in Aſtu venit? aliud ex alio malum.
Pa. Here, ne me ſpectes: me impulſore haec non facit.
La.

DONATI.

11. EMIT QUANDAM PHAEDRIA EUNUCHUM.] Vide, narrationem a neceſſariis & urgentibus coeptam, non in ſe continere, niſi quod rei conditio cogit fateri. EMIT, inquit, QUENDAM EUNUCHUM, QUEM DONO HUIC DARET.] Non dixit, Cui dono daret. Aliter ab amoris mentione coepiſſet. Deinde τὸ QUENDAM *ἐξυθενισμὸν* ſignificat, & *εὐτέλειαν ἀνδρός*.

13. HUIC] HUIC, more ſuo dixit potius, quam, *Meretrici*. Quinetiam interrogatus, THAIDI potius dicturus eſt, quem ut nomen dicat, quo offenditur Senex. *Eunuchi* autem ſolius mentio neceſſaria eſt: quia dicturus eſt, pro Eunucho deductum Chaeream.

15. ACTUM EST.] Deſperantis verbum. TUM QUANDAM FIDICINAM AMAT HIC CHAEREA.] Mire & neceſſario variavit. Ille EMIT, ut Eunuchum mittat ad Thaidem: hic AMAT, ut deduci ſe pro Eunucho velit. QUANDAM FIDICINAM.] Extenuatio criminis eſt, " non quod virginem, quod civem vitiaverit.

16. HEM! QUID? AMAT?] Haec ſingula pronuncianda ſunt: ut ſtuporem nimiae indignationis " oſtendat. AN SCIT JAM ILLE QUID MERETRIX SIET?] Quia fidicina meretrix eſt.

17. AN IN ASTU VENIT?] IN ASTU, in urbem de Peireo. Sic Athenienſes vocabant urbem ſuam: unde ipſi incolae Ἀστοὶ vocantur. ALIUD EX ALIO MALUM.] Hoc ſeparatim dixit Senex, fixis in Parmenonem oculis.

18. ME IMPULSORE HAEC NON FACIT.] Ipſum accuſat conſcientia. Non enim quod levius eſt, dixit, *me ſciente:* quum plus inferat, ME IMPULSORE.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Non*] Haec vox recte abeſt ab Edd. Venetis. Tarviſana & Argentina.

12. *Oſtendat*] Lege, *oſtendant*, ex Codd. antiquis.

COMMENTARIUS.

11. PRAENARRASSE.] Mſ. Mark. PRAENARRARE.

14. VIGINTI MINIS.] Compendium ſummae, ob ſollicitudinem de herilis filii ſalute. Non cepit Goveanus. Vide ſupra I. 2. 89.

15. TUM QUANDAM FIDICINAM AMAT HIC CHAEREA.] *Δεικτικῶς* dicit HIC, digitum intendens in aedes Thaidis, quae proximae erant. Niſi enim pro adverbio ſumas τὸ HIC, obſcurum eſt τὸ INTUS, infra verſu 23.

16. AN SCIT JAM ILLE, QUID MERETRIX SIET?] Igitur fidicina Lacheti meretrix eſt. Neque tamen deſcribitur meretrix, ſupra I. 2. 52.

Is ubi hanc forma videt honeſta virginem,
Et fidibus ſcire.

Et teſtis eſt Nepos in Praefat. Saltare & tibiis canere, quidni & fidibus ſcire? laudi ductum in Graecia. Solebant autem meretriculae vulgo hanc artem callere. Plaut. Epid. V. 1. 39. & paſſim alibi.

17. AN IN ASTU VENIT?] *Εἰς τὸ Ἄστυ*. Scilicet Athenae *κατ' ἐξοχὴν* dictae Ἄστυ, uti Roma Urbs. Nepos Alcib. 6. *Poſtquam* Aſtu *venit*. Ex Piraeeo ſcilicet. Cic. Legib. II. 1. *Ut veſtri Attici, priuſquam Theſeus eoſdem migrare ex agris, & in* Aſtu, *quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit, & Sunii erant iidem, & Attici.* Adde Steph. de Urb.

ALIUD

La. Omitte de te dicere: ego te, furcifer,
Si vivo! ſed iſtuc quicquid eſt, primum expedi.
Pa. Is pro illo Eunucho ad Thaidem deductus eſt.
La. Pro Eunuchon'! *Pa.* Sic eſt. hunc pro moecho poſtea
Comprehendere intus, & conſtrinxere. *La.* Occidi.
Pa. Audaciam meretricum ſpecta. *La.* Numquid eſt
Aliud mali damnive, quod non dixeris,

Reli-

DONATI.

19. Ego te, furcifer, si vivo!] Modo omnis ſaevitia comica aut in comminatione eſt, aut in apparatu verborum.

20. Si vivo!] Ἀποσιώπησις: *te ulciſcar*. quia neceſſario ſequitur. Sed istuc quidquid est.] Inventa cauſa cur ſupplicia differantur, donec uxorem ducat Chaerea, & ipſe purget Parmenonem: ſecundum argumenta, quae ſibi ipſe proſpexit, juſſu coactuque feciſſe, & imperio herilis filii ſui, Chaereae ſcilicet.

21. Ad Thaidem daductus est.] [13] Unde ductor ipſe ſceleratus.

22. Pro Eunuchon'!] Non interrogat, ſed exhorreſcit. Hunc pro moecho postaa.] Bene ſtuduit *Terentius*, pro, bis numero dicere: & pro *Eunucho*, & pro *Moecho*. Pro moscho autem quaſi excuſans dixit. Nam vere in virginem Atticam, non *pro moecho*, ſed moechus eſt. Hunc pro moecho postea.] Bene utrumque pro, quia neque Eunuchus eſt, qui vitiavit virginem: neque moechus, qui in domo meretricia. Et ſpecta, quam oratorie tranſtulerit mentionem vitiatae virginis. Pro moecho, inquit, ut culpam Chaereae ſub meretricis accuſatione celaret. Hunc pro morcho.] Bene totum pro: quia neque Eunuchus, qui Ephebus: neque adulter, qui amator.

23. Comprehandere intus, at constrinxera.] Quo dicto vim ingentem inferri ſignificat Chaereae. *Comprehendere*, ſignificat [14] ſtrictim aliquem in facinore deprehenſum.

24. Audaciam meretricum specta.] Major ἔμφασις accuſationis eſt per pluralem numerum, quam ſingularem. Sic alibi:

An potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

Audaciam maretricum.] Oratorie avertit iram Senis a ſe, & a Chaerea: atque derivat in meretricem. Numquid est alsud mali, damniva?] Bene interrogat: quia omnia invitus ſervus dicere videbatur. Et cum damnum, malum ſit, de proximo collatum diſcernitur: & damnum ad emptionem Eunuchi, malum ad comprehenſum pertinet & conſtrictum Chaeream.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Unde ductor ipſe ſceleratus.*] Depravata lectio. Reſtituo ex Edd. veteribus: *Bene, deductor ipſe ſiletur.*

14. *Strictim*] Lege, *ſtrictum*, ex Mſ. Hulſt. & Edd. Veneris. Sic mox ad verſum 24. *conſtrictum Chaeream* dicit; & infra V. 7. 9. *conſtrictum filium.*

COMMENTARIUS.

Aliud ex alio malum.] Κακὸν ἐπὶ κακῷ. Cic. Fam. IX. 19. *Me quotidie* aliud ex alio *impedit.* Virg. Aen. III. 494.

Nos alia ex aliis *in fata vocamur.*

Eſt igitur ex idem quod *poſt.* Sic Heaut. III. 3. 37.

Dicam: verum, ut aliud ex alio *incidit.*

Similis ſententia apud Plautum Aul. IV. 10. 71.

Ita mihi ad malum malae res plurimae ſe agglutinant.

Mſ. Lipſ. An in astu venit aliud ex alio malum? Eandem lectionem ex Libris Mſſ. & editis citat, ſed improbat Rivius. Vide Donatum.

18. Haac.] Mſ. Mark. Hoc.

21. Ad Thaidem.] Mſ. Lipſ. Ad Thaidem hanc.

26. Tan-

Reliquom? *Pa.* Tantum eſt. *La.* Ceſſo huc introrumpere?
Pa. Non dubium eſt, quin mihi magnum ex hac re ſit malum:
Niſi quia neceſſe fuit hoc facere, id gaudeo,
Propter me hiſce aliquid eſſe eventurum mali.
Nam jam diu aliquam cauſam quaerebat ſenex,
Quamobrem inſigne aliquid faceret his. Nunc repperit.

DONATI.

26. CESSO HUC INTRORUMPERE?] In tantam formidinem conjectus eſt ſenex, ut non miremur, quod tam cito nuptias firmet ephebi & virginis: & quamvis non honeſte, tamen quia ex ingenti metu, vel indigno matrimonio filii vitam paciſci velit.

27. NON DUBIUM EST, QUIN MIHI MAGNUM EX HAC RE SIT MALUM.] Suave eſt neſcire perſonas, quid agat Poëta. Ita non periclitaturus Parmeno.

28. NISI QUIA NECESSE FUIT.] NECESSE, eſt nomen. Nam *neceſſus*, *neceſſis*, & *neceſſitas*, & *neceſſum*, lectum eſt. ID GAUDEO.] Scilicet, ut ſuccurratur Chaereae periclitanti.

29. PROPTER ME.] Plus dixit, quam ſi *per me* diceret. HISCE ALIQUID.] Meretricibus, non adoleſcentibus. Et item pluraliter ſuo more: Ut, *Audaciam meretricum ſpecta*. Et, *Non perpeti meretricum conſumelias*.

30. NAM JAM DIU ALIQUAM CAUSAM QUAEREBAT SENEX.] Nota CAUSAM, pro occaſione.

31. QUAMOBREM INSIGNE ALIQUID FACERET.] Manifeſtius hoc *Menander* explicat, jampridem infeſtum meretrici ſenem, poſt corruptum ab ea Phaedriam: nunc demum ſe inventa occaſione vindicaturum. QUAMOBREM.] Quamvis dixiſſet CAUSAM, intulit QUAMOBREM. INSIGNE ALIQUID.] Magnum & nobile facinus. FACERET.] ἰδιωτικῶς dixit.

COMMENTARIUS.

26. TANTUM EST.] Formula abrumpendi ſermonem. Plaut. Caſin. Prol. 87.

Tantum eſt. *valete, bene rem gerite.*

Trin. Prol. 22.

Tantum eſt. *valete, adeſte cum ſilentio.*

Merc. II. 2. 11.

LO. *Nunquid amplius?*
LY. Tantum eſt.

Gr. Τοσοῦτον, &, ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

INTRORUMPERE.] Alii INTRO IRRUMPERE: Non. Marcellus: INTRO RUMPERE. Sic ſupra V. 5. 22. INTRO EO. Plaut. Mil. II. 5. 50.

Intro rumpam *recta in aedes.*

28. NECESSE.] Donato memoratum NECESSUS defendit P. Victorius, legiturque in exemplo, quo uſus eſt Guyetus, edit. Heidelb. 1587.

29. PROPTER ME.] Mea opera, per me. Andr. I. 5. 36.

EVENTURUM.] Mſ. Mark. VENTURUM.

31. FACERET HIS. NUNC REPPERIT.] Editi vetuſtiſſimi fere omnes cum Mſſ. quibuſdam, FACERET. IS NUNC REPPERIT. Minus accurate. Ita tamen & Juntae & Rob. Stephanus. Aldinae variant.

ACTUS

ACTUS QUINTI

SCENA SEPTIMA.

PYTHIAS. PARMENO.

Py. NUMQUAM aedepol quidquam jam diu, quod magis vellem evenire,
Mihi evenit, quam quod modo ſenex intro ad nos venit errans.
Mihi ſolae ridiculo fuit, quae, quid timeret, ſciebam.
Pa. Quid hoc autem 'ſt? *Py.* Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi obſecro is eſt? *Pa.* Men' quaerit haec? *Py.* Atque eccum video. adibo.
Pa. Quid eſt, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? *Py.* Perii,
Defeſſa

DONATI.

NUMQUAM AEDEPOL QUIDQUAM JAM DIU.] *Pythias egreditur veluti irriſura Parmenonem, ut ipſa putat; egredi autem a Poëta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit ſenex. Ergo perſona cachinnans inducitur, quaerens Parmenonem: aſpectuque ejus ob nimium riſum ' vix loqui poſſe.*

1. NUMQUAM AEDEPOL QUIDQUAM.] Rarum eſt evenire quod velis: & quod maxime velis, id rarum magis.

2. INTRO AD NOS VENIT ERRANS.] Non greſſu errans, nec via: ſed animo & opinione.

3. MIHI SOLAE RIDICULO FUIT.] *Soli* regulariter dicitur: SOLAE non recte, ſed antique. ut alibi, *Hoc ipſa in itinere, alterae dum narrat, forte audivi.*

4. QUID HOC AUTEM EST?] Ridentem miratur Parmeno. NUNC ID PRODEO.] Propter id.

6. QUID RIDES? PERGIN'?] ² Ex hujus verbis oſtendit, quam multum rideat petulans puella. PERII.] Proprie ³ hic verbum eſt aptum, quaſi ſit laſſa ridendo.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Vix loqui poſſe.*] Lego, *vix loqui poteſt.*

2. *Ex hujus verbis oſtendit.*] Lego: *Ex hujus verbis oſtenditur.*

3. *Hic verbum eſt aptum.*] Edd. Venetae: *Hoc verbum eſt aptum.*

COMMENTARIUS.

4. ID PRODEO.] Mſ. Lipſ. ID EXEO.

6. PERII.] Mſ. Mark. & Boend. cum edd. vetuſtiſſimis, AH, AH, EH, PERII. Defendit Adrianus Barlandus, Anteſignanus reſecat, ob metrum.

Defeſſa jam ſum miſera te ridendo. *Pa.* Quid ita? *Py.* Rogitas?
Nunquam, pol, hominem ſtultiorem vidi, nec videbo. ah,
Non poſſum ſatis narrare, quos ludos praebueris intus.
At etiam primo callidum & diſertum credidi hominem.
Quid? ilicone credere ea, quae dixi, oportuit te?
An poenitebat flagitii, te auctore quod feciſſet
Adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares?

Nam

D O N A T I.

8. Numquam aedepol hominem stultiorem vidi.] Poſtquam rogas dixerat, quaſi narratura videbatur: [4] & redit ad inſultationem.

9. Quos ludos praebueris intus.] Ex errore & metu nimio ſenis, credentis conſtrictum filium ſe offenſurum in domo meretricis.

10. At etiam primo callidum ac disertum credidi hominem.] Haec omnia ſic in ſcena pronunciata ſunt, ut riſu interrumpi verba puellae viderentur. Majoriſque inſultationis eſt, ſi is [5] qui fatigat alterum, dicat ſe ante de illo multo aliter ſenſiſſe.

11. Iliconе credere.] Non ideo hoc dicit, quod perſonae ſuae fidem deroget: ſed quod res incredibilis fuerit, quam illi perſuaſerit: aut certe ſi credendum fuerit, non ſtatim neque examinata, neque facta rei cognitione. Ilicone credere.] Objurgatio de tempore.

12. An poenitebat flagitii.] Illud quod ſupra, a ſtulto: hoc quod nunc dicit, a malo fieri potuit. Illud, ab imprudente: hoc quod pejus eſt, a ſciente. An poenitebat flagitii.] Parvum videbatur. Ipſe alibi, [6] *Quantum hic operae fiat, poenitet.* [7] *Plautus* in Truculento, *Poenitetne te, quod ancillam ſolam nimis erumpere?* *

13. Ni miserum insuper etiam patri indicares?] Duo objicit. Unum, quod male conſuluerit: alterum, quod male prodiderit conſilia ſua. Et bene Indicares. Nam [8] *indicium* dicitur ejus, qui una peccaverit. Ni miserum insuper etiam patri indicares?] Ad invidiam Parmenonis, miſerum dicit adoleſcentem: eo modo quo Juno accuſans Venerem, ait,

[9] *an miſeros qui Troas Achivis*
Objecit.

Sic enim agimus, quum ab his, qui falſo rei ſunt, in auctores culpam ſceleris removemus.

O B S E R V. I N D O N A T.

4. *Eredit.*] Lego, *ſed redit.*

5. *Qui fatigat alterum.*] Lego ope Codd. veterum: *Qui fatigat alterum riſu.*

6. *Quantum hic operae fiat.*] Ex memoria laudat verba Chremetis, Heaut. I. 1. 20. ubi *operis* legitur, etiam apud ipſum Donatum.

7. *Plautus in Truculento.*] Locus corruptiſſimus. Ita Plaut. II. 6. 52.

Poenitetne te? quot ancillae ſunt jam?
Quine etiam ſuper adducas, quae mihi comedint cibum?

Illa autem *nimis erumpere* * ne edenda quidem fuerant, quum ſint initium verborum, quae continuo explicantur, Ni miserum insuper etiam patri indicares. Unde & deſunt a Mſ. Holt.

8. *Indicium dicitur.*] Sic Aſconius in Divin. cap. 11. *Index eſt autem*, inquit, *qui facinoris, cujus ipſe eſt conſcius, latebras indicat, impunitate propoſita.*

9. *An miſeros.*] Virgil. Aeneid. X. 89.

C O M M E N T A R I U S.

7. Rogitas?] Mſ. Lipſ. Rogas?

8. Stultiorem vidi.] Mſ. Mark. & Boend. Stultiorem vidi te.

9. Non possum satis narrare.] Mſ. Lipſ. & Boend. cum edit. 1469. Non satis potest narrari. Pareus ex tribus Mſſ. Pall. & Pariſ. citat, Non potest satis narrari. Alii, Non pote satis narrari.

10. Disertum.] Ingenioſum, & qui te undecunque expedire poſſes. Sic literae dicuntur *diſertae*, quae ſcriptae ſunt cum ſale. Cic. Fam. III. 11. *Sed ſi, ut ſcribis, hae literae non fuerunt* diſer-

Nam quid illi credis animi tum fuiſſe, ubi veſtem vidit
Illam eſſe eum indutum pater? quid eſt? jam ſcis te periiſſe?
Pa. Hem! quid dixti, peſſuma? an mentita es? etiam rides?
Itan' lepidum tibi viſum eſt, ſcelus, nos irridere? *Py.* Nimium.
Pa. Si quidem iſtuc impune habueris. *Py.* Verum? *Pa.* Reddam hercle. *Py.* Credo.

Sed

DONATI.

14. Nam quid illi.] Adoleſcenti ſcilicet.

15. Quid est? jam scis te perisse?] Hoc non ſtupentibus, ac [10] culpam patientibus dicitur.

16. Hem, quid dixti, pessuma?] Nunc demum intelligit Parmeno, ſe eſſe deluſum. Etiam rides?] Apparet eam ex hujus ſtomacho vehementius cachinnare.

17. Nos irridere?] Nos ſuperbius dixit, quam ſi diceret *Me*.

18. Siquidem istud impune habueris.] Subauditur, [11] *Tum nimium*. Verum?] Irridentis interrogatio.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Culpam patientibus.*] Quid eſt, *culpam pati?* Lege igitur, *obſtupentibus ac culpam fatentibus.* Atque ita vel in Donato legit, vel reſtituit Guido Juvenalis.

11. *Tum nimium.*] Senſus verborum paullo obſcurior. Suſpicabar, ſcripſiſſe Interpretem, *Tum* nimium. Niſi forte ἐλλειπτικῶς dixit, *Tum nimium*, ut ſenſus ſit, *Si quidem iſtuc impune habueris, tum nimium lepidum tibi videatur.* In Mſ. Boend. & editis vetuſtis eſt, *Tamen nimium.*

COMMENTARIUS.

diſertae, *ſcito meas non fuiſſe. Ut enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat, ſic tu (libet enim mihi jocari) quod* diſertum *non erit, ne putaris meum.* Perperam igitur Anteſignanus reddidit, *bien parlant.* Melius Fabrini, *ſagace.* Plaut. Epid. III. 3. 47.

Minus hominem doctum, minuſque ad hanc rem callidum.

12. An poenitebat.] Recte ad haec Donatus. Adde Phorm. I. 3. 20.

noſtri noſmet poenitet.

h. e. non vivimus contenti ſorte noſtra. Plaut. Poen. I. 2. 71.

Heu, ecaſtor, quum ornatum adſpicio noſtrum ambarum, poenitet,
Exornatae ut ſumus.

Cic. Fam. I. 7. *Me meas* (fortunae) *ne nimium* poeniteret, *tua virtute perfectum eſt.* Philipp. I. 13. *Num gloriae* poenitebat?

13. Indicares?] Scelus ejus deferres & proderes. Heaut. III. 3. 23. Plaut. Ciſtell. II. 3. 45.

Me indicabit, *& ſuas*
Ad meas miſerias addet.

Cic. pro Arch. 11. *Jam me vobis, judices,* indicabo, *& de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortaſſe, verum tamen honeſto, vobis confitebor.*

15. Quid est? jam scis te perisse?] Mſ. Mark. & Boend. ſed & quidam editi vetuſti: Pa. Quid est? Py. Jam scis te perissa? Praeſtat autem utrumque tribuere Pythiae, & inferre ad conſternatum Parmenonis vultum.

16. Dixti.] Scripti & editi quidam Libri, dixisti, quod ob metrum laudat Faërnus.

17. Itan' lepidum.] Sic And. IV. 4. 18.

Nimium] Libri quidam Mſſ. & editi, Nimirum.

18. Reddam hercle.] Ovidius plenius, Amor. I. 6. 23.

Redde vicem.

Ita & Petronius non ſemel. Sed & in quibuſdam Libris eſt: Reddam hercle vicem.

Sed in diem iſtuc, Parmeno, eſt fortaſſe, quod minitare.
Tu jam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas
Flagitiis, & eundem indicas. uterque in te exempla edent.
Pa. Nullus ſum. *Py.* Hic pro illo munere tibi honos eſt habitus.
abeo.

Pa.

DONATI.

19. SED IN DIEM ISTUC.] In longam dilationem. unde *dilatio* eſt dicta, diei prolatio.

20. TU JAM PENDEBIS.] JAM, nimiam velocitatem ſignificat. NOBILITAS FLAGITIIS, ET EUNDEM INDICAS.] Duas res ſignificat ſimul: & cogis flagitia facere, & facientem indicas.

21. UTERQUE IN TE EXEMPLA EDENT.] Nova ac mira tormenta, quae pro exemplis narrentur, aut quae documenta ſint caeteris, ne delinquant, EXEMPLA dicuntur. Et EDENT, & EDET legitur. Si EDENT, figuratum eſt: ſi EDET, recte. Et plus eſt EDET, quam *dabit*.

22. NULLUS SUM.] Hoc ſecum Parmeno. HIC PRO ILLO MUNERE TIBI HONOS EST HABITUS. ABEO.] Εἰρωνικῶς & μεταφορικῶς. PRO MUNERE] Et honos rumigerulis haberi ſolet.

23. EGOMET MEO INDICIO, MISER, QUASI SOREX, HODIE PERII.] Proprium ſoricum eſt, vel ſtridere clarius quam mures, vel ſtrepere magis, quum obrodunt frivola: ad quam vocem multi ſe intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. " *Plautus:*

Confoſſiorem te faciam ſoricina naenia.

EGO-

OBSERV. IN DONAT.

22. *Plautus*] Bacchid. IV. 8. 46. vera lectio eſt:
Si tibi eſt machaera, & nobis veruina eſt domi:
Qui quidem te faciam, ſi tu me irritaveris,
Confoſſiorem ſoricina naenia.

COMMENTARIUS.

19. IN DIEM.] Longo tempore poſt futurum. Phorm. V. 2. 16. Senec. Epiſt. XCVIII. Nep. Att. 9. *Quum illa fundum ſecunda fortuna emiſſet in diem.* Quandoque unius diei moram denotat. Ovid. Metam. II. 48.

Inque diem *alipedum jus & moderamen equorum.*

Vid. Briſſ. Lexic. & de Form.

20. TU JAM PENDERIS.] Pendens virgis caedere vel loris. Scilicet ſolebant ſervi & ſervae vapulantes ſuſpendi ad trabes. Phorm. I. 4. 43.

Ego plectar pendens.

Plaut. Moſtell. V. 2. 45.

Verberibus caedere, lutum, pendens.

Truc. IV. 3. 3.

Rogitavi ego vos verberantes & pendentes *ſimul.*

Horat. Lib. II. Epiſt. 2. 15.

In ſcalis latuit metuens pendentis *habenae.*

Unde *pendere* ſimpliciter pro verberari. Plaut. Aſin. III. 3. 26.

LE. *O Libane, ut miſer eſt homo, qui amat!*
LI. *Immo hercle vere,*
Qui pendet, *multo eſt miſerior.* LE. *Scio qui periculum feci.*

Eſt autem emphaſis in τῷ JAM. Sic Virg. Aen. II. 550. *Nunc morere.*

NOBILITAS FLAGITIIS.] Mſ. Mark. & Boend. cum quatuor Pall. & edd. veteribus, DENOBILITAS. Scilicet & *nobilis* & *nobilito* in pejorem partem ſumitur. Eſt enim *nobilis* proprie qui noſcitur, quaſi *noſcibilis*. Plaut. Pſeud. IV. 7. 10.

neque his unquam nobilis *fui.*

Rud. III. 2. 5.

qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.

Titinnius Praelia: *Ne eam malefactis* nobilitarent. Cic. Off. II. 7. Nobilitata *crudelitas.* Eodem ſenſu latro ille ἐπίσημος dicitur in Evang. Matth. XXVII. 16.

22. HIC PRO ILLO MUNERE TIBI HONOS EST HABITUS.] Mercedem & praemium *honorem* dixerunt. Cic. Fam. XVI. 9. *Curio miſi, ut Medico* honos *haberetur.* Juſtin. XII. 8. *Quem (Porum) Alexander ob* honorem *virtutis incolumem in regnum remiſit.* Plin. Paneg. 90. Guyet. expungit.

23. EGO-

Pa. Egomet meo indicio, miſer, quaſi ſorex, hodie perii.

DONATI.

Egomet meo indicio.] Proverbium in eos, qui ipſi ſe produnt. quia ſorex non facile caperetur, niſi emitteret vocem noctu. Quasi sorex, hodie perii.] Quia latere potuit, nec occidi, ſi taceret.

COMMENTARIUS.

23. Egomet meo indicio.] Imitatus Auſonius Eidyll. XI. Praefat. ad Symmachum: *Latebas inter nugas meas libellus ignobilis; utinamque latuiſſet, neque* indicio ſuo, tanquam ſorex periret. Unde Alciatus in Emblem.

Stultitiae eſt index linguaque voxque ſuae.

ACTUS QUINTI

SCENA OCTAVA.

Gnatho. Thraso.

Gn. QUid nunc? qua ſpe, aut quo conſilio huc imus? quid inceptas, Thraſo?

Th.

DONATI.

1. Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus?] Reminiſcere, hunc eſſe, qui ſupra militi dixerit de Thaide, *Jamdudum te amat.* & rurſus, *Jam tibi haec aderit ſupplicans ultro.* Et hinc videbis quos exitus habeat aſſentatio. Nam idem militi auctor eſt ſummae deſperationis. Et animadverte, quod ſemper a menſa Gnatho invitus abſtrahatur: nam & ſupra quum ad litem venitur, ex verbis Thraſonis manifeſtum eſt, & Gnathonem invitum ſequi, ubi dicit, *Hanccine ego ut contumeliam tantam, tam inſignem in me accipiam, Gnatho? Mori me ſatius eſt.* Et bene, Qua spe, aut quo consilio? tanquam omnia expertus, & nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. Qua spa] Paraſitus intelligit quid agat miles: ſed ad hoc inducitur interrogare ipſum militem, ut populus audiat, quo conſilio veniat ad Thaidem. Quid nunc? qua spe.] Summa deſperatio eſt apud militem reconciliandae amicae, ad hoc ut aequo animo ferat admitti Phaedriam, dum ipſe quoque recipiatur. Nam non in fine fabulae contriſtandus eſt. Quid inceptas, Thraso?] *Incipere*, magnorum facinorum eſt, & audaciae.

COMMENTARIUS.

1. Qua spa, aut quo consilio huc imus?] Mſ. Lipſ. Qua spe huc imus? aut quo consilio? Quid inceptas?] Mſ. Lipſ. Quid ceptas?

 2. Quid

Th. Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat.
Gn. Quid eſt?
Th. Qui minus, quam Hercules ſervivit Omphalae? *Gn.* Exemplum placet.
Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput!

Sed

DONATI.

2. UT THAIDI ME DEDAM.] Poſt indictionem belli, & inſtructionem pugnae quid ſequatur, niſi deditio ſuperatorum? ET FACIAM QUOD JUBEAT?] Proprie: nam in deditione victores jubent, victi obſequuntur.

3. QUI MINUS, QUAM HERCULES SERVIVIT OMPHALAE?] Hic *Terentius* exprimit conſuetudinem, [1] in qua ignavis rationes criminum, & exempla [2] ſuppeditant. Nam ſic & ſupra de Pyrrho. Omphale Lydiae regina fuit, quae Herculem ſibi ſervientem etiam ad lanificium compulit: quum [3] ipſa calathum, & colum, cultuſque foemineos, ſagittis & clava, leoniſque tegmine mutaſſet. HERCULES SERVIVIT OMPHALAE.] Subauditur, *& ego ſerviam Thaidi?*

4. UTINAM TIBI COMMITIGARI VIDEAM SANDALIO CAPUT!] COMMITIGARI, eſt tundendo deprimi atque deponi. SANDALIO CAPUT.] Plus dixit CAPUT, quam ſi [4] aliam partem corporis diceret verberari. Et mire, calceamento caput verberari.

OBSERV. IN DONAT.

1. *In qua*] Videtur delendum τὸ *in*.
2. *Suppeditant*] Valet, *ſuppetunt*.
3. *Ipſa*] Edd. Venetae & Argentina, *ipſe*, ſub. Hercules.
4. *Aliam partem corporis diceret verberari.*] Edd. Venetae: *Aliam partem corporis, ut alibi, diceret verberari.*

COMMENTARIUS.

2. QUID EST? TH. QUI MINUS, QUAM HERCULES SERVIVIT OMPHALAE?] Omnia haec Georg. Fabritius vellet dicta a Gnathone. Ego vero, ſi per Codd. liceret, omnia nec Thraſoni adſcripſerim, nec Gnathoni; ſed putem, ordinem perſonarum eſſe turbatum, Thraſonemque, ubi dixiſſet, UT THAIDI ME DEDAM, ET FACIAM, QUOD JUBEAT, videntem Gnathonis admirantis vultum, mox ſubjunxiſſe, QUID EST? moxque Gnathonem, ne non adularetur in re quamlibet turpi, dixiſſe: QUI MINUS, QUAM HERCULES SERVIVIT OMPHALAE? demum Thraſonem, EXEMPLUM PLACET. Ad quae Gnatho converſus ad ſpectatores, UTINAM TIBI COMMITIGARI VIDEAM SANDALIO CAPUT! Quae ſequuntur, optime tribuuntur Thraſoni. Certe quidem QUID EST? Thraſonicum eſt ſupra III. 1. 37.

TH. QUID EST? GN. *Facete, lepide, laute, nil ſupra.*

Sic quod nemo Miloni Crotoniatae contendendo eripere malum Punicum potuit, amica eripuit. Aelian. V. H. II. 24. Alii, QUI MINUS HUIC.

4. UTINAM TIBI COMMITIGARI VIDEAM SANDALIO CAPUT!] Haec Gnatho ad ſpectatores converſus. Primum tangit morem mulierum, quibus uti ſandalia ornabant pedes, ita armorum vicem praeſtabant. Unde Perſius Sat. V. 169.

ſolea, puer, objurgabere rubra.

Plaut. Caſ. II. 8. 59.

ST. *Soleas.* CH. *Qui quaeſo potius, quam ſculponeas,*
Quibus batuatur tibi os, ſenex nequiſſime?

De Sandaliis vide Meurſ. Attic. Lect. III. 26. & Voſſ. Etymol. Tum COMMITIGARI eleganter dicitur duri militis CAPUT. Sic de Euphrate ante tumido, ſed nunc ſuperato, Virg. Aen. VIII. 726.

Euphrates ibat jam mollior undis.

Eleganter ex ambiguo de lenone colaphis contuſo, Adelph. II. 4. 12.

jam mitis *eſt.*

Plaut. Mil. V. 31.

Mitis *ſum equidem fuſtibus.*

Metaphora a ſalſamentis deſumta, quae verberando mollia fiunt. Dubium autem nullum

eſt,

Sed fores crepuere ab ea. *Th.* Perii! quid hoc autem 'ſt mali? Hunc ego numquam videram etiam. quidnam properans hinc proſilit?

DONATI.

5. Perii! quid hoc autem est mali?] Eunuchi habitu Chaerea, ſed virili confidentia proſilit, & militem velut novi rivalis terret aſpectu.

6. Hunc ego numquam videram.] Ideo Chaeream miratur.

COMMENTARIUS.

eſt, quin Gnatho reſpexerit ſortem Herculis, de qua ita Lucianus Lib. de Conſcrib. Hiſt. *Ἑωρακέναι γάρ πού σε εἰκὸς γεγραμμένον, τῇ Ὀμφάλῃ δουλεύοντα, πάνυ ἀλλόκοτον σκευὴν ἐσκευασμένον ἐκείνην μὲν, τὸν λέοντα αὐτοῦ περιβεβλημένην, καὶ τὸ ξύλον ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσαν, ὡς Ἡρακλέα δῆθεν οὖσαν. αὐτὸν δὲ ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι, ἔρια ξαίνοντα καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ.* Poſſitque videri fuiſſe Athenis Hercules *Κωμῳδούμενος*, quo reſpexiſſe Terentium ſuſpicatur Dacieria. Vide Turneb. Adverſ. XXIX. 8. & Iſ. Caſaub. ad Perſ. loc. cit. Nonius v. *Mitis* laudat e Turpilii Lindia: *Miſero mihi mitigabat ſandalio caput.* J. Gruterus & Guyetus in Gloſſis Mſſ.

ACTUS QUINTI

SCENA NONA.

CHAEREA. PARMENO. PHAEDRIA. GNATHO. THRASO.

Ch. O Populares! ecquis me vivit hodie fortunatior? Nemo hercle quiſquam: nam in me plane Dî poteſtatem ſuam

Om-

DONATI.

1. O Populares! ecquis me vivit hodie fortunatior?] *Hic perſona Chaereae eſt, fervens gaudio, ut adoleſcentuli eſt in proſperis rebus.* O populares!] Non mirum, ſi inſane exultat nuptiis, qui jamdudum ob id ſolum, quod vitiaverat virginem, laetabatur.

2. Nemo hercle quisquam.] Et interrogavit, & reſpondit ſibi. Nemo hercle quisquam.] *Παρέλκον* tertium.

COMMENTARIUS.

1. O Populares!] *Ω Δημόται*, Vide ad Phorm. I. 1. 1.

2. In me plane Dî potestatem suam omnem ostendere.] Deſcriptio ſummae felicitatis, qualis illa And. V. 6. 9.

ſolus eſt, quem diligunt Dii.

3. Con-

Omnem oſtendere: cui tam ſubito tot contigerint commoda.

Pa. Quid hic laetus eſt? *Ch.* O Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector! ſcin' me in quibus ſim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? *Pa.* Audivi. *Ch.* Scis ſponſam mihi?
Pa. Bene, ita me Dî ament, factum. *Gn.* Audin' tu illum, quid ait? *Ch.* Tum autem Phaedriae

Meo

DONATI.

3. CUI TAM SUBITO TOT CONTIGERINT COMMODA.] TAM qualitatis, TOT quantitatis eſt.

4. QUID HIC LAETUS EST?] Inventa perſona eſt, ad quam geſta haec narret Chaerea, ut populus & miles [1] inſtruatur, quid intus geſtum ſit.

5. INVENTOR, INCEPTOR.] *Invenire* ſapientis eſt: *incipere*, audacis, *perficere*, conſtantis. Ergo plena laudatio eſt. Et conſtat, hoc Chaeream laudative dicere. Nam in ſubditis ſolum conſilium attributurus eſt Parmenoni. SCIN' ME IN QUIBUS SIM GAUDIIS?] Σύλληψις. Et nota SCIN' ME: quum ſufficeret SCIN'. Ergo ME abundat: [2] & eſt figura ἀρχαϊσμός.

6. SCIS PAMPHILAM MEAM.] Amatorie dixit MEAM: vel potius ſponſam meam, vel quam amo. INVENTAM.] Cognitam. CIVEM.] Deeſt *eſſe*. SCIS SPONSAM MIHI?] Deeſt & *eſſe*. Et eſt *ſponſa* nunc participium.

7. AUDIN' TU ILLUM, QUID AIT?] Hoc vultu mutato & turbato dicitur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Inſtruatur*] Edd. Venetae: *inſtruantur*.
2. *Et eſt figura ἀρχαϊσμός*] Linacer VI. potius dicit eſſe Hellenismum, cum ſermo talis ſit familiaris Graecis.

COMMENTARIUS.

3. CONTIGERINT.] Alii, CONGRUERINT. de qua voce vide Feſtum.

COMMODA.] Mſ. Lipſ. COMMODO. Alii, BONA.

6. INVENTAM.] Ita eleganter de inopinato eventu. Phaed. I. 12. 1.

> *Laudatis utiliora, quae contemſeris,*
> *Saepe* inveniri.

7. BENE, ITA ME DÎ AMENT, FACTUM.] Editio anni 1469. BENE, ITA ME DÎ AMENT, BENE FACTUM.

8. FRATRI GAUDEO ESSE AMOREM OMNEM IN TRANQUILLO.] Summam ſecuritatem *tranquillum* & *rem tranquillam* dicunt. And. III. 5. 14.

> *Qui me hodie ex* tranquilliſſima *te conjeciſti in nuptias.*

Metaphora a mari tranquillo deducta. Phorm. IV. 4. 9.

> *Qui te ad ſcopulum* e tranquillo *inferat.*

Liv. XXIV. 8. *Quilibet nautarum vectorumque* tranquillo mari *gubernare poteſt: ubi ſaeva orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus eſt.* *Non* tranquillo *navigamus; ſed jam aliquot procellis ſubmerſi pene ſumus. Itaque quis ad gubernacula ſedeat, ſumma cura providendum ac praecavendum nobis eſt.* Et XXVIII. 27. *Multitudo omnis, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, ut venti & aurae cient, aut* tranquilli, *aut procelloſi.* Lucret. V. 11.

> *Fluctibus e tantis vitam, tantiſque tenebris*
> *In tam* tranquillo, *& tam clara luce locavit.*

Pari-

Meo fratri gaudeo amorem eſſe omnem in tranquillo: una 'ſt
domus.
Thais patri ſe commendavit in clientelam & fidem:
Nobis dedit ſe. *Pa.* Fratris igitur Thais tota 'ſt? *Ch.* Scilicet.
Pa. Jam hoc aliud eſt quod gaudeamus: miles pellitur foras.
Ch. Tum tu, frater ubi ubi eſt, fac quam primum haec audiat.
Pa. Viſam domum.
Th. Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?
Gn.

DONATI.

8. AMOREM ESSE OMNEM IN TRANQUILLO.] Bene, IN TRANQUILLO, quia mari & tempeſtatibus, amicae mobilitas & inſtabilitas comparatur. Sic [3] *Horat.*

Simplex munditiis? heu quoties fidem
Mutatoſque Deos flebit; & aſpera
Nigris aequora ventis
Emirabitur inſolens;
Qui nunc te fruitur credulus aurea.

UNA 'ST DOMUS.] Poſt Pamphilae nuptias.

9. THAIS PATRI SE COMMENDAVIT.] Hoc eſt quod profuit Phaedriae. IN CLIENTELAM ET FIDEM.] IN CLIENTELAM, ut ametur; FIDEM, ut defendatur.

10. FRATRIS IGITUR THAIS TOTA 'ST?] Bene TOTA: ut ne ex parte quidem ſit militis.

11. MILES PELLITUR FORAS.] Sunt gaudia ex noſtris bonis: ſunt gaudia ex aliorum malis, hoſtium aut inimicorum. Ergo utrumque genus gaudiorum complexus eſt.

12. VISAM DOMUM.] Bene domi quaeritur amator excluſus: nam neque ruri, neque in foro eſt.

13. PERPETUO PERIERIM.] Quia illud *periiſſe* ſupra, temporale videbatur. QUIN EGO NUNC PERPETUO PERIERIM.] Hic jam militi [4] neque ſerviendi amicae, ut apparet, praebetur locus.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Horat.*] Carm. I. 5. 5. 4. *Neque*] Ita in Mſſ. & editis. Mallem tamen cum Abr. Wielingio, *ne quidem.*

COMMENTARIUS.

Pariter *ſerenum* pro coelo ſereno.

UNA 'ST DOMUS.] Id vult Chaerea, poſtquam ipſe domum duxiſſet Pamphilam, & Thaidem ad ſe recepiſſet ſimul, Phaedriam jam tranquille frui ſuo amore poſſe.

9. THAIS PATRI SE COMMENDAVIT IN CLIENTELAM ET FIDEM.] Id προστάτην νέμειν Atticis dictum. Qui vero cives non eſſent, ſed inquilini, patronum autem non haberent, eo nomine in jus vocabantur, idque judicium ἀπροστασίου δίκη appellatum. Turneb. Adverſ. XII. 10.

10. TOTA.] Ita in poteſtate & arbitrio fratris, ut in nulla apud eam parte haereat miles. Liv. III. 59. *Quod adeo toti plebis fuiſſent, ut patrum ſalutis libertatiſque prior plebejo magiſtratui quam patricio cura fuiſſet.*

11. PELLITUR.] Mſ. Lipſ. & edit. 1469. PELLETUR. Pareus ex duobus Mſſ. citat, QUIA MILES PELLETUR FORAS.

12. VISAM DOMUM.] Glareanus & Georgius Fabritius cum Guyeto praeferunt DOMI, quomodo eſt in Mſ. Mark. & Boend. cum edd. vetuſtis. In quibus ita Donatus: *Viſam d.* unde vix conficias, *domi* legerit, an *domum*. Hoc Latinius videtur dictum, quod viſere motum ad locum notet. Sic ſupra III. 1. 4. *huc previſo*. Atque ita *viſere ad aliquem* paſſim dicitur. Mſ. Lipſ. & Traject. VISAM DOMUM. Ita & Mſſ. Leidenſium unus.

13. PERPETUO.] Certiſſime. Heaut. IV. 5. 35. & IV. 8. 22.

Gn. Sine dubio, opinor. *Ch.* Quid commemorem primum, aut laudem maxume?
Illumne, qui mihi conſilium dedit, ut facerem: an me, qui auſus ſim
Incipere? an fortunam collaudem, quae gubernatrix fuit:
Quae tot res, tantas, tam oportune in unum concluſit diem?
An mei patris feſtivitatem, & facilitatem? ô Juppiter!
Serva obſecro haec nobis bona. *Ph.* Dî voſtram fidem! incredibilia
Parmeno modo quae narravit. ſed ubi eſt frater? *Ch.* Praeſto adeſt.

Ph.

DONATI.

14. SINE DUBIO, OPINOR.] Quia non quis dicitur perpetuo periiſſe. Quid enim opus hac exceptione eſt, quando nemo ita perit, ut temporaliter pereat, & poſtea fiat non perditus? Correxit paraſitus ſtulti dictum militis: non illum PERPETUO, ſed SINE DUBIO [f] periiſſe, *opinari* reſpondens. Non eſt enim contrarium, *Opinor te periiſſe ſine dubio*, pro certo periiſſe. Confirmatur periiſſe miles, ut poſt tanta munera ex deſperato ſupplex, ex ſupplice patiens rivalis exiſtat. QUID COMMEMOREM PRIMUM?] *Διαπόρησις* oratoria familiaris laudantibus. [g] *Cicero, Unde igitur potius incipiam?* Hoc autem fit, ubi omnia & magna videntur & paria.

15. ILLUMNE, QUI MIHI DEDIT CONSILIUM.] Attribuuntur perſonis conſilia, facta, caſus, & orationes. Ergo hic laudatur conſilium Parmenonis, factum Chaereae, caſus fortunae, id eſt, eventus: oratio ſenis. ILLUM, QUI MIHI DEDIT CONSILIUM.] Tria ſunt in vita hominum, conſilia, facta, ſucceſſus. Conſilium animi eſt: Factum, corporis: Succeſſus, fortunae. ILLUM.]. Parmenonem ſcilicet.

17. QUAE TOT RES.] Bene, TOT RES: quaſi dicat, Eunuchum pro quo duceretur, commendationem virginis, abſentiam meretricis, occaſionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias.

18. AN MEI PATRIS FESTIVITATEM?] Etiam patri laus impartienda eſt. Nam non erat tranſeundum FESTIVITATEM, qua & feſtivus amatori non obſtitit, quod ignovit ut facilis: unde *feſtivitas* in dictis, *facilitas* vero in animo & factis. FESTIVITATEM.] Laetitiam: ut, *Feſtivus dies eſt.*

19. DÎ VOSTRAM FIDEM!] Cito intervenit Phaedria, utpote qui domi erat.

20. QUAE NARRAVIT.] Nimius affectus in utramque partem defectus orationis amat: eſt ergo ἔλλειψις: , deeſt enim *Gaudeo.*

OBSERV. IN DONAT.

5. *Periiſſe*] Scriptum fuerat, *periiſe*, i. e. *periiſſe ſe.*
6. *Cicero*] Locus inceſtus.
7. *Deeſt enim, gaudeo.*] Lectio ſuſpecta, quam cum verbis proxime ſequentibus ita ordino: *Deeſt enim, audio.* PH. GAUDEO. CH. SATIS CREDO. *Sic dici a gratulantibus ſolet.* Eruditiſſ. Wielingius pro *agentibus* legit *agentibus.*

COMMENTARIUS.

14. QUID COMMEMOREM PRIUS, AUT LAUDEM MAXIME?] Similis magnificae ἀπορίας exempla congeſſit Cerda ad Virg. Aen. XI. 664.

Quem telo primum, quem poſtremum, aſpera virgo,
Dejicis?

15. ILLUMNE, QUI] Mſ. Lipſ. ILLUM, QUI.

16. QUAE GUBERNATRIX FUIT.] Mallet Guyetus, GUBERNATOR, dicens, GUBERNATRIX. *vix dici poteſt.* Uſus tamen eſt Cicero de Oratore I.

9. *iſta*

Ph. Gaudeo. *Ch.* Satis credo. nihil eſt Thaide hac tua, frater, dignius
Quod ametur: ita noſtrae eſt omni fautrix familiae.
Ph. Mihi illam laudas? *Th.* Perii! quanto minus ſpei eſt, tanto magis amo. [ſice hoc
Obſecro, Gnatho, in te ſpes eſt. *Gn.* Quid vis faciam? *Th.* Per-
Precibus, pretio, ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem.

Gn.

DONATI.

21. SATIS CREDO.] Sic dici nota agentibus ſolet. Recte igitur huic dicitur, cui fiunt nuptiae, GAUDEO: & ille ſic reſpondet, ut amicis gratulantibus decet, SATIS CREDO. CREDO autem ideo, quia multi ſe fingunt gratulari, quum invideant: gaudere, quum doleant.

23. MIHI ILLAM LAUDAS?] Scilicet amatori ejus. Et MIHI pronunciatione juvandum eſt. PERII! QUANTO MINUS SPEI EST, TANTO MAGIS AMO.] Hic vero eſt ardor inſaniſſimus: ut [8] *Virgilius*,

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin:
Delicias domini.

Et profecto ſic eſt, [9] Sapientes ſpe maxime ad amorem coguntur: ſtulti forma tantum.

24. OBSECRO, GNATHO, IN TE SPES EST.] Mire, quaſi deſperatis omnibus auxiliis, abjecta nimis ſupplicatio inducitur. Nam & OBSECRO, & GNATHO, id ſignificant, & IN TE SPES EST. QUID VIS FACIAM?] Non eſt hoc interrogantis, ſed oſtendentis, non eſſe quid faciat.

25. PRECIBUS, PRETIO.] Nihil militi ſupereſt praeter precem, ut victo: & pretium, ut diviti. Nihil aliud optat, quam ſic res eant, ut perſona Thaidis conveniri poſſit. PRECIBUS, PRETIO.] Ἀσύνδετα, velut [10] afflicta, & laſſa, pronuncianda ſunt. PRETIO.] Varie: quia alibi dixit, *precario*. UT HAEREAM.] Τὸ HAEREAM ultimum genus beneficii eſt. IN PARTE ALIQUA.] [11] Non enim PARTE dixit; ut aequa intelligatur. TANDEM.] Et deſperantis eſt, & difficulter credentis. TANDEM, non eſt adverbium temporis: ſed nunc *Saltem* ſignificat.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Virgilius*] Ecl. II. 1.

9. *Sapientes ſpe maxime ad amorem coguntur.*] Malim: *Sapientes ſemper ratione ad amorem coguntur.*

10. *Afflicta & laſſa.*] Abr. Wielingius, *Afflicti & laſſi.* Forte, *ab afflicto & laſſo.*

11. *Non enim* PARTE *dixit.*] Dixit vero PARTE. Scilicet, Donatus explicitnrus τὸ ALIQUA, vel ſcripſit, *Non enim pari dixit*; vel, *Non enim* IN PARTE *dixit*. Eſt autem PARS JCtis ſimpliciter *pars aequa* ſeu aequalis. Julian. L. 10 ff. de Hered. Inſtit. Ulpian. Inſtit. Tit. XXIV. 25. Idem L. 164. de Verb. ſignif. Illa vero, *ut aequa*, Docliſſ. Wielingius legit, *ut non aequa*.

COMMENTARIUS.

9. *Iſta praeclara* gubernatrice, *ut ais, civitatum, eloquentia remp. diſſipaverunt* Plauto *Fortuna Divum atque hominum ſpectatrix atque hera* dicitur, Merc. III. 4. 12. Aliter Cicero Att. VIII. 4. *Cujus Fortunae nos, quantum humano conſilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus.* Vide porro de Fortuna gubernaculum manu tenente Heinſium, Introduct. ad Heſiod. Mſ. Lipſ. CONGUBERNATRIX.

19. PH. DI] Hic quibuſdam initium eſt novae Scenae.

23. MIHI ILLAM LAUDAS?] Rivius, Hui, MIHI ILLAM LAUDAS? praefert, ex Codd. emendatioribus.

QUANTO MINUS SPEI EST, TANTO MAGIS AMO.] Gravior enim amor fit ex deſpectione, vel deſperatione, ut ait Servius ad Virg. Ecl. VIII. 43. Mſ. Lipſ. QUANTO MINUS SPEI EST MIHI.

24. PERFICE HOC PRECIBUS, PRETIO.] Formulae ſpeciem habet. Phaed. V. 7. 18.

Adducit pretio, precibus.

25. UT HAEREAM IN PARTE ALIQUA TANDEM

Gn. Difficile eſt. *Th.* Si quid collibuit, novi te. hoc ſi effeceris,
Quod vis donum & praemium a me optato, id optatum feres.
Gn. Itane? *Th.* Sic erit. *Gn.* Si efficio hoc, poſtulo, ut mihi tua domus,
Te praeſente, abſente, pateat: invocato ut ſit locus

Sem-

D O N A T I.

26. Difficile est.] Vultu & pronunciatione, [12] aſſeveratione firmandum eſt. Si quid collibuit.] Ἔλλειψις: pro, Si quid collibitum eſt, efficis. Novi te.] Deeſt [13] *Perficis.* Sed ubique plura geſtu ſignificat miles, utpote infantiſſimus.

27. Quod vis donum, et praemium a me optato.] Donum, praemium eſt: & *munus*, praemium. Sed *donum*, praemium Diis datur: *munus*, praemium hominibus. Nam ſeparatim, donum Deorum eſt: praemium virorum eſt fortium: munus hominum. Et donum munuſque, tam ante factum, quam poſt factum datur: praemium non niſi poſt factum eſt. Donum voluntarium: praemium debetur. Alii ergo ἀσυνδέτως pronunciant, primo donum, & ſic praemium, quaſi unam partem orationis. Quodvis donum et praemium.] Donum, ut a largo homine: praemium, ut a praeclaro facinore. Quodvis donum et praemium a me optato, id optatum feres.] Donum optato, ob quod praemium accipias. Praemium a me optato.] Totum militariter. Nam & *optatio* dicitur, & *optari* a militibus. [14] ut alibi, *Vir fortis optet quod volet praemium.*

28. Si hoc efficio, postulo, ut mihi tua domus, te praesente, absente, pateat.] Proverbiale eſt, *Praeſente abſente*, ut *ſurſum deorſum*, *ultro citro*, & caetera hujuſmodi: *fanda nefanda*, *juſta injuſta*, *digna indigna*, *velit nolit.*

29. Invocato ut sit locus semper.] Invocato, non vocato ſignificat. *In* etenim auget & minuit dictionem. Invocato.] Male intelligitur precibus vocato, quum ſit αὐτομάτῳ, id eſt, etiam non invitando, quin ultro venire debeat ſuam domum.

O B S E R V. I N D O N A T.

12. *Aſſeverationa*] Codd. vetuſti: *Et aſſeveratione.*
13. *Perficis.*] Edd. Venetae & Argentina, *perficere.*
14. *Ut alibi.*] Videtur locus integer cum nomine auctoris excidiſſe.

C O M M E N T A R I U S.

apud Thaidem.] Ita legit Schottus, Nod. Cic. IV. 38. Gebhardus tamen, ad illa Ciceronis Fam. VII. 31. *Veni igitur, quaeſo, ne tamen ſemen urbanitatis una cum rep. intereat.* Plaut. Epid. II. 2. 7.

Nam ego illum audivi in amorem haerere *a-*
pud neſcio quam fidicinam.

Cic. pro Coel. 28. *Vigeant apud iſtam mulierem venuſtate: dominentur ſumtibus:* haereant, *jaceant, deſerviant.* Nimium vero a ſeſe mutatus Thraſo, qui non tantum priores partes poſtulaverat apud Thaidem, ſed & totam ſibi ſoli, nunc ſatis habet, ſi in parte aliqua apud eam haeret.

26. Si quid collibuit, novi te.] Duo Mſſ. Leidenſes, & Boend. Si quid collibuit tibi, est facile, novi te.

27. Quodvis donum et praemium a me optato.] Lectum olim etiam ἀσυνδέτως, teſte Donato. Et ita exhibet editio Aldina, & quaedam aliae. Sunt libri, in quibus eſt, Donum in praemium. In aliis, Donum a me et praemium optato. Cic. Philipp. V. 12. ex perſona Antonii: *Quid concupiſcas, tu videris: quod concupiveris, certe habebis.* Virg. Aen. I. 76.

tuus, ô regina, quid optes,
Explorare labor; mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Menand. Εὖξαι τί βούλει, πάντα σοὶ γενήσεται. Adde Georg. Fabritii Caſtigationes.

28. Ut mihi tua domus, te praesente, absente, pateat.] Cic. Fam. XIII. 17. *Domus ejus tota mihi patuit, qua, ſi opus fuiſſet, tam eſ-*

ſem

Digitized by Google

Semper. *Th.* Do fidem, futurum. *Gn.* Accingar. *Ph.* Quem hic ego audio?
O Thraſo! *Th.* Salvete. *Ph.* Tu fortaſſe, quae facta hic ſint, neſcis.
Th. Scio. *Ph.* Cur ergo in his ego te conſpicor regionibus?
Th. Vobis fretus. *Ph.* Scin' quam fretus? miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac poſt umquam, quod dicas mihi,
Alium

DONATI.

30. Do FIDEM.] Juro, confirmo, ſpondeo. ACCINGAR.] Non quia facile eſt, quod negavit ſupra, ſed ſuis votis paraſitus adductus eſt [15] ad coenandum: ideo & ACCINGAR dixit: ſic enim dicimus in magnis rebus ſuſcipiendis, ut

[16] *Accingunt omnes operi.*

31. SALVETE.] Supplex ſine gratia & [17] ſine timore, modo inimicus & infeſtus. TU FORTASSE, QUAE FACTA HIC SINT, NESCIS] Hoc totum ſuperbe ac minaciter inquit adoleſcens.

32. SCIO.] Compendium Poëtae: ne rurſus eadem dicerentur. CONSPICOR.] Commune verbum eſt *conſpicor*.

33. VOBIS FRETUS.] Et hoc ſtulte. quis enim & rivalibus & inimicis fretum ſe eſſe dicat? Deinde ἀνακόλουθον, & vitioſa reſponſio eſt. Niſi enim addideris *Sum*, erit ſoloeciſmus conveniens loquenti, impolito homini & militi. SCIN' QUAM FRETUS?] [18] Eſt ab * ea ſubaudiendum eſt. MILES, EDICO TIBI.] Hoc contumelioſe, & proprie ut Militi: MILES, inquit, EDICO TIBI.

34. SI TE IN PLATEA OFFENDERO HAC.] Hoc eſt, Si vel caſu invenero. Et IN PLATEA, inquit, non circa Meretricis fores. NIHIL EST QUOD DICAS.] NIHIL, pro non: ut ſit, non eſt quod dicas mihi: id eſt, nihil eſt quod dicas, pro, ut ut dicas mihi. ut ſit, QUOD, pro *ut*: aut QUOD, pro, quid dicas mihi. Certum eſt autem, ſic veteres locutos eſſe.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Ad coenandum.*] Lego, *ad conandum.* Neque enim de coena, ſed de conatibus in magnis rebus ſuſcipiendis ſermo eſt.

16. *Accingunt.*] Virgil. Aeneid. II. 235.

17. *Sine timore.*] Malim, *ſine honore.*

18. *Eſt ab * ea ſubaudiendum eſt.*] Mſ. Hulſt. *Eſſe ab ea, ſubaudiendum eſt.* Unde omnino videtur reſtituendum, *Eſſe debeas, ſubaudiendum eſt.* Confirmat conjecturam meam Guido Juvenalis, cujus haec verba: FRETUS. *i. e. confiſus.* VOBIS. *i. e. veſtra amborum clementia.* PH. SCIN'. *i. e. ſciſne.* QUAM. *i. e. quantum.* FRETUS, *i. e. confiſus eſſe debeas nobis.*

COMMENTARIUS.

ſem uſus, quam mea. Offic. II. 18. *Eſt enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus.* Quidam libri, UT TUA MIHI DOMUS. elegantius. Edit. anni 1469. TE PRAESENTE, TE ABSENTE.

29. INVOCATO.] Non vocato, ἀκλήτῳ, ὑδὶ καλυμένῳ. cujuſmodi & αὐτόκλητοι dicebantur. Plaut. Capt. I. 1. 2.

Et quia invocatus *ſoleo eſſe in convivio.*

Nepos Cim. 4. *Quos* invocatos *vidiſſet in foro, omnes devocaret.* Cic. Fam. VIII. 8. Invocatus *ad ſubſellia rei accurro.* Alii ita diſtinguunt. PATEAT INVOCATO, UT SIT LOCUS.

30. DO FIDEM.] Frequens Terentio. Cicero Fam. V. 11. *Quamcunque ei* fidem dederis, *praeſtabo.*

ACCINGAR.] Ita ſolent, rem ſeriam aggreſſuri. Phorm. II. 2. 4. Virgil. Aen. I. 210.

Illi ſe praedae accingunt, *dapibuſque futuris.*

32. CONSPICOR.] Mſ. Lipſ. CONSPICIO.

REGIONIBUS.] Intelligit ſimpliciter vias & plateas urbis. Suet. Caeſ. 39. init. Eſt autem *regio* major pars oppidi. Sic Roma olim in quatuor, ab Auguſto in quatuordecim *regiones* diviſa fuit.

33. VOBIS FRETUS.] Cic. pro Planc. cap. 42. *Sinite me, quod* vobis fretus *huic ſaepe promiſi, id a vobis ei perſolvere.* Gr. πεποιθώς.

34. SI TE IN PLATEA OFFENDERO HAC POSTUNQUAM, PERISTI.] Cic. pro Rabir. Poſtumo 11. ex

per-

Alium quaerebam, iter hac habui: periiſti. *Gn.* Eia, haud ſic decet.
Ph. Dictum eſt. *Gn.* Non cognoſco veſtrum tam ſuperbum. *Ph.* Sic erit.
Gn. Prius audite paucis: quod quum dixero, ſi placuerit,
Facitote. *Ph.* Audiamus. *Gn.* Tu concede paullum iſtuc, Thraſo.

Prin-

DONATI.

35. Alium quaerebam.] Aut alium pro *Quendam* poſuit: ut ſit, *quendam quaerebam*, id eſt, aliquem. aut alium, hoc eſt, non quem tu putas: hoc eſt, alium, non Thaidem. Sed ſi *aliam* diceret, neque commode, neque *ἐμφάνως* loqueretur. praevalet enim maſculinum genus. Periisti.] Ordo eſt, poſtquam in platea hac te offendero, periiſti. Eia.] [19] Interdum hortantis eſt. ergo nunc eia, correctionem ſignificat.

36. Non cognosco vestrum tam superbum.] Locutio annotanda: mire laudavit, ut perſuadere potuiſſet. Vestrum tam superbum.] Non, vestrum superbum. Vestrum tam superbum.] Abſolute: ut, *Pol, Crito, antiquum obtines.* Ergo ſubaudiamus vel *ingenium*, vel *animum*, vel *morem*, vel *inſtitutum*.

37. Prius audite paucis.] Mira inſinuatione agit: qui non ut conſentiant, ſed ut audiant, paucis petit. Et bene Prius, quaſi non obſtet, quo minus faciant quod velint. Tum deinde quo attentiores exiſtant, addidit paucis. Deinde, si placuerit. facilius enim flectitur, cum quo non pugnamus, ut conſentiat. Prius audite.] Fiduciam oſtentat perſuaſoriam rem dicturi.

38. Audiamus.] Bene: non *Faciamus*, ſed Audiamus dixit: nam prima oratoris impetratio in mala cauſa eſt, audiri meruiſſe. Tu concede paullum istuc, Thraso.] Thraſo hoc in bonam partem accepit: & ideo paret. putat enim vel turpe eſſe, ſi humiliter precetur ſuo nomine, ſeque audiente, paraſitus: vel incongruum ſibi, ſi [20] in os praeſens a Gnathone laudetur. Istuc, Thraso.] [21] Non ad ſe vocat: ſed locum oſtendit, quo abeat atque concedat.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Interdum hortantis eſt.*] Lego & diſtinguo: *Interdum hortantis eſt* eia, *nunc correctionem ſignificat.*

20. *In os praeſens.*] Libri veteres: *non praeſens.*

21. *Non ad ſe vocat.*] Videtur igitur Donatus legiſſe, huc.

COMMENTARIUS.

perſona Caeſaris: *Si te ſecundo lumine hic offendero, morière.* Martial. V. 49. 12.

Vites, cenſeo, porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, periſti.

Eſt vero *offendere* proprie alludere ad aliquid. Huic contrarium eſt *defendere*, h. e. repellere, removere, quod nocere poſſit. Gell. IX. 1. Unde Salluſtius Jug. 94. *Scuta Numidica* dicit *ex coriis facta, ponderis gratia, & ut offenſa levius ſtreperent.* Hinc porro *offendi* dicuntur homines, vel eorum animus, quando alliditur quaſi ad aliquod dictum vel factum aliorum hominum. Suet. Caeſ. 19. *offenſum patribus.* Demum *offendere* eſt incidere ſeu incurrere in alterum in publica via, atque adeo invenire quem, uti h. l.

Quod dicas mihi, alium quaerebam, iter hac habui: periisti.] Similis locutio infra Adelph. II. 1. 8. & Plaut. Aul. I. 2. 13.

Quod quiſquam ignem quaerat, extingui volo.

Mil. II. 2. 7.

Quod illic gallinam, aut columbam ſe ſectari, aut ſimiam
Dicat, diſperiſtis, ni uſque ad mortem male mulcaſſitis.

Petron. cap. 104. *Encolpion, quod quaeris, ſcito a me in navem tuam eſſe perductum.* Ubi vide Interpretes. Valet autem quod idem cum *quamvis.* Ovid. Arte I. 261.

illa

Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,
Me hujus quidquid facio, id facere maxume cauſa mea:
Verum idem ſi vobis prodeſt, vos non facere, inſcitia 'ſt.
Ph. Quid id eſt? *Gn.* Militem ego rivalem recipiendum cenſeo. *Ph.* Hem!
Recipiendum! *Gn.* Cogita modo. tu hercle cum illa, Phaedria,
Et

DONATI.

39. Principio, ego vos.] Videt neque ſe odio haberi, neque offendi animos audientium in militis nomine. Hoc ergo oratorie: pro eo homine in quo offenditur, eum in quo non offenditur, poſuit.

40. Me hujus quidquid facio, id facere maxime causa mea.] Deeſt *rei*, aut *eſt*: ut ſit, *Me hujus quidquid eſt quod facio, id facere maxime cauſa mea.* Hic a perſona diſceſſit: & rem non odioſam pro odioſa poſuit, id eſt, paraſiticam, pro aemuli amore & commodo.

41. Verum idem si vobis prodest.] Multum attulit ad perſuadendum: non eſſe commodum militi admitti, & ſuum commodum ipſorum eſſe commodum. Vos non facere, inscitia 'st.] Oratorie, & ſecundum inſinuationis praecepta ſic dixit: nam rem remittendo & dubitando, magis flectit animos, quam ſi aperte ac pertinaciter aſſeveret.

42. Militem ego rivalem recipiendum censeo.] Artificioſe ſatis, ſemel intulit omne quod durum dictu ad perſuadendum erat. Nam quod Militem et Rivalem dixit, ad eam rem valet, ut magis admittendus ſit, quam excludendus: & ſimul fiducia ſic dicentis, parat animos ad audienda quae dicet. Militem ego rivalem recipiendum censeo.] *Rivales* dicuntur aemuli de mulieribus, tacta tranſlatione nominis a feris beſtiis: quae ſitientes cum ex eodem rivulo hauſtum petunt, in praelium contra ſe invicem concitantur. Sic [22] *Cicero* pro Caelio, *Sin orit ex illo fonte rivalis*, inquit. Militem rivalem ego] Conſidera quo vultu hoc dicendum ſit: & intelliges, & militem, & rivalem, & recipiendum, & ego censeo, quanta ſignificent. Non enim dixit *Thraſonem*, ſed Militem: quod nomen ad ſtultitiam valet. Non *Socium*, ſed Rivalem: quo oſtendit, quandoquidem rivalis in meretrice capiendus eſt, hunc potius eligendum. Nec, *non Excludendum*, ſed Recipiendum dixit: ut & oſtenderet, adeo prodeſſe, ut etiam de induſtria retinendus ſit. Non, *volo* aut *rogo*, ſed censeo: ut conſiliarius, non Paraſitus, videatur loqui. Nam quod ego addidit, eo dicto uſus eſt, quo uti ſolent qui plus in negotio vident. Nam ſic in Phormione Juriſconſulti: *Ego quae in rem tuam fuerint, ea velim facias. Ego ſedulo hunc dixiſſe credo.. Ego amplius deliberandum cenſeo.* Censeo.] Vide virtutem Poëtae. non enim dixit *Peto*, ſed Censeo: tanquam illis modo conſulat, neque pro milite agat.

43. Cogita modo.] Modo, aut tantummodo ſignificat: aut temporis eſt adverbium. Et ſimul incerta diſtinctio eſt.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Cicero pro Caelio*] Cap. 8 Adſcribam integrum locum, ut diſcrimen appareat. *Si mihi ad haec acute, arguteque reſponderit: tum quaeram denique, ex quo iſte fonte Senator emanet. Nam ſi ipſe orietur, & naſcetur ex ſeſe; fortaſſe, ut ſoleo, commovebor: ſin autem, ut rivulus, arceſſitus, & ductus ab ipſo capite accuſationis veſtrae, laetabor.* Vide omnino Turneb. Adverſ. XXVII. 23.

COMMENTARIUS.

Illa quod *eſt virgo*, quod *tela Cupidinis odit;*
Multa dedit populo vulnera, multa dabit,

39. Vehementer velim.] Mſ. Lipſ. Vehementer volo.

40. Hujus quidquid facio.] Sic Heaut. III. 3. 10. *Nihil me iſtius facturum.*

44. Be-

Et libenter vivis: etenim bene libenter victitas.
Quod des, paullum eſt: & neceſſe eſt multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori ſuppeditare poſſit ſine ſumptu tuo.
Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex uſu tuo
Nemo 'ſt: principio & habet quod det, & dat nemo largius.
Fatuus eſt, inſulſus, tardus: ſtertit noctesque & dies.

Neque

DONATI.

44. Et libenter vivis.] Id eſt, bonorum ciborum edax es.

46. Suppeditare possit sine sumptu tuo.] Aut suppeditare, pro [23] *ſuppeditari:* aut deeſt *ſe*. Ut, [24] *Accingunt omnes operi.*

47. Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex usu tuo nemo 'st.] Locutio eſt ex negativis tertia: ut, *Agrum in his regionibus meliorem nemo habet.* Magis ex usu.] Pro utilior, & Magis opportunus, pro opportunior. Nemo 'st.] Hoc eſt, opportunus.

48. Habet quod det.] Ut dives. Et dat nemo largius.] Ut liberalis.

49. Fatuus.] Inepte loquens. A fando fatuus dicitur; inde *Fauni Fatui:* & Nymphae *Fatuae* dictae ſunt. Fatuus est.] Hoc ex uſu tuo. Insulsus.] Sine ſale & ſapientia: aut ſine ſaltu & facilitate. Fatuus est, insulsus.] *Fatui* ſunt, qui verbis & dictis fatui ſunt: *Inſulſi* vero, corde & animo. Fatuus est, insulsus.] Sunt qui *fatuum*, animo putant: *Inſulſum*, dictis. ſed male. Nam *Fatui* quoque Dii ſunt, qui & *Fauni* dicuntur: & non ſtulti, ſed multum fantes, id eſt, loquentes. Fatuus est, insulsus.] Haec quae nunc addidit, non ex ſuperioribus pendent: ſed cum ſuperiora valeant plurimum, (nam quia dives & liberalis, potuit obeſſe rivalibus) haec omnia bona in milite corrumpuntur, quod fatuus, quod insulsus, & caetera, quae ipſe perſequitur. Fatuus est, insulsus.] Haec bene adduntur: quia dixit, Et habet quod det, et dat nemo largius. Ad rem eam valebat, ut amaretur miles a meretrice, & praeponendus omnibus eſſet: ſed ingrata ſunt mulieribus, maximeque laſcivis, haec omnia quae ſubjicit. Fatuus est, insulsus.] Hoc pro acervo vitiorum, cum quadam vultus improbitate prolatum eſt, quo magis res in medio poſita eſſe videatur. Tardus.] [25] In Venerem ſcilicet. Tardus.] Corpore & membris: quamquam & intellectu *tardos* vocamus, qui ſtulti ſunt. Sed melius eſt ſic intelligi, ut ea vitia videatur dicere, quae inamabilem faciant etiam divitem, largumque amatorem.

Nam

OBSERV. IN DONAT.

23. *Suppeditari.*] Malim, *ſuppetere.*
24. *Accingunt.*] Virgil. Aeneid. II. 235.
25. *In Venerem.*] Sic Plaut. Caſ. V. 2. 12. Quintil. Inſtit. VI. 3. *Interrogatus, quid ſentiret de eo, qui in adulterio deprehenſus eſſet? Tardum fuiſſe reſpondit.*

COMMENTARIUS.

44. Bene libenter victitas.] ἡδέως, εὐπαθῶς. Sic Plaut. Moſtell. I. 1. 51.

Me victitare pulcre, *te miſeris modis.*

Et I. 2. 74.

victitabam volupe.

Cic. Fam. IX. 19. *Nuſquam ſe unquam* libentius, ſub. coenaſſe. Horat. Lib. II. Sat. 8. 3.

ſic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius.

Cato R. Ruſt. cap. 156. *Si voles in convivio multum bibere, coenareque* libenter. Hinc formulae illae in conviviis, *Bene vos, bene nos, bene me, bene te.* Vid. Plaut. Stich. V. 4. 27. Sub. vivere opto. Mſ. Lipſ. Benivolenter victitas. Guyeto, Etenim bene libenter victitas. quod des, paullum est, ineptorum interpolatorum addita-

Neque tu iſtum metuas ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.

Ph. Quid agimus? *Gn.* Praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto:

Accipit hominem nemo melius prorſus, neque prolixius.

Ph. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus eſt. *Ch.* Idem ego arbitror.

Gn.

DONATI.

Nam aut verba commendant: ut,

[26] *Pendetque iterum narrantis ab ore.*

Hic FATUUS. Aut ſapientia gratum facit: ut,

[27] *Multa viri virtus animo.*

Hic INSULSUS eſt. Sed mihi videtur *fatuum* dicere, qui tantum glorietur; & blandiri amicae neſciat. *Inſulſum*, qui non ſit ſalax, & cupidus coitus. *Tardum*, qui non facile explicet Venerem: quae res meretricibus odioſa eſt. STERTIT.] Plus dixit quam *dormit*. NOCTESQUE ET DISS.] Plus ſignificat, quam ſi diceret, *diebus & noctibus:* ut hoc ipſo nomine conſiliarii auctoritas ineſſe videatur.

50. UBI VELIS.] Quando vel quum.

51. QUID AGIMUS?] Initium conſenſionis, dubitatio eſt ejus qui negaverit. HOC ATIAM.] [28] *Deeſt*, vel *abeſt*. QUOD EGO.] Paraſitus ſcilicet. PRIMUM PUTO.] *Primum puto*, quaſi paraſitus.

52. ACCIPIT HOMINEM.] ACCIPIT, paſcit, invitat: ut,

[29] *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.*

NEMO MELIUS PRORSUS, NEQUE PROLIXIUS.] Horum alterum apparatum indicat, alterum copiam.

53. MIRUM, NI ILLOC HOMINE QUOQUO PACTO OPUS EST.] Facete dixit adoleſcens rei parcus, & qui putet amorem ſine damno eſſe oportere, quique feſellerit meretricem; non ſolum ejiciendum non eſſe militem, ſed etiam quovis modo ſuſtinendum ac perferendum. MIRUM, NI ILLOC HOMINE.] Obtinuit paraſitus jam quod negabatur. Primo deliberatum: ut, QUID AGIMUS? poſt conceſſum: ut, MIRUM NI ILLOC HOMINE QUOQUO PACTO OPUS EST. MIRUM, NI ILLOC.] Hic, inquit, ejuſmodi eſt, ut etiam cum mala conditione patiendus ſit. IDEM EGO ARBITROR.] Sane opus fuit conſenſione, praecipue Phaedriae, cujus res agitur: nam ita & ſervata perſona eſt tarde conſentientis amatoris.

OBSERV. IN DONAT.

26. *Pendetque.*] Virgil. Aeneid. IV. 79.

27. *Multa.*] Virgil. Aeneid. IV. 3.

28. *Deeſt* vel *abeſt.*] Ita Rob. Stephanus. Mſ. Hulſt. & Edd. vetuſtae adducunt me in ſuſpicionem, legendam eſſe, *Deeſt*, *ei eſt*, *vel*, *habet*.

29. *Illos.*] Virgil. Aeneid. III. 351.

COMMENTARIUS.

ditamenta ſunt. Inepte, ne quid gravius dicam.

46. SUPPEDITARE.] Sufficere, ſatis eſſe. Cic. Att. I. 14. *Si unquam mihi περίοδοι, ἢ καμπαί, ἢ ἐνθυμήματα, ἢ κατασκευαὶ* ſuppeditaverunt, *illo tempore.* Alii legunt, SUPPEDITARI. perperam.

48. NEMO 'ST.] Mſ. Lipſ. NEMO POTEST.

HABET.] Eleganter *habere* dicuntur divites. Curio Ciceroni Fam. VII. 29. *At illa noſtra praedicatio quanti eſt, nos, quod ſimus, quod* habeamus, *quod homines exiſtimemur, id omne abs te habere?* Ad quem locum vide quae notavit ὁ πάνυ Graevius. Sic *curam habendi* dixit Phaedrus Lib. III. Prol. 21. ſed & ἔχοντες Graecis ſunt divites.

52. ACCIPIT.] ἑστιᾷ. Plaut. Pſeud. V. 1. 9.

Itaque in loco feſtivo ſumus feſtive accepti.

Ovid. Faſt. II. 725.

Tarquinius juvenes ſocios dapibuſque meroque
Accipit. *ex illis Rege creatus ait.*

HOMINEM.] Libri quidam: HOMO. quomodo & Servius legit ad locum Virgilii Donato laudatum.

PROLIXIUS.] Magis opipare. Apulej. Metam. VII. ex correctione P. Colvii: *Exin me, ſuum ſoſpitatorem nuncupatum, matrona* prolixe quam

Gn. Recte facitis. unum etiam hoc vos oro, ut me in veſtrum gregem
Recipiatis: ſatis diu hoc jam ſaxum volvo. *Ph.* Recipimus.
Ch. Ac libenter. *Gn.* At ego pro iſtoc, Phaedria, & tu Chaerea,
Hunc comedendum & deridendum vobis propino. *Ch.* Placet.
Ph.

DONATI.

54. RECTE FACITIS.] Gratiarum actio eſt. UNUM ETIAM HOC VOS ORO.] Subtiliter etiam Paraſitus hic ſe adjungit, ſuaſque partes circa hos agit. UT ME IN VESTRUM GREGEM.] Jam hos laudat: & nimis Paraſitus eſt, ſi recorderis, eundem dixiſſe, *Faceto, lepide, laute, nihil ſupra.*

55. SATIS DIU HOC JAM SAXUM VOLVO.] Vide quemadmodum ſerpat paulatim etiam in eorum aſſentationem, ex vituperatione militis. HOC SAXUM VOLVO.] Proverbium in eos, qui inextricabili labore afflicti ſunt. Et bene SAXUM de ſtulto milite ait: & ſe ipſum Siſyphum fecit. HOC SAXUM VOLVO.] Velut Siſyphus apud inferos.

56. AT EGO PRO ISTOC, PHAEDRIA.] " Subaudiamus & *ſum hic.* aliter non, ut paraſitus ait. PHAEDRIA, ET TU CHAEREA.] Ambos nominat, quaſi legibus paciſcantur.

57. HUNC COMEDENDUM.] Cum caeteris rebus, ſummus Poeta etiam fidem oſtendit amicitiae paraſiticae, exemplo Gnathonis de milite loquentis hoc modo. PROPINO.] Facete ſic dixit, ut paraſitus, & quaſi de convivio loqueretur.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Subaudiamus, & ſum hic.*] In his nullus ſenſus. Unde & editio Argentina omiſit. Mſ. Hulſt. nihil expedit, legens, *ſubaudiamus & eum, qui hic.* Conjiciebam, ſcripſiſſe Donatum: *ſubaudi, aſſum, elixum.* Scilicet. imperitus Librarius non capiens illa, *ſubaudi, aſſum,* poſteriorem vocem tranſpoſitione literarum annectens priori, inde effinxit, *ſubaudiamus.* Pari ratione τὸ *elixum* deformatum in *hic ſum,* &, *ſum hic.* Similis jocus apud Plautum Moſtell. V. 1. 65.

Jam jubebo ignem & ſarmenta, carnifex, circumdari.

Verba ſenis interminantis ſervo. Reſpondet ſervus per jocum:

Ne faxis: nam elixus eſſe, quam aſſus, ſoleo ſuavior.

Et Poen. I. 2. 67.

Milphio, heus! Milphio, ubi es? MI. Aſſum *apud te, eccum.* AG. *Ego elixus ſei volo.*

Approbabit ſe mea conjectura, ſpero, ſi & a paraſito, & de milite comedendo verba dicta cogites. Id igitur vult Donatus, integrum verborum Gnathonis ſenſum fuiſſe: AT EGO PRO ISTHOC, PHAEDRIA, ET TU, CHAEREA, HUNC SEU ASSUM SEU ELIXUM COMEDENDUM ET DERIDENDUM VOBIS PROPINO.

COMMENTARIUS.

curabat. ubi vulgo legitur: *prolixe quaeritabat.* Cic. Fam. III. 8. *Liberalitas tua, ut hominis nobiliſſimi, latius in provincia patuit. Noſtra ſi anguſtior (etſi de tua* prolixa *beneficaque natura limavit aliquid poſterior annus, propter quandam triſtitiam temporum) non debent mirari homines, cum & natura ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior, & temporibus, quibus alii moventur, iiſdem ego movear.* Eſt igitur PROLIXIUS idem quod liberalius. Sic *fovere prolixius* dixit Suetonius Tit. 7. Sed *res prolixas*, ſecundas & proſperas vocavit Cato in Oratione pro Rhodienſibus, teſte Gellio, VII. 3. *Prolixa* etiam dicuntur, quae luxurioſe creſcunt; quales ſunt capilli prolixi. Oratio prolixa non aeque dicitur.

55. SATIS DIU HOC JAM SAXUM VOLVO.] Vel reſpicit de Siſypho fabulam, de qua vide Ovid. Metam. IV. 459. & reliquum Mytographorum chorum; vel ſpeciatim militem SAXUM vocat, h. e. ſtupidum. Heaut. IV. 7. 3. & V. 1. 44. Hec. II. 1. 17. Sic Plaut. Mil. II. 2. 80.

Herus meus elephanti corio circumtentus eſt, non ſuo;
Neque habet plus ſapientiae, quam lapis.

Et IV. 2. 33. *nullum eſt hoc ſtolidius* ſaxum.
In Mſ. Lipſ. τῷ VOLVO ſupraſcriptum, VERSO. Quomodo & Cicero videtur legiſſe, Tuſc. Quaeſt. I. 5. *num illud, quod Siſyphu'* verſat

Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum?

In editione anni 1469. eſt, JAM HOC SAXUM VOL-

Ph. Dignus eſt. *Gn.* Thraſo! ubi vis, accede. *Th.* Obſecro
te, quid agimus?
Gn. Quid? iſti te ignorabant: poſtquam eis mores oſtendi tuos,
Et collaudavi ſecundum facta & virtutes tuas,
Impetravi. *Th.* Bene feciſti: gratiam habeo maximam.

Nun-

DONATI.

58. » DIGNUS EST.] Haec verba ultima longi ſermonis, ejuſmodi ſunt, ut miles haec audiens, laudatum ſe eſſe, & approbatum exiſtimet. UBI VIS.] Honorifice revocat ablegatum cum injuria, dicendo UBI VIS: quia ACCEDE Imperativum erat: & UBI, niſi *quando* intellexeris, vitium eſt.

59. ISTI TE IGNORABANT.] » Figura ἀκυρολογία. Ad utrumque enim pertinet, & ad laudem, & ad mores. Et hoc ambiguum.

60. SECUNDUM FACTA ET VIRTUTES TUAS.] Et hoc ἀμφίβολον. Nam *virtutes* εἰρωνικῶς pro vitiis poſuit: ut, *Neſcis qui vir ſiet*: &, *Ornatus eſſes ex tuis virtutibus.* FACTA ET VIRTUTES.] Proprie FACTA militibus adſcribuntur. FACTA ET VIRTUTES.] Amarior eſt εἰρωνεία in vitioſos homines, quam veritas.

OBSERV. IN DONAT.

31. DIGNUS EST.] Crediderim, Donatum junxiſſe & Chaereae & Phaedriae verba. ita: CH. PLACET. PH. DIGNUS EST. Quae utraque, obſervante Anteſignano, de induſtria Poëtae duplicem videntur ſenſum continere; atque alio ſenſu a Thraſone, alio a Gnathone & ſpectatoribus intellecta. Sic enim intelligere potuit Thraſo, modo clariore voce prolata ſint, PLACET, *ut Thraſo recipiatur*; &, DIGNUS EST, *qui recipiatur.* Gnatho vero & ſpectatores hoc ſenſu, PLACET, *ut comedatur & derideatur*; &, DIGNUS EST, *quem comedendum & deridendum nobis propines.*

32. *Figura ἀκυρολογία.*] Editi veteres, Figura Διλογία. quae vera videtur lectio, tanto magis, quod mox dicet, *Et hoc ἀμφίβολον.*

COMMENTARIUS.

VOLVO. Adde Eraſm. Adag. *ſaxum volvere.*

57. HUNC COMEDENDUM ET DERIDENDUM VOBIS PROPINO.] Phraſis paraſitica. Vide Boecleri Chreſtomathiam, v. *comedere.* Ita Suidas: προπεπωκότες ἀντὶ τοῦ παραδεδωκότες ἐκ μεταφορᾶς δὲ λέγεται. Martial. V. 78.

Non deerunt tibi, ſi voles προπίνειν,
Viles Cappadocae, graveſque porri.

Jul. Capitolinus in M. Antonino Philoſopho, cap. 15. *Venenatam partem fratri edendam* propinans, *& ſibi innexiam reſervans.* Non igitur ad potum tantum, ſed & ad cibum refertur *propinandi* vocabulum. Eadem Καταχρήσει dixit Auſonius, Profeſſ. Burdig. Carm. IV. 20.

Vini cibique abſtemius.

Mſ. Lipſ. tamen legit: COMEDENDUM ET BIBENDUM VOBIS PRAEBEBO. Sed τῷ BIBENDUM ſupraſcriptum, DERIDENDUM. Et Fabrini edidit, BIBENDUM. Editio anni 1469. DERIDENDUM VOBIS PRAEBEBO. Et τὸ PRAEBEBO ex duobus Mſſ. laudat Pareus, ex tribus PRAEBEO. quod magno conatu defendit Muretus. Cicero autem *comedendi* verbo paſſim hoc ſenſu utitur. Et Plautus Pſeud. IV. 7. 25.

Jamne illum comeſurus *es*?

Moſtell. I. 1. 11.

Sine modo venire ſalvum, quem abſentem comes.

Sic Heaut. III. 1. 53.

Quid te futurum cenſes, quem aſſidue exedent?

59. ISTI TE IGNORABANT.] Non noverant te moreſve aut ingenium tuum. Heaut. I. 1. 53. Cic. in Verr. Act. I. 10. *Et committis, ut quod ille dictitat, alicui qui te* ignorat, *verum eſſe videatur?* Juſtin. XIII. 1. de amicis Alexandri: *Quippe ea formae pulchritudo & proceritas corporis, & virium ac ſapientiae magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos* ignoraret, *non ex una gente, ſed ex toto terrarum orbe electos judicaret.* Sed & *ignorari* dicitur, cujus vultus ignotus eſt. Vide Schefferum ad Phaed. V. 1. 10.

63. IN

Nunquam etiam fui uſquam, quin me omnes amarent plurimum.
Gn. Dixin' ego in hoc ineſſe vobis Atticam elegantiam?
Ph. Nihil praetermiſſum eſt. ite hac. Ω, Vos valete, & plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

DONATI.

62. NUNQUAM ETIAM FUI USQUAM.] NUNQUAM & locum, & tempus ſignificat: USQUAM, locum magis. NUMQUAM, pro non. Et NUMQUAM USQUAM, τῷ ἀρχαϊσμῷ, pro *non uſquam*, id eſt, nuſquam. QUIN ME OMNIS AMARENT PLURIMUM.] Contrarium ſuperiori. Quid eſt enim quod bene non ſecerit quicquam, ſi in illo eſt, ut ametur?

63. ATTICAM ELOQUENTIAM.] Et hoc εἰρωνικῶς, ut illa quae ſupra. ATTICAM dicit veram atque germanam, quia excultior eloquentia, dicitur *Attica*: & ſummi oratores, *Attici* appellati ſunt.

64. PRAETERMISSUM.] Et hoc anceps eſt, intellectu gemino ad utrumque. ITE HAC.] Quo vocat paraſitus? an ad meretricem? an ad coenam militis, ut promiſit? " *Hunc ego comedendum & deridendum vobis propino.* ITE HAC.] Comeſſatum ad militem, vel ad Thaidem. Si coenae interfuit meretrix: quomodo poſt acta ſunt omnia, cum mentio noctis non facta ſit? Omnis poſt coenam geſta ſunt: & non completa per rixam coena, ſuperfuit plurimum temporis ad agendum.

AELII DONATI *V. C. Oratoris Urbis Romae, Comment. in* TERENTI EUNUCHUM *explicit.*

OBSERV. IN DONAT.

33. *Hunc ego comedendum & deridendum vobis propino.*] Haec non agnoſcunt Editiones Venetae, ſed pro iis legunt; *Hoc ego credo, & cenſeo.* Crediderim ferme, utrumque eſſe a Donato.

COMMENTARIUS.

63. IN HOC INESSE VOBIS.] Mſ. Mark. VOBIS IN HOC ESSE.

ATTICAM ELEGANTIAM.] H. e. praecipuam. De qua paſſim Cicero. Magna Mſtorum pars cum Donato legit, ELOQUENTIAM. Sed & Eraſmus in Adag. Martial. IV. 86. 1.

Si vis auribus Atticis *probari,*
Exhortor, moneoque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari.

64. NIHIL PRAETERMISSUM EST.] Mſ. Lipſ. NIHIL PRAETER PROMISSUM EST CIↃ VOS VALETE PLAUDITE. CALLIOPIUS RECENSUI. Mſſ. Leidenſium unus: ω VOS VALETE. Mſſ. plurimi legunt, ut edidi. Si cum Mureto & Fabritiis legas, NIHIL PRAETER PROMISSUM EST, Phaedria per jocum confirmabit id, quod de Thraſone dixerat Gnatho. Atque ita ediderunt Juntae, Fr. Raphelengius, alii.

ITE HAC.] Editio anni 1469. ITE HAC. ω VOS VALETE PLAUDITE. Quod vero in quibuſdam Libris legeretur, ITE HAC O VOS VALETE ET PLAUDITE, inde natum autumat Georg. Fabritius, ITE HAC OMNES, quod eſt in quibuſdam Mſſ. & editis.

FINIS EUNUCHI.

P. TE-

P. TERENTII
HEAUTONTIMORUMENOS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. CORNELIO LENTULO L. VALERIO FLACCO AEDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO ET L. ATTILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII. GRAECA EST MENANDRU. ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS; DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA III. EDITA M. JUVENTIO ET M. SEMPRONIO COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.			
ANTIPHILA,	*amica Cliniae.*	MENEDEMUS,	*Cliniae pater.*
BACCHIS,	*amica Clitiphonis.*	NUTRIX.	
CHREMES,	*Clitiphonis pater.*	PHRYGIA,	*ancillæ.*
CLINIA,	*Menedemi filius.*	SOSTRATA,	*Chremetis uxor.*
CLITIPHO,	*Chremetis filius.*	SYRUS,	*ſervus Chremetis.*
DROMO,	*ſervus Menedemi.*		

PERSONAE MUTAE.

ARCHONIDES,	*ſenex.*	PHANOCRATES,	*ſenex.*
CRITO,	*ſenex.*	PHILTERA,	*anus.*
PHANIA,	*ſenex.*	SIMUS.	*ſenex.*

Digitized by Google

C. SULPITII APOLLINARIS

PERIOCHA

IN TERENTII HEAUTONTIMORUMENON.

IN militiam proficiſci gnatum Cliniam
Amantem Antiphilam compulit durus pater:
Animique ſeſe angebat, facti poenitens.
Mox ut reverſus eſt, clam patrem divortitur
Ad Clitiphonem, is amabat ſcortum Bacchidem.
Cum arceſſeret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac ſervolae
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic technis Syri,
Decem minas meretriculae aufert a ſene.
Antiphila Clitiphonis reperitur ſoror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

Digitized by Google

JO. CALPHURNII
BRIXIENSIS VIRI CLARISSIMI
IN P. SEXTI TERENTII HEAUTONTIMORUMENON
PROLEGOMENA.

HAec fabula, Menandri Graeca: quae facta a Terentio Latina, nomen idem obſervavit, ne Graeci nominis euphoniam perderet: quod Terentius minus laudis exiſtimaret propria ſcribere, quam Graeca transferre. Nomen habet a ſene ſeipſum excruciante ob filii abſentiam: quem amantem, duritia ſua in militiam proficiſci compulerat: ἑαυτὸν τιμωρούμενος, Latine, ſe ipſum excrucians interpretatur. Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas, ex utroque genere miſtas, praeter hanc. Nam Comoediae aut motoriae ſunt, aut ſtatariae, aut miſtae. Motoriae, turbulentae: Statariae, quietiores: Miſtae, ex utroque actu conſiſtentes. In hac, quae plurimum delectat & actu & ſtilo, primae partes ſunt Menedemi & Chremetis: ſecundae Cliniae & Clitiphonis: tertiae Syri: & ſic deinceps. Haec etiam, ut caeterae, quinque actus habet, Prologum concitatum. Nam & ſe purgat, & in laedendis adverſariis eſt occupatus. Argumentum quoque non ſimplicis negotii habet, nec unius adoleſcentis, ut in Hecyra: ſed duorum, [1] ut in fabulis.

1 *Ut in fabulis.*] Mſ. & editi veteres, praeter Lindenbr. *Ut in caeteris fabulis.* Quae omnino vera videtur lectio.

M. ANT. MURETI
ARGUMENTUM.

CHremes Soſtratae uxori gravidae imperat, ſi puellam pareret, ut eam ſtatim interficeret. Fuit haec immanitas in veterum moribus, ut, quum fera nulla ſit, quae foetus ſuos non diligat, ipſi quos alere nollent liberos, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent. Soſtrata puellam enixa (ut eſt maternus ſemper animus clementior) vitam ei adimere non ſuſtinuit: ſed paupercul ae cuidam anui Corinthiae, Philterae nomine, exponendam dedit: etiamque, muliebri quadam ſuperſtitione, annulum, de digito detractum ſuo, juſſit, ut una cum puella exponeret. Id, quod tum ſtulte factum videri poterat, poſtea puellae ſaluti fuit; ejus enim annuli ope tandem agnita eſt a ſuis. Anus acceptam puellam Antiphilam nominat, educatque ut ſuam. Eam, quum adoleviſſet, anuſque illius filia putaretur, Menedemi filius Clinia perdite amare coepit, prope jam ut pro uxore haberet: quod ubi reſcivit pater, ita violenter tulit, ut filium, aſſiduitate jurgandi, clam militatum in Aſiam abire coëgerit. Tum vero qui filii amorem iniquo animo tulerat, multo iniquiore ejuſdem abſentiam ferre coepit. Itaque ut de ſe ſupplicium abſenti filio daret, qui eum ſaevitia ſua exegiſſet ex aedibus, aedes, ſupellectilem, familiam vendit, praeter, qui ſervi ad opus ruri faciundum utiles erant: ingentemque ſibi agrum compa-

comparat, ubi a prima luce ad noctem non ſervos modo exerceret, verum etiam, homo ſexagenarius, ſenectutem miſeris modis excruciaret ſuam. Profecto Clinia, Philtera, quae, ut dixi, Antiphilae putabatur mater, extremum vitae diem morte confecit. Clinia, quum jam menſes tres abfuiſſet, amicae deſiderio reverſus, non auſus eſt patri ſe in conſpectum dare, antiquam illius aſperitatem veritus, ſed ad Clitiphonem, Chremetis filium, divertit, quicum magna ipſi a puero familiaritas interceſſerat. Clitipho, ſodalis reditu laetus, Syrum & Dromonem ſervos (jam autem adveſperaſcebat) in urbem, ad arceſſendam Antiphilam, mittit. Expoſuerat eo ipſo die Menedemus Chremeti, quanto ſibi deſiderio eſſet filius: parum ut abfuerit, quin Chremes, quum primum de reditu Cliniae accepit, mitteret qui ei nunciaret: continuit tamen ſe in diem poſterum; quod ita magis e re illius fore cenſeret Syrus, ſumma ſervus & audacia, & aſtutia: qui quum Antiphilam tantum arceſſere juſſus eſſet, etiam Bacchidem adduxit. Erat haec meretrix, procax, potens, ſumptuoſa, nobilis, cujus ſe amore haud ita pridem irretierat Clitipho. Quo autem res Chremetem lateret, hoc conſilium capiunt, ut Bacchidem quidem amicam Cliniae, Antiphilam vero unam de illius ancillis eſſe ſimularent. Poſtridie mane Chremes ad Menedemum diluculo proficiſcitur, & rediiſſe Cliniam nuntiat. Ille gaudio amens, filium jam jam videre, jam jam amplecti, jam jam ei ſe ſuaque omnia permittere cupiebat. At Chremes, cave, inquit, faxis: iſtoc enim modo & te, & eum, & rem una perdideris tuam: ſimul ei oſtendit, quot incommoda capturus ſit. ſi tam molli eſſe ſe, tamque infracto animo oſtenderit. Cliniae amicam (eam enim Bacchidem exiſtimabat, non jam pauperculam eſſe, aut parvo contentam, ut antea; ſed ſumptuoſam, gemmis atque auro collucentem, cum familia numeroſiſſima. Una, inquit, mihi nox tantum non paupertatem attulit, nedum tu te cenſeas oneri ferendo fore, ſi te illi perpetuo ſumptibus ſuppeditare oporteat. Quin tu ita potius agito. Humane quidem & comiter excipito filium: iſtud tamen tam impotens illius deſiderium occultum habeto: tum ſi ille, quod amicae det, ut habeat, machinam adverſum te aliquam ſtruet, falli te ſinito: ita & eum commodius retinebis apud te, & ſumptuum facies minus. Haec Chremes, neſcius (ut ſunt humana) oculatum foris eſſe ſe, coecum domi. Interea enim meditabatur Syrus, decem minas, quas Bacchidi pollicitus erat dare, eas quomodo illi a Chremete ipſo conficeret: jamque inibi erat, quum eum Chremes arreptum blande compellat, hortaturque, aliquam ad Menedemum fallaciam moliatur. Injecit in ſermone Syrus mendacium a ſe pro tempore confictum: anum Corinthiam, Antiphilae (ita enim putabatur) matrem, mille drachmarum mutuo accepiſſe a Bacchide: ea mortua, puellam pro pecunia illa arrhaboni relictam. Dum haec aguntur, annulum ſuum agnovit Soſtrata, ejuſque indicio, Antiphilam filiam ſuam eſſe cognovit. Gaudio exſiliens, omnem rem defert ad virum; qui, ea leviter objurgata, ob repertam tamen filiam ipſe quoque gaviſus eſt. Jam omnia in tranquillo erant; abſque Bacchide fuiſſet. Sed & illi quoquo modo decem excudendae erant argenti minae & periculum erat, ne aliqua eam Chremes filii amicam eſſe reſciſceret. Ibi Syrus audax conſilium init, quomodo & utrique ſeni rem, ut erat, patefaceret, & commode ſe e tam impedito negotio expediret. Primum igitur Chremeti, Reperi, inquit, quomodo argentum a Menedemo eripiam: dicemus ei, Bacchidem hanc tui Clitiphonis amicam eſſe: orabimuſque ut eam domi ſuae dies aliquot eſſe patiatur; teque id celatum velit. Porro Clinia filiae tuae, quae modo reperta eſt, formam ſibi complacitam eſſe dicet, eamque petet uxorem. Quid tum? pecuniam, inquit, petes a patre ſuo, qui novae nuptae ornamenta coëmat: eam pecuniam numeraturus eſt Bacchidi. Jam autem ad Menedemum, Syri hortatu, tranſierat Bacchis, & eo pompam omnem ſuam tranſduxerat. Chremes, primo non ſatis conſilium illud probare: at illam certe, inquit Syrus, pecuniam, pro qua filia tua oppoſita erat pignori, quin diſſolvas, facere honeſte non potes. Ego vero, inquit Chremes, & libenter quidem. Immo vero, infit Syrus, dato eam Clitiphoni, qui ad Bacchidem deferat: ita enim facilius credet Menedemus, eam illius eſſe. Sit ita ſane. Numeratur a patre Clitiphoni pecunia, quam ad meretricem perferret. Interea tota res detegitur: indignari Chremes, & fremere, & minitari ſe omnia atrociſſima exempla editurum. Tandem, quum prius Antiphilam Cliniae collocaſſet, partim Menedemi, partim uxoris precibus delinitus, ignoſcit. Clitipho ſe, relictis meretriciis amoribus, uxorem ducturum pollicetur. Quum autem caeterarum fabularum argumentum uno die contineri ſoleat, hujus non niſi biduo explicari poteſt,

PUBLII

Digitized by Google

PUBLII TERENTII CARTHAGINIENSIS HEAUTONTIMORUMENOS.

PROLOGUS.

Ne cui ſit veſtrum mirum, cui parteis ſeni
Poëta dederit, quae ſunt adoleſcentium,
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.

CALPHURNII.

1. NE CUI SIT VESTRUM MIRUM.] Prologus concitatus: nam & ſe purgat, & adverſarium acriter terret. Actor quoque, ex commodo ſuo, cur hanc Comoediae actionem ſusceperit, cauſas affert. * PARTES SENI.] Bene dixit, PARTES; nam quum Comoedia quinque Actus habeat, erat, ut inquit Pedianus, perſona primarum Partium, erat & ſecundarum, & ſic reliquarum. ¹ Cic. in Divinat. *Ut in Actoribus Graecis fieri videmus, ſaepe illum, qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium.* Erant igitur partes ſenum, erant adoleſcentum. Hinc tractum eſt, ut dicatur, meae partes ſunt, tuae partes ſunt. * SENI.] Per *ſenem* intelligit ſe ipſum, qui jam ſenio ſit confectus.

* 3. QUOD VENI.] Deeſt, propter.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Cic. in Divinat.*] Integra Ciceronis verba in Q. Caecilium Divinat. cap. 15. ſunt: *Ut in Actoribus Graecis fieri videmus: ſaepe illum, qui eſt ſecundarum, aut tertiarum partium, quum poſſit aliquanto clarius dicere, quam ipſe primarum, multum ſummittere, ut ille princeps quam maxime excellat; ſic faciet Alienus: tibi ſerviet, tibi lenocinabitur: minus aliquanto contendet, quam poteſt.* Ad quae verba ita Aſconius Pedianus: *Comoedia quinque Actus habet, hoc eſt, quinquies ducitur in ſcenam. Eſt ergo perſona primarum partium, quae ſaepius Actu regreditur: ſecundarum & tertiarum, quae minus minuſque procedunt. Terentius in Phormione: Qua, primas partes qui aget, is erit Phormio.* Forte legendum: *in Actum regreditur.*

COMMENTARIUS.

1. PARTES.] Prologi ſcilicet. Quas partes agebant paſſim adoleſcentes, quod hi melius viderentur conciliare favorem ſpectatorum. Unde h. l. tanquam inſolitum notatur, Poëtam haſce partes dediſſe ſeni; ſcilicet ut potius orator eſſet, quam Prologus. Vide mox ad verſ. 10.

3. ID PRIMUM DICAM.] Reponit Guyetus, Goveanum ſecutus: ID DEINDE DICAM: PRIMUM QUOD VENI ELOQUAR. Scilicet viſus multis Terentius ὑστερολογεῖν, qnod non facit, ſi quae inter verſum 4. & 10. ſunt intermedia, ὡς ἐν παρόδῳ de argumento dicta ſtatuas. Inde igitur a verſu 10. ad 16. primo membro defungitur; inde rurſus ad finem, quid venerit, edifferit. Conſule Scalig. Art. Poët. VI. 3. Edit. anni 1469. QUID VENI.

Ex integra Graeca, integram Comoediam
Hodie ſum acturus, Heautontimorumenon.
Duplex quae ex argumento facta 'ſt ſimplici.
Novam eſſe oſtendi, & quae eſſet: nunc qui ſcripſerit,
Et cuja Graeca ſit, ni partem maximam
Exiſtimarem ſcire veſtrum, id dicerem.

Nunc

CALPHURNII.

4. EX INTEGRA GRAECA.] Terentius Hecyram & Phormionem ab Apollodoro tranſtulit, reliquas quatuor a Menandro.

7. ET QUAE ESSET.] Id eſt, quo nomine vocaretur.

* 8. CUJA GRAECA SIT.] Antique dictum.

* 10. HAS PARTES DIDICERIM.] Docet Poëta, diſcit Actor, edunt Magiſtri.

COMMENTARIUS.

4. EX INTEGRA GRAECA.] A nullo tractata, nunquam e Graeco traducta, niſi mavis accipere pro non contaminata. Vide ad And. Prol. 16.

5. HEAUTONTIMORUMENON.] Meminit & explicat Cicero Tuſc. III. 27. *Quid ille Terentianus* IPSE SE PUNIENS, *id eſt*, *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*? Et Horat. Serm. I. 2. 20.

ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miſerum gnato vixiſſe fugato
Inducit, *non ſe pejus* cruciaverit, *atque hic.*

6. SIMPLICI] Guyetus ex Bembino Codice legit, DUPLICI. Sed notat Faërnus, id in eodem libro mutatum in SIMPLICI; quomodo & Eugraphius legit. Invertit ordinem Tan. Faber, legens, SIMPLEX QUAE EX ARGUMENTO FACTA EST DUPLICI. Additque, *Comoedia ipſa ſimplex eſt*, *argumentum autem duplex*. Fabrini nihilo melius: *La qual Comedia doppia*, *cioè Greca e Latina*, *perche Menandro la fece Greca*, *e Terentio l'ha fatta Latina è d'una materia ſemplice.* Nannii haec ſunt, Miſcel. Lib. I. *Nihil difficilius*, *quam intra unam Periocham Comoediae duplex argumentum contineri. Id autem fit*, *quum omnes perſonae*, *aut pleraeque geminantur*, *ut ſunt*, *duo ſenes*, *duo amatores*, *duae amicae*, *quae res ingenioſiſſimae dexteritatis eſt*, *ita ut omnia unius corporis eſſe videantur. Unius autem adoleſcentis amores plenam ex ſe Comoediam abſolvere poſſunt*, *ut videre licet in Hecyra. Quanto autem Comoedia πολυπροσωπότερος*, *tanto elegantior & doctior habetur. Hic autem duo filii familias amatores*, *duae amicae*, *duo ſenes*, *duo ſervi. Iſta omnia ſimplicia erant in Menandro.* Id igitur quum praeſtitiſſet Terentius in hac Fabula, quae *ſimplex* erat Menandri, poterat vero eatenus dicere, NOVAM ESSE OSTENDI. Exiſtimant autem J. C. Scaliger, Arte Poët. VI. 3. Georg. Fabritius, Dacieria, alii, recitationem hujus Fabulae ipſis Liberalibus ante coenae tempus coeptam, Actuſque priores duos ſub crepuſculum finitos, poſtridie demum peractam eſſe. Vide ad Act. III. 1. 1. Verum haec diviſio Actuum & Dierum nihil videtur oppoſita eſſe ARGUMENTO SIMPLICI. Litem porro Criticorum, ſitne ſcripta haec Comoedia ſecundum leges Theatrales, an ſecus, non facio meam.

7. NUNC QUI SCRIPSERIT.] Suſpectum mihi ſemper viſum τὸ NUNC, tanto magis, quia continuo ſequitur, NUNC, QUAMOBREM HAS PARTES DIDICERIM. Crediderim fere, ſcripſiſſe Poëtam, NAM QUI SCRIPSERIT. Optimo, ſi quid video, ſenſu. Firmat conjecturam Guyetus in gloſſis Mſſ.

10. QUAMOBREM HAS PARTES DIDICERIM] Proprie de dicendis & agendis in Comoedia. Petron. cap. 80.

Grex agit in ſcena mimum, *pater ille vocatur*,
Filius hic, *nomen divitis ille tenet.*
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, *aſſimulata perit.*

Ubi vide Wouwerium. Horat. Epiſt. II. 1. 170.

aſpice, *Plautus*
Quo pacto partes *tutetur amantis ephebi*;
Ut patris attenti, *lenonis ut inſidioſi.*

Idem Arte Poët. 193.

Acto-

Nunc, quamobrem has parteis didicerim, paucis dabo.
Oratorem voluit eſſe me, non Prologum.
Veſtrum judicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc ſcripſit, quam dicturus ſum.

Nam

CALPHURNII.

11. ORATOREM VOLUIT ESSE ME, NON PROLOGUM.] Officium *Prologi*, ante narrationem rei ſemper eſt: verum tamen & poſt principium fabulae inducitur, ut apud Plautum in Milite glorioſo, & apud caeteros magnae auctoritatis veteres Poëtas. ORATOREM.] Sic in Prologo Hecyrae: *Orator ad vos venio cum ornatu Prologi.* ORATOREM.] ORATOREM audire oportere, jus gentium eſt. ORATOREM non [a] liceat injuriam pati. Ne igitur patiatur injuriam, non ſe PROLOGUM, ſed ORATOREM nominat. Et *Orator* eſt qui rogat. *Exorator*, qui impetrat. Alibi Terent. *Orator ad vos venio, ſinite exorator ſiem.* Et *Orator* eſt, cui cauſa defendenda mandatur.

* 13. TANTUM.] Quaſi dicat: Actor facundia tantum valebit ſeu poterit, quantum Poëta inventione commoda.

A FACUNDIA.] Bene FACUNDIA, non, *Eloquentia. Facundus* dicitur, qui bene fari poteſt. *Eloquens*, qui & invenit, & dicit.

OBSERV. IN CALPH.

a. *Liceat.*] Rectius in Mſ. & editis vetuſtis, *Licet.*

COMMENTARIUS.

> *Actoris* partes *chorus, officiumque virile*
> *Defendat.*

Unde eleganti tranſlatione cujuſque officium & vitae conditio *partes* dicuntur. Phaed. III. 18. 10.

> *Fatorum arbitrio* partes *ſunt vobis datae.*

Liv. XXIV. 7. *Uni ex eis, Dinomeni fuit nomen, quia cuſtos corporis erat*, partes *datae ſunt.* Edit. anni 1469. PARTES DEDERIM.

PAUCIS DABO.] Breviter exponam. Virg. Ecl. I. 19.

> *Sed tamen, iſte Deus qui ſit*, da, *Tityre, nobis.*

Sunt autem elegantia *dandi, accipiendi*, & *habendi* verba in narratione rerum, Ciceroni amata.

11. ORATOREM.] Cauſae patronum. quales cauſam orare & perorare dicuntur. Niſi cum Calphurnio pro Legato accipimus. Quo ſenſu ACTOR erit *un harangueur*. Guyetus commodum ſenſum hujus verſus non videns, integrum Prologum ſuppoſititium vocat.

13. SED HIC ACTOR TANTUM POTERIT A FACUNDIA.] Pene invidioſa laus hujus Comoediae, quae & ingenioſe ſcripta, & commode recitata ſit. Quid vero, ſi per interrogationem legatur: SED HIC ACTOR TANTUM POTERIT A FACUNDIA, QUANTUM ILLE POTUIT COGITARE COMMODE, QUI ORATIONEM HANC SCRIPSIT, QUAM DICTURUS SUM? Si ita accipias, peribit omnis invidia, & vel negatio erit, vel certe dubitatio, & omnis laus in unum Terentium conferetur. Et ſane ita eſt in Mſ. Boendermi. Eſt autem eleganter dictum, TANTUM POTERIT A FACUNDIA. Dicitur enim *poſſe* de Oratore ita eloquente, ut facile omnibus perſuadeat. Reineſ. Inſcript. III. 47.

ORATORI. POTENTISSIMO.

Ita de ipſo Servatore Chriſto, Luc. IV. 32. Ἐν ἘΞΟΥΣΙΑ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ. q. d. *In* POTENTIA *erat ſermo ejus.* Et XXIV. 19. ΔΥΝΑΤΟΣ ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ. POTENS *in opere & ſermone.* Porro autem A FACUNDIA valet *per facundiam*, quod ad facundiam attinet. Plaut. Aul. II. 2. 9.

> ME. *Ain' tu te valere?* EU. *Pol ego haud* a
> pecunia *perbene.*

Cic. Att. VII. 15. *Sumus enim flagitioſe imparati, cum* a militibus, *tum* a pecunia. Idem Fam. X. 15. *Antonius* ab equitatu *firmus eſſe dicebatur.*

14. COGITARE.] Excogitare, meditari, invenire. Phorm. II. 1. 10. Phaed. III. Prol. 38.

> *Ego porro illius ſemita feci viam,*
> *Et* cogitavi *plura, quam reliquerat.*

Nam quod rumores diſtulerunt malevoli,
Multas contaminaſſe Graecas, dum facit
Paucas Latinas: factum hic eſſe id non negat,
Neque ſe id pigere: & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

Tum

CALPHURNII.

16. NAM QUOD RUMORES DISTULERUNT.] Id quod malevoli vitio dant ſibi, ſibi laudi aſcribit: ſeque exemplo praeſtantiſſimorum Poëtarum defendit, qui idem factitaverunt. DISTULERUNT, divulgaverunt.

19. AUTUMAT.] Opinatur, dicit, cenſet.

20. HABET BONORUM EXEMPLUM.] Videlicet, Plauti, Naevii, Ennii, quos auctores Terentius [3] habet, ut in Prologo Andriae fatetur:

Qui cum hunc accuſant, Naevium, Plautum, Ennium
Accuſant: quos hic noſter auctores habet.

OBSERV. IN CALPH.

3. *Habet.*] Mſſ. & edit. Argent. 1499. *Habebat.* Ideo verius, quia non Prologi, ſed Calphurnii verba ſunt.

COMMENTARIUS.

Nepos Datam. 6. *Quod ad ſuam perniciem fuerat* cogitatum. Liv. II. 55. *Aliud agendum, ac* cogitandum.

COMMODE.] Opportune, & quae tempori conveniunt. And. III. 1. 17. Plaut. Poen. I. 2. 189.

Aliquid huic reſponde, amabo, commode, *ne incommodus*
Nobis ſit.

16. NAM.] Particula tranſitioni inſerviens. Unde Daciera optime, *premierément*. Sic Adelph. Prol. 15.

RUMORES DISTULERUNT.] Diſſiparunt. Plaut. Aul. III. 2. 32.

Populo hic differam *ante aedes.*

Trin. III. 2. 63.

ne mihi hanc famam differant.

Suet. Caeſ. 33. *Fama* diſtulit. Auguſt. 14. *Rumore ab obtrectatoribus* dilato. Lucil. Lib. XXX. 45.

Gaudes, cum de me iſta foris ſermonibu' differs.

Hoc enim ſenſu *differendi* verbum fere in deteriorem partem ſumitur.

17. CONTAMINASSE.] Mutilaſſe. And. Prol. 16. Petron. cap. 108. *Negat Eumolpus, paſſurum ſe, ut quiſquam ingenuos contra fas legemque* contaminet.

18. FACTUM.] Editi vetuſtiſſimi: ID ESSE FACTUM, HIC NON NEGAT.

19. AUTUMAT.] Non putare tantum, ſed & publice profiteri eſt *autumare*. Plaut. Menaechm. V. 2. 8.

Quas ſi autumem *omnes, nimis longus ſermo ſiet.*

Merc. V. 2. 103.

ſed de amica ſeſe inaudiſſe autumat.
Hic Athenis eſſe.

Gell. XV. 3. Autumo *ſignificat & dico, & opinor, & cenſeo.* Adde Non. v. *Autumo.*

20. HABET BONORUM EXEMPLUM, QUO EXEMPLO.] Sic And. Prol. 19. Solent autem eleganter repetere ſubſtantivum cum ipſo relativo pronomine. Sic Hec. Prol. alt. 2. 3. Plaut. Epid. I. 1. 39.

Eſt cauſa, qua cauſa *ſimul mecum ire veritu'ſt.*

Cic. Divin. in Caecil. 1. *Si quod* tempus *accidiſſet*, quo tempore *aliquid a me requirerent*. Idem Catil. III. 10. *Neque* hanc urbem *conflagrare, ſed ſe* in hac urbe *florere voluerunt.* Plura congeſſit Sanctius Min. II. 9. init. Intelligit autem Noſter Naevium, Plautum, Ennium. Vide And. Prol. 18.

23. STUDIUM MUSICUM.] Hanc in Prologis Phormionis & Hecyrae vocat ARTEM MUSICAM, h. e. ſcenicam. Sed & generatim Literas Humaniores MUSICUM STUDIUM appellarunt.

Digitized by Google

Tum quod malevolus vetus Poëta dictitat,
Repente ad ſtudium hunc ſe applicaſſe muſicum,
Amicum ingenio fretum, * haud natura ſua:
Arbitrium veſtrum, veſtra exiſtimatio
Valebit. quamobrem omnes vos oratos volo,

Ne

CALPHURNII.

22. Tum quod malevolus vetus Poeta.] A natura, malevolus: a tempore vel invidia, vetus: a ſigno aemulationis, Poeta. Vetus, plerumque ad laudem refertur, interdum ad vituperationem. Vetus, id eſt, carioſus, & quaſi rancidus. Malevolus, non criminibus, ſed maledictis.

23. Hunc musicum.] Videlicet Poëtam elegantem. Musicus, Latine dicitur elegans, ἄμουσος vero Graece, inelegans. *Musicum.] 4 Quinctilianus: *Nam quis ignorat, Muſicen, ut de hac primum loquar, tantum illis jam antiquis temporibus non ſtudii modo, verum etiam venerationis habuiſſe, ut iidem Muſici & vates & ſapientes judicarentur.* Et ille 5 apud Ariſtophanem dicit, ſe *Muſicam* neſcire, praeter literas. *Muſicam* appellat orbem doctrinae, literas prima elementa.

24. Amicum ingenio fretum.] Hoc idem refellit in Prologo Adelphorum:

Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, aſſidueque una ſcribere;
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet,
Qui vobis univerſis & populo placent.

Amicum.] Pro amicorum, videlicet Laelii & Scipionis, quorum amicitia Terentius familiariſſime uſus eſt.

25. Arbitrium vestrum.] Bene arbitrium. nam *arbiter* dicitur judex, qui totius rei habet arbitrium & facultatem. horum enim arbitrio & judicio Comoedia commendari poterat.

OBSERV. IN CALPH.

4. *Quinctilianus.*] Inſtit. Orat. I. 10. Ad quem locum vide quae notarunt Pareus & Almeloveenius.

5. *Apud Ariſtophanem.*] Locus eſt Ἱππ. 188.

ΑΛ. Ἀλλ' ὦ 'γαθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσαμαι,
Πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέν τοι κακὰ κακῶς.

At ego, o bone, neque Muſicam didici,
Praeterquam literas, & m[illegible]e quidem has malas.

Ubi Scholia: Οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσαμαι.] Ὅτι μουσικὴν τὴν Ἐγκύκλιον παιδείαν φησί. Γράμματα δὲ τὰ πρῶτα σοιχεῖα. Δεῖ δὲ τοὺς διερχομένους διὰ γραμμάτων παιδεύεσθαι. ἡ γὰρ παιδεία τοὺς ἀτόπους ἐκτρέπει λογισμούς.

COMMENTARIUS.

runt. Nihil Ariſtophani familiarius. Gell. Praefat. *Profeſſum & profanum vulgus, a* ludo Muſico *diverſum.* Hic vero Nannius Miſcell. Lib. I. declamat in quendam Pſeudo-Donatum, qui Musicum ſubſtantive accipiat, pro Poëta. Calphurnius is eſt.

24. Amicum ingenio.] Intelligit Scipionem & Laelium; quos & in Prologo Adelphorum deſignat, verſu 15. ubi vide Donatum. Cic. Att. VII. 3. *Secutuſque ſum, non dico Caecilium, Mane ut ex portu in Piraeeum*, *malus enim auctor Latinitatis eſt; ſed Terentium, cujus fabellae, propter elegantiam ſermonis, putabantur a C. Laelio ſcribi,*

25. Existimatio.] Judicium. Sic *exiſtimare* pro judicare. Infra II. 3. 41. Cic. Fam. I. 5. *Quorum utrum minus velim, non facile poſſum* exiſtimare. Hinc *ſecundam exiſtimationem* pro judicio publico ſeu fama dixit Sueton. Claud. 7.

26. Valebit.] Praevalebit rumoribus malignis. Liv. VIII. 17. *Tranquillis rebus, fama Gallici belli pro tumultu* valuit. Et cap. 27. *Haec conſilia quum apud cupidos rerum novandarum* valuiſſent. Ita homo dicitur *valere*, qui gratia ſuperat caeteros, quique impetrat, quod petierat. *Ovid. Metam. II. 183.

Jamque agnoſſe genus piget, & valuiſſe *rogando.*

Quamobrem.] Editio anni 1469. Quare.

Ne plus iniquum poſſit, quam aequum, oratio.
Facite aequi ſitis: date creſcendi copiam;
Novarum qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro ſe dictum exiſtumet,
Qui nuper fecit ſervo currenti in via
Deceſſe populum: cur inſano ſerviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit

Alias

CALPHURNII.

27. Ne plus iniquum possit.] Juſtam rem petit: quae quidem, niſi ab injuſtis, conceditur.

31. Qui nuper facit servo currenti.] In hoc notatur adverſarius, qui decorum perſonae non ſervaverit. Quid enim magis praeter ſervi decorum, quam ut illi *populus in via decedat*, & *inſano ſerviat?*

* 35. Adeste.] Adeste, id eſt, intenti eſtote, & auxilium ferte, more advocati, qui clienti adeſt.

COMMENTARIUS.

27. Ne plus iniquum possit, quam aequum oratio.] Sic Plaut. Rud. III. 2. 4.

ne impiorum potior ſit pollentia,
Quam innocentium.

Sunt vero *aequi* faventes, *iniqui* adverſarii. Ovid. Triſt. I. 2. 6.

Aequa *Venus Teucris*, *Pallas* iniqua *fuit.*

Poſſit & ſenſus eſſe, Ne oratio iniquum plus possit quam aequum, i. e. τὸ εἰκός.

28. Date crescendi copiam; novarum qui spectandi faciunt copiam sine vitiis.] Ordo eſt: *Date copiam creſcendi novarum* (fabularum) *ſine vitiis* (iis) *qui faciunt copiam ſpectandi.* Neque vero τὸ sine vitio idem notant, atque *ſine abſurditate*, quae ſcilicet mores laedat; quod quidam putant, L. Lavinium indigitari autumantes. Sed id vult Poëta, Date copiam creſcendi novarum Fabularum ſine turba, atque adeo cum ſilentio. Sic Hec. Prol. 2. Dixit autem, crescendi novarum, pro crescendarum, uti Cicero in Vatin. cap. 15. *Provinciae decernendae poteſtatem.* De quo loquendi genere vide quae erudite diſſerit Jac. Perizonius, Vir Cl. ad Sanct. Min. III. 8. pag. 442. ſeqq. *Creſcere* porro dicuntur, quorum fama & laus augetur. Virg. Ecl. VII. 25.

Paſtores, hedera creſcentem *ornate Poëtam.*

Horat. Carm. III. 30. 7.

uſque ego poſtera
Creſcam *laude recens.*

30. Ne illa.] Mſſ. & editi quidam, Nec illa.

31. Fecit servo currenti in via decessa populum.] H. e. introduxit & exhibuit. Ovid. Metam. VI. 76.

Aſpera ſaxa facit, *medioque e vulnere ſaxi*
Exſiluiſſe ferum.

Proprie facit. ἐποίησεν ἐν τινι κωμῳδίᾳ. Id tamen frequenter factitatum, ex verbis Mercurii diſcas. Ita ille apud Plautum Amph. III. 4. 1.

Concedite atque abſcedite, omnes de via decedite.
Nec quiſquam tam audax fuat homo, qui obviam obſiſtat mihi.
Nam mihi quidem, hercle, qui minus liceat Deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam ſervulo in Comoediis?

Tum multa mentio ſervorum currentium. Sic Plaut. Poen. III. 1. 20. Merc. I. 2. 4. ſeqq. Ael. Lamprid. in Alex. Sev. cap. 42. *Curſorem nunquam niſi ſervum ſuum, dicens, ingenuum currere niſi in ſacro certamine non debere.* Videtur igitur L. Lavinius non finxiſſe tantum, ſed revera *feciſſe* ſervo currenti populum deceſſe. Dacieria de praecipuo Fabulae Lavinianae loco accipit, & quae praeter hunc intempeſtivum curſum nihil venuſtatis habuerit. Reſpicitur autem mos lictorum, qui Coſ. veniente procla-

Alias novas, niſi finem maledictis facit.
Adeſte aequo animo: date poteſtatem, mihi
Statariam agere ut liceat per ſilentium:
Ne ſemper ſervus currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem impudens,
Avarus leno, adſidue agendi ſint mihi,

Cla-

CALPHURNII.

35. DATE POTESTATEM, MIHI STATARIAM AGERE.] Ut liceat ad exitum uſque fabulae perpetuo ſtare, ne videlicet aliqua turba fiat: ut fieri ſolet, aut ludis funambuli, aut gladiatorum. tunc enim neceſſe eſt relinquere Comoediae actionem. Et bene dixit, STATARIAM. *Agi* enim dicitur fabula, cum recitatur. *Stare* cum placet. Eſt etiam Comoedia quae dicitur *ſtataria* aut *motoria*, a ſtatariis actibus vel motoriis.

37. NE SEMPER SERVUS CURRENS.] Exprimit varias perſonas, quae in Comoediis introducuntur, quibus ars comica valde nobilitatur. Inducitur autem *leno perjurus*, *amator fervidus*, *ſervus callidus*, *& amica illudens*, *& uxor inhibens*, *& mater indulgens*, *& patruus objurgator*, *& ſodalis opitulator*, *& miles praeliator*, *paraſiti edaces*, *parentes tenaces*, & [6] *meretrices*.

OBSERV. IN CALPH.

6. *Meretrices.*] Editiones Venetae annorum 1490. & 1512. Taruiſiana, 1481. Argentina, 1499. melius: *meretrices procaces*.

COMMENTARIUS.

clamabant: *Date viam!* Editi vetuſtiſſimi ex Mſſ. quibuſdam, DECESSISSE.

32. CUR INSANO SERVIAT?] Qui hoc loco SERVIAM legi volunt, neſcio quem ſenſum Poëtae affingunt. Ego ita capio: *cur populus ſerviat inſano ſervo*, vel ſi mavis, *Poëtae?* ſervire autem videtur, ubi decedit currenti de via? Atque in ea re conſiſtebat peccatum veteris Poëtae. Niſi forte, quod exiſtimabat Jac. Perizonius, Vir Cl. ſcripſit Poeta: QUI NUPER FECIT SERVO CURRENTI IN VIA DIXISSE POPULUM: CUR INSANO SERVIAT? Sub. *hero* vel *domino*. Ut adeo in hoc peccaverit Lavinius, quod populum fecerit ſervo haec dicentem. Eſt enim contra decorum & majeſtatem liberi populi, ſed & contra quietem reipublicae ſollicitare ſervos contra dominum. Dacieriae valet: *Cur Terentius dicat pro inſano Poëta cauſam?*

36. STATARIAM.] Comoediam ſcilicet, ſeu Fabulam. Cui opponitur *Motoria*. Illa tranquilla, haec tumultuoſior. Infra verſu 44. & 45. Utraque dicta imitatione Graecarum fabularum, in quibus erant *μέλη στάσιμα* & *παροδικὰ*, q. d. verſus ſtatarii & motorii, quos chorus vel ſedate, vel cum tripudio canebat. Vide Turneb. Adverſ. I. 10. Niſi forte dixit STATARIAM, in qua agenda nullum interveniat vitium vel calamitas. Tanaq. Fabri explicatio de *perſona ſtataria* minime omnium placet. Neque enim perſona, ſed Comoedia *agi* dicitur, licet & Actores *ſtatarii* dicantur. Cic. Brut. cap. 30. Origo vocis a militibus *ſtatariis*, ordines ſuos in conflictu rigide ſervantibus.

37. NE SEMPER SERVUS CURRENS.] Utrum *ſemper-currens*, an, *ſemper-aſſidue*? Si hoc, rarior eſt pleonaſmus.

38. SYCOPHANTA.] Vide ad And. IV. 5. 20.

39. AGENDI SINT MIHI.] Igiturne ſenex hic recitator Prologi fuit etiam e grege veteris Poëtae? Id niſi ſit, vix apparet, quid ſibi his verbis velit. Videntur autem hanc opinionem firmare ea, quae continuo ſequuntur. Certe quidem quemcunque Poëtam potius, quam ipſum Terentium notari manifeſtum eſt. Mſ. Lipſ. & edd. 1469. 1481. 1490. cum quibuſdam aliis exhibent: AGENDI SINT SENI.

41. MEA

Digitized by Google

Clamore ſummo, cum labore maxumo.
Mea cauſa cauſam hanc juſtam eſſe animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui ſcribunt, nihil parcunt ſeni:
Si qua laborioſa 'ſt, ad me curritur:
Sin lenis eſt, ad alium defertur gregem.

In

CALPHURNII.

41. MEA CAUSA CAUSAM HANC JUSTAM.] *παρονομασία.*

44. SI QUA LABORIOSA 'ST.] Juſtum etenim eſt ſeni in re laborioſa favorem praeſtare.

45. AD ALIUM GREGEM.] GREGEM cum contemptu dixit, alios actores parvi faciens. GREGEM appellat ſcenicorum turbam. ⁷ Plautus in Prologo Aſinariae,

Quae quidem mihi atque vobis res vertat bene,
Atque huic gregi.

OBSERV. IN CALPH.

7. *Plautus in Prologo Aſinariae.*] verſu 2. ubi nunc legitur, *Gregique huic.*

COMMENTARIUS.

41. MEA CAUSA.] Ita dixit, non MEI. Sic Cic. Fam. III. 7. *Tu autem, ſi id agis, ut minus* mea cauſa, *dum ego abſim, debere videaris, quam ego tua laborarim; libero te iſta cura.* Phaed. I. 22. 4.

faceres ſi cauſa mea.

43. SENI.] Libri quidam ſcripti & impreſſi, MIHI,

44. SI QUAE LABORIOSA EST.] Ita legendum cenſet Malaſpina, auctoritate veterum exemplarium & ratione carminis; quod primo loco jambum vel ſpondeum poſtulat, non trocheum, ad Cic. Att. IV. 2. *Si quae vis eſſet facta.* Dicitur autem promiſcue, SI QUA, & SI QUAE. Cic. Off. II. 13. *Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam*, ſi qua *ex bellicis rebus comparari poteſt.* Eundem uſum *ſi quis* & *ſi quid* habent. Vide Cl. Virum, Richardum Bentlejum ad Horat. Serm. II. 1. 49. Ex impreſſis vetuſtiſſimi, AI QUA. Mſſ. variant. Mureti lectionem, LABORIOSA SI QUA EST, laudat Franciſcus Fabritius.

AD ME CURRITUR.] Cum ſtomacho dictum; uti And. I. 5. 15.

ea quoniam nemini obtrudi poteſt,
Itur ad me.

Mſſ. quidam & impreſſi vetuſtiſſimi, DECURRITUR.

45. SIN LENIS EST.] In quibuſdam Codicibus, SIN LEVIS EST. ut opponatur *Laborioſae*, & quaſi gravi. Uti vero h. l. Comoedia *lenis* & *pura oratio* componuntur, ita Caeſar de Terentio, auctore Donato in Vita Terent.

Tu quoque, tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis *amator.*
Lenibus *atque utinam* ſcriptis *adjuncta foret vis.*

Quae vero ſit PURA ORATIO, ſeu *purus ſermo*, patet ex Auctore ad Herennium IV. 8. qui tria facit orationum genera, grave, mediocre, attenuatum. *Gravis* (oratio) *eſt*, inquit, *quae conſtat ex verborum gravium laevi ac ornata conſtructione: mediocris eſt, quae conſtat ex humiliore, neque tamen ex infima & pervulgatiſſima verborum dignitate: attenuata eſt, quae demiſſa eſt uſque ad uſitatiſſimam* puri ſermonis *conſuetudinem.* Unde adeo adverſarii Terentii dicebant, *Fabulas ejus eſſe* tenui oratione, ac ſcriptura levi *ſcriptas* Phorm. Prol. 5.

AD ALIUM DEFERTUR GREGEM.] Sic Phorm. Prol. 32. Plaut. Aſin. Prol. 3. Eoſdem Hiſtrionum greges etiam *familiarum* nomine veniſſe, diſcas ex Plaut. Menaechm. Prol. 74.

47. IN UTRAMQUE PARTEM.] Quorſum haec referenda? Crediderim reſpici Comoediam motoriam,

Digitized by Google

In hac eſt pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid poſſit meum.
Si nunquam avare pretium ſtatui arti meae,
Et eum eſſe quaeſtum in animum induxi maximum,
Quam maxume ſervire veſtris commodis:
Exemplum ſtatuite in me, ut adoleſcentuli

Vobis

CALPHURNII.

46. Est pura oratio.]Hoc eſt, nitida, quae facile [8] aſſenſum auditorum ineat.

48. Si nunquam avare pretium statui.] Per haec verba Terentius demonſtrat quam gravis auctor ſit, qui ſuas Comoedias probet. ſic [9] *Horat.*

Et cum reſpondere coneris,
Quae gravis Aeſopus, quae doctus Roſcius egit.

49. Et eum esse quaestum.] Nonnunquam ſubauditur, si, ut ſit, et si eum quaestum.

50. Servire vestris commodis.] Plus dixit commodis, quam ſi diceret *voluptatibus.*

OBSERV. IN ÇALPH.

8. *Aſſenſum auditorum.*] Edit. Argent. 1499. *Aſſenſum adjutorium.*

9. *Horat.*] Lib. II. Epiſt. I. 81. ubi editiones praeſtantiores recte:
ea cum reprehendere coner.

COMMENTARIUS.

toriam, qualis Eunuchus, & Statariam Heautontimorumenon, id eſt, Laborioſam & Lenem, ſeu Levem. Hanc vero quod antehac non egerat, recte experimini dicit. Sic & Fabrini: *ne l'una, e ne l'altra parte. cioè ne le facili, e ne le difficili.* In eundem ſenſum vertit Anteſignanus.

48. Si nunquam avare pretium statui arti meae.] De vi particulae si vide ad And. I. 5. 57. Sunt autem, qui pretium intelligunt, quo Fabulae Magiſtratui vendi ſolitae. Crediderim potius, reſpici ἐκτύρια, τιτίει ὑπὲρ τῦ ἰδίου δῶρα. Qua de re elegans locus eſt apud Macrob. Saturn. II. 10. *Roſcius tanta fuit gratia & gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denaries ſine gregalibus ſolus acceperit. Aeſopum vero ex pari arte ducenties ſeſtertium reliquiſſe filio conſtat.* Sunt autem *ducenties ſeſtertium* quinquaginta millia aureorum. Quae ſumma quamvis ingens, non magna tamen videbitur, ſi luxum hominis ſpectes, de quo Tertullianus de Pallio, fine: *Aeſopus hiſtrio ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris & loquacibus quibuſque ſexcentum millium patinam confiſcavit. Filius ejus poſt tale pulpamentum potuit ſumtuoſius eſurire: margaritam enim vel ipſo nomine pretioſam dehauſit, credo, ne mendicius patre coenaſſet.* De eodem Horatius Lib. II. Sat. 3. 239.

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies ſolidum abſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.

Tiberium autem *mercedem ſcenicorum recidiſſe* refert Suetonius in ejus vita cap. 34. De M. Antonino Philoſopho diſtinctius etiam narrat Capitolinus cap. 10. *Temperavit etiam ſcenicas donationes, jubens ut quinos aureos ſcenici acciperent, ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur.* In quibus verbis *ſcenici* ſunt ipſi hiſtriones; *editores*, qui ab Aedilibus ſuſcepta edendi provincia, hiſtrionum opera mercede utuntur.

51. Exemplum.] Hos binos verſus Guyetus immerito adſcititios vocat. Senſus enim eſt: ut adoleſcentuli hiſtriones poſthac meo exemplo potius ſtudeant ſervire veſtris commodis, quam ſuis, veſtrumque judicium anteponant ſuo quaeſtui. Eſt vero rarior locutio, exemplum statuite, in meliori ſenſu accepta. Unde Guyetus in gloſſis MSſ. interrogat: *Quid eſt, exemplum ſtatuere.*

Nnn 52. Po-

Vobis placere ſtudeant potius, quam ſibi.

COMMENTARIUS.

52. Potius, quam sibi.] Videtur taxare faſtum adoleſcentum hiſtrionum, praecipue in Prologis recitandis. Arrogantis enim & ſuperbi eſt *placere ſibi*. Ovid. Metam. II. 58.

placeat ſibi *quiſque licebit.*

Vide omnino Petrum Burmannum, Virum Cl. ad Petron. cap. 44. Cicero Seneƈt. 6. ubi laudaſſet e Naevio:

Proventabant oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli,

addit veram ἐπιφώνημα, *Temeritas eſt videlicet florentis aetatis; prudentia ſeneſcentis.*

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

Chremes. Menedemus.

Ch. QUANQUAM haec inter nos nuper notitia admodum 'ſt:
Inde adeo, quod agrum in proximo hic mercatus es,
Nec rei fere ſane amplius quidquam fuit;

Ta-

CALPHURNII.

1. QUANQUAM HAEC INTER NOS.] *Bene ex arte comica ſenex opitulator inducitur, qui & miſeria & triſtitia alterius valde commoveatur. ſimul amborum ſenum conjunƈtio & familiaritas, ad id quod ſecuturum eſt, non parum accommoda futura eſt. ſimul exprimitur a Poëta mutua miſeratio, quae inter ſenes eſſe ſolet, &* [1] *omnino ſenilis prolixa.*

Quanquam haec inter nos.] Exordium eſt, & Oratori congruum. Quod enim exigua notitia, aut nuper incepta, vel nulla conſuetudo anteaƈtae vitae facere prohibet, id vel virtus, vel propinquitas cogit.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Omnino.*] Lego ex antiquis edd. quibuſdam, *oratio*. Vel potius: *omnino ſenilis prolixitas.*

COMMENTARIUS.

1. Nuper notitia.] Videtur haec vera leƈtio, quia minus trita, quam quae ab aliis Libris praefertur, nupera notitia. Et ita citat Cicero de Fin. II. 4. Quanquam verſus utrumque recipit.

Admodum.] H. e. Valde. q. d. *ad modum* uſque, quo res illa eſſe poteſt. Hec. III. 5. 8.

2. Adeo.] Elegantiae inſervit majori, quam ſi dixiſſet, praecipue. Sic infra V. 3. 2. Antesignanus de tempore interpretatur: *depuis que vous avez acheté un champ icy tout auprès de nous.* Perperam; nam cauſa notitiae adfertur. Fabrini reƈte: *o ſemplicemente per queſta cagione.*

Agrum in proximo hic mercatus es.] Imitatus Columella R. Ruſt. I. 2. *Cenſeo igitur* in propinquo agrum mercari.

4. Vi-

Digitized by Google

Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit, ut te audacter moneam, & familiariter:
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere, & praeter quam res te adhortatur tua.
Nam proh Deûm atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quaeris? annos ſexaginta natus es,

Aut

CALPHURNII.

4. VICINITAS.] *Vicinia* non tam homines qui eundem incolunt vicum ſignificat, quam qui prope domum tuam habitant. VICINITAS autem non homines, ſed propinquitatem proprie vicinorum.

9. NAM PRÔ DEÛM ATQUE HOMINUM FIDEM!] Exclamatio vehemens eſt in eum, qui & ſenex & dives continuo ſe labore defatiget, & eo magis Chremes admiratur hujus laborem, nondum intellecta cauſa.

COMMENTARIUS.

4. VICINITAS.] Bifariam differt a *vicinia*. Primum enim latius patet, complexa etiam pagos & villas in agris; cum *vicinia* fere tantum de aedibus continuis ejuſdem oppidi dicatur. Ovid. Metam. IV. 59.

Notitiam primoſque gradus vicinia *fecit.*

Tum VICINITAS etiam ipſum uſum & familiaritatem, quae eſt inter vicinos, denotat. Cic. pro Coel. 16. *Cur te in iſtam* vicinitatem *meretriciam contuliſti?* Idem pro Cluent. 17. *Quod mihi cum Aletrinatibus* vicinitatem, *& cum pleriſque eorum magnum uſum eſſe ſciebat.* Porro & *vicinitas* & *vicinia* pro ipſis hominibus uſurpantur. Ovid. Metam. II. 688.

Battum vicinia *tota vocabant.*

Conſule Marii Nizolii Apparatum Latinitatis. Quidam Mſſ. MEA VICINITAS. JCtis veteribus *Vicinitas* fere ipſum ſpatium, quo conjuncti ſunt homines, *Vicinia* locus aedificia continens. Quomodo nunquam *Vicinitas* de hominibus, nunquam *Vicinia* de ſpatio.

5. QUOD EGO IN PROPINQUA PARTE AMICITIAE PUTO.] Dandi caſus eſſe videtur τὸ AMICITIAE. ut ſenſus ſit: *Quod ego amicitiae proximum eſſe puto.* PARTA enim pro *loco* dixit. Sic Eun. V. 9. 25. Heſiodus etiam amplius Ἔργ. καὶ Ἡμ. 339.

Τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι.

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Amicum ad convivium vocato, inimicum vero ſinito.

Eum vero potiſſimum vocato, quicunque te prope habitat.

Adde ſequentia, quibus vicinitatis commoda explicantur. Cic. de Fin. V. 23. *In omni autem honeſto, de quo loquimur, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quaedam ſocietas, & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani: quae nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde* amicitiis; *poſt* vicinitatibus; *tum civibus, & iis, qui publice ſocii, atque amici ſunt: deinde totius complexu gentis humanae.* Idem Off. I. 18. *Ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem. At, ſi lis in judicio ſit, propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis.* Unde & in Apologo Aeſopi junguntur vicini cognatis & affinibus, apud Gell. II. 29.

7. PRAETER AETATEM.] Id voluit,

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

10. QUID QUAERIS?] Mſſ. quidam: AUT QUID QUAERIS?

11. Ut

Vobis placere ſtudeant potius, quam ſibi.

COMMENTARIUS.

52. Potius, quam sibi.] Videtur taxare faſtum adoleſcentum hiſtrionum, praecipue in Prologis recitandis. Arrogantis enim & ſuperbi eſt *placere ſibi*. Ovid. Metam. II. 58.

placeat ſibi *quiſque licebit*.

Vide omnino Petrum Burmannum, Virum Cl. ad Petron. cap. 44. Cicero Senect. 6. ubi laudaſſet e Naevio:

Preventabant oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli,

addit veram ἐπίκρισιν, *Temeritas eſt videlicet florentis aetatis; prudentia ſeneſcentis.*

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

Chremes. Menedemus.

Ch. QUanquam haec inter nos nuper notitia admodum 'ſt:
Inde adeo, quod agrum in proximo hic mercatus es,
Nec rei fere ſane amplius quidquam fuit;

Ta-

CALPHURNII.

1. QUanquam haec inter nos.] *Bene ex arte comica ſenex opitulator inducitur, qui & miſeria & triſtitia alterius valde commoveatur. ſimul amborum ſenum conjunctio & familiaritas, ad id quod ſecuturum eſt, non parum accommoda futura eſt. ſimul exprimitur a Poëta mutua miſeratio, quae inter ſenes eſſe ſolet, &* [1] *omnine ſenilis prolixa.*

Quanquam haec inter nos.] Exordium eſt, & Oratori congruum. Quod enim exigua notitia, aut nuper incepta, vel nulla conſuetudo anteactae vitae facere prohibet, id vel virtus, vel propinquitas cogit.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Omnine.*] Lego ex antiquis edd. quibuſdam, *oratio.* Vel potius: *omnino ſenilis prolixitas.*

COMMENTARIUS.

1. Nuper notitia.] Videtur haec vera lectio, quia minus trita, quam quae ab aliis Libris praefertur, nupera notitia. Et ita citat Cicero de Fin. II. 4. Quanquam verſus utrumque recipit.

Admodum.] H. e. Valde. q. d. *ad modum* uſque, quo res illa eſſe poteſt. Hec. III. 5. 8.

2. Adeo.] Elegantiae inſervit majori, quam ſi dixiſſet, praecipue. Sic infra V. 3. 2. Anteſignanus de tempore interpretatur: *depuis que vous avez acheté un champ icy tout auprès de nous.* Perperam; nam cauſa notitiae adfertur. Fabrini recte: *e ſemplicemente per queſta cagione.*

Agrum in proximo hic mercatus es.] Imitatus Columella R. Ruſt. I. 2. *Cenſeo igitur* in propinquo agrum mercari.

4. Vi-

Digitized by Google

Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit, ut te audacter moneam, & familiariter:
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere, & praeter quam res te adhortatur tua.
Nam proh Deûm atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quaeris? annos ſexaginta natus es,

Aut

CALPHURNII.

4. VICINITAS.] *Vicinia* non tam homines qui eundem incolunt vicum ſignificat, quam qui prope domum tuam habitant. VICINITAS autem non homines, ſed propinquitatem proprie vicinorum.

9. NAM PRÔ DEÛM ATQUE HOMINUM FIDEM!] Exclamatio vehemens eſt in eum, qui & ſenex & dives continuo ſe labore defatiget, & eo magis Chremes admiratur hujus laborem, nondum intellecta cauſa.

COMMENTARIUS.

4. VICINITAS.] Bifariam differt a *vicinia.* Primum enim latius patet, complexa etiam pagos & villas in agris; cum *vicinia* fere tantum de aedibus continuis ejuſdem oppidi dicatur. Ovid. Metam. IV. 59.

Notitiam primoſque gradus vicinia *fecit.*

Tum VICINITAS etiam ipſum uſum & familiaritatem, quae eſt inter vicinos, denotat. Cic. pro Coel. 16. *Cur te in iſtam* vicinitatem *meretriciam contuliſti?* Idem pro Cluent. 17. *Quod mihi cum Aletrinatibus* vicinitatem, *& cum pleriſque eorum magnum uſum eſſe ſciebat.* Porro & *vicinitas* & *vicinia* pro ipſis hominibus uſurpantur. Ovid. Metam. II. 688.

Battum vicinia *tota vocabant.*

Conſule Marii Nizolii Apparatum Latinitatis. Quidam Mſſ. MEA VICINITAS. JCtis veteribus *Vicinitas* fere ipſum ſpatium, quo conjuncti ſunt homines, *Vicinia* locus aedificia continens. Quomodo nunquam *Vicinitas* de hominibus, nunquam *Vicinia* de ſpatio.

5. QUOD EGO IN PROPINQUA PARTE AMICITIAE PUTO.] Dandi caſus eſſe videtur τὸ AMICITIAE. ut ſenſus ſit: *Quod ego amicitiae proximum eſſe puto.* PARTE enim pro *loco* dixit. Sic Eun. V. 9. 25. Heſiodus etiam amplius Ἔργ. καὶ Ἡμ. 339.

Τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι.

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Amicum ad convivium vocato, inimicum vero ſinito.

Eum vero potiſſimum vocato, quicunque te prope habitat.

Adde ſequentia, quibus vicinitatis commoda explicantur. Cic. de Fin. V. 23. *In omni autem honeſto, de quo loquimur, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quaedam ſocietas, & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani: quae nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde* amicitiis; *poſt* vicinitatibus; *tum civibus, & iis, qui publice ſocii, atque amici ſunt: deinde totius complexu gentis humanae.* Idem Off. I. 18. *Ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem. At, ſi lis in judicio ſit, propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis.* Unde & in Apologo Aeſopi junguntur vicini cognatis & affinibus, apud Gell. II. 29.

7. PRAETER AETATEM.] Id voluit,

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

10. QUID QUAERIS?] Mſſ. quidam: AUT QUID QUAERIS?

11. UT

Aut plus eo, ut conjicio. agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet:
Servos complureis: proinde quaſi nemo ſiet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam veſperi
Domum revortor, quin te in fundo conſpicer

Fo-

CALPHURNII.

11. Ut conjicio.] Id eſt, conjecturam capio. hinc conjectura dicta eſt a *conjectu*, id eſt, a directione quadam rationis ad veritatem. Unde etiam ſomniorum atque [2] omnium interpretes, *conjectores* vocamus.

12. Nemo.] Pro quiſquam.

14. Tute illorum officia fungere.] Nunc dicimus *officiis fungeris*. Fungor idem eſt quod officium munuſque ago: ut, *Fungor magiſtratu*, *fungor legatione*.

15. Nunquam.] Deeſt Nam. Tam mane.] Modo adverbium: alibi nomen videtur: ut, [3] *Jam mane novum*. [4] *Jam clarum mane feneſtras intrat*.

16. Quin te in fundo conspicer.] Quin, pro quod non, hoc in loco: alias pro cur non, pro etiam, pro quare, ponitur. In fundo.] Superius dixit, *Agrum in proxime hic mercatus es*. [5] Fundus enim ab agro continetur. De quo *Cicero* in quodam joculari libello,

Fundum vero vocas, quem poſſis mittere funda,
Ni lapis exciderit, qua cava funda patet.

OBSERV: IN CALPH.

2. *Omnium.*] In Mſ. & edd. vetuſtis eſt *om̄m*, quod valet h. l. *omnium*: quomodo ſolus exhibet Rob. Stephanus.

3. *Jam mane novum.*] Virg. Georg. III. 125.

4. *Jam clarum.*] Perſ. Sat. III. 1.

5. *Fundum vero vocas.*] Lege omnino, *Fundum Varro vocas*. Verſum autem hunc etiam in Fragmentis Ciceronis expreſſum, Voſſius in Etymolog. Laureae Tullio tribuit.

COMMENTARIUS.

11. Ut conjicio.] Editio anni 1469. non agnoſcit τὸ ut.

Agrum in his regionibus meliorem.] Menand.

Ἀγρὸν εὐσεβέστερον γεωργεῖν οὐδένα
Οἶμαι.

Citat Stobaeus Flor. Tit. LVII. *ἐκ τοῦ Γεωργοῦ*. Cic. L. Agrar. III. 4. *Ex multis praediis unam fundi* regionem, *formamque perfecerit*. Proprie vero meliorem dixit. Sic Horat. Lib. I. Epiſt. 14. 5.

melior *ſit Horatius, an res*.

Ubi vide, quae erudite notavit Rich. Bentlejus, Vir Cl. De Agri, ruris, fundi & ſimilium vocabulorum differentia, vide Opuſcula varia de Latinitate JCtorum veterum, edita a Cl. Viro, Carolo Andrea Dukero, pag. 70. ſeqq.

12. Neque nemo.] Hic duas negationes adfirmare docet Schottus Obſerv. Hum. V. 16.

13. Proinde quasi.] Sic Phorm. II. 3. 35. Cic. pro Mil. 31. Proinde quaſi *noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua providemus, qua haec ipſa agimus, ac dicimus, videre, aut plane, qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus*. Fam. X. 11. *Ut* proinde *ad omnia paratus eſſem*, ac *res moneret*. Et XI. 28. Proinde ac *ſi jam vicerint*. Nepos Lyſand. 2. Proinde ac *ſi iidem firmiſſimi ſolerent eſſe amici, qui conſtantes fuiſſent inimici*. Varro R. R. III. 17. de piſcibus: proinde ut *Sacri ſint*. Non vero indignantis & objurgantis magis eſt proinde quasi, quam ſi perinde quasi dixiſſet, quod exiſtimant Georg. & Fr. Fabricii, nam & hoc Libri quidam praeferunt. Sic Cic. pro Mil. 7. Perinde quaſi *exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur*.

15. Nunquam tam mane egredior.] Nonius in *Veſpera*: *Nunquam tam mane demo egredior, neque tam veſperi revortor*.

17. Fodere, aut arare.] Varro R. Ruſt. I. 31. *Vineas novellas* fodere, aut arare: *& poſtea occare*.

Aut

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. denique
Nullum remittis tempus: neque te reſpicis.
Haec non voluptati tibi eſſe, ſatis certo ſcio.
At enim dices, me, quantum hic operis fiat, poenitet.
Quod in opere faciundo operae conſumis tuae,

Si

CALPHURNII.

18. Remittis, neque te respicis.] Nihil ſignificantius de eo qui nihil ſibi parcit, nec ſui miſeretur. Nam qui aliis *remittit* aliquid, id eſt condonat, is eſt facilis & mitis naturae.

20. At enim dices.] Anthypophorae reſpondet. Poenitet.] Id eſt parum videtur. Poenitet enim eum qui parum putat. Alibi Terent. *Noſtri noſmet poenitet.* [6] *Virgil.* in Bucol.

Nec te poeniteat calamo triviſſe labellum.

[7] *Cicero* ad filium, *Quoad te, quantum proficias, non poenitebit.*

21. Quod in opere faciundo.] *Opera* eſt actio, & perſona ipſa quae opus peragit. *Opus*, finis eſt & fructus operae. Nonnunquam *opus* pro *opera* videtur accipi. [8] *Virgil.*

Mollibus e ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.

OBSERV. IN CALPH.

6. *Virgil. in Bucol.*] II. 14. 7. *Cicero ad filium.*] Off. I. 1. 8. *Virgil.*] Aen. VIII. 415.

COMMENTARIUS.

Aut aliquid ferre. denique.] Cicero de Fin. I. 1. ita citat hunc locum, ut τὸ denique non ſit initium novae ſententiae, ſed claudat ſuperiorem. Terentius autem promiſcue uſurpat. Quanquam Donatus ad Phorm. I. 2. 71. notat: *more ſuo Terentius*, denique *poſuit in fine ſenſus. Sic in Heaut. Fodere, aut arare, aut aliquid facere denique. ut ſit* denique, *vel deinde, vel ad poſtremum.* Sequutus autem ſum diſtinctionem trium vetuſtiſſimarum editionum, ann. 1469. 1481. 1490. tum Rob. Stephani, Fabrini & aliorum; quam & obſervatam videre me memini in Mſ. Graeviano, quum inviſerem ad Cl. Virum, Joh. Theod. Schalbruchium, Gymn. Amſtelod. Profeſſorem. Unde ipſe Graevius ita legit ad Cic. Fam. X. 24. Accedunt Mſſ. Leidenſes, Lipſ. Traject. Bodl. & Boendeim. Et ſane non videtur magis ex loco Ciceronis confici, τὸ denique h. l. finire ſententiam, quam Eun. III. 1. 42.

Riſu omnes, qui aderant, emoriri. denique
Metuebant omnes jam me.

Quae verba ita citat Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. X. *Riſu emoriri omnes denique.* Tum non tam de opere vario Menedemi narrat Chremes, quam de intempeſtivo opere. Ut adeo, ubi dixiſſet,

Nunquam tam mane *egredior, neque* tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conſpicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre,

Optime inferret, denique nullum *remittis* tempus, *neque te reſpicis.* Quae obſervatio, ſi quid video, diſtinctionem noſtram facit certiſſimam. Fabrini optime vertit: *Finalmente, tu non perdi punto di tempo.* Quidam Mſſ. pro ferre legunt facere. Ita & Donatus ad Phorm. I. 2. 71.

18. Neque te respicis.] Neque tui ullam rationem habes, neque tibi parcis. Phorm. II. 3. 87. Cic. Fam. X. 24. *Quod ſi aut Caeſar* ſe reſpexerit. Plaut. Pſeud. II. 2. 18.

Non ſoles reſpicere te, *cum dicas injuſte alteri?*

Idem *intueri ſe* dixerunt. Plaut. Truc. I. 2. 58.

20. Me, quantum hic operis fiat, poenitet.] Intelligit opus ruſticum, quae & Heſiodo Ἔργα ſunt. Eun. II. 1. 14. Phorm. II. 1. 20. Cic. Senect. 7. *Poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos vicinos, & familiares meos, quibus abſentibus, nunquam fere ulla in agro majora* opera *fiunt, non ſerendis, non percipiendis, non condendis fructibus.* De vi τοῦ poenitet vide ad Eun. V. 7. 12. Cic. Off. I. 1. *Quoad te, quan-*

Si ſumas in illis exercendis, plus agas.
Me. Chreme, tantumne eſt ab re tua otii tibi,
Aliena ut cures; eaque, nihil quae ad te attinent?

Ch.

CALPHURNII.

22. In illis exercendis.] Qui aliis praeeſt, 9 aut paterſamilias, aut imperator, plus efficit ſua adhortatione quam opera.

23. Tantumne est ab re tua otii tibi?] *Difficilis*, ut inquit 10 Cicero, *eſt cura rerum alienarum. Nam ea magis percipimus atque ſentimus, quae nobis ipſis, aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quam illa, quae caeteris: quae quaſi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus.* Ab re tua.] Id eſt a negotiis tuis familiaribus. Dicitur etiam ab re tua, contra utilitatem tuam: ſicut *e re tua*, & *e republica*: id eſt, pro re tua, & pro republica.

OBSERV. IN CALPH.

9. *Aut paterſamilias, aut imperator.*] Mſ. & edd. vetuſtae bis *ut*. Malim, *ut paterſamilias, aut imperator.*

10. *Cicero.*] Off. I. 9.

COMMENTARIUS.

tum proficias, non poenitebit. Mſſ. quidam: At enim te; quantum hic operis fiat, poenitet?

22. In illis exercendis.] Niſi hoc ἀστεϊκῶς pronuncietur, digito intenſo in turbam ſervorum, quae totidem ſunt κωφὰ πρόσωπα, multum elegantiae peribit. Dicitur autem *exerceri*, qui fatigatur, & ad opus faciendum impellitur. Adelph. IV. 2. 48. Virg. Georg. I. 210.

Exercete, *viri, tauros; ſerite hordea campis.*

Colum. Praefat. *At mehercule vera illa Romuli proles aſſiduis venatibus, nec minus agreſtibus operibus* exercitata, *firmiſſimis praevaluit corporibus.*

23. Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi, aliena ut cures.] Eleganter, pro, Tantumne otii tibi ſuppetit poſt rem tuam rite curatam? Cic. Att. XII. 6. imitatus per jocum: Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi, *ut etiam Oratorem legas?* Citat locum Auguſtinus Epiſt. LII. Sic Damaſippus apud Horat. Serm. II. 3. 19.

aliena *negotia* curo,
Excuſſus propriis.

24. Nihil quae ad te attinent.] Mſ. Boenderm. Ea quae nihil ad te attinent. E Menandro laudat Lindenbruchius:

Ἃ μὴ προσήκει, μήτ' ἄκουε, μήτ' ὅρα.

25. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.] Vel hic locus declarat, quam perperam vulgo citentur verba ſcriptorum, ſcriptoribus ipſis non inſpectis. Scilicet nihil nunc familiarius, quam his ipſis verbis, & hac ſententia uti, ubi labi te facillime poſſe, & multis erroribus obnoxium eſſe, fateri velis. Hic vero verhorum ſenſus a Chremete Terentiano alieniſſimus eſt. Res ita ſe habet: πολυπραγμοσύνης incuſaverat Menedemus Chremetem, quod videretur is curare aliena, quaeque nihil ad ſe attinerent. Huic reprehenſioni reſponſurus Chremes, id vult, res humanas vero ad ſe attinere, neque adeo humani quidquam alienum a ſe eſſe, quia ſcilicet ipſe homo ſit. Cic. Off. I. 9. *Eſt enim difficilis cura rerum alienarum. quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil a ſe alienum putat.* Idem contra Erhardum obſervat Vir Cl. Petrus Burmannus ad Petron. cap. 75. Egregia in hanc ſententiam ſunt verba Senecae, Epiſt. XCV. *Natura*, inquit, *nos cognatos edidit, cum ex iiſdem & in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa aequum juſtumque compoſuit. Ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam laedi. Et illius imperio paratae ſunt ad juvandum manus. Iſte verſus & in pectore, & in ore ſit:* Homo sum: humani nihil a me alienum puto. *Habeamus in commune, quod nati ſumus.* Juvenal. XV. 140.

quis enim bonus, aut face dignus
Arcana, qualem Cereris vult eſſe ſacerdos,
Ulla aliena ſibi credat mala?

Luculenter hanc rem tractat Themiſtius Orat. XVI. quae inſcribitur Φιλάδελφος, ἢ περὶ φιλανθρωπίας. Ita ille: Δεῦρο ἴτε, ὦ μακάριοι, δεῦρο ἴτε,

Ch. Homo ſum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum eſt? ego ut faciam: non eſt? te ut deterream.

Me.

CALPHURNII.

25. Homo ſum: humani a me nihil alienum puto.] Hoc ex Platonis ſententia, qui inquit: *Ortus noſtri partem patriam vendicare, partem amicos.* Et ut Stoicis placet, *quae in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creantur.* Homines autem hominum cauſa generantur, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſint.

26. Percontari.] Id eſt interrogare. Percontari ſuapte natura ad finem ſpectat coarguendi. Interrogamus, noſcendi gratia: *Percontamur* vero, arguendi: quamvis tamen utroque indifferentet utamur.

COMMENTARIUS.

ἴτε, ἀναγνωρίσατε τὸν ἀληθινὸν ὑμῶν πατέρα, τὴν ἐκείνου πολυπαιδίαν, καὶ τὸ ξύμπαν πλῆθος τῶν ἀδελφῶν. Et quae ſequuntur oppido elegantia. Florentinus l. 3. D. de J. & J. *Cognationem quandam inter nos natura conſtituit.* Confer Lactant. de Opif. Deí, cap. 3. & 4. Stoici mundum animal dicebant, ejus omnes nos eſſe membra. Late Grotius de J. B. & P. l. 5. a. ubi plurima Graecorum & Romanorum ſcita in hanc ſententiam congeſſit. Ad eundem fere ſenſum utuntur vulgo Horatii illo, de Arte Poëtica, 359.

quandoque bonus dormitat Homerus.

Quaſi id voluerit Poëta, vel optimo euique nonnunquam ſomnum obrepere, quo fiat, ut parum proſpiciat. In quibus verbis duplex error committitur, cum quod τὸ *quandoque* pro *aliquando* ſumitur, quum notet *quotieſcunque*; tum quod Horatius longe aliud intendit, ubi dixit:

Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum, cum riſu miror, & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

H. e. moleſte fero, quotieſcunque bonum Poëtam Homerum errorem committere deprehendo. Quae vero idem Horatius de Arte 97. dicit:

Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba,

de homine Thraſonico paſſim uſurpantur. En autem locum integrum ex diſtinctione Cl. Bentleji:

Interdum tamen & vocem Comoedia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.
Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri
Telephus aut Peleus: cum pauper & exul uterque
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

H. e. rejicit & ſpernit, ἀποβάλλει. Sic Virg. Ecl. VII. 42.

projecta *vilior alga.*

Addo Perſii illud, Sat. I. 27.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc, ſciat alter.

Quis neſcit, hiſce verbis vulgo reprehendi ſcientiam rerum, quae non communicetur cum aliis? Aſt Perſium longe aliter ſenſiſſe manifeſtum eſt. Ita ille:

o mores! uſque adeone
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc, ſciat alter?

Demum, quod quidam faciunt Oratores noſtro ſeculo, ut parum ſe paratos a facundia & eloquentia dicturi Auditores ſuos moneant, ne *mellitos verborum globulos, verbaque ſeſamo & papavere ſparſa* exſpectent, in eo Petronii ſenſum bona fide non exprimunt, qui ea audiendo in Scholis ſtultiſſimos fieri adoleſcentulos, & eloquentiam perdere ait, leves & inanes ſonos vocans, quibus enervari & cadere corpus orationis neceſſe ſit. Eundem ſermonis fucum dudum ante *mulſa, laterculos, ſeſamum, papaverem, triticum & frictas nuces* dixit Plautus. Poen. I. 2. 112.

26. Vel me monere.] In quibuſdam Mſſ. Movere. Sic And. V. 4. 18. praeſtat autem Monere. Cic. Fam. IV. 8. *Illud tamen vel tu me* monuiſſe, *vel cenſuiſſe puta, vel propter benevolentiam tacere non potuiſſe: ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas.*

27. Rectum eſt?] Ita diſtinxi, motus auctoritate Gabr. Faerni. Sed & ita diſtinxiſſe Hieron. Suritam ſcribit Scottus, Nod. Cicer. II. 1.

Deterream.] Diſſuadeam, nullo formidinis reſpectu. Adelph. I. 2. 64. Plaut. Mil. II. 3. 61.

Me homo nemo deterruerit, *quin ea ſit in his aedibus.*

Cic. Fam. I. 7. *Sed ego te, ut ad certam laudem adhortor, ſic a dimicatione* deterreo.

28. Mi-

Me. Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus facto 'ſt, face.
Ch. An cuiquam eſt uſus homini, ſe ut cruciet? *Me.* Mihi.
Ch. Si quid laboris eſt, nollem. ſed quid iſtuc mali eſt,
Quaeſo? quid de te tantum meruiſti? *Me.* Eheu!
Ch. Ne lacruma: atque iſtuc, quicquid eſt, fac me ut ſciam:
Ne retice: ne verere: crede inquam mihi,

Aut

CALPHURNII.

28. Usus.] Modo opus ſignificat: alias utile: ut, opus eſt facto, pro facere. Sic " Salluſt. *Nam & prinſquam incipias, conſulto, &, ubi conſulueris, mature facto opus eſt.* * Ponitur igitur hic ablativus participii praeteriti temporis pro infinitivo; ſicut ibi *conſulto*; i. e. conſulere, & *facto*, i. e. facere.

29. Mihi.] Non repugnat ſententiae Chremetis, ſed ſe ſolum meruiſſe dicit ut crucietur.

31. De te meruisti.] Dicimus autem *mereo* & *mereor*. Mereor de te, eſt aliquid in te confero vel bonum, vel malum.

33. Ne retice.] Bene retice: nam *reticemus* dolores: *obticemus* pudenda: *tacemus* ſecreta. ut, " *Nec tacui demens.* In Eunucho,

Virgo conſciſſa veſte lacrymans obticet.

OBSERV. IN CALPH.

11. *Salluſt.*] Bello Catil. 1.

12. *Nec tacui demens.*] Virgil. Aen. II. 94.

COMMENTARIUS.

28. Mihi sic est usus.] Verſum hunc citat Cicero, de Fin. V. 10. expreſſum e Plauto, Amph. I. 3. 7.

Citius, quod non facto 'ſt uſus, fit, quam quod facto 'ſt opus.

29. Se ut cruciet.] Indigitat tacite nomen Fabulae.

30. Si quid laboris est, nollem.] Quis non indignetur, hunc verſum Guyeto ſpurium videri, & Terentio indignum? Boeclero itidem parum boni ſenſus hinc elici poſſe viſum. Muretus, cui ſententia ſatis aperta non erat, ſenſum tamen feliciter expreſſit. Sane enim, si quid laboris est, valet, ſi quid in animo moleſtiae eſt, quod te male habet. Quo ſenſu & πόνος uſurpatur Graecis. And. V. 2. 29. Hec. III. 1. 6. Unde, qui in malis verſantur, *laborare* dicuntur. Phaed. I. 30. 1.

Humiles laborant, *ubi potentes diſſident.*

Petron. cap. 44. *Populus minutus* laborat: *nam iſtae majores maxillae ſemper Saturnalia agunt.* Dacieria mire ſibi ipſa placet, vertens; *Si vous aviez quelque grand ſujet de deplaiſir, je ne dirois rien*; quaſi is verborum Chremetis ſenſus ſit, Si quae vera tibi moleſtia eſſet, nollem te deterrere. Praeter mentem, opinor, Poëtae. Scilicet lamentabiliter & cum ſuſpirio Menedemus dixerat, Mihi. Unde Chremes ſuſpicabatur, eſſe ei neſcio quid laboris objectum, dicitque, nollem, uſitata deprecandi formula, q. d. nollem factum. Sic Adelph. II. 1. 11. *Nollem factum*, & V. 1. 13. *Sane nollem huc exitum.* Ovid. Heroid. XX. 100.

Cum ſua, quod nolim, *numina laeſa videt.*

Eſt igitur nollem, q. d. doleo vicem tuam. Fabrini nihilo melius: *Io non vorrei tormentarmi affaticandomi, ſe io haveſſi alcun travaglio.* Quod eſt: *Nollem, ſi quid operis mihi eſſet, excruciare me, fatigando memet.*

31. Quid de te tantum meruisti?] Quid adverſus te ipſe peccaſti, quod tantas a te poenas ſumis? Plaut. Epid. I. 1. 59.

videre commeruiſſe
Hic, me abſente, in te aliquid mali.

Cic. de Fin. V. 10. Tractat hunc locum, additque: *Quare, quotieſcunque dicetur* male de ſe *quis* mereri, *ſibique eſſe inimicus, atque hoſtis, vitam denique fugere: intelligatur aliquam ſubeſſe ejuſmodi cauſam, ut ex eo ipſo poſſit intelligi, ſibi quemque eſſe carum.*

34. Aut consolando.] Imitatus Cicero Fam. VII. 10. *Quare omnibus de rebus fac ut quamprimum*

Aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero.
Me. Scire hoc vis? *Ch*. Hac quidem cauſa, qua dixi tibi.
Me. Dicetur. *Ch*. At iſtos raſtros interea tamen
Appone: ne labora. *Me*. Minime. *Ch*. Quam rem agis?
Me. Sine me, vacivom tempus ne quod duim mihi
Laboris. *Ch*. Non ſinam, inquam. *Me*. Ah! Non aequum facis.
Ch. Hui, tam graves hos, quaeſo? *Me*. Sic meritum 'ſt meum.

Ch.

CALPHURNII.

34. AUT CONSOLANDO, AUT CONSILIO, AUT RE JUVERO.] His tribus adhibitis, quid amplius in vera amicitia exoptandum?

* 36. AT ISTOS RASTROS.] Dicimus *Raſtrum* in ſingulari, & *Raſtri* in plurali. Dicti autem ſunt a *radendo*, quod terram radant.

37. DEPONE.] In tempore.

* NE LABORA.] Id eſt, noli te vexare, aut te ita labore conficere. Interdum *ne labora* ſignificat, ne cura, noli curare.

39. NON SINAM, INQUAM.] Haec magis geſtu exprimuntur.

40. HUI, TAM GRAVES.] Apoſiopeſis: & admiratio ponderis raſtrorum, quibus ſenex utitur.
* HUI] miſerantis exclamatio eſt.

COMMENTARIUS.

mum ſciam, aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero. Et Att. IX. 6. *Aut conſolatione, aut conſilio, aut quacunque re potes.* Expreſſum e Plauto, Pſeud. I. 1. 17.

Juvabo aut re, aut opera, aut conſilio bono.

35. QUA DIXI.] Locutio graeciſſans, ubi relativum etiam caſu convenit cum ſubſtantivo praecedente. Cic. Fam. V. 14. *Cum ſcribas, aut aliquid agas eorum*, quorum conſueſti. Vulgo: *& aliquid agas*. Ovid. Triſt. V. 6. 35.

Elige noſtrorum minimum de parte laborum:
Iſto, quo reris, *grandius illud erit.*

Gell. I. 3. *In eo*, quo dixi, *libro*. Et II. 26. *In iis tamen coloribus*, quibus *modo* dixiſti, *denominandis*.

36. AT ISTOS RASTROS INTEREA TAMEN APPONE.] Proprie quoties quod in manu eſt, prope nos ponimus, *apponere* dicimur. And. IV. 3. 10. Plaut. Caſ. II. 6. 11.

Appone *hic ſitellam*.

Poen. IV. 2. 35.

SY. *At onus urget*. MI. *At tu* appone, *& reſpice ad me.*

Serv. ad Virg. Georg. I. 94. & alii, DEPONE. Sic Cic. Fam. XVI. 4. *Omnia* depone. Suet. Ner. 19. Raſtello *humum effodit*. Dicti autem *Raſtri* & *Raſtra*, quod terram *radant*, teſte Servio, loc. cit. Sic Roſtrum a rodendo.

37. NE LABORA.] Vel hinc appare, in ipſo fundo, atque adeo in ipſo opere Chremem deprehendiſſe Menedemum; neque ergo ab agro redeuntem, & inſtrumentum ruſticum domum portantem circa aedes offendiſſe, quod contendit Daciera in Praefat. ad Terent. & ad h. l. decepta per figuram in Mſ. Regio expreſſam. Huc faciunt, quae continuo ſequuntur, SINE ME, VACIVOM TEMPUS NE QUOD DUIM MIHI LABORIS. Confer verſ. 94.

38. SINE ME.] Quidam Mſſ. & editi non agnoſcunt τὸ ME.

VACIVOM.] Ita in optimis Libris, etiam Bembino. Vulgo, VACUUM. Gr. εὔσχολον, εὔκαιρον. Plaut. Bacchid. I. 2. 46.

Valens afflictet me vacivom *virium*.

Phaed. V. Prol. 14.

Quartum Libellum dum tu vacive *perleges*.

40. HUI, TAM GRAVES HOS, QUAESO?] Sub. raſtros tractas; quod appoſitos a terra allevans dixit Chremes. Virg. Georg. I. 164.

iniquo pondere raſtri.

Ovid. Metam. XI. 36.

Sarculaque, raſtrique graves, *longique ligones*.

Ch. Nunc loquere. *Me.* Filium unicum adoleſcentulum
Habeo. ah! quid dixi habere me? immo habui, Chreme:
Nunc habeam, necne, incertum eſt. *Ch.* Quid ita iſtuc? *Me.* Scies.
Eſt e Corintho hic advena anus paupercula:
Ejus filiam ille amare coepit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet. haec clam me omnia.
Ubi rem reſcivi, coepi non humanitus,

Neque

CALPHURNII.

45. PERDITE.] Bene PERDITE. nam *perditus* eſt, qui in omne ſcelus eſt traditus. * PERDITE.] Adverbium, i. e. miſere & nimis vehementer, & in perditionem morum ſuorum.

COMMENTARIUS.

42. AH!] Mſ. Lipſ. & edit. 1469. AT. Mſ. Bodl. AT QUOD DIXI.

IMMO HABUI.] Editio anni 1469. non agnoſcit τὸ IMMO. Plaut. Rud. V. 2. 34.

Miſerum iſtuc verbum & peſſimum eſt, habuiſſe, & nihil habere.

44. EST E CORINTHO HIC ADVENA ANUS.] Urbs Corinthi quaſi colonias meretricum miſit Athenas & alio.

45. EJUS FILIAM.] Mſ. Bodl. EJUS FILIAM ISTE AMARE COEPIT VIRGINEM. Mſ. Boend. PERDITE VIRGINEM. Ex gloſſa.

47. UBI REM RESCIVI.] Varie in Mſſ & editis antiquis legitur, UBI REM RESCIVI, UBI REM SCIVI, UBI ID RESCIVI, UBI RESCIVI.

COEPI NON HUMANITUS.] Si, quod omnes fatentur, HUMANITUS idem eſt, ac *more hominum*, non video cauſam, quare id Menedemus de ſeſe praedicare voluerit. Certe inter patrem & hominem quis dicat intereſſe? Atqui HUMANITUS & VIA PERVOLGATA PATRUM ſibi h. l. opponuntur. Legerim itaque cum Mſſ. nonnullis & editis vetuſtiſſimis, HUMANITER, quomodo & Diomedem legiſſe obſervat Rivius. Quanquam in editione Aſcenſiana anni 1512. HUMANITUS apud DIOMEDEM reperio. Erit igitur, NON HUMANITER, duriter & inclementer. Cic. Att. I. 2. *Sin aliter acciderit*, humaniter *feremus*. Quod autem Chariſius & Diomedes Grammatici ita diſtinguunt inter *humane*, *humanitus* & *humaniter*, ut *humane* ſit ἀνθρωπίνως, *humanitus* & *humaniter* φιλανθρώπως, in eo quidem falluntur. Plin. Lib. X. cap. 63. *Urſi* humanitus *ſtrati*. i. e. ἀνθρωπίνως, more hominum. In quatuor tamen Mſſ. Leidenſ. ſed & Traject. & Bodl. impreſſiſque vetuſtiſſimis eſt HUMANITUS. In Leidenſium quinto dubie ſcriptum, HUMANIT'. Ita & in Mſ. Boenderm. Nonius HUMANITUS & HUMANITER ἰσοδύναμα facit.

49. TRACTARE.] *Tractatur* proprie materia, unde quid fingunt artifices. Ovid. de Arte Am. II. 49.

Tractabat *ceramque puer, pennaſque renidens,*
Neſcius haec humeris arma parata ſuis.

Inde *tractari* homo dicitur, qui in varias cogitationes quaſi diducitur. Infra verſu 101. & II. 3. 125. Cic. Orator 28. *Hujus eloquentiae eſt* tractare *animos, hujus omni modo permovere.* De Medicis uſurpat Ovidius, Pont. II. 2. 59. 59.

Vulneris id genus eſt, quod cum ſanabile non ſit,
Non contrectari *tutius eſſe putem.*

VIA PERVOLGATA PATRUM.] Non quidem pro jure patriae poteſtatis, ſed de ſolita patrum ſaevitia, humanitatis & amoris leges negligentium, ubi animus indignatione percitus eſt, videtur accipiendum. Similis fere locutio eſt apud Cic. Fam. XV. 5. *Inſtituto itinere ſeveritatem, diligentiamque ſociis, & reip. praeſta.* Eidem Ciceroni *via* & *ratio* ſaepius junguntur. Nonius *conſuetudinem* interpretatur.

50. COTIDIE ACCUSABAM.] Expreſſum e Plauto, Merc. I. 1. 46.

Objurgare pater haec me noctes & dies.

Unde totus hic locus deſumtus.

52. AMB-

Digitized by Google

Neque ut animum decuit aegrotum adoleſcentuli,
Tractare; ſed vi, & via pervolgata patrum.
Quotidie accuſabam: hem, tibine haec diutius
Licere ſperas facere, me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, ſi id credis, & me ignoras, Clinia.
Ego te meum eſſe dici tantiſper volo,
Dum, quod te dignum 'ſt, facies: ſed ſi id non facis,

Ego

CALPHURNII.

48. Animum aegrotum.] Pro *aegro* dixit. nam animus, *aeger*: corpus vero, *aegrotum* dicitur. * Non tamen inconvenienter id quod corpori appropriatur, attribuit animo. provenit enim menti vel animo aegritudo ex carnis laſcivia.

49. Et via pervolgata patrum.] Patres bonis inſtitutis, aliorum exemplis, nonnunquam minis, filios ad virtutem adhortantur.

* 50. Hem, tibine haec.] Interjectio indignantis.

54. Tantisper volo.] Tantisper, poſtulat poſt ſe Dum, pro donec ſive quamdiu, [13] Cicero, *In carcere ductus, ut ibi eſſet tantiſper, dum culeus in quem dejectus deferretur, compararetur.* Sunt qui accipiant *tantiſper*, pro tantummodo: ſunt qui pro interea. [14] Livius Lib. I. ab urb. cond. *Tamen id imperium ei ad puberem aetatem incolume manſit, tantiſper tutela muliebri.* Et tantisper ſine Dum uſus eſt.

OBSERV. IN CALPH.

13. *Cicero*] De Invent. II. 50. Legendum autem: *Deinde eſt in carcerem deductus, ut ibi eſſet tantiſper, dum culeus, in quem conjectus in profluentem deferretur, compararetur.*

14. *Livius Lib. I. ab Urb. cond.*] Cap. 3. Non mirum autem, Livium h. l. *Tantiſper* ſine *Dum* eſſe uſum. ſcribit enim: *Tantiſper tutela muliebri (tanta indoles in Lavinia erat) res Latina & regnum avitum, paternumque puero ſtetit.*

COMMENTARIUS.

52. Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco.] Solet ita Terentius de ea, quae vere uxor futura eſt. Supra verſu 46. And. I. 1. 119. & I. 5. 38. Dicitur caeteroquin de ea, quam per leges uxorem habere non licebat. Innuit id nomen *amicae*, quod ingenuae & civi nunquam datur. Briſſon. de Jure Connub. And. I. 5. 57. *Si te in germani fratris dilexi loco.* Cic. Philipp. II. 38. *Cur eos habes in loco patrui?*

53. Me ignoras.] Duplicem ſignificatum habet *ignorandi* verbum; vel enim ad faciem & vultum, vel ad mores & indolem refertur. Prioris exemplum eſt in illo Phaedri, V. 1. 10. de Menandri Comoediis:

Quas, ipſum ignorans, *legerat Demetrius.*

Et Nep. Ariſt. I. *Se* ignorare *Ariſtidem.* Poſteriori ſenſu uſus h. l. Terentius. Et Horat. Sat. I. 3. 21.

heus tu,
Quidam ait, ignoras *te? an ut ignotum dare*
Verba putas? [*nobis*

Phaed. V. 2. 9. de virtutis experte:

Ut poſſis alios ignorantes *fallere.*

54. Meum esse.] Ita ſolent, ſuppreſſo *filii* nomine. Infra V. 4. 11.

Noſtrum *te eſſe credito.*

Adelph. V. 3. 11.

Ex te adeo eſt ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum.

Et verſu 13.

cur recipis meum?

Et 16.

Quando ego tuum *non curo, ne cura* meum.

Plaut. Merc. I. 1. 50. plenius:

Abnuere: negitare adeo, me natum ſuum.

Digitized by Google

Ego, quod me in te ſit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re iſtuc fit, niſi ex nimio otio.
Ego iſtuc aetatis, non amori operam dabam;
Sed in Aſiam hinc abii propter pauperiem: atque ibi
Simul rem, & belli gloriam armis repperi.
Poſtremo adeo res rediit: adoleſcentulus
Saepe eadem, & graviter audiendo, victus eſt.
Et aetate putavit me, & benevolentia

Plus

CALPHURNII.

* 57. Otio.] Id eſt, ceſſatione & requie ab operibus.

diuturna quies vitiis alimenta miniſtrat.

58. * Ego istuc aatatis.] Id eſt, cum eſſem ea aetate, qua tu es. Dicit eodem modo Cicero in Epiſtolis, *id aetatis*, pro, ea aetate.

Non amori operam daaam.] Bene ſenex juxta 15 Horatii praeceptum, *laudator temporis acti* inducitur.

* 59. In Asiam.] Quae eſt tertia pars orbis, & provincia in ea parte ejuſdem nominis..

* Paopter paupariem.] Quia unuſquiſque cupit pauperiem fugere, tanquam magnum malum, ut inquit Horatius.

* Proptar pauperiem.] *Paupertas* eſt mediocrium, *pauperies* mendicorum.

60. Rem et gloriam.] Haec duo potiſſimum a militibus ſtrenuis comparantur. Res tria notat, imperium ſive divitias, litem, & Venerem.

* Armis repperi.] Alii Codices non habent cum armis belli, & tunc armis belli intelligatur, i. e. per praeclara geſta, quae geſſi in bello.

* 62. Audiendo.] Scilicet ſaepe eadem convicia & probra.

* Victus est.] A propoſito malo amoris deflexus. Et ita laudat filium, qui in malo non fuerit pertinax, ut multi ſunt.

* Victus est.] Non ceſſit aut paruit, ſed, quod eſt oppreſſi, victus eſt.

63. Putavit me.] Clementiſſimus pater filium laudat, quod non pertinax in malis, ut multi fuerit.

OBSERV. IN CALPH.

15. *Horatii.*] Arte 173.

COMMENTARIUS.

56. Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.] Totum cum ſtomacho. Videtur autem omnino minitari abdicationem; qualis ob eandem cauſam accidit Themiſtocli Neoclis filio, qui ἀποκηρυχθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς dicitur Aeliano, Var. Hiſt. II. 12. quod ſcilicet per κήρυκας abdicandi conſilium & rationes publice pronunciari mos eſſet.

57. Ex nimio otio.] Deſidiam nimiumque otium illicitos alere amores, tralatitium eſt. Ovid. Remed. Amor. 135.

Ergo, ubi viſus eris noſtrae medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Haec, ut ames, faciunt.

58. Istuc aetatis.] Cic. pro Cluent. 51. *Se in balneis cum* id aetatis *filio fuiſſe.* Ut adeo istuc aetatis valeat, tanta jam aetate exiſtens. Sic *hoc noctis*, Plaut. Amph. I. 1. 2. h. e. tam multa nocte. Et *id aetatis*, Aſin. I. 1. 56. h. e. in tanta aetate, cum eſſet tam grandis natu. Integer autem locus expreſſus e Plauti Merc. I. 1. 61.

Seſe extemplo ex ephebis poſtquam exceſſerit,
Non, ut ego, amori, neque deſidiae in otio
Operam dediſſe, neque poteſtatem ſibi
Fuiſſe; adeo arcte cohibitum eſſe a patre.

59. Propter pauperiem.] Ea multis fuit militiae cauſa. Ita Sinon de ſeſe, quamvis falſo,

Plus ſcire & providere, quam ſe ipſum ſibi.
In Aſiam ad regem militatum abiit, Chreme.
Ch. Quid ais! *Me.* Clam me profectus, menſes treis abeſt.
Ch. Ambo accuſandi: etſi illud inceptum, tamen
Animi eſt pudentis ſignum, & non inſtrenui.
Me. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conſcii,
Domum revortor moeſtus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto prae aegritudine:
Adſido, adcurrunt ſervi, ſoccos detrahunt:

Video

CALPHURNII.

69. UBI COMPERI.] Haec oratio, tota pathetica eſt. Et beue COMPERI, compertum eſt mihi, & exploratum, idem eſt quod ſcio per inveſtigatiouem.

* 71. ATQUE INCERTO.] Fracto, ut dicimus. Certo animo, id eſt, forti & firmo.

* 72. ASSIDEO.] Id eſt, juxta aliquid ſedeo. Nam componitur ex *ad*, quod eſt, juxta, & *ſedeo*. Vel compoſitum pro ſimplici.

* ASSIDEO.] *Sedemus* deſidia. ut:

[16] *ſedeant ſpectentque Latini.*

Reſidemus otio. ut:

[17] *Jam pridem reſides animos.*

Praeſidemus rei commiſſae, ut provinciae, *Aſſidemus*

OBSERV. IN CALPH.

16. *Sedeant.*] Virgil. Aen. XII. 15.

17. *Jam pridem.*] Virg. Aen. I. 722.

COMMENTARIUS.

ſo, apud Virg. Aen. II. 87.

Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.

60. SIMUL REM, ET BELLI GLORIAM ARMIS REPPERI.] Ita poſt Goveanum & Faërnum Guyetus. Vulgo: ARMIS BELLI. Videtur expreſſum e Pindaro, Iſthm. Od. VIII.

Α'έθλων ὅτι κράτος
Ε'ξεῦρε.

Quoniam certaminum victoriam repperit. Plaut. Epid. III. 4. 13. [*adoleſcentia*

Ego ſum, ſi quid vis. MIL. *Nempe quem in*
Memorant apud reges armis, arte duellica
Divitias magnas indeptum?

62. GRAVITER AUDIENDO.] Aegre & iniquo animo. Aud. I. 2. 20. infra III. 3. 9.

VICTUS EST.] Ceſſit. And. V. 3. 21. Hec. I. 2. 93. & II. 2. 2.

63. ET AETATE.] Cic. Seneſt. 19. *Mens enim & ratio, & conſilium in ſenibus eſt.* Mſſ. quidam: PUTAVIT ME ET AETATE.

65. AD REGEM.] Intelligitur Rex Perſarum, qui & βασιλεὺς, βασιλεὺς μέγας, & βασιλεὺς βασιλέων dictus. Eun. III. 1. 7. & 11. Cic. Tuſc. V. 12. *Tu igitur ne de* Perſarum *quidem* Rege magno *potes dicere, beatuſne ſit?* Notat vero Guyetus, Comoediam hanc ſcriptam fuiſſe oportere ante Perſas ab Alexandro debellatos. Quod ſi ſit, ait, qui Menandri eſſe potuit, qui Theophraſti diſcipulus fuit? Dacieria Seleucum intelligit, itidem uti Eun. III. 1. 7. Comoediarum autem argumenta ex priſca hiſtoria ſumi, vulgo notum. Menander ergo accommodavit ſcenam non ſuo, ſed priori ſeculo. Plaut. Trin. II. 4. 195.

Geſtandus peregre clipeus, galea, ſarcina:
Effugiet ex urbe, ubi erunt factae nuptiae:
Ibit iſtinc aliquo in maximam malam crucem
Latrocinatum, aut in Aſiam, aut in Ciliciam.

70. DOMUM REVORTOR.] In Fragmentis Decii Laberii ſunt haec:

Ego bis tricenis annis actis ſine nota,
Eques Romanus ex lare egreſſus meo,
Domum revortar *Mimus?*

71. PERTURBATO.] Editio anni 1469. CONTURBATO. Ita & Mſ. Lipſ. & Bodl.

72. ADSIDO.] Exprimit vires nimio labore fa-

Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Coenam apparare: pro ſe quiſque ſedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Ubi video haec; coepi cogitare: Hem! tot mea
Solius ſolliciti ſint cauſa, ut me unum expleant?
Ancillae tot me veſtiant? ſumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſed gnatum unicum,

Quem

CALPHURNII.

ſidemus in re, quam frequenter agitamus;

ACCURRUNT SERVI.] Tale illud in Andria,

Accurrit: mediam mulierem amplectitur.

* SOCCOS DETRAHUNT.] Soccus calcei genus eſt, dictus, ut aliqui volunt, quaſi *ſaccus*, quia calcationi ſit facilis, quas pedithecas vocant. Eo autem calceamento Comoediarum Actores utebantur, quemadmodum *cothurno* Tragoedi. Uſque adeo, ut pro ſtilo Comico poni poſſit, quemadmodum cothurnus pro ſtilo Tragico.

73. LECTOS STERNERE.] Ex conſuetudine antiqua. lectulis enim ſtratis antiqui coenitabant. Unde triclinium a tribus lectis dictum. [18] Horat.

Saepe tribus lectis videas coenare quaternos.

Terent. in Adelph.

Lectulos iligneos dedit faciendos in ſole, ubi potetis vos.

74. COENAM APPARARE.] Nihil ſignificantius de ſene dicere potuit, qui voluptates & commoda, quae aſpernatus gratia filii narrat. Nam APPARARE, eſt ad dignitatem quandam ac verius pompam. *Praeparare* vero, eſt quae utilia ſunt, aut fore creduntur.

OBSERV. IN CALPH.

18. *Horat.*] Serm. I. 4. 86.

COMMENTARIUS.

tigatas, ſed & prae aegritudine collapſas. Ovid. Heroid. XIII. 24.

Succiduo dicor procubuiſſe genu.

Mſ. Mark. & Boenderm. ADSIDEO. Ita & in Mſſ. Boecleri duobus, & editis annorum 1469. 1481. 1490.

SOCCOS DETRAHUNT.] Feſtinatio indicatur trepidantium ſervorum. Dubites autem, an more Graecorum ſoccos dixerit, quod exiſtimat Eugraphius; an Comoediam reſpiciat; an denique pro calceamento generatim capiendum ſit, quod plus vice ſimplice fecit Plautus. Eſt vero *detrahendi* verbum hic proprium. Suet. Vitell. 2. *Detractumque ſocculum dextrum.* Tum viliſſimi miniſterii res erat. Unde adeo Johannes Baptiſta de Servatore, Evang. Marc. I. 7. Οὐ εἰμὶ ἱκανὸς, κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ.

73. FESTINARE.] Trepide concurrere. Adelph. III. 2. 25. Phaed. III. 19. 9. Plaut. Caſ. IV. 1. 5.

Omnes feſtinant *intus totis aedibus:*
Senex in culina clamat, hortatur cocos:
Quid agitis hodie? quin datis, ſi quid datis?
Properate: coenam jam eſſe coctam oportuit.

Horat. Carm. IV. 11. 9.

Cuncta feſtinat *manus: huc & illuc*
Curſitant mixtae pueris puellae:
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertere fumum.

LECTOS STERNERE.] Sic Adelph. II. 4. 21. Plaut. Moſtell. I. 4. 13.

Cave modo, ne prius in via accumbas,
Quam illic, ubi lectus eſt ſtratus, *coimus.*

De more diſcumbendi apud veteres vide Lipſium, Roſinum, alios. Guyetus in gloſſis Mſſ. LECTOM STERNERE, quod ſcilicet ſolus eſſet Menedemus.

74. PRO SE QUISQUE SEDULO FACIEBAT.] H.

c.

Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea 'ſt,
Eum ego hinc ejeci miſerum injuſtitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. nam uſque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea uſque illi de me ſupplicium dabo:

Labo-

CALPHURNII.

82. EUM EGO EJECI.] Eum abundat.
86. ILLI DE ME SUPPLICIUM DABO.] *Dare alicui de ſe ſupplicium* ſignificat, punire ſe ipſum illius vice.

COMMENTARIUS.

e. quantum quiſque poterat. Plaut. Amph. I. 1. 76.

Pro ſe quiſque, *id quod quiſque poteſt & valet.*

Cic. Fam. XV. 15. *Quibus aliquid opis fortaſſe, ego pro mea, tu pro tua,* pro ſua quiſque parte *ferre potuiſſet.* Virg. Aen. XII. 552.

Pro ſe quiſque *viri ſumma nituntur opum vi.*

Ovid. Metam. III. 641.

quis te furor, inquit, Acoeta,
Pro ſe quiſque, *tenet?*

Mſſ. & editi quidam: FACIEBANT. ut ſenſus ſit, FACIEBANT SEDULO: QUISQUE PRO SE, ſub. *faciebat.*

76. MEA SOLIUS.] In quibuſdam Mſſ. & editionibus annorum 1469. 1481. & 1490. MEI SOLIUS. Ita & Valla.

77. SOLLICITI SINT.] Ita edidi, ſecutus auctoritatem Tanaq. Fabri. Sequitur enim continuo, VESTIANT, &, FACIAM. Eurip. Medea, 54.

Χρηστοῖσι δούλοις ξυμφορὰ τὰ δεσποτῶν
Κακῶς πιτνόντα, καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται.
Fidelibus miniſtris calamitati ſunt dominorum
Res adverſae, & angunt animos.

78. ANCILLAE TOT ME VESTIANT?] H. e. Veſtibus mihi conficiendis occupatae ſint, nendo & texendo? Intelligit igitur lanificas & veſtiſpicas.

82. EUM EGO HINC EJECI MISERUM INJUSTITIA MEA.] Πάθος eſt in ſingulis vocibus. Quoties autem pluſcula vocabula intercedunt inter nomen & verbum, intermedio utuntur pronomine. Locum reſpexit Horat. Sat. I. 2. 19.

hic? vix credere poſſis,
Quam ſibi non ſit amicus: ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miſerum nato vixiſſe fugato
Inducit: non ſe pejus cruciaverit, atque hic.

83. MALO QUIDEM ME DIGNUM QUOVIS DEPUTEM, SI ID FACIAM.] Haec cohaerent cum iſtis: SUMTUS DOMI TANTOS EGO SOLUS FACIAM? Quae enim intermedia ſunt, parentheſin efficiunt. Cicero Tuſc. III. 27. ita citat: *Malo quidem me quovis dignum deputem.*

84. VITAM ILLAM COLET.] Deget. Citat Nonius Marcellus v. *Colere.* Plaut. Caſ. II. 1. 11.

faciam, uti, proinde ut eſt dignus,
Vitam colat.

Moſtell. III. 2. 41.

Vino & victu, piſcatu probo, electili
Vitam colitis.

Trin. III. 2. 74.

Atque eum agrum dederis, nec quidquam tibi hic ſit, qui vitam colas.

Cic. Att. XII. 28. *Nunc plane nec ego victum, nec* vitam *illam* colere *poſſum.* Quidam Libri praeferunt, INCOLET. Menand. *βίον ὡς οἰκτρὸν ἐξανθλῶσιν.*

86. USQUE.] Intendit vim ſententiae; tanto magis, quia jam praeceſſit, USQUEDUM. Sic Phorm. V. 8. 41. Simile autem quid refert Cicero de Seneſt. 15. *Homerus Laërtem lenientem deſiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, & eum ſtercorantem facit.* Valet vero, USQUE ILLI DE ME SUPPICIUM DABO, *Ἑαυτοντιμωρούμενος.*

87. QUAE-

Laborans, quaerens, parcens, illi ſerviens.
Ita facio prorſus: nihil relinquo in aedibus,
Nec vas, nec veſtimentum: conraſi omnia,
Ancillas, ſervos, niſi eos, qui opere ruſtico
Fa-

CALPHURNII.

* 87. Parcens.] Id eſt, coarctans & conſtringens ſolitum victum, & tanquam parcus fortunis parcendo, & eas reſervando.

* Illi serviens.] Deſerviendo, conquirendo & conduplicando undique illi divitias more boni ſervi. Haec ſunt illa, quae ſenex ſibi facienda decrevit.

* 88. Ita facio.] Nunc oſtendit, ad rem verba acceſſiſſe, ſeu eſſe collata.

89. Corrasi omnia.] Omnia compilavi, vendidi. Huic contrarium eſt, *abradere*: & eſt per vim aliquid auferre. * Cum autem dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquiſſe ex rebus ſuis, quod non alienaverit, recte dicemus, *omnia corraſit*, quaſi etiam raſerit parietem &c. ſi ex illis radendis aliquid commodi potuerit conſequi. Interdum *corradere* ſignificat difficulter comparare. Terent. in Adelph. *Minas decem corradet.*

COMMENTARIUS.

87. Quaerens, parcens.] Accumulare opes ſtudens & ſervans. Adelph. V. 3. 27.

Conſerva, quaere, parce: *fac quam plurimum*
Illis relinquas.

Juſtin. I. 9. *Ut regnum, quod fraude* quaeſierant, *indulgentia & largitionibus confirmarent.* Menand.

Συλλέγει καὶ φείδεται.

89. Nec vestimentum.] Non intelligendae ſolae veſtes proprie ita dictae, ſed & veſtes ſtragulae, tapetes, & ſimilia. Infra V. 1. 30.

90. Opere rustico faciundo.] Linacer, In opere rustico faciundo.

91. Sumtum exercerent.] Tantum quaeſtus mihi facerent, unde eos alere poſſem. Hec. II. 1. 28. Non convenit inter Interpretes, exercerent legendum ſit, an exerceant. Utrumque eſt in Mſſ. & editis probatiſſimis. Poſſit & exercent legi. quomodo eſt in Mſ. Traject. & Leidenſium uno. Neque enim quid futurum ſit, dicit Menedemus, neque dubia oratio eſt, verum quid nunc fiat, enarrat. Muretus Var. Lect. VIII. 13. ex ſententia Dionyſii Lambini legit exsarcirent. Guyetus, exsarcirent, q. d. *reſarcirent*, penſarent. Turnebus Adverſ. III. 5. ita exsarcirent ſe ait legere, ut exercerent non damnet, adducens verba Ambroſii, Offic. Lib. II. *Sed direptione alicujus, & amiſſione patrimonii in eam recidere injuriam, ut* ſumtum exercere *non queas*. Eodem modo *exerceri* dicitur pecunia, quum foenori locatur, ne ſterilis ſit. Ita & Graeci dicunt: *βίον ἐργάζεσθαι, ἐργάζεσθαι τὰ ἐπιτήδεια, ἐκπονεῖν τὰ δέοντα.*

92. Omnes produxi ac vendidi.] Ὠνίους προήγαγον. ἐξήγαγον. Sic Eun. I. 2. 54. Locum expreſſit Martialis XI. 70. 7.

Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, menſas, myrrhina, rura, domum.
Vende ſenes ſervos, agros & vende paternos.
Ne pueros vendas, omnia vende miſer.

Inscripsi ilico aedes mercede.] Idem & *proſcribere* dixerunt, i. e. publice ſcriptum proponere. Cic. Off. III. 13. *Quod ſi qui* proſcribunt: villam bonam, beneque aedificatam, *non exiſtimantur feſelliſſe.* Plaut. Trin. I. 2. 131.

Aedes *venales haſce* inſcribit *literis*.

Eſt vero *inſcribere* ſimpliciter venales aut locandas ponere aedes; *inſcribere mercede*, locandas dare; *inſcribere pretio*, vendendas ponere. Tibull. II. 4. 53.

Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas,
Ite ſub imperium, ſub titulumque Lares.

Tabulam inſcriptam *Titulum* vocat. Sic Evang. Joh. XIX. 19. Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος. Erat autem Inſcriptio aedium, Aedes vendundae, vel, Aedes locandas. In Codice Bembi, & nonnullis aliis eſt: Inscripsi ilico aedes. Mercedem quasi talenta ad quindecim coegi. Briſſonius de Formul. Lib. VI. refert antiquum venditionis aedium inſtrumentum, ex vetuſtis membranis deſcriptum, quod quidem quo jure quaque conditione eſt, non
ſuo,

Faciundo facile ſumtum exercerent ſuum:
Omnes produxi ac vendidi: inſcripſi ilico
Aedeis mercede: quaſi talenta ad quindecim

Coë-

CALPHURNII.

92. PRODUXI AC VENDIDI.] Bene PRODUES: nam *producere*, foras ducere ſignificat. [19] M. T. in Frumentaria, *Nemo tuorum amicorum abs te productus, nemo interrogatus.* Hinc *productores* dicuntur, qui virgines abducunt, & eas ad quaeſtum exponunt.

93. TALENTA AD QUINDECIM COEGI.] Congeſſi, coadunavi. Hinc *coactores* argentariorum dicuntur, qui pecunias cogunt. * Talentum Athenienſe parvum conſtat ex LX. minis ſeu libris. Talentum vero magnum conſtat ex octoginta tribus, & quatuor unciis.

OBSERV. IN CALPH.

19. *M. T. in Frumentaria.*] Locus incertus.

COMMENTARIUS.

ſuo, ſed eorum, qui ediderunt, periculo ſubjicit. Id ſic habet:

PASCUTIUS CULITA PASCUTII CULITAE F. SARNENSIS SARCULARIUS, CUM PIGNATIA NIGELLA, QUAE VIRO SUO NUNC HIC ADEST, ET SUO ET UXORIS NOMINE VENDIT SEGNITIO FUNESTILLO, ACERRANO VIATORI, QUI IPSUS EMIT SIBI, LIBERIS, NEPOTIBUS, PRONEPOTIBUSQUE SUIS CUM OMNE POSTERITATE DOMUNCULAM. SITA EST SARNENSI IN SUBURBIO, SECUNDUM FLUMEN. TRIBULES AC VICINOS BONOS NAEET, PILUTIUM, RUFILUM, COCLRATIUM SURRIPONEM, ITEMQUE LARDATIUM FABARONEM. PROBA EST DOMUNCULA TOTA, PROBA CONTIGNATIO, PROBUS PARIES, TECTUM IPSUM PROBE CANTERIATUM ADSERULATUMQUE, QUERNIS ETIAM SCANDULIS AVERUNCONIS FABRI. PROBA CISTERNA, SINE ULLO TALICULI VITIO, AUT LATRINAE SERVITUTE. FUNDAMENTA BENE JACTA, VOLUTABRUM LUTULENTUM, IN QUO VICINIAE TOTIUS SORDES DESIDEANT. HARULA AD SOLEM MERIDIANUM EXPOSITA, FIRMITERQUE QUATERNATA. UNCIOLAS TRES PRETIUM. TU PASCUTI ACCEPISSE ARGENTUM OMNE PERPENSUM PROBE ET ENUMERATUM FATERIS. TIBI VERO, SEGNITI, EA DOMUNCULA SOLEMNI MORE EST A PASCUTIO EVINCUNDA, AB IPSIS ETIAM FUNDAMENTIS TOTA, CUM TECTO, ADSERIBUS, CANTERIIS, CLAVICULIS, SCALIS, FORIBUS CULINAE VOLUTABRIQUE DECURSIBUS, AB INFIMO SOLO AD USQUE COELI SUBSELLIUM, CUM IPSO ETIAM COELO, CUMQUE TERRAE IMIS ATQUE PERIMIS INFERNISQUE. SISTES AUTEM IN OMNI FORO ET CAUSA, FESTIS PROFESTISQUE, FASTIS NEFASTISQUE DIEBUS SEGNITIO AC SEGNITII POSTERIS. PRO QUO PRAESTANDO PRAEDIA SUPELLECTILEMQUE SUAM, ET CUM EA BASEM, COFINUM, RISCUM, AC RETE TRIPLUMBATUM OBLIGATUM OBLIGAT, SEQUE STATURUM IN PRAETORIO AD JUDICEM. TU PASCUTI FUSTE ILLUM INVESTITO. TU SEGNITI FUSTEM MANU CAPITO. HAECCE UTI VERA SUNT SCIENS VOLENSQUE, SUAE SPONTIS ATQUE EX CONVENTO, UTQUE INTER VIROS BONOS DECET, UTERQUE AGITIS, MEQUE UT SCRIBAM ROGATEI, JUREQUE JURANDO CUNCTA HAEC CONFIRMATIS. TESTES ADSUNT MORE ADCITI ROGATIQUE, VIRI UTIQUE PROBI.

PLOTIUS LOCUSTA FESULANUS.
CASELLIO ALBANUS.
LICIDA ALBUTIUS FREGELLANUS.

HASCCE SICCE CONVENERE, HISCE VERBIS, HISCE CONDITIONIBUS ACTA ET TRANSACTA SUNT, NISCE ADSENTIENTE UXORE PIGNANTIA, UT PAR EST, VIROS INTER BONOS BENE AGIER.

KAL. QUINCTILIB. PRAET. BALBO.
BEBIUS PORCA.

93. QUASI TALENTA AD QUINDECIM COEGI.] MSſ. quidam & editi vetuſtiſſimi in Terent. & Calphurn. QUASI TALENTA DUODECIM COEGI. τὸ QUASI reſpondet Graecorum ὡς, ὡσεὶ, nosterque *circiter*. Plaut. Moſtell. III. 1. 95.

quaſi *quadraginta minas.*

Cic.

Coëgi: agrum hunc mercatus ſum: hic me exerceo.
Decrevi tantiſper me minus injuriae,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer:
Nec fas eſſe ulla me voluptate hic frui,
Niſi ubi ille huc ſalvos redierit meus particeps.
Ch. Ingenio te eſſe in liberos leni puto,
Et illum obſequentem, ſi quis recte aut commode

Tra-

CALPHURNII.

95. Dacrevi.] Plus eſt *decernere* quam conſtituere. Et eſt proprie *decernere* de rebus magnis certam proferre ſententiam.

97. Voluptats frui.] Si parentes pro filiis elaborant, quis clementior hoc ſene, qui omnia commoda abſente filio aſpernatur? Frui, proprie eſt delectationem capere ex uſu.

* 98. Meus particeps.] Id eſt, heres meus, quaſi nunc partem capiens bonorum meorum, vel etiam particeps, cui debeam credere omnia conſilia mea.

99. Ingenio te esse leni in liberos puto.] Liberos multitudinis numero dixit, cum Menedemus unicum haberet filium. Conſtat enim antiquos Oratores, hiſtoriaeque, aut carminum Scriptores, etiam unum filium filiamve, *liberos* multitudinis numero appellaſſe. In Hecyra *liberos* in ſignificatione unius filiae dixit, *Qui illum decreverunt dignum, ſuos cui liberos committerent.* Sic [20] Cicero, *En cui tuos liberos committas.*

OBSERV. IN CALPH.

20. *Cicero.*] Locus incertus. Superiora autem de notione τῶ *Liberi*, e Gellio, expreſſa II. 13. Adde Notas.

COMMENTARIUS.

Cic. Att. VII. 8. *Cum ſciemus, quantum* quaſi *ſit in trientis triente.* Suet. Calig. 58. *Hora* quaſi *ſeptima.* Evang. Luc. III. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. Omnes autem majores ſummae per *talenta* fere numerabantur.

94. Coegi.] Ex venditione collegi. Vide Torrent. ad Suet. Veſp. 1. Cic. Att. VI. 2. *ad pecuniam* cogendam. Proprie autem pecus, tum agmen, ſenatus dicuntur *cogi*, i. e. coagi.

95. Decrevi.] Binos hoſce verſus laudat Cicero, Tuſc. Quaeſt. III. 27. & Fin. V. 10. Eſt vero decrevi, mihi perſuaſi, ſentio, exiſtimo. Cic. Att. III. 15. *Quod aut in me ipſo ſatis conſilii eſſe* decreras. Et pro Mil. 6. *Itaque ego ipſe* decrevi, *eum caedem in Appia factam eſſe conſtaret, non eum, qui ſe defendiſſet, contra remp. feciſſe.* Plaut. Ciſtell. I. 1. 1.

Cum ego antehac te amavi, & mihi amicam eſſe crevi.

96. Dum fiam miser.] Eandem miſeriam Laërten ſubiiſſe ob deſiderium Ulyſſis, Homerus auctor eſt. Unde id hauſit Menander, uti e Menandro Terentius.

97. Nec fas esse.] MSS. quidam: nefas esse.

98. Meus particeps.] Μέτοχός μου, conſors. Reſpicit morem Romanum, quo filius patre vivo habebat jus bonorum, ſed mortuo demum poſſeſſionem. Unde Cicero Verrina I. 44. *Homo importuniſſime, cur tantam injuriam P. Annio mortuo feciſti? Cur hunc dolorem cineri ejus, atque oſſibus inuſſiſti, ut liberis ejus bona patria, voluntate patris, jure, legibus tradita, eriperes, &, cui tibi eſſet commodum, condonares? Quibuſcum vivi bona noſtra partimur, iis praeter adimere, nobis mortuis, bona fortunaſque poterit?* Simile quid videas in Parabola ſacra, Luc. XV. 11. ſeqq. Adde quae citat Boeclerus ex Paulo JCto L. 11. de Lib. & Poſtum. Porro autem L. 7. D. de Bonis Damnat. §. 2. Inſt. de Her. qual. & diff. *Vivo quoque patre quodammodo domini.*

Item.

Tractaret. Verum neque tu illum ſatis noveras,
Nec te ille. hocque fit, ubi non vere vivitur.
Tu illum, numquam oſtendiſti, quanti penderes,
Nec tibi ille 'ſt credere auſus, quae eſt aequom patri.
Quod ſi eſſet factum, haec numquam eveniſſent tibi.
Me. Ita res eſt, fateor: peccatum a me maximum eſt.
Ch. Menedeme, at porro recte ſpero, & illum tibi

CALPHURNII.

103. QUANTI PENDERES.] Quanti illum faceres. Tractum ab antiquis, qui ante ſignatam pecuniam, aes & argentum *pendebant*, * Inde *pendere poenas* dicimus, id eſt, dare ſeu luere poenas. Nam antiquorum poenae erant pecuniariae. Inde *pendere* dicimus aeſtimare ſeu liceri. Inde nihili pendere, id eſt, nihili facere. Inde parvi pendere, flocci pendere, magni pendere.

104. NEC TIBI CREDERE AUSUS.] Adoleſcentibus glorioſum eſt, ſi modeſtia utuntur & pietate in parentes, ut nihil dicant aut faciant niſi conſilio parentum.

107. PORRO RECTE SPERO.] PORRO, ejuſdem ſignificationis cujus *vero* & *autem*: pro quibus *tamen* ponere non poſſis. Significat etiam apud Poëtas *longe*, *certe*, *poſtea*, *ultra*. SPERO pro cre-

COMMENTARIUS.

Item §. 3. Inſt. de Hered. quae ab inteſt. in iis quaſi *continuatur* dominium. Unde filii paſſim apud Comicos audiunt *Heri minores*. Baſilica νεωτέρους δεσπότας vocant. Homero Odyſſ. P. Telemachi ſubulcus dicitur, qui proprie erat Ulyſſis. Confer denique Geneſ. XXIV. 36. Contrarium eſt infra, IV. 5. 39. EXPERS PARTIS DE NOSTRIS BONIS.

99. LIBEROS.] Ita ſolent etiam de uno filio filiave. Sic Hec. II. 1. 15.

100. SI QUIS RECTE AUT COMMODE TRACTARET.] De recta inſtitutione Liberorum praeter alios conſule Senecam de Ira II. 20. 21. 22. & 23.

101. NEQUE.] Revocavi hanc vocem ex editione Juntina, Aldina, Rob. Stephani, & his multo vetuſtioribus. Vulgo, NEC. Variant Mſſ.

102. HOCQUE FIT, UBI NON VERE VIVITUR.] Mſſ. quidam, cum tribus Leidenſibus, HOC IBI FIT, UBI NON VERE VIVITUR. Aſſentior Mureto, legenti, HOC UBI FIT, IBI NON VERE VIVITUR. Quorum verborum ſenſus prae altero illo multo planior eſt. Atque ita eſt in Mſ. Traject. q. d. Ubi nec pater filium, nec filius patrem ſatis novit, ibi non vere vivitur. Sic Adelph. V. 9. 30. Sed & ita ex Mſſ. edidit Fabrini.

104. NEQUE ILLE TIBI AUSUS EST CREDERE.] Id in filio ſuo laudat Demaenetus, apud Plautum, Aſin. I. 1. 65.

Praeſertim cum is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem ejus ingenio decet.

QUAE EST AEQUUM.] Mſ. Boenderm. QUOD EST AEQUUM.

105. HAEC NUNQUAM EVENISSENT.] Mſ. Boenderm. HOC NUNQUAM EVENISSET.

106. PECCATUM A ME MAXIMUM EST.] Ita ex Mſſ. & editis veteribus recenſuit Heinſius, eſtque ita in Mſſ. quatuor Leidenſibus; ſed & ex Codice Vaticano & Bembino laudat Jac. Perizonius, Vir Cl. ad Sanct. Min. IV. 4. num. 86. expletque: *Illud negotium, quod negotium peccatum a me eſt, eſt maximum*. Mſſ. quidam: FATEOR, PECCATUM MEUM MAXIMUM ESSE. Alii, cum Mſ. Boenderm. FATEOR, PECCATUM MEUM MAXIMUM EST. Mſ. Traject. PECCATUM MAXIMUM MEUM EST. Alii, PECCATUM A ME MAXIME EST. Lindenbruchius ex Vet. Cod. citat, PECCATUM MEUM. Senſus erit expeditus, ſi MAXIMUM pro adverbio ſumtum valet MAXIME. Sic *primum*, *poſtremum*, *ultimum*, & ſimilia.

107. RECTE SPERO.] Sub. eventurum. Et eſt formula conſolandi.

Salvom adfuturum eſſe hic, confido, propediem.
Me. Utinam ita Dî faxint! *Ch.* Facient, nunc. ſi commodum eſt,
Dionyſia hic ſunt hodie; apud me ſis volo.
Me. Non poſſum. *Ch.* Cur non? quaeſo, tandem aliquantulum
Tibi parce: idem abſens facere te hoc vult filius.
Me. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipſum fugere. *Ch.* Siccine eſt ſententia?

Me.

CALPHURNII.

credo, uſitatum eſt: ſive de praeſenti loquamur, ſive de praeterito. Similiter CONFIDO pro credo, tum in praeterito, tum in praeſenti, tum in futuro.

109. UTINAM DII FAXINT.] Faxo, futurum tempus tantum: vel, ut alii, promiſſivum modum oſtendit.

110. DIONYSIA HIC SUNT.] Hoc eſt Bacchanalia. *Dionyſii* autem, qui & Bacchus dicitur, ſacra, a pleriſque Graeciae urbibus triennio quoque celebrabantur.

111. QUAESO.] Primam perſonam indicativi habet duntaxat. Licet *quaeſere* lectum ſit [21] apud Salluſtium & Tullium.

* TANDEM.] Id eſt, uno verbo, quod tantam vim apud te habere velim, quaniam, ſi diu interrogaſſem, & illud foret ultimum. hoc eſt, quod poſtulat Chremes.

OBSERV. IN CALPH.

21. *Apud Salluſtium.*] Refert ex Salluſtio Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. X. haec verba: *Curionem* quaeſivit, *ut adoleſcentior, & populi ſuffragiis integer, aetati concederet Mamerci.* Ad quae verba notat Douza in Fragmentis Salluſtii: *Neque illud praetermittendum,* Quaeſivit, *in hoc Fragmento pro rogavit, obſecravitque poſitum eſſe, ab ante quo verbi formatione,* Quaeſo, Quaeſere, *ne quis praeteritum iſtud a* Quaero *derivandum, rei ſimilitudine deceptus, falſo porro ſibi perſuadere inſiſtat, quod a meme Hiſtorici nimis quam alienum fuerit. Neque alio referendum exemplum Phocae; qui* Quaeſere *apud Tullium & Salluſtium noſtrum lectum eſſe, diſerte notavit, Quod alii, quo referrent, ignorantes, verbum iſtud, ut Fragmentum inter incerta Criſpi inſc te poſuerunt.* Haec Douza. Et ſane Phocas Capite de Quarta Conjugatione ita ſcribit: *Defectiva in modis ſunt haec:* Quaeſo, *quod primam perſonam habet indicativi modi duntaxat, licet* Quaeſere *lectum ſit apud Salluſtium & Tullium.* Exſcripſerit igitur alter ex altero. *Tullium.*] Is Fam. XI. 3. *Deos quaeſumus,* dixit. Unde itidem *Quaeſere* Latine dici pro rogare, Calphurnius autumat.

COMMENTARIUS.

109. SI COMMODUM EST.] Pro eo Cicero amat: *Quod commodo tuo facere potes.*

110. DIONYSIA HIC SUNT HODIE.] Emphatice dixit HIC, & HODIE, ſcilicet, quod non ſimul in omnibus Atticae pagis ludi hi celebrarentur. Videtur autem ſermo eſſe de iis Liberalibus, quae tempore vindemiae agebantur ruri. Tum genio indulgebant. Infra IV. 4. 11. Adde Dacieriam.

APUD ME SIS VOLO.] Dicebant *eſſe apud aliquem*, & *cum aliquo*, pro, coenare. Infra I. 2. 11. Adelph. V. 4. 19. Plaut. Stich. IV. 1. 11.

Cras apud me eritis, *& tu & ille, cum voſtris uxoribus.*

Juvenal. Sat. V. 18.

Una ſimus, *ait.*

Et poſſint commode ita intelligi verba Servatoris ad latronem, Luc. XXIII. 43. *Σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.* Formula invitandi erat: *Una erimus hodie.* Reſpondente altero: *benigne. bene vocas. gratia eſt.* Mſ. Boenderm. DIONYSIA HIC SUNT HODIE. APUD ME SIS VOLO.

113. QUI ILLUM AD LABOREM IMPULERIM.] Ita exhibeo ex Mſſ. Et ita in quatuor Codd. Pall. legebat Pareus. Accedunt ex editis Juntina, Aldina, & his vetuſtiores. Alii, poſt Faernum, IMPELLERIM. Anteſignanus, IMPULLERIM; quam epentheſin laudat Glareanus. Atque

Me. Sic. *Ch.* Bene vale. *Me.* Et tu. *Ch.* Lacrumas excuſſit mihi,
Miſeretque me ejus. Sed ut diei tempus eſt,
Monere oportet me hunc vicinum Phâniam,
Ad coenam ut veniat. ibo, viſam ſi domi eſt.
Nihil opus fuit monitore: jam dudum domi
Praeſto apud me eſſe ajunt. egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. ſed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quiſnam egreditur? huc conceſſero.

CALPHURNII.

*115. LACRIMAS EXCUSSIT.] Id eſt, lacrimas in ſinubus oculorum meorum oboriri fecit, quae ex oculis manarunt, ac ſi forent excuſſae. Nam *excutere* ſignificat commovendo aliquid ejicere. Ut, *excute te pulvere*, id eſt, te movendo vehementer dejice a te pulverem.

*116. UT DIEI TEMPUS EST.] TEMPUS ſupra horam ſignificat. DIEI archaiſmo abundat.

119. NIHIL OPUS FUIT MONITORE.] Hoc eſt vocatore. Nam vocatores proprie dicebantur, qui ad coenas vocabant.

120. PRAESTO SUM.] Idem eſt quod adſum; nec alteri fere verbo cohaeret, niſi verbo ſubſtantivo, & huic ſimplici. Nam *praeſto adſum*, magis Poëticum eſt.

EGOMET CONVIVAS MOROR.] Hoc eſt, in mora detineo. A quibuſdam, MORARI pro expectare exponitur, ſed mea ſententia, magis Poëtice quam Oratorie.

COMMENTARIUS.

que ita de Farnabii Lege Pedia nullum eſt periculum.

115. LACRUMAS EXCUSSIT MIHI] Sic Plaut. Capt. II. 3. 59. *ut lacrumas excuſſiunt mihi!* Eodem ſenſu *elicere lacrumas*, *exciere lacrumas* dixerunt.

116. SED UT DIEI TEMPUS EST.] Mſſ. quidam: SED, UT DIXI, TEMPUS EST. Male. vid. infra I. 2. 38.

119. MONITORE.] Scilicet ob horologiorum defectum ſervis *monitoribus* utebantur, qui coena parata vocatos admonerent. Quo reſpexit Juvenalis Sat. X. 215.

clamore opus eſt, ut ſentiat auris,
Quem dicat veniſſe puer, quot nunciet horas.

Et Martial. VIII. 67. 1.

Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
Jam conviva mihi, Caeciliane, venis.

Hos δειπνοκλήτορας vocabant. Adde Plin. XXXV. 10. Eadem ratione dixit Servator in Parabola, Matth. XXII. 3. Καὶ ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ, καλέσαι τοὺς κεκλημένους εἰς τοὺς γάμους. Et Luc. XIV. 17. Καὶ ἀπέστειλε τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις· Ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστι πάντα. Iidem ſervi & *vocatores* dicti.

120. AJUNT.] Quia ſolus in ſcena reſtitit Chremes, videtur ad oſtium Phaniae vicini accedens unum ex domeſticis habuiſſe obvium, qui ei dixerit, Phaniam jam abiiſſe ad coenam. Neque enim longior mora vel ſilentium commode ſtatuitur inter illa Chremetis, VISAM, SI DOMI EST, &, NIHIL OPUS FUIT MONITORE.

121. SED QUID CREPUERUNT FORES HINC A ME? QUISNAM EGREDITUR?] Ultimum verſum Guyetus deleri vult, advocans auctoritatem Georgii Fabritii. Is vero non tantum dicit, quaedam Mſſ. eam non agnoſcere, ſed & laudat a figuris Comicis, & in Mſ. Pal. exhiberi ait. Me τὸ HINC iteratum paullo offendit, tanto magis, quod in Libris nonnullis reperi, HIC A ME. Integrum igitur locum ita ordinaverim: IBO ADEO HINC INTRO. SED QUID CREPUERUNT FORES? HIC A ME QUISNAM EGREDITUR? Sane *egredi ab aliquo* Comicum eſt & Terentianum. Diſtinctionem firmant praeſtantiſſimae editiones, Juntina, Aldina, Stephani, aliae. Mſ. Boenderm. IBO ADEO HIC INTRO. Et mox, HINC A ME QUISNAM EGREDITUR?

ACTUS PRIMI

SCENA SECUNDA.

Clitipho. Chremes.

Cl. NIHIL adhuc eſt, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam ceſſant:
Et illam ſimul, cum nuntio, tibi hic ego adfuturam hodie ſcio:
Proin tu ſollicitudinem iſtam falſam, quae te excruciat, mittas.
Ch. Quicum loquitur filius?
Cl. Pater adeſt, quem volui: adibo. pater, opportune advenis.
Ch. Quid id eſt? *Cl.* Hunc Menedemum noſtin', noſtrum vicinum? *Ch.* Probe.

Cl.

CALPHURNII.

1. NIHIL ADHUC EST, QUOD VERRARE] *Hic Cliniae, qui ex Aſia redierat, ingens de amica ſollicitudo exprimitur. Accedit & ſodalis opitulator Clitipho, qui adventum amici mira voluptate patri narrat.*

NIHIL ADHUC EST, QUOD VERRARE.] Clinia miſerat arceſſitum Antiphilam: diſcruciabatur quod non rediret.

HAUDQUAQUAM ETIAM CESSANT.] Id eſt, nondum differunt adventum.

3. SOLLICITUDINEM ISTAM.] Bene SOLLICITUDINEM dixit: nam *ſollicitudo* eſt quae inhaeret mentibus: *ſollicitatio*, quae ab alio fit.

COMMENTARIUS.

1. NIHIL ADHUC EST.] Haec Clitipho egreſſus Cliniae dicit, qui metu patris intus manet. Cic. ad Q. Fr. II. 13. *Certi nihil eſt adhuc: ſed veremur.*

HAUDQUAQUAM ETIAM CESSANT.] Pareus Dromonem & Syrum intelligit; Guyetus mulieres; ego Dromonem ſervulum Cliniae cum Antiphila. Firmatur hoc verſu proxime ſequenti, ubi ILLA eſt Antiphila, nuncius DROMO. Dicuntur autem *ceſſare* temere morantes in loco, & ſerius venientes. Infra V. 1. 9. Adelph. I. 1. 4. Cic. Fam. XVI. 22.

2. HODIE.] Continuo. Vide And. I. 5. 19.

3. MITTAS.] Sic Virg. Aen. VI. 85.

mitte *hanc de pectore curam.*

6. QUID ID EST?] Defendunt illud ID Viri praeſtantiſſimi. Mihi male inferri ad Clitiphonis verba videtur. Neque ad laetitiam filii melius interrogare poterat Chremes, quam rogando, QUID EST? Sic Eun. III. 1. 37. ad riſum Gnathonis Thraſo, QUID EST? inquit. Crediderim, τὸ ID additum ob metrum; & eſt in Mſ. Traject. deeſt in tribus Leidenſibus.

8. ADVENIENTEM, E NAVI EGREDIENTEM, ILICO ABDUXI AD COENAM.] Ex more ſcilicet, quo alter alteri coenam adventitiam dabat. Plaut. Bacchid. II. 2. 8. Stich. IV. 1. 8. Suet. Vitell. 13. Fiebat id quidem die primo, poſtero munuſcula mittebant. Qua de re vide, quae Meurſius congeſſit in Spicilegio ad Theocr. Idyll. XXII. & Turneb. Adverſ. II. cap. ult. & XXX.

Cl. Huic filium ſcis eſſe? *Ch.* Audivi, eſſe in Aſia. *Cl.* Non eſt, pater:
Apud nos eſt. *Ch.* Quid ais! *Cl.* Advenientem, e navi egredientem, ilico
Abduxi ad coenam: nam mihi magna cum eo jam inde uſque a pueritia
Fuit ſemper familiaritas. *Ch.* Voluptatem magnam nuntias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiſcum eſſet hodie, amplius:
Ut hanc laetitiam nec opinanti primus ei objicerem domi.
Atque etiam nunc tempus eſt. *Cl.* Cave faxis; non opus eſt, pater.

Ch.

CALPHURNII.

7. Audivi, in Asia esse.] Recta ejuſcemodi eſt oratio per infinitum. [1] nam non Latine dicitur, Audivi quod in Asia est.

* 8. Apud nos est.] Recte, & non *penes nos*. Nam *penes nos* eſt, quidquid a nobis poſſidetur, & in noſtra poteſtate eſt, ut, *penes Principem ſalus noſtra eſt*, id eſt, in ejus poteſtate.

* Quid ais!] Interrogat id quod audivit admirabundus, neque facile credens. Non eſt interrogantis, ſed admirantis.

* 10. Voluptatem magnam nuncias.] Ut [2] Cicero in Epiſtolis: *Voluptatem habui nimiam.*

12. Nec opinanti.] Inſperatum enim gaudium majus eſſe ſolet: quemadmodum & dolor acerbior, ſi non *opinanti* objicitur.

* 13. Atque.] Hoc eſt, ut aliquando prius diximus, extra Donati ſententiam.

Ca-

OBSERV. IN CALPH.

1. *Nam non Latine dicitur, Audivi, quod in Aſia eſt.*] Idem exiſtimarunt Franc. Sanctius, & Joh. Fred. Gronovius, quos multis Auctorum exemplis refutat Jac. Perizonius ad Sanct. Min. III. 14. 26. ita tamen, ut nemini auctor ſit, iis locutionibus temere vel paſſim utendi.

2. *Cicero in Epiſtolis*] Fam. II. 9. Qui locus nunc editur: *Voluptatem animi nimiam.*

COMMENTARIUS.

XXX. 26. In quibuſdam Mſſ. & edd. Adduxi. quomodo & Priſcianus Lib. VII. legit. Quanquam in Priſciani Mſſ. eſſe Abduxi, Fr. Fabritius teſtatur.

9. A pueritia.] Alii, A pueris. quod probat Georg. Fabritius.

11. Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie, amplius.] Varie capiunt Interpretes τὸ amplius; alii jungunt verbo esset, explicantes, *lubentius*; alii, vellem amplius; Guyetus amplius interpretatur *praeter alios convivas*. Eſt autem ſynchyſis verborum, quorum hic eſt ordo: Quam vellem, Menedemum amplius invitatum, ut nobiscum esset hodie. Scilicet invitatus a Chremete erat Menedemus, ſupra I. 1. 110. Vellet vero Amplius invitatum, atque adeo retentum, ob eam quidem rationem, quam addit Chremes, ſcilicet, ut hanc laetitiam inopinanti primus objicerem domi. Sed & τὸ hodie ejicit Guyetus. Nec agnoſcit Nonius Marcellus. Seu vero abſit, ſeu adſit, nihil decedit metro. Eundem porro verborum ſenſum dat Cl. Perizonius ad Sanct. Min. IV. 11. num. 3.

12. Objicerem.] De re inopinata dicitur, & bona & mala. Adelph. IV. 4. 1. Virg. Aen. II. 199,

Hic

Digitized by Google

Ch. Quapropter? *Cl.* Quia enim incertum 'ſt etiam, quid ſe faciat: modo venit.
Timet omnia, patris iram & animum amicae, ſe erga ut ſiet ſuae:
Eam miſere amat: propter eam haec turba, atque abitio evenit. *Ch.* Scio.
Cl. Nunc ſervolum ad eam in urbem miſit, & ego noſtrum una Syrum.
Ch. Quid narrat? *Cl.* Quid ille? ſe miſerum eſſe. *Ch.* Miſerum! quem minus credere 'ſt!

Quid

CALPHURNII.

Cave faxis.] Volebat Chremes nunciare Menedemo rediiſſe filium: ſed Clitipho prohibuit, quod Cliniae nondum patris voluntas eſſet perſpecta.

* 15. Animum amicae.] Id eſt, timet, ne amica eum poſtergaverit, ac ne ex ejus animo effluxerit.

* 16. Scio.] Scilicet, propter eam diſceſſiſſe, & id patri moleſtum eſſe.

18. Miserum! quem minus credere 'st?] Minus, hoc loco pro *non*, ponitur. Non eſt, inquit, credendum Cliniam eſſe miſerum. Hoc ad ſequentia reſpicit, ſcilicet, *Quid reliqui eſt, quin habeat quae quidem in homine eſſe dicuntur bona?* Minus credere 'st?] pro, non credendum eſt. * [3] *Virg.*

Nec ſit mihi credere tantum.

* Hujuſmodi locutio parum Latinis uſui eſt.

OBSERV. IN CALPH.

3. *Virg.*] Ecl. X. 46.

4. *Hujuſmodi locutio parum Latinis uſui eſt.*] Immo vero uſitatiſſimum Latinis eſt, verbum ſubſtantivum addere infinitivo. Vid. Sanct. Min. IV. 4. ibique Periz.

COMMENTARIUS.

Hic aliud majus miſeris multoque tremendum
Objicitur *magis.*

Editi antiquiſſimi: Objicerem et domi.

14. Quid se faciat.] Mſſ. quidam & impreſſi: Quid de se faciat.

15. Se erga.] Ἀναστροφὴ antiqua. Pacuvius Niptris:

Pariter te eſſe erga illum video, ut illum te erga *ſcio.*

17. In urbem misit.] Ergo ſcena in ſuburbano fuit. Tum Menedemus elocaverat aedes in urbe.

18. Quid narrat?] Integer hic verſus in Mſ. Mark. eſt ante verſum 11. collocatus.

Miserum! quem minus credere 'st?] Helleniſmus. Adelph. V. 3. 42. Plaut. Truc. II. 6. 20. *an me maleficio* vincere eſt? Ovid. Arte Am. II. 27.

Et quoniam in patria fatis agitatus iniquis
Vivere non potui, ſit *mihi* poſſe *mori.*

Ubi vide omnino, quae erudite congeſſit Heinſius. Virg. Ecl. X. 46.

nec ſit *mihi* credere.

Ad quae verba Servius vulgo editur ex Heaut. citare, Miserumque minus credere est. Barbare. Scripſit, Miserum! quem minus credere est?

19. In homine.] Mſſ. Bodl. & Lipſ. cum editionibus annorum 1469. 1481. & 1490. esse in homine.

20. Parentes.] Eadem fere bona enumerat Horatius Lib. I. Epiſt. 4. 9.

Qui ſapere, & fari poſſit, quae ſentiat; & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et domus, & victus, non deficiente crumena.

Plaut.

Quid reliqui 'ſt, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.
Atque haec perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona: illi, qui non utitur recte, mala.
Cl. Immo ille fuit ſenex importunus ſemper: & nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus ſatis faxit, pater.
Ch. Illene? ſed reprimam me: nam in metu eſſe hunc, illi eſt utile.

Cl.

CALPHURNII.

19. QUAE QUIDEM IN HOMINE DICUNTUR BONA?] Scilicet a vulgo. Quum tantum *animi bona*, ſecundum Philoſophos, appellanda ſint. Et hoc, illud quod ſupra dixit Chremes, affirmat, ſcilicet *Cliniam non eſſe miſerum.*

* 23. SENEX IMPORTUNUS.] Quod dici ſolet, male generoſus, quaſi non opportunus.

* 24. PATER.] Vel hic PATER eſt nominativi caſus, & ſic refertur ad Menedemum, vel eſt vocativi caſus, & refertur ad Chremetem.

25. ILLE NE?] Chremes ſermonem, quem coeperat, repreſſit: ut exemplo Cliniae filius terreretur. ILLE NE?] Hoc clara voce pronunciandum. * ILLENE?] Id eſt, dicis, te timere, ne ille ſenex faciat aliquid in illum? Deinde Chremes ſe repreſſit per ἀποσιώπησιν, ne confirmaret Cliniam, videns bonum eſſe, ut in timore foveatur. SED REPRIMAM ME] ſcilicet, non oſtendendo ejus patris teneritudinem in eum.

SED REPRIMAM ME.] Haec ſubmiſſa voce protulit, ne audiret filius.

COMMENTARIUS.

Plaut. Capt. II. 2. 48. Vide Boecleri Chreſtomath. v. *Bonae Fortunae.*

DIVITIAS.] Goveanus & hic & And. IV. 5. 2. DITIAS legendum eſſe contendit, ut ſcilicet durior eliſio evitetur.

21. ATQUE HAEC PERINDE SUNT, UT ILLIUS ANIMUS, QUI EA POSSIDET] Phorm. I. 3. 18.

Beatus, ni unum hoc deſit, animus, qui modeſte iſtaec ferat.

Cic. Off. III. 33. *Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia, magnum; ſed* perinde *erit*, ut *acceperis*. Auguſtin. de Civit. Dei I. 8. *Intereſt autem plurimum, qualis ſit uſus, vel earum rerum, quae proſperae, vel earum, quae dicuntur adverſae.* Eſt vero in binis hiſce verſibus elegans ἐπανόρθωσις. Horat. Epiſt. I. 4. 7.

Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi,

P. Syrus: *Bona imperante animo ſit pecunia.*

24. PATER.] Intererat ſententiae, κόμματος ſignum ante hanc vocem poni, neque enim nominandi caſus eſt τῷ FAXIT, quomodo in omnibus, quas vidi, vidi autem plurimas & praeſtantiſſimas, editionibus expreſſum reperi, ſed vocandi, quo Chremetem compellat Clitipho. Sic ſupra verſu 13.

Cave faxis; non opus eſt, pater.

25. NAM IN METU ESSE HUNC, ILLI EST UTILE.] An, *In metu eſſe hunc Clitiphonem, illi Cliniae eſt utile?* An vero, *in metu eſſe hunc Cliniam, illi Clitiphoni eſt utile?* Poſterius placet. Sane enim in metu erat Clinia, timens omnia, patris iram, & animum amicae ut erga ſe eſſet ſuae. Id vero utile erat Clitiphoni. Unde mox Chremes: *Scitum eſt, periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu fiet.* Guyetus in gloſſis MSſ. HUNC *Cliniam*, ILLI *Menedemo.*

Digitized by Google

Cl. Quid tute tecum? *Ch.* Dicam. ut ut erat, manſum tamen oportuit.
Fortaſſe aliquantum iniquior erat praeter ejus lubidinem.
Pateretur: nam quem ferret, ſi parentem non ferret ſuum?
Hunccine erat aequum ex illius more, an illum ex hujus vivere?
Et

CALPHURNII.

* 26. Quid tute.] Quia dixerat Chremes, Reprimam me, ſubmiſſa voce & apud ſe, interrogat filius.

Ut ut erat.] Quam bene tuetur patrum partes, qui omnino a filiis tolerandi ſunt.

* Mansum.] Mansum pro infinitivo. Ut, *curabo adductum Pamphilum*, pro, adducere, ut prius viſum eſt.

27. Praeter ejus libidinem.] Vult cauſam Cliniae videri deteriorem: ut oſtendat parentes filiis, ob vitia eorum, aſperiores eſſe.

* 28. Pateretur.] Id eſt, pati debebat, vel, pati debuiſſet. Ut, Faceres ſaepe pro, facere debuiſſes. Niſi mavis ad patrem referre, q. d. debebat pater ejus pati libidinem? Sed ſuperior ſententia melior, propter id, quod ſequitur, Nam quem ferret, si.

Nam quem ferret, si parentem non ferret suum?] Tale eſt illud, *Cujus ſaluti conſulet, qui ſuam negligit?*

29. Hunc.] Scilicet Cliniam.

Erat aequum.] Ab aequo ſuſcipit paternam defenſionem.

COMMENTARIUS.

26. Quid tute tecum?] Mſſ. quidam & editi: Quid tu tecum?

Ut ut erat.] Mſ. Boenderm. Ut ut erat pater. Videtur adverbium loco adjectivi poſitum, pro, qualiſcunque erat pater. Sic And. V. 4. 16.

> ſic, *Crito, eſt hic.*

27. Fortasse aliquantum iniquior erat praeter ejus lubidinem. Pateretur.] Haec quum Latiniſſime ſint dicta, neſcio qua audacia legit Guyetus: Fortasse aliquanto iniquior erat pater. Ejus lubidinem pateretur? q. d. Non eſt aequum, patrem pati lubidinem gnati. Niſi enim tautologiam ineptiſſimam ſtatuere velis, Guyeti lectio faceſſat neceſſe eſt. Niſi forte legit Guyetus, quae ex edit. Argent. Calphurnio inſerui. Ubi autem dixit, pateretur, jubendi forma uſus eſt. Sic Cic. pro Sext. 24. *Quod ſi meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo* commoverentur. Quidam Codices Mſſ. & impreſſi: Propter ejus lubidinem.

28. Non ferrat.] Mſ. Boenderm. Non fert.

29. Hunccine.] Plaut. Caſ. II. 3. 45.

> *at quanquam unicu' ſt,*
> *Nihilo magis unicus eſt ille filius, quam ego illi pater,*
> *Illum mihi aequius eſt, quam me illi, quae volo, concedere.*

30. Quod illum insimulat durum, id non est.] Σκληρὸν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ πολιτεῖν. Proprie, de patre. Infra III. 1. 30. Adelph. I. 1. 39. Quo reſpexit Ovidius Amor. I. 15. 17.

> *Dum fallax ſervus*, durus pater, *improba lena*
> *Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.*

Et Metam. IX. 555.

> *Nec nos aut* durus pater, *aut reverentia famae,*
> *Aut timor impedient.*

Eſt autem *durus* proprie, qui nec precibus, nec lacrumis flectitur. Eadem porro conſtructio in verbis Ciceronis ad Q. Fr. II. 9. *Quod me admones de noſtra Urania, ſuadeſque, ut meminerim Jovis orationem, quae eſt in extremo illo Libro: ego vero memini.*

31. Uniusmodi.] Guyetus legit, hujusmodi. Quod itidem in Mſſ. quibuſdam reperi. Et laudat Canterus ex Codice antiquo.

Paullo qui est homo tolerabilis.] Varie haec capiunt Interpretes. Dacieria: *Je parle des peres, qui ſont un peu raiſonnables*; ſequuta Anteſignanum, *J'entens d'un pere, qui eſt un homme un peu tolerable.* Quod explicat in Notis, ſcribens,

Et quod illum inſimulat durum, id non eſt. nam parentum injuriae
Uniuſmodi ſunt ferme: paullo qui eſt homo tolerabilis.
Scortari crebro nolunt; nolunt crebro convivarier:

Prae-

CALPHURNII.

30. QUOD ILLUM INSIMULAT DURUM, ID NON EST.] Aliud objectum refellit: & a ſtatu definitivo cenſet patrem non eſſe appellandum durum, qui filios a vitiis ſua ſeveritate deterret. * INSIMULAT.] INSIMULARA ſignificat incuſare, id eſt, mores malos reprehendere. Ut, *inſimulo illum ſuperbiae*, id eſt, incuſo.

32. SCORTARI.] Eſt frequenter ſcorta ductitare. * SCORTARI.] Id eſt, ductitare. SCORTARI enim, ut *5* Varro inquit, eſt *ſaepius meretriculam ducere*, quae meretrix a pelle *ſcortum* appellatur, quod ut pellicula ſubigatur. *6* *Scortes* enim pelles ſunt arietinae; & *ſcortea*, ut Feſtus inquit, & ſimiliter Varro, appellantur omnia ex pellibus facta ſeu coriis.

* CONVIVARIER.] CONVIVOR deponens verbum aut ſignificat celebrare convivium, aut ad convivium invitare, aut etiam frequentare convivia. *7* Nonius etiam dicit inveniri *convivo* pro *convivor*, pro eo, quod eſt ad convivium invito. Pompo in Munda: *Si Calendis convivant, Idibus coenant foris.*

OBSERV. IN CALPH.

5. *Varro.*] Verba Varronis: Scortari eſt ſaepius meretriculam ducere; quae dicta a pelle. Id enim non ſolum antiqui dicebant *ſcortum*, ſed etiamnunc dicimus *ſcortea* ea quae ex corio & pelle ſunt facta. Inde in aliquot ſacris ac ſacellis ſcriptum habemus, *Ne quid ſcorteum adhibeatur*, id eſt, ne morticinum quid adſit. In Atellaneis licet animadvertere, ruſticos dicere, ſe adduxiſſe pro ſcorto pelliculam.

6. *Scortes.*] Feſtus ita: *Scortes* id eſt pelles teſtium arietinorum, ab iiſdem ſcorteis pellibus idem Verrius dictas eſſe ait.

7. *Nonius.*] Verba Nonii Marcelli: *Convivant* pro Convivantur. Pomponius Munda: Si Calendis convivent, Idibus coenant foris. Ennius Sat. Lib. I. Malo hercle ſuo magno convivat, ſine modo.

COMMENTARIUS.

bens, *c'eſt à dire, qu'il ne ſoit point trop rigoureux, n'auſſi trop facile.* Fabrini non ad parentes, ſed ad filios retulit, vertens: *contro quel figliuolo, che e huomo poco tollerabile.* Additque, *cioè que le ingiurie, che fanno i padri à quei figliuoli, que ſono troppo dishoneſti, ſono quaſi tutte d'una ſorte; e però gli moſtra, que egli non ha ragione à chiamarlo inſopportabile, eſſendi egli tanto sfrenato.* Ut PAULLO TOLERABILIS ſit *parum tolerabilis*, atque adeo, *intolerabilis.* Scio equidem, priorem ſententiam paſſim placere hominibus eruditis; verum & illa, & Fabrini interpretatio neſcio quomodo ſeſe parum adprobat. Videtur enim manifeſto diſtinguere Chremes inter filium *paullo tolerabilem*, & eum, *cujus animus ſemel ſe cupiditate devinxit mala*, atque adeo, qui jam plane *intolerabilis* parentibus eſt factus. Illum *ſcortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier*, quum id fieri clam, & modeſte, & rarius, non inique ferant; hunc *quotidie accuſant uſque, donec eadem ſaepe & graviter audiendo victus profugias.* Quomodo ſi accipias, nulla numeri enallage erit. Swaerdecronius oppoſitionem facit inter PAULLO & CREBRO. Ut ſenſus ſit: *Qui*, i. e. quemadmodum, *homo eſt paullo tolerabilis*, i. e. paullo ſe tolerare poteſt, ita parentes eos *ſcortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.* Faërnus teſtatur, in Libro Bembino fuiſſe adſcriptum: *Aut* EI *ſubauditur, aut* EUM. *Si* EI, *ſic intelligimus: Uniuſmodi ſunt ei, qui eſt homo tolerabilis, Aut, eum ſcortari crebro nolunt, ut ſit, filium, qui ſit tolerabilis. Aut ſingularem numerum pro plurali poſuit, id eſt, qui ſunt tolerabiles.* Cic. de Oratore I. 2. *Vix autem ſingulis aetatibus ſinguli* tolerabiles *oratores inveniruntur.* Quo ſenſu TOLERABILIS eſt, quem Galli *paſſable* vocant.

32. SCORTARI CREBRO NOLUNT, NOLUNT CREBRO CONVIVARIER.] Utrumque junxit etiam Salluſtius Catil. 7. *Magiſque in decoris armis, & militaribus equis, quam in* ſcortis *atque* conviviis, *libidinem habebat.* Eſt vero *convivarier* proprie praebere convivia. Suet. Caeſ. 48. Convivatum

Digitized by Google

Praebent exigue ſumtum. atque haec ſunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus ſemel ſe cupiditate devinxit mala,
Neceſſe eſt, Clitipho, conſilia conſequi conſimilia. hoc
Scitum eſt; periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu fiet.
Cl. Ita credo. *Ch.* Ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid coenae ſiet.

Tu

CALPHURNII.

35. CONSEQUI CONSIMILIA.] Nam cujus animus in re mala ſemel corruptus eſt, indies fit pejor.

* 36. PERICULUM EX ALIIS FACERE.] Aliquando videtur pro conſilio capi. 1 Cicero ad Trebatium: *Cornelio nihil audeo dicere, cujus periculo tu ſtultus es.*

37. NOBIS QUID COENAE.] Minus dixit, quam ſi dixiſſet, *quae coena.* Sic illud, 2 *Quicquid hoc hominis eſt?* aliter exprimitur quam ſi diceremus, quis hic homo eſt?

OBSERV. IN CALPH.

1. *Cicero ad Trebatium.*] Fam. VII. 1.

2. *Quicquid hoc hominis eſt?*] Lege: *Quid hoc hominis?* Videntur verba deſumta ex Eun. III. 4. 8.

COMMENTARIUS.

aſſidue per provincias duobus tricliniis. Aug. 74. Convivabatur *&* *aſſidue, nec unquam, niſi recta.* Mſ. Mark. pro NOLUNT exhibet NON VULT. Et mox, PRAEBET. quomodo & editio Argentinenſis legit, & anni 1481. Mſ. Lipſ. non agnoſcit alterum NOLUNT, uti neque editio anni 1469.

33. ATQUE HAEC SUNT TAMEN AD VIRTUTEM OMNIA.] Similis locutio eſt And. I. 5. 66. *Ne ad morbum hoc etiam.* Et III. 2. 2. *Signa eſſe ad ſalutem.* Phorm. V. 6. 22. Caeſ. B. C. III. 19. *Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipſam fluminis: qui ea, quae maxime* ad pacem pertinere *viderentur, ageret.*

34. SEMEL SE CUPIDITATE DEVINXIT MALA.] H. e. Ita ſe devinxit, ut ſemel & in perpetuum devinctus maneat. Ovid. Heroid. V. 103.

nulla reparabilis arte
Laeſa pudicitia eſt: deperit illa ſemel.

Ad quam vim τοῦ SEMEL h. l. non attenderunt Interpretes. Sic infra II. 4. 12. *Devinciendi* autem verbum cum ſexto caſu conſtruitur, atque in utramque partem. Infra II. 4. 14. habetque paſſim conſtringendi notionem, & apud Suet. Aug. 16. Qui locus peſſime citatur in Fabri Theſauro. Cic. Fam. III. 13. *Praeſertim in iis ſtudiis, quibus uterque noſtrum* devinctus *eſt.*

36. SCITUM EST, PERICULUM EX ALIIS FACERE.] Idem omni aevo praeceperunt ſapientes. Repetit autem Clitipho cum irriſione, infra II. 1. 9. Adde Adelph. III. 4. 51. ſeqq. P. Syrus:

Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

Menander:

Βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.
In mala inſpiciens aliorum doctus ſui.

Plaut. Perſ. IV. 3. 70.

te de aliis, quam alios de te ſuaviu' ſt
Fieri doctos.

Tibull. III. 7. 11.

Vos ego nunc moneo. felix, quicunque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.

37. NOBIS QUID COENAE SIET.] Ita ſummo conſenſu Libri exhibent. Guyetus tamen reponit, NOBIS QUID IN COENAM SIET. Credo, quod And. II. 2. 31. legitur:

Olera & piſciculos minutos ferre obolo in coenam ſeni.

Ubi

Tu, ut tempus eſt diei, vide ſis, ne quo hinc abeas longius.

COMMENTARIUS.

Ubi vero Latine ſatis COENAE dici non poterat. Inde adeo non ſunt hae locutiones parallelae. Guyeto praeivit Faërnus. Editio anni 1469. NOBIS COENAE QUID SIET.

38. UT TEMPUS EST DIEI.] Prout hora diei poſtulat. Supra I. 1. 116. Affine eſt Ciceronianum, *ut nunc eſt*. pro, ut nunc ſe res habet. Fam. VIII. 1. & alibi: vid. Nizol. Ad objectionem, quemadmodum dicere id potuerit filio Chremes, qui dudum morabatur convivas, reſpondit Dacieria; quam vide.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

CLITIPHO.

QUAM iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes judices!
Qui aequum eſſe cenſent, nos jam a pueris ilico naſci ſenes:
Neque illarum affines eſſe rerum, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quae eſt, non quae olim fuit.
Mihi

CALPHURNII.

1. QUAM INIQUI SUNT PATRES.] *Solus Clitipho permanſit, qui de patre conqueritur, ut mos eſt adoleſcentium, qui paterna praecepta moleſte ferunt.*

2. JAM A PUERIS.] Pro adverbio ponitur, i. e. a pueritia, vel ab ineunte aetate, vel ſtatim ut pueri ſumus, aut cum primum pueri evadimus.

4. EX SUA LIBIDINE.] LIBIDO eſt quaeque voluntas temere ſuſcepta. [1] Apud Salluſtium in Catil.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Apud Salluſt. in Catil.*] Cap. 7. ubi vulgo *habebat* legitur.

COMMENTARIUS.

Notat Muretus, male h. l. ACTUS novi factum eſſe principium, quum vix SCENAE novae ſit locus. Chremes enim ſolus ingreditur domum, Clitiphone in proſcenio manente. Quem ſequutus Guyetus in Notis Mſſ. dicit: *Si rem attente conſideres, erit haec Actus primi Scena tertia.*

3. ILLARUM AFFINES ESSE RERUM.] Proprie *Affines* ſunt contermini in finibus agrorum. Unde & Conſanguineos notant & delictis obnoxios & vitiis. Affinis ſceleris, ſuſpicionis, turpitudini, culpae, facinori, Cicero dixit. Lucret. III. 733.

Corpus enim magis his vitiis affine *laborat.*

Ad quem locum vide Dionyſ. Lambinum. Eodem ſenſu Phaedrus I. 10. 5. *culpae proximam* dixit. Ubi conſule Schefferum & P. Burmannum. Plautus & ad alia tranſtulit, Trin. II. 2. 50.

Publiciſne affinis *fuit, an maritumis negotiis?*

4. EX SUA LIBIDINE.] Guyetus praeter fidem

Mihi ſi unquam filius erit, nae, ille facili me utetur patre,
Nam & cognoſcendi, & ignoſcendi dabitur peccati locus.
Non ut meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam.
Perii! is mihi, ubi adbibit plus paullo, ſua quae narrat facinora!
Nunc ait: periculum ex aliis facito, tibi quod ex uſu fiet.
Aſtutus! nae ille haud ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.

Magis

CALPHURNII.

til. tamen in bonam partem capitur, *Magiſque in decoris armis, & militaribus equis, quam in ſcortis & conviviis libidinem habebant.*

NUNC QUAE EST.] Huic illud contrarium,

Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris eſt. nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi animum ut expleret ſuum.

6. COGNOSCENDI ET IGNOSCENDI.] Ex affectu eorum loquitur, qui cum alicui obnoxii ſint, alium habent animum quam haberent, ſi liberi eſſent.

* DABITUR.] Nam qui alias erraverit, ignoſcere errantibus non renuit, & eorum errata excuſare.

7. PER ALIUM OSTENDIT SUAM SENTENTIAM.] Superius, *Sed reprimam me: nam in metu eſſe hunc, illi eſt utile.*

8. UBI ADBIBIT.] * Id eſt, bibit. Nihil plus ſignificat, niſi aliquatenus augeat praepoſitio, uti dicit Donatua. Quam petulans ſit filius in parentem, oſtenditur: cujus praecepta contemnit.

10. NAE ILLE.] NAE pro certe ponitur.

* FABULAM.] Nam Fabulae loco habeo ejus ſermonem.

COMMENTARIUS.

dem Codicum verſum hunc inſititium vocat. Chremetis imaginem pinxit Horatius, Arte 173.

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, caſtigator cenſorque minorum.

Additque hanc ἐπίχειρον:

Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt: ne forte ſeniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles.

5. NAE, ILLE FACILI ME UTETUR PATRE.] ῥᾴονι πατρί μοι χρήσεται. Mſ. Mark. ME ILLA FACILIMA UTETUR PATRE. Mſ. Lipſ. NAE ILLA FACILIME UTATUR PATRE. Ejuſmodi autem pater ſtulte facilis in Plauti Aſinaria inducitur; ſed & in Adelphis Micio. *Facilis* autem opponitur *duro*, diciturque, qui facile exoratur. Adelph. V. 9. 29. Hec. V. 1. 35. Ovid. Faſt. I. 17. fere eodem ſenſu:

Da mihi te placidum: dederis in carmina vires.

Inde *facilitas* pro lenitate.

6. PECCATI.] Mſſ. quidam, PECCATIS. Ita & editi antiquiſſimi. Vide Boecleri Chreſtomath. v. *Aequus.*

7. NON UT MEUS.] Ἀνακόλουθον eſt; inferendum enim erat, NON UT EGO MEO, ſub. patre utor.

8. PERII!] Guyetus verſum hunc expungit, ſed merito indignante Boeclero, quem ſibi caeteroquin paſſim habet obſequentem.

ADBIBIT PLUS PAULLO.] Αὐξητικὸν eſt τὸ AD. Sic Plaut. Stich. II. 2. 58.

Quando adbibero, *alludiabo.*

Noſtrum imitatus Gellius II. 22. *Quia plus paullo adbibi.* Adbibebant autem, genioque indulgebant Dionyſiorum feſto, quod nunc agitabatur ruri.

SUA QUAE NARRAT FACINORA!] Id vult Clitipho, patrem ipſum non abſtinuiſſe iis rebus, quas nunc in ſe reprehendat. q. d. Ἄλλως ἰατρεῖ, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. *Aliis medetur, ipſe vulneribus ſcatens.* Ex Ambroſio laudat Lindenbruchius: *Ibi unuſquiſque pugnas narrat: ibi fortia facta praedicat, narrat tropaea. Vino madidi & ſomnolenti neſciunt mente, quid lingua proferat.*

9. NUNC AIT.] Dixerat id Chremes ſupra I. 2. 36.

10. ASTU-

Magis nunc me amicae dicta ſtimulant: da mihi, atque affer mihi.
Cui quid reſpondeam nihil habeo: neque me quiſquam eſt miſerior.
Nam hic Clinia, etſi is quoque ſuarum rerum ſatagit: attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae.
Mea eſt potens, procax, magnifica, ſumtuoſa, nobilis.
Tum

CALPHURNII.

11. DA MIHI, ATQUA AFFER.] Verba ſunt amicae, quae magis Clitiphonem ſtimulant, quam patris praecepta.

13. SATAGIT.] Genitivo jungitur. SATAGIT, id eſt, anxius eſt & curioſus ſuarum rerum.

14. PUDICA ADUCTAM.] Quod nos *educare* dicimus, antiqui *educere* dixerunt.

* 15. PROCAX.] Inſtans in petendo. [a] *Virg. precacibus auſtris.* i. e. improbis & importune ſtantibus. *Procare*, ut [3] Pompejus inquit, poſcere

OBSERV. IN CALPH.

2. *Virg.*] Aen. I. 536.

3. *Pompejus.*] Integer locus ex Sexto Pompejo Feſto deſumtus.

COMMENTARIUS.

10. ASTUTUS!] Salſa ironia, qualis illa Davi de hero, And. I. 2. 12. Vid. Voſſ. Etymolog. v. *Aſtus.*

QUAM MIHI NUNC SURDO NARRET FABULAM.] H. e. irrita mihi det praecepta. Etiam negligentes *ſurdi* dicuntur. Propert. II. 16. 35.

Ah pudeat, certe pudeat: niſi forte, quod ajunt,
Turpis amor ſurdis auribus *eſſe ſolet.*

Et IV. 9. 21.

Cantabant ſurdo; *nudabant pectora caeco.*

Ovid. Amor. I. 8. 77.

Surdà *ſit oranti ſua* janua, *laxa ferenti.*

Horat. Epiſt. II. 1. 199.

Scriptores autem narrare *putaret aſello*
Fabellam ſurdo.

Zenob. Proverb. Cent. V. *Ὄνῳ τὶς ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει.* Contemtum autem paternarum admonitionum tangit Daphnis apud Theocrit. Idyll. IX. 12.

Τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μελεδαίνω,
Ὅσσον ἐρῶν τι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν.
Aeſtatem autem torrentem ego tantum curo,
Quantum, qui amat, patris monitiones & matris audire.

Adde Eraſm. in Adag.

11. DA MIHI, ATQUE ADFER MIHI.] Examinarum more. Plaut. Trin. II. 1. 17.

da mihi hoc, *mel meum, ſi me amas, ſi audes.*

13. SUARUM RERUM SATAGIT.] Satis rerum ſuarum agit, ſatis occupatus eſt rebus ſuis. Pacuvius Atalanta:

Super ſatis agere, *ut ne in mare animum occupes.*

Plaut. Bacchid. IV. 3. 23.

Nunc agitas ſat *tute* tuarum rerum: *egone ut opem mihi*
Ferre putem poſſe inopem te?

Merc. II. 1. 3.

nocte hac, quae praeteriit, proxima
Inſomnis egi ſatis, *& fui homo exercitus.*

Cic. Att. IV. 15. Agitur *tamen* ſatis Gell. I. 17. *Irarumque & moleſtiarum muliebrium per diem perque noctem* ſatagebat. ubi alii *ſcatebat.* Sed & hinc ſollicitum eſſe, & huc illuc curſitare; certe in perpetuo motu eſſe, *ſatagere* dixerunt. Quinctil. VI. 3. *Afer enim venuſte Manlium Suram, multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus jactantem, togam dejicientem & reponentem, non* agere *dixit, ſed* ſatagere. Guyeto in gloſſis Mſſ. *Satago rerum* ἔλλειψις eſt, pro, rerum cauſa ſatago. Soſipater Grammaticus SATIS AGITAT legit. Verum ex SATAGIT, AT TAMEN poſſit videri natum, SATAGITAT, TAMEN. Inde porro SATIS AGITAT, TAMEN.

14. HABET BENE AT PUDICE EDUCTAM.] Vide ad And. I. 5. 39.

15. POTENS.] Amatori imperans. Horat. Carm. I. 3. 1.

dira

Digitized by Google

Tum, quod dem ei, RECTE eſt. nam, nihil eſſe mihi, religio 'ſt dicere. Hoc

CALPHURNII.

re eſt. Unde *procaces meretrices*, ab aſſidue poſcendo. Et *Proci* uxorem poſcentes in matrimonium. Itaque PROCAX, id eſt petax diſpoliatrix.

* MAGNIFICA.] *Magnifice* inſtructa ſupellectili, *magnifice* induta, *magnifice* epulans, & lauta quaerens convivia. Quae omnia magnum auri pondus poſcunt.

* SUMTUOSA.] Multa impendens, & propterea multa petens.

* NOBILIS.] Id eſt, inſignis, in malam partem, i. e. multis nota, quia videlicet frequentes habeat amatores.

16. RELIGIO.] Metus vel ſollicitudo. Terent. in Andria,

Dignus cum tua iſtac religione es odio.

* Inde *dies religioſi*, infames vel infauſti dicti: quos ex contraria cauſa propter hominis diritatem relinquam.

OBSERV. IN CALPH.

4. *Inde dies relig.oſi.*] Abr. Wielingius tranſpoſitione vocum & levi immutatione ita ordinat: *Inde dies religioſi, infames, vel infauſti dicti ex contraria cauſa, quos propter ominis diritatem relinquam.* Videtur autem Calphurnius ſua exſcripſiſſe e Nonio Marcello. Ita ille: *Religioſos quoque dies infames vel infauſtos lib. undecimo Commentariorum Grammaticorum Nigidius appellavit. M. Tul. ad Atticum: Non majores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnae, quam urbis captae; quod hoc malum ex illo; itaque alter religioſus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Vid. Cic. Att. IX. 5. Idem Nonius Terentii locum laudat. Sed & *Lucil. lib.* XXVIII. *Anno vertente dies tetri, miſeri ac religioſi.* Adde omnino Feſtum. In priori igitur membro nihil ſollicitaverim. Poſteriora vel corrupta, vel interpolata videntur, ſeu *ominis diritatem* legas, ſeu *ominis*, quod equidem malim. A MſS. & editis nihil praeſidii.

COMMENTARIUS.

diva potens *Cypri.*

Guyetus mallet PATENS, i. e. aditu facilis, obſequens amantibus, ut opponatur pudicae. Sic poſt Nob. Heinſium Cl. Burmannus legit apud Ovid. Arte I. 63.

Sive cupis juvenem; juvenes tibi mille patebunt.

Adi Fabri Theſaurum Ling. Lat.

PROCAX.] Ab antiquo *procare*, quod *poſcere* eſt, teſte Feſto. Unde & *proci* dicti; quorum mores fecere, ut laſcivum & petulantem dicerent *procacem*. Tacit. Annal. I. 16. *Gregarius miles*, procax *lingua, & miſcere coetus hiſtrionali ſtudio doctus.* Adde Donat. Hec. I. 2. 84.

NOBILIS.] Explicant de famoſa & omnibus nota. Vide Donat. ad Hec. V. 2. 31. Poſſit tamen & ad familiae ſplendorem referri. Martial. V. 37. 21.

Ego conjugem, inquit, extuli, & tamen vivo,
Notam, *ſuperbam*, nobilem, *locupletem.*

Lucilius: [*quem.*

Phryne, nobilis *illa, ubi amatorem improbius*

Italis *una gentildonna.* E Pomponii Satyra laudat Priſcianus Lib. VI. *Blanda, fallax, impotens, ſuperba, diſcordis.*

16. TUM, QUOD DEM EI, RECTE EST.] Multum laborant de ſenſu horum verborum Interpretes. Gellius IV. 9. citat, non explicat. Boeclerus omnium minime Parei explicationem admitti poſſe dicit; ego omnium maxime admittendam eſſe cenſeo. Omnino enim id velle videtur Clitipho, ſibi eum nil ſit, quod det, τὸ RECTE eſſe loco muneris. Finge igitur Bacchidem rogare Clitiphonem, *Da mihi pallam; adfer mihi veſtem & aurum*; hic Clitipho nihil habens, quod det, RECTE, inquit. q. d. Belgice, *'T is wel.* Quod quum reſpondet, non dicit aperte, ſibi nihil eſſe, quod dicere religio eſt. Boeclerus ipſe per ἀποσιώπησιν legebat, TUM QUOD DEM EI; cumque in animo habuiſſet dicere, NIHIL EST, uſum correctionis formula, ſcilicet, RECTE EST. Anteſignanus hic nihil vidit, explicans, quaſi τὸ RECTE Clitiphonis idem valeret, atque, *ſic ſatis.* Vertit enim, *d'avantage j'ay aſſez paſſablement quoy lui donner.* Quae verba planiora etiam facturus addit, *en outre, à fin que je raconte le ſurplus de mes malheuretez, Dieu ſait, comment j'ay bien de quoy, pour lui donner.* Et Hugenius in Indice explicat per *ſatis eſt.* Fabrini per εὐφημισμὸν interpretatur, dicens: *è un modo di parlare, che ſi uſa, quando ſi vuol dir di non havere.* Plaut. Perſ. I. 1. 6.

Nec quicquam, niſi, non eſt, *ſciunt mihi reſpondere, quos rogo.*

RELIGIO EST.] Vide ad And. IV. 3. 15.

17. Hoc

Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiamdum ſcit pater.

COMMENTARIUS.

17. Hoc ego mali non pridam inveni.] Anteſignanus licet ad meretricis amorem poſſe referri non neget, accipit tamen etiam de argenti inopia, vertens: *Ce n'eſt pas de maintenant, que je me trouve ſans argent; car je n'en eus jamais.* Praeter mentem Poëtae. poterat ſcire Chremes nihil argenti eſſe filio, neſcire poterat, eundem meretricio amore captum.

ACTUS SECUNDI

SCENA SECUNDA.

Clinia. Clitipho.

Clin. SI mihi ſecundae res de amore meo eſſent, jamdudum ſcio
Veniſſent: ſed vereor, ne mulier me abſente hic corrupta ſit.
Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant:
Locus,

CALPHURNII.

1. SI mihi.] *Hic mira amantis ſollicitudo exprimitur, cui expectanti hora, dies, annus videtur.* Si mihi.] Amor res eſt ſuſpicionis plena. Torquetur igitur Clinia mora & dilatione amicae Antiphilae.

* 2. Veniſſent.] Mulier & ſervus.

Sed vereor, ne mulier.] Bene amantis exprimit affectum: qui ſemper omnia in deterius ſuſpicatur. * Vereor.] *Vereri* dicitur, qui rationabiliter terretur; formidare, qui ſine ratione.

3. Mihi animum axaugeant.] *Augeri* dicitur *animus*, quando multa concurrunt, quibus flectitur in eam partem, in quam inclinatur.

COMMENTARIUS.

Haec Goveano & Mureto eſt Scena I. ſed quam immerito, Boeclerus diſſerit. Guyeto in in gloſſis Mſſ. eſt Actus I. Scena IV.

1. Si mihi secundae res de amore meo eſſent.] H. e. felices, faciles, Ovid. Heroid. XVIII. 3.

Si mihi Dî faciles & ſunt in amore ſecundi.

Porro *ſecundum* a *ſequendo* dictum. Quae autem ſequuntur, facilia ſunt. In eandem cum Clinia ſententiam Phyllis dixit, apud Ovid. Heroid. II. 19.

Saepe videns ventos coelo pelagoque faventes,
Ipſa mihi dixi; ſi valet, ille venit.

3. Quae mihi animum exaugeant.] Si ita ſcripſit Terentius, videtur animum intellexiſſe *θυμὸν* ſeu affectiones, quando id voluit Clinia, metum ſibi augeri. Faërnus in Codice Bembino adſcriptum reperit: *Quae me terreant.* Animum *autem dicit, quam ille praeſens efficit metus ſollicitam cogitationem.* Eſt autem Exaugeant in Mſ. Bodl. Traject. & tribus Leidenſibus, ſed uni ſupraſcriptum, *diminuant.* Plaut. Capt. IV. 2. 1.

Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi aegritudo auctior eſt in animo.

Sic Noſter infra III. 1. 14.

Nam mihi quidem cotidie augeſcit *magis*
De filio aegritudo.

Et rurſus Plautus, Stich. I. 1. 54.

Scio,

Digitized by Google

Locus, occaſio, aetas, mater, cujus ſub imperio 'ſt, mala:
Cui nihil jam praeter pretium dulce 'ſt. *Clit.* Clinia. *Clin.* Hei miſero mihi.
Clit. Etiam caves? ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens.
Clin. Faciam: ſed neſcio quid profecto mihi animus praeſagit mali.

Clit.

CALPHURNII.

4. LOCUS, OCCASIO, AETAS.] Hic loci ex arte Rhetorica etiam ad majoris rei confirmationem valerent. LOCUS, OCCASIO, AETAS, MATER.] Argumenta deducuntur aut a rebus, aut a perſonis. Haec enim, cauſa, tempus, locus, occaſio, inſtrumentum, modus, & caetera rerum accidentia, a perſonis deducuntur hoc modo. Nam ſimiles parentibus aut majoribus ſuis filii plerumque creduntur: & nonnumquam ad honeſte turpiterque vivendum. Similiter a natione quoque, [2] patria, aetate, educatione & diſciplina ſumuntur. * LOCUS, OCCASIO, AETAS, MATER, CUJUS SUB IMPERIO EST, MALA.] Subdit ea, quae augent animum, ad id eredendum, videlicet, LOCUS, quia ſcilicet eſt in eo loco, ubi aliae ſunt petulantes, & ideo contagione facilis lapſus eſt. OCCASIO, ut corrumpatur, quia formoſa, & multis forte juvenibus placens ac nota. AETAS, quia juvenilis & flore juventutis nitens, quae plerumque lubrica eſt. MATER, CUJUS SUB IMPERIO EST, MALA. [1] Juvenal.

Scilicet exſpectes, ut tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quam quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulae producere turpem.

5. HEI MIHI.] HEI, dativo jungitur. Ut [3] *Virg.*

Hei mihi, qualis erat.

HEU vero, accuſativo: ut alibi Terentius, *Heu me miſerum.*

7. MIHI ANIMUS PRAESAGIT MALI.] Sic fieri conſuevit, ut quoties aliquid expectamus, ea occurrant potius quae mentem noſtram ad cogitandum aliquid mali trahant.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Juvenal.*] Sat. VI. 240.
2. *Patria, aetate.*] Mſ. *Patria, ſexu, aetate.*
3. *Virgil.*] Aen. II. 274.

COMMENTARIUS.

Scio, atque in cogitando moerore augeor. in aliis Libris eſt EXANGEANT. In iis enim, quae duplicem conjugationem admittunt, etiam *Ango* & *Angeo* eſt. Sed & Guyetus in gloſſis Mſſ. ex Mſ. Schobingeriano in Plauti loco ANGEOR legit. Sed ANGOR eſt in Plauti Mſ. Boend. Fabrini vertit: *che mi perturbano l'animo.* Cicero aliter ad Q. Fr. I. 4. *Multa convenerunt, quae mentem exturbarent meam.*

4. LOCUS, OCCASIO, AETAS, MATER.] Antiphilae ſolitudinem amantibus aptam OCCASIO reſpicit, LOCUS Athenas luxuria diffluentes deſignat, AETAS ita dixit, uti Chryſis ferme moriens de Glycerio, And. I. 5. 51. MATER cur addatur, ipſe Clinia rationem addit. Haec Menandro eſt πρόφασις ἐς τὸ πρᾶξαι κακῶς.

5. CUI NIHIL JAM PRAETER PRETIUM DULCE EST.] Sic And. I. 1. 49. & IV. 5. 2. Phaed. III. Prol. 26.

Docto labori dulce *praeponens* lucrum.

6. CAVES?] Mſ. Mark. CAVE.

HINC.] Mſſ. quidam & edd. vetuſtiſſ. Hic.

7. PRAESAGIT.] *Praeſagire eſt acute ſentire. Unde ſagae dictae anus, quae multa ſciunt, & ſagaces canes, qui ferarum cubilia praeſentiunt.* Haec Feſtus. Idem Cicero teſtatur Div. I. 31. *Sagire enim, ſentire acute eſt: ex quo ſagae anus, quia multa ſcire volunt: & ſagaces dicti canes. Is igitur, qui ante ſagit, quam oblata res eſt, dicitur praeſagire, i. e. futura ante ſentire.* Plaut. Aul. II. 2. 1.

Praeſagiebat mihi animus, *fruſtra me ire,*
quom exibam domo.

Ex

Clit. Pergin' iſtuc prius dijudicare, quam ſcis, quid veri ſiet?
Clin. Si nihil mali eſſet, jam hic adeſſent. *Clit.* Jam aderunt.
Clin. Quando iſtuc erit?
Clit. Non cogitas hinc longule eſſe? & noſti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. *Clin.* O Clitipho,
Ti-

CALPHURNII.

9. Quando istuc erit?] Non poteſt credere ex nimia ſuſpicione venturam amicam.

10. Non cogitas hinc longius abesse?] Clitipho removet ſuſpicionem ex animo Cliniae, & locorum intervallo, & ex cultu mulierum, quae majorem temporis partem in ſe ornando conterunt.

* 11. Dum molliuntur.] Molles carnes amantur. Quare conſuetum mulieribus erat, ſe ad tactum unguentis praeparare.

* Annus est.] Scilicet integer, & plus exſpectanti ex affectu. vel numerus determinatus pro indeterminato ponitur.

Clitipho, timeo.] Vide nulla re arceri poſſe ſuſpicionem ex pectore amantis.

COMMENTARIUS.

Ex Euripidis Andromache laudat Gerardus Falkenburgius in Scholiis Mſſ.

Αἶ, αἶ, πρόμαντις θυμὸς, ὥς τι προσδοκῶν.
Heu, heu, animus praeſagit, tanquam aliquid exſpectans.

Verſus eſt 1072.

8. Scis.] Mſ. Mark. & Lipſ. Scias. Guyetus mox pro veri legit rei.

9. Adessent.] Mſ. Reg. quo Dacieria eſt uſa, ſed & Mark. & Lipſ. Adesset, & mox, Aderit. Utrumque eſt in vetuſtiſſimis impreſſis.

Quando istuc erit?] Mallet Dacieria: Quando istuc jam erit? Non male. Sic plane And. II. 1. 14.

Interea fiet aliquid, *ſpero*. By. *Id* aliquid *nihil eſt.*

10. Longule esse?] Ita pluſculi & praeſtantiſſimi Libri. Calphurnius aliique, Longius abesse. Plaut. Menaechm. Prol. 64.

Ingreſſus fluvium rapidum ab urbe haud longule.

Rud. I. 5. 8.

Illco hinc imus, haud longule *ex hoc loco.*

Et nosti mores mulierum.] Editio Tarviſiana anni 1481. & Veneta 1490. Et nostin' mores mulierum? quae lectio verior videtur. Quia enim interrogatio praeceſſerat, non cogitas, hinc longule esse? ἐμφατικώτερον erat, haec rurſus per interrogationem exprimere.

11. Dum moliuntur.] Proprie exemplum eſt in Didone apud Virg. Aen. IV. 133. Eſt vero *moliri* magnum opus incipere; unde & *ſtruere* notat. Poſſint igitur videri ſignificari faſtigatae mulierum frontes. Sidon. Carm. II. 4.

diademata crinem
Faſtigatus erat.

Juvenal. VI. 503.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Manil. V. 146.

Illis cura ſui cultus, frontiſque decorae
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, & vertice denſo
Fingere, & appoſitis caput emutare capillis.

Exhibeo lectionem Cod. Gemblacenſis, laudatam Illuſtriſſimo Joſepho Scaligero, quem vide. Plura ad hanc mulierum περιεργίαν ſpectantia congeſſit Pignorius de Servis, pag. 390. ſeqq. Conſule porro Pamelium ad illa Tertulliani de Cultu Feminarum, cap. VII. *Quid enim? Tanta ornandi capitis oneroſitas ſalutem ſubminiſtras? Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtruitis, modo relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis? Aliae geſtiunt in cincinnis coërcere; aliae, ut vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. Affigitis praeterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Niſi *moliri* in mulieribus eſt ſurgere, ſe movere, apparare egreſſum.

Timeo. *Clit.* Reſpira: eccum Dromonem cum Syro, una adſunt tibi.

CALPHURNII.

12. Eccum Dromonem cum Syro.] *Δεικτικῶς*: & cum geſtu nimiae laetitiae pronunciandum eſt.

COMMENTARIUS.

Cic. pro Mil. 10. *Domum venit; calceos & veſtimenta mutavit; paulliſper, dum ſe uxor, ut ſit, comparat, commoratus eſt.* Ceterum Petrus Colvius legit, *molluntur*. Sed & ita legendum eſſe contendit apud Plautum, Truc. II. 2. 54.

non enim ille meretriculis
Molliendis *rem coëgit*.

Vulgo *muniendis*. Adde Calphurn. Summi Viri, Lipſius & Scaliger, *molendis*. Lindenbruchius itidem paſſive dictum autumat ab eo, quod eſt *molere*, ſignificatu turpi; itidem inductus verbis Plautinis, loc. cit. itidemque *molendis* legens. Merito autem vapulat a Barthio, Adverſ. XII. 10.

Comuntur.] Mſ. Mark. Comantur. Ita & Georg. Fabritius legit ex Mſ. ſed & eſt in Mſ. Bodl. & editis antiquis; quam lectionem Barthius loc. cit. *ἐκ τοῦ* CONTANTUR natam exiſtimat, legitque, CONANTUR. Firmat autem lectionem Adverſ. XIV. 1. verbis Virgilii, Aen. IV. 133.

Reginam thalamo cunctantem *ad limina primi*
Poenorum exſpectant.

Plurimi autem Mſſ. legunt CONANTUR, quod eſt *παράλληλον τῷ* MOLIUNTUR. Fabrini legens COMUNTUR vertit: *mentre che elle ſi acconciono el capo.*

Annus est.] *Ὑπερβολικῶς* dicitur, uti Eun. IV. 5. 8. *aetatem.* Ovid. Pont. III. 4. 59.

Dum venit huc rumor, properataque carmina fiunt,
Factaque eunt ad vos, annus *abiſſe poteſt.*

Juvenal. XVI. 42.

Exſpectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi.

Quem locum erudite componit cum dicto Terentiano Petrus Pithoeus, Adverſ. II. 20. De eadem cunctatione Plautus Mil. IV. 7. 9.

Mulier profecto nata eſt ex ipſa mora.
Nam quaevis alia, quae mora eſt aeque, mora
Minor ea videtur, quam quae propter mulierem eſt.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS SECUNDI

SCENA TERTIA.

SYRUS. DROMO. CLITIPHO. CLINIA.

Sy. AIN' tu? *Dr.* Sic eſt. *Sy.* Verum interea dum ſermones caedimus,
Illae ſunt relictae *Clit.* Mulier tibi adeſt, audin' Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum, & video, & valeo, Clitipho.
Dr. Minime mirum, adeo impeditae ſunt: ancillarum gregem
Ducunt

CALPHURNII.

1. AIN' TU?] *Haec Scena plena eſt timoris & ſuſpicionis: ſed perſona ſervilis utrique ſuccurrit.* * *Servi autem in fronte Scenae ex abrupto colloquuntur, tanquam pergentes in incepto colloquio, quod ultro citroque in via conferebant.* AIN' TU?] Hoc ſic lege, ut intelligas multa verba praeceſſiſſe. * Περιγραφὴ dicitur, quando Poëta ſignificat, ſermonem alterius perſonae praeceſſiſſe. Quid autem dixerit Dromo, non eſt curandum: nam iſte eſt abruptus ſermo ex communi viae colloquio.

* SERMONES CAEDIMUS.] *Caedere*, ut vult Nonius, ultra ceteras ſignificationes interdum ſignificat commiſcere, allegatque Lucilium dicentem: *Tineae omnia caedunt*, i. e. commiſcent, ut ipſe interpretatur. Noſtro autem hic propoſito maxime convenit.

2. MULIER.] Non *Antiphila*, aut *amica*: ſed ſic dixit, quaſi illi qui deſperaverat redituram.

3. EGO VERO AUDIO.] Verba ſunt reſpirantis, & ad ſe redeuntis. * EGO VERO AUDIO NUNC DEMUM.] Cum prius languerem prae timore, & conſternatus eſſem, mei ſenſus non recte ſua exercebant officia.

4. MINIME MIRUM.] * Servi non videntes adoleſcentes pergunt in ſermone incepto. Mulieres a natura tardae in inceſſu ſunt: ſed hic additur cauſa tarditatis, Scilicet, ANCILLARUM GREGEM DUCUNT SECUM, ac ſi duceretur unus grex ovium.

MINIME MIRUM.] Scilicet ſi relictae ſunt.

COMMENTARIUS.

1. AIN' TU?] Guyetus ſubaudit, *illas in propinquo eſſe.* Male; nam mulierum tandem mentionem facit, ubi dicit, VERUM INTEREA DUM SERMONES CAEDIMUS, ILLAE SUNT RELICTAE. Videntur igitur quidvis potius collocuti ſervi eſſe. Niſi forte ſermones inter eos caeſi de Cliniae laboribus & militia.

SERMONES CAEDIMUS.] Alternis loquimur, colloquimur. κόπτειν λόγυς, ῥήματα dixiſſe Graecos, auctor eſt Priſcianus, Inſtit. Lib. XVIII. Idem obſervat Scholiaſtes Euripidis, Hec. 134. Adde Non. Marcell. v. *Caedere.* Sed ψεύδη τέμνειν, *caedere mendacia*, Pindaricum eſt. Libri quidam, SERIMUS, ſed repugnante metro.

3. NUNC DEMUM.] A rei tarditate eleganter adhibetur. Sic mox verſu 12.

vah! nunc demum *intelligo.*

Vide And. V. 3. 11.

4. MINIME MIRUM, ADEO IMPEDITAE SUNT. ANCILLARUM GREGEM DUCUNT SECUM.] Haec

 vulgo

Ducunt ſecum. *Clin.* Perii! unde illi ſunt ancillae? *Clit.* Men' rogas?
Sy. Non oportuit relictas: portant quid rerum! *Clin.* Hei mihi!
Sy. Aurum, veſtem: & veſperaſcit, & non noverunt viam.
Factum a nobis ſtulte eſt. abi dum tu, Dromo, illis obviam,
Propera: quid ſtas? *Clin.* Vae miſero mihi, quanta de ſpe decidi!
Clit.

CALPHURNII.

5. Perii!] Cliniae ſuſpicio, quod amica corrupta ſit, ab ancillarum grege oritur. has enim ab aliis amatoribus eſſe putat.

6. Portant quid rerum!] Ob hoc non eſt ſecurus Syrus, quod mulieres relictae ſint.

7. Et vesperascit, et non noverunt viam.] Cauſa cur non oportuit relictas. quis enim tutus, ſi quid portat, & in nocte, & in incerto itinere?

8. Abi dum.] Dum παρέλκον.

9 Vae misero mihi.] Magis ſuſpicatur Clinia quod a Syro aurum & veſtem audierit.

COMMENTARIUS.

vulgo nunc tribuuntur Syro; ſed Dromonis verba ſunt, reſpondentis ad illa Syri: Verum interea dum sermones caedimus, illae sunt relictae. Unde ita recenſuit Heinſius, probat Glareanus, viditque Guyetus in Codice Regio, ſed manu ſecunda Dr. Mſ. Traject. Sy. Minime mirum est. Juntae, Aldus, Rob. Stephanus, Raphelengius, Fabrini, alii Clitiphoni tribuunt. Mſſ. variant.

Impeditae sunt.] Scilicet ipſo ancillarum grege, tum veſtibus pretioſis. Vide ad And. III. 5. 11. Ambroſius Lib. 1. de Virginibus: *Hinc collum catena conſtringit, inde pedem compes induit. Nihil refert, auro corpus oneretur, an ferro; ſi cervix premitur, ſi gravatur inceſſus; nihil pretium juvat: niſi quod vos mulieres, ne pereat vobis poena, trepidatis. Quid intereſt, utrum aliena ſententia vos damnet, an veſtra? Hinc vos etiam miſerabiliores, quam qui jure publice damnantur, quod illi optant exui, vos ligari.* Baſilius Magnus Oratione ad Divites: *Χρυσὸς δὲ περὶ σφίγξιν καὶ βαρυτίμους τῶν λίθων ὁ μὲν τις αὐταῖς προμετωπίδιος γίνεται κόσμος, ὁ δὲ περιαυχένιος, καὶ ἄλλος ἐν ζωναῖς, καὶ ἄλλος τὰς χεῖρας δεσμεῖ, καὶ τὰς πόδας. χαίρουσι γὰρ αἱ φιλόχρυσοι δεδεμέναι ταῖς χειροπέδαις, μόνον ἐὰν ὁ δεσμὸς αὐτὰς ᾖ.*

6. Portant quid rerum!] Exclamandi ſignum addidi ob emphaſin τῷ quid in ſimili conſtructione notantis immenſam copiam. Sic infra III. 1. 49. Unde & Clinia ingemiſcit, ex mole rerum ſuſpicatus, amicam ſuam corruptam eſſe, & tantum quaeſtum feciſſe corpore: Plaut. Epid. II. 2. 26.

> *Tum captivorum* quid *ducunt ſecum! pueros, virgines,*
> *Binos, ternos: alius quinque. fit concurſus per vias.*

Similem uſum habet Graecorum τι. Fabrini *qualche coſa* languet.

7. Aurum, vestem.] Servus quidem fortuito haec dicit, ſed ex artificio Poetae, ad augendam perturbationem Cliniae. Anteſignanus ubi vertiſſet, *des doreures, des habillemens*, explicat, *elles portent des doreures, comme ſont chaines, carquans, couliers & bagues, & auſſi elles portent des robes & ornements precieux.* Et ſane ornamenta muliebria *Auri* nomine veniunt. Sic Eun. IV. 1. 13. Mihi vero h. l. *aurum, veſtem* per Hendiadyn dicta videntur pro veſtibus auro diſtinctis. Plaut. Curc. II. 3. 69.

> *Ut mulierem a lenone* cum auro & veſte *abduceret.*

Tum *aurum & veſtes* ſolent jungi. Sic infra III. 1. 43. & paſſim apud Plautum; qui tamen *aurum* & *purpuram* diſtinguit, Poen. I. 2. 91. 92.

> *Meretricem pudorem gerere magis decet, quam* purpuram:
> *Magiſque meretricem pudorem, quam* aurum *gerere condecet.*

Liv. XXXIV. 3. *Quid honeſtum dictu ſaltem ſeditioni praetenditur muliebri, ut* auro & purpura *fulgeamus, inquit.* Adde Petri Epiſt. I. 3. 3.

de

Google

Clit. Quid iſtuc? quae res te ſollicitat autem? *Clin.* Rogitas quid fiet?
Viden' tu ancillas, aurum, veſtem? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui: unde ea eſſe cenſes? *Clit.* Vah! nunc demum intelligo.
Sy. Dî boni quid turbae eſt! aedes noſtrae vix capient, ſcio.
Quid comedent? quid ebibent? quid ſene erit noſtro miſerius?

Sed

CALPHURNII.

12. Unde ea esse censes?] Unde eſſent iſta, tanquam notum eſſet, non explicuit.

13. Quid turbae est?] Perſona ſervilis, utpote fidelis heri impenſis timet. Quid turbae est?] Turba primum perturbationem ſignificat. inde *turbo*, *turbas*, *perturbo*, *deturbo*. Dehinc multitudinem, quae fere turbatione non vacat.

Capient.] Alias deligent ſignificat. [1] *Virgil.*
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgil.*] Aeneid. I. 396.

COMMENTARIUS.

de mulieribus: Ὧν ἔστω οὐχ ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων, ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος. Ovidius Heroid. XV. 75. *aurum* ſpeciatim comae tribuit. Vide infra ad verſ. 47. Eſt autem frequens apud Comicos *auri* mulierum mentio ſiue veſtibus.

Non noverint viam.] Hoc ideo addit, quia ex urbe arceſſebantur in ſuburbanum. Supra I. 2. 17.

8. Abi dum tu, Dromo, illis obviam.] Syrus Dromoni id negotii dat, quod heri ejus Cliniae maxime intererat. Antiphilam accelerare gradum. Mſ. Lipſ. Abi tu, Dromo, dum.

9. Propera.] Mſ. Bodl. & Lipſ. Propere.

Quanta de spe decidi!] Suet. Oth. 5. *Sed poſtquam Piſone praelato*, ſpe decidit, *ad vim converſus eſt.* Liv. XXXVII. 26. *Antiochus poſteaquam* a ſpe *ſocietatis Pruſiae* decidit, *Epheſum ab Sardibus eſt profectus.* Alii omittunt de, ſine ſenſus & metri diſpendio.

10. Sollicitat.] Mſ. Mark. Sollicitant.

11. Viden' tu?] Loquitur per admirationem & ſimul indignationem de abſente adhuc Antiphila. Fieri enim non poterat, quin, ſi vidiſſet & cognoviſſet, animadvertiſſet aurum, veſtes, ancillas non Antiphilae ſuae, ſed Bacchidis illius potentis, procacis, magnificae & ſumtuoſae eſſe. Et ſane, integra haec Scena intercedit, antequam Clinia videat cognoſcatque Antiphilam ſuam. Eſt igitur Viden' tu indignantis. Sic Plaut. Epid. II. 2. 37. itidem de abſente: *Viden' veneficam?* Quanto infelicius tentat locum Guyetus, legens, Viden' ut.

12. Unde ea esse censes?] Sub. Niſi a novo amatore. Quidam Mſſ. & editi vetuſtiſſimi: Unde esse censes? omiſſo ea. quam lectionem probat Rivius. Id igitur vult Clinia, eſſe haec a novo amatore. Ridicule autem reſpondet Clitipho: Vah! nunc demum intelligo, non ſentiens, ſuam, non Cliniae, amicam deſcribi.

Vah! nunc demum intelligo.] Sub. Antiphilam tuam corruptam eſſe. De uſu & vi τοῦ demum vide ad And. V. 3. 11.

13. Aedes nostrae vix capient, scio.] Sic Virg. Aen. VIII. 363.

haec illum regia cepit.

Eſt autem ὑπερβολικῶς dictum. Sic Juſtin. II. 10. de Xerxe: *Graeciamque omnem* vix capere *exercitum ejus potuiſſe.* Evang. Joh. XXI. 25. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ, ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ᾽ ἓν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία.

14. Quid ebibent!] Plaut. Trin. II. 1. 19.

non

Sed video, eccos, quos volebam. *Clin.* O Jupiter! ubinam eſt fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletaſti te, Antiphila: & me in his deſeruiſti malis:
Propter quam in ſumma infamia ſum, & meo patri minus obſequens:
Cujus nunc pudet me, & miſeret: qui harum mores cantabat mihi,
Monuiſſe fruſtra; neque potuiſſe unquam ab hac me expellere.

Quod

CALPHURNII.

15. Eccos quos volebam.] Eccum eccam, eccos eccas, ellum ellam, ellos ellas, ab ecce compoſita ſunt: & per adverbia reſolvuntur, non per nomina. Eccum [2] ecce hic: ſubintellige *virum* de quo agebamus. Eccam, [3] ecce hic: ſubintellige foeminam. Ita ellum, intellige, ecce illum virum, &c.

O Jupiter!] Sic exclamat dum putat ab amica [4] eſſe deceptum.

* 16. Propter te.] Quia tua cauſa a patre ſum excluſus verborum increpationibus.

Errans.] Hinc *errones* dicuntur.

* 18. In summa.] In querela amatoria conſueverunt amatores ab amica decepti commemorare, quae adverſa cauſa illius acciderint.

19. Pudet me, et miseret.] Recte: quia poſt pudorem ſolet conſequi miſericordia. *Pudet*, verecundiae eſt. *Piget*, poenitentiae. Terent. in Adelphis, *Fratris me quidem pudet, pigetque.* Et bene pudet, de filio in patrem. In Andria, *Tum patris pudor.*

Cantabat.] Hoc eſt, frequenter dicebat. Et ſignificantius dixit cantabat. Et antiqui *canere* pro *eloqui* dixerunt.

20. Ab hac.] Sic dixit, [5] quia nondum appulerat: etſi ſuperius, *Me deſeruiſti*, dixerit.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Ecce hic.*] Lege, *Ecce hunc.*
3. *Ecce hic.*] Lege, *Ecce hanc.*
4. *Eſſe deceptum.*] Lege, *Eſſe ſe deceptum.*
5. *Quia nondum appulerat.*] Ita in omnibus Libris. Abr. Wielingius ex conjectura legit, *Quia nondum appellaverat.* Forte, *Quia nondum apparuerat.* Loquitur enim tanquam de abſente, & nondum viſa; etſi ſuperius quaſi preſentem allocutus eſſet.

COMMENTARIUS.

non ſat
Id eſt mali, ni amplius etiam, quod ebibit, *quod comeſt,*
Quod facit ſumti.

Si vero cum Guyeto legas, Quid et bibent, proceleuſmaticus erit.

15. Ubinam est fides?] Sic Adelph. III. 2. 32.

quid credas jam? aut cui credas?

Virg. Aen. IV. 373.

Nuſquam tuta fides.

Ovid. Heroid. II. 31.

Jura, fides, ubi nunc, *commiſſaque dextera dextrae,*
Quique erat in falſo plurimus ore Deus?

16. Interea loci.] Sic Eun. I. 2. 46. Pacuvius Chryſe: Interea loci
Fluctî flacciſcunt, ſileſcunt venti: mollitur mare.

17. Conlocupletasti te, Antiphila.] Mſſ. & editi quidam, conlocupletasti, Antiphila, te.

19. Qui harum mores cantabat mihi.] Praedicebat. Locutio ab oraculis deſumta, quae & praedicebant, & canebant ſimul. Juſtin. XI. 7. *Antiqua oracula* ceciniſſe. Plaut. Trin. II. 2. 10.

Haec dies nocteſque tibi canto, *ut caveas.*

Ibid. verſu 69.

tivi

Quod tamen nunc faciam: tum, quum gratum mihi eſſe potuit, nolui.
Nemo eſt miſerior me. *Sy.* Hic de noſtris verbis errat videlicet,
Quae hic ſumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque eſt, accipis:
Nam & vita eſt eadem, & animus te erga idem, ac fuit:
Quantum ex ipſa re conjecturam cepimus.
Clin. Quid eſt, obſecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium 'ſt

Quod

CALPHURNII.

* 21. Tum, cum gratum mihi esse potuit.] Quia tunc fuiſſem patri obſecutus, & ejus morem geſſiſſem voluntati.

22. Hic de nostris verbis.] Superius, *Pertant quid rerum, & aurum, & veſtem* dixit.

Videlicet.] *Scilicet* & videlicet idem ſignificare videntur quod *certe:* ſed habent uſum ſuum per amaritudinem cum deriſu permixtam. ε *Virgil.*

Scilicet hic ſuperis labor eſt.

Quintil. Hoc videlicet expectaſti.

25. Ex ipsa re.] Ex ſignis quae dicturus eſt.

OBSERV. IN CALPH.

ε. *Virgil.*] Aeneid. IV. 379.

COMMENTARIUS.

civi munifico ſcis quid cantari *ſolet?*
Quod habes, ne habeas; & illud, quod nunc non habes, habeas malum.

Virg. Aen. II. 124.

& mihi jam multi crudele canebant
Artificis ſcelus.

Nepos Att. 16. *Non enim Cicero ea ſolum, quae vivo ſe acciderunt, futura* praedixit; *ſed etiam quae nunc uſu veniunt*, cecinit *ut Vates.* Dixit vero harum mores, cum de una Antiphila ſermo eſſet, uti Eun. I. 1. 3.

Non perpeti meretricum *contumelias*,

de una Thaide. Invidioſe ſcilicet.

26. Monuisse frustra.] Mſſ. quidam & editi vetuſtiſſimi, Monuisse frustra, dolet. Ex gloſſa interpolatoris, ſenſum hujus verſus non videntis, qui ſat commodus eſt, ſi τὸ pudet rurſus ſubaudias.

Expellere] Hic interrogationis notam poni vult Guyetus, miraturque, neminem ante ſe id vidiſſe. Verum ita neque proxime praecedens, neque ſequens verſus ſatis cohaeret.

21. Quod tamen nunc faciam.] Ἀνακόλουθον. dicendum enim fuerat: *Quod tamen nunc facile poterit.* Guyetus citra rationem hunc verſum expungit. In quibuſdam Libris eſt: Quod tandem nunc faciam, ſenſu nihilo deteriore. Ubi enim Neque unquam dixiſſet, bene Tandem nunc infert. Sic & Mſ. Mark.

Quum gratum mihi esse potuit.] Cum gratiam patris meo obſequio demereri potui. Notandus vero uſus τοῦ gratum. Sic Phaed. I. 22: 5.

Gratum *eſſet, & dediſſem veniam ſupplici.*

Anteſignanus παραφράζει: *quand avec mon grand plaiſir & profit je m'en pouvoye deffaire.* Vide omnino, quae ad Phaed. citat Cl. Burmannus, & adde Boecleri Chreſtomath. v. *gratus.*

25. Cepimus.] Hanc lectionem tuetur Rivius, contra aliorum Mſſ. Fecimus. quod poſt Faërnum laudat Guyetus in gloſſis Mſſ. In Mſ. Lipſ. eſt, Accepimus.

Digitized by Google

Quod malim, quam me hoc falſo ſuſpicarier.
Sy. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores, anus
Quae eſt dicta mater eſſe ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipſa in itinere alterae
Dum narrat, forte audivi. *Clin.* Quaenam eſt altera?
Sy. Mane: hoc, quod coepi, primum enarrem, Clitipho:
Poſt iſtuc veniam. *Clit.* Propera. *Sy.* Jam primum omnium,
Ubi ventum ad aedes eſt, Dromo pultat fores:

Anus

CALPHURNII.

28. ANUS QUAE DICTA EST MATER.] Hoc contra illud eſt quod ſupra dictum a Clinia, *Mater, ſub imperio cujus eſt, mala.*

30. EA OBIIT MORTEM.] Hoc dictum, ne ab illa corruptam amicam ſuſpicetur.

ALTERAE DUM NARRAT.] Antiquum eſt: nos *alteri* dicimus.

31. QUAENAM EST ALTERA?] Interrogat: quia nondum intellexerat amicam adventare.

33. PROPERA.] *Properat* qui feſtinanter aliquid agit vel dicit. [7] *Virgil.*

Multa, forent quae mox coelo properanda ſereno,
Maturare datur.

JAM PRIMUM OMNIUM.] Sic incipit, ut multa pudicitiae ſigna narraturus. [8] *Livius in primo ab Urbe cond. Jam primum omnium ſatis conſtat.* [*] Hic JAM PRIMUM OMNIUM eſt in primis vel in principio, nam principium eſt primum omnium. Vel ſic intelligas, JAM PRIMUM OMNIUM, i. e. ecce primum omnium, quod ſequitur.

OBSERV. IN CALPH.

7. *Virgil.*] Georg. I. 260.

8. *Liv.*] Lib. I. 1.

COMMENTARIUS.

28. HOC PRIMUM] Subaudi, ſciendum eſt. Sic Virg. Aen. II. 79.

UT NE QUID HUJUS RERUM IGNORES.] Non audiendus Guyetus, expungens τὸ RERUM. Neque HUJUS RERUM dixit pro *Hujus rei*, vel, *Harum rerum.* Sed ſenſus eſt, NE QUID IGNORES RERUM HUJUS, ſcilicet Antiphilae. Id firmat ſequens narratio, qua res Antiphilae explicantur Cliniae. Georg. Fabritius tamen inter παρέλκω ſpecies refert ad Act. IV. Sc. 3. 7. Fabrini optime: *che tu ſappi il tutto de fatti di coſtei.*

30. HOC.] Priſcianus Lib. VI. Inſtit. Grammat. HAEC.

ALTERAE DUM NARRAT.] Ita ἀρχαϊκῶς dictum pro ALTERI, vulgo obſervatur. Mihi vero & Poetae artificium notandum videtur, ſimul caventis, ne de viro intelligatur, ſimul narrationi de Bacchidis adventu commodum initium praeſtruentis.

32. HOC, QUOD COEPI, PRIMUM ENARREM.] Sic Eun. I. 2. 44.

Sine me pervenire, quo volo.

Ubi vide Commentarium.

34. DROMO PULTAT FORES: ANUS QUAEDAM PRODIT.] Imitarus Ovidius Metam. V. 447.

cum tectam ſtramine vidit
Forte caſam; parvaſque fores pulſavit; *at inde*
Prodit anus.

36. CONTINUO HIC SE CONJECIT INTRO.] Ita loquitur, ut ſuſpicionem faciat, voluiſſe ſe experiri, quid Antiphila ignara adventus Cliniae ageret, & nec opinantem opprimere. Eſt vero *conjicere ſe intro*, magno cum impetu intro abire. Cic. pro Coel. 26. *Sin ſe in intimum* (balnearum) conjicere *vellent.* Noſter Phorm. I. 4. 13.

hinc me conjicerem *protinus in pedes.*

Ennius Annal. 1. Conjicit *in ſilvam ſeſe.* Lucil. Lib. XXVIII. Conjice te intro, *ac bono animo es.*

Digitized by Google

Anus quaedam prodit: haec ubi aperuit oſtium,
Continuo hic ſe conjecit intro: ego conſequor.
Anus foribus obdit peſſulum: ad lanam redit.
Hinc ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit,
Ubi de improviſo interventum eſt mulieri.
Nam ea res dedit tum exiſtumandi copiam,
Cotidianae vitae conſuetudinem,
Quae, cujuſque ingenium ut ſit, declarat maxume:

Texen-

CALPHURNII.

35. Anus quaedam prodit.] In Eunucho de viliſſima perſona, *Prodi foras, male conciliate.*

37. Ad lanam redit.] Haec ſigna ſunt pudice vitam agentis. Sic in Andria, *Primum haec pudice vitam, parce, ac duriter agebat, lana & tela victum quaeritans.*

39. Vitam exegerit.] Aliter dicitur *exigere vitam, exigere fabulam,* & *exigere opus.* ſignificat enim traducere, expellere, & finire. * Exemplum primi eſt hic; ſecundi ut in Andria, *An exigendae ſint vobis prius*; tertium eſt operis, i. e. finire opus inceptum.

41. Existimandi copiam.] Judicandi. *Aeſtimare* enim eſt conſiderare, Existimare vero, judicare. nam prius conſideramus ea quae judicanda ſunt.

43. Quae cujusque ingenium.] In Andria, *Nam qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi &c.*

COMMENTARIUS.

es. Nepos Themiſt. 8. *Se in ſacrarium, quod ſumma colebatur religione,* conjecit.

37. Foribus obdit pessulum.] Vide Eun. III. 5. 55.

Ad lanam redit.] Vid. And. I. 1. 48. Ovid. Heroid. III. 70.

Eſt mihi, quae lanas molliat, apta manus.

Metam. II. 411.

Non erat hujus opus lanam mollire trahendo.

38. Hinc sciri potuit.] Mſ. Bodl. Hic sciri potuit. Videtur hanc de Antiphila narrationem in animo habuiſſe Livius, ſcribens de Tarquinii in Lucretiam facinore, Lib. I. cap. 57. *Incidit de uxoribus mentio: ſuam quiſque laudare miris modis: inde certamine accenſo, Collatinus negat verbis opus eſſe, paucis id quidem horis poſſe ſciri, quantum caeteris praeſtet Lucretia ſua. Quin, ſi vigor juventae ineſt, conſcendimus equos, inviſimuſque praeſentes noſtrarum ingenia. Id cuique ſpectatiſſimum ſit, quod inopinato viri adventu occurrerit oculis.*

Aut nusquam.] Mſſ. quidam, Haud usquam. Mſ. Bodl. Haud nusquam. Et τὸ haud in Mſ. Lipſ. ſed ſecunda manu. Ita & editio anni 1469. Praeſtat lectio, quam exhibeo. Senſus enim eſt, Niſi ex ſtudio Antiphilae conjecturam facias, aliunde ea res ſciri non poteſt. Valent vero hic, nusquam, alibi, tria adverbia loci, *Tunc, nunquam, alias,* quae ſunt adverbia temporis.

39. Exegerit.] Prope ad finem perducere, *exigere* eſt. Adelph. V. 4. 16. Virg. Aen. I. 74.

Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat.

Ovid. Triſt. III. 4. 43.

Vive ſine invidia; molleſque inglorius annos
Exige.

Phaed. IV. 19. 10.

Ut careas ſomno, & aevum in tenebris exigas.

40. Interventum.] *Intervenitur* proprie occupato & nec opinanti. Adelph. III. 4. 42. Quales & *deprehendi*, & *opprimi* dicuntur.

44. Te-

Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus:
Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Ejus anuis cauſa, opinor, quae erat mortua:

Sine

CALPHURNII.

* 44. TELAM.] TELA dicitur omnis pannus tam laneus, quam lineus.

OFFENDIMUS.] Reperimus. OFFENDERE fere idem eſt quod reperire.

46. EJUS ANUIS CAUSA.] M. Varronem, & P. Nigidium viros Romani generis doctiſſimos conſtat non aliter locutos eſſe & ſcripſiſſe, quam *ſenatuis* & *domuis*, qui eſt primus caſus ab eo, quod eſt ſenatus & domus.

COMMENTARIUS.

44. TEXENTEM TELAM STUDIOSE.] Petrus Victorius Var. Lect. IX. 15. ex Angelo Politiano narrat hanc Menandri *ἐκ τῶ Ε'αυτοντιμωρημένω* ſententiam:

Ε'ξ ἱςαρίω ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.
Pendebat ipſa ex tela ſtudioſe admodum.

Exempla ſunt Penelope & Lucretia. Dicitur vero *Tela* id quod texitur, quaſi *texilla*; uti vexillum format velum, ab axilla eſt ala.

45. VESTE LUGUBRI.] Intelligit veſtem pullam longoque uſu detritam. Phorm. I. 2. 57. *Veſtitus turpis.* Eadem & lugubria dixit Propertius IV. 12. 97.

Et bene habet, nunquam mater lugubria *ſumſi.*

46. EJUS ANUIS CAUSA.] Citat hunc verſum Gellius IV. 16. plura ejuſdem declinationis adferens exempla. Et Priſcianus Libro VI. & VII. In edit. 1469. eſt, ANUS

47. ITA UTI QUAE ORNANTUR SIBI.] Edit. anni 1469. ORNATUR SIBI. Ita & Mſ. Lipſ. ubi ſupraſcriptum, *non amatoribus.* Quo magis inficete Guyetus hunc verſum expungit. Dixit autem ORNANTUR SIBI, uti Ovidius, Triſt. III. 4. 4.

Vive tibi, *& longe nomina magna fuge.*
Vive tibi, *quantumque potes, praeluſtria vita.*

Heroid. XV. 77.

Cui colar infelix, aut cui placuiſſe laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abeſt.

Optime expreſſit ſenſum exquiſitiſſimae locutionis Anteſignanus in paraphraſi: *pour leur neceſſité, & uſaige de la maiſon tant ſeulement, ſans vouloir eſtre regardées ny aimées des hommes.* Phaed. III. 9. 2.

Quum parvas aedes ſibi *fundaſſet Socrates.*

h. e. ſuos & privatos in uſus.

48. NULLA MALA RE ESSE EXPOLITAM MULIEBRI.] Phorm. I. 2. 55. Sunt ex Codicibus veteribus, qui legunt: NULLA MALAM RE EXPOLITAM MULIEBRI. Ita unus Mſſ. Leid. & Mſ. Lipſ. cui ſupraſcriptum, *maxillam illius.* Itaque legit Calphurnius, ſed & Anteſignanus ita edidit, vertitque, *ſon viſaige de nul fard de femme poly.* Dubito autem, an ſatis recte. Ergone NULLA RES MULIEBRIS notabit tantum fucum? non fit veriſimile. Eſt in iis ſpeculum, eſt pecten, eſt calamiſtrum, eſt ſtibium oculis illinendis, praeſertim nigro ſupercilio, ſunt alia. Ovid. Amor. II. 3. 9.

Arma mares tractent: tu res depone viriles.

Ubi vulgo:

Iſta mares tractent: tu ſpes depone viriles.

Phaed. III. 8. 11.

Vir natus, quod rem feminarum *tetigerit.*

Malim igitur: NULLA MALA RE EXPOLITAM MULIEBRI, deleto ESSE. Hanc enim vocem ſi maxime metrum admittit, Latinitas non admittit. Quis enim dixerit: *Offendimus mulierem ſtudioſe texentem telam, mediocriter veſtitam, ſibi ornatam, mala re muliebri non* ESSE *expolitam?* Tum neque Aldus, neque Juntae agnoſcunt τὸ ESSE, neque his antiquiores Codices impreſſi. Fr. Fabritius legit: NULLA RE MALAS EXPOLITA MULIEBRI. Quod de ſtibio dixi, teſtantur Jul. Pollux V. 16. & Artemidorus I. 27. *Inmedicatum os & purpuriſſatas genas, & illices oculos* dixit Apulejus Apol. Plaut. Moſtel. I. 3. 104.

PHI. *Tum te igitur cedo purpuriſſum.* SC. *Non do: ſcita es tu quidem.*
Nova pictura interpolare vis opus lepidiſſimum.
Non iſtanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere;
Neque ceruſſam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.

Cape igitur ſpeculum,

Truc. II. 2. 35.

Quia-

Digitized by Google

Sine auro, tum ornatam, ita uti quae ornantur ſibi:
Nulla mala re eſſe expolitam muliebri:
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter: pax! *Clin.* Syre mi; obſecro,

Ne

CALPHURNII.

47. Ornantur sibi.] Non ut placeant amatoribus. * Honeſtae enim mulieres rejiciunt veſtium ſordes, honeſteque ſibi veſtiri cupiunt.

48. Nulla mala re expolitam.] Hoc eſt, non fucatam. Mala enim a ſimilitudine mali, hoc eſt, pomi, nomen aſſumpſit. nam id eſt, quod praeeminet inter naſum, oculos & buccam, quod rotundum eſt, & in ſpeciem mali.

* Muliebri.] Res muliaaris eſt fucus, quo mulieres molles utuntur ad expurgendam cutem, ne rugeſcat, ſeu ſolvatur in rugas, quod ſeneſcentibus contingit.

* 49. Capillus.] Capillum dicit more ſuo crinem incultum. Capillus passus.] Id eſt ſparſus. 9 *Virgil.*

Crinibus Iliades paſſis.

Sunt quaedam verba, quae a diverſo veniunt praeſenti: ſed in praeterito confunduntur: ſicuti a patior, ita pando paſſus deſcendit. * Ideo legendum eſt in Paſſione Chriſti: *Qui expaſſis manibus*, non *expaaſis*.

* 50. Pax!] Adverbium Graecum, ut ait Priſcianus.

OBSERV. IN CALPH.

9. *Virgil.*] Aeneid. I. 484.

COMMENTARIUS.

Quiaque iſtas buccas tam belle purpuriſſatas habes.

Tertull. de Cultu Feminarum: *An cum ceruſſa, purpuriſſe & croco, & cum illo ambitu capitis reſurgetis?* Aelian. V. H. XII. 1. Διαπεπλεγμέναι τε ἦσαν τὰς κόμας, καὶ διαπεποικιλμέναι τὰ πρόσωπα ἐντρίψεσι καὶ φαρμάκοις. Porro exemplum earum, quae non ſibi; ſed amatori ornantur, eſt Philematium, apud Plaut. Moſtell. I. 3. 10. dicens:

Contempla, amabo, mea Scapha, ſatin' haec me veſtis deceat?
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.

49. Capillus passus.] Mſſ. quidam, Capillus sparsus. Intelligitur autem religatus. Phorm. I. 2. 56. ubi videas, Donatum legiſſe h. l. *capillus pexus*. Horat. Serm. I. 8. 23.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis, paſſoque capillo.

Erat autem haec res vel primarium luctus indicium. Virgil. Aen. I. 480.

Crinibus Iliades paſſis, *peplumque ferebant*
Suppliciter triſtes, & tunſae pectora palmis.

III. 65,

Et circum Iliades crinem de more ſolutae.

Ovid. Heroid. XV. 73.

Ecce jacent collo ſparſi ſine lege capilli;
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veſte tegor vili; nullum eſt in crinibus aurum;
Non Arabo noſter rore capillus olet.

Idem de Arte Am. III. 238. 242. 246. *comas lapſas, inviſas, perverſas* vocat. Ceterum *capillum paſſum* in muliere dici quaſi *porrectum* & *expanſum*, obſervat Gellius XV. 15. Unde adeo Syrus addens, prolixus, circum caput rejectus negliganter, rem exaggerat. Petron. cap. 126. *Crines ingenio ſuo flexi, per totos ſeſe humeros effuderant.*

50. Pax!] Silentii ſibi aliiſve indicendi interjectio eſt, valetque *ſt*. Bembino Codici adſcriptum fuerat, teſte Faërno: *Tranquillantis, admirantis, & ſollicitudinem adimentis.* Sic infra IV. 3. 39. Plaut. Mil. III. 1. 212. ad quem locum notat Illuſtriſſimus Scaliger ex Heſychio, ΠΑΞ, ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν. Et e Priſciano Inſtit. Grammat. Lib. XV. Pax *Graecum eſt, quando ſignificat, tantummodo.* Adde Plaut. Pſeud. V. 1. 33. Ita Galli uſurpant ſuum *paix*.

Ne me in laetitiam fruſtra conjicias. *Sy.* Anus
Subtemen nebat. praeterea una ancillula
Erat, ea texebat una: pannis obſita,
Neglecta, immunda illuvie. *Clit.* Si haec ſunt, Clinia,
Vera,

CALPHURNII.

* 52. SUBTEGMEN.] i. e. filum, quod in tela texenda ſtamen intercurrit.

53. PANNIS OBSITA.] Sic in Eunucho, *Pannis anniſque obſitum.* * Ita PANNIS OBSITA dicitur, ut ager obſitus ſpinis.

54. IMMUNDA ILLUVIE.] *Proluvies & illuvies* ſignificantiam habent parem, & immunditia eſt. [10] *Virgil.*

Foediſſima ventris
Illuvies.

OBSERV. IN CALPH.

10. *Virgil.*] Aeneid. III. 216. Vulgo *Proluvies.* Sed & Nonius *Illuvies* legit.

COMMENTARIUS.

52. SUBTEMEN NEBAT.] Mſ. Mark. & edit. anni 1469. cum Calphurnio, SUBTEGMEN. Plaut. Merc. III. 1. 20.

Poſſin' tu, ſi uſus venerit, ſubtemen *tenue* [nere?

Scilicet delicatiorum veſtes plus ſubteminis, quam ſtaminis habebant. Vide Servium ad Virg. Aen. III. 483.

Fert picturatas auri ſubtemine *veſtes.*

De Andromache. Rem ipſam explicitam dedit Ovidius Metam. IV. 34.

Aut ducunt lanas, aut ſtamina pollice verſant,
Aut haerent telae, famulaſque laboribus urgent.

Et Metam. VI. 54.

Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.
Tela jugo vincta eſt: ſtamen ſecernit arundo:
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis;
Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſerti pectine dentes.

Adde Senec. Epiſt. XC. *Poſidonius dum vult deſcribere, primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli ſolutoque ducantur; deinde quemadmodum tela ſuſpenſis ponderibus rectum ſtamen extendat; quemadmodum ſubtemen inſertum, quod duritiem utrinque comprimentis tramae remolliat, ſpatha coire cogantur, & jungi: textricum quoque artem a ſapientibus dicit inventam.* Sunt igitur tria diverſa in pannorum textura, ſcilicet *ſtamen*, *ſubtemen*, quod & ſubſtamen dixeris, & *trama.* In ſtamine & trama illud commune, quod filo conſtant duriore, & magis retorto; ſubtemen molliore, & minus retorto. Codici Bembino adſcriptum eſſe teſtatur Faërnus: *Subtemen dictum ab eo, quod ſubeat ſtamen.* Conſule porro Gulielm. Philand. Caſtilion. ad Vitruv. X. 1.

PRAETEREA UNA ANCILLULA ERAT, EA TEXEBAT UNA; PANNIS OBSITA.] Menander: *Καὶ θεραπαινὶς ἓν μία,*

Αὕτη συνυφαίνει ῥυπαρῶς διακειμένη.

Citat Petrus Victorius Var. Lect. IX. 16. ex Angelo Politiano. Menandrum Terentius ad verbum expreſſit.

53. PANNIS OBSITA.] Vide ad Eun. II. 2. 5. Apulej. Metam. III. *Anus alia* pannis *horridis* obſita.

54. ILLUVIE.] Hae ſunt *ſordes* illae, quas mox dicet. Gr. ἀλουσία.

SI HAEC SUNT, CLINIA, VERA, ITA UTI CREDO.] Mſ. Mark. SI HAEC VERA SUNT, CLINIA, ITA UTI CREDO.

56. SCIN' TU HANC, QUAM DICIT SORDIDATAN ET SORDIDAM.] Recte diſcedit Boeclerus a Guyeto hunc verſum delente. Firmat auctoritas Ciceronis Orat. in Piſonem 41. *Nec minus laetabor, quum te ſemper* ſordidum, *quam ſi paulliſper* ſordidatum *viderem.* Ubi *ſordidum* notat vilem & abjectum, *ſordidatum* vero accuſatum & reum. Tum illa, HOC QUOQUE verſus ſequentis manifeſto referuntur ad verſum hunc. Porro autem ita diſtinxerim: SCIN' TU? HANC QUAM DICIT SORDIDATAM ET SORDIDAN, MAGNUM HOC QUOQUE SIGNUM EST. Quorum verborum ſenſus eſt: *Haec, quam dicis ſordidatam & ſordidam, magnum quoque ſignum eſt,* domi-

Digitized by Google

Vera, ita uti credo, quis te eſt fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit ſordidatam & ſordidam?
Magnum hoc quoque ſignum eſt, dominam eſſe extra noxiam,
Quum ejus tam negliguntur internuntii:
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier

Ancil-

CALPHURNII.

56. SORDIDATAM AT SORDIDAM.] SORDIDUS a natura dicitur. SORDIDATUS vero fit urgente neceſſitate. * Vel habitu SORDIDATAM & veſte, corpore SORDIDAM & illuvie SORDIDATAM, refertur ad illud, *pannis obſita*. SORDIDAM, ad illud, *neglecta, immunda illuvie.*

57. EXTRA NOXAM.] Hoc eſt culpam. Noxa etiam ſignificat damnum. [11] *Sueten. in Caeſare, Spurinamque irridens, & ut falſum arguens, quod ſine ulla ſua noxa Idus Martiae eſſent.*

* 58. INTERNUNTII.] INTERNUNTII, qui nuntia ferunt ad amatores, & referunt ad amatas. quos aliqui [12] gamagogos dicunt a ducendis mulieribus. Utrum bene, nec ne, ipſi viderint.

59. NAM DISCIPLINA EST.] Praeceptum in [13] Arte Amandi, ut amatores prius ancillas corrumpant.

OBSERV. IN CALPH.

11. *Sueten. in Caeſare*] Cap. 81. legendum autem: *adeſſent.*
12. *Gamagogos.*] Forte, *Gynaegogos.*
13. *Arte Amandi.*] l. 351. Vide Comment.

COMMENTARIUS.

dominam eſſe extra noxiam. Ita Anteſignanus vertit: *Savez vous (que ſignifie) ceſte-cy, qu'il dit orde & ſale?* Eſt vero *ſordidus* natura & moribus talis, *ſordidatus*, qui habet veſtes ſordidas ex occaſione quadam. Ita *ſordidati* erant rei, lugentes, & in periculo conſtituti. Suet. Vitell. 15. *Primo diluculo* ſordidatus *deſcendit ad Roſtra.* Quanquam haec diſtinctio non ſemper obtinet. Plaut. Aſin. II. 4. 90.

quanquam ego ſum ſordidatus,
Frugi tamen ſum.

Hinc *ſordes* pro ipſo reatu. Suet. Aug. 32. *Diuturnorum reorum, & ex quorum* ſordibus *nihil aliud, quam voluptas inimicis quaereretur, nomina abolevit.*

57. NOXIAM.] Mſſ. quidam, NOXAM. Vide Eun. V. 2. 13.

58 QUUM EJUS TAM NEGLIGUNTUR INTERNUNTII.] Quidam Libri veteres, QUUM EJUS TAM NEGLIGENTER VESTIANTUR INTERNUNTII. Quod gloſſema videtur, nec a Terentio profectum. Videtur autem id in animo habuiſſe Hieronymus, ſcribens ad Furiam: *Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur.* Plaut. Mil. IV. 1. 26.

Vah, egone ut ad te ab libertina eſſe auderem
internun ius?

Sic Eun. II. 2. 56. Eoſdem And. I. 1 56. *Servulos venientes aut abeuntes* vocat.

59. DISCIPLINA.] Mos & inſtitutum. Plaut. Aſin. I. 3. 49.

Si aes habent, dant mercem: eadem nos diſciplina *utimur.*

Juſtin. XXXVI. 2. *Quod ex cauſa factum paullatim* in diſciplinam *religionemque convertit.* Exemplum autem ancillae poſcentis munus eſt apud Plautum in Menaechm. III. 3. 17.

Amabo, mi Menaechme, inaureis da mihi
Faciundas pondo duum nummum ſtalagmia,
Ut te libenter videam, cum ad nos veneris.

Eandem diſciplinam praecipit Magiſter Amorum, Arte Am. I. 351.

Sed prius ancillam captandae noſſe puellae
Cura ſit: acceſſus molliat illa tuos.
Proxima conſiliis dominae ſit ut illa, videto;
Neve parum tacitis conſcia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando;
Quod petis, e facili, ſi volet illa, feres.

Et II. 251.

Nec pudor ancillas, ut quaeque erit ordine prima,
Nec tibi ſit ſervos demeruiſſe pudor.

Plaut.

Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
Clin. Perge, obſecro te, & cave, ne falſam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?
Sy. Ubi dicimus rediſſe te, & rogare uti
Veniret ad te: mulier telam deſerit
Continuo, & lacrumis opplet os totum ſibi: ut
Facile ſcires, deſiderio id fieri tuo.
Clin. Prae gaudio, ita me Dî ament, ubi ſim, neſcio:

Ita

CALPHURNII.

60. AFFECTANT.] AFFECTARE eſt pronum animum ad faciendum habere. * Ut dicit Feſtus. Laurentius dicit, *affectare* eſſe affectu & conatu alterius virtutem aemulari, quam aſſequi nequeas, refragante natura. Servius autem hic interpretatur AFFECTANT, viam praeparant; quemadmodum & illud [24] Virgilianum,

viamque affectat *Olympo*,

interpretatur, ille praeparat ſibi divinos honores, ſeu diſponit.

61. FALSAM GRATIAM.] Scilicet mentiendo. * Nam ipſo reſcito gratia inita fruſtraberis.

65: OPPLET OS.] Nam ex nimio gaudio interdum lacrymae provenire ſolent. * [25] Apulejus: *Tunc ego ſenſi naturaliter quoſdam affectus in contrarium provenire. nam & lacrimae ſaepicule de gaudio prodeunt; ita & in illo nimio pavore riſum nequivi continere.*

OBSERV. IN CALPH.

24. *Virgilianum.*] Georg. IV. 562.

25. *Apulejus.*] Metam. Lib. I. ſed lege: *ut lacrimae.*

COMMENTARIUS.

Plaut. Aſin. I. 3. 30.

Neque ille ſcit, quid det, quid damni faciat. illi rei ſtudet.
Volt placere ſeſe amicae, volt mihi, volt pediſequae,
Volt famulis, volt etiam ancillis; & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, ſe ut quom videat, gaudeat.

60. ADFECTANT VIAM.] Magno conatu quaerunt. In Mſ. Lipſ. eſt ſupraſcriptum, *praeparant*. Phorm. V. 7. 71. Plaut. Menaechm. IV. 3. 12.

Quia commiſi, ut me defrudes, ad eam rem adſectas viam.

Cic. pro Roſc. Amer. 48. *Nunc vero quam viam muniret, quod iter* adfectet, *videtis.*

62. QUID AIT, UBI ME NOMINAS?] Poſtquam de Antiphilae vita narraverat, nunc de animo ejus erga Cliniam jubetur dicere. Vide ſupra verſu 24.

64. DESERIT.] Virgil. Aen. IX. 476.

Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa.

Faërnus & Guyetus ex Cod. Bemb. DESINIT. Quod forte elegantius; neque enim deſerebat telam, ſed manebat ad telam. Cic. Fam. VII. 1. *Libenter, mehercle, artem* deſinerem. Virg. Ecl. VIII. 61.

Deſine *Maenalios*, *jam* deſine, *tibia*, *verſus.*

Vide, quae congeſſit Nob. Heinſius ad Ovid. Arte Am. II. 725.

65. LACRUMIS OPPLET OS TOTUM SIBI.] Virgil. Aen. IV. 30.

Sic effata ſinum lacrumis implevit obortis.

Aen. I. 228.

Triſtior, & lacrumis oculos ſuffuſa nitentes.

Ovid. Metam. IV. 683.

Lumina, quod potuit, lacrumis implevit obortis.

68. NIHIL ESSE.] Formula elevandi rem. Sic Eun. IV. 2. 10. Phaed. III. 7. 17.

Unde hoc, amice? nihil eſt.

Ubi

Ita timui. *Clit.* At ego nihil eſſe ſcibam, Clinia.
Agedum viciſſim, Syre, dic quae illa 'ſt altera?
Sy. Adducimus tuam Bacchidem. *Clit.* Hem! quid? Bacchidem?
Eho ſceleſte, quo illam ducis? *Sy.* Quo illam ego? ad nos ſcilicet.
Clit. Ad patremne? *Sy.* Ad eum ipſum. *Clit.* O hominis impudentem audaciam!
Sy. Heus! Non fit ſine periclo facinus magnum & memorabile.
Clit. Hoc vide! in mea vita tu tibi laudem is quaeſitum, ſcelus:

CALPHURNII.

69. AGEDUM.] AGE ſingularem numerum deſiderat: AGITE pluralem: AGEDUM vero utrumque.

QUAE EST ILLA ALTERA?] Interrogat non immemor verborum Syri, O *Clitipho: poſt iſtuc veniam.*

70. HEM! QUID?] HEM interjectio eſt novas res & [16] optime audientis.

* 71. EHO.] Interjectio admonentis attentionem, & ut ſiſtatur gradus, poſcentis.

QUO ILLAM DUCIS?] Hoc cum timore pronunciandum. Timet ne pater illius amicam cognoſcat.

72. O IMPUDENTEM AUDACIAM!] Bene AUDACIAM: quae proprie eſt temeritas.

73. HEUS TU! NON FIT SINE PERICULO FACINUS.] Sententia generalis, quae & ſervis convenit.

74. HOC VIDE!] Sic dicere ſolemus his, qui res maximas aggrediuntur.

OBSERV. IN CALPH.

16. *Optime.*] Ita cum Mſſ. editi omnes, praeter Argent. ubi legitur, *optie*, quod videtur correptum ex *oportune.* Reſtituo ex conjectura: *novas res necopine audientis.*

COMMENTARIUS.

Ubi vide Interpretes, maxime V. C. Petrum Burmannum.

69. VICISSIM.] Goveano valet *una.* Male. Reſpondet Gallorum, *à ſon tour.*

70. ADDUCIMUS.] Donatus ad Adelph. IV. 4. 19. ABDUCIMUS legit, Nonius Marcellus, ADDUCIMUS.

72. IMPUDENTEM AUDACIAM!] Imitatus Phaedrus III. 5. 9.

Sed ſpes feſellit impudentem audaciam.

73. HEUS!] Vide Eun. II. 2. 45. Plerique Mſſ. HEUS TU. Ita & optimi impreſſorum.

NON FIT SINE PERICLO FACINUS MAGNUM ET MEMORABILE.] Sententia militaris; quam ita effert Herodotus Lib. VII. 50. *Μεγάλα γὰρ πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι. Magna enim negotia magnis cum periculis ſuſcipi volunt.* Verba Xerxis ad Artabanum. *Μέγα καὶ περιβόητον ἔργον* dixit Menander, apud Gellium II. 23. Laudat Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. XIV. 224.

Nullus enim magni ſceleris labor.

Idem Sat. I. 72.

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid. Probitas laudatur & alget.

Gerardus Falkenburgius in Scholiis Mſſ. addit: *Τὸν δρῶντα πού τι καὶ παθεῖν ὀφείλεται.* Quidam Codices ſcripti & impreſſi legunt, NEC FIT, & mox, NEC MEMORABILE. Praeſtat lectio vulgata.

74. HOC VIDE!] Admirantium & indignantium formula. Vide Adelph. II. 2. 20.

IN MEA VITA.] Salute. Sic And. V. 1. 3. Adelph. III. 2. 42.

Ubi ſi paulum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? *Sy.* At enim. *Clit.* Quid enim? *Sy.* Si ſinas, dicam. *Clin.* Sine.
Clit. Sino. *Sy.* Ita res eſt haec nunc, quaſi cum. *Clit.* Quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? *Clin.* Syre, verum hic dicit; mitte: ad rem redi.
Sy. Enimvero reticere nequeo: multimodis injurius,

Cli-

CALPHURNII.

75. UBI SI PAULULUM.] Verba proprie alicujus committentis alteri cum periculo vel res ſuas, vel ſalutem.

76. AT ENIM.] Aliquid ſupplendum. Syrus dicere volebat, aut in ea re non eſſe periculum: aut ſe effecturum quod intendit. Sed illius ſermonem Clitipho interrupit.

77. ITA RES EST HAEC NUNC, QUASI CUM.] Haec oratio imperfecta eſt: utpote a Clitiphone, qui impatiens audiendi eſt, interrupta. Recuſat enim Clitipho pericula: & vult amica ſine his potiri, quod Syrus fieri poſſe negat: quia neceſſe eſt, ſi amare vult, ut admittat pericula. Ergo ſubintelligendum eſt, quod hic velit compos eſſe voti ſui ſine periculo: quemadmodum ſi aliquis ſine belli periculo velit conſequi victoriam, aut aliquid tale: ut ſit proverbium uſitatum in ignavos, qui ſine labore conſequi vellent quod optant. * ITA RES HAEC.] Aut comparationem quandam voluit inducere, & non patitur Clitipho, qui negotium audire & rem ſolum vult; aut, quia ſimile quaerebat, & extra rem eſt, ideo ille ambages dicit; aut quia hoc ſecus ac contemnens dicit.

* HAEC.] An Bacchis, an Antiphila, incertum. Eſt enim hic oratio imperfecta a Clitiphone interrupta. Nunc QUASI quid velit dicere, neſcitur, interruptione impediente. Et ideo liberum eſt unicuique ſubintelligere, quod placeat.

MALUM.] Adverbium eſt interpoſitae indignationis.

80. NEQUA FERRI POTIS EST.] Pro, non poteſt.

COMMENTARIUS.

76. QUID ILLO FACIAS?] Haec ad Cliniam converſus dicit Clitipho, Syrum innuens. Guyetus in Notis Mſſ. interpretatur: *Que peut on faire de ce coquin, qui me gaſte toutes mes affaires?* Fabrini τὸ ILLO δεικτικῶς dictum accipit, ſubaudiens *Tum*, & vertens: *Che farai tu allhora, quando tu mi harai meſſo al fundo?* i. e. *Quid facies tum, ubi me peſſum dederis?*

77. ITA RES AST HAEC NUNC, QUASI CUM.] Mſ. Bodl. ſupraſcriptum habet, ALAIS LUDAS. Willichius exiſtumat, integrum eſſe: *Quaſi cum Clinia, non cum Clitiphone amorem ſit communicatura Bacchis.* Utuntur autem τῷ QUASI, obſcure quid indicaturi. Sic Eun. III. I. 15. Et videtur Syrus cum mora quadam odioſa protuliſſe illa, QUASI CUM; unde Clitipho morae impatiens eas AMBAGES vocat. Libri quidam Mſſ. & editi antiqui, QUASI CUM ILLA.

QUAS, MALUM.] Mſ. Traject. QUAS MIHI AMBAGES, MALUM, NARRARE OCCIPIT? MITTE ATQUE REDI. SY. ENIMVERO RETICERE NEQUEO. MULTIS MODIS INJURIUS EST CLITIPHO. NEQUE FERRI POTIS EST. CLIN. AUDIENDUM HERCLE EST. TACE. CLIT. QUID EST? SY. VIS AMARE, VIS POTIRI. Quae poſteriora, ab illis, MULTIS MODIS, etiam ſunt in uno Mſſ. Leidenſium, ſed & Bodl.

78. MITTE.] Mſ. Mark. MITTE ISTA. Quomodo eſt Adelph. II. I. 31.

AD REM REDI.] Cic. Fam. II. 10. *Ad rem redeamus.*

79. MULTIMODIS, INJURIUS, CLITIPHO, ES, NEQUE FERRI POTIS ES.] Ita placebat Faërno. Itaque recenſuit Heinſius. Alii, EST, quaſi non ad Clitiphonem, ſed de Clitiphone ſermo ſit. Aliter vero per totam Scenam. Libri quidam,

Clitipho, es; neque ferri potis es. *Clin.* Audiendum hercle eſt: tace.
Sy. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum eſſe in potiundo periclum non vis: haud ſtulte ſapis:
Siquidem id ſapere 'ſt, velle te id, quod non poteſt contingere.
Aut haec cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt.
Ha-

CALPHURNII.

81. VIS POTIRI.] POTIOR a potis deſcendit: ideo illi in ſignificatione eſt ſimillimum. Dicitur enim, ſum *compus animi, aut rationis*, quod haec habeo.

VIS, QUOD DES ILLI, EFFICI.] Pro invenire poſitum.

82. HAUD STULTE SAPIS.] Εἰρωνικῶς: id enim velle ſine periculo, quod fieri non poteſt, eſt inſipientis.

84. AUT HAEC.] Scilicet pericula.

CUM ILLIS.] Invidioſe ILLIS, cum in una ſit. Sic in Eunucho,

Non perpeti meretricum contumelias.

COMMENTARIUS.

dam, MULTIS MODIS. Quod neminem animadvertiſſe contra metri rationem eſſe miratur Muretus.

80. AUDIENDUM HERCLE EST: TACE.] Si haec Cliniae ſunt verba ad Clitiphonem, & ſi id voluit Clinia, audiendum eſſe, quid narraturus ſit Syrus, qui ergo modo idem Clinia dixit Syro interturbato a Clitiphone: SYRE, VERUM HIC DICIT: AD REM REDI. Haec certe parum cohaerent; modo enim laudat Clitiphonem interturbantem Syri ſermonem, modo rurſus Syrum non vult interturbari a Clitiphone idem Clinia. Putem igitur, integrum locum ita eſſe ordinandum: CLIT. QUAS, MALUM, AMBAGES MIHI NARRARE OCCIPIT? CLIN. SYRE, VERUM HIC DICIT. MITTE: AD REM REDI. SY. ENIMVERO RETICERE NEQUEO. MULTIMODIS INJURIUS, CLITIPHO, ES; NEQUE FERRI POTIS ES. AUDIENDUM HERCLE EST. CLIN. TACE. CLIT. QUID EST? SY. QUID EST? VIS AMARE. Habetque haec lectio auctoritatem Mſſ. ſenſu commodo & perſpicuo. Primum enim nihil ſecum pugnans eſt in verbis Cliniae, ſi τὰ AUDIENDUM HERCLE EST tribuantur ipſi Syro, ut qui ſe audiri ſaltem poſtulet. Clinia vero Syri indignationem nimiam reprehenſurus, TACE, inquit. Clitipho igitur metuens, ne Syrus tacere juſſus nihil de conſilio ſuo aperiret, QUID EST? rogat. Tum ille prae iracundia, QUID EST? reſpondet, VIS AMARE. & quae ſequuntur. Sane ita in Mſ. Colonienſi legiſſe ſe teſtatur J. Gulielmius. Sed & ita exhibent editiones annorum 1469. 1481. 1490. Et in Mſ. Mark. eſt, CLIT. QUID EST? Boeclero ita medium ſe gerit Clinia, ut ſicut modo Syrum commonuerat, ut ambages vitaret, ita nunc Clitiphonem aliquid Syri orationi, cujus principium aegre ferebat, iracunde reponere parantem coërcere videatur.

81. EFFICI.] Pecuniam tibi a me inveniri. Eſt autem *Efficere* ingenio & induſtria perficere. Cic. Att. XIII. 1. *De pecunia vero, video a te omnem diligentiam adhiberi, vel potius jam adhibitam; quod ſi* efficis, *a te hortos habebo.* Liv. XXIII. 33. *Ducentas autem naves videbatur* effecturus. Nepos Themiſt. 2. *Qua* (claſſe) *celeriter* effecta, *primum Corcyraeos fregit.* Infra III. 3. 23. Sic And. II. 1. 34.

82. HAUD STULTE SAPIS.] Atqui ſufficiebat dixiſſe, SAPIS. Verum in frequenti uſu erant, *non ſtultus*, &, *non ſtulte.* Plaut. Moſtell. I. 3. 29.

Equidem pol miror tam catam, tam doctam te, & bene eductam,
Non ſtultam, *ſtulte facere.*

Ovid. Arte Am. III. 253.

Aut Helene, quam non ſtulte, *Menelaë, repoſcis;*
Tu quoque non ſtulte, *Troïe raptor, habes.*

Cic. de Orator. II. 68. *Ut vel* non ſtultus *quaſi ſtulte cum ſale dicat aliquid.* Graecis autem *ſtulte ſapiens* μωρόσοφος eſt.

Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide:
Etſi conſilium, quod cepi, rectum eſſe & tutum ſcio.
Nam tua apud patrem amica tecum ſine metu ut ſit, copia 'ſt.
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando ſurdas jam aures reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? *Clit.* Siquidem hoc fit. *Sy.* Siquidem! experiundo ſcies.
Clit. Age, age, cedo iſtuc tuum conſilium: quid id eſt? *Sy.* Adſimulabimus,
Tuam amicam, hujus eſſe. *Clit.* Pulchre. cedo quid hic faciet ſua?
An ea quoque dicetur hujus, ſi una haec dedecori eſt parum?

Sy.

CALPHURNII.

85. HARUM DUARUM CONDITIONUM.] Hoc ſic infert Syrus, ut tandem velit conſilium ſuum anteferri. HARUM DUARUM CONDITIONUM.] Aut velle pericula cum amica, aut amittere eam una cum periculis. *Conditio*, eſt actio in aliquem, vel denunciatio. *condicere* enim, priſca lingua, eſt denunciare. CONDITIO vero ſine *c*, ut hic eſt legendum, eſt [17] cum uno certam legem in ſe continens. Alibi Terent.

Accepit conditionem, dehinc quaeſtum occipit.

Dicitur etiam *bonae conditionis:* ita ut referas ad fortunas, non ad mores, id eſt, dives eſt. Eſt etiam CONDITIO inter plura eligenda, ſortis oblata electio. *Conditionum*, id eſt optionum, electionum.

89. QUOD UT EFFICEREM.] Superius, *Vis, quod des illi, effice.* Id *efficimus*, quod cum magno conatu & molimine facimus: vixque per nos finem accipit.

90. SIQUIDEM.] Syrus repetit verbum Clitiphonis, quod [18] per eum dubitare videat.

91. ADSIMULABIMUS TUAM AMICAM.] Callide Clitiphonis amica, Cliniae eſſe ſimulatur, ut

OBSERV. IN CALPH.

17. *Cum uno.*] Doctiſſ. Wielingius ex veriſimili conjectura legit, *Convento.*

18. *Per eum dubitare.*] Edit. Venet. 1512. *Per eum dubitare.* Unde fortaſſe legendum: *perperam dubitare*, i. e. ſine ratione. Abr. Wielingius malebat: *Per quod eum dubitare videbat.*

COMMENTARIUS.

85. VIDE.] In quibuſdam Mſſ. additum ex gloſſa, *cogita, examina.*

86. CONSILIUM.] Libri Mſſ. & editi vetuſti, CONSILIUM HOC. Editio anni 1469. ETSI HOC CONSILIUM.

87. NAM TUA APUD PATREM AMICA.] Ita edidi, flagitante trochaico, & ſuadentibus Goveano & Fr. Fabritio. Vulgo, NAM APUD PATREM TUA AMICA.

88. ARGENTUM.] Quoties apud Plautum & Terentium fit mentio *Argenti*, ſignatum fere intelligitur, ſeu pecunia; quum JCtis de argento facto vel infecto plerumque uſurpetur.

89. SURDAS JAM AURES REDDIDERAS.] Ita ſolent de ſermone moleſto & ſaepius iterato. Curt. IX. 2. fin. Surdas *jam dudum* aures *pulſo.*

90. SIQUIDEM!] Repetitio per indignationem. Sic And. II. 2. 13. & infra IV. 3. 41.

92. HUJUS ESSE.] Mſ. Bodl. Hujus ESSE AMICAM. ex gloſſa.

94. ABDUCETUR.] Libri quidam ſcripti & impreſſi, DEDUCETUR.

LONGUM 'ST.] Fatigaret te; neque adeo neceſſarium eſt. Ovid. Faſt. VI. 325.

Nec licet, & longum eſt epulas narrare Deorum.

Suet. Galb. 3. *Imagines & elogia univerſi generis exſequi* longum eſt. Vide And. IV. 2. 22.

95. Se

Digitized by Google

Sy. Immo ad tuam matrem abducetur. *Clit.* Quid eo? *Sy.* Longum 'ſt, Clitipho,
Si tibi narrem. Quamobrem id faciam, vera cauſa eſt. *Clit.* Fabulae!
Nihil ſatis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.
Sy. Mane. habeo aliud, ſi iſtud metuis: quod ambo confiteamini
Sine periclo eſſe. *Clit.* Hujuſmodi, obſecro, aliquid repperi. *Sy.* Maxume.
Ibo obviam hinc: dicam ut revortantur domum. *Clit.* Hem!
Quid dixti? *Sy.* Ademtum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otioſe ut dormias.

Clit.

CALPHURNII.

ut Antiphila ad Soſtratam deducatur, quae poſtea agnoſcetur filia Chremetis: qua cognita, & altero conſilio invento a Syro, extorquebitur argentum a Chremete, quod Clitipho Bacchidi promiſerat.

93. DEDECORI EST PARUM?] Turpe eſt habere unam amicam, nedum duas.

94. QUID EO?] Cum interrogatione: quaſi dicat, Quid tum, ſi ad matrem deducetur?

95. FABULAE!] Recte FABULAE: quia neque verae ſunt, neque veriſimiles.

98. HUJUSMODI, OBSECRO, ALIQUID.] Quam ſtulte amans inducitur credere Syrum, qui jocatur, jam habere aliquid, quo potiatur amica ſine periculo.

* 101. IN AUREM UTRAMVIS.] Loco proverbii, in eos, qui ſecuri & otioſi vitam ducunt. Talis ſententia & apud Menandrum, quae Latine ſic exprimitur: *In aurem utramque quum quidem dotata eſt, cubet.* Per aurem dextram dextrum latus deſignat, per ſiniſtram vero latus ſiniſtrum.

COMMENTARIUS.

95. SI TIBI NARREM.] Sequutus ſum diſtinctionem Fr. Fabritii. CAUSA, QUAMOBREM Terentianum eſt. Sic And. V. 1. 18. Eun. I. 2. 65. Vulgo: LONGUM 'ST, CLITIPHO, SI TIBI NARREM, QUAMOBREM ID FACIAM: VERA CAUSA EST.

96. ACCIPERE METUM.] Proprie beneficia, & quaecunque res bonae dicuntur *accipi*. Hoc loco de re mala uſurpatur. Cic. Fam. XV. 21. *In ea voluptate hunc* accepi *dolorem*. Nepos Dion. 6. Accepit *graviſſimum parens vulnus morte filii.* Quomodo ſenſu proprio dixit Milt. 7. Sic Con. 1. *Si adfuiſſet, illam Athenienſes calamitatem* accepturos *non fuiſſe.*

98. HUJUSMODI, OBSECRO.] Mſſ. pluſculi, ISTIUSMODI, QUAESO.

99. IBO OBVIAM HINC.] Mſſ. quidam & editi veteres fortaſſe rectius, IBO OBVIAM HIS. Quidam, IBO OBVIAM HUIC. DICAM UT REVORTATUR DOMUM. Eſt autem in verbis ἀπροσδόκητον, Clitiphone plane aliud exſpectante.

101. IN AUREM UTRAMVIS OTIOSE UT DORMIAS.] Menander: [θευδήσειν.
Ἐπ' ἀμφοτέραν ἴσ' ἐπίκληρος ὤ, μέλλει κα-
Ita citat Gellius II. 23. Aliter vero ſummi Viri Scaliger & Gronovius legunt; quos vide. Cic. Att. XIII. 24: *Sed quoniam tu ſuſcipis*; in alteram aurem. Plaut. Pſeud. I. 1. 121.

PS. *De iſtac re* in oculum utrumvis conquieſcito.
CA. *Oculum utrum, anne* in aurem? PS. *At hoc pervolgatum eſt minus.*

Plin. Epiſt. IV. 29. *Nihil eſt, quod* in dextram aurem *fiducia mei* dormias: *non impune ceſſatur.*

Clit. Quid ago nunc? *Clin.* Tune? quod boni eſt. *Clit.* Syre, dic modo
Verum. *Sy.* Age modo, hodie ſero, ac nequicquam voles.
Clin. Datur: fruare dum licet, nam neſcias,
Ejus ſit poteſtas, poſthac, an nunquam tibi.
Clit. Syre, inquam. *Sy.* Perge porro, tamen iſtuc ago.
Clit. Verum hercle iſtuc eſt. Syre, Syre inquam, heus heus Syre.
Sy.

CALPHURNII.

102. QUID AGO NUNC?] Dubius & circa pericula, & circa amicam, quaerit conſilium.

* QUOD BONI EST.] Nam BONI eſt velle abſcedere laſcivas mulieres. Et hoc totum dicit ridendo eum.

103. AGE MODO.] Sic pronuntiandum eſt, ut Syrus diſcedat, & dicat amicae Clitiphonis, ut domum revertatur.

* AC NEQUICQUAM.] Id eſt, fruſtra voles, quoniam ſtatim revocabis voluntatem, & impedies, quo minus dicam verum, ut prius feciſti. Vel ſi NE & QUICQUAM ſint duo verba, tunc ſic conſtrue, AC NE, i. e. non voles, non permittes, QUICQUAM ſcilicet dici a me. nam impedies, ut prius.

* 106. SYRE, INQUAM.] Interea Syrus ad mulieres ſe conferebat, quem abeuntem Clitipho primo paululum revocat; deinde ipſo caleſcente magis ac magis amore, & Syro pergente, vehementiſſime revocat. SYRE, INQUAM.] [19] Trepide Syrum revocari jam decedentem.

TAMEN ISTUC AGO.] Quod coepi, ſcilicet ut dicam amicae, ut domum redeat.

107. VERUM HERCLE ISTUC EST.] Verba creduli & trepidi amantis, & concedere nolentis Syro, ut quod conſtituerit peragat.

OBSERV. IN CALPH.

19. *Trepide Syrum revocari.*] Ita Libri omnes. Legendum ſine dubio, *Trepide Syrum revocat*; niſi malis, *revocavit*.

COMMENTARIUS.

102. QUID AGO NUNC?] Dubitantis & ſolliciti eſt. Sic Eun. V. 8. 5. Eſt autem ſubobſcurus horum verſuum ſenſus, ob abruptum identidem ſermonem. Ex Mureti ſententia dicturus erat Clinia continuata oratione: TUNE? QUOD BONI DATUR MODO, FRUERE, DUM LICET, NAM NESCIAS, EJUS SIT POTESTAS POST HAC, AN NUNQUAM TIBI. q. d. Datur tibi nunc frui tua Bacchide, fruare igitur, dum licet. Sed cum Clinia loqui exorſo pergeret abire Syrus, intercipit illius orationem Clitipho, & Syrum inclamat; deinde ad Cliniam converſus, DIC MODO VERUM, inquit. At Syrus indignabundus, AGE, inquit, MODO, HODIE SERO AC NEQUIDQUAM VOLES. Tum demum Clinia interruptam orationem perſequutus eſt. Plaut. Poen. V. 4. 83.

Nunc quod boni mihi Di danunt, vobis voſtraeque matri,
Eas Dis eſt aequum gratias nos agere ſempiternas.

Rud. IV. 7. 3.

habeas quod Di danunt boni.

Horat. Epiſt. I. 11. 22.

Tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata ſume manu; neu dulcia differ in annum.

Carm. III. 8. 27.

Dona praeſentis cape laetus horae.

SYRE, DIC MODO. VERUM.] Ita diſtinguo cum Daciera. τὸ VERUM Cliniae reſpondet per ὁμολογίαν, q. d. verum eſt, quod dicis.

103. SERO AC NEQUIDQUAM.] Afranius Simulante: *Enim* ſera *numero* ac nequidquam *egi gratias.* Ad eundem modum Georg. Fabritius MODO HODIE jungit.

104. DATUR: FRUARE.] Alii, DATUR MODO

Sy. Concaluit. quid vis? *Clit.* Redi, redi. *Sy.* Adſum, dic quid eſt?
Jam hoc quoque negabis tibi placere? *Clit.* Immo, Syre,
Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi.
Tu es judex: ne quid accuſandus ſis, vide.
Sy. Ridiculum eſt, te iſtuc me admonere, Clitipho:
Quaſi iſtic minor mea res agatur, quam tua.
Hic ſi quid nobis forte adverſi evenerit,

Tibi

CALPHURNII.

108. CONCALUIT.] Bene de amore CONCALUIT. In Eunucho, *Accede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.* * CONCALUIT.] Id eſt, amoris igne ardeſcit, quapropter me ſic revocavit.

* ADSUM.] Hoc dicit, poſtquam paululum rediit, ac prope Clitiphonem fuit.

111. NE QUID ACCUSANDUS.] NE QUID, deeſt *ob*, vel *propter*. Et eſt admonitio aliquid alicui trepide committentis.

113. QUASI ISTIC MINOR MEA RES AGATUR.] Securius committimus his ad quos non minus pertinet quod agendum, quam ad nos. * QUASI.] Quaſi dicat, videris ita admonendo me putare, quod minus mihi ex ea re impendeat periculum, quam tibi. Vel, quod minus ad me ſpectet, quam ad te, id caute fieri. Nam cum 20 Horatius inquit,

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet, intelligitur ſic, tibi imminet periculum proxime ardente te vicino pariete. Vel, negotium de incendio parietis vicini ad te pertinet. Nam RES in eo dicendi genere capitur pro negotio. Praeterea haec particula QUASI hic capitur ironice, ut ſaepe, praecipue cum jungitur cum *vero*, etiam ſine *vero*. Exemplorum plena ſunt omnia.

OBSERV. IN CALPH.

20. *Horatius.*] Lib I. Epiſt. XVIII. 54.

COMMENTARIUS.

DO, FRUERE. Utroque modo metrum conſtat.

106. SYRE, INQUAM.] Sub. reſta, mane.

PERGE PORRO. TAMEN ISTUC AGO.] H. e. Tu perge ſane me revocare, ego tamen Bacchidi & Antiphilae ibo obviam, & dicam, ut revortantur domum. Editio anni 1469. ISTUC TAMEN AGE.

107. VERUM HERCLE ISTUC EST.] H. e. Hercle verum eſt, quod ait; abit enim.

108. CONCALUIT.] Hoc vel ſecum, vel ad ſpectatores converſus loquitur ſervus de Clinia. Senſus eſt: Qui modo indignabatur, adduci ſibi ſuam Bacchidem, nunc ardere incipit ejus amore. Sic Eun. I. 2. 5.

109. JAM HOC QUOQUE NEGABIS TIBI PLACERE?] Expreſſi cum interrogatione, ſed ironica, qualis h. l. minime aliena eſt a perſona Syri, qui iteratis precibus revocatus ludit Clitiphonem, quod non ſolum negaverat ſibi placere conſilium ſervi de Bacchide, ſed & monendi mulieres de reditu. quo reſpicit, dicens, HOC QUOQUE. Confirmat interrogationem reſponſum Clitiphonis, IMMO, SYRE, ET ME, ET MEUM AMOREM, ET FAMAM PERMITTO TIBI. q. d. nihil negabo earum rerum, quas tu ſuadebis.

110. ET FAMAM.] Haec abſunt a Mſ. Lipſ.

113. QUASI ISTIC MINOR MEA RES AGATUR, QUAM TUA.] Quaſi mea minus interſit, quam tua. Quaſi id negotium minus cum meo periculo ſit conjunctum, quam cum tuo.

115. TIBE

Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.
Quapropter haec res neutiquam neglectui eſt mihi.
Sed iſtunc exora, ut ſuam eſſe adſimulet. *Clin.* Scilicet
Facturum me eſſe, in eum jam res rediit locum,
Ut ſit neceſſe. *Clit.* Amo te merito, Clinia.
Clin. Verum illa ne quid titubet. *Sy.* Perdocta 'ſt probe.

Clin.

CALPHURNII.

115. HUIC HOMINI VERBERA.] Amabant veteres de proximo ſimilia dicere. [21] *Cicero, Minus carum putavit, ſive de armario, quam de ſacrario fuiſſet ablatum.* HOMINI HUIC.] [22] Δεικτικῶς haec dixit, ſeipſum oſtendens. * HOMINI HUIC.] Id eſt, mihi. Nam *hic* dicitur de perſona loquentis; *iſte* de perſona audientis; *ille* de perſona remota ab utroque.

* 116. HAEC RES.] Immo eſt maxime mihi curae; nam res mea agitur, & in ea periculum mihi commune tecum impendet.

120. NE ILLA QUID TITUBET.] Subaudi timeo. TITUBARE proprie, eſt pedibus non valentis inſiſtere, quales ſunt ebrii. Ad animum quoque transfertur, quoties ab animo verba diſſentiunt. Veretur igitur Clitipho, ne quid temere effundat quo ſe indicet.

* PERDOCTA 'ST PROBE.] Aut PER Poëtice abundat, aut PROBE.

OBSERV. IN CALPH.

21. *Cicero*] In Verrem IV. 12. Legendum autem: *Minus clarum putavit fore, quod de armario, quam quod de ſacrario eſſet ablatum.*

22. Δεικτικῶς *haec dixit.*] Lege: Δεικτικῶς HUIC *dixit.*

COMMENTARIUS.

115. TIBI ERUNT PARATA VERBA: HUIC HOMINI VERBERA.] Phorm. I. 4. 42.

tu jam lites audies;
Ego plectar pendens.

Cic. Off. I. 25. *Ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* Dixit autem venuſte & δεικτικῶς, HUIC HOMINI, ſe ipſum indigitans. Sic Deianira apud Sophoclem, Trachiniis ſe ipſam deſignans inquit,

Μηδ' εἴ τι δράσεις, τῆς δέ γε ζώσης ἔτι.
Nec ſi facies quid, hac viva etiam feceris.

Vide And. II. 1. 10. & Muretum ad h. l. Adelph. V. 7. 8.

117. SCILICET FACTURUM ESSE.] Locutio rarior. Senſus eſt: *In eum jam res rediit locum, ut facturus ſim.* Plaut. Pſeud. IV. 7. 83.

Si. *Scilicet ſolitum eſſe.*

Lucret. II. 468.

Scilicet eſſe *globoſa, tamen cum ſqualida conſtent,*
Provolvi ſimul ut poſſint, & laedere ſenſus.

Inde ſimpliciter pro affirmatione uſurpatur. Eun. I. 2. 105.

118. IN EUM JAM RES REDIIT LOCUM.] Varie id effertur. Plaut. Bacchid. IV. 2. 14.

In eum nunc haec revenit res locum.

Et omiſſa voce RES Adelph. II. 4. 8.

pene in eum locum
Rediiſſe.

Adelph. III. 2. 1.

Nunc illud eſt.

Sed, *eo res adducta eſt, in eum locum res adducta eſt*, Ciceroniana ſunt. Menand.

Τρία γάρ ἐστι δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται,
Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον
ἔθει τινί.

119. AMO TE MERITO.] Formula gratias agendi. Vide Eun. I. 2. 106. Fr. Fabritius, MERITO AMO TE, ne vocalis in TE corripiatur.

120. NE QUID TITUBET.] Proprie de pedibus vacillantibus. Phaed. IV. 14. 10.

Sero domum eſt reverſus titubanti pede.

H. I.

Digitized by Google

Clin. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Perſuadere illi, quae ſolet quos ſpernere!
Sy. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium eſt
Primum. nam quemdam miſere offendi militem,
Ejus noctem orantem: haec arte tractabat virum,

Ut

CALPHURNII.

122. QUAE SOLET QUOS SPERNERE!] Quos, id eſt, quales amatores. 21 *Virg.*
Quos ego ſum toties jam dedignata maritos.

124. MISERUM QUENDAM OFFENDI.] Recte MISERUM dixit, ut oſtenderet non admiſſum, arte, ſcilicet meretricis.

OBSERV. IN CALPH.

21. *Virgil.*] Aeneid. IV. 536. Sed locus videtur ἀπροσδιόνυσος.

COMMENTARIUS.

H. l. de lingua. Plaut. Pſeud. IV. 1. 32.
at vide, ne titubes.
Horat. Epiſt. I. 13. 19.
Vade, vale: cave ne titubes, *mandataque frangas.*
Unde adeo de quovis errore uſurpatur. Plaut. Menaechm. I. 2. 33.
Jam ſciam, ſi quid titubatum eſt, *ubi reliquias videro.*
Cic. Fam. XII. 10. *Sin quid* titubatum, *ut fit in bello, exercitu tuo niteremur.*

PERDOCTA 'ST PROBE.] H. e. Fallaciis inſtructa, quantum ſat eſt. Hec. II. 1. 6. Plaut. Epid. III. 2. 37. de fidicina permeditata dolis, aſtutiiſque onuſta.
Quae ſenes duo docta *ludificetur.*

121. AT HOC DEMIROR.] Mſ. Bodl. AD HOC DEMIROR.

122. QUAE SOLET QUOS SPERNERE!] Omnis emphaſis eſt in voce QUOS, h. e. quales, quantos, quam illuſtres. Eun. I. 1. 21. & III. 5. 42. Pluſculi Mſſ. tamen legunt, QUOSQUE.

123. IN TEMPORE.] Tempeſtive. Cic. Catil. I. 6. *Nihil agis, nihil aſſequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat* in tempore. Sic Dido ad Annam ſororem de Aenea, Virg. Aen. IV. 423.
Sola viri molles aditus, & tempora *noras.*
Auſonius in Pittaco vel corruptum exemplum ſequutus, vel per ἁμάρτημα μνημονικὸν ſcribit:
Romana ſic eſt vox: Venito in tempore.
Noſter quoque ille Comicus Terentius
Rerum omnium primum eſſe tempus *autumat,*
Ad Antiphilam quo venerat ſervus Dromo;
Nullo impeditam, temporis ſervans vicem.
Verba enim ſunt Syri, qui ad Bacchidem, non Dromonis, qui ad Antiphilam venerat.

QUOD RERUM OMNIUM EST PRIMUM.] Res plur. num. pro univerſo numero dixerunt. Ovid. Heroid. IV. 125. *pulcherrima rerum.* Et IX. 107. *maxima rerum.* Sic Jupiter Romanos *rerum dominos* fore praedicit, apud Virg. Aen. I. 282.

124. QUENDAM MISERE OFFENDI MILITEM.] Mſſ. & edd. quidam cum Calph. MISERUM QUENDAM OFFENDI IBI MILITEM. Ita & Mſ. Bodl.

125. NOCTEM ORANTEM.] Concubitum. Gr. πειρᾷν. Ariſtoph. Pluto, 165.
Ὅταν μὲν αὐτάς τις πένης πειρῶν τύχῃ.
Si noctem earum pauper quis rogaverit.
Plaut. Aſin. III. 3. 146.
Noctem *hujus & coenam ſibi ut dares.*
Cic. Att. I. 16. *Etiam* noctes *certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt.* Ovid. Amor. I. 11. 13.
Si quaeret, quid agam? ſpe noctis *vivere, dicas.*
Horat. Epod. XV. 13.
Nec feret aſſiduas potiori te dare noctes.
Suet. Domit. I. *Satiſque conſtat, Clodium Pollionem praetorium virum, in quem eſt poema Neronis, quod inſcribitur Luſcio, chirographum ejus conſervaſſe, & nonnunquam protuliſſe,* noctem *ſibi pollicentis.* Unde noctes *puras* & *ſpurcas* dixerunt, quibus vel ſeorſim cubaretur, vel ſecus.

HAEC ARTE TRACTABAT VIRUM.] Varie haec

Digitized by Google

Ut illius animum cupidum inopia incenderet:
Eademque ut eſſet apud te ob hoc quam gratiſſima.
Sed heus tu! vide ſis, ne quid imprudens ruas:
Patrem noviſti, ad has res quam ſit perſpicax:
Ego te autem novi, quam eſſe ſoleas impotens:
Inverſa verba, everſas cervices tuas,

Gemi-

CALPHURNII.

126. INOPIA.] Scilicet ſui. [24] *Ovidius*,

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

* 128. HEUS!] HIC HEUS admonentis.

* 130. IMPOTENS.] IMPOTENS eſt ſuorum appetituum minime moderator. Nam is *impotens* dicitur, qui ſuis affectibus ac animi paſſionibus non poteſt modum adhibere, ac eas cohibere, ſed ab illis victus trahitur quocunque ferant & rapiant eum.

131. INVERSA VERBA.] Omnia ponit quae ab amante vecorde fieri ſolent. INVERSA VERBA.] Id eſt verba praepoſtere & in contrarium pronunciata. Eſt enim *invertere*, quaſi in contrarium vertere, & praepoſtere verba pronunciare: ut pro lavo vola.

EVERSAS CERVICES.] CERVIX ſeu CERVICES poſterior pars colli, ubi origo eſt omnibus nervis. unde homo *durae cervicis* dicitur, quaſi indomabilis, & quaſi duri capitis, & durae mentis. EVERSAS CERVICES.] Contrarium eſt, *erectas cervices*. Et ſignificat illum flecti & domari ab amica. * CERVICES numero multitudinis dixit [25] Quinctilianus: CERVICEM *videtur Hortenſius primus dixiſſe. Nam veteres pluraliter appellant.*

* EVERSAS.] Cervix enim eſt poſterior pars colli. Ponitur pro ſuperbia ſeu contumacia quadam ac rigore mentis, ut, vir *durae cervicis*, i. e. indomabilis, & mentis rigorem prae ſe ferens, tanquam nemini caput inclinare velit.

Ever-

OBSERV. IN CALPH.

24. *Ovidius.*] Amor. III. 4. 17.

25. *Quinctilianus.*] Inſtit. VIII. 3. Alii, *Appellabant.*

COMMENTARIUS.

& binos proximos verſus legi & explicari, notum ex Interpretibus. Malim, ſi per Codices liceret, HAEC EA ARTE TRACTABAT VIRUM, UT ILLIUS ANIMUM CUPIDUM INOPIA INCENDERET: EA DENIQUE, UT ESSET APUD TE HOC QUAM GRATISSIMA. Dixit autem, ARTE TRACTABAT, uti Eun. V. 4. 2.

Quod ſi aſtu *rem* tractavit.

126. INCENDERET.] Editio anni 1469. ACCENDERET. Virgil. Aen. IV. 360.

Deſine meque tuis incendere *teque querelis.*

127. OB HOC.] Voces ſuſpectae, quas tamen agnoſcunt Mſſ. quidam & editorum praeſtantiſſimi. In Cod. Bemb. eſt: EADEMQUE UT ESSET APUD TE HOC QUAM GRATISSIMUM. Dixit autem EADEM, pro, una, ſimul. quod Plauto familiare. Editio anni 1469. OB HOC QUAM GRATISSIMA.

131. INVERSA VERBA.] Intelligit ea, quae a vera ſignificatione ad alienam & falſam traducuntur. Lucret. I. 643.

Inverſis *quae ſub* verbis *latitantia cernunt.*

Ubi vide Lambinum. Plautus Aſin. IV. 1. 47. *Verbum perplexabile* vocat. Eugraphius: INVERSA VERBA. *Quod adoleſcentuli faciunt, ut ſyllabarum ordinem mutent, & intellectum confundant.* Ovid. Amor. III. 11. 23.

Quid juvenum tacitos inter convivia nutus;
Verbaque compoſitis diſſimulata notis?

In Cod. Bemb. adſcriptum: INVERSA, *ambigua, figurata.*

EVERSAS CERVICES.] Eugraphius *ſuperbas* interpretatur. Illae rectius *erectae* dicuntur. Intellignntur igitur *cervices retortae.* Apulej. Metam. 6. *Sed & ſcalpendi dorſi ſimulatione, nonnunquam* obliquata cervice *pedes decoros puellae baſiabam.* Τραχηλον επικεκλασμένον vocat Lucianus. Servio *cervix* collum, *cervices* ſuperbiam notant.

Faër-

Digitized by Google

Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus, abſtine.
Clit. Laudabis. *Sy.* Vide ſis! *Clit.* Tutemet mirabere.
Sy. Sed quam cito ſunt conſecutae mulieres!
Clit. Ubi ſunt? cur retines? *Sy.* Jam nunc haec non eſt tua.
Clit. Scio; apud patrem: at nunc interim. *Sy.* Nihilo magis.
Clit. Sine. *Sy.* Non ſinam, inquam. *Clit.* Quaeſo, pauliſper.
Sy. Veto.

Clit.

CALPHURNII.

Evertere interdum ſignificat deſtruere, ut, evertere urbem, i. e. deſtruere, & eam demoliri ac diſſipare, ac etiam ſubvertere. Interdum evertere ſignificat proſternere, & facere, ut, quod ſtabat, nunc proſtratum jaceat. Et ab hac ſignificatione manavit praecedens, nam evertitur urbs, cum moenia, quae prius ſtabant, diruuntur. Item [26] mulier quaerens drachmam evertit totam domum, i. e. inquirendo illam omnia quae in domo ſunt, jacit huc & illuc, & a ſuo ordine dimovet. Item in Jure ſaepe dicitur.

* 132. Screatus.] A ſcreo, as, are, quod ſignificat ſcreatus pectoris & praecordiorum ejicere ex ore.

* Tussis.] Id eſt, tuſſes, hoc eſt, contuſiones.

133. Vide sis!] Vultuoſe pronunciandum eſt.

135. Cur retines?] Impatientia amantis oſtenditur. Nam viſa amica, Clitipho verba Syri oblivioni tradiderat.

136. Apud patrem.] Obſervabo id quod me admonuiſti.

At nunc interim.] Ἀποσιώπησις amantis: ut ſit,

OBSERV. IN CALPH.

26. *Mulier quaerens drachmam.*] Reſpicit Parabolam, quae eſt in Evang. Lucae XV. 8. ubi σαροῖ vertendum erat *everrit*. Quo fere ſenſu *fanum everſum atque exterſum* dixit Cicero, Verr. II. 21.

COMMENTARIUS.

Faërnus in Cod. Bemb. adſcriptum reperit, *dejectas*, Boeclerus mallet, *averſas*. Videtur autem ἄκυρον, EVERSAS pro retortas niſi τὸ E αὐξητικὸν eſt, uti in *edolatus*, *edoctus*, *eluſus*, *eluctus*, *ementitus*, *emortuus*, *enarratus*, *enatus*, *enunciatus*, *eroſus*, *evictus*, *exacutus*, *exaggeratus*, *exagitatus*, aliis.

132. Gemitus, screatus, tussis, risus] Nihil cauſae video, quare hi genitivi ſingulares ſtatuantur, quod vulgo fit. Mira certe constructio verborum, INVERSA VERBA, EVERSAS CERVICES TUAS referre ad τὸ NOVI verſus praecedentis, & mox GEMITUS, SCREATUS, TUSSIS, RISUS genitivos dicere, quos regat τὸ ABSTINE. Guyetus utrumque verſum reſecans nodum gladio ſecat. Mihi omnes videntur accuſativi plurales eſſe, & referendi ad τὸ ABSTINE. Atque ita omnia erunt plana. Juvat lectio quorundam Librorum, in quibus eſt, TUSSES. Neque tamen diſplicet ſententia Anteſignani, omnes hos accuſativos ad praecedens NOVI referentis, ABSTINE vero abſolute ponentis, diſtinctione praemiſſa. optime igitur integrum locum παραφράζει: *je conoy auſſi vos parolles tranſpoſées, voſtre col renverſé, vos gemiſſemens, crachemens, toux, ris. abſtenez vous en donc.* Fabrini identidem repetit τὸ ABSTINE, ita, ABSTINE INVERSA VERBA, ABSTINE EVERSAS CERVICES TUAS, ABSTINE GEMITUS Eadem porro praecepta, aut etiam plura amicae data vide apud Plautum Aſin. IV. 1. Locum autem hunc reſpexit Ovidius Heroid. XVI. 227.

Saepe dedi gemitus: *& te, laſciva, notavi,*
In gemitu riſum *non tenuiſſe meo.*

Et verſu 231.

Multaque ne videam, verſa cervice *recumbo.*

 Sed

Clit. Saltem ſalutare. *Sy.* Abeas, ſi ſapis. *Clit.* Eo.
Quid iſtic? *Sy.* Manebit. *Clit.* O hominem felicem! *Sy.* Ambula.

CALPHURNII.

ſit, ſine interim pauliſper cum amica ludere.

NIHILO MAGIS.] Vult Syrus eum perpetuo modeſtum, ne ſi inceperit, non poſſit ſe abſtinere, etiam patre vidente.

139. QUID ISTIC?] Iſtic, pro iſte.

COMMENTARIUS.

Sed revocas oculos protinus ipſa meos.

Eugraphius: *Haec omnia adoleſcentuli faciunt, quotieſcunque videre, aut videri volunt ab his, quas deſiderant. Ita ſub quodam metu, ut quaſi dum aliud neceſſitate conficiunt, ſic impleant voluntatem.*

138. EO. QUID ISTIC?] Mſſ. quidam & editi, EHO, QUID ISTIC? quomodo ſolent cum admiratione interrogantes. Sed & qui abire juſſi, EO, dicebant, ibant jam re ipſa. Clitipho autem etiam reſtat. Unde mox rurſus Syrus, AMBULA, inquit.

ACTUS SECUNDI

SCENA QUARTA.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS.

Ba. AEDEPOL, mea te Antiphila, laudo, & fortunatam judico,
Id quum ſtuduiſti, iſti formae ut mores conſimiles forent:
Mini-

CALPHURNII.

1. AEDEPOL TE MEA ANTIPHILA.] *Non potuit melius conditionem meretriciam exprimere, quam per eam quae meretrix eſſet: quae tamen nomini meretricio favet, cum alibi reprehendantur meretrices, nihil aliud ex amore adoleſcentium quaerere, quam pecuniae extorſionem, hic quoque jocunda amantium congreſſio ſignantiſſime exprimitur.* AEDEPOL.] Per Caſtorem, & Pollucem, ornativa ſunt jurandi, apta foeminis.

2. FORMAE UT MORES CONSIMILES FORENT.] Mores enim pudici, gratiores eſſe ſolent in pulchro corpore. [1] *Virgil.*

Gratior & pulchro veniens e corpore virtus.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgil.*] Aeneid. V. 344. Legendum autem: *in corpore.* quomodo & Mſ. & editi vetuſti, praeter Lindenbr.

COMMENTARIUS.

2. ISTI FORMAE UT MORES CONSIMILES FORENT.] Petitus Obſerv. Miſcell. III. 25. citat ex Ariſtaeneti Epiſt. 12, de amica: Ἐπήδομαι τοῖς τρόποις εὖ μάλα συμπρέπουσι τῇ μορφῇ. Aeſchylus Prometh.

Ὁμοίαν μορφῇ γλῶσσά σοι γηρύεται.

Me-

Digitized by Google

Minimeque, ita me Dî ament, miror, ſi te ſibi quiſque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam conſidero,
Omniumque adeo voſtrarum, volgus quae abs ſe ſegregant:
Et vos eſſe iſtiuſmodi, & nos non eſſe, haud mirabile 'ſt.
Nam expedit bonas eſſe vobis: nos, quibuſcum eſt res, non ſinunt.

Quip-

CALPHURNII.

3. Sibi quisque expetit.] Recte expetit: cum eam a pudicitia commendet. *Expetimus* enim tantum ea, quae honeſta ſunt, & plane bona. Unde, de rebus *expetendis* a Philoſophis ſcriptum: quae ſcilicet peti debent.

4. Oratio.] Quod dixeris, cum uno velle aetatem traducere. Antiqui etiam pauca verba *orationem* dixerunt.

* 6. Volgus quae abs se segregant.] Hoc eſt, neque promiſcue quoſque recipiunt.

8. Nam expedit bonas esse vobis.] Quia cum ſolo vivitis. Nec poteſt eſſe verus amor, niſi inter duos, qui ſibi invicem fidem ſervent: juxta illud [a], *Nec regna, nec taedae ſocium pati valent.* * Ubi notanda eſt haec ſtructura: *mihi expedit eſſe bonum*, &, *mihi expedit eſſe bono.*

OBSERV. IN CALPH.

a. *Nec regna.*] Verba ſunt Senecae in Agamem. v. 259. *Nec regna ſocium ferre, nec taedae ſciunt.*

COMMENTARIUS.

Menander:

Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμεῖ τρόπος
Χρηστὸς, διπλασίως ὁ προσιὼν ἁλίσκεται.

Plaut. Moſtell. I. 3. 132.

Poſtea nequicquam exornata eſt bene, ſi morata eſt male:
Pulchrum ornatum turpes mores pejus coeno collinunt.

Poen. I. 2. 91.

Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram:
Magiſque meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.
Pulchrum ornatum turpes mores pejus coeno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

Ovid. Amor. III. 11. 42.

Non facit ad mores tam bona forma malos.

Phaed. III. 8. 15.

Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

Ubi vide Interpretes, maxime V. C. Petrum Burmannum. Eſt autem *παρήχησις* in verbis, studuisti, isti.

3. Expetit.] Proprie de rebus bonis & honeſtis, quales ſunt uxores virgineſque, non meretrices. And. IV. 2. 13. Phorm. V. 8. 35. Horat. Epod. XI. 3. aliter:

Amore, qui me praeter omnes, expetit
Mollibus in pueris, aut in puellis urere.

Adi Boecleri Chreſtomath. v. *Expeto.* Quod vero in Libris nonnullis eſt, quisquam, valde imminuit vim dictorum Bacchidis.

4. Quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.] Vetus ſententia fertur:

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
Viri nota ex oratione noſcitur.

Quem ſenarium Politiani Libro adſcriptum fuiſſe teſtatur Petrus Victorius, Var. Lect. IX. 6. Cicero, vel quivis alius, Orat. in Salluſt. cap. 1. *Ea demum magna voluptas eſt, C. Salluſti, aequalem, & parem verbis vitam agere; nec quidquam tam obſcenum dicere, cui non ab initio pueritiae omni genere facinoris aetas tua reſpondeat: ut omnis oratio moribus conſonet.* Vide porro Willichium.

6. Vostrarum.] Pro vostrum, ὑμῶν.

Volgus quae abs se segregant.] Vide ad And. I. 5. 56. Ovid. Faſt. IV. 865.

Numina vulgares *Veneris celebrate puellae.*

7. Vos esse istiusmodi.] Mſſ. quidam non agnoſcunt τὸ esse.

8. Bonas.] Mſſ. quidam & impreſſi, bonis. De qua conſtructione vide Heinſ. ad Ovid. Heroid. XIV. 64.

10. Haec

Quippe forma impulſi noſtra, nos amatores colunt:
Haec ubi immutata eſt, illi ſuum animum alio conferunt.
Niſi ſi proſpectum interea aliquid eſt, deſertae vivimus.
Vobis cum uno ſemel ubi aetatem agere decretum 'ſt viro,
Cujus mos maxume 'ſt conſimilis voſtrum; hi ſe ad vos applicant.

Hoc

CALPHURNII.

9. QUIPPE FORMA IMPULSI.] Et hic amor eſt gratia voluptatis tantum. Et bene IMPULSI: Nam haec omnia, nox, vinum, amor, adoleſcentia, ab *impulſionis* parte dicuntur, non a ratiociuationis.

AMATORES COLUNT.] Bene AMATORES. 3 *Amator* fingere poteſt: *Amans* vere amat. COLUNT.] COLERE eſt inferioris perſonae ad ſuperiorem: nonnunquam ſuperioris ad inferiorem. 4 *Virgilius*,

Poſthabita coluiſſe Samo.

11. NISI SI PROSPECTUM.] *Proſpicimus* futura: *Dijndicamus* praeſentia.

* DESERTAE VIVIMUS.] Ab his, qui ob amorem frequentes erant.

* 13. CONSIMILIS VOSTRUM.] Moribus veſtrum, pro, moribus veſtris. Sic enim antiquis loqui placuit, mores veſtrum, pro, mores veſtri, ut recentioribus placet.

OBSERV. IN CALPH.

3. *Amator fingere poteſt, Amant vere amat.*] Repetita haec e Donato ad And. I. 1. 49. Confer Eun. I. 2. 68.

4. *Virgilius.*] Aeneid. I. 16.

COMMENTARIUS.

10. HAEC UBI IMMUTATA EST.] Dubiam lectionem facit Codex Bembinus, in quo eſt, IMMINUTA. Videtur autem locus expreſſus e Plaut. Moſtell. I. 3. 43.

Nihilo ego, quam nunc tu, amata ſum, atque uni modo geſſi morem;
Qui pol me, ubi aetate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deſeruitque me. tibi idem futurum, crede.

Sed & praeſtantiſſimae editiones, Venetae veteres, Juntina, Aldina, Rob. Stephani, aliae exhibent, IMMUTATA. Eandem porro amoris inconſtantiam etiam in maritis notat Juvenalis VI. 142.

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugae ſubeant, & ſe cutis arida laxet:
Fiant obſcuri dentes, oculique minores;
Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & ſaepe emungeris; exi
Ocius, & propera; ſicco venit altera naſo.

11. NISI SI PROSPECTUM.] Mſſ. pluſculi: NISI PROSPECTUM INTEREA ALIQUID NOBIS EST. Ita & editiones vetuſtiſſimae. Senſus eſt: Niſi interea rem ex quaeſtu fecerimus. Εἰ μή τι πᾶς ἡμῖν ἐν τῷ μεταξὺ πεποιήθη.

12. CUM UNO.] Id in ſumma laude poſitum. Horat. Carm. III. 14. 5.

Unico *gaudens mulier* marito
Prodeat, caſtis operata ſacris.

Ovid. Arte Am. I. 328.

O quantum eſt uni *poſſe placere* viro.

Min. Felix Octav. 24. *Alia ſacra coronat* univira, *alia* multivira. Ad quem locum vid. Wower. & Elmenhorſt. Sunt autem Codices praeferentes SIMUL ἀντὶ τοῦ SEMEL. Perperam, opinor. Noſter imitatus Plautum, Ciſt. I. 1. 79.

Quia ego illum unum mihi exoptavi, quicum aetatem degerem.
GY. *Matronae magis conducibile eſt iſtuc, mea Silenium,*
Unum amare, & cum eo aetatem exigere, quoi nupta eſt ſemel.
Verum enim meretrix fortunati eſt oppidi ſimillima,
Non poteſt ſuam rem obtinere ſola ſine multis viris.

SEMEL.] Mſſ. quidam & editi, SIMUL.

13. CUJUS MOS MAXUME 'ST CONSIMILIS VOSTRUM.] Sic. Hec. I. 2. 94.

huic

Hoc beneficio utrique ab utriſque vero devincimini;
Ut numquam ulla amori veſtro incidere poſſit calamitas.
An. Neſcio alias: me quidem ſemper ſcio feciſſe ſedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. *Cl.* Ah!

Ergo

CALPHURNII.

* 14. Hoc BENEFICIO UTRIQUE AB UTRISQUE VERO DEVINCIMINI.] Quaſi diceret, ſi ambo obligatis vos mutuo beneficio intemeratae fidei ſervandae. Et hoc dictum eſt illi ſimile: *Uterque utrique ſunt cordi.* Ubi Laurentius affirmat, ab oratoribus potius eſſe dicendum, *Uterque alteri eſt cordi.*

15. INCIDERE POSSIT CALAMITAS.] In Eunucho, *Noſtri fundi calamitas.* [5] Proprie *calamitatem* ruſtici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc eſt, culmum ac ſegetem.

*. 16. NESCIO ALIAS.] Verba mulieris commendantis ſe a fide in virum.

* 17. COMPARAREM.] Conſtituerem. ut alibi: *Quam inique comparatum eſt.*

AH!] Clamoſa interjectio hoc in loco ad gaudium ſpectat. Nec potuit vox accommodatior dari, amatori prae nimio amore fere inſanienti ad primum cum amica congreſſum.

OBSERV. IN CALPH.

5. *Proprie calamitatem ruſtici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc eſt, culmum ac ſegetem.*] Et haec repetita e Donato, ad Eun. I. 1. 34.

COMMENTARIUS.

huic tranſtulit
Amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt.

HI SE AD VOS APPLICANT.] Enallage numeri, qualis eſt ſupra Prol. 2.

14. HOC BENEFICIO.] Guyeto hic verſus ſpurius eſt, & turbans ceterorum ſenſum. Non vidit ſcilicet, id dicere Bacchidem, „ Ubi vobis „ ſemel decretum eſt, agere aetatem cum uno „ viro, cujus mos maxime eſt conſimilis veſtrum, ſeu, cui itidem decretum eſt, ſemel „ aetatem agere cum una muliere: hi, qui ita „ animati ſunt, applicant ſe ad vos. Utrique „ igitur tali matrimonio juncti, devincimini „ ab utriſque vero hoc beneficio, id eſt, morum ſimilitudine; uſque adeo, ut nunquam „ ulla amori veſtro incidere poſſit calamitas.„ Boeclero τὸ VERO ſuſpectum eſt. Legit igitur vel ULTRO, vel VESTRUM. In vulgato major emphaſis. Dixit autem UTRIQUE AB UTRISQUE, uti Phorm. V. 3. 17.

Uterque utrique eſt cordi.

15. INCIDERE.] Uſurpatur vox de malis & damnis, quae ſubito contingunt. Ovid. Metam. VII. 523.

Dira lues ira populis Junonis iniquae
Incidit *exoſae dictas a pellice terras.*

Propert. I. 15. 28.

Si quid forte tibi durius inciderit.

Celſus Praefat. *Saepe vero etiam nova* incidere *genera morborum, in quibus adhuc nihil uſus oſtenderit.* Sic Evang. Luc. I. 12. Καὶ ἐταράχθη Ζαχαρίας ἰδὼν, καὶ φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν.

17. UT EX ILLIUS COMMODO MEUM COMPARAREM COMMODUM.] Guyetus τὸ ILLIUS mutat in ALIUS Temere. Mores Antiphilae, quales hic finguntur, non *alius* cujuſcunque, ſed unius *illius* Cliniae commodum curabant. Sed & hinc modeſte ſe diſtinguit ab aliis, dicens, NESCIO ALIAS, quarum ſcilicet fortaſſis vagus poſſit eſſe amor. q. d. τὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν μὴ πολυπραγμονῶ. Tum hoc erat ingenium Antiphilae, quod modo laudaverat Bacchis. Demum Clinia audiens haec Antiphilae verba, UT EX ILLIUS COMMODO MEUM COMPARAREM COMMODUM, de ſe dicta recte accipit, reſpondens, ERGO, MEA ANTIPHILA, TU NUNC SOLA REDUCEM ME IN PATRIAM FACIS. Vide And. IV. 1. 3. Quod vero ignorat Boeclerus, quid ſibi velit Eugraphius, annotans ad, NESCIO ALIAS, *Quid agam, vehementer ignoro*, exiſtimo legendum, *Quid aliae agant, vehementer ignoro.*

AH!]

Ergo, mea Antiphila, tu nunc ſola reducem me in patriam facis:
Nam dum abs te abſum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves;
Praeterquam, tui carendum quod erat. *Sy.* Credo. *Cl.* Syre, vix ſuffero.
Hoccine me miſerum non licere meo modo ingenium frui!
Sy. Immo, ut patrem tuum vidi eſſe habitum, diu etiam duras dabit.

Ba.

CALPHURNII.

* 18. REDUCEM.] Id eſt, incolumem, poſt varia pericula, quae ſubii eundo in Aſiam, & redeundo. Nam ut Servius inquit, *Reduces* dicuntur proprie, qui pericula evadunt. Facis itaque me *reducem*, i. e. defunctum periculis revertentem in patriam.

20. CREDO.] Syrus non ſe loco moverat, reſpondet verbis Clitiphonis, quicum loquebatur, ut eum aliquo ambulatum abire cogeret.

VIX SUFFERO.] VIX, difficultatem ſignificat. Et aliquando pro *non* ponitur. [6] *Ovid.*

Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.

Lucilius, *Carcer vix carcere dignus.*

SUFFERO.] Suſtineo, alias ſuppono.

22. IMMO, UT PATREM TUUM VIDI ESSE HABITUM.] Cum non poſſit per ſe Syrus Clitiphonem abigere, ad minas patris confugit, quem fingit iratum. VIDI ESSE HABITUM.] Vario modo homines *habiti* atque affecti eſſe poſſunt: quibus ſecundum Academicos aliud atque aliud videtur.

ETIAM DURAS DABIT.] Subintelligendum eſt vel *lites* vel *partes*. In Eunucho, *Duras partes fratris praedicas*. Et *partes duras* μεταφορικῶς ab actoribus ſcenicis. * Vel, DURAS DABIT, hoc eſt, durum ſe praebebit. Vel abſolute DURAS, ut dicimus *bonas* ei dedit, vel dabit poenas. [7] Cic. *Quamprimum adveniens dedit.*

OBSERV. IN CALPH.

6. *Ovid.*] Heroid. I. 4.

7. *Cic. Quamprimum adveniens dedit.*] Conjicio: *Sic: Quod principium adveniens dedit.* quae verba ſunt Parmenonis, Eun. III. 2. 4. Abr. Wieling. *Cic. Quam poenam adveniens dedit.*

COMMENTARIUS.

AH!] Mſſ. quidam & editi, VAH. Prius praeſtat, ob metrum.

18. ERGO, MEA ANTIPHILA, TU NUNC SOLA REDUCEM ME IN PATRIAM FACIS.] Ad hunc verſum notat Eugraphius: *Adoleſcens venientem amicam intuetur, & ſecum loquitur, quod ejus amore factum ſit, ut in patriam reverteretur.* Sed quare ergo non continuo ruit in ejus amplexus? Eſt autem locus expreſſus e Plaut. Capt. V. 1. 1.

Jovi Diiſque ago gratias merito maximas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miſeriis plurimis me exemerunt,
Quae adhuc te carens, dum hic fui, ſuſtentabam.

Eſt autem Cliniae ſermo valde ἐμπαθὴς, cui rei maxime inſervit τὸ ERGO in ipſo initio. Virg. Aen. II. 547.

Cui Pyrrhus: referes ergo *haec, & nuncius ibis*
Pelidae genitori.

19. QUOS CEPI.] Sic And. V. 2. 29.

20. TUI CARENDUM.] Helleniſmus, τοῦ ςερεῖν.

SYRE, VIX SUFFERO.] Haec Clitiphoni tribuit Tanaq. Faber, qui ambulare juſſus in fine ſuperioris Scenae, reſtiterit in angulo, manens adventum Bacchidis. Sed praeterquam quod Libri refragantur, non videtur reſponſum Syri de Clitiphonis patre Chremete intelligendum, quod is nihil etiam de amoribus filii ſuſpicabatur. Vi-

de

Digitized by Google

Ba. Quiſnam hic adoleſcens eſt, qui intuitur nos? *An.* Ah! retine me, obſecro.
Ba. Amabo, quid tibi eſt? *An.* Diſperii! perii miſera! *Ba.* Quid ſtupes,
Antiphila? *An.* Videon' Cliniam, an non? *Ba.* Quem vides?
Cl. Salve, anime mi. *An.* O mi exſpectate, ſalve. *Cl.* Ut vales?
An. Salvum adveniſſe gaudeo. *Cl.* Teneone te,
Anti-

CALPHURNII.

* 23. INTUITUR NOS.] Ab eo, quod eſt intueor, intuetur, & intuor intuitur.

AH! RETINE ME.] Antiphilae prae nimia laetitia, viſo Clinia, animo male eſſe coepit. Nam * & animus una cum corpore nonnunquam deficit nimio moerore: ſic & interdum nimio gaudio.

25. VIDEON' CLINIAM, AN NON?] Tanta laetitia erat Antiphilae, ut etſi amatorem agnoſceret, de eo tamen dubitaret.

26. ANIME MI.] Mollis oratio, & foeminea, multis implicata blandimentis. MI, vim blandimenti habet, nam ſignificat meus.

CLINIA, SALVE.] Illa ad majorem gratiam, amantem proprio nomine appellavit. SALVE, modo admirantis interjectio eſt.

27. TENEONE TE?] Prae nimio amicae deſiderio * perii: cum dubitatione loquitur. Sunt qui legant, TENEONE TE; ut referatur ad fidem, ita ut dubitet, an a ſe alienata ſit, an in fide perſiſtat.

OBSERV. IN CALPH.

8. *Et animus.*] Lego, *Ut animus.*
9. *Perii.*] Legitur haec vox h. l. in Mſ. & vetuſtiſſimis editis, ſed recte omiſſa eſt a Lindenbruchio; eſt enim fugitiva e ſuperioribus, ubi Guido Juvenalis illa, PERII MISERA Antiphilae tribuens, *prae nimio amore*, inquit. Sic mox ad III. 1. 11.

COMMENTARIUS.

de ſupra II. 1. 17. & infra III. 2. 40. ſeqq. Tum ſat commode dicit Clinia, HOCCINE ME MISERUM.

21. INGANIUM.] Mſſ. quidam & editi vetuſtiſſimi: INGENIO.

22. DURAS DABIT.] Subaudi, *vices* aut *partes*. Sic Eun. II. 3. 62. Phorm. I. 2. 23. Guyetus hunc verſum ſpurium vocat. Palmerius audacius PURAS legit, noctesque intelligit; quales erant eorum, qui ſeorſim cubabant, ſpurcae contra. In Bembi Codice adſcriptum: *Durum ſe praebebit. vel abſolute* DURAS, *ut dicitur*, *bonas ei dedit.* Haec utcunque ſana ſunt. Illa vero, quae adduntur, *Vel dabit poenas. Cicero: Quamprimum adveniens dediſti. Et in Verrinis: Verum illa eſt prae** ita ad ecta, ut vix ſanari poſſe videantur. Poſſit & *plagas* ſubaudiri, ut metaphora ſit a pugilibus deſumta.

23. INTUITUR.] Sic Lucret. IV. 38.
in ſomnis, cum ſaepe figuras
Contuimur *miras.*

Quidam tamen Libri legunt, INTUETUR.

AH! RETINE ME, OBSECRO.] Ita ſolent amantes ad primum conſpectum animo linqui, ut vix pedibus conſiſtant. Ovid. Heroid. II. 130.
Linquor, & ancillis excipienda cado.

Idem fere Rebeccae accidit ad conſpectum Iſaaci. Geneſ. XXIV. 64. 65. Vide Belgas.

24. BA. AMABO, QUID TIBI EST? AN. DISPERII! PERII MISERA!] Expreſſa e Plaut. Curc. II. 3. 30. ſeqq. Caſ. III. 5. 10. ſeqq. Mſ. Mark. Lipſ. Boecleri omnes, & Bodl. DISPERII MISERA. Ita & editio anni 1469. cum vetere anonyma. Vulgo: A. DISPERII! B. PERII, MISERA!

STUPES?] Viribus deficeris, langues. And. II. 1. 4.

26. O MI EXSPECTATE.] Alii, O MI CLINIA. Mſ. Lipſ. & Mark. O MI EXSPECTATE CLINIA. Ita & editi annorum 1469. 1481. 1490. alii.

27. TENEONE TE.] Ita ſolebant amici peregre redeun-

Antiphila, maxume animo exoptata meo?

Sy. Ite intro: nam vos jamdudum exſpectat ſenex.

COMMENTARIUS.

redeuntes ſeſeque invicem amplexantes. Plaut. Rud. I. 4. 24.

Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere: ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere! *obſecro, amplectere.*

Exempla dant Petronius & Apulejus. Hic Metam. V. ille cap. 139. ubi vide Douzam & Wouwerium. Sic Graeci, ἔχω σε. Suet. Caeſ. 59. *Prolapſus etiam in egreſſu navis, verſo ad melius omine*, Teneo te, *inquit*, *Africa*. An Clinia apprehenſis Antiphilae auriculis haec dixit inter baſia? Id genus oſculi χύτρα dictum. Pollux X. 24. *Εἰδέναι δ' οὐ φαῦλον, ὅτι καὶ χύτρα φιλήματος ἦν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοῖη τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα.* De re ipſa Theocr. Idyll. E. 132.

Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε,
Τῶν ὤτων καθιλοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
Non amo Alcippen, quia me nuper non oſculata eſt,
Auribus ad ſe attrahens, quum ei palumbum dedi.

Scilicet ex more amaſiorum; quod columbae Veneri eſſent ſacrae. Unde Petronius Satyrico 85. *Forte quum in triclinio jaceremus, quia dies ſolemnis ludum arctaverat, pigritiamque recedendi impoſuerat hilaritas longior, fere circa mediam noctem intellexi, puerum vigilare. Itaque timidiſſimo murmure votum feci; & , domina, inquam, Venus, ſi ego hunc puerum baſiavero, ita ut ille non ſentiat, cras illi par columbarum donabo.* De eodem baſiandi ritu Tibull. II. 5. 91.

Et foetus matrona dabit, gnatuſque parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Fabrini bifariam: *Tengoti io?* h. e. teneone te? &, *Sei tu piu mia?* h. e. es tu etiamnunc mea? vid. Calphurn.

28. EXOPTATA.] Faërnus EXOPTATAM tuetur, ob metrum. Mſ. Bodl. SPECTATA. Mſ. Lipſ. EXPECTATA.

29. ITE INTRO.] Id praeter modum amplexantibus invicem Cliniae & Antiphilae dictum.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMUS.

Ch. LUCISCIT hoc jam: ceſſo pultare oſtium

Vici-

CALPHURNII.

1. LUCESCIT.] *Veri amici officium pulcherrime a Terentio in hac Scena exprimitur: in qua amicus amico ſimul, & gaudii inſperati, maximo cum affectu, nuntium, & conſilium affert.*

Cse-

COMMENTARIUS.

1. LUCISCIT HOC JAM.] Mſſ. pluſculi, LUCESCIT. Mſ. Lipſ. cum quibuſdam aliis: LUCESCIT; HOC JAM CESSO PULTARE OSTIUM. Editio vetus anonyma: LUCESCIT. HOC CUR JAM CESSO PULSARE HOSTIUM VICINI? Suſpiciens vero Chremes, & coelum quaquaverſum intuens δεικτικῶς inquit, HOC. Sic Plaut. Amph. I. 3. 45.

Abea-

Vicini? primum ex me ut ſciat ſibi filium
Rediſſe; etſi adoleſcentem hoc nolle intelligo.
Verum quum videam miſerum hunc tam excruciarier
Ejus abitu; celem tam inſperatum gaudium,
Cum illi pericli nihil ex indicio ſiet?
Haud faciam: nam quod potero, adjutabo ſenem;

Ita

CALPHURNII.

Cesso.] Aliquis *ceſſare* dicitur, id eſt, tardare ad aliquid celeriter peragendum. [1] *Virgilius*,

Ceſſas in vota preceſque.

Ceſſat deſidioſus: Requieſcit defeſſus.

4. Miserum hunc.] Cum affectu. nam proprium veri eſt amici laetari rebus proſperis amici, & dolere adverſis.

* 6. Cum illi.] Deeſt, praeſertim.

Ex indicio.] Indicium proprie eſt oris & linguae.

* 7. Nam quod potero.] Quod pro Quantum.

Senem.] Plus habet affectus, quam ſi diceret, Menedemum.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgilius.*] Aen. VI. 51.

COMMENTARIUS.

Eamus, Amphitruo; luciſcit hoc jam.

Quod Pareus perperam interpretatur in Lexico, *ſub hoc tempus*. Mil. II. 2. 63.

Lucet hoc.

Curc. I. 3. 26.

Nam hoc *quidem aedepol haud multo poſt* luce lucebit.

Lucret. V. 319.

Denique jam tuere hoc *circum, ſupraque, quod omnem*

Continet amplexu terram.

Pacuvius, apud Cic. Nat. Deor. II. 36.

Hoc, *quod memoro, noſtri coelum, Graji perhibent aethera.*

Mela I. 1. *Omne igitur* hoc, *quidquid eſt, cui mundi coelique nomen indidimus, unum id eſt, & uno ambitu ſe cunctaque amplectitur.* Ubi vide Notas Schotti & Jac. Gronovii. Indigitatur autem proprie voce hoc *ſublime candens*, quomodo coelum vocat Ennius. Unde & *coelum* quandoque additum. Cic. pro Rabir. 5. *Quem non modo foro, ſed etiam coelo* hoc, *ac ſpiritu cenſoriae leges, atque urbis domicilio carere voluerunt.* Eurip. Rheſo, 985.

Φῶς γὰρ ἡμέρας τόδε.

Ad eundem modum Nepos Pelop. 2. dixit, *veſperaſcente coelo*. Quod vero poſt Jul. Caeſ. Scaligerum Art. Poët. VI. 3. & alios contendit Daciera, duos priores hujus Fabulae Actus pridie multa veſpera finitos, tres poſteriores ſequenti mane rurſus inchoatos eſſe, cum a Menandro, tum a Terentio, dum horae nocturnae darentur coenae & comiſſationi, non fit veriſimile, vel ob ſpectatorum ſeu manentium, ſeu a diſceſſu redeuntium incommoda.

2. Primum.] Mſſ. quidam, primo. quod tuetur Tanaq. Faber. Sic ſupra I. 2. 12.

7. Quod potero.] Sic Eun. II. 1. 8. & 9. Mſ. Mark. & edit. anonyma Quantum potero. Eſt autem quod idem cum *quoad*, καθ᾽ ἄτον.

Adjutabo.] Mſſ. quidam & editi, Adjuvabo. Expreſſa autem haec e verſibus Menandri:

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει.
Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή.
Νοσῶν τ᾽ ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.

Ita ut filium meum amico, atque aequali ſuo
Video inſervire, & ſocium eſſe in negotiis:
Nos quoque ſenes eſt aequom ſenibus obſequi.
Me. Aut ego profecto ingenio egregie ad miſerias
Natus ſum: aut illud falſum eſt, quod volgo audio
Dici, diem adimere aegritudinem hominibus.
Nam mihi quidem cotidie augeſcit magis
De filio aegritudo: & quanto diutius

Abeſt,

CALPHURNII.

10. Nos QUOQUE SENES EST AEQUOM SENIBUS OBSEQUI.] Juxta illud proverbium uſitatiſſimum, *Pares cum paribus facillime congregantur.* Naturaliter enim adoleſcentes adoleſcentibus, ſenes vero ſenibus potius inſerviunt & obſequuntur.

11. AUT EGO PROFECTO.] Id eſt, ex his duobus neceſſe eſt [2] alterum tantum eſſe verum. ſed ſenex ex nimio filii deſiderio dubitat de eo quod omnibus approbatiſſimum eſt.

INGENIO.] Hoc eſt, natura. INGENIUM naturalis eſt ſapientia. [3] *Salluſt.* in Catilin. *Ingenium vero ſine corpore exercebat.* INGENIUM quoque veteres dixerunt ex ſua ſponte vel natura. [4] *Virg.* lib. 2. Georgic. libro 2.

Nunc locus arvorum ingeniis: quae robora cuique.

EGREGIE AD MISERIAM.] EGREGIUM dicitur, quod ex grege eligitur. Sed hic EGREGIE, valde, nimis. non eſt ergo ad laudem poſitum.

13. DIEM ADIMERE AEGRITUDINEM HOMINIBUS.] [5] *Servius Sulpicius* ad Ciceronem, *Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.*

OBSERV. IN CALPH.

2. *Alterum tantum eſſe verum.*] Abr. Wielingius ex conjectura. *Alterum tamen eſſe verum.*
3. *Salluſt. in Catilin.*] Cap. 2.
4. *Virgil. Georg. lib. 2.*] verſu 177.
5. *Servius Sulpicius ad Ciceronem.*] Fam. IV. 5.

COMMENTARIUS.

11. EGREGIE.] Praeter ceteros. Utrumque conjunxit And. I. 2. 31.

AD MISERIAS NATUS SUM.] MSS. & editi quidam, AD MISERIAM. Dicitur autem quis NATUS ad rem, qui peculiari modo alicui rei eſt accommodatus. quomodo & *in rem*, &, *rei alicui* natus dicitur. Horat. Carm. I. 27. 1.

Natis in uſum *laetitiae ſcyphis*
Pugnare, Thracum eſt.

Noſter Adelph. IV. 2. 6.

Niſi me credo huic eſſe natum rei, *ferundis miſeriis.*

Palmerius ſollicitat τὸ INGENIO, tuetur Acidalius. In Codice Bembino & quibuſdam aliis Libris eſt, INGENIO EGREGIO.

13. DIEM ADIMERE AEGRITUDINEM HOMINIBUS.] Menander:

Τ' ἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴωθεν χρόνος
Ἡμῶν.

Citat Stobaeus, Tit. CXVI. Idem de eodem Tit. CXXV.

Πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων χρόνος ἐστίν.

Diphilus:

Λύπης πάσης γίνεται ἰατρὸς χρόνος.

Cic. Fam. V. 16. *Nam quod allatura ipſa diuturnitas, quae maximos luctus vetuſtate tollit, id nos praecipere conſilio prudentiaque debemus.* Att. III. 15. *Dies autem non modo non levat luctum hunc, ſed etiam auget. Nam ceteri dolores mitigantur vetuſtate; hic non poteſt non ex ſenſu praeſentis miſeriae,*

Abeſt, magis cupio tanto, & magis deſidero.
Ch. Sed ipſum foras egreſſum video: ibo, alloquar.
Menedeme, ſalve: nuntium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
Me. Num quidnam de gnato meo audiſti, Chreme?
Ch. Valet, atque vivit. *Me.* Ubinam eſt, quaeſo? *Ch.* Apud me domi.
Me. Meus gnatus! *Ch.* Sic eſt. *Me.* Venit! *Ch.* Certe. *Me.* Clinia Meus

CALPHURNII.

18. NUNTIUM APPORTO TIBI.] Nuntius & res ipſa & *nuntius* dicitur.

19. CUJUS MAXUME.] Bene MAXUME. quis enim nuntius illi gratior eſſe poterat, quam filii?

20. NUM QUIDNAM DE GNATO MEO.] Quia omnis illius ſollicitudo circa filium erat, idcirco ſtatim de eo ſuſpicatus eſt, nondum facta mentione.

21. VALET ATQUE VIVIT.] Prothyſteron in ſenſu eſt. Si enim VALET, neceſſario VIVIT: non ſi vivit, valet. Ergo VIVIT ET VALET dicendum erat. Et bene utrumque junxit. nam multi vivunt, ſed non bene valent.

22. MEUS GNATUS!] Magis cum admiratione quam cum interrogatione legendum.

CLINIA MEUS VENIT!] Addidit & nomen: quod fieri conſuevit in his quos diu optavimus, & nondum veniſſe credimus.

COMMENTARIUS.

riae, & recordatione praeteritae vitae quotidie augeri. Ovid. Remed. Amor. 131.

Temporis ars medicina fere eſt.

Cicero pro Murena 31. *Uſus flectet, dies leniet, aetas mitigabit.* Tuſc. III. 16. *Eſt enim tarda illa quidem medicina, ſed tamen magna, quam affert longinquitas, & dies.*

14. MIHI QUIDEM COTIDIE AUGESCIT MAGIS DE FILIO AEGRITUDO.] Sic Virg. Ecl. X. 73.

Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas.

Mſ. Lipſ. & edit. anonyma non agnoſcunt τὸ QUIDEM.

16. MAGIS CUPIO.] Haec abſunt a Mſ. Markiano.

17. IBO, ALLOQUAR.] Alii, ADIBO. Sic Plaut. Menaechm. II. 2. 5. II. 3. 10. & III. 2. 8.

20. ME. NUM QUIDNAM DE GNATO MEO AUDISTI, CHREME?] Scilicet idem Menedemi affectus in Cliniam, qui Aeneae in Aſcanium. De quo ita Virgilius, Aen. I. 646.

Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.

Vide Calphurn.

21. VALET, ATQUE VIVIT.] Utrumque dicit, quia teſte Martiale VI. 70. 15.

Non eſt vivere, ſed valere, vita.

APUD ME.] Mſſ. quidam, & editio anonyma: HIC APUD ME DOMI.

22. MEUS GNATUS!] Exprimit affectum animi. Unde mox rurſus: CLINIA MEUS VENIT! Virg. Aen. II. 522.

non, ſi ipſe meus *nunc adforet* Hector.

Sic Rex David de filio Abſalomo, 2. Sam. XVIII. 32. Et pater de filio olim prodigo, Evang. Luc. XV. 24. Sed & πάθος eſt in repetitione. Sic Cic. Att. XIV. 14. *Iteradum eadem iſta mihi. Coronatus Quintus noſter Parilibus? Parilibus? ſolusne?* Vide infra V. 1. 31. 32. Ariſtoph. Plut. 392.

ΒΑ. Σὺ Πλοῦτον; ὁποῖον; ΧΡ. Αὐτὸν τὸν Θεόν.
ΒΑ. Καὶ ποῦ 'στιν; ΧΡ. Ἔνδον. ΒΑ. Ποῦ; ΧΡ. Παρ' ἐμοί. ΒΑ. Παρὰ σοί; ΧΡ. Πάνυ.
ΒΑ. Οὐκ ἐς κόρακας. Πλοῦτος παρὰ σοί; ΧΡ. Νὴ τοὺς Θεούς.
ΒΑ. Λέγεις ἀληθῆ; ΧΡ. Φημί.

Compar huic locus Plautinus, Capt. IV. 2. 92.

Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero. nam filium
Tuum modo in portu Philopolemum, vivom, ſalvom & ſoſpitem

Meus venit! *Ch.* Dixi. *Me.* Eamus: duc me ad eum, obſecro.
Ch. Non vult te ſcire ſe rediſſe etiam, & tuum
Conſpectum fugitat, propter peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta ſit.
Me. Non tu ei dixiſti, ut eſſem? *Ch.* Non. *Me.* Quamobrem,
Chreme?
Ch. Quia peſſume iſtoc in te atque in illum conſulis,
Si te tam leni & victo animo eſſe oſtenderis.
Me. Non poſſum: ſatis jam, ſatis pater durus fui. *Ch.* Ah!
Vehe-

CALPHURNII.

23. DIXI.] Denunciatio eſt confirmandae ſententiae, nec mutandae, tranſlata de foro & caufidicis. [6] *Cicero: Praeco* DIXISSE *pronunciat.* DIXI.] Hoc verbum in fine additum, ſuperiora confirmat. Et eſt proprium his qui peroraverint cauſam. * [7] *Quinctilianus:* DIXERE *quoque, quanquam id Antonius Rufus ex diverſo ponit exemplum, de pluribus patronis praeco pronunciet.* DIXI.] Sic dixit, quaſi jam obtunderetur a Menedemo.

24. ET TUUM CONSPECTUM FUGITAT.] Plus eſt quam *fugit*. Et FUGITAT dixit, ut oſtenderet filium vehementer timere.

27. NON TU EI DIXTI, UT ESSEM?] UT, aliquando certam qualitatem ſignificat, & nonnunquam incertam. Alibi, *Ut erat geſta.*

28. QUIA PESSUME ISTOC.] Conſilium & parentibus omnibus & filiis ſalubre: patres enim nimia largitate & clementia liberos corrumpunt. Illi vero, nimia licentia deteriores facti, patribus moerori, ſibi vero detrimento ſunt.

30. NON POSSUM.] Hoc eſt animi victi, & clementis. Interdum ad nimiam indignationem ſpectat: ut illud [8] Satyrici,

Non poſſum ferre, Quirites,
Graecam urbem.

* SATIS JAM, SATIS.] Haec reduplicatio magnam habet vehementiam.

AH! VEHEMENS.] Bene dixit VEHEMENS, de eo qui non ſervaret modum. *Ve* enim particula, ſicuti quaedam aliae, tum intenſionem, tum minutionem ſignificat. Ergo VEHEMENS, a *mentis vi* atque impetu dicitur.

OBSERV. IN CALPH.

6. *Cicero.*] In Verrem II. 30.
7. *Quinctilianus.*] Inſtit. I. 5. ubi vide Adr. Turnebum & P. Burmannum.
8. *Satyrus.*] Juvenal. Sat. III. 60.

COMMENTARIUS.

Vidi in publica celoce, ibidemque illum adoleſcentulum
Alium una, & tuum Stalagmum ſervom, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
HE. *Abi in malam rem: ludis me.* ER. *Ita me amabit ſancta Saturitas,*
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. HE. *Meum gnatum?* ER. *Tuum gnatum, & genium meum.*
HE. *Et captivum illum Alidenſem?* ER. Μὰ τὸν Ἀπόλλω. HE. *Et ſervulum*
Meum Stalagmum, meum qui gnatum ſurripuit? ER. Νὴ τὰν Κόραν.
HE. *Jam diu?* ER. Νὴ τὰν Πραινέστην. HE. *Venit?* ER. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
HE. *Certon'?* ER. Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. HE. *Vide ſis.* ER. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.

Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parſimonia.
In eandem fraudem, ex hac re, atque ex illa, incides.
Primum; olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quae paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruiſti hinc. ea coacta ingratiis
Poſtilla coepit victum volgo quaerere.

Nunc

CALPHURNII.

33. IN EANDEM FRAUDEM.] FRAUS pro dolo & poena ab antiquis accipiebatur.

35. MULIERCULAM.] Minus eſt quam ſi diceret, aut *mulierem*, aut *meretricem*, utpote quae erat contenta parvo, * Et MULIERCULA dicitur cum contemtu. quaſi paupercula.

37. COACTA INGRATIIS.] Hoc eſt, invita. Et bene COACTA & INGRATIIS. Nam aliquis *ingratiis* dicitur aliquid facere, qui invitus & coactus praeter voluntatem facit.

38. POSTILLA COEPIT VICTUM VOLGO QUAERERE.] Sic in Andria, *Lana ac tela victum quaeritans.* Et recte VICTUM, & non *cibum* protulit. [9] *Cibus* eſt enim, qui delicatis praebetur: VICTUS, in parvis aridiſque alimoniis eſt conſtitutus. [10] *Virgil.*

Victum infelicem, baccas lapidoſaque corna.

POSTILLA.] Antiquum eſt: nos autem dicimus *poſtea*. QUAERERE.] Melius dixiſſet *quaeritare*. QUAERIT enim, qui ad plenum & perpetuum reponit: *Quaeritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit.

OBSERV. IN CALPH.

9. *Cibus*.] Integra haec Nota cum proxime ſequenti repetita eſt e Donato, ad And. I. 1. 48.

10. *Virgil.*] Aeneid. III. 649.

COMMENTARIUS.

27. UT ESSEM?] Qualis eſſem erga ſe. Vid. And. V. 4. 16.

28. QUIA PESSUME ISTOC IN TE ATQUE IN ILLUM CONSULIS.] *Bene* vel *male conſulere alicui*, &c, *in aliquem*, eſt non tantum capere, ſed & exſequi conſilium, quod alteri vel proſit, vel obſit. Salluſt. Jug. 13. *Singulos ex Senatu ambiundo nitebantur*, *ne* gravius in eum conſuleretur.

29. SI TE TAM LENI ET VICTO ANIMO ESSE OSTENDERIS.] Cic. ad Brutum, Epiſt. 2. *Salutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiae.*

30. NON POSSUM.] Eleganter abſolute dicitur, ſubaudito, *ſufferre*, vel ſimili verbo. Sic infra V. 5. 18.

SATIS JAM, SATIS PATER DURUS FUI.] Sic And. V. 1. 1. dixit autem proprie, PATER DURUS. Vide ſupra I. 2. 30.

33. IN EANDEM FRAUDEM, EX HAC RE, ATQUE EX ILLA, INCIDES.] Senſus eſt, Aeque damnoſa tibi erit parſimonia, atque nimia largitas tua. Metaphora a feris, avibus, & piſcibus translata, in retia incidentibus. Ovid. Arte Am. II. 2.

Decidit in caſſes praeda petita meos.

Idem Halieut. 9.

ſic & Scarus arte ſub undis,
Incidit.

Vide ad And. V. 4. 8.

34. POTIUS.] Haec vox abeſt a Mſ. Mark.

35. COMMEARE AD MULIERCULAM.] Bentlejus, V. C. ad Horat. Serm. II. 5. 79. COMMETARE legit, ſcilicet quia raro aut nuſquam in ſede quinta jambum pedem uſurpant Comici Latini. Goveanus & Muretus: COMMEARE FILIUM QUAM PATERERE.

37. PROTERRUISTI.] Amplius quid notat, quam quod Guyetus dicit, *eum ab ea abegiſti*. Virg. Aen. XII. 291.

Ad-

Nunc cum ſine magno intertrimento non poteſt
Haberi, quidvis dare cupis. nam, ut tu ſcias,
Quam ea nunc inſtructa pulchre ad perniciem fiet:
Primum, jam ancillas ſecum adduxit plus decem,
Oneratas veſte, atque auro: Satrapes ſi fiet

Ama-

CALPHURNII.

39. Sine magno intertrimento.] Id eſt, damno. *Detrimentum*, ſecundum Varronem, a detritu dicitur: quod ea quae trita ſunt, minoris pretii ſint. Intertrimentum ab eo [11] quod duo quae inter ſe trita & diminuta. A quo etiam *intertrigo* dicta.

40. Quidvis dare cupis.] Et hoc eſt nimiae largitatis.

* 41. Nunc.] Pro *multo*, alias pro *minimo* eſt, & ſic dixit quod ſupra vehemens in utramque partem. Ergo accipi poteſt pro qualitate ſententiae.

42. Primum, jam ancillas.] Et hoc eſt ſignum illam probe inſtructam ad expilandum amatores.

* Plus decem.] Dixit, quemadmodum dicimus, *magis decem*, in quibus magis & plus ſunt adverbia. Solemus tamen ſaepius apponere quam, ut, *adduxit ſecum plus quam decem.* Verum auctorum uſus ſemper eſt ſequendus.

43. Satrapes.] [12] Satrapes a Graecis provinciae praefectus dicitur.

OBSERV. IN CALPH.

11. *Quod duo quae inter ſe*] Abr. Wielingius expungit τὸ *quae.*

12. *Satrapes a Graecis.*] Immo a Perſis. vid. Comment.

COMMENTARIUS.

Adverſo proterret *equo; ruit ille recedens.*

Ubi Servius, proterret *mire* ait *dictum.* Ita tamen ante Virgilium & Terentium Plautus, Trin. III. 2. 77.

Mea opera hinc proterritum te, *meaque avaritia autument.*

Imitatus Apulejus Metam. IV. *Nam & facies urſae mediis aedibus diſcurrentis, ad* proterrendos, *ſi qui de familia forte vigilaſſent, videbatur opportuna.* Et Metam. VIII. *Facibus* proterrebant *feras.* Ubi videtur proprie ſumi. Quemadmodum ferae & aves clamore & vociferatione cum ſtrepitu proterrentur & abiguntur. Similis formatio τῦ *protelare*, Phorm. I. 4. 36. Mſſ. quidam, & editio anonyma, perterruisti.

39. Intertrimento.] Quoties ex metallis, quae conflantur & liquefiunt, quid perit, *intertrimentum* proprie dicitur. Liv. XXXII. 2. *Id* (argentum) *quia probum non eſſe quaeſtores renunciaverant, experientibuſque pars quarta decocta erat, pecunia Romae mutua ſumta*, intertrimentum *argenti ſuppleverunt.* Inde porro pro quovis detrimento & damno ſumitur. Cic. in Verr. Lib. I. cap. 50: *Cum eo ſine ullo* intertrimento *convenerat jam, quemadmodum traderetur.* Ubi Aſconius Pedianus: Detrimentum *vel unius partis dici poteſt*; intertrimentum *non ad unius partis ſpectat, ſed dantis & accipientis.* In Codice Bembino adſcriptum fuerat, inter *&* de *tantundem ſignificans ad augmentum oſtendendum. Hinc dicitur* interfectus. Alii legunt detrimento. Scaevola Digeſtorum Lib. V. l. 43. D. de Pignoratitia Actione, §. 1. intertrituram, *quae ex operis facta eſt.*

Non potest haberi.] Vide ad And. I. 1. 58.

41. Instructa pulchre ad perniciem.] Expreſſum e Plauto, Bacchid. III. 1. 6.

Omnis ad perniciem inſtructa domus *opime atque opipare.*

Ad eundem modum dixit Noſter, Hec. II. 1. 6. *doctae ad malitiam.*

43. Satrapes si fiet.] Σατράπης vox Perſica eſt, origine Hebraea, notans Praeſidem provinciae. Hi vero opulentiſſimi erant, & quaſi

Reguli

Digitized by Google

Amator, nunquam ſufferre ejus ſumtus queat,
Nedum tu poſſis. *Me.* Eſtne ea intus? *Ch.* Sit rogas?
Senſi. namque ei unam coenam atque ejus comitibus
Dedi: quod ſi iterum mihi ſit danda, actum ſiet.
Nam ut alia omittam, pytiſſando modo mihi
Quid vini abſumſit! ſic hoc, dicens; aſperum,

Pater,

CALPHURNII.

45. NEDUM TU POSSIS.] NEDUM, hoc loco negative ponitur: ut, *Non crederem tibi obolum, nedum pro te effunderem ſanguinem.* Jam Chremes Bacchidem credit Cliniae eſſe amicam. Et obſerva Terentianam conſuetudinem, qui inducit nihil ſapere eos qui falluntur. * Eſt argumentum a majori ad minus, nam ſi non poſſit major, idem nec minor.

46. SENSI.] Hoc cum dolore dicere ſolemus in his, in quibus detrimentum ingens paſſi ſumus.

47. ACTUM SIET.] ACTUM EST dicitur de ea re, de qua jam lata ſit ſententia, & eſt verbum deſperantis.

48. PYTISSANDO MODO.] Bene PYTISSANDO. Nam *pytiſſare* proprie eſt parce vinum guſtare, quaſi tentandi gratia. Tale eſt verbum quo [13] Plautus utitur, *cyathiſſo*, tale eſt & *graeciſſo.* PYTISSANDO, id eſt, expreſſis labris expuendo, dum ſaporem vini probat.

49. SIC HOC DICENS, ASPERUM.] Id eſt auſterum. Secundum *Plinium* tria vini ſunt genera, *auſterum*, *dulce*, & *tenue.*

OBSERV. IN CALPH.

13. *Plautus.*] Menaechm. II. 2. 29. Gr. *κυαθίζω.*

COMMENTARIUS.

Reguli in Oriente. De etymo vide Martinium & Voſſium in Etymologia. Non aliter Cicero Fam. XI. 10. *Non, ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.*

45. NEDUM TU POSSIS.] Non fere aliter, quam ei quod minus eſt, additur NEDUM, idque in ſententia negante. Cic. Fam. VII. 28. *Erat enim multo domicilium hujus urbis, cum quidem haec urbs, aptius humanitati, & ſuavitati tuae, quam tota Peloponneſus*, nedum *Patrae.*

SIT ROGAS?] Linacer, SI SIT, ROGAS? h. e. *an ſit.* Ita & Mſſ. quidam, & editi vetuſtiſſimi.

46. SENSI.] Adſcriptum in Codice Bembino: *Cum gemitu pronuncia.*

UNAM EI COENAM, ATQUE EJUS COMITIBUS DEDI.] Cic. Fam. IX. 20. *Sed vide audaciam. Etiam Hirtio* coenam dedi *ſine pavone. Tamen in ea coena cocus meus praeter jus fervens nihil potuit imitari.*

47. QUOD SI ITERUM MIHI SIT DANDA.] Mſſ. quidam: QUOD SI ITERUM SIT DANDUM.

48. PYTISSANDO.] Α᾿ πυτίζω, quod eſt, πτύω, ſit Tarentinorum dialecto, πυτίσσω. Eſt autem *Pytiſſare* vinum guſtandi cauſa ore ſumtum, poſtquam deguſtatum eſt, exſpuere. Quod quum ludicri cauſa faciebant, vel ad metam contingendam ſpuendo, vel e plenis pateris ejiciendo cum ſonitu artificioſo in conviviis, κοτταβίζειν vocabant. Vide omnino Scholia ad Ariſtoph. Εἰρ. 342. Plura larga manu Meurſius, Lipſius, Barthius, dederunt. In Cod. Bemb. adſcriptum: *Expreſſis labris ſpuendo, dum ſaporem vini probat.* Adde Chreſtomathiam Boecleri. Inde porro *Pytiſma*, pro vino ore rejecto dixit Juvenalis XI. 173.

Qui Lacedaemonium pytiſmate *lubricat orbem.*

Sermo eſt de divite, qui orbem ex marmore Laconico factum ejiciendo ore vino lubricum facit. Scaliger *Lacedaemonium orbem* interpretatur pavimentum marmoreum orbibus & figuris ornatis diſtinctum; Salmaſius menſam rotundam e Laconico marmore factam.

49. QUID VINI ABSUMSIT!] Utrumque cum emphaſi. Dixit enim, QUID VINI, ut ſupra II. 3.

Pater, hoc eſt; aliud lenius ſodes vide.
Relevi dolia omnia, omnes ſerias,

Om-

CALPHURNII.

51. RELEVI DOLIA.] Ut inquit [14] *Plinius*, *In Italia reſina vino condendo maxime probatur Brutia: circa Alpes ligneis vaſis condunt, circulisque cingunt. Picantur autem protinus a canis ortu: dehinc perfunduntur marina aqua aut ſalſa, ac levi cinere ſarmenti aſperguntur. Dum igitur vina aperiuntur, dolia relinuntur.* * RELEVI.] Id eſt, perforavi. quae perforatio fieri non poterat, niſi prius auferretur aut lutum, aut limus, aut argilla, aut pix, aut reſina, aut gypſus, quibus linebantur dolia, aut picabantur ſeu incruſtabantur. *Linere* eſt picare, id eſt, pice aliquid linere ſeu ungere, ſeu mavis incruſtare, & alicui rei ſuppoſitum aliquid ſuperducere, ut parietem linimus calce aut gypſo, id eſt, incruſtamus; dolium linimus pice &c. Et quemadmodum retegere ſignificat tegmen auferre, ſic RELINERE ſignificat bitumen amovere, quo aliquid prius linitum erat. Et ita RELEVI DOLIA OMNIA ſignificat, abſterſi lutum vel terram tenacem ab omnibus doliis, ut in ea coena vinum varium apponeretur. Praeter autem praedictam ſignificationem LINERE ſignificat etiam deturpare. Inde *Litura*, *ae*, id eſt, deturpatio facta atramento ducendo lineam per falſa ſcripta, ut fieri ſolet.

OMNES SERIAS.] SERIA, dolium: & proprie vas fictile de limo oblongum. [15] *Perſius*,

Et o ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule!

* Inde *Seriola*. [16] *Perſius*:

Seriolae veteris metuens deradere limum.

OBSERV. IN CALPH.

14. *Plinius.*] Hiſt. Nat. XIV. 20. 15. *Perſius.*] Sat. II. 10. 16. *Perſius.*] Sat. IV. 29.

COMMENTARIUS.

6. QUID RERUM. Tum ABSUMSIT exaggerandi vim habet. Sic And. Prol. 5. *Operam abutitur.* Virg. Aen. I. 555.

Sin abſumta *ſalus.*

SIC HOC.] Κομματος ſignum appoſui poſt haec verba, Faërni auctoritatem ſequutus. Eſt enim mediocriter laudantis formula. Belgice: *Het is zoo en zoo.* Cic. Fam. XV. 21. *Deinde, quod illa ſive faceta ſunt, ſive ſic fiunt, narrante te, venuſtiſſima.* Quae verba longe venuſtiora evadent, ſi ita diſtinguas: *Deinde, quod illa ſive faceta ſunt, ſive* ſic, *fiunt narrante te venuſtiſſima.* Idem Att. XV. 13. *Cautum Marcellum, me* ſic, *ſed non tamen cautiſſimum.*

ASPERUM.] Acerbum, nec ſatis maturum. Cato R. R. 109. *Vinum* aſperum *quod erit*, lene *& ſuave ſi voles facere, ſic facito.* Huic *molle* & *lene* opponitur. Illud σκληρὸν, hoc μαλακὸν οἶνον dixere Graeci. Sic Cicero de Scipione, Orat. pro Murena, 31. Aſperior *non eſt factus, ſed, ut accepi a ſenibus*, leniſſimus.

50. PATER.] Honorifica appellatio, ob aetatem provectam. Horat. Epiſt. I. 6. 54.

frater, pater, *adde:*
Ut cuique eſt aetas, ita quemque facetus adopta.

Idem mos & olim pluſculis gentibus, & nunc familiaris.

VIDE.] Cura praeberi. Cic. Fam. II. 16. *Dolabellae, quod ſcripſi, ſuadeo*, videas. Tuſc. Quaeſt. III. 19. *Demus ſcutellam dulciculae potionis; aliquid* videamus *& cibi.* Vid. And. II. 6. 25. Anteſignanus hanc vim verbi non capiens, haec ita accipit, quaſi non a Bacchide Chremeti, ſed a Chremete Menedemo dicta. Unde diſtinguit: ASPERUM, PATER, HOC EST, ALIUD LENIUS. SODES VIDE, RELEVI DOLIA OMNIA, vertitque: *ceſtuy-cy eſt aſpre, mon pere, l'autre eſt plus delicieux. regardez, je vous prie.* Et in gloſſis: *Je vous parle, Menedemus, conſiderez un peu, quel eſtat elle tient, & combien grande deſpenſe faut que faſſe celuy, qui la veut entretenir.* Neque aliter Fabrini: *O mio padre, queſto e crudo, queſte altro e troppo debole, di gratia vedi.* Oppido eleganter Daciera, niſi quod vim τοῦ SIC neglexit: *En me diſant, celui-ci eſt un peu rude, bon pere, voyez, je vous prie, ſi vous n'en auriez pas de plus doux.*

51. RELEVI DOLIA OMNIA, OMNES SERIAS.] Eugra-

Digitized by Google

Omnes ſollicitos habui: atque haec una nox.
Quid te futurum cenſes, quem aſſidue exedent?
Sic me Dî amabunt, ut me tuarum miſeritum eſt,

Me-

CALPHURNII.

52. SOLLICITOS HABUI.] Variis officiis & miniſteriis diſtractos: nihil ſignificantius dicere potuit. Quid enim aliud eſt *ſollicitare*, quam ſuo loco movere? Solum autem quin ſignificet locum, quis dubitat? quum exules quoque dicantur ex ſolo patriae ſuae pulſi. SOLLICITOS igitur HABUIT omnes domeſticos, qui hinc & inde ad miniſtrandum diſtinabantur.

53. QUEM EXEDENT?] Plus dixit, quam ſi, *cujus res*, dixiſſet.

54. SIC ME DÎ AMABUNT.] Pro *ament*.

UT ME TUARUM MISERITUM EST.] Bene MISERITUM. Nam ſecundum nonnullos, *miſerari* eſt flere & lamentari: MISERERI vero, miſerationes alienis caſibus exhibere.

COMMENTARIUS.

Eugraphius & Diomedes Grammaticus, RELEVI. Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. X. RELEVI OMNIA DOLIA MEA, OMNES SERIAS. Eſt autem *relinere* vaſa, limo, pice, cera obturata ora aperire, *linere*, obturare. Horat. Carm. I. 20. 1.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipſe teſta
Conditum levi.

Et Carm. III. 8. 9.

Hic dies, anno redeunte, feſtus,
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphorae, *fumum bibere inſtitutae*
Conſule Tullo.

Adde Catonem R. Ruſt. capp. 110. 113. & 120. Obſignabantur autem vaſa vinaria, cum ne vinum fugeret aut muceſceret, tum ne furto educeretur a ſervis. Cic. Fam. XVI. 26. *Sicut olim matrem noſtram facere memini, quae lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuiſſe, quae furtim eſſent exſiccatae.* Erant porro *dolia* vaſa majora, *ſeriae* minora. Vide Varr. R. R. 1. & Feſt. & Bayſium de Vaſculis. Suet. Claud. 16. *Uno die viginti edicta propoſuit; inter quae duo, quorum altero admonebat, ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur; altero, nihil aeque facere ad viperarum morſum, quam taxi arboris ſuccum.* Uti vero in *doliis* vinum & oleum, ita in *ſeriis*, quae erant vaſa fictilia, praeter vina etiam ſal & ſalſamenta ſervabantur. Plaut. Capt. IV. 4. 9.

Cocum percontabatur, poſſentne ſeriae *ferveſcere?*

Fabrini SERIAS vertit, *vaſi da vino di terra.* Eſt vero emphaſis in vocibus OMNIA & OMNES; id enim vult Chremes, ſe etiam antiquiſſimos cados ſuae apothecae, atque adeo praeſtantiſſimi vini & optimae notae *dolia releviſſe.* Phaed. IV. 4. 25. Sic Tibull. II. 1. 27.

Nunc mihi fumoſum veteris proferte Falernum
Conſulis, & Chio ſolvite vincla cado.

Quae lectio Achillis Statii. Muretus malebat, *famoſos Falernos.* Joſ. Scaliger,

Nunc mihi, nunc fumos veteris proferte Falernos.

Intelligit autem vinum Opimianum, Plauto *vetuſtate edentulum* dictum.

52. OMNES SOLLICITOS HABUI.] Commotos reddidi, variiſque miniſteriis diſtrictos. Unde & mare aeſtuans *ſollicitum* dicitur. Virg. Georg. IV. 262.

Ut mare ſollicitum *ſtridet refluentibus undis.*

Eſt enim Feſto *ſollicitare, ſolo ciere.* Plaut. Menaechm. IV. 2. 11.

Sollicitos *patronos* habent.

Et verſu 20.

Sicut me hodie nimis ſollicitum *cliens*
Quidam habuit.

Cic. Fam. XIV. 7. *Omnes moleſtias, & ſollicitudines, quibus & te miſerrimam habui.* Eugraphio SOLLICITOS notat *ebrios.* h. e. *ſolo citatos, quod ebriis contingit, quibus non ſunt firma veſtigia.* Credas fere, male ſobrium ſcripſiſſe.

HAEC UNA NOX.] Mſ. Mark. & Boenderm. cum Edit. Anon. HAEC FUIT UNA NOX. Neque adeo opus h. l. adverbialiter capere, quod ſaepicule facit Plautus.

53. QUID TE FUTURUM CENSES.] Sic Phorm. 1. 2. 87. *Quid te futurum eſt?*

Mſſ. quidam, FACTURUM.

QUEM ASSIDUE EXEDENT?] Cujus fortunas omnes abſument. Varro, Ephebo: *Crede mihi, plures dominos ſervi* comedere, *quam canes.*

56. Su-

Menedeme, fortunarum. *Me.* Faciat quod lubet:
Sumat, conſumat, perdat, decretum 'ſt pati:
Dum illum modo habeam mecum. *Ch.* Si certum eſt tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne ſcientem ſentiat te id ſibi dare.
Me. Quid faciam? *Ch.* Quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des: falli te ſinas
Technis per ſervulum. etſi ſubſenſi id quoque,
Illos ibi eſſe, & id agere inter ſe clanculum.

Syrus

CALPHURNII.

56. SUMAT, CONSUMAT, PERDAT.] Quis hoc patre indulgentior? ſed hoc contingere ſolet dum unicus eſt gnatus. SUMAT.] Accipiat. Alias *ſumere* eſt eligere. [17] *Salluſtius in Jugurth. Sumat aliquem ex populo monitorem officii ſui.* PERDAT.] Quod majus eſt, & quod finem conſumendi habet, tertio loco poſuit.

61. PER ALIUM QUEMVIS UT DES.] Quod ſalubrius praeceptum parentibus dari poteſt? Nulla enim re adoleſcentes magis corrumpuntur, quam nimia parentum indulgentia.

62. TECHNIS.] Id eſt fallaciis.

SUBSENSI.] Bene SUBSENSI. [18] Nam SUB, eſt temperamentum plenae pronuntiationis, ut, *ſubtriſtis, ſubridet:* non ad plenum triſtis, aut ridet. Et quum quinque ſint ſenſus: duo ſunt, viſus & auditus, quos nos magis ſenſibiles habemus, quam pecora. *Cicero, Non ſolum videam, ſed etiam audiam.* Duabus ergo rebus ſcimus, aut ratione, aut ſenſu: quibus maxime praeſtamus caeteris animalibus. Ergo ſenex dicit ſe ſenſu ſenſiſſe ſervulos fraudem parare.

OBSERV. IN CALPH.

17. *Salluſtius in Jugurth.*] Cap. 85. 18. *Nam ſubeſt temperamentum.*] Repetita haec e Donato ad And. II. 6. 16.

COMMENTARIUS.

56. SUMAT.] H. e. ſi Guyeto credimus, *ſumat foenori.* Id vero fiebat vulgo clam parentibus. Menedemus autem nondum conſilium ceperat furtim dandi argentum filio. SUMAT igitur de meo, quaſi ſuum; eſt enim meus particeps. Dixitque notabili incremento ἐκ παραλλήλω, SUMAT, CONSUMAT, PERDAT.

59. UT NE SCIENTEM.] Ita edidi, ſequutus auctoritatem Guyeti. Sed & ita eſt in Mſ. Traject. In uno Mſſ. Leidenſium legitur, UT NESCIENTE SENTIAT TE ID SIBI DARI. Vulgo, UT NESCIENTEM SENTIAT TE ID SIBI DARE. Senſus autem eſt, UT NE SENTIAT, TE SCIENTEM ID SIBI DARE.

62. SUBSENSI.] Forte in Menandro fuit, ὑπενόουν.

63. ILLOS IBI ESSE.] H. e. Id agere. Sic infra V. 2. 30. & V. 5. 19. Plaut. Mil. I. 1. 28.

At indiligenter hic eram.

Eadem ratione *Eſſe in aliqua re* quis dicitur, qui intentus eſt rei. Eun. IV. 7. 46. Horat. Epiſt. I. 1. 11.

Quid verum atque decens, curo & rogo, & omnis in hoc ſum.

Et Serm. I. 9. 2.

Neſcio quid meditans nugarum, totus in illis.

ET ID AGERE.] Mſſ. quidam haec ἀνυπόπτως legunt, laudante Guyeto.

64. CONFERUNT CONSILIA.] *Conferre* abſolute, & *conferre conſilia* dicuntur, qui de re quapiam inter ſe agunt. Plaut. Rud. II. 3. 8.

Verum omnes ſapientes decet conferre *& fabulari.*

Liv. II. 45. *Conſules velut deliberabundi* capita confe-

Digitized by Google

Syrus cum illo veſtro conſuſurrat: conferunt
Conſilia adoleſcentes: & tibi perdere
Talentum hoc pacto ſatius eſt, quam illo minam.
Non nunc de pecunia agitur: ſed illud, quomodo
Minimo periclo id demus adoleſcentulo.
Nam ſi ſemel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui,
Quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris!

Tibi

CALPHURNII.

71. Quam abs te amittas filium.] Amittas, pro *dimittas* dixit. Nam quod nos dicimus *dimittere*, antiqui etiam dicebant *amittere*. ut [19] *Virgilius*,

Quiſquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos.

[20] *Salluſtius*, *Pactione amiſſa, publico conſilio.*

72. Ad nequitiam.] Bene de adoleſcente, nequitiam dixit: *nequitia* enim eſt luxus vitae prodigus atque effuſus. [21] *Ovidius*,

Nequitia eſt, quae te non ſinit eſſe ſenem.

OBSERV. IN CALPH.

19. *Virgilius.*] Aeneid. II. 148.
20. *Salluſtius.*] In Fragmentis legitur: *Pactione amiſſo Publio legato.*
21. *Ovidius.*] Faſt. I. 414.

COMMENTARIUS.

conferunt, *diu colloquuntur.* Cic. Att. I. 20. *Si quid res feret, coram* inter nos conferemus. Adelph. III. 2. 1. Cic. Philipp. II. 15. *Cum illo aut ſermones, aut* conſilia contulit *ſaepius*: Homer. Il. A. 537.

συμφράσσατο βουλάς.

Quod & ſimpliciter συμβάλλειν dicunt.

65. Adolescentes] In pleriſque veteribus Libris eſt Adolescentes. Quomodo Muretus exiſtimat ſcripſiſſe veteres, quoties ſecundam vellent productam.

67. De pecunia agitur.] Editiones quaedam vetuſtae, in quibus Juntina & Aldina, non agnoſcunt τὸ de. quod nec in Gambarelli Obſervationibus editum. Mſſ. variant. Cic. pro L. Manil. 2. Agitur *Populi Rom. gloria, quae vobis a majoribus, cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt*: agitur *ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa majores veſtri magna & gravia bella geſſerunt*: aguntur *certiſſima Populi Rom. vectigalia, & maxima: quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis*: aguntur *bona multorum civium, quibus eſt & a vobis, & ipſorum, & reip. cauſa conſulendum.* Sic Phorm. IV. 3. 26.

70. Proditurum te tuam vitam.] Periculo expoſiturum. Ovid. Faſt. IV. 715.

E duce lanigeri pecoris, qui prodidit *Hellen,*
Sol abit.

Ad quem locum vide, quae erudite congeſſit Nob. Heinſius. In Cod. Bemb. adſcriptum: *Minor eſt pecunia, quam vita. Sed in oratione potiora nobis ſunt, de quibus agitur.*

71. Abs te amittas.] Comicum eſt, *amittere*, &, *amittere a ſe*, pro, dimittere. Phorm. III. 2. 22. Vid. Parei Lexic. Plaut. v. *Amittere.* qui ad h. l. citat Donati verba haec: Amittere *pro* dimittere *dixit. nam quod nos dicimus* dimittere, *antiqui dicebant* amittere. Quae ipſiſſima Calphurnii Brixienſis verba ſunt. Niſi Pareus Calphurnii Commentarium Donato tribuit.

72. Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!] Foramen in pariete ſeu muro *feneſtram* dixerunt. Virg. Aen. II. 482.

Tibi autem porro ut non ſit ſuave vivere.
Nam deteriores omnes ſumus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit, pravum an rectum ſiet, quod petet.
Tu rem perire, & ipſum, non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud ilico,
Quo maxume apud te ſe valere ſentiet:
Abiturum ſe abs te eſſe ilico minabitur.

Me.

CALPHURNII.

74. NAM DETERIORES OMNES SUMUS LICENTIA.] Sententia proprie ſeni conveniens. Et DETERIORES, ſignantiſſime protulit. *deteriores* enim homines licentia a bono ad malum vertuntur. Eſt enim pejus a malo, quod in uſu eſt, & creberrime frequentatur: *Deterius* vero, a bono: ut minoris ſit meriti quam quod placet. [22] *Virgilius* tertio Georg.

Deterior donec paulatim ac decolor aetas

76. PUTABIT.] [23] *Putamus* enim inſtantia: *Reputamus* praeterita. PUTARE proprie purgare eſt. Et *arbores* & *vites* dicimur *putare*: hinc *putare* eſt cogitare: quia cogitando ſuperflua mente recidimus. Eſt tamen *putare* ejus, qui ſimplicitate pectoris aberravit. [24] *Cicero*, *Lapſus eſt: non putavit*.

* RECTUM SIT.] Nam, ut inquit [25] *Cicero* ad Herenn. *Rectum eſt, quod cum virtute & officio fit.*

80. MINABITUR.] *Minatur* etiam filius parenti, dum ſe carum animadvertit, & diſceſſum ſimulat.

OBSERV. IN CALPH.

22. *Virgilius tertio Georg.*] E memoria laudavit locum, qui eſt Aeneid. VIII. 326.

23. *Putamus inſtantia.*] Haec repetita e Donato, ad Eun. IV. 2. 4.

24. *Cicero.*] Orat. pro Ligar. cap. 10.

25. *Cicero ad Herenn.*] Lib. III. cap. 2.

COMMENTARIUS.

Ingentem lato dedit ore feneſtram.

Phaed. I. 13. 3.

Cum de feneſtra *corvus raptum caſeum*
Comeſſe vellet.

Ad quem locum vide Scheſſerum. Sed Heinſii *caniſtro* laudat Vir Cl. Petrus Burmannus, nullus dubitans, emendationem hanc eſſe optimam. Uti autem edulia & coenarum reliquias in *caniſtris* repoſitas fuiſſe certum eſt, ita *caniſtra* illa corvorum furto & rapinae fuiſſe expoſita, non aeque conſtat. Intellexerim igitur de una feneſtrarum, quibus ſeu caſeale, ſeu taberna caſcaria fuerit inſpirata. Unde apta corvo rapiendi caſei potuit eſſe nata occaſio, praeſertim ruri. Eodem ſignificatu Graecorum θυρὶς venit. Sic Act. Apoſt. XX. 9. Καθήμενος δὲ τις νεανίας ὀνόματι Εὔτυχος ἐπὶ τῆς θυρίδος, καταφερόμενος ὕπνῳ βαθεῖ. Et 2. Corinth. XI. 33. Καὶ διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην διὰ τοῦ τείχους. Juvenali I. 104. *molles in aure feneſtrae* ſunt aurium foramina, geſtandis inauribus. Integram autem locutionem Terentianam imitatus Tiberius, apud Suet. Tib. 28. *Si hanc* feneſtram aperueritis, *nihil aliud agi ſinetis*. Plin. l. Epiſt. 18. *Proſpere ceſſit: atque adeo illa actio mihi aures hominum*; *illa* januam *famae* patefecit. Dixit autem NEQUITIAM pro nimia prodigalitate. Unde in Interdicto Praetoris erat haec formula: *Quia tu* nequitia *bona avita & paterna perdis*. Poſſit & pro ipſa libidine accipi. Ovid. Heroid. XVII. 29.

Quae tua nequitia *eſt, non his contenta fuiſſet.*

73. TIBI AUTEM.] Elegans hic verſus Guyeto ut ſpurius expungitur.

74. DETERIORES OMNES SUMUS LICENTIA.] Intel-

Me. Videre verum, atque ita uti res eſt, dicere.
Ch. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quaero, tibi qui filium reſtituerem.
Me. Cedo dextram: porro te idem oro ut facias, Chreme.
Ch. Paratus ſum. *Me.* Scin', quid nunc facere te volo?
Ch. Dic. *Me.* Quod ſenſiſti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare,
Quod volt: cupio jam videre. *Ch.* Operam dabo.

Syrus

CALPHURNII.

83. Qui.] Quomodo: & eſt ſermo comicus.

Restitueram.] [26] *Redditur* cupientibus, ut domino ſervus. *Reſtituitur* cupiens, ut patriae civis. Et *redditur* & *reſtituitur* cupiens cupientibus: ut patri filius.

* 84. Cedo dextram.] Cedo eſt verbum defectivum duas tantum perſonas habens ſecundas in ſingulari & in plurali, quod ſignificat, *Da* vel *Date*. Probat [27] Nonius, nitens dicto Enniano, cujus haec verba ſunt: *Cedite manus veſtras, meaſque accipite, & junctis manibus confirmetur foedus.* Quod exemplum clarius poſſit adduci illo: *cedo* igitur *dextram*. nos enim aut oraturi aut confirmaturi quicquam alicui ejus dextram poſcere ſolemus.

OBSERV. IN CALPH.

26. *Redditur cupientibus.*] Confer Donat. ad Eun. I. 2. 67.

27. Nonius.] Is in v. *Cette* ita citat Ennium:

ſalvete optima corpora,
Cette manus veſtras, meaſque accipite.

Fragmentum eſt e Medea. Unde reliqua petita ſint, non liquet. Niſi forte Calphurnii verba ſunt: *Et junctis manibus confirmatur foedus.*

COMMENTARIUS.

Intelligitur *procax libertas*. Phaed. I. 2. 2. quae Horatio *laſciva licentia* dicitur, Carm. I. 19. 3. ubi Scholiaſtes legit: Corruptiores sunus omnes licantia. E corrupto, ut videtur, Codice.

76. Pravum an rectum.] Oppoſitio uſitata. Phorm. V. 2. 6.

77. Rem perira.] Intelligit rem familiarem. Plaut. Aul. II. 4. 21.

Suam rem periiſſe, *ſeque eradicarier.*

78. Dare denegaris.] Mſ. Mark. Dare si danagaris. Alii, Daneoaeis.

Ibit ad illud.] Mſ. Lipſ. Ibit ad illum ilico, qui. Edit. Anon. Ibit ad illum ilico, quem.

80. Minabitur.] Mſ. Lipſ. Minitabitur.

82. Somnum hercla ago hac nocta oculis non vidi meis.] Ovid. Heroid. XVIII. 27.

His ego, *ſi* vidi *mulcentem pectora* ſomnum
Noctibus.

Macrob. Saturn. VII. 3. *Vigilantiſſimus eſt Conſul noſter, qui in conſulatu ſuo* ſomnum non vidit. Fortaſſis ſcripſerat Menander: ὕπνον οὐχ ἑώρακα. Ariſtoph. Veſp. 91.

Ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασπάλην.

Noctuque ſomni ne quidem ciccum videt.

Non abhorret phraſis ſacra, Gen XXXI. 40.

83. Dum id quaero.] Acidalius ad Vellej. Patereulum II. 37. teſtatur, in veteri Codice Pariſienſi ſcriptum inveniri, dum id quaeso.

Restituerem.] Vix Latinitatem tuetur. Malim igitur, Restituam. quod eſt in quibuſdam Mſſ. & impreſſis vetuſtiſſimis.

84. Cedo dextram.] Formula foedus & amicitiam pangentium. Serv. ad Virg. VII. 266.

86. Incipare fallere.] Mſ. Mark. & editio Anonyma, Incipere velle fallere.

87. Maturent.] Quod celeriter, ſed ordine fit, *maturatur*; quod tumultuoſe, *feſtinatur*. Supra I. 1. 73.

89. Pre-

Syrus eſt prehendendus, atque adhortandus mihi.
A me neſcio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere ſentiant.
Paullum negoti mihi obſtat: Simus, & Crito
Vicini noſtri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,
Operam daturum me, hodie non poſſe his dare.
Continuo hic adero. *Me.* Ita, quaeſo. Dî voſtram fidem!

Ita

CALPHURNII.

89. APPREHENDENDUS.] In And. *Tuus pater me modo apprehendit.* * PREHENDENDUS.] Deeſt AD. Sed ideo praetermiſit, quia dicturus erat, ADHORTANDUS.

94. ME CEPERE ARBITRUM.] ARBITER dabatur his, qui de finibus regendis ambigerent. Dicitur enim ARBITER judex: quod totius rei habeat arbitrium & facultatem. * [28] *Boëthius: Regendorum finium arbitri eſſe dicuntur, qui finalia litigia diſcernunt. Ut ſi fuerit orta contentio de finibus, eorum dirimatur arbitrio.* CEPERE.] Id eſt, elegerunt. ut *Cicero: Aut capiendus auxilio locus.*

* 96. ITA, QUAESO.] Dictum abeunte Chremete.

OBSERV. IN CALPH.

28. *Boëthius.*] Commentario IV. in Ciceronis Topica, pag. 74. edit. Baſil. 1541.

COMMENTARIUS.

89. PREHENDENDUS.] Mſſ. & editi quidam, APPREHENDENDUS. h. e intercipiendus, appellandus. Sic And. II 2. 16. Phorm. IV. 3. 15. Neque audiendus Guyetus, cui PREHENDENDUS valet, rogandus & ambiendus, ſcilicet quia id *prenſare* dixerunt. Hic de ſervo currente ſermo eſt, ut & locis duobus, quos laudavi. Tum Syrus ideo PREHENDENDUS, quia ADHORTANDUS. In Cod. Bembi adſcriptum, *deeſt* AD. *ſed ideo praetermiſit, quia dicturus erat,* ADHORTANDUS. Quae ipſiſſima Calphurnii verba ſunt.

91. NOS INTER NOS CONGRUERE.] Plaut. Curc. II. 2. 14.

Sane illi inter ſe congruunt *concorditer.*

Habet autem τὸ CONGRUERE penultimam productam, ob metrum. Vide Muretum. Ergo Valla immerito ſollicitat τὰ, NOS INTER NOS.

92. PAULLUM NEGOTI.] Mſſ. quidam, PAULLUM HOC NEGOTI.

93. AMBIGUNT DE FINIBUS. ME CEPERE ARBITRUM.] Cic. de Leg. I. 21. *Ex hac autem non rerum, ſed verborum diſcordia, controverſia nata eſt de Finibus: in qua quoniam uſucapionem XII tabulae inter quinque pedes eſſe voluerunt, depaſci veterem poſſeſſionem Academiae ab hoc acuto homine non ſinemus: nec Manilia lege ſinguli, ſed ex iis tres arbitri fines regemus.* Suet. Oth. 4. *Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, totum agrum redemit, emancipavitque.* Adde Tit. Cod. Fin. regend. Spatium vacuum quinque pedum Deo Termino adſignabatur. De quo Ovid. Faſt. II. 641. Tibull. I. 1. 11. ſeqq. aliique. Lites autem hae raro deferebantur ad judicem, ſaepius ad arbitrum, i. e. vicinum, qui conſenſu utriuſque partis *capiebatur*, h. e. eligebatur; quanquam alter proprie dicebatur *ferre*, alter *capere* arbitrum. Adelph. I. 2. 43. Virg. Ecl. III. Palaemon eſt arbiter inter Damoetam & Menalcam vicinos Amoebaei carminis lege certantes.

97. ITA COMPARATAM ESSE HOMINUM NATURAM OMNIUM.] Quod hic emendat Guyetus, ITA COMPARATUM ESSE HOMINUM NATURA OMNIUM, ſi cum ſequentibus connectas, vix Latinitatem

Digitized by Google

Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant, & dijudicent,
Quam ſua? an eo ſit, quia in re noſtra, aut gaudio
Sumus praepediti nimio; aut aegritudine?
Hic mihi quanto nunc plus ſapit, quam egomet mihi!
Ch. Diſſolvi me, otioſus operam ut tibi darem.

CALPHURNII.

98. ALIENA MELIUS UT VIDEANT, ET JUDICENT QUAM SUA.] Huic illud [26] Cic. libro primo Officiorum contrarium eſt: *Eſt enim difficilis cura rerum alienarum: quanquam Terentianus ille Chremes, humani nihil a ſe alienum putat. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque ſentimus, quae nobis ipſis aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quam illa, quae caeteris: quae quaſi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus.*

* 102. DISSOLVI.] Excuſavi. quaſi qui foret promiſſione ligatus ſua.

OBSERV. IN CALPH.

26. *Cic. Libro primo Officiorum.*] Cap. 9.

COMMENTARIUS.

tinitatem tuebitur. Neque adeo haec lectio Faërno, qui eam primus docuit Guyetum, ſatis ſe adprobat. Et Lactantium legiſſe, COMPARATAM NATURAM, obſervat Farnabius. Sed & Cl. Graevius vulgatam lectionem tuetur ad Cic. Fam. VI. 4.

98. ALIENA UT MELIUS VIDEANT.] Intelligant. And. IV. 3. 23. Cic. Fam. X. 26. *O mi Furni, quam tu cauſam tuam non noſti, qui alienas tam facile diſcas!* Phaed. IV. 9. 4.

Hac re videre *noſtra mala non poſſumus.*

Cic. Tuſc. III. 30. *Eſt enim proprium ſtultitiae, aliorum vitia* cernere, *oblivisci ſuorum.* Menander:

Οὐδεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.

DIJUDICENT.] Mſſ. & editi quidam vetuſti, cum Calphurnio, JUDICENT.

99. AN EO FIT.] Sane idem amori & benevolentiae accidit. Cic. pro Coel. 19. *Inerat, niſi me propter benevolentiam forte fallebat, ratio & bonis artibus inſtituta, & cura & vigiliis elaborata.* Plin. IV. Epiſt. 27. *Aliquot annis, puto, nihil generis ejuſdem abſolutius ſcriptum, niſi forte me fallit aut amor ejus, aut quod me ipſum laudibus evexit.*

102. DISSOLVI ME, OTIOSUS OPERAM UT TIBI DAREM.] Sic infra IV. 3. 43. & Phorm. I. 2. 37. Mſſ. Boecleri omnes, Boenderm. & Mark. cum edit. anonyma, anni 1481. & Juntina, & Rob. Steph. OCIOS. Injurius autem in Terentium eſt Guyetus, verſum hunc expungens, ut addititium. Si enim rem recte putes, appoſitiſſimus eſt, cauſamque in eo reddit Chremes, quare tam cito redeat. Neque in Latinitate quidquam deſideratur. Sic Plaut. Merc. I. 2. 54.

Obſecro, diſſolve jam me; *nimis diu animi pendeo.*

Dacieria, OPERAM UT HUIC DAREM, edidit, quaſi de Menedemo, non ad Menedemum.

Digitized by Google

ACTUS TERTII

SCENA SECUNDA.

SYRUS. CHREMES.

Sy. HAc illac circumcurſa: inveniendum 'ſt tamen
Argentum: intendenda in ſenem eſt fallacia.
Ch. Num me fefellit, hoſce id ſtruere? videlicet

Ille

CALPHURNII.

1. HAC ILLAC CIRCUMCURSA.] *Jucundus error, in quo herus a ſervo decipitur, quem credit alteri fallaciam intendere, dum ſibi tenditur: & ſit eum aggreditur de fallacia in alterum.* * HAC ILLAC.] Hoc dicit ſervus admonens ſe ipſum.

2. INTENDENDA.] Verbum a venatoribus tranſlatum, qui retia *intendant* ad feras capiendas. Quia ergo parat ſenem fallere, INTENDENDA dixit. Vel a ſagittis atque arcu.

IN SENEM.] Cum ſtomacho ſervili, SENEM dixit. In Andria, *Quantum intellexi modo ſenis ſententiam.*

3. NUM ME FEFELLIT.] Idem ſuperius. *Etſi ſubſenſi id quoque, illos ibi eſſe.* Et hic eſt error, credi ſenem Menedemum, dum Syrus de Chremete ipſo intelligit.

COMMENTARIUS.

1. INVENIENDUM 'ST TAMEN ARGENTUM.] Vereor, ut ſatis intellexerit Guyetus vim locutionis integrae, τὸ TAMEN mutans in ENIM. Aut enim ſenſus eſt, Tu hac illac circumcurſita ſane, alias res agendo, argentum tamen inveniendum eſt. Et poterat nullo ſenſus damno abeſſe τὸ TAMEN. Sic Martial. II. 59. 3.

Frange toros: pete vina: roſas cape: tingere nardo:
Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.

Aut TAMEN valebit *Tandem*, h. e. poſtquam omnia ſum expertus. Sic Propert. II. 5. 5.

Inveniam tamen *e multis fallacibus unam,*
Quae fieri noſtro carmine nota velit.

Ovid. Metam. II. 337.

Repperit oſſa tamen *peregrina condita ripa.*

2. INTENDENDA IN SENEM EST FALLACIA.] Dum SENEM dicit, inſcius Chremetem in errorem inducit, de Menedemo intelligentem, quod de ſemet dictum erat. Proprie vero machinae bellicae *intenduntur* in arces & oppida oppugnanda. Sic Plaut. Capt. III. 3. 15.

Niſi ſi aliquam corde machinor aſtutiam.

Bacchid. IV. 4. 58.

De ducentis nummis primum intendebam *baliſtam in ſenem.*

Curt. VII. 5. 21. *Adſumtis octo fortiſſimis juvenibus, talem* dolum intendunt. Vel poſſit metaphora deſumta videri a retibus, quae funibus tenduntur ab aucupe. Sic Phorm. II. 2. 16. Atque adeo quia fallaciam portare & verba dare ſeni difficile erat, *intendenda in eum* videbatur *fallacia.* Unde & *expugnari* quis dicitur, a quo vix tandem quid obtinetur.

3. NUM ME FEFELLIT?] H. e. Num falſus fui? Id vult, verum ſe fuiſſe, qui dixerit, hoſce id ſtruere. Dixit autem Menedemo ſupra III. 1. 62. ſeqq. Cic. Philipp. II. 36. *Num me igitur fefellit?* Mſ. Mark. Boenderm. & Leidenſes tres cum edit. anonyma: NON ME FEFELLIT. Mſ. Traject. NON ME FEFELLIT, HOSCE INSTRUERE.

HOSCE ID STRUERE?] Ἀλληγορεῖ. qui enim fallaciam intendit, idem fabricam ſtruit, ſeu fingit, quod eſt verſu 34.

4. TAR-

Digitized by Google

Ille Cliniae ſervus tardiuſculus eſt:
Idcirco huic noſtro tradita 'ſt provincia.
Sy. * Quis hic loquitur? perii! numnam haec audivit? *Ch.* Syre,
Sy. Hem!
Ch. Quid tu iſtic? *Sy.* Recte equidem. ſed te miror, Chreme,
Tam mane, heri qui tantum biberis. *Ch.* Nihil nimis.
Sy. Nihil narras? viſa vero 'ſt, quod dici ſolet,
Aquilae ſenectus. *Ch.* Eia! *Sy.* Mulier commoda, &

Face-

CALPHURNII.

5. Provincia.] Onus dicitur cujuſlibet rei gerendae. Nam acquiſitae bello longe ab Italia regiones, provincias dictae ſunt, a *porro*, vel a *procul vincendo:* ad quas Praetores, quia cum officio mittebantur, officia quoque provinciae nominantur.

7. Recte.] Joco vult Syrus deflectere orationem in aliud, & ſubterfugere heri reprehenſionem.

* 8. Tam mane.] Ἔλλειψις. deeſt, *vigilare*, aut tale quid.

10. Aquilae senectus.] [1] *Plinius* lib. 10. Natur. Hiſtoriae, de aquilis haec refert, *Oppetunt non ſenio, nec aegritudine, ſed fame, in tantum ſuperiore accreſcente roſtro, ut aduncitas aperiri non queat.* Igitur aquila, tantum in ſenectute bibit, vel de praeda ſanguinem ſugit: ex quo proverbium in ſenes, qui plus bibunt, quam comedunt.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Plinius Lib.* 10. *Nat. Hiſt.*] Cap. 3.

COMMENTARIUS.

4. Tardiusculus est.] Ergo non omnino *fatuus*, *inſulſus*, *tardus*, quod de Thraſone praedicat Gnatho, Eun. V. 9. 49. Et eleganter ad ingenium refertur. Sic Cic. L. Agrar. III. 2. *Sed quem veſtrum tam* tardo ingenio *fore putavit?* Eadem autem ratione, *grandiuſcula* And. IV. 5. 19. *majuſcula* Eun. III. 3. 21. *meliuſcula* Hec. III. 2. 19. dixit. Uti autem h. l. Dromo *tardiuſculus* prae callido Syro, ita in Andria prae Davo Byrrhia.

5. Huic nostro tradita 'st Provincia.] Magnifice, quaſi de munere provinciae adminiſtrandae. Vid. Phorm. I. 2. 22. Dicitur vero & provincia omne negotium, etiam urbanum, ſed & privatum. Plaut. Caſ. I. 1. 15.

Abi rus, abi directus tuam in provinciam.

Sic verſu 22.

Rure incubabo uſque in praefectura *mea.*

Pſeud. I. 2. 25.

Te, cum ſecuri, caudicali praeficio provinciae.

Cic. pro Coel. 27. *Hoc fuit totum conſilium mulieris, haec iſtorum* provincia.

7. Recte equidem.] Obſervat Donatus, ita loqui ſolere, qui ſine injuria interrogantis aliquid reticent. Certe ita Adelph. IV. 5. 29. Hec. III. 2. 20. Plaut. Merc. II. 3. 33.

Unde incedis? quid feſtinas? gnate mi. Ch. Recte, [pater.

Pro eodem reſpondebant etiam, *bene*. Plaut. Bacchid. I. 1. 6.

Quid in concilio conſuluiſtis? Ba. Bene.

Mſſ. quidam, Recte quidem.

Miror.] Libri quidam Mſſ. & impreſſi, Demiror.

8. Heri qui tantum biberis.] Scilicet in feſto Dionyſiorum, ſupra I. 1. 110. quando ſolebant vino largiter uti. Edit. anni 1469. biberas.

10. Aquilae senectus.] Ἀετοῦ γῆρας. Varie accipiunt Interpretes. Eraſmo in Chiliad. eſt *vivida viridiſque ſenecta.* Scilicet aquilae quaſi renovare vires in ſenectute dicuntur. Vid. Pſalm. CIII. 5. & Eſaj. XL. 31. Quae loca oppido erudite explicat Sam. Bochartus, Hieroz. P. II.

Faceta, haec meretrix. *Ch.* Sane, idem viſa 'ſt mihi.
Sy. Et quidem hercle forma luculenta. *Ch.* Sic ſatis.
Sy. Ita non ut olim, ſed uti nunc, ſane bona:
Minimeque miror, Clinia hanc ſi deperit.
Sed habet patrem quemdam avidum, miſerum, atque aridum,
Vicinum hunc: noſtin'? at quaſi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.

Scin'

CALPHURNII.

medunt. * ² *Plinius* de ebrio inquit: *Hinc pallor & genae pendulae, oculorum ulcera, tremulae manus.* Divus *Hieronymus* de aquila inquit: *Aquila cum ſenuerit, gravantur ipſius pennae & oculi, quaeritque fontem & erigit pennas, & colligit in ſe calorem, & ſic oculi ejus ſanantur, & in fontem ſe ter mergit, & ita ad juventutem redit.*

EIA!] EIA interdum hortantis eſt, nunc correctionem ſignificat.

MULIER COMMODA.] A commendatione meretricis incepit, ut melius perſuadeat Cliniam deperire hanc, cum ſit amica Clitiphonis.

11. FACETA.] Bene de meretrice FACETA dixit. ³ Nam *facetus* eſt, qui facit verbis quod vult. Poteſt etiam referri ad formam corporis, ut ſignificatio vocabuli indicat.

13. ITA NON UT OLIM.] Praeterita ſemper praeſentibus praeferuntur, & magis commendantur.

* 14. DEPERIT.] Id eſt, ardenter amat. Nam amator ejus amore, quam amat, *perire* dicitur. Nam *perditus eſt*, qui inſano eſt captus amore. Inde dicimus, *deperio illam.*

15. ARIDUM.] Tranſlatio a terra, quae nihil profert.

17. PROFUGIT.] Superius, *In Aſiam ad regem militatum abiit.* Hinc *profugus* dictus proprie, qui procul a ſedibus ſuis vagatur.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Plinius de ebrio inquit.*] Nat. Hiſt. XIV. 22.

3. *Nam facetus eſt.*] Repetita haec e Donato, ad Eun. III. 1. 37.

COMMENTARIUS.

Lib. II. cap. 1. Utcunque, madeſcere volebant, cogitantes Antiphanis illud: *Τὸ δὲ ζῆν, εἰπέ μοι, τί δ' ἐστί; τὸ πίνειν γε, φημ' ἐγώ.* Non igitur aeque modice vinum, atque cibum ſumebant. Porro de aquilis, quae roſtro per ſemium adunco, praedae carnibus veſci cum nequeant, ſanguinem exſugant, eoque victitent, conſule Hiſtoriae Animalium Scriptores.

MULIER COMMODA.] Cic. Verr. II. 78. *At homo inertior, ignavior, magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula proferri non poteſt. At mores* commodi. *Quis contumacior?* Eſt igitur *commodus* qui novit accommodare ſe alteri. Cujus contrarium eſt *inhumanus.* Cic. Lael. 15. *Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea* commodis *fuerunt moribus, imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari.* Idem pro Murena, 31. *Quemquamne exiſtimas Catone, proavo tuo,* commodiorem, *comiorem, moderatiorem fuiſſe, ad omnem rationem humanitatis?* Eſt autem τὸ MULIER h. l. vox biſyllaba. Sic Enn. Annal. IX.

Si mulier erubuit cum lacte & purpura miſta.

citante Feſto.

11. FACETA.] Refertur paſſim ad ipſa dicta. Juvenal. IX. 10.

conviva joco mordente facetus,
Et ſalibus vehemens intra pomoeria natis.

Cic. Off. I. 29. *Multaque multorum* facete *dicta: ut ea, quae a ſene Catone collecta ſunt, quae vocant ἀποφθέγματα.* Adde Donatum ad Eun. III. 1. 37. Infra autem III. 3. 38. de eadem Bacchide idem Syrus:

Peſſi-

Scin' eſſe factum, ut dico? *Ch.* Quid ego neſciam?
Hominem piſtrino dignum. *Sy.* Quem? *Ch.* Iſtunc ſervolum
Dico adoleſcentis. *Sy.* Syre, tibi timui male.
Ch. Qui paſſus eſt id fieri. *Sy.* Quid faceret? *Ch.* Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde eſſet adoleſcenti, amicae quod daret:

Atque

CALPHURNII.

19. Hominem pistrino dignum.] Ambigue, an de Dromone, an de Syro, a quo bene annotarentur ſenum vitia. Et ſecum haec dixit.

20. Syre, tibi.] Et hic ſecum. * Id eſt, ne quid mali accideret tibi, nam jam mihi neſcio quid praeſagit animus mali.

COMMENTARIUS.

Peſſima haec eſt meretrix.
Mſſ. & editi quidam: Faceta haec est meretrix.

Sane, idem visa 'st mihi.] Varie haec leguntur. Expreſſi autem editiones Rob. Stephani & Aldi cum anonyma. Juntina, Ch. Sane idem visa est tibi. Aliae, Ch. Sane. Sy. Idem visa est tibi? Mſſ. plurimi firmant lectionem, quam exhibeo. Praeter rationem autem Guyetus τὸ sane non Chremeti tribuit, ſed Syro. Licet enim formam minus, certe quidem conſuetudinem & vitae rationem non minus quam Syrus, laudat Chremes, dum ait: idem visa est mihi. h. e. commoda et faceta. Tum τὸ sane vix occurrit in fine ſententiae.

12. Forma luculenta.] Quodcunque ſplendore ſuo oculos ferit, *luculentum* dicitur. Unde de quavis re pulchra uſurpatur. Sic *luculentum diem*, *aedificium*, *opſonium*, Plautus dixit.

Sic satis.] Formula mediocriter laudandi. quomodo & Mſſ. quidam legunt infra IV. 5. 22. ubi vulgo, Si scias. Quoties vero sic additur alteri adverbio, ejus ſignificatum quodammodo imminuit. Phorm. I. 2. 95. Ubi, ſi diviſim legas, Sic, tenuiter, favebit explicationi loci ſuperioris, III. 1. 49.

13. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona.] Dicit, formam imminutam quidem, ſeu immutatam, ſupra II 4. 10. ita tamen, ut etiam tum luculenta eſſet, & ſane bona. Vel poſſit Syrus comparationem inſtituere inter formas, quae olim fuerint, & quae nunc ſint. q. d. *Ita non eſt forma Bacchidis, fateor, ut olim erant formae, ſed tamen ſane bona, ut nunc ſunt formae.* Ita cepit Fabrini, vertens: *Ella è in verità bella, ma non bella, come ſolevano eſſer già anticamente le donne, ma come elle ſono ora.* Cic. Att. XIV. 16. *Nunquam ille mihi ſatis laudari videbitur, quum ita laudabitur:* Quomodo nunc eſt. *Non eſt fidentis hoc teſtimonium, ſed potius timentis.* Idem Fam. IV. 9. *Deinde non habet*, ut nunc quidem eſt, *id vitii res.* Illa igitur, uti nunc, accedunt proxime ad Homericum illud Il. E 304. Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. Eadem ratione *nunc-homines* dixit Plautus, Perſ. III. 1. 57.

15. Avidum.] Mſ. Mark. & Boenderm. Hominem avidum. Plaut. Perſ. II. 3. 14.

Nam id demum lepidum eſt; triparcos homines, vetulos, avidos, aridos.

Eſt vero Avidus undique corradens pecuniam. Eun. I. 2. 51. Miser, qui cum habeat, uti non audet. Horat. de Arte 170.

Quaerit, & inventis miſer *abſtinet, & timet uti.*

Denique Aridus eſt tenax, nec ulli quidquam largiens. Plaut. Aul. II. 4. 18.

Pumex non eſt aeque aridus, *atque hic eſt ſenex.*

Perſ. I. 1. 42.

Nam tu aquam a pumice nunc poſtulas,
Qui ipſus ſitiat.

16. Quasi is.] Mſſ. quidam, Quasi si is.

19. Hominem pistrino dignum. Sy. Quem?] Recte interrogat Syrus. Poterat enim ambiguum videri, de Menedemo loqueretur, an de filio, an denique de alio quodam. Sic And. V. 2. 20.

Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
Dr. *Quem?*

h. e. Chremetemne, an Davum?

20. Timui male.] Plaut. Curc. V. 3. 6.

Peſſume metui.

24. Dif-

Atque hunc difficilem invitum ſervaret ſenem.
Sy. Garris. *Ch*. Haec facta ab illo oportebant, Syre.
Sy. Eho! laudas quaeſo, heros qui fallunt? *Ch*. In loco
Ego vero laudo. *Sy*. Recte ſane. *Ch*. Quippe quia
Magnarum ſaepe id remedium aegritudinum 'ſt:
Huic jam manſiſſet unicus gnatus domi.
Sy. Jocon' an ſerio illaec dicat, neſcio:
Niſi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
Ch. Et nunc, quid exſpectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare hujus ſumtus non queat?

Non-

CALPHURNII.

* 24. DIFFICILEM.] Moroſum.

SERVARET SENEM.] Bene SERVARET, dixit, de eo qui penitus ſe perderet, & continuis excruciaret laboribus.

26. EHO! QUAESO.] EHO, modo interjectio eſt interrogantis: alias admirantis: alias ad ſe vocantis.

* IN LOCO.] Opportune.

28. QUIA MAGNARUM SAEPE ID REMEDIUM AEGRITUDINUM 'ST.] Ipſum fallere in tempore, ª quidam de officiis ſcribentes, rectum putaverunt. * Nam Medici aegrotos ſaepe fallunt.

* 31. QUO LUBEAT MAGIS.] Id eſt, magis placeat heros a ſervis decipi, quod ut viderit, ſaeviat in me, & me in piſtrinum dedat.

OBSERV. IN CALPH.

ª. *Quidam de officiis ſcribentes.*] Abr. Wielingius legit: *Quod quidam de officiis ſcribentes.* Poſſit vero vulgata lectio manere, ſi praecedentis, *Ipſum fallere in tempore*, non ſubaudiantur ad verba Chremetis, ſed tantundem valeant, ac ſi ſcripſiſſet Interpres, τὸ *Fallere in tempore.* quod equidem malim.

COMMENTARIUS.

24. DIFFICILEM.] Moroſum. Nepos Att. 5. *Habebat avunculum Q. Caecilium, equitem Rom. L. Luculli, divitem,* difficillima *natura.* Cic. Nat. Deor. III. 29. *Ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore ſummo, ſummaque inopia ſuave eſſe dicit:*

Parentem habere avarum, illepidum, in liberos
Difficilem, *qui te nec amet, nec ſtudeat tui.*

SERVARET SENEM.] Duplicem interpretationem dat Anteſignanus, quarum prior eſt: *Qu'il eut diligemment prins garde à ce vieillard difficile, qui fait toutes choſes à regret, ou juſques à tant, qu'il l'eut trompé, maugré qu'il en eut eu.* Quo ſenſu Horatius de Arte 467.

Invitum *qui* ſervat, *idem facit occidenti.*

Altera, quae magis ſeſe adprobat: *Qu'il eut ſauvé ce vieillard faſcheux maugré ſoy: lequel eſt maintenant comme perdu & ruiné, à cauſe de gros deſpens, que luy faudra faire, pour entretenir ceſte femme, laquelle deſpuis ce temps-là eſt devenue exceſſivement ſomptueuſe.* Hinc explicationem fulcient, quae ſequuntur, MAGNARUM SAEPE ID REMEDIUM AEGRITUDINUM 'ST. JAM HUIC MANSISSET UNICUS GNATUS DOMI.

25. OPORTEBANT.] Vide ad And. III. 2. 1.

26. IN LOCO.] Opportuno tempore. Adelph. II. 2. 8. Cicero paſſim. Horat. Carm. IV. 12. 28.

Dulce eſt deſipere in loco.

27. QUIA.] Abeſt a Mſ. Markiano. In quibuſdam Libris eſt, QUIPPE QUI. Unde in Codice Bembi adſcriptum: *parelcon. abundat* QUI.

28. MAGNARUM SAEPE ID REMEDIUM AEGRITUDINUM 'ST.] Sic Syrus putat rationes,

Adelph.

Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit? *Sy.* Stolidus eſt.
Ch. At te adjutare oportet adoleſcentuli
Cauſa. *Sy.* Facile equidem facere poſſum, ſi jubes:
Etenim quo pacto id fieri ſoleat, calleo.
Ch. Tanto hercle melior. *Sy.* Non eſt mentiri meum.
Ch. Fac ergo. *Sy.* At heus tu! facito dum eadem haec memineris,
Si quid hujus ſimile forte aliquando evenerit,
Ut ſunt humana, tuus ut faciat filius.
Ch. Non uſus veniet, ſpero. *Sy.* Spero hercle ego quoque.
Ne-

CALPHURNII.

34. ALIQUAM FABRICAM.] Tranſlatio ab his, qui expugnaturi oppida, machinamenta belli ad id praeparant.

STOLIDUS EST.] Superius, *Ille Cliniae ſervus tardiuſculus eſt.* Et proprie STOLIDUS, eſt, qui proxime accedit ad naturam ſenſumque pecudum.

37. CALLEO.] Id eſt, callide ſcio.

* 38. NON EST MENTIRI MEUM.] In promiſſione dicit, non in fallendo.

39. AT HEUS TU!] Jam providet fallaciae, quam mente conceperat: quo facilius mereatur veniam, ſi quid ſtruxerit in herum.

COMMENTARIUS.

Adelph. II. 2. 8.

30. JOCON' AN SERIO.] Haec ſervus ad ſpectatores converſus loquitur.

ILLAEC DICAT.] Mſ. Boenderm. & Lipſ. ILLE HAEC DICAT. Edit. anon. ILLE ILLAEC DICAT.

32. QUID EXSPECTAT, SYRE? AN DUM HINC DENUO ABEAT, QUUM TOLERARE HUJUS SUMTUS NON QUEAT?] Ita intellige, EXSPECTAT Dromo, ABEAT Clinia, HUJUS Bacchidis, QUEAT Menedemus. Alii: NEQUEAT. Salluſt. Catil. 24. *Ingentes* ſumtus *ſtupro corporis* toleraverat.

34. AD SENEM ALIQUAM FABRICAM FINGIT?] Dolum, fallacias contra herum. quae locutio Plauto familiaris. Vid. Parei Lexic. Plaut. Cic. Nat. Deor. III. 29.

Neque quo pacto fallam, neque quid inde auferam,
Nec quem dolum ad eum, aut machinam commo-
Scio quidquam. [*liar*,

Lepide autem Chremes dolis inſtruit ſervum contra ſeſe, quum Menedemo crederet inſidias fieri.

STOLIDUS.] Germina e radicibus naſcentia *ſtolones* vocant; qui quod inutiles ſunt & nullius frugis, inde *ſtolidi* & ſtulti dicti. Voſſ. Etymolog.

38. TANTO HERCLE MELIOR.] Formula laudandi alterum. Plaut. Truc. V. 61. Perſ. II. 5. 25. Phaed. III. 5. 3. Quinctil. Inſtit, VIII. 2. Petron. 69. Adde Gronov. Obſerv. II. 21. Contrarium eſt, *Tanto nequior.* Adelph. IV. 1. 12. Videtur autem Chremes cum riſu id dixiſſe; unde exiſtimaverit Syrus, non viſum id ei veriſimile, ſe callere, quo pacto poſſit adjutari adoleſcentulus in ſene patre fallendo. Certe enim niſi ita accipias dictum, ἀνακόλουθον eſt, quod infert mox ſervus, NON EST MENTIRI MEUM. Horat. Serm. I. 9. 7. *pluris*

Hoc, inquam, mihi eris.

NON EST MENTIRI MEUM.] Sic infra IV. 5. 34.

Non eſt mea ſimulatio.

Plaut. Mil. IV. 8. 53.

Ne me deſeras. PY. Non eſt meum.

Lucil. *Homini amico ac familiari* non eſt mentiri meum.

40. SI QUID HUJUS SIMILE FORTE ALIQUANDO EVENERIT, UT SUNT HUMANA, TUUS UT FACIAT FILIUS.] Ordo & ſenſus eſt: Si forte aliquando evenerit, ut filius tuus faciat quid ſimile, ut humanum eſt, ſub. amare. Sic Adelph, III. 5. 24.

41. UT SUNT HUMANA.] Sententias loquitur carnifex. q. d. Idem, quod nunc Menedemo accidit, etiam tibi accidere poteſt.

42. NON USUS VENIET.] Sic mox verſu 45. & Adelph. V. 6. 7.

43. Quo

Neque eo nunc dico, quo quidquam illum ſenſerim:
Sed ſi quid, ne quid: quae ſit ejus aetas, vides.
Et nae ego te, ſi uſus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare poſſim. *Ch.* De iſtoc, quum uſus venerit,
Videbimus, quid opus ſit: nunc iſtuc age.
Sy. Numquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec quum male facerem, crederem mihi impunius
Licere. quiſnam a nobis egreditur foras?

CALPHURNII.

44. SED SI QUID, NE QUID.] Ἀποσιώπησις. quaſi dicat, *Si quid evenerit.*

QUAE SIT EJUS AETAS, VIDES.] Quae amori eſt obnoxia.

45. ET NAE.] Pro *valde.*

* USU VENIAT.] *Uſu venire* ſignificat *evenire*, ut ſaepe licet videre in Epiſtolis Ciceronis.

MAGNIFICE.] Bene MAGNIFICE dixit, memor verborum Chremetis, qui ſupra dixit, *Heros falli a ſervis, aliquando eſſe remedium magnarum aegritudinum.*

46. TRACTARE.] Superius, *Quo pacto id fieri ſoleat, calleo.*

50. QUISNAM A NOBIS EGREDITUR FORAS?] Παρασκευὴ alterius Scenae.

COMMENTARIUS.

43. QUO QUIDQUAM ILLUM SENSERIM.] Senſus eſt, Quo ſenſerim, illum tuum quidquam ejuſmodi parare in animo, aut ſimilem eſſe Cliniae Menedemi. Mſ. Lipſ. QUOD QUIDQUAM.

44. NE QUID.] Abeſt a Mſ. Mark. Senſus autem eſt, Sed ſi quid forte evenerit, ne quid ſuccenſeas.

QUAE SIT EJUS AETAS, VIDES.] Sic And. I. 5. 51.

Hujus formam, atque aetatem vides.

Guyetus vero haec verba, & quae ſequuntur, ET NAE EGO TE, SI USUS VENIAT, MAGNIFICE, CHREME, TRACTARE POSSIM, delet.

45. NAE EGO TE, SI USUS VENIAT, MAGNIFICE, CHREME, TRACTARE POSSIM.] Niſi haec ad ſpectatores converſus falſe dixit ſervus, non perſuadent Interpretes de arte & dolis fallere exponentes τὸ TRACTARE. qui enim id auſus eſſet dicere ſervus hero praeſenti? Poſſint igitur Chremetis verba, DE ISTOC, QUUM USUS VENERIT, VIDEBIMUS, QUID OPUS SIT: NUNC ISTUC AGE, ad proxime ſuperiora ejuſdem Chremetis verba referri, & filii ejus futuros fortaſſis amores furtivos reſpicere. Aliud longe in animo fuit Interpreti Gallo, qui ubi vertiſſet Syri verba: *Certenement, Chremes, s'il venoit à point, je vous pourrois tracter magnifiquemment*, in paraphraſi addit, *honnorablement & en Prince.* Nannius Miſc. II. 2. ita: *Supra adhortatus fuit Chremes, ut aliqua fallacia emungeret a Menedemo pecuniam, unde eſſet adoleſcenti, quod daret amicae, quo ita vel invitus ſervari poſſet ſenex. Id verbum pro ſe arripuit Syrus, atque in ea ſpecie decipere herum, ſervationem atque magnificam tractationem videri vult.*

48. UNQUAM.] Mſ. Boenderm. & editio anonyma: QUAM NUNC.

49. NEC QUUM MALEFACEREM.] Mſ. Mark. & edit. anon. MALEFECERIM. Hunc & ſequentem verſum expungit Guyetus. Nihil autem in illis, quod vel Latinitati obſtet, vel argumento non ſerviat. Tum poſtrema illa, QUISNAM A NOBIS EGREDITUR FORAS? Paraſceven habent ad Scenam ſequentem; qualis frequens eſt in fine Scenarum. Quum autem Chremes dixiſſet Syro, NUNC ISTUC AGE, ſimul introiit in aedes ſuas, & deprehendens Clitiphonem alludentem ad Bacchidem, continuo eum foras educit. Syrus igitur audito forium crepitu, appoſite, QUISNAM A NOBIS, inquit, EGREDITUR FORAS?

ACTUS

ACTUS TERTII

SCENA TERTIA.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

Ch. QUID iſtuc, quaeſo? qui iſtic mos eſt, Clitipho? itane fieri oportet?

Cl. Quid ego feci? *Ch.* Vidin' ego te modo manum in ſinum huic meretrici

Inſerere? *Sy.* Acta haec res eſt. perii! *Cl.* Mene? *Ch.* Hiſce oculis; ne nega.

Facis

CALPHURNII.

1. QUID ISTUC, QUAESO?] *In hac Scena Syrus hero perſuadet, quod multum facit ad extorquendum argentum.* QUID ISTUC?] *Viderat Chremes filium ludentem cum Bacchide, quam Cliniae eſſe credebat. Et bene expreſſit objurgationem paternam ſaepe repetendo.*

2. HUIC MERETRICI.] Plus intulit, quam ſi dixiſſet, *mulieri.*

3. ACTA HAEC RES.] Verbum deſperantis. Timebat enim Syrus, ne ob hoc, fallacia ejus detegeretur.

MENE?] More filiorum, quod commiſerat, patri ſudacter negat.

* HISCE OCULIS.] *Δεικτικῶς* & cum emphaſi.

COMMENTARIUS.

1. QUID ISTUC, QUAESO? QUI ISTIC MOS EST, CLITIPHO? ITANE FIERI OPORTET?] Objurgatio paterna, qualis illa Simonis, And. V. 2. 30.

Age, Pamphile; exi, Pamphile. ecquid te pudet?

Mſ. Mark. & Boend. QUID ISTIC? Muretus autem τὸ FIERI temere mutari, & primam ſaepe habere productam, exemplis docuit.

2. QUID EGO FECI?] Ita ſolebant filii objnrgati, & delictum diſſimulantes. Sic Simo de filio Pamphilo, And. I. 1. 111.

diceret:

Quid feci? *quid commerui, aut peccavi, pater?*

MANUM IN SINUM HUIC MERETRICI INSERERE.] Invidioſe expreſſit τὸ MERETRICI; nec mulierem, nec Bacchidem nominans. Phraſis proba in re improba. Aliter Ovid. Heroid. XX. 141.

Contrectatque ſinus, & forſitan oſcula jungit.

Gr. *ἅπτεσθαι μαζῶν.* quod Plautus *pertractare papillas* dixit. Cod. Bemb. INGERIRE. laudante Guyeto. Porro autem SINUS quandoque integram veſtem in muliere notat. Propert. I. 2. 1.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veſte movere ſinus?

Unde & h. l. pro ipſo gremio poſſit videri ſumtum. Vide mox ad verſ. 6.

3. MENE?] Quaſi negantis eſt per admirationem. Sic Davus correptus abs hero, And. V. 2. 8.

Quid iſtic tibi negotii 'ſt? DA. Mihin'?
SI. *Ita.* DA. Mihin'?

Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abſtineas manum.
Nam iſtaec quidem contumelia 'ſt:
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam ſubagitare.
Vel heri in vino, quam immodeſtus fuiſti! *Sy.* Factum.
Ch. Quam moleſtus!
Ut equidem, ita me Dî ament! metui, quid futurum denique eſſet.
Novi ego amantium animum: advertunt graviter, quae non cenſeas.

Cl.

CALPHURNII.

4. FACIS ADEO INDIGNE INJURIAM ILLI.] Bene pater poſt objurgationem, ad admonitionem tranſit.

7. VEL HERI.] Ingerit aliud malefactum inter admonitionem, ut ſolent patres.

* FACTUM.] Fatetur ſervus, eum fuiſſe immodeſtum in vino. Niſi etiam capiatur FACTUM, ſicut ACTUM EST, ut ſit deſperantis dictum.

8. UT EQUIDEM METUI.] UT pro *quantum*, vel pro *qualiter*. [1] *Virg.*

Ut vidi, ut perii.

9. ADVERTUNT GRAVITER.] Quia in amore omnia ſuſpecta ſunt.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgilius.*] Ecl. VIII. 41.

COMMENTARIUS.

HISCE OCULIS; NE NEGA.] Ita ſolent, ubi ſe certo quid ſcire affirmant. Adelph. III. 2. 31. Hec. III. 3. 3. Plaut. Mil. II. 3. 19.

Sc. *Profecto vidi.* PA. *Tuten'?* Sc. Egomet duobus hiſce oculis meis.

Et II. 4. 15.

PH. *Tun' me vidiſti?* Sc. *Atque* his quidem oculis.

Namque, ut ait idem, Truc. II. 6. 8.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane ſciunt.

4. FACIS ADEO INDIGNE INJURIAM ILLI.] Guyetus, ne in legem Pediam peccetur, τὸ ADEO expunctum vult. Tu vero cogita, Lector, qui hujus particulae elegantiam & noſti, & amas, an citra diſpendium Latinitatis abeſſe queat. Quin ipſe adeo Guyetus injuriam facit Terentio, qui citra Codd. fidem elegantiſſimi uſus voculam abeſſe vult, ut verſus conſtet, ſcilicet; non cogitans, integrum eſſe octonarium, quamvis non puris jambis.

5. ISTAEC QUIDEM CONTUMELIA 'ST.] Ad formulae ſpeciem accedit. Plaut. Capt. III. 5. 92.

Vis haec quidem hercle eſt, *& trahi & trudi ſimul.*

Suet. Caeſ. 82. *Iſta quidem vis eſt.*

6. EJUS AMICAM SUBAGITARE.] Uſque adeo non hoſpes ab hoſpite tutus! Eſt vero SUBAGITARE nequiter & per laſciviam attrectare. Itali: *Strappazzare una donna.* Plaut. Capt. Caterva:

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula 'ſt.
Neque in hac ſubagitationes *ſunt, neque ulla amatio.*

Merc. I. 2. 90.

Sed ſceleſtus ſubagitare *occepit.* CH. *Illamne, obſecro?*
AC. *Mirum, quin me* ſubagitaret.

Perſ. II. 2. 45.

Ne me attrecta, ſubagitatrix.

Suet. Caeſ. 49. ſenſu ambiguo in joculari carmine:

Gallias Caeſar ſubegit, *Nicomedes Caeſarem.*
Ecce, Caeſar nunc triumphat, qui ſubegit *Gallias:*
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit *Caeſarem.*

Mſſ.

Digitized by Google

Cl. At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum, pater.
Ch. Eſto: at certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantiſper.
Multa fert libido: ea prohibet facere tua praeſentia.
Ego de me facio conjecturam: nemo 'ſt meorum amicorum hodie,

Apud

CALPHURNII.

* 10. Mihi fides.] Arcta familiaritas, cum alter de altero in re Venerea nihil ſuſpicatur.

11. Esto.] Verbum concedentis.

Concadas aliquo.] Et hoc quaerit Syrus, ut abigatur Clitipho ab amica, ne Chremes ejus eſſe animadvertat.

13. Ego de me facio conjecturam.] Patres conantur mouere filios aut proprio exemplo, aut aliorum.

COMMENTARIUS.

Mſſ. & editi quidam subrgitara.

7. In vino.] Ita metri ratio poſtulat ut legatur. Mſ. Boend. & Mark. & editio Anonyma, Tarviſiana, anni 1481. in convivio. octonario hypercatalectico. Plaut. Truc. IV. 4. 1.

Blitea & lutea eſt meretrix, niſi quae ſapit in vino *ad rem ſuam.*

Cic. Catil. II. 5. *Quod ſi* in vino, *& alea comiſſationes ſolum & ſcorta quaererent.* Catull. XII. 1.

Marucine Aſini, manu ſiniſtra
Non belle uteris in joco, atque vino.

Ovid. Arte I. 244.

Et Venus in vinis; ignis in igne fuit.

Gr. ἐν δείπνῳ, παρ' οἴνῳ. Notatur autem tempus peracti convivii & ſublatarum epularum, quando poculis relictis comiſſabantur ludentes alea. Horat. Carm. I. 18. 5.

Quis poſt vina *gravem militiam, aut pauperiem crepat?*

Et Carm. IV. 5. 31.

Hinc ad vina *venit laetus, & alteris*
Te menſis adhibet Deum.

Quam immodestus fuisti!] Plaut. Curc. I. 3 45.

Auro contra cede modeſtum *amatorem.*

Cic. Off. I. 29. *Ipſumque genus jocandi non profuſum, nec* immodeſtum, *ſed ingenuum.*

8. Ut equidem, ita me Di ament, metui.] Corrigit Guyetus: Ut equidem, ita me Dii, metuerim. Boeclero ut metui! valet, *quam metui! quanto in metu fui!* Idem tamen Guyetus in Scholiis Mſſ. *An* metuim *pro* metuerim? Et ad illa, Quid futurum denique esset, *Ne in conſpectu noſtro eam iniret.*

9. Animum.] Libri quidam ſcripti & impreſſi, Animos.

Advertunt.] Scilicet *in amore* vel maxime *inſunt ſuſpiciones.* Eun. I. 1. 15.

10. Nihil me istius facturum, pater.] Utitur εὐφημισμῷ, quia verbum turpe pudet dicere praeſente patre. Eun. V. 9. 40. Mſ. Mark. & Boend. Nihil me istius facturum potat.

11. Hinc.] Abeſt a Mſ. Mark. & Lipſ.

Ab ore.] A conſpectu & e praeſentia. Cic. pro Roſc. Amer. 6. *Erat ille Romae frequens; atque in foro, &* in ore *omnium quotidie verſabatur.* Sic Adelph. II. 4. 5.

Ah! vereor coram in os *te laudare amplius.*

Cic. Tuſc. III. 18.

Hiccine eſt Telamo ille, modo quem gloria ad coelum extulit?
Quem aſpectabant? cujus ob os *Graji ora obvertebant ſua?*

12. Multa fert libido.] Dubitem, an ſatis recte huic loco illuſtrando faciat illud Ovidianum,

In nova fert *animus mutatas dicere formas*
Corpora.

quod credidit Guyetus. Terentiana ſunt, *aetas fert, adoleſcentia fert, res fert, tempus fert.* In quibus locutionibus τὸ *ferre* eſt apportare, permittere. Salluſt. Catil. 21. *Alia omnia, quae bellum, atque* lubido *victorum* fert.

13. Ego de me facio conjecturam.] Plautus Caſ. II. 3. 8.

Hanc ego de me conjecturam *domi* facio, *magis quam ex auditis.*

14. Apud

Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam:
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipſius facti pudet:
Ne ineptus, ne protervos videar: quod illum facere credito.
Sed noſtrum 'ſt intelligere, utcunque, atque ubicumque opus ſit,
obſequi.
Sy. Quid iſtic narrat? *Cl.* Perii! *Sy.* Clitipho, haec ego praecipio tibi,
Hominis frugi & temperantis functus officium. *Cl.* Tace ſodes.
Sy. Recte ſane. *Ch.* Syre, pudet me. *Sy.* Credo; neque id injuria.
Quin

CALPHURNII.

16. NE INEPTUS, NE PROTERVOS.] INEPTUS quo ad dignitatem. *² Cicero in II. de Oratore: *Nam qui aut, tempus quid poſtulet, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is* INEPTUS *eſſe dicitur.* PROTERVUS dicitur importunus, qui alteri eſt impedimento, vel ſi per impotentiam mentis obvium cubito feriat, aut contumelia ſibi cedere cogat.

18. QUID ISTIC?] Syrus ſecum loquitur, timens ſuae fallaciae.

19. FRUGI.] ³ Utilis & neceſſarius: a *frugibus*, quae quod his fruantur dictae ſunt. Inde *fructus* & *frumentum*. *Frui* autem, eſt veſci: a *frumine*, quae eſt ſumma pars gulae.

SODES.] Eſt adverbium blandientis. * TACE SODES.] Ab illo conſilio longe alienus Clitipho illum ſermonem interrupit, nec audire voluit.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Cicero in II. de Oratore.*] Cap. 4.

3. *Utilis & neceſſarius.*] Repetita haec e Donato, ad Eun. IV. 7. 46.

COMMENTARIUS.

14. APUD QUEM EXPROMERE OMNIA MEA OCCULTA AUDEAM.] Cic. Lael. 6. *Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas ſic loqui, ut tecum?* Senec. Tranq. cap. 7. *Nihil tamen aeque oblectaverit animum, quam amicitia fidelis & dulcis. Quantum bonum eſt; ubi ſunt praeparata pectora, in quae tuto ſecretum omne deſcendat.*

15. PUDET.] Mſſ. & editi quidam, PIGET.

16. QUOD ILLUM FACERE CREDITO.] H. e. libertatem ejus impediri praeſentia tua, ne faciat ea, quae fert animus.

17. OBSEQUI.] Id *obſequi ſtudiis* dixit And. I. 1. 37.

18. SY. QUID ISTIC NARRAT?] Omnino aſſentior Anteſignano, ad haec verba ita commentanti: *Haec Syrus ſecum, aut, ſi mavis, ad Clitiphonem, ut ſit hic ſenſus: Que vous dit ceſtuy-cy! Entendez vous point ce que voſtre pere vous dit? ne vous dit-il point la verité, & ce qu'il vous doit dire?* Quod pluribus exſequutus eſt Boeclerus.

PRAECIPIO.] Utitur praeſenti, ut oſtendat perpetuam diſciplinam. Tanaq. Faber interrogantem facit ſervum, & verſum ſequentem ironice pronunciantem, q. d. *Minime hominis frugi & temperantis functus es officium.* Idem Cl. Perizonio placebat. Guyetus: PRAECEPI. Vid. ſupra II. 3. fin.

19. FRUGI ET TEMPERANTIS.] Utrumque & Cicero conjunxit, Tuſc. III. 8. *Qui ſit* frugi *igitur, vel, ſi mavis, moderatus, &* temperans, *eum neceſſe eſt eſſe conſtantem.* Et cap. 17. *Aderit* temperantia, *quae eſt eadem moderatio; a me quidem paullo ante appellata* frugalitas. Abr. Wielingius legit & diſtinguit: CH. CLITIPHO, HAEC EGO PRAECIPIO TIBI. SY. HOMINIS FRUGI ET TEM-

Digitized by Google

Quin mihi moleſtum 'ſt. *Cl.* Pergin' hercle? *Sy.* Verum, dico quod videtur.
Cl. Non accedam ad illos? *Ch.* Eho! quaeſo, una accedundi via 'ſt?
Sy. Actum 'ſt. hic prius ſe indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini ſtulto mihi auſcultare? *Ch.* Quid faciam? *Sy.* Jube hunc
Abire hinc aliquo. *Cl.* Quo hinc abeam ego? *Sy.* Quo? quo lubet: da illis locum.
Abi deambulatum. *Cl.* Deambulatum! quo? *Sy.* Vah! quaſi deſit locus.

Abi

CALPHURNII.

21. QUIN MIHI MOLESTUM 'ST.] QUIN pro *etiam*. MIHI habet emphaſin. MIHI, qui non ſum pater.

PERGIN'.] Iraſcitur Clitipho ſervum adverſus ſe loqui.

22. EHO!] Hoc loco admonentis eſt.

UNA VIA.] Scilicet honeſta: nec impudice agas.

23. ACTUM 'ST.] Semper deſperantibus hoc verbum datur.

HIC PRIUS.] Haec ſecum loquitur.

26. DEAMBULATUM! QUO?] Bene impotentia amantis exprimitur. nec pater, nec Syrus, nec deliberatio ante facta removere poterant Clitiphonem ab amica.

COMMENTARIUS.

TEMPERANTIS FUNCTUS OFFICIUM?

20. RECTE SANE.] Ironia eſt. Id enim vult, Quid ego taceam? ſic And. V. 2. 7. *Bene ſane.* Eun. I. 2. 9. *Sane.* Phorm. V. 8. 10. *Recte ſane.*

21. QUIN.] Mſſ. quidam, QUIN ETIAM.

PERGIN' HERCLE.] Alii, PERGIS HERCLE. Guyetus ex Libro Bembino reſtituit, PERDIS HERCLE. Malim, ut edidi, & quomodo eſt in Mſſ. quibuſdam & edd. antiquiſſimis: PERGIN' HERCLE? Atque ita ſolent, qui jam tacere juſſerant alterum. Sic ſupra II. 2. 8. *Pergin'?* Plaut. Poen. I. 3. 24. *Pergin' pergere?* Tum PERDIS abſolute pro PERDIS ME neſcio an dicatur.

VERUM, DICO QUOD VIDETUR.] H. e. Ego vero pergo, dico enim, quod mihi videtur. Vel, dico, quod verum videtur. Tanaq. Faber legit: HERCLE VERO, DICO QUOD VIDETUR. Georg. Fabritius, PERGIN'? SY. VERUM HERCLE, DICO QUOD VIDETUR.

22. NON ACCEDAM AD ILLOS?] Cliniam ſcilicet & Bacchidem, in aedibus Chremetis. Videtur vero haec quaſi cum impotenti deſiderio dicere Clitipho. Unde Syrus, metuens, ne quid perſentiſceret Chremes, ſecum ait: ACTUM 'ST. HIC PRIUS SE INDICARIT, QUAM EGO ARGENTUM EFFECERO.

23. EFFECERO.] Mſſ. quidam, EFFERO. Male. Vid. ſupra II. 3. 81. & 89. Edit. Anon. AFFERO.

24. AUSCULTARE.] Obedire. conſilium meum ſequi. Caecilius Embono:

Audire, ignoti quod imperant, ſoleo, non auſcultare.

Pacuvius Chryſe:

Nam iſtis, qui linguam avium intelligunt,
Pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ex ſuo,
Magis audiendum, quam auſcultandum *cenſeo.*

JUBE HUNC ABIRE HINC ALIQUO.] Veretur ſcilicet ſervus, ne imprudenter amorem ſuum prodat Clitipho.

26. ABI DEAMBULATUM.] Ita ſolebant, ubi quem amotum vellent. Supra II. 3. 139. *ambula.* Plaut. Pſeud. I. 3. 29. *ambula tu.*

 27. Quo

Abi ſane iſtac, iſtorſum, quo vis. *Ch.* Recte dicit. cenſeo.
Cl. Dî te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis. *Sy.* At tu pol tibi iſtas
Poſthac comprimito manus.
Cenſen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Niſi eum, quantum tibi opis Dî dant, ſervas, caſtigas, mones?
Ch. Ego iſtuc curabo. *Sy.* Atqui nunc, here, hic tibi aſſervandus eſt.
Ch. Fiet. *Sy.* Si ſapias. nam mihi jam minus, minuſque obtemperat.
Ch. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egiſti, Syre? aut

Rep-

CALPHURNII.

* 28. Eradicent.] Funditus ac radicitus te evellant, & de medio tollant. Dum haec cum indignatione proferret, percuſſit Syrum.

29. At istas comprimito manus.] Subticet percuſſionem: ne ſurgat in tragicum cothurnum.

* 30. Quid illum porro.] Vel indignatus ſervus haec dicit, vel ſervili more aſtute tractat ſenem.

34. Quid tu?] Bene amoto filio de fallacia erga Menedemum exquirit.

De illo.] Sic dicere ſolent, qui de re aliqua peragenda inter ſe loquuntur.

COMMENTARIUS.

27. Quo vis.] Diviſim edidi, ſequutus duos Mſſ. Codices Leidenſes, & praeſtantiſſimas editiones, Juntarum, Aldi, Stephani, Heinſii, aliorum. Vulgo, quovis. In Mſ. Traject. prior verſus in fine habet quo, ſequens in ipſo initio, vis. unde certi nihil conſtitui poteſt.

Recte dicit.] Mſ. Mark. Recte dicis.

28. Qui me hinc extrudis.] Alii: Quid me hinc extrudis? Rurſus alii: Qui me hinc extrudas. Mſ. Bodl. Qui me istinc extrudas.

Tu pol tibi istas posthac comprimito manus.] Adelph. IV. 2. 26.

Nae ille continebit poſthac, *ſi ſapiet*, manus.

Liv. VII. 13. *Cur veteranus dux, fortiſſimus bello*, compreſſis, *quod ajunt*, manibus *ſedeas*? Plautus ad linguam retulit, Amph. I. 1. 192.

Ego tibi iſtam hodie ſceleſtam comprimam linguam.

Et I. 2. 34.

orationem comprimam.

Noſter Phorm. V. 6. 29. *animam compreſſi.* Mſ. Lipſ. legit, At tute istas posthac comprimito manus.

30. Censen' vero?] Haec Clitiphoni tribuit Guyetus. laudat Boeclerus. quando *εἰρωνικὸν* fuerit. Videntur potius Syri ad Chremetem verba. q. d. *Quid tibi tuus videtur filius? An haec de eo credideras?* Sic Eun. IV. 7. 33. *Ain' vero?*

31. Servas.] Cuſtodis & obſervas, utpote adultum, vitiiſque magis quam antea obnoxium. Catull. Carm. XVIII. 15.

Et puella tenellulo delicatior haedo,
Aſſervanda *nigerrimis diligentius uvis.*

Phaed. III. 10. 23.

Aetatem adultam ſervans *diligentius.*

Ubi vide Petrum Burmannum, Virum Cl. & ad Petron. 85. & Quinctil. Inſtit. I. 2.

32. Asservandus.] Mſſ. quidam, Observandus. Alii, Servandus. Et, here, ibi.

33. Si sapias.] Mſſ. & impreſſi quidam veteres, Si sapis.

Mihi jam minus, minusque obtemperat.] Quid filius herilis obtemperaret ſervo? Scilicet videtur Syrus fuiſſe paedagogus Clitiphonis. Vid. Adelph. V. 9. 5. Plaut. Curc. II. 2. 8.

Facit hic, quod pauci, ut ſit magiſtro obſequens.

35. An

Repperiſti, tibi quod placeat? an nondum etiam? *Sy.* De fallacia
Dicis? ſt! inveni nuper quandam. *Ch.* Frugi es. cedo quid eſt?
Sy. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. *Ch.* quidnam, Syre?
Sy. Peſſuma haec eſt meretrix. *Ch.* Ita videtur. *Sy.* Immo ſi ſcias.
Vah! vide, quod inceptet facinus. fuit quaedam anus Corinthia
Hic: huic drachmarum argenti haec mille dederat mutuum.
Ch. Quid tum? *Sy.* Ea mortua 'ſt: reliquit filiam adoleſcentulam.

Ea

CALPHURNII.

37. Ut aliud ex alio incidit.] Multa eſſe fingit, ut veriſimilius ſit quod finxerit.

38. Pessuma haec est meretrix.] Contrarium illud quod ſuperius dixit, *Mulier commoda, & faceta, haec eſt meretrix.* Sed hoc loco pessumam appellat: utpote quae teneat virginem, quam Syrus *illi relictam arrhaboni* fingit: & haec eſt valens cauſſa ad extorquendum argentum.

39. Inceptet.] ⁴ *Incipere* & *inceptare*, magnorum eſt facinorum & audaciae. In Eunucho, *Quid inceptas, Thraſo?*

* 40. Drachmarum.] Drachma pondus eſt, conſtans, ut vult *Priſcianus*, ex tribus ſcrupulis, ſeu decem & octo ſiliquis. Sumitur etiam pro genere quodam monetae, propterea quod numiſmata antiquitus ponderabantur.

* Mille.] Hic mille ſingularis eſt numeri & ſubſtantivum, de quo multa *Gellius.* Jungitur autem ſemper genitivo, propterea quia ſubſtantivum eſt. Sed mille adjectivum & numeri pluralis ſubſtantivo jungitur in ſimilitudine generis, numeri & caſus.

OBSERV. IN CALPH.

4. *Incipere & inceptare.*] Et haec Donati ſunt ad Eun. V. 8. 1.

COMMENTARIUS.

35. An nondum etiam?] Terentianum hoc eſt. Quare Guyeti an non? languet. qui dum metro conſulere vult, Latinitatem negligit. τὸ nondum certe requirebat, ut diceretur, An nondum etiam? Sic And. I. 2. 30.

36. Dicis? st.] Mſſ. quidam, Dicis. inveni quandam nuper. Alii, Dicis. hem, inveni nuper quandam. Exhibeo lectionem Faërni. Sed poſt Franciſcum Fabritium legit Guyetus: Sy. De fallacia? inventa 'st: inveni nuper quandam. Atque ita eſt in Mſ. Boend. Mirum vero, placuiſſe acri Critico, inventa 'st. inveni. Ex variis lectionibus praetulerim illam Daventrienſem: De fallacia dicis? hem, inveni nuper quandam. Quomodo & Juntae ediderunt, cum Aldo. Rob. Stephanus: De fallacia dicis? est, inveni nuper quandam. Atque ita Codex Bembinus.

37. Ut aliud ex alio incidit.] Quinctil. Inſtit. IX. 2. e Cicerone: *Aliud ex alio ſuccurrit mihi.*

38. Immo si scias. vah! vide, quod inceptet facinus.] Varie haec legunt Interpretes. Praeſtantiſſima Librorum Mſſ. & impreſſorum pars exhibet, ut edidi. Senſus autem eſt: *Immo magis dicas, quod dixiſti, ſi ſcias.* Mſ. Traject. Immo hoc vius si scias, quod inceptat facinus. Aliter ſupra II. 3. 74.

Hoc vide! in mea vita tu tibi laudem is quaeſitum, ſcelus.

40. Mutuum.] Mſſ. quidam, mutuo. Vulgatum defendit Joh. Fred. Gronovius, de Seſtertiis, III. 1. legens, dedit.

41. Reliquit filiam.] Mſ. Mark. & Boenderm. cum edit. Anon. Reliquit ei filiam.

42. Ar-

Ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento. *Ch.* Intelligo.
Sy. Hanc ſecum huc adduxit, eaque eſt nunc ad uxorem tuam.
Ch. Quid tum? *Sy.* Cliniam orat; ſibi uti id nunc det, illam illi tamen
Poſt daturam. mille nummûm poſcit. *Ch.* Et poſcit quidem!
Sy. Hui!
Dubium id eſt? *Ch.* Ego ſic putavi. quid nunc facere cogitas?
Sy. Egone? ad Menedemum ibo: dicam, hanc eſſe captam ex Caria,
Ditem

CALPHURNII.

41. ARRHABONI.] Pignori, hoc loco intelligas. ARRHABON dicitur merces, corollarium: & eſt quod prius datur, ut reliquum reddatur.

45. MILLE NUMMUM.] Tale & illud, *mille hominum occiditur:* & antiquum eſt. * 5 Cic. in VI. in Antonium: *Qui L. Antonio* mille nummûm *ferret expenſum.*

HUI!] Et caetera hujuſmodi generis, ſane ſunt adverſus eos, quibus iraſcimur.

46. DUBIUMNE ID EST?] Quod meretrix avara poſcat.

47. IBO: DICAM.] Se aſtutum fingit ad decipiendum Menedemum. Superius, *Etenim quo pacto id fieri ſoleat, calleo.*

OBSERV. IN CALPH.

5. *Cic. in VI. in Antonium.*] Cap. 5.

COMMENTARIUS.

42. ARRHABONI.] Ἀῤῥαβὼν, vox origine Hebraea eſt, ערבון *Pignus* notat, cujus radix eſt ערב *ſpopondit.* JCti *Arrham* vocant. Rem explicat, ſed in origine errat Iſidorus, Orig. V. 25. *Intereſt in loquendi uſu inter* Pignus *&* Arrham. *Nam* pignus *eſt, quod datur propter rem creditam, quae dum redditur, ſtatim* pignus *auſertur.* Arrha *vero eſt primum, quod pro re bonae fidei contractu emta ex parte datur, & poſtea completur. Eſt enim* arrha *complenda, non auferenda. Unde, qui habet* arrham, *non reddit, ſicut* pignus, *ſed deſiderat plenitudinem. Et dicta* arrha, a re, *pro qua traditur.* Haec Iſidorus. Eſt igitur *Arrha* & *Arrhabo* pars pretii, quae datur initio contractus, ut ſcilicet fides conſtet. Plaut. Moſtell. III. 1. 115.

Sed arrhaboni *has dedit quadraginta minas.* Gell. XVII. 2. Sed & pro ipſo pignore uſurpavit Paulus Apoſtolus, 2. Corinth. I. 22. Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Et Epheſ. I. 14. de eodem Spiritu ſancto: Ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν.

43. EAQUE EST NUNC AD UXOREM TUAM.] Scilicet ita potuit cognoſci filia Chremetis; neque adeo par erat, filiam honeſtam adhibere convivio Dionyſiorum. Alii: EA, QUAE.

44. CLINIAM ORAT, SIBI UTI ID NUNC DET, ILLAM ILLI TAMEN POST DATURAM. MILLE NUMMUM POSCIT.] Mſſ. quidam: CLINIA ORAT, SIBI UT NUNC DET ILLAM. Mſ. Traject. ILLI TAMEN POST DATURUS. Longum eſt, varias variorum interpretationes vexatiſſimi hujus loci referre. Mihi ita legendus & diſtinguendus videtur: CLINIAM ORAT (Bacchis) SIBI UTI ID (argentum) NUNC DET: ILLAM (Antiphilam adoleſcentulam) ILLI (Cliniae) TAMEN (i. e. tandem) POST DATURAM. (id argentum.) MILLE NUMMUM POSCIT (Bacchis.) Et ſane haec narrando Syrus explicat id, quod ſupra dixerat, PESSIMA HAEC EST MERETRIX. Et, VAH! VIDE QUOD INCEPTET FACINUS. Quae ſi cui parum ſe adprobant, vereor, ne is minus boni ſenſus ex altera illa lectione eruat: CLINIA ORAT, SIBI UTI NUNC DET ILLAM, ILLI TAMEN POST DATURUM MILLE NUMMUM POSCIT. Quam lectionem

Ditem & nobilem: ſi redimat, magnum ineſſe in ea lucrum.
Ch. Erras. *Sy.* Quid ita? *Ch.* Pro Menedemo nunc tibi ego reſpondeo:
Non emo. quid ais? *Sy.* Optata loquere. *Ch.* Atqui non eſt opus.
Sy. Non opus eſt? *Ch.* Non hercle vero. *Sy.* Quid iſtuc? miror.
Ch. Jam ſcies.
Mane, mane! quid eſt, quid tam a nobis graviter crepuerunt fores?

CALPHURNII.

* 49. ERRAS.] In praedictis verbis Syrus fingit ſuam eſſe calliditatem, qua dixerat, ſe decepturum Menedemum. quam fallaciam confutat Chremes.

* 50. NON EMO.] Hoc eſt, cum ſermonem facies ei de emenda ea, dicet, NON EMO.

* QUID AOIS?] Q. d. dicit tibi Menedemus, cur loqueris mihi de hac re? vel Chremes interrogat Syrum, quid ad eam dicat reſponſionem.

OPTATA LOQUERE.] Ita loquitur ille, qui cum alio loquitur, & cui is adverſatur in conſilio de re peragenda. * OPTATA LOQUERE.] Poteſt dupliciter intelligi. Vel, LOQUERE pro LOQUERIS dicitur, & eſt ſenſus, Dicis quae tu vis, vel quae ſunt cordi, ut dici ſaepe ſolet. Vel LOQUERE eſt imperativum, & tunc eſt ſenſus, Dic ea, quae ego opto, & accommoda tuos ſermones meis optatis.

COMMENTARIUS.

ctionem plurimi Libri praeferunt. Uni Leidenſium in margine adſcriptum: *Senſus eſt, poſcit tamen ipſe Clinia a Menedemo daturum mille nummorum.* In Mſ. Lipſ. ſupraſcriptum: *Filius Menedemi orat Bacchidem, uti det Antiphilam.* Petrus Nannius Miſcell. II. 2. exiſtimat, totam vim ſententiae ſitam eſſe in τῷ POSCIT, quod pro *ſpondet*, & pretium pro re emenda offerri, accipit, citatque Plautum, Merc. II. 3. 101. ubi *commodius poſcit* explicat, *majori commodo noſtro licetur, utpote qui majus pretium offerat.* Quanquam Viri Clariſſimi, Boxhornius & Gronovius nihil mutant, legentes, *commodis*, h. e. ex Nonii interpretatione, *integris, totis, & juſti ponderis.* Quia vero neque ita videbat expedita eſſe omnia, addit Nannius: *Sed hoc me male habet, quod quadruplo plus in mutuo eſt, ob quod puella oppignorata fingitur, quam in pretio, quo poſcitur, quam ab avara meretrice vix tantidem impetrari poſſit. Deinde illa admiratio Chremetis, de magnitudine pretii,* ET POSCIT QUIDEM, *locum non habet, ſi quadruplo minoris petitur, quam quanti pignori data eſt.* Putat igitur, nomina pretiorum hinc inde in alienas ſedes immigraſſe, atque ad iſtum modum debere legi, ut verſu 40. pro DRACHMARUM ponatur NUMMORUM, ſed verſu 45. τὸ NUMMUM mutetur in DRACHMARUM. Videntur autem *ἰσοδύναμα* eſſe *nummus* & *drachma*, nec magis diverſa, quam genus & ſpecies. Certe quidem in lingua Latina *nummus* paſſim ſignificat pecuniam maxime uſitatam, qua uti ſolebant ad majores ſummas enunciandas, h. e. *ſeſtertium*; ſed in rebus Graecis *drachmam*, per quas illi majores ſummas ſolebant efferre.

45. ET POSCIT QUIDEM!] Mſ. Mark. & Boenderm. EXPOSCIT. Eſt autem formula mirantis & ſuſpenſi. Plaut. Bacchid. II. 2. 44.

Nam jam huc adveniet miles. Ch. Et miles quidem!

46. DUBIUM ID EST?] Mſſ. quidam: DUBIUMNE ID EST?

48. MAGNUM INESSE IN EA LUCRUM.] Mſſ. & impreſſi quidam, MAGNUM IN EA ESSE LUCRUM.

49. ERRAS.] Quatuor hos poſtremos verſus expungit Guyetus.

50. QUID AIS?] Mſſ. & editi quidam, SY. QUID AGIS? Ita & Calphurnius.

OPTATA LOQUERE.] Sic And. I. 2. 33. *Bona verba, quaeſo.* Ovid. Arte Am. II. 156.

Andiat optatos *ſemper amica ſonos.*

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

SOSTRATA. CHREMES. NUTRIX. SYRUS.

So. NISI me animus fallit, hic profecto eſt annulus, quem ego ſuſpicor:
Is, quicum expoſita eſt gnata. *Ch.* Quid volt ſibi, Syre, haec oratio?
So. Quid eſt? iſne tibi videtur? *Nu.* Dixi equidem, ubi mihi oſtendiſti, ilico,
Eum eſſe. *So.* At ut ſatis contemplata modo ſis, mea Nutrix. *Nu.* Satis.

So.

CALPHURNII.

1. NISI ME ANIMUS FALLIT.] *Haec Scena Antiphilae recognitionem continet: ex qua inter virum & conjugem altercatio oritur: demum reconciliatio. Simul Syro offertur alia ratio extorquendi argentum.*

2. EXPOSITA.] EXPONERE, eſt morti tradere & objicere.

QUID VOLT.] Chremes non ſe loco moverat.

HAEC ORATIO.] [1] Pauca verba, veteres ORATIONEM quoque dixerunt.

3. DIXI EQUIDEM.] Haec ſic reſpondet, ut quae nihil [2] in hac dubitationis habeat.

4. AT UT SATIS.] Sic dicimus in his rebus de quibus addubitamus, & praecipue quas jam diu non vidimus.

CONTEMPLATA.] CONTEMPLARI dictum eſt a *templo*, id eſt, loco qui ab omni parte aſpici, vel ex quo omnis pars videri poteſt: quem antiqui *templum* nominabant.

SATIS.] *Multum*, infinitum eſt: SATIS vero, finitum.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Pauca verba.*] Haec repetita e Donato ad And. I. 5. 16.

2. *In hac.*] Lego, *In hoc*, vel, *in hac re.*

COMMENTARIUS.

Quum Chremes & Syrus in proſcenio remanſerint, non videtur Mureto hic novi Actus initium eſſe.

2. EXPOSITA.] Proprie Gr. Ἐκβληθεῖσα. Sic verſu 17. 37. 38. Hec. III. 3. 40. Vide Chreſtomath. Boecleri, v. *Exponere.*

3. So. QUID EST?] Haec Guyetus in gloſſis MſT. Syro tribuit, reſpondenti ad illa Chremetis, QUID VOLT SIBI, SYRE, HAEC ORATIO? Codices vero omnes, quos vidi, tribuunt Soſtratae.

DIXI EQUIDEM, UBI MIHI OSTENDISTI, ILICO, EUM ESSE.] Sic itidem de nutrice, Eun. V. 3. 5. Guyetus expunxit in ſuo Codice τὸ MIHI, quod eſt in plerisque omnibus MſT. & editis vetuſtis.

4. AT

So. Abi jam nunc intro, atque illa ſi jam laverit, mihi nuntia:
Hic ego virum interea opperibor. *Sy.* Te volt: videas, quid velit:
Neſcio, quid triſtis eſt: non temere'ſt: metuo, quid fiet. *Ch.* Quid
Nae iſta hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit! [fiet!
So. Ehem! mi vir. *Ch.* Ehem! mea uxor. *So.* Te ipſum quaero.
Ch. Loquere, quid velis.
So. Primum hoc te oro, ne quid credas me advorſum edictum tuum
Facere eſſe auſam. *Ch.* Vin' me iſtuc tibi, etſi incredibile 'ſt, credere?
Credo. *Sy.* Neſcio quid peccati portet haec purgatio.
So. Meminiſtin' me eſſe gravidam, & mihi te maxumopere dicere,
Si

CALPHURNII.

6. Te volt.] Signantius dictum, quam *quaerit* aut *expectat*.

7. Nescio, quid.] Deeſt *ob*, vel *propter*.

* Non temere.] Non ſine cauſa.

Quid sit!] Cum ſtomacho pronuntiandum.

9. Ehem! mi vir.] A blandimento incipit. Mi, & vir, plurimum blandimenti habent. Et vir maritum ſignificat. Virum quoque, de animalibus poſſe dici, [1] *Virg.* in Bucolicis oſtendit,

Vir gregis ipſe caper.

Ehem! mea uxor.] Haec repetitio a ſimili, indignantis eſt.

10. Primum hoc te oro.] A purgatione incipit, ne mulier contra edictum mariti feciſſe videatur.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgilius in Bucolicis.*] VII. 7.

COMMENTARIUS.

4. At ut satis contemplata modo sis.] Mſſ. & editi quidam vetuſtiſſimi, At vide, ut satis contemplata modo sis.

5. Illa si jam laverit.] Non a recenti partu, ut de Glycerio, And. III. 2. 3. Unde *lauta mulier*, de ea, quae aliquando peperit. Plaut. Mil. III. 1. 191.

Lautam *vis, an quae nondum ſit* lauta?

H. e. meretricem, & quae Lucinam ſit experta, an virginem? ſed de balneo intelligendum, cujus etiam ſummo mane uſus viguit. Adde Eun. III. 5. 34. ſeqq.

8. Magno jam conatu magnas nugas dixerit.] Ὀξύμωρον ſpecies eſt. Sic Eun. V. 3. 4. Phaed. II. 5. 2. de Ardelionum Romae natione.

Trepide concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens.

Et IV. 22. 4.

Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

Editio anni 1469. non agnoſcit τὸ jam.

9. Ehem!] Mſſ. quidam, So. Hem! mi vir. Ch. Hem! mea uxor.

10. Primum hoc te oro.] Vide ad Eun. V. 6. 9.

12. Portet.] Mſſ. & editi quidam, portat.

13. Dicere.] Pro eo Mſſ. Leidenſes quatuor, Boenderm. Traject. & Bodl. ſed & ex editis praeter anni 1469. & Anonymum, etiam Veneti, Juntarum, Rob. Stephani, Aldi, Daventrienſis anni 1519. Anteſignani, aliorum, legunt interminatum. quae gloſſa videtur τῦ edicere.

Si puellam parerem, nolle tolli? *Ch.* Scio quid feceris:
Suſtuliſti. *Sy.* Si ſic factum eſt, domina, ergo herus damno auctus eſt.
So. Minime: ſed erat hic Corinthia anus, haud impura: ei dedi
Exponendam. *Ch.* O Juppiter! tantamne eſſe in animo inſcitiam!
So. Perii! quid ego feci? *Ch.* Rogitas? *So.* Si peccavi, mi Chreme,
In-

CALPHURNII.

14. NOLLE TOLLI?] TOLLERE: nutrire. 4 *Juvenalis, Tollere dulcem Cogitat haeredem.*

15. SUSTULISTI.] *Educaſti.* Hoc in alia ſignificatione nonnunquam ponitur.

DAMNO AUCTUS.] Propter dotem quae datur. Et recte DAMNO dixit. Nam *damnum*, rei eſt: *Malum* vero, hominis. * Dicimus, *Ego ſum auctus damno*, &, *Damnum eſt auctum mihi.* Ut, *Augeo tibi divitias*, &, *Augeo te divitiis.* Et per paſſivum, *Tu augeris divitiis*, &, *Divitiae augentur tibi.*

16. HAUD IMPURA.] Commendatio perſonae cui data exponenda: ne Chremes ab ea impudice filiam educatam ſuſpicetur. IMPURUS, eſt aliquo vitio maculatus: & aliquando dicitur *improbus.*

17. O JUPPITER!] Terribilis exclamatio ſenis, poſtquam audivit filiam anui datam exponendam.

TANTAM INESSE.] Ἔλλειψις eſt quae datur iratis, ſubauditur *decet.*

INSCITIAM!] INSCITIA, eſt ignorantia quaedam rerum. * Hic, ut proderet ſe ipſam altori in facinore, quod celatiſſimum eſſe deberet.

OBSERV. IN CALPH.

4. *Juvenalis.*] Sat. VI. 38.

COMMENTARIUS.

14. TOLLI.] Vide ad And. I. 3. 14.

15. SI SIC FACTUM EST, DOMINA, ERGO HERUS DAMNO AUCTUS EST.] Varie haec leguntur. In quibuſdam Libris eſt, So. ITA FACTUM EST. SY. SIC EST FACTUM DOMINA? Ita Mſ. Traject. In aliis: SY. SIC EST FACTUM. DOMINA ERGO, HERUS DAMNO AUCTUS EST. quam lectionem tuetur Acidalius. In edit. Amſtelodamenſi, anni 1618. ex recenſione Heinſii, quae ſervatur in Bibliotheca Lugduno-Batava, So. SIC EST FACTUM. CH. DOMIN'? SY. ERGO HERUS DAMNO AUCTUS EST. quae & Bembini Codicis lectio eſt. In aliis aliter, ut veram lectionem vix exputes. eſt autem in verbis, uti edidi, ex pluſculis Mſſ. & antiquiſſimis impreſſis, elegans ὀξύμωρον. Magis proprie Plautus, Perſ. IV. 3. 15.

jam liberta auctus es?

Dicitur autem quis *augeri liberis.* Plaut. Truc. II. 6. 35.

Cum tu recte proveniſti, cumque es aucta liberis,
Gratulor.

Cic. Att. I. 2. Filiolo *me* auctum *ſcito, ſalva Terentia.* Unde *auctor generis* dictus. Proxime ad Terentianam ſententiam accedit illud Theophraſti, Charact. XVII. Καὶ πρὸς τὸν εὐαγγελιζόμενον, ὅτι υἱός σοι γέγονεν, εἰπεῖν, ὅτι ἂν προσθῇς, καὶ τῆς οὐσίας ἥμισυ ἄπεισιν, ἀληθῆ ἐρεῖς. Ita & h. l. poſſit reſpici dos filiae inventae danda, & patrimonio heri decedens.

16. HAUD IMPURA.] Vide ad Eun. II. 2. 4.

17. INSCITIAM.] Georg. Fabritius defendit INSCIENTIAM. Et laudat ex Mſ. uno Boeclerus. Mihi in nullo repertum. Majorem vero emphaſin habet ſententia, quam ſi dixiſſet, *Tantamne eſſe tuam inſcitiam.* Vocat autem INSCITIAM potius quam INSCIENTIAM, quia ſcitum non eſt, jus negligere, & de futuro ſocordem eſſe.

Inſciens feci. *Ch.* Id equidem ego, ſi tu neges, certo ſcio,
Te inſcientem, atque imprudentem dicere, ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis: nam, jam primum, ſi meum
Imperium exſequi voluiſſes, interemtam oportuit.
Non ſimulare mortem verbis, re ipſa ſpem vitae dare.
At id omitto: miſericordia, animus maternus: ſino.

Quam

CALPHURNII.

19. INSCIENS FECI.] *Prudens*, eſt qui intelligentia ſua aliquid ſentit: *ſciens*, qui alicujus indicio rem cognoſcit. *Prudens*, per ſeſe: *Sciens*, per alios. Cujus contrarium INSCIENS, & eſt qui ignorat res. Et *imprudens*, qui non delectum habet bonorum & malorum. * INSCIENS FECI.] Venialis ſtatus.

22. IMPERIUM EXSEQUI.] Primum ponit peccatum, quod contra edictum ſuum fecerit.

* INTEREMTAM OPORTUIT.] Hic ponitur participium praeteriti temporis pro infinitivo *interimi.* Id enim fit in duobus caſibus, accuſativo & ablativo.

24. SINO.] Concedo: quia animus maternus plurimum veniae meretur.

COMMENTARIUS.

eſſe. quam *ἀβλεψίας* mox *αὐξητικῶς* proponit, verſu 20.

18. SO. PERII! QUID EGO FECI?] Prius videtur averſa, poſterius ad Chremetem converſa dixiſſe. Quidam Libri τὸ PERII! Chremeti tribuunt.

ROGITAS?] Mſſ. quidam & editi vetuſti, AT ROGITAS? Eleganter ad ſtomachum exprimendum. Sic Eun. IV. 4. 1. at *etiam reſtitas*, *Fugitive?*

21. PECCATA] An participium, *ἡμαρτημένα*? an ſubſtantivum, *ἁμαρτήματα*? *ἐπέχω.*

22. IMPERIUM EXSEQUI.] Sic Virg. Aen. IV. 396.

Juſſa *tamen Divûm* exſequitur.

INTEREMTAM OPORTUIT.] Hinc *ἄστοργοι* Romani vocantur Paulo Apoſtolo in Epiſt. ad Rom. I. 31. Quanquam videtur Terentius manifeſto notare morem Graecorum, apud quos liberum erat patri, vel alere partum, vel occidere; teſte *Ariſtot.* de Republ. VII. 16. Quum contrarium obtineret Romae. Vide Dion. Halicarn. II. 15. ubi memoratur Lex *Romuli* jubentis prolem maſculam educari, ſed & filiam primogenitam, nec ullam prolem necari triennio minorem. In *XII. Tabb.* partus monſtroſus occidi jubetur, de aliis ſiletur. *Jure Pandect.* pater tenetur agnoſcere partum, & alere, L. 3. §. 1. l. 5. pr. & §. 1. D. de Agnoſc. & Alend. Libb. Expoſitio incidebat eodem jure in ſpeciem necis, auctore Paulo L. 4. D. eod. *Sub Impp.* degenerantibus Quiritum moribus, quoque prohibita iſta tyrannis, L. 9. C. de Patr. Pot. L. un. C. Qui par. vel Libb. occid. L. 1. C. Th. ad L. Corn. de Sicar. ubi Jac. Gothofr. Exprobrat hanc *ἀστοργίαν* Legibus vetitam *Tertullianus* ad Nationes, I. 15. (quem Librum ex Codice Agobardi primùm in lucem edidit Jacobus Gothofredus) *Non aliter vos quoque infanticidae, qui infantes enecantes Legibus quidem prohibemini, ſed nullas magis Leges tam impune.* cetera. Idem Apologet. adv. Gentes, cap. 9. & Lactant. Lib. VI. cap. 20. Apud Germanos veteres idem *flagitium habitum*, teſte Tacito, de Morib. Germ. cap. 19. Unde Clariſſimos Viros, Juſtum Lipſium, Cent. I. ad Belgas, Epiſt. 85. & Gerardum Noodt, in Julio Paulo, cap. 1. licitam jure Pandectarum fuiſſe liberorum expoſitionem ſtatuentes erudite refutat Ampl. Vir, Corn. Bynkershoekius, de Jure Occid. Libb. cap. X. Quanquam Hic ipſe ſub Romulo & XII. Tabb. tantam atrocitatem fuiſſe licitam autumat, motus nova conſtitutione ejuſdem Regis, quam refert Halicarnaſſ. II. 27. Quod tamen ego quidem in medio relinquo.

24. MISERICORDIA, ANIMUS MATERNUS.] Sub. *impulerunt te.* Scilicet & major in pariundo labor, & partus certitudo majorem in matribus *στοργὴν* creat.

27. PER.

Quam bene vero abs te proſpectum eſt! quid voluiſti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume,
Per te vel uti quaeſtum faceret, vel uti veniret palam.
Credo id cogitaſti: quidvis ſatis eſt, dum vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque aequum ſciunt?
Melius pejus; proſit, obſit: nihil vident, niſi quod lubet.
So. Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor. nunc hoc te obſecro:
Quan-

CALPHURNII.

* 25. Prospectum est!] Hic eſt imperſonale paſſivae vocis, ante ſe habens ablativum, mediante *ab* vel *abs*, & poſt caſum ſui verbi. Eodem modo [5] in Epiſtolis Cicero loquitur. ait enim: *Quod ſi meis rationibus a te proſpectum eſſe intellexero.*

26. Illi prodita.] Signantiſſime, prodita. Socii enim *deficere* dicuntur. [6] *Salluſt. Poſt defectionem ſociorum. Prodere* parentes. [7] *Virgilius,*

Unius ob iram Prodimur.

Deſerere vero, patroni. hinc milites *patriae deſertores* dicuntur, qui patriam deſerunt, quam defendere deberent. [8] *Virgil.*

Deſertorem Aſiae.

* *Prodere*, Feſtus dicit, eſt dare & fallere. Et bene hic capi poteſt eo modo. Interdum *prodere* ſignificat differre, ſive elongare, ut ita dicam. [9] *Virg.*

Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.

Interdum ſignificat *indicare*, quod deberet tegi, & per hoc fallere, ut *prodidis me voce.* i. e. indicavit, &, quod dicitur, inepte incuſavit me. Propterea *proditores* dicuntur, qui decipiunt indicando, quod celare deberent. Filia ergo abs te *prodita* eſt, quaſi commiſſa eſt illi anui, & per hoc decepta.

29. Quid cum illis agas.] Amatores deſignat, qui nihil penſi habent expertes juris & omnis aequitatis: ea ſola recta putant quae illis libuerint.

31. Peccavi, fateor.] Victa mariti argumentis, crimen ſuum fatetur: & quo magis mereatur veniam, ſimplicitatis opinionem inire tentat: & hoc per deprecationem.

OBSERV. IN CALPH.

5. *In Epiſtolis Cicero.*] Fam. Itt. 2. Edit. Aſcenſ. *A te proviſum.* Alii omittunt *A te.* Vide Interpp.
6. *Salluſt.*] In Fragmentis.
7. *Virgilius.*] Aen. I. 251.
8. *Virgilius.*] Aeneid. XII. 15.
9. *Virgilius.*] Aeneid. I. 252.

COMMENTARIUS.

27. Per te.] Tua opera, quantum in te eſt. Sic Eun. V. 6. 28.

id gaudeo,
Propter me *hiſce aliquid eſſe eventurum mali.*

Uti quaestum faceret.] Intelligit *quaeſtum meretricium.* Sed pudet praeſente uxore dicere verbum turpe. Sic And. I. 1. 52.

28. Quidvis satis est.] Alii, Quidvis satius est. Lucil. Sat. XV.

Quum tectum eſt, quidvis? ſatis eſt: *viſuri alieni*
Sint homines, ſpiram, pallas, redimicula promit.

Libri quidam: Quid vis? satis est, dum vivat modo.

29. Jus.] Notantur Leges ſcriptae, ex quorundam ſententia: credo, quod mox bonum atque aequum ut diverſum quid nominat. Quis vero crediderit, Chremetem eo ſenſu juris peritiam in uxore deſideraſſe? Id igitur velle videtur Chremes: *Quid cum illis agas, quorum animus ab omni honeſtate, juſtitia & aequitate abhorret.*

32. Nato gravior.] Haec non placent Guyeto, integrum verſum expungenti ut addititium, laudante Boeclero; quod nec explicari com-

Quanto tuus eſt animus natu gravior, ignoſcentior,
Ut meae ſtultitiae in juſtitia tua ſit aliquid praeſidî.
Ch. Scilicet equidem iſtuc factum ignoſcam: verum, Soſtrata,
Male docet te mea facilitas multa. ſed iſtuc, quidquid eſt,
Qua hoc occeptum 'ſt cauſa, loquere. *So.* Ut ſtultae & miſere omnes ſumus
Religioſae; quum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho: & eum dico, ut una cum puella exponeret:

Si

CALPHURNII.

* 32. QUANTO TUUS EST ANIMUS NATU GRAVIOR.] I. e. peritior propter plures experientias, quas potuiſti habere, plus quam ego. Et bene dicit, GRAVIOR NATU, nam majores natu, i. e. ſeniores debent eſſe *graviores*, i. e. moderatiores & conſtantiores, atque prudentiores, ob majorem experientiam. Poteſt etiam hic capi NATU GRAVIOR, q. d. Tuus animus potuit plura videre, quam meus, quum me nativitate praeceſſerit. Nam fere mariti ſunt *natu graciores* ſeu majores uxoribus ſuis.

IGNOSCANTIOR.] In crimine ſic confeſſo ultimum remedium confugere ad judicum miſericordiam.

* 34. SCILICET EQUIDEM.] Ambae hae particulae capiuntur affirmative ad majorem comprobationem.

35. MEA FACILITAS.] Recte: quia cito uxori veniam dedit. FACILITAS illius eſt, qui cito iram deponit. *Clementia*, illius, qui nunquam iraſcitur.

36. QUA HOC OCCAPTUM.] Quaſi de magna re dixit.

• UT STULTAE ET MISERAE OMNES SUMUS.] Vituperatio a ſexu: mulieres enim conſueverunt eſſe imperitiores viris, & multis ſuperſtitionibus detineri.

37. RELIGIOSAE.] Superſtitioſae. RELIGIOSUS etiam appellabatur is, qui nimia & ſuperſtitioſa ſeſe religione alligaverat: ut hoc loco.

COMMENTARIUS.

commode, nec connecti queat. Optime autem conſtabit ſenſus, ſi cum Mſſ. & editis quibuſdam vetuſtiſſimis legas, TANTO SIT IGNOSCENTIOR. Niſi quod metro repugnat. Daciera e Mſſ. Regio laudat, IGNOSCENTIOR TANTO SIT. Canterus NATU GRAVIOR, IGNOSCENTIOR legit. Doctiſſ. Wiclingius integrum octonarium facit, legens: QUANTO TU ES NATU GRAVIOR, TANTO ANIMUS SIT IGNOSCENTIOR. Dixit autem, NATU GRAVIOR, uti *gravior aevo* Virgilius, *gravis annis* Horatius, *graves aetate* Livius, *aetas ingraveſcens* Cicero, *annis ingravantibus* Phaedrus dixerunt. Forte huc reſpexit Ovidius, Triſt. III. 5. 31.

Quo quis enim major, magis eſt placabilis irae.
Sed & dicitur quis *gravis* a ſeveritate. Denium de corpore uſurpatur, pro *minus agilis*. Gr. βαρύς. Belg. *Swaer-lyvig.*

33. IN JUSTITIA TUA.] Pluſculi Mſſ. omittunt τὸ IN.

35. MALE DOCET TE MEA FACILITAS MULTA.] Sic Quinctilianus Declam. CCLXIX. *Sed te male, ut ſic dixerim*, docuit *ſapientia.*

QUIDQUID EST.] Mſ. Bodl. QUID EST.

36. OCCEPTUM.] Deterioris ſignificatus eſt particula OB. Sic And. I. 1. 52. Adelph. IV. 2. 8. Editio anni 1469. Hoc CEPTUM.

STULTAE ET MISERE OMNES SUMUS RELIGIOSAE.] Id eſt, nimis anxiae & providae. Adde Gell. IV. 9. In editis antiquiſſimis eſt, STULTAE ET MISERAE. quod perperam ex Mſſtorum STULTE ET MISERE expreſſum, quum utrumque videatur eſſe adverbium. Vide P. Victor. Var. Lect. II. 3.

37. QUUM EXPONENDAM DO ILLI, DE DIGITO ANNULUM DETRAHO: ET EUM DICO, UT UNA CUM

Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
Ch. Iſtuc recte: conſervaſti te, atque illam. *So.* Is hic eſt annulus.
Ch. Unde habes? *So.* Quam Bacchis ſecum adduxit adoleſcentulam. *Sy.* Hem!
Ch. Quid ea narrat? *So.* Ea lavatum dum it, ſervandum mihi dedit.
Animum non advorti primum: ſed poſtquam aſpexi, ilico
Cognovi: ad te exilui. *Ch.* Quid nunc ſuſpicare, aut invenis
De illa? *So.* Neſcio; niſi ut ex ipſa quaeras, unde hunc habuerit,
Si potis eſt reperiri. *Sy.* Interii! plus ſpei video, quam volo.

No-

CALPHURNII.

39. DE NOSTRIS BONIS.] Et haec erat ſuperſtitio.

40. ISTUC RACTE.] *Eἰρωνικῶς* dictum.

* 41. HEM!] Syrus timet, ne ſibi praeripiatur auferendi argenti occaſio, agnitione filiae. Itaque ingemit.

42. LAVATUM.] Secundum antiquos: nos dicimus, *lotum*. [10] *Ovidius* Faſtorum ſecundo,

Mane lavaturas ſacra petebat aquas.

44. EXILUI.] Oſtendit nimiam laetitiam de inventa filia. ideo non dixit *acceſſi*.

46. PLUS SPEI VIDEO.] Nolebat tam cito cognoſci filiam: ne occaſio praeriperetur auferendi argentum. PLUS SPEI.] Melius eſt ut non ad Syrum referas, ſed ad Soſtratam.

OBSERV. IN CALPH.

10. *Ovid. Faſtorum ſecundo.*] Immo Faſt. III. 12. Legendum autem: *Sacra lavaturas mane petebat aquas.*

COMMENTARIUS.

CUM PUELLA EXPONERAT.] Solennis mos, cujus ratio continuo additur, SI MORERETUR, (nimirum Anus, quae ſola alioquin natalium teſtis eſſe poterat.) NE EXPERS PARTIS ESSET DE NOSTRIS BONIS. Juvenal. Sat. VI. 27. de annulo pronubo:

& digito pignus fortaſſe dediſti.

40. ISTUC RECTE: CONSERVASTI TE, ATQUE ILLAM.] An vere ita ſentit? an ironice loquitur? Poſterius exiſtimat poſt Calphurnium Fabrini, addens, *intendete per ironia*. Daceriae CONSERVASTI TE valet, *Tu as mis ta conſcience à couvert*.

41. ADDUXIT ADOLESCENTULAM.] Mſ. Mark. & Boend. ADDUXIT, EX ADOLESCENTULA. Sed τὸ EX gloſſema videtur, quia Mſſ. plurimi omittunt.

42. SERVANDUM MIHI DEDIT.] Ex ſolemni more, ne inter lavandum corrumperetur. Unde Ovid. Amor. II. 15. 23. annulus loquitur:

Me gere, cum calidis perfunderis imbribus artus,
Damnaque ſub gemma perfer euntis aquae.

Adde Kirchmannum de Annulis, XXII. Sunt autem Mſſ. plurimi, in quibus eſt: SERVANDUM MIHI DEDIT ANULUM. NON ADVORTI PRIMUM. Ita edit. Anon. & anni 1469. niſi quod habent PRIMO. Idem eſt in Mſſ. Bodl. & Boenderm. Hanc lectionem Muretus, illam Faërnus defendit.

46. SI POTIS EST] Libri quidam ſcripti & impreſſi, SI POTEST.

PLUS SPEI VIDEO, QUAM VOLO.] Haec Calphurnius praeter rationem Soſtratae tribuit. Melius Eugraphius: *Haec ſervus cum gemitu dicit.*

48. RENUNCIAVIT.] Proprie de iis, qui juſſi rem exſequi, quid geſtum ſit, narrant. Suet. Claud. 29. *In quinque & triginta Senatores, trecentoſque amplius Equites Romanos tanta facilitate animadvertit, ut de nece conſularis viri* renuntiante *centurione, factum eſſe, quod imperaſſet, negaret quidquam ſe imperaſſe, nihilominus rem comprobaret.* Juſtin. XXIV. 5. Renuntiata *legatione, riſere Galli.*

49. PHILTERE.] Φιλτέρη. ἰωνικῶς.

50. Mi-

Noſtra eſt, ita ſi eſt. *Ch.* Vivitne illa, cui tu dederas? *So.* Neſcio.
Ch. Quid renuntiavit olim? *So.* Feciſſe id quod juſſeram.
Ch. Nomen mulieris cedo quod ſit, ut quaeratur. *So.* Philtere.
Sy. Ipſa eſt: mirum ni illa ſalva eſt, & ego perii. *Ch.* Soſtrata,
Sequere me intro hac. *So.* Ut praeter ſpem evenit! quam timui
male,
Ne nunc animo ita eſſes duro, ut olim in tollenda, Chreme!
Ch. Non licet hominem eſſe ſaepe ita ut volt, ſi res non ſinit.
Nunc ita tempus eſt mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

CALPHURNII.

* 50. Ipsa est.] Fatetur Syrus; & [10] intererat ad quaerendas puellas domum ejus.

Mirum, ni illa salva.] [11] Non poteſt credere, periiſſe anum, quod maxime vellet ob recognitionem Antiphilae.

Ego perii.] Quia recognita eſt antequam auferrem argentum.

* 53. Si res non sinit.] Nam prudentis eſt, ſervire tempori.

54. Nihil minus.] Pro, *non*, quod auctus divitiis eſſet.

OBSERV. IN CALPH.

10. *Intererat ad quaerendas puellas domum ejus.*] Res poſtulat, ut legatur: *Intererat ad quaerendam puellam nomen ejus.* Sub. *noſſe.*

11. *Non poteſt credere, periiſſe anum.*] Ergo ex ſententia Calphurnii illa, Si moreretur, ſupra verſu 39. non de filiola, ſed de anu intelligenda.

COMMENTARIUS.

48. So. Fecisse id quod jusseram.] Praeſtat haec lectio prae illa quorundam Librorum: Ch. Quid renuntiavit olim fecisse? So. Id quod jusseram. Editio anni 1469. Id quod miseram.

50. Mirum ni.] Metuit ne agnoſcatur Antiphila, priuſquam interceperit Chremetem argento, quod detur Bacchidi a Clitiphone. Dicit autem haec ad ſpectatores converſus.

52. In tollenda.] Codex Bembinus, aliique, In tollendo.

53. Non licet hominem esse saepe ita ut volt.] Sic And. IV. 5. 10. Videtur autem olim res anguſtior non ſiviſſe, ut filiam aleret, quod nunc in re lauta & bona parte aucta expetit. Τοῖς ἀνθρώποισι νῦς, ὦ Γλαῦκε Λεπτίνου παῖ, τοῖος γίνεται, ὁκοίην Ζεὺς ἐφ' ἡμέραν ἄγει. Apollod.

54. Olim nihil minus.] Sub. *Cupiebam.*

ACTUS QUARTI

SCENA SECUNDA.

SYRUS.

NIſi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in anguſtum oppido nunc meae coguntur copiae:

Niſi

CALPHURNII.

1. NIſi me animus fallit.] *Recognita Antiphila, Syrus anxius, novum quaerit conſilium de extorquenda pecunia. Et bene deliberantem de re aliqua exprimit. Eſt enim dialogiſmus acuti ingenii in multa cogitatione verſantis.*

* 2. Ita hercle.] Q. d. Meus exercitus jam pene fuſus eſt, nam coactus eſt & impulſus in anguſtiaa, ubi conteretur facile. h. e. mei conatus adeo repreſſi ſunt hac re, h. e. hac agnitione puellae, ut facile poſſint contundi ac conteri. Et eſt tranſlatio ſumta a re militari.

Meae copiae.] Tranſlatio ſumta ab Imperatore, qui jam pene fuſus ab hoſtibus, ſe in aliquem tutiſſimum locum receperit. Copiae numero multitudinis & ἑνικῶς de exercitu dicitur. [1] *Salluſtius. Ex omni* copia *Catilinae.* [2] *Virgil. Et quae ſit me circum* copia *luſtro.*

* Alii Codices habent ita: Meae copiae coguntur, i. e. conſtringuntur, in anguſto oppido, i. e. in aliqua munitione, in quam me recipere neceſſe fuit.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Salluſtius.*] Catil. 61.

2. *Virg lus.*] Aeneid. XI. 564.

COMMENTARIUS.

Hanc Scenam ſuperiori jungit Muretus. Atque ita eſt in Libris antiquis, & quibuſdam Mſſ.

1. Nisi me animus fallit.] Jocoſe repetit verba Soſtratae, initio Scenae ſuperioris.

Haud multum a me aberit infortunium.] Eodem ſenſu dixit Mercurius Plautinus, Amph. I. 1. 294.

quadrigas ſi nunc inſcendas Jovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Neque aliter Aſin. II. 4. 8.

Si quidem hercle nunc ſummum Jovem te dicas detinuiſſe,
Atque is precator aſſiet, malam rem effugies nunquam.

Mſſ. quidam, Abierit.

2. Ita hac re.] Videtur cum Mſſ. quibuſdam legendum, Ita hercle. In Mſ. Lipſ. & Boend. eſt utrumque, Ita hac re hercle. Et edit. Pariſ. 1552. ad marginem habet hercle.

In angustum oppido nunc meae coguntur copiae.] Id vult, ſe ad incitas fere eſſe redactum. Cic. de Amic. 5. *Ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum.* Eſt vero militaris ſermo & imperatorius, uti grandiloquentiam amat Syrus. Gerardus Falkenburgius in Scholiis Mſſ. *Εἰς στενὸν κομιδῇ αἱ δυνάμεις ἐμοὶ καθίστανται.* Eodem ſenſu & copia dixerunt ſing. num. Vide Calph. Suet. Vitell. 1. *Item coloniam ejuſdem nominis, quam gentili* copia *adverſus Aequiculos tutandam olim*

Niſi aliquid video, ne eſſe amicam hanc gnati reſciſcat ſenex.
Nam quod de argento ſperem, aut poſſe poſtulem me fallere,
Nihil eſt: triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam ſubito e faucibus.
Quid

CALPHURNII.

5. TRIUMPHO, SI LICET ME LATERE.] Verba proprie ſervorum, quotiens vident ſe quod inceperant, perpetrare non poſſe. Et *εἰρωνικῶς* legendum.

6. BOLUM.] Tranſlatio ab animalibus quibus aufertur *praeda*. * BOLUS apud Graecos ſi per *o* ſcribitur, ſignificat *jactum retis*; ſi per *ω*, *glebam terrae*, vel fruſtum cujuſque rei.

COMMENTARIUS.

olim depopoſciſſent. Adde Eraſmum in Adag. & Fr. Fabritium, qui locum Demoſth. Olynth. *α.* Eraſmo omiſſum addit: *Ἂν δὲ τούτων ἀποστερηθῇ τῶν χρημάτων εἰς στενὸν κομιδῇ, τὰ τῆς τροφῆς τοῖς ξένοις αὐτῷ καταστήσεται. Si hac pecunia deſtituatur, in anguſtum oppido commeatus mercenariorum illius militum cogetur.* Qui IN ANGUSTO legunt Libri, a Librariis corrupti ſunt, referentibus ad OPPIDO, quaſi ſubſtantivum. Licet adverbium inde ortum, quod OPPIDO bonum vocarent ruſtici, h. e. urbi, omne magnum & excellens.

3. NISI ALIQUID VIDEO.] Sic And. II. 2. 36. Mſ. Boend. & Mark. NISI ALIQUID PROVIDEO. Mſſ. alii, NISI ALIQUID VIDERO.

HANC.] Bacchidem.

SENEX.] intelligitur Chremes.

4. FALLERE.] Mſ. Mark. FALLERE HERUM. Intelligit Menedemum.

5. NIHIL EST.] In Mſſ. quibuſdam gloſſa additur: *Qui olim magnas ſperaſſem ex ingenio meo praedas, nunc omnem in latebris ſpem reponens* TRIUMPHO.

TRIUMPHO.] Exſulto gaudio. Sic Eun. III. 1. 4.

SI LICET ME LATERE TECTO ABSCEDERE.] Poenam ſervorum reſpicit, qui nudi latera & pendentes caedebantur flagris. Plaut. Epid. I. 1. 63.

Detegetur corium de tergo meo.

Horatius Carm. I. 14. 4. *Nudum remigio latus* vocat in navi reip. An vero *ἀλληγορεῖ* Syrus loquens de exercitu, qui rebus deſperatis pro victoria habet, ſi ſine clade ab hoſte diſcedere licet? Id Nannius exiſtimat. Contrarium e Siſenna Hiſt. IV. citat Nonius in Apertum: *Adoriuntur adverſos* apertis lateribus. Caeſ. B. G. I. 25. *Ex itinere noſtros* latere aperto *aggreſſi, circumvenire* Et VII. 82. *Veriti, ne* ab latere aperto *ex ſuperioribus caſtris eruptione circumvenirentur, ſe ad ſuos receperunt.* Sed & *latus tegere* dicti gladiatores, defendentes, ne inferretur ictus, quod maxime peti ſolebat. Inde Muretus arceſſivit. Liv. II. 19. de Tarquinio Superbo proprie: Ictuſque ab latere, *concurſu ſuorum, receptus in tutum eſt.* Demum *latus claudere* alteri eſt ad laevam incedere. Horat. Sat. II. 5. 16. *ne tamen illi*

Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
Utne tegam *ſpurco Damae* latus?

Suet. Claud. 24. *Et in Capitolium eunti, & inde rurſus revertenti* latus texit. Videtur autem locum Terentii in animo habuiſſe Horatius Carm. IV. 4. 51.

Sectamur ultro, quos opimus
Fallere, & effugere eſt triumphus.

Aliter Juvenalis, III. 299.

libertas pauperis haec eſt:
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

6. BOLUM TANTUM MIHI EREPTUM TAM SUBITO E FAUCIBUS.] Scurriliter haec de ſe ſervus. Eſt autem locutio metaphorica a feris & alitibus deſumta. Aliter Heſychius: *Βόλοι, βολβοί. βολβοὶ* enim *ψωμοειδεῖς.* Nec mirum, *βολβὸν* ſeu *βόλον τὸν ψωμὸν* notare, cum etiam *oculum* ſignificet. Guyet. in gloſſ. Mſſ. Plaut. Perſ. IV. 4. 106.

Dabit haec tibi grandes bolos.

Poen. Prol. 105.

tangere hominem volt bolo.

Vetus Poëta apud Non. *Patrem argenti talento tetigi.* Lucilius apud eundem: *In me illis ſpem eſſe omnem, quovis poſſe me* emungi bolo. Sed & *rete jaculum* notat, ipſumque *jactum piſcatorum.* Inde adeo pro omni lucro ponitur. Tranſlate de ſervata urbe Roma, Cicero Catil. III. 1. *Pene* ex faucibus *fati* ereptam. In quibuſdam

Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio de integro ineunda 'ſt mihi.

Nihil tam difficile 'ſt, quin quaerendo inveſtigari poſſiet.

Quid, ſi hoc nunc ſic incipiam? nihil eſt. quid, ſi ſic? tantundem egero.

At ſic opinor. non poteſt. immo optume. euge! habeo optumam.

Retra-

CALPHURNII.

7. Comminiscar.] Fingam. Inde *commentum* dicitur. Alibi, *Atque illis hoc commentum placet.*

* Ratio.] Nam innnerat unam rationem, h. e. modum habendae pecuniae. quae via ubi non proceſſit, aliam inire h. e. excogitare neceſſe fuit.

8. Nihil tam difficile.] Sententia generalis ſine certo auctore, quae ſervis etiam convenit. * Investigare ſignificat, quaerendo invenire, ut probat Laurentius. Nunc enim incipit Syrus deliberare, & identidem proponit, & propoſita refellit. tandem inventa bona ratione erumpit in laetitiam.

9. Quid, si sic?] Qui aliquid incepturi ſunt, multa proponere ſolent: & affirmare, & refellere quod ſit faciendum vel relinquendum.

* Tantundem.] h. e. Tantum proficiam in hoc faciendo, quantum in alio praecedenti jam jam confutato. Tantundem egero.] Haec conſultatio fit a Syro per ratiocinationem.

10. Sic opinor.] Nam quae opinamur, *putamus*: quae *putamus* incerta ſunt.

* Immo.] Illa ratione [1] aliquandiu perfecta, cognovit eam eſſe bonam, & tunc ſe corrigit.

Euge!] Vox laetantis ejus qui optimum invenerit conſilium.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Aliquandiu perfecta.*] Lego, *Aliquandiu perſpecta.*

COMMENTARIUS.

Mſſ. eſt: Mihi esse ereptum tam subito ex faucibus.

7. Ratio de integro ineunda 'st mihi.] Cic. Nat. Deor. III. 29. *Medea modo & Atreus commemorabantur a nobis, heroicae perſonae*, inita ſubductaque ratione, *nefaria ſcelera meditantes.* Eadem locutio multum amata Ciceroni. Vide porro ad Eun. V. 2. 29.

8. Nihil tam difficile 'st, quin quaerendo investigari possiet.] Menander:

Ἁλωτὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ
Ἅπαντα.

Citat Stobaeus Tit. XXIX. Idem ibidem:

πάντα τὰ ζητούμενα
Δεῖσθαι μερίμνης, φασὶν οἱ σοφώτεροι.

Et:

Πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον
Φεύγῃ τις, ὃς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις.

Laudat Stobaeus loc. cit. ἐκ τοῦ Καταψευδομένου Philemonis. Curt. VII. 11. *Nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti.* Petrus Victorius Var. Lect. XXXVII. 24. reſpexiſſe Terentium autumat ad Sophoclis ſententiam. Ita enim Creon ad Oedipum, verſu 109.

τὸ δὲ ζητούμενον
Ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τ' ἀμελούμενον.

9. Nunc.] Turbat octonarium, atque abeſt a quibuſdam Mſſ. in aliis deletum.

10. Euge! habeo optumam.] Mſ. Lipſ. Habeo. euge! optimam habeo. Subaudi, *ſtrophAm, viam, rationem.*

11. Re-

Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

CALPHURNII.

11. Fugitivum argentum.] Facete & jo-culariter ſervili more de *argento* tanquam de *homine* dixit.

COMMENTARIUS.

11. Retraham.] Metaphora a ſervo fugitivo tranſlata, venuſtior, ſi, quod exiſtimat Dacieria, Menander ſcripſit: *ἀποστρέψω τὸν δραπέτην χρύσον*. Scilicet, quod *χρύσος* ambigue dictum & aurum & ſervi nomen ſit.

Argentum.] H. e. mille illas drachmas ex venditione Antiphilae.

Tamen.] Fortaſſe valet, Tandem; ſed *ἐπί-χω*. Guyet. in gloſſ. Mſſ.

ACTUS QUARTI

SCENA TERTIA.

Clinia. Syrus.

Cl. Nulla mihi res poſthac poteſt jam intervenire tanta,
Quae mihi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia oborta eſt.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior ſim, quam volt.
Sy. Nihil me fefellit: cognita eſt, quantum audio hujus verba.
Iſtuc

CALPHURNII.

1. Nulla mihi res posthac.] *Nimis Cliniae laetitia exprimitur de recognita Antiphila, qua praepeditus vix poteſt adduci a Syro ut Clitiphoni ſuccurrat.*

2. Aegritudinem adferat.] Tale & illud, *Deorum vitam adepti ſumus.*

3. Dedo patri me.] Plus dedere hoc loco, quam *obſequi.* Dedere ſe vult patri, quemadmodum in hoſtium poteſtatem hoſtes ſe *dedunt.* In Andria, *Tibi, pater, me dedo.* quaſi qui vellet con-

COMMENTARIUS.

3. Dedo patri me.] Vide And. V. 3. 26. Eun. V. 8. 2.

4. Quantum audio.] Mſ. Bodl. Ut audio. Intelligit autem Cliniae verba, loquiturque ad ſpectatores converſus.

5. Istuc

Iſtuc tibi ex ſententia tua obtigiſſe laetor. [rim.
Cl. O mi Syre, audiſtin' obſecro? *Sy.* Quid ni? qui uſque una adfue-
Cl. Cui aeque audiſti commodius quidquam eveniſſe? *Sy.* Nulli.
Cl. Atque ita me Dî ament, ut ego nunc non tam meapte cauſa
Laetor, quam illius: quam ego ſcio eſſe honore quovis dignam.
Sy. Ita credo. ſed nunc, Clinia, age, da te mihi viciſſim:
Nam

CALPHURNII.

contraria. Et *a* *deditio* in hoſte fieri ſolet.

FRUGALIOR.] Temperantior. *b* ſi *frugalis* non exſtat, unde deſcendat, vide tu.

6. O MI SYRE.] A blandimento incipit, ut faciunt qui quicquam ſperatum conſequuti ſunt.

QUIDNI?] Quid niſi audierim?

8. MEAPTE.] Cum ablativo παρέλκον additum, ut *noſtrapte*. *Cato* tamen poſuit *mihipte*, pro *mihi ipſi*.

9. HONORE QUOVIS DIGNAM.] Amica etſi impudica eſt, dummodo amatori placeat, ab eo commendatur amore eum impellente.

10. DA TE.] Duae partes orationis. * *Cicero: Da te homini*. *Dare* eſt quo repetas. *Dedere* eſt ad perpetuum. *Damus* & amicis. *Dedimus* tantum hoſtibus.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Et deditio in hoſte fieri ſolet.*] Repetita haec e Donato, ad And. V. 3. 26.

2. *Si Frugalis non exſtat, unde deſcendat, vide tu.*] Ridiculum eſt, dubitare velle, an *Frugalior* deſcendat a *Frugalis*, ſi vel maxime is poſitivus non legatur.

COMMENTARIUS.

5. ISTUC TIBI EX SENTENTIA TUA OBTIGISSE LAETOR.] Hic verſus ſuſpectus eſt Guyeto, ſcilicet quia Syrus ſecum loquitur, neque Cliniam alloquitur. Niſi vero alloqueretur Cliniam, qui, quaeſo, Clinia continuo diceret, O MI SYRE, AUDISTIN' OBSECRO? Tum EX SENTENTIA eidem Guyeto Latinum quidem videtur, ſed TUA ſuſpectum eſt. Sic tamen Plautus Menaechm. V. 9. 89.

Quoniam haec evenerunt, frater, noſtra ex ſententia.

Et II. 2. 1.

Bene obſonavi, atque ex mea ſententia.

Eſt vero *ex ſententia*, ex voto; quod familiare Noſtro. Aliud eſt *ex animi ſententia*, uſitatum in formulis jurisjurandi, pro, *ſincere*, *bona fide*. Sed, *ex alterius ſententia* eſt, uti alter ſuadet. Quanquam id uſitatius *de ſententia* dicitur. Cic. Fam. I. 7. *Quare ea, quae ſcribam, ſic habete, me, cum illo re ſaepe communicata*, de illius *ad ſe* ſententia *atque auctoritate ſcribere*.

6. QUI USQUE UNA ADFUERIM.] Scilicet adfuerat Syrus ſermoni Soſtratae cum Chremete, de Antiphilae cognitione, ſupra IV. 1.

7. AEQUE COMMODIUS.] Haec eſt lectio Juntarum. Et ſi ita ſcripſit Terentius, auctorem habuit Plautum, Capt. III. 5. 42.

Nec eſt quiſquam mihi, aeque melius *cui velim*.

Georg. Fabritius παρέλκον ſpeciem facit. Codex Bembinus pluresque alii habent, COMMODE. Alii cum edit. 1469. praeferunt COMMODI. Mſſ. variant.

EVENISSE.] Mſſ. & editi quidam, EVENIRE. non male.

10. DA TE MIHI.] Accommoda te meae voluntati. Vid. Eun. III. 3. 10. Cic. Fam. II. 8. *Da te homini.*

11. NAM AMICI QUOQUA RES EST VIDENDA, IN TUTO UT COLLOCETUR.] Ne verſum hunc inſititium credam cum Guyeto, facit manifeſta repetitionis nota, INQUAM, mox verſu 16. Tum repetitio fit levi & eleganti variatione. Cic. Philipp. XIII. 5. *Ut videatur a vobis Cn. Pompeji filius* in patrimonio ſuo collocatus. Euripides in Oreſte v. 666.

τοὺς φίλους
Ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν.
Amicos oportet opem ferre amicis in adverſis.

12. NE

Nam amici quoque res eſt videnda, in tuto ut collocetur.
Ne quid de amica nunc ſenex. *Cl.* O Juppiter! *Sy.* Quieſce.
Cl. Antiphila mea nubet mihi. *Sy.* Siccine mihi interloquere?
Cl. Quid faciam, Syre mi? gaudeo. fer me. *Sy.* Fero hercle vero.
Cl. Deorum vitam apti ſumus. *Sy.* Fruſtra operam, opinor, ſumo.

Cl.

CALPHURNII.

11. NAM AMICI.] Juſta petitio: ſuccurrendum eſt amico, ne quid illi incommodi accidat. AMICI.] Plus gratiae habet, quam ſi dixiſſet, *Clitiphonis*. Et [3] *amicus*, animi eſt: *Amator* vero, corporis. Et *amator* eſt ad tempus: *amicus* qui perpetuo amat.

12. NE QUID DE AMICA.] Ἀποσιώπησις.

O JUPPITER!] Exclamatio terribilis pene ex nimio gaudio deſipientis. * Tanquam Syrus aliquid dixiſſet, quod videretur deſipienti vergere in nuptiarum impedimentum.

13. NUBET MIHI.] Hinc omnis laetitia dependet.

INTERLOQUERE?] Hoc loco INTER non auget, quemadmodum in verbo *intercipit*, *interbibit*. Eſt autem INTERLOQUI, impedire, & interpellare loquentem. * INTERLOQUERE?] Quaſi, *Loqueris inter me*, i. e. inter meum ſermonem, illum interrumpendo, & in ejus medium te interponendo.

14. FER ME.] Id eſt, *tolera*. Tolerandus eſt, qui ex amore deſipit, quia amor Deus eſt, & non voluntas: cogit enim hominem ad id quod vult. * FER ME.] Quia *amor* & *odium*, ut teſtatur [4] A. *Gellius*, *duae ſunt ferociſſimae affectiones*.

HERCLE VERO.] VERO, ut plurimum ironiae convenit. [5] *Virgilius*,

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis.

SANE & VERO, pronuntiandi adjumenta, in verbis negationem habent, licet confeſſionem afferre credantur.

* 15. DEORUM VITAM.] Quae laetitiae plena eſt & felicitatis, nulla admixta triſtitia. Et hyperbolicus ſermo ab affectione procedens.

* FRUSTRA OPERAM, OPINOR, SUMO.] Quod vulgo dicitur, *capio poenam*, cum tamen poena duntaxat dicatur de punitione. Nam, ut vult Priſcianus, a *poena*, *oe* diphthongo in *u* mutata, deducitur *punio*; & ideo non eſt dicendum, *ſumſi magnam poenam pro te*, ſed potius *tua cauſa multos cepi* ſeu *ſumſi labores*, aut, *plurimum tua cauſa laboravi*. OPERA autem dicitur *operatio*, *labor*, *induſtria*. Ideo ſic intellige, *Fruſtra laborabo ſermonem apud te facere, cum tu gaudio deſipiens aures mihi non praebes.*

OBSERV. IN CALPH.

3. *Amicus animi eſt, Amator vero corporis.*] Haec Donati ſunt, ad And. IV. 3. 3.

4. *A. Gellius.*] Lib. I. cap. 3.

5. *Virgilius.*] Aeneid. IV. 93.

COMMENTARIUS.

12. NE QUID DE AMICA NUNC SENEX.] H. e. Ne quid Chremes de Bacchidis & Clitiphonis amoribus reſciſcat. In edit. anni 1469. additur RESCISCAT.

O JUPITER!] Exclamatio gaudentis & ſimul gratulantis.

13. ANTIPHILA MEA NUBET MIHI.] Non pro certo haec dicit Clinia, ſed ſola ſpe motus; nondum enim Chremes pater Antiphilae deſponderat. Vide infra IV. 5. 31. & 36.

MIHI INTERLOQUERE?] Alii, ME INTERLOQUERE? quod ex Feſto probat Georg. Fabritius, & praefert editio Pictavienſis ex recenſione Melanchthonis, & Mſ. Lipſ. Itaque edidit Rob. Stephanus. Guyetus: SICCINE, CLINIA, MIHI INTERLOQUERE? ob metrum.

14. FERO HERCLE VERO.] Mſ. Mark. FERO HERCLE, FERO.

15. DEORUM VITAM APTI SUMUS.] Vide ad And. V. 5. 4. Mſ. Mark. Boend. & Lipſ. cum edd. Anonyma, anni 1469. Junt. R. Steph. aliiſque, ADEPTI. Virg. Ecl. IV. 15.

Ille

Cl. Loquere; audio. *Sy.* At jam hoc non ages. *Cl.* Agam. *Sy.* Videndum eſt, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur:
Nam ſi nunc a nobis abis, & Bacchidem hic relinquis,
Senex reſciſcet ilico, eſſe amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc eſt.
Cl. At enim iſtoc nihil eſt magis, Syre, meis nuptiis advorſum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? *Sy.* Quid ni?
Cl. Quid dicam? quam cauſam adferam? *Sy.* Quin nolo mentiare.
Aperte, ita ut res ſeſe habet, narrato. *Cl.* Quid ais? *Sy.* Jubeo.
Illam te amare, & velle uxorem: hanc eſſe Clitiphonis.
Cl. Bonam atque juſtam rem oppido imperas, & factu facilem:
Et

CALPHURNII.

16. Hoc non ages.] Id eſt, *audies.* In Andr. *Hoccine agis?*

Inquam.] Verbum hoc, vim interdum maximam habet ad adhortationem. Et, Videndum est, & vide, magna aggreſſuris dicuntur. Et inquam utimur nonnunquam in repetitione ſupradictorum.

19. Noster.] Cum ſtomacho.

20. Si abduxeris.] Recte abduxeris: nam *abducitur* proprie quod alienum.

22. Quo ore.] Sic dicimus, quando aliquid pudendum committimus.

Appellabo?] Si duxero Bacchidem.

23. Quin.] *Immo.* cautus ſervus ea admonet, quae non erunt adverſa nuptiis.

26. Bonam atque justam.] *Εἰρωνικῶς* legendum.

COMMENTARIUS.

Ille Deûm vitam accipiet.

Euripidis illud e Stobaeo citat Lindenbruchius:

Θεῶ βίον ζῇν ἄξιοις ἄνθρωπος ὤν.

Eſt autem Apti ab *apiſcor*, uti Adepti ab *adipiſcor.*

16. At jam hoc non ages.] Non attendes ad ea, quae dicturus ſum. Vide ad And. I. 2. 15.

19. Senex.] Editi antiquiſſimi, vel noster, vel noster Senex. Utrumque eſt in Mſſ.

22. Quo ore.] Quo pudore. Sic *os ferreum, os durum, os nullum,* de homine inverecundo & impudente. Cic. pro Rabir. Poſtum. 11. *Quod habens* os? *quam audaciam?* Idem in Vatin. 2. *Quam cauſam ad patronos ſuos, aut quod* os *afferes?* Pompejo Magno ſpeciatim *os probum*, h. e. verecundum tribuit Plinius, VII. 12. & XXXVII. 2. quod quoties in concionem veniret, etiam maximis rebus geſtis, erubeſceret. Quanquam Salluſtius eidem *os probum* quidem, ſed *animum inverecundum* tribuit, teſte Suetonio, de Illuſtr. Grammat. cap. 15. Adde Senecam, Epiſt. XI. atque ibi Lipſium. In edit. Veneta anni 1490. additum: *Mihi dare uxorem, cum viderit, me habere amicam.* Quod licet gloſſema videri queat, aptum tamen eſt, ad ſenſum Cliniae exprimendum. Fere eadem verba Codici ſuo adſcripſit Guyetus.

23. Quin nolo mentiare.] In Libris quibuſdam: Quid? nolo mentiare. Donatus tuetur lectionem vulgatam ad Eun. II. 1. 6. ſcribens, Quin pro *immo: ut in Heautont. Quin nolo mentiare.*

25. Illam.] Antiphilam intelligit; hanc, Bacchidem.

29. Prodis.] Vox magis Terentiana, quam quae a Faërno ex Cod. Bemb. & aliis defenditur, perdis.

31. Huic equidem consilio palmam do.] Ἡ δ' ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνεται βουλή. Vide ad Eun. V. 4. 8.

35. Omnem eripis.] Mſ. Bodl. & Boend. cum edd.

Digitized by Google

Et ſcilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem voſtrum. *Sy.* Immo, ut recta via rem narret ordine
omnem. *Cl.* Hem!
Satin' ſanus es, aut ſobrius? tu quidem illum plane prodis.
Nam qui ille poterit eſſe in tuto? dic mihi.
Sy. Huic equidem conſilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me, & poteſtatem habeam tantae aſtutiae,
Vera dicendo ut eos ambos fallam: ut quum narret ſenex
Voſter noſtro, iſtam eſſe amicam gnati, non credat tamen.
Cl. At enim ſpem iſtoc pacto rurſum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam eſſe credet, non committet filiam.
Tu fortaſſe, quid me fiat, parvi pendis, dum illi conſulas.

Sy.

CALPHURNII.

* 27. SCILICET.] Haec particula hic indignanter poni poteſt, ut ſi quis dicat, *Et quis eſt, qui de me male loqui poſſit?* SCILICET hic ponitur ironice, quaſi quod dici ſolet, *Deus ſciat.* Ut alibi: *Id populus curat*, ſcilicet. Et [6] *Virg.*

Scilicet *is ſuperis labor eſt.*

UT CELET SENEM VOSTRUM.] Dicimus enim, *celo tibi hanc rem*, & *celo te de hac re.* Intelligendum, *celet ſenem de Bacchide.*

29. PRODIS.] PRODERE proprie ad parentes refertur: ſed nonnunquam ad eum cui res alterius demandata eſt, & cujus conſilio alter regitur. * Alii legunt, PERDIS.

* 31. HUIC CONSILIO PALMAM DO.] Tranſlatio a victoribus, quibus dabatur *palma.* Contrarium eſt huic illud: *Do manus.* PALMAM DO.] H. e. *Aſſentio.* more paciſcentium, qui aſſentientes *palmam* porrigunt.

* 34. NON CREDAT TAMEN.] H. e. revera ſciat contrarium. q. d. *in quo decipietur?* vel, *Erit pulcra*, ut dici ſolet, *deceptio!* ubi quis ut credit non decipitur. quod ita erit in tuo patre, quem putas iri falſum.

36. MEAM ESSE CREDAT.] Neceſſario ſi Chremes Bacchidem gnati amicam non crediderit, Cliniae eſſe crediderit.

COMMITTET.] Bene de filia COMMITTET dixit: quia proprie magna *committimus*, & ea, [7] ſecundum Donatum, quae ſalutem in dubio habent.

OBSERV. IN CALPH.

6. *Virgilius.*] Aeneid. IV. 379.

7. *Secundum Donatum.*] Vide ad And. I. 4. 5.

COMMENTARIUS.

edd. Anon. & anni 1469. aliiſque, OMNEM MIHI ERIPIS.

37. QUID ME FIAT.] Mſſ. & editi quidam: QUID DE ME FIAT. Editio Anonyma, & ei aetate proxima, anni 1469. QUID DE ME FIAT, PARUM CURAS.

PARVI PENDIS.] Muretus PARVI CURAS defendit. quod pluſculi Libri praeferunt. Conſentit Georg. Fabritius. Latinius eſt, PARUM CURAS. Utrumque autem gloſſema videtur τῶ PARVI PENDIS.

Sy. Quid? malum! me aetatem cenſes velle id adſimularier?
Unus eſt dies, dum argentum eripio. pax! nihil amplius.
Cl. Tantum ſat habes? quid tum, quaeſo, ſi hoc pater reſciverit?
Sy. Quid ſi redeo ad illos, qui ajunt: quid ſi nunc coelum ruat?
Cl. Metuo quid agam. *Sy*. Metuis? quaſi non ea poteſtas ſit tua,
Quo velis in tempore, ut te exſolvas: rem facias palam.
Cl. Age, age, traducatur Bacchis. *Sy*. Optume: ipſa exit foras.

CALPHURNII.

38. QUID? MALUM!] MALUM, interjectio eſt iraſcentis.

ME AETATEM.] AETATEM poſuit pro *diu*. Alibi: *Jam dudum: aetatem. lites factae inter eos.*

39. UNUS EST DIES.] Aſſignat tempus pro ratione. Non vult Chremetem diu credere Bacchidem Cliniae eſſe amicam.

PAX!] Adverbium comicum, & ſignificat *tantum*.

41. SI NUNC COELUM RUAT?] Verbum uſitatum in eos qui ſubtimidi in re peragenda, ſemper dicere ſolent, *quid ſi hoc vel illud acciderit.* * Et oſtendit ſuo reſponſo, talia dicta eſſe ridicula, per hoc quod dicit, QUID SI REDEO.

44. AGE, AGE.] Vox conſentientis, & qui victus eſt rationibus callidi ſervi.

OPTUME EXIT.] *Παρασκευὴ* eſt alterius Scenae.

COMMENTARIUS.

38. AETATEM.] Mſſ. quidam, TANDEM. ſed & edit. anni 1469. cum Anonyma, aliiſque.

39. PAX!] Interjectio comica ſilentium indicens, origine Graeca. Unde Heſych. ΠΑΞ, *ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν*. Plaut. Pſeud. V. 1. 33.

Itaque dum enitor, pax! *jam pene inquinavi pallium.*

Eleganter Terentii verba imitatus Auſonius Technopaegnion ita claudens:

Totum opus hoc ſparſum, crinis velut Antiphilae. pax!

E Diphilo laudat Scaliger ad h. l.

Δειπνεῖ τι καταδὺς (πῶς δοκεῖς) Λακωνικῶς.
Ὄξους δὲ κοτύλην. Πάξ. τί πάξ;

Vide porro Lindenbruchium.

40. TANTUM SAT HABES?] H. e. uno illo die, quem dicis, es contentus? Sic And. IV. 2. 27.

Non ſatis habes, *quod tibi dieculam addo?*

Syri enim NIHIL AMPLIUS aequipollet Cliniae TANTUM. Ut adeo ſenſus ſit: *Satis habes, ſi nihil amplius uno die tibi detur ad eripiendum argentum a patre Menedemo?*

PATER.] Chremes, pater Clitiphonis.

41. QUID SI REDEO AD ILLOS, QUI AJUNT: QUID SI NUNC COELUM RUAT?] Edit. anni 1469. QUI DICUNT. Parum abeſt, quin rideam Guyetum, legentem: QUID SI RIDEO ILLOS; citra Mſſ. & impreſſorum Codd. fidem. Ut autem, quod ſentio, dicam, parum mihi boni ſenſus eſſe videtur, ſeu legas, QUID SI REDEO, ſeu, QUID SI RIDEO. Lego igitur, & diſtinguo: QUID SI? REDEO AD ILLOS, QUI AJUNT, QUID SI NUNC COELUM RUAT? ſcilicet, dixerat Clinia, QUID TUM, QUAESO, SI HOC PATER RESCIVERIT? Syrus igitur indignabundus cum exprobratione repetit verba Cliniae, QUID SI? q. d. apage illud tuum QUID SI. Video, mihi rem eſſe cum homine ſimili illis, qui metuunt, ne coelum ruat. Plane ita ſupra, II. 3. 90.

CLIT. *Siquidem hoc fit.* SY. *Siquidem? experiundo ſcies.*

De illo autem, QUID SI NUNC COELUM RUAT? Vide Eraſm. in Adag. Virg. Georg. I. 324.

ruit arduus aether.

Martial. III. 100. 3.

Imbribus immodicis coelum *nam forte* ruebat.

Inſignis autem eſt locus Arriani, Expedit. Alex. I. 4. narrantis, Celtas interrogatos ab Alexandro, quid in rebus humanis maxime extimeſcerent? reſpondiſſe: *Δεδιέναι, μήποτε ὁ οὐρανὸς αὐτοῖς ἐμπέσοι. Vereri, ne coelum in ipſos ruat.* Quorum verborum ſenſus omnino videtur fuiſſe, ſe nihil quidquam vereri. Unde *ἀλαζόνες*, *arrogantes* Alexandro dicti Celtae.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA QUARTA.

BACCHIS. CLINIA. SYRUS. DROMO. PHRYGIA.

Ba. SATIS, pol, proterve me Syri promiſſa huc induxerunt:
Decem minas, quas mihi dare pollicitus eſt: quod ſi is nunc
Me deceperit, ſaepe obſecrans me, ut veniam, fruſtra veniet.
Aut quum venturam dixero & conſtituero; quum is certo
Re-

CALPHURNII.

1. SATIS, POL, PROTERVE.] *Reſtat ad fallaciam & ad extorquendum argentum, ut Bacchis irata a Syro placetur, & ad Menedemum tranſeat.* SATIS POL.] *Meretricis conqueſtio exprimitur, cujus tota indignatio dependet ex non tradita pecunia.*

PROMISSA.] [1] *Cicero, Promiſſa tua memoria teneas.* Aliter accipitur, cum dicimus *promiſſa barba.* nam *promittere*, eſt polliceri: & ad magnitudinem nutrire. [2] *Plautus, Capillum promiſſam.*

PROMISSA.] Dicitur *promiſſum* & *promiſſio.* [3] *Promiſſio* & *pollicitatio* eandem vim habent. ſed *pollicitatio*, majoris aſſeverationis eſt.

HUC INDUXERUNT.] *Inducitur* aliquis, cum verbis alterius decipitur. In Andria, *Vide quo me inducas.*

2. POLLICITUS.] *Pollicemur* magis ſponte: *Promittimus* rogati.

3. UT VENIAM, FRUSTRA VENIET.] Pulchra permutatio ejuſdem verbi per tempora, quae convenit iratis.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Cicero.*] In Fragmentis.
2. *Plautus.*] Rud. II. 3. 46.
3. *Promiſſio & Pollicitatio eandem vim habent.*] Repetita haec e Donato, ad And. II. 3. 27.

COMMENTARIUS.

1. INDUXERUNT.] Mſ. Mark. ADDUXERUNT.

2. DECEM MINAS, QUAS MIHI DARE POLLICITUS EST.] Mſ. Mark. DECEM OB MINAS. Eſt igitur Bacchis meretrix μεγαλόμισθος. Aut porro reticetur quid per ἀποσιώπησιν, aut conſtructio haec eſt: *Decem minas* (ſunt) *quas* (decem minas) *mihi dare pollicitus eſt.* Merito autem quaeras, quare & quando eam ſummam Bacchidi ſit pollicitus Syrus? Certe ſervus induxit meretricem inſcio & non volente Clitiphone. Unde ſupra II. 3. 70.

SY. *Adducimus tuam Bacchidem.* CLIT. *Hem! quid? Bacchidem?*
Eho, ſceleſte, quo illam ducis?

An mille nummûm intelligit, de quibus ſupra III. 3. 40. ſeqq.

QUOD SI IS NUNC ME DECEPERIT.] Hac oratione Bacchidis nullum nectar dulcius dicit Jul. Caeſ. Scaliger, Art. Poët. IV. 29. ſimilis ſuavitatis & ſpecie ſimplicitatis, & ejuſdem verbi repetitione natae ex Homero & Virgilio citans.

4. CONSTITUERO.] Certum tempus dixero. And. I. 5. 34. Eun. III. 4. 3. Hec. I. 2. 120. Cic. Fam. VII. 4. *Si quod conſtitutum cum podagra habes, fac ut in alium diem differas.* Juvenal. Sat. III. 12.

Renuntiarit, Clitipho cum ſpe pendebit animi:
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo poenas pendet.
Cl. Satis ſcite promittit tibi. *Sy.* Atqui tu hanc jocari credis?
Faciet, niſi caveo. *Ba.* Dormiunt: pol ego iſtos commovebo.
Mea Phrygia, audiſti, modo iſte homo quam villam demonſtravit
Cha-

CALPHURNII.

5. SPE PENDEBIT ANIMI.] Quod eſt corporis, ad cruciatum animi tranſtulit. Supra viſum eſt quam torqueantur amantes in amicarum expectatione.

6. AC NON VENIAM.] Mira meretricis calliditas exprimitur. Jam cogitavit quemadmodum Syrus videatur apud Clitiphonem vanus & mendax, ex quo ab illo verberetur.

MIHI.] In meam ultionem. [4] *Virgil.*
Poſt mihi *non ſimili poena commiſſa luetis.*

POENAS PENDET.] Perſolvet. [5] *Virgil.*
tum pendere poenas
Cecropidas juſſi.

7. SATIS SCITE.] Hoc cum riſu pronuntiandum. SCITE.] *pulchre*. In Andria, *Scitus puer.*

PROMITTIT.] Scilicet, *venturam.*

HANC CREDIS?] HANC, & ad contemtum, & ad odium dixit. Habent enim iſta pronomina quandam emphaſin.

8. DORMIUNT.] Ocioſi ſunt & negligentes.

POL ISTOS COMMOVEBO.] Bene ISTOS, quaſi odioſos. In Eunucho, *Cum milite iſto.* [6] *Virgil.*
aut quid petis iſtis?
Haec enim pronomina ſpernentis ſunt, odiumque monſtrantis.

9. MEA PHRYGIA.] Hoc eſt proprium meretricis, ultro excludere amantem, & alium recipere, vel ſe ad alium conferre.

PHRYGIA.] Nomen a regione, ſicuti *Lesbia*, *Andria*, *Samia.*

QUAM VILLAM.] VILLA, domus in agris, quo ruſtici res vehunt, & evehunt. [7] *Virgil.*
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant.
Uterer [8] *Varronis* teſtimonio ex primo de Re Ruſtica ad Fundaniam, niſi notum eſſet.

OBSERV. IN CALPH.

4. *Virgilius.*] Aeneid. I. 136.
5. *Virgilius.*] Aeneid. VI. 20.
6. *Virgilius.*] Aen. IX. 94. Vide Donat. ad Eun. I. 2. 112.
7. *Virgilius.*] Ecl. I. 83.
8. *Varronis.*] R. R. I. 2. Villicus *agri colendi cauſa conſtitutus atque appellatus a* villa, *quod ab eo in eam* convehuntur *fructus*, *&* evehuntur, *cum veneunt.*

COMMENTARIUS.

Hic ubi nocturnae Numa conſtituebat *amicae.* Martial. XI. 73. 2. Suet. Oth. 6. Ut adeo minime opus ſit, *condicere* ad tempus referre, *conſtituere* ad locum. Vid. Gronov. Obſerv. I. 1. Eodem ſenſu dixit Horatius Carm. I. 9. 20.
Compoſita *repetantur hora.*

5. RENUNTIARIT.] Sub. Me eſſe venturam. Ita Mſſ. plurimi & editiones optimae. Et praeceſſit DIXERO, & CONSTITUERO. Unde male vulgo, RENUNTIAVIT.

6. TERGO POENAS PENDET.] Sic Hec. I. 2. 33.
Nunquam tam dices commode, ut tergum *meum*
Tuam in fidem committam.
Plaut. Perſa. II. 3. 12.
tax, tax, tergo *meo erit!*

7. PROMITTIT.] Minatur. Plaut. Epid. I. 2. 18. ſeqq.
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo,
Niſi hodie prius comparaſſit mihi quadraginta minas,
Quam argenti fuero elocutus ei poſtremam ſyllabam.
EP. *Salva res eſt: bene* promittit: *ſpero, ſervabit item*
Sine meo ſumtu paratae jam ſunt ſcapulis ſymbolae.
Virg. Aen. II. 94.
me, fors ſi qua tuliſſet,
Si patrios unquam remeaſſem victor ad Argos,
Promiſi *ultorem, & verbis odia aſpera movi.*

8. Ca-

Digitized by Google

Charini? *Ph.* Audivi. *Ba.* Proximam eſſe huic fundo ad dextram?
Ph. Memini.
Ba. Curriculo percurre: apud eum miles Dionyſia agitat.
Sy. Quid haec inceptat? *Ba.* Dic me hic oppido eſſe invitam, atque adſervari:
Verum aliquo pacto verba me his daturam eſſe, & venturam.

Sy.

CALPHURNII.

10. AD DEXTRAM.] Inducit memorem meretricem, nec oblitam ubi ſit, & quid agat amans. nam hujuſcemodi mulieres nil aliud agunt, nil aliud curant, quam quomodo aliquid ab amantibus eatorqueant.

11. CURRICULO.] Hoc loco adverbium, alias nomen.

APUD EUM MILES.] Hic eſt de quo ſuperius Syrus, *Nam miſerum quendam offendi ibi militem, Ejus noctem orantem; haec arte tractabat virum.*

DIONYSIA AGITAT.] Aliter AGITAT accipitur, quum dicimus *agitat convivia & Dionyſia:* & aliter quum dicimus, *agitat vitia.* 9 *Juvenalis,*

Haec ego non agitem?

12. QUID INCAPTAT?] Tanquam de magno facinore diait. 10 nam *inceptare* & *incipere*, magnorum eſt facinorum.

SERVARI.] *Cuſtodiri:* vel melius, *ſuſpicioſe obſervari:* ut illud 11 Virgilianum,

Quod ſupereſt, coeli menſes & ſydera ſerva.

14. MANA, MANE.] Haec ſingula verba, ſi diligenter notes, Syri magnam trepidationem indicant: ideo ſtatim de argento mentionem fecit, in quo lis omnis pendebat inter Syrum & Bacchidem.

OBSERV. IN CALPH.

9. *Juvenalis.*] Sat. I. 52.

10. *Nam inceptare.*] Confer Donatum ad Eun. V. 6. 2.

11. *Virgilianum.*] Georg. I. 335. legitur autem:

Hoc metuens, coeli menſes, & ſidera ſerva.

COMMENTARIUS.

8. CAVAO.] Mſ. Mark. CAVERO. Ita & edit. anni 1469. & Anonyma, aliaeque.

DORMIUNT.] Securi ſunt, nec verba mea referunt ad animum. Sic Adelph. IV. 5. 59. Phorm. V. 8. 18. Coelius Ciceroni, Fam. VIII. 17. *Vos dormitis, nec haec adhuc mihi videmini intelligere.* Guyetus Gallicismum obſervat in Notis Mſſ. q. d. *Elle te fait une aſſez jolie promeſſe.*

EGO POL ISTOS COMMOVERO.] Sic And. V. 2. 23.

11. PERCURRE.] Vide And. II. 2. 18. Dicit autem, CURRICULO PERCURRE, uti Plaut. Aul. II. 2. 4.

Nunc domum properare propero.

Epid. I. 1. 12.

Nam ut apud portum te conſpexi, curriculo
occoepi ſequi.

Trin. IV. 4. 11.

Curre *in Piraeeum*, *atque unum* curriculum
face.

Eſt vero *curriculum* quod curſoribus certantibus emetiendum ſpatium eſt praefiaum. Unde *curriculo currere* maximam in currendo celeritatem notat. Barth. Adverſ. XXI. 12.

DIONYSIA AGITAT.] Supra I. 1. 110. *Agitandi* autem verbo utuntur de diebus feſtis, & quibus genio indulgebant. Hec. I. 2. 18. Ovid. Metam. VII. 431.

agitant convivia *patres*,
Et medium vulgus.

Suet. Claud. 32. Convivia agitavit *& ampla, & aſſidua.* De eodem autem *m.lite* jam mentio facta, ſupra II. 3. 124. cujus amatoris h. l. mentionem injicit Bacchis, ad argentum facilius extorquendum.

12. QUID HAEC INCEPTAT?] Interrogatio eſt admirantis, & ſimul nolentis. Sic Eun. V. 8. 1.

Quid nunc? qua ſpe, aut quo conſilio huc imus?
quid inceptas? *Thraſo.*

Quidam Codd. non agnoſcunt τὸ HAEC.

Sy. Perii hercle! Bacchis, mane, mane: quo mittis iſtanc? quaeſo!
Jube, maneat. *Ba*. I. *Sy*. Quin eſt paratum argentum. *Ba*. Quin
ego maneo.
Sy. Atqui jam dabitur. *Ba*. Ut lubet. num ego inſto? *Sy*. At ſcin'
quid, ſodes? [tua pompa
Ba. Quid? *Sy*. Tranſeundum nunc tibi ad Menedemum eſt, &
Eo traducenda eſt. *Ba*. Quam rem agis? ſcelus. *Sy*. Egone? ar-
gentum cudo, [eſt temere.
Quod tibi dem. *Ba*. Dignam me putas, quam illudas? *Sy*. Non
Ba.

CALPHURNII.

15. QUIN.] Pro *immo*, hoc loco ponitur. QUIN.] Repetit Bacchis Syri verbum, ut mos eſt iratorum.

16. NUM EGO INSTO?] Fingit ſe non magnopere curare, ut habeat argentum: quemadmodum faciunt hi qui deſeſſi ſunt diu petendo aliquid.

SODES?] Blandientis adverbium.

18. EO.] Ridicule additum: ut ſit Eo, loci adverbium.

QUAM REM AGIS? SCELUS.] In Andria, *Ubi eſt illic ſcelus*. Et ad intellectum, non ad verba redigitur. nam & SCELUS, *ſceleſtus* intelligitur. Et plus dixit quam, *ſceleſte*: ut, *Tu nihil niſi ſapientia es.* [12] *Martial.*

Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium.

ARGENTUM CUDO.] Jocularitez dixit. *Cuditur* enim *pecunia*, dum imprimitur.

19. QUAM ILLUDAS?] In Andria, *Adeone vobis videmur eſſe idonei, In quibus ſic illudatis? Illudo in te*, ſeptimo caſu: & *illudo te*, accuſativo dicimus. dicitur quoque *illudo tibi*.

NON EST TEMERE.] Sic dicitur quando aliquid fit non ſine magna ratione.

OBSERV. IN CALPH.

12. *Martial.*] XI. 92. 2.

COMMENTARIUS.

ADSERVARI.] Mſ. Mark. & editi veteres cum Calph. SERVARI. Quaſi vinctam in cuſtodia. And. V. 2. 24. *Cura* adſervandum *vinctum*.

14. PERII HERCLE!] Haec ad ſpectatores converſus, Bacchide non audiente dixit Syrus.

15. I.] Mſſ. quidam, ABI. Ita & edit. anni 1469. cum Anonyma.

QUIN EGO MANEO.] Mſ. Lipſ. & Boend. QUIN EGO HIC MANEO. Neque aliter quaedam editiones vetuſtiſſimae.

16. DABITUR.] Mſ. & editi quidam, DABITUR TIBI.

NUM EGO INSTO?] Num ego urgeo argenti illius perſolutionem? Mſ. Mark. NON EGO INSTO. Ita & impreſſi quidam veteres.

17. NUNC.] Deſideratur haec vox in Mſſ. Lipſ. Bodl. & Boend. cum edit. Anon.

TUA POMPA.] Magnifice dictum de ancillarum grege. Sic Plaut. Bacchid. I. 2. 5. de nimio ornatu & apparatu:

Quo nunc capeſſis te, hinc adverſa via,
Cum tanta pompa?

Et de comitatu ſervili. Curc. I. 1. 1. & 2. Reſpicitur autem Romanorum pompa Circenſis & Triumphalis.

18. TRADUCENDA.] Proprie de pompa. Ovid. Heroid. XII. 151.

Hic mihi, mater, abi; pompam *pater, inquit,*
Ducet. [*Iaſon*

Metam. XIII. 699.

cineri materno ducere pompam.

Cic. Att. V. 9. de turba proconſulari & apparatu triumphi, quem ſecum ex provincia adportabat: *Munus hoc extraordinarium* traducamus.

ARGENTUM CUDO.] Plaut. Moſtell. IV. 2. 11.

Tace

Ba. Etiamne tecum res hic mihi eſt? *Sy.* Minime: tuum tibi
reddo.
Ba. Eatur. *Sy.* Sequere hac. heus Dromo. *Dr.* Quis me volt?
Sy. Syrus. *Dr.* Quid eſt rei?
Sy. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
Dr. Quamobrem? *Sy.* Ne quaeras: efferant quae ſecum huc
adtulerunt.
Sperabit ſumtum ſibi ſenex levatum eſſe harum abitu.
Nae, ille haud ſcit, paullum lucri, quantum ei damni apportet.

Tu

CALPHURNII.

20. HIC.] *In hac re*, ut ad Menedemum traducat. Et eſt cum interrogatione legendum, ita ut neget, non veniſſe ea gratia.

21. EATUR.] Cito flectitur, & quia mulier, & meretrix, quae trahitur minimo lucello. * Et EATUR imperſonaliter, q. d. *a me*, vel, *a meis ancillis.*

23. QUAMOBREM?] Dromo utpote tardiuſculus non intelligit Syri conſilium. de eo ſuperius, *Ille Cliniae ſervus tardiuſculus eſt.*

25. DAMNUM.] * DAMNUM, rei eſt: *Malum* vero, hominis. Perſolvet Chremes argentum ex fallacia Syri: quod erit majus *damnum*, quam ſi permanſiſſet meretrix.

OBSERV. IN CALPH.

23. *Damnum, rei eſt: malum vero, hominis.*] Haec Donati ſunt ad And. I. 1. 116.

COMMENTARIUS.

Tace ſis, faber, qui cudere *ſoles* plumbeos
Nummos.

19. DIGNAM ME PUTAS, QUAM ILLUDAS?] Non temere id rogat meretrix; qui enim modo tanto hiatu dixerat, QUIN EST PARATUM ARGENTUM, &, ATQUI JAM DABITUR, nunc ſe *cudere* demum, i. e. inveniendo argento occupatum eſſe fatetur.

20. TUUM TIBI REDDO.] H. e. quod tu mutuum dederas anui illi Corinthiae, id paro, ut tibi reddatur. Vide ſupra III. 3. 40.

23. QUAMOBREM?] Quia tardiuſculus erat Dromo ſervus, videtur conſilii inſcius fuiſſe.

NE QUAERAS.] Sic Hec. V. 3. 12.

percontari deſinas.

EFFERANT, QUAE SECUM HUC ATTULERUNT.] Reſpicit, quae dicta erant ſupra II. 3. 6.

portant quid rerum!

In aliis eſt, ET FERANT.

24. SPERABIT.] Guyetus ſuo arbitrio, ut ſolet, ſcribit, legitque, SPERAVIT. Si vero roges, quando id unquam ſperaverit? nec vola nec veſtigium ejus rei in tota Fabula. Et quid ſperaverit Chremes, qui exigere mulieres illas poterat, ubi libitum erat? Tum Eugraphium legiſſe, SPERABIT, indicio ſunt ejus verba: *Dominus credet, ſibi allevatum ſumtum*, h. e. imminutum. Dicunt autem promiſcue, *Levare alicui onus*, & *levare quem onere.* Cic. Fam. III. 12. *Leva me igitur hoc onere.*

25. ILLE HAUD SCIT, PAULLUM LUCRI, QUANTUM EI DAMNI APPORTET.] Ita haud raro fit. Contrarium eſt Adelph. II. 2. 8.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum
eſt lucrum.

Mſſ. & editi quidam, Hoc PAULLULUM LUCRI.

26, Tu

Tu neſcis id, quod ſcis, Dromo, ſi ſapies. *Dr.* Mutum dices.

CALPHURNII.

26. Tu nescis id, quod scis, Dromo.] In Eunucho, *Tu pol, ſi ſapis, quod ſcis, neſcis.* [14] Non poſſumus *neſcire* quod *ſcimus*: ſed ita, ut *concordia diſcors.* [15] *Virgilius*, *ſequiturque ſequentem.*

Nescis id, quod scis.] Hoc eſt quod dicitur, *Quod ſcis, neſcis.* proverbiale eſt, & multum apud Dialecticos tractatum: ut, *facio* & *non facio*, &, *amicus ſum* & *non ſum*, &, *audio* & *non audio*, & caetera hujuſmodi.

OBSERV. IN CALPH.

14. *Non poſſumus neſcire.*] Eadem haec notavit Donatus ad Eun. IV. 4. 54.

15. *Virgilius.*] Aen. XI. 695.

COMMENTARIUS.

26. Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies.] Sollicitat haec Guyetus tanquam ſpuria, & ex Eun. IV. 4. 54. expreſſa. Scilicet quod Syrus rogans, quamobrem? videbatur nihil ſcire. Sed praeterquam quod Codices reclamant, poterat Dromo aliquid vidiſſe vel audiviſſe, quod heri intererat neſcire, licet cauſam ignoraret, quare Bacchis eſſet traducenda in aedes Menedemi. Tum quia celanda erant omnia, ſi ſervus argentum eripere a Chremete vellet, opportuna haec erat admonitio. Demum ejuſmodi repetitio eorundem verborum non eſt inſolens aliis etiam Scriptoribus, Plauto praeſertim & Virgilio. Eugraphius interpretatur recte: *Id age, ut neſciſſe videaris.* Simile fere praeceptum legas Adelph. IV. 1. 23.

Mutum dices.] Plaut. Perſ. II. 2. 58.

Pae. *Ne hoc cuiquam homini edicerem, omnes* muti *ut loquerentur prius.*
So. *Et edictum eſt magnopere mihi, ne cuiquam homini crederem;*
Omnes muti *ut loquerentur prius hoc.*

Vide Eraſm. in Adag. *Magis* mutus, *quam piſcis.*

ACTUS QUARTI

SCENA QUINTA.

Chremes. Syrus.

Ch. Ita me Dî amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miſe-

CALPHURNII.

1. Ita me Dî amabunt.] *Hic eſt tranſacta Syri fallacia, & tandem extorquetur argentum: & idem eſt Chremes qui fuit in prima Comoediae parte. miſeretur enim Menedemi, & ejus vicem dolet, credens Bacchidem amicam Cliniae eſſe.*

COMMENTARIUS.

1. Amabunt.] Mſſ. & editi quidam, Ament. Guyet. Amassint. Alii Mſſ. Ita me Dî bene ament.

Menedemi vicem.] Mſſ. & editi quidam antiquiſſimi: Menedemi vitam.

3. Il-

Miſeret me; tantum deveniſſe ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etſi ſcio, hoſce aliquot dies non ſentiet:
Ita magno deſiderio fuit ei filius:
Verum ubi videbit tantos ſibi ſumtus domi
Cotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rurſum ut abeat ab ſe filius.
Syrum optume eccum! *Sy.* Ceſſo hunc adoriri? *Ch.* Syre. *Sy.* Hem!
Ch.

CALPHURNII.

2. TANTUM MALI.] Proprius dixiſſet *damni:* niſi ad aegritudinem animi referas.

3. ILLANCCINE MULIEREM.] Hoc eſt quod ſupra dixi, iſta pronomina afferre contemtum & odium.

CUM ILLA FAMILIA?] Cum ſtomacho dixit, id quod ſuperius facete Syrus *pompam* appellavit.

5. ITA MAGNO DESIDERIO.] Vix in primis explebile deſiderium illius rei eſt quam diu optavimus: ſed ejus poſtea in dies paulatim nos ſatietas capit.

7. NEC FIERI MODUM.] Quod plus eſt, & ad prodigalitatem accedit.

9. ECCUM!] In Andria, *Atque eccum, video.* Superius dixi, *eccum*, *ellum* reſolvi per adverbia, non per nomina: ſed tamen [1] ſecundum Donatum, *eccum*, quaſi *ecce eum*, veteres dixerunt. *Eccum*, *ellum:* quod apertius ſignificat *ecce eum*, *ecco illum*.

CESSO HUNC ADORIRI?] Quaſi de improviſo alloqui, aggredi. In And. *Hiccine me ſi imparatum in veris nuptiis Adortus eſſet?* ADORIRI dicitur, qui ex inſidiis repente invadit. Dictum ab eo, quod corpora aggredientium exurgant ſubito, atque increſcant.

HEM!] Interjectio laeti, alias perturbati.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Secundum Donatum.*] Ad And. III. 3. 48.

COMMENTARIUS.

3. ILLANCCINE MULIEREM ALERE CUM ILLA FAMILIA?] More antiquo FAMILIAM pro famulorum famularumque grege uſurpat. Salluſt. B. Catil. 50. *Cethegus autem per nuncios* familiam, *atque libertos ſuos, lectos, & exercitatos in audaciam, orabat, uti, grege facto, cum telis ad ſeſe irrumperent.* Phaed. III. 19. 1.

Aeſopus domino ſolus cum eſſet familia.

Sed & proprie ALERE dixit. Sic And. I. 1. 30. de equis & canibus ad venandum. Plaut. Menaechm. I. 1. 22.

Nam illic homo homines non alit, *verum educat,*
Recreatque.

Horat. Serm. I. 3. 11.

alebat *ſaepe ducentos,*
Saepe decem ſervos: modo Reges atque Tetrarchas.

Ariſtoph. Lyſiſtr. 1205.

Εἰ δέ τῳ μὴ σῖτος ὑμῶν ἐςι, βόσκει δ᾽ οἰκέτας,
Καὶ σμικρὰ πολλὰ παιδία.
Si vero veſtrum cui frumentum non eſt, alit *autem ſervos,*
Et multos parvos liberos.

Ita in vulgato illo:

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλ᾽ ἀνεγείρειν,
Ἄτραπος εἰς πενίην ἐςὶν ἑτοιμοτάτη.
Aedificare domos, & corpora paſcere multa
Ad paupertatem proximus eſt aditus.

7. NEC FIERI MODUM] I. e. Finem. Cic. Nat. Deor. III. 38.

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quaenam unquam ob mortem Myrtili

Ch. Quid eſt? *Sy.* Te mihi ipſum jam dudum optabam dari.
Ch. Videre egiſſe jam neſcio quid cum ſene.
Sy. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
Ch. Bonan' fide? *Sy.* Bona hercle. *Ch.* Non poſſum pati,
Quin tibi caput demulceam. accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro iſta re, ac lubens.

Sy.

CALPHURNII.

10. TE MIHI IPSUM JAMDUDUM.] Laurentius Valla, Vir omnium noſtrae aetatis eruditiſſimus, dicit, *dudum* & *jamdudum*, de parvo tempore dici, unius horae, aut ſemihorae, aut duarum horarum, vel ad ſummum quatuor. Sed [2] Donatus illud Terentianum exponens, *Jamdudum: aetatem. lites inter eos factae*: ſic inquit, Quia JAMDUDUM infinitae morae eſt, addit *aetatem*, ut oſtendat multum abiiſſe temporis: ut factum eſt. *Jamdudum: aetatem*, pro longinquo tempore. *Lucilius*,

Ut multos, menſeſque dieſque:
Non tamen aetatem.

AETATEM, diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut eſt aetas, & quae ſequuntur.

11. VIDERE EGISSE.] Colligit hoc ex verbis Syri, a quo exoptaretur: credebat enim ſenex, ſe a ſervo non optari, niſi gratia fallaciae in Menedemum.

12. AC FACTUM REDDIDI.] Secure & cum magna audacia pronuntiat: & plus eſt quam ſi diceret, *feci*.

* 13. BONA HERCLE.] HERCLE ornativa particula. In Andria: *Puer* hercle 'ſt. Hoc loco poteſt eſſe affirmativa.

14. CAPUT DEMULCEAM.] Magni blandimenti ſignum, quod ſit, quoties in re optata domino ſervus ex ſententia obſequitur.

15. BONI ALIQUID.] Non dicit quid: ut eum laetiorem reddat, & in ſpe magni boni detineat.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Donatus illud Terentianum exponens.*] Eun. IV. 5. 8.

COMMENTARIUS.

Poenis luendis dabitur ſatias ſupplicii?
Plaut. Menaechm. II. 1. 8.

MES. *Nam quid* modi *futurum eſt illum quaerere?*
Hic annus ſextus, poſtquam ei rei operam damus.

Qui locus peſſime citatur in Theſauro Fabri, vertiturque: *Auf welche weiſe ſoll man ihn künfftig ſuchen?* Verti enim oportuerat: *Wie lange ſoll man ihn ſuchen?*

9. SYRUM.] Mſſ. quidam & editi, SED SYRUM.

10. QUID EST?] Vocati ſolebant quaerere, QUID EST? Quare haec fortaſſe melius Syro tribuuntur, quam Chremeti. Sic ſupra II. 3. 108. Syrus vocatus ait, QUID EST? & IV. 4. 21. Dromo vocatus, QUID EST REI? inquit. Integrum igitur locum ita ordinaverim:

Syrum optime eccum. ceſſo hunc adoriri? Syre. SY. *Hem,*
Quid eſt? te mihi ipſum jam dudum optabam dari.

OPTABAM.] In pleriſque Libris eſt, EXOPTABAM, ſed refragante metro.

12. DICTUM AC FACTUM REDDIDI.] Ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον. Λεχθὲν καὶ πρηχθέν. Virg. Aeneid. l. 143. *Dicto citius.* Vid. ad And. II. 3. 7.

13. BONAN' FIDE?] Formulae ſpeciem habet. Plaut. Aul. IV. 10. 42.

EU. *Dic* bona fide: *tu id aurum non ſurripuiſti?* LY. Bona.
EU. *Neque ſcis, quis abſtulerit?* LY. *Iſtuc quoque* bona.

Capt. IV. 2. 110.

HE. *Dic*, bonan' fide *tu mihi iſtaec verba dixiſti?* ER. Bona.

NON POSSUM PATI, QUIN.] Elegans formula, pro qua Eun. V. 2. 20. *Vix me contineo, quin.*

Eodem

Sy. At ſi ſcias, quam ſcite in mentem venerit.
Ch. Vah! gloriare eveniſſe ex ſententia?
Sy. Non hercle vero: verum dico. *Ch.* Dic, quid eſt?
Sy. Tui Clitiphonis eſſe amicam hanc Bacchidem,
Menedemo dixit Clinia: & ea gratia
Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres.
Ch. Probe. *Sy.* Dic ſodes. *Ch.* Nimium, inquam. *Sy.* Immo ſi ſcias.
Sed

CALPHURNII.

18. HERCLE VERO.] Adverbia ſunt confirmativa. NON HERCLE VERO: VERUM DICO.] Negat ſe gloriari, & ſe veridicum ſatetur: ut hi, qui re magna peracta, fingunt ſe non gloriari: ut ſint majoris fidei & auctoritatis.

19. TUI CLITIPHONIS.] Hoc eſt quod ſuperius Syrus,

Qui vim tantam in me, & poteſtatem habeam tan- [*tae aſtutiae,*
Vera dicendo, ut eos ambos fallam.

Inferius Chremes non credet Menedemo Bacchidem Clitiphonis eſſe amicam.

22. IMMO SIC SAVIS.] Sic dixit, ut qui ſuſpicaretur a Chremete dictum, nimium inquam, non ſerio, ſed joco.

COMMENTARIUS.

Eodem ſenſu, *Facere non poſſum, quin; nequeo, quin; teneri non poſſum, quin; nequeo mihi temperare, quo minus*, Cicero, Apulejus, Plautus & Plinius dixerunt. Vide Eun. I. 1. 7.

14. TIBI CAPUT DEMULCEAM.] Explicat Eugraphius. Ex Hieronymo laudat Guyetus in gloſſis Mſſ. *Praetermitto ſalutationis officia, quibus* demulces meum caput. Palladius Martio, Tit. XII. de domandis bobus: *Tunc appellationibus blandis & illecebris oblatorum ciborum, non a latere, neque a terge, ſed a fronte accedens bubulcus* admulceat, *nareſque & terga pertractet, more ſubinde conſpergens.* Sed *demulcere aures* eſt demittere. Turneb. Adverſ. XXI. 22. quod & *remulcere* dixit Virgilius Aeneid. XI. 812. de lupo:

caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, ſilvaſque petivit.

15. FACIAM BONI TIBI ALIQUID.] Sic Adelph. V. 5. 5. & V. 6. 8.

16. IN MENTEM.] Mſ. Mark. Lipſ. & Bodl. MIHI IN MENTEM. Ita & edit. anni 1469.

17. VAH! GLORIARE AVENISSE EX SENTENTIA?] Nec Nannius, legens, VAH! HARIOLARE, EVENISSE EX SENTENTIA? Nec Guyetus, AN HARIOLARE, EVENISSE EX SENTENTIA? ſatis mihi percepiſſe mentem Terentii videntur, praeter Codicum fidem ita legentes. Nihil mutandum videtur. Scilicet, dixerat Syrus, ſe *dictum ac factum* jam *reddidiſſe.* Unde Chremes ſuſpicabatur, Menedemum jam eſſe emunctum, de quo convenerat inter eos: tanto magis, quia addiderat ſervus, BONA FIDE. Ubi vero blandiri ſibi Chremetem videret Syrus, & putare verum eſſe, quod gloriatus erat, jam ſe aperit ſervus, dicens, non quidem eripuiſſe ſe argentum a Menedemo, ſed ſcite tantum veniſſe ſibi in mentem, quo pacto id fieri queat. Hic igitur Chremes, VAH, inquit, GLORIARE *ergo*, EVENISSE *tibi rem* EX SENTENTIA? Tum Syrus: NON HERCLE VERO, ſub. id glorior, inquit. addens, VERUM DICO. Incertior igitur Chremes, quam dudum, DIC, inquit, QUID EST. Dacieriae τὸ GLORIARE valet, falſo autumas. Quo ſenſu parum cohaerent ea, quae ſequuntur. Mſſ. quidam: VAH! GLORIARE, ISTUC EVENISSE EX SENTENTIA?

21. PERSENTISCERES.] Priſcian. Lib. VIII. PRAESENTISCERES. Mendoſe, ut videtur. Et PERSENTISCERES eſſe in Mſſ. teſtatur Fr. Fabritius.

22. DIC SODES.] Formula, qua poſtulatur, ut alter magis diſerte, & bona fide ſententiam ſuam dicat. Sic Adelph. IV. 1. 1. Eodem ſenſu Hec. V. 4. 24. *Dic verum.*

SI SCIAS.] Mſſ. Boecleri, Mark. Bodl. Boend. SIC SATIS. Ita & Calph. & edit. 1469. cum Anon. & Junt.

Sed porro auſculta, quod ſupereſt fallaciae.
Seſe ipſe dicet tuam vidiſſe filiam:
Ejus ſibi complacitam formam, poſtquam adſpexerit.
Hanc cupere uxorem. *Ch.* Modone quae inventa 'ſt? *Sy.* Eam.
Et quidem jubebit poſci. *Ch.* Quamobrem iſtuc, Syre?
Nam prorſum nihil intelligo. *Sy.* Hui! tardus es.
Ch. Fortaſſe. *Sy.* Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum, atque veſtem, quî, teneſne? *Ch.* Comparet?
Sy. Id ipſum. *Ch.* At ego illi neque do, neque deſpondeo.

Sy.

CALPHURNII.

24. TUAM VIDISSE FILIAM.] Neque hoc Menedemo crediturus eſt Chremes, dum dicet inferius, *Et illum ajunt velle uxorem.*

27. JUBEBIT POSCI.] Id eſt, *peti.* [3] *Petimus* aliquid precario: *Poſcimus* imperioſe: *Poſtulamus* jure.

28. PRORSUS NIHIL INTELLIGO.] PRORSUS, pro eo quod eſt *omnino.* Sunt qui conjunctionem velint. Vel PRORSUS, *certe*, *recte*, *vere.* Et dicitur quaſi *porro verſus.* [4] nam PRORSUM, eſt *porro verſum*, id eſt, ante verſum. Hinc & *prorſa oratio*, quam non inflexit cantilena.

HUI.] Interjectio mirantis. Et hoc cum geſtu ſervili, & leviori perſonae congrue dictum.

29. ARGENTUM DABITUR.] Scilicet a Menedemo. inferius Chremes non immemor verborum Syri, Menedemo dicet, *Et illum ajunt velle uxorem: ut quum deſponderis, Des qui aurum, & veſtem, atque alia, quae opus ſunt, comparet.*

30. QUI.] Pro *quo.*

31. NEC SPONDEO.] Proprie dixit. [5] *Spondet* pater puellae: *Deſpondet* pater adoleſcentis. In Andria, *Placuit; deſpondi.*

32. FUGITIVO DABO?] A conditione perſonae Cliniam vituperat: nam *fugitivi* proprie *ſervi.* Unde in edicto Aedilium Curulium, titulus eſt ſervorum fugitivorum, *Si quis fugitivus, errove ſit, noxave ſolutus non ſit.* * HOMINI FUGITIVO.) Dicitur *Homo fugitivus*, & *ſervus fugitivus*, non *Fugitivus ſervus*, quia tunc eſt ſuperfluum, ut teſtatur [6] Quinctilianus. Ergo dicendum, *Servus fugitivus*, vel *Fugitivus*, ſine additamento.

OBSERV. IN CALPH.

3. *Petimus aliquid precario.*] Haec Donatus notavit ad And. II. 5. 11.

4. *Nam prorſum, eſt porro verſum.*] Donat. ad Eun. II. 3. 14.

5. *Spondet pater puellae.*] Verba Donati ad And. I. 1. 75.

6. *Quinctil.*] Forte reſpexit locum, qui eſt Inſt. VII. 4.

COMMENTARIUS.

23. SED PORRO AUSCULTA, QUOD SUPEREST FALLACIAE.] Non eſt hic inſititius verſus, quod exiſtimabat Guyetus; reſpicit enim id, quod dixerat ſupra IV. 3. 33.

Vera dicendo, ut eos ambos fallam:

Haec eſt igitur, quam dicit, *fallacia*, & qua vera dicendo nunc fallit Chremetem.

25. EJUS SIBI COMPLACITAM FORMAM, POSTQUAM ADSPEXERIT.] Scilicet, quia Ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν.

26. HANC CUPERE.] Mſ. Bodl. Boend. Lipſ. HANC SE CUPERE. Ita & edit. 1469. Anon. Junt.

MODONE.] Mſ. Bodl. MODO QUAE INVENTA 'ST? & ita editio Anonyma.

EAM.] Mſ. Mark. EA.

28. HUI! TARDUS ES.] Mſ. Lipſ. non agno-

ſcit

Sy. Non? quamobrem? *Ch.* Quamobrem? me rogas? homini! *Sy.* Ut lubet.
Non ego dicebam, in perpetuum illam illi ut dares,
Verum ut ſimulares. *Ch.* Non mea 'ſt ſimulatio:
Ita tu iſtaec tua miſceto; ne me admiſceas.
Egon' cui daturus non ſum, ut ei deſpondeam?
Sy. Credebam. *Ch.* Minime. *Sy.* Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere juſſeras,
Eo cepi. *Ch.* Credo. *Sy.* Caeterum equidem iſtuc, Chreme,
Aequi

CALPHURNII.

33. NON EGO PERPETUO.] *Virgilius,*

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Illa datur PERPETUO; quae omnes annos cum marito exigit.

35. TUA MISCETO.] Verba probi viri, qui non vult adhaerere conſilio alterius in re non probabili.

36. CUI DATURUS NON SUM.] Argumentum ab aequo. Non aequum, non leges ipſae concedunt, ut quis pater filiam alicui ſpondeat, deinde deneget.

39. ISTHUC CHREME.] In re non probabili vult inire opinionem optimi ſervi, qui domino bona fide morem gerat, & pro viribus obſequatur.

OBSERV. IN CALPH.

7. *Virgilius.*] Aeneid. I. 75.

COMMENTARIUS.

ſcit τὸ ES. Neqûe edit. anni 1469. In aliis eſt, VAH! TARDUS ES.

29. ARGENTUM DABITUR.] Scilicet a patre Menedemo.

30. AURUM, ATQUE VESTEM, QUI, TENESNE? CH. COMPARET?] Mſſ. quidam & editi vetuſti poſt Anonymam, & anni 1469. AURUM, ATQUE VESTEM, QUI COMPARET. TENESNE? CH. COMPARET? Senſu nihilo deteriore. Sic ſupra III. 3. 45.

Mille nummûm poſcit. CH. *Et poſcit quidem!*

Et ſane, ſi Syrus non addidit illud COMPARET, ſed dixit tantum, TENESNE? Chremeti reſpondendum fuit, TENEO. Sic Eun. III. 1. 15. Nunc vero cum admiratione repetit τὸ COMPARET. Firmant hunc ſenſum, quae ſequuntur: AT EGO ILLI NEQUE DO, NEQUE DESPONDEO. De quo verbo vide ad And. I. 1. 75. & Georg. Fabritium ad h. l.

32. HOMINI!] Sub. In alieno amore occupato & amanti Bacchidem. Ei ego filiam darem in ſeditionem atque incertas nuptias? Mſ. Mark. & Boend. addit: DAREM ILLAM FUGITIVO? Calphurnius: HOMINI FUGITIVO DABO? Utrumque eſt in editis.

33. IN PERPETUUM.] Mſ. Mark. PERPETUO. Quod laudat Rivius, & in duobus Mſſ. legit Boeclerus. Mſ. Lipſ. Boend. & editi primi, NON EGO PERPETUO DICEBAM UT ILLAM ILLI DARES.

34. UT SIMULARES.] Menedemi fallendi gratia ſcilicet.

NON MEA 'ST SIMULATIO.] Sic ſupra III. 2. 38.

Non eſt mentiri meum.

35. ITA TU ISTAEC TUA MISCETO; NE ME ADMISCEAS.] Sic infra V. 2. 22.

Ne te admiſce.

Edit. 1469. non agnoſcit τὸ TUA. Mſ. Boend. & edit. Anon. ADMISCETO. Libri quidam, UT NE, quod probant Goveanus & Guyetus.

37. CREDEBAM.] Sub. Te aſſimulaturum, & fore, ut facile tibi id perſuaderetur. Inſerviunt autem haec differendae cataſtrophae.

Digitized by Google

Aequi bonique facio. *Ch.* Atqui cum maxume
Volo te dare operam, ut fiat, verum alia via.
Sy. Fiat: quaeratur aliud. ſed illud, quod tibi
Dixi de argento, quod iſta debet Bacchidi,
Id nunc reddendum 'ſt illi: neque tu ſcilicet
Eo nunc confugies. quid mea? num datum mihi eſt?
Num juſſi? num illa oppignerare filiam
Meam, me invito, potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt, Jus ſummum ſaepe ſumma malitia eſt.

Ch.

CALPHURNII.

42. FIAT: QUAERATUR ALIUD.] Aſtute & callide, in omnibus aſſentitur hero: quia jam lenibus verbis extorquebit argentum.

45. EO NUNC CONFUGIES.] Id eſt, ad rationes quas ſtatim callide ſubjicit. magna vis eſt perſuaſionis: quoniam non prius amovemus ea quae is reſponderet, a quo aliquid petimus.

47. ME INVITO, POTUIT?] Haec pro Chremete eſſent, & jure non teneretur reddere id argentum.

COMMENTARIUS.

40. AEQUI BONIQUE FACIO.] Senſus & conſtructio eſt, Accipio id in partem aequi & boni. aeſtimo tanquam aequum & bonum. Adde C. V. Jac. Periz. ad Sanct. Min. IV. 7. 2.

CUM MAXIME.] Ἔλλειψις. plene, *Ita nunc, ut, cum maxime.* Adelph. IV. 1. 2. Phorm. I. 4. 27. Flor. IV. 1. 3. Gr. ὅτι μάλιστα. Priſcian. Inſtit. Grammat. Lib. XVIII.

42. SED ILLUD, QUOD TIBI DIXI DE ARGENTO.] Vide Eugraphium. Ceterum Syrus quia primo parum proceſſit fraus, nunc alia via ſenem aggreditur, ejuſque objectiones & exceptiones ex tempore occupat & refellit: citans illud: JUS SUMMUM SAEPE SUMMA EST MALITIA. Haec pluribus exſequutus eſt Boeclerus.

44. NEQUE TU SCILICET EO NUNC CONFUGIES.] Ita dixit, ut ſupra III. 1. 78.

Ibit *ad illud ilico,*
Quo maxime apud te ſe valere ſentiet:
Abiturum ſe abs te eſſe, ilico minabitur.

46. NUM ILLA OPPIGNERARE FILIAM MEAM, ME INVITO, POTUIT?] Num anus illa Corinthia moriens potuit oppignerare filiam meam Antiphilam Bacchidi pro mutuo ſibi argento dato? Vide ſupra III. 3. 42. Eſt vero *pignerare* & *oppignerare*, dare pignori, opponere pignori; *pignerari*, capto pignore ſibi quem obligare. Martial. II. 57. 7. de extrema paupertate:

Oppigneravit *Claudii modo ad menſam*
Vix octo nummis annulum, unde coenaret.

48. JUS SUMMUM SAEPE SUMMA EST MALITIA.] In aliis eſt, INJURIA. fortaſſe rectius, ob vocum ἐναντίωσιν. Menander,

καλὸν
Οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν, ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους
Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.

Citat Stobaeus Tit. XLIV. Laudat Gerardus Falkenburgius in gloſſis Mſſ. Eſt igitur MALITIA h. l. aſperior & malitioſa juris interpretatio. Gall. *chicane.* Caeteroquin verſuta & fallax nocendi ratio. Cic. Off. I. 10. *Exiſtunt etiam ſaepe injuriae calumnia quadam, & nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione. Ex quo illud;* SUMMUM JUS, SUMMA INJURIA; *factum eſt jam tritum ſermone proverbium.* Nec abludit Regum ſapientiſſimi ſapientiſſimum ſcitum, Eccleſ. VII. 16. אל-תהי צדיק הרבה *Ne ſis nimium juſtus.* Planiſſime Cicero pro Caecina cap. 23. *Si contra verbis & literis, &, ut dici ſolet,* ſummo jure *contenditur: ſolent ejuſmodi* iniquitati *boni & aequi nomen dignitatemque opponere.* Adde Lindenbruchium.

49. HAUD FACIAM.] Non videtur negare his

verbis

Ch. Haud faciam. *Sy.* Immo, aliis ſi licet, tibi non licet:
Omnes te in lauta, & bene aucta parte putant.
Ch. Quin egomet jam ad eam deferam. *Sy.* Immo filium
Jube potius. *Ch.* Quamobrem? *Sy.* Quia enim in hunc ſuſpicio 'ſt
Translata amoris. *Ch.* Quid tum? *Sy.* Quia videbitur
Magis veriſimile id eſſe, quum hic illi dabit:
Simul & conficiam facilius ego, quod volo.
Ipſe adeo adeſt. abi: effer argentum. *Ch.* Effero.

CALPHURNII.

50. IN LAUTA.] Non decet eum qui laurae vitae ſit & ſplendidae, in omnibus juris rigorem obſervare. nam qui ad unguem jus ſervant, aſperi, difficiles, & tenaces multis videntur.

51. EGOMET.] Senex gloriae cupidus, adeo flectitur verbis Syri, ut ad meretricem cum argento feſtinare cupiat.

55. SIMUL ET CONFICIAM.] Hoc loco pro *efficiam* ponitur: quo ſaepius in hac ſignificatione *Cicero* utitur. Ab hoc, *Confectum*, [8] proprie verbum convenit gladiatoribus his, qui graviſſimis vulneribus occubuerunt. [9] *Cicero* in Catilinam, *Gladiatori illi* confecto *&* *ſaucio*.

OBSERV. IN CALPH.

8. *Proprie verbum convenit gladiatoribus.*] Haec repetita e Donato, ad Eun. V. 4. 6.

9. *Cicero in Catilinam.*] II. 11.

COMMENTARIUS.

verbis Chremes, uti vulgo creditur, ſed id velle, NON NEGABO, ſed perſolvam pecuniam iſtam.

50. OMNES TE IN LAUTA, ET BENE AUCTA PARTE PUTANT.] Rivius defendit PARTI, ob rationem metri, qui ſextus caſus eſt Plauto & Lucretio. Ineptum verſum hunc dicit Guyetus & minus Latinum. In Mſſ. Leidenſibus tribus, ſed & Traject. & Lipſ. eſt, BENE ACTA PARTE. In Leidenſium uno, IN LAUDATA ET BENE ACTA PARTE. Et editio Juntina poſt 1469. exhibet τὸ ACTA, ſenſu obſcuro, vel nullo. Palmarius BENE UNCTA legebat; laudatque Vir Cl. Petrus Burmannus ad Petron. cap. 43. Phraſis autem integra, *Eſſe in lauta parte*, ſuſpecta eſt Boeclero. Malim, ſi per Codd. liceret: OMNES TE IN LAUTA ET BENE AUCTA RE PUTANT. Sed fortaſſe τὸ PARTE queat notare hereditatem patrimonii, & bonorum partem divinitus Chremeti datam. Quo & Phaedrum reſpexiſſe crediderim, III. 18. 10. ubi Juno ad Pavonem:

Fatorum arbitrio partes *ſunt vobis* datae:
Tibi forma, vires aquilae, luſcinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina;
Omnes quae propriis *ſunt contentae* vocibus.

Quam locutionem non perſuadent eruditi Interpretes a ſcena partibuſque ſcenicis deſumtam eſſe. Primum enim alienum videtur, avibus *partes* agendas dari, quod de hominibus perquam uſitatum eſt. Tum nihil *proprii* datur in Scena, ſed ficta & ſimulata omnia. Poſſit tamen & vera lectio videri: OMNES TE IN LAUTA ET BENE PER TE AUCTA RE PUTANT. Quae conjectura eſt Cl. Viri, Jac. Perizonii. Sic Nepos Dione, cap. 1. *Magnas praeterea divitias ei a patre relictas, quas ipſe tyranni muneribus* auxerat. Idem verbum eadem de re JCtis familiare.

55. SIMUL ET CONFICIAM EGO, QUOD VOLO.] Haec parum intellexit Chremes, caeteroquin minime daturus argentum. Intellexit autem de Menedemo fallendo. quum Syrus paullum averſus ad ſpectatores id vellet, Sub ſpecie Menedemi fallendi, decipiam Chremetem.

ACTUS

ACTUS QUARTI

SCENA SEXTA.

Clitipho. Syrus.

Cl. NUlla eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet,
Quam invitus facias: vel me haec deambulatio,
Quam non laborioſa, ad languorem dedit!
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miſer aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Dii, Deaeque, quantum eſt, Syre,
Cum tuo iſtoc invento, cumque incepto perduint!

Hujuſ-

CALPHURNII.

1. NUlla est tam facilis res.] *Hic exprimitur amantis conſtantia, qui ob nimium amorem Syro in re ſua iraſcitur: dehinc paulo momento illum demulcet.*

Quin.] Pro, *quod non.*

Difficilis.] Huic illud contrarium, *Nihil difficile homini volenti.*

2. Vel me haec.] [1] Vel, modo non eſt diſjunctiva conjunctio, ſed pro *etiam* poſita. ut apud [2] *Vergilium,*

Vel Priamo miſeranda manus.

Haec deambulatio.] Quae facilis & non laborioſa. nam deambulatio homini potius voluptatem quam laborem affert.

6. Ut te omnes quidem Di.] Improvidus adoleſcens non conſiderat quid a Syro in rem ſuam peractum ſit: ſed omnia ad voluptatem ſuam refert.

7. Istoc invento.] Cum contemtu atque odio haec pronuntiantur.

Tuo istoc invento, cumque incepto.] [3] Quaſi de magno facinore. nam *inceptum*, & *inceptare*, & *incipere*, magnorum eſt facinorum.

Perduint.] Et antiquum eſt, & Plautinum.

OBSERV. IN CALPH.

1. Vel, *modo non eſt diſjunctiva particula.*] Verba Donati ad And. III. 2. 9.

2. *Virgilium.*] Aeneid. XI. 259.

3. *Quaſi de magno facinore.*] Vid. Donat. ad Eun. V. 8. 1.

COMMENTARIUS.

1. Nulla est tam facilis res.] Vid. Lindenbruch.

2. Haec deambulatio.] Reſpicit verba Syri, quibus a Bacchide fuerat extruſus, ſupra III. 3. 24.

3. Quam non laboriosa.] H. e. quam facilis. Suet. Tib. 27. *Verba mutare, & pro auctore, ſuaſorem: pro ſacris*, laborioſas *dicere coegit.*

Ad languorem dedit.] Plaut. Aſin. III. 2. 28.

Ubi ſaepe ad langunrem *tua duritia* dederis
octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.

5. Extrudar.] Mſ. Mark. Boend & edit. Anon. Excludar.

7. Cum tuo istoc invento.] De vi particulae cum vid. ad And. V. 4. 38.

8. Hu-

Hujuſmodi res ſemper comminiſcere,
Ubi me excarnifices. *Sy.* I tu hinc quo dignus es:
Quam pene tua me perdidit protervitas!
Cl. Vellem hercle factum: ita meritus. *Sy.* Meritus! quomodo?
Nae me iſtuc ex te prius audiviſſe gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
Cl. Quid igitur dicam tibi, vis? abiiſti: mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.

Sy.

CALPHURNII.

8. COMMINISCERE.] Pro *comminiſceris*, id eſt, *fingis*. hinc *commentum*. Alibi, *Atque ipſis hoc commentum placet.*

9. EXCARNIFICES.] Terribiliter EXCARNIFICES dixit, hoc eſt, *excrucies*. EXCARNIFICARE deductum eſt a *carnifice*. [1] *Carnifex* eſt, qui carnes ex homine facit. nam *caro* dicta eſt, eo quod careat anima. Et *caro* proprie dicitur mortuorum. [2] *Virgil.*

Et corpora luce carentum.

Vel *caro* ſit dicta quaſi *cado*. [3] *Virgil.*

Belloque caduci
Dardanidae.

Quod jam ſcilicet ſine anima ſit, & cadat.

I TU HINC.] Et hic ſecure exclamat: quod jam extorſerit argentum.

10. PROTERVITAS!] Importunitas, vel petulantia. PROTERVITAS, levior eſt quaedam contumelia. *Procacitas*, major. *Petulantia*, maxima.

11. ITA MERITUS.] MERETUR quis & bonum & malum. Et *mereri* & *promereri* eſt praeſtare beneficium. [4] *Virgilius*,

Quique ſui memores alios fecere merendo.

Et [5] *idem*,

Nunquam, regina, negabo
Promeritam.

12. EX TE PRIUS AUDIVISSE GAUDEO.] Sic fingimus, quando ſumus collaturi beneficium in aliquem, & quicquam audimus quod non placet, nec tamen nos inſenſos reddat.

15. NON LICEAT TANGERE.] Nimius eſt ardor in adoleſcente cum videat amicam, nec tamen *tangendi* facultas datur.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Carnifex eſt, qui carnes ex homine facit.*] Integer hic locus deſcriptus e Donato ad Hec. III. 4. 27.
3. *Virgil.*] Georg. IV. 255. Legitur, *tum.*
4. *Virgil.*] Aen. VI. 481.
5. *Virgilius.*] Aeneid. VI. 664.
6. *Idem.*] Aeneid. IV. 334.

COMMENTARIUS.

8. HUJUSMODI RES.] Mſ. Mark. HUJUSMODI MI RES.

9. UBI ME EXCARNIFICES.] H. e. Quibus rebus me excarnifices. Scilicet ſolet τὸ UBI pro relativo uſurpari & ad praecedens ſubſtantivum referri. Sic Eun. II. 3. 20. III. 5. 36. Heaut. V. 1. 43. Plaut. Capt. Caterva verſu 5.

Hujuſmodi paucas Poëtae reperiunt Comoedias,
Ubi *boni meliores fiunt.*

Vid. Eun. III. 5. 36.

I TU HINC.] Bembus legit & defendit, IS HINC, QUO DIGNUS ES? Alii, IN' HINC.

10. PERDIDIT.] Mſ. Mark. Boend. & edit. Anonyma, PRODIDIT. Ita & Mſ. Boecleri. Senſus autem eſt, Quam pene tua protervitas & manus incontinentes conſilia mea diſturbaſſent, & me patris tui irae objeciſſent.

14. DICAM TIBI, VIS?] Mſ. Lipſ. & Boend. TIBI VIS DICAM? Ita & edit. 1469. cum Anonyma.

ABIISTI.] Scilicet ad Antiphilam ex urbe arceſſendam. Vide ſupra I. 2. 17.

Sy. Jam non ſum iratus. ſed ſcin' ubi nunc ſit tibi
Tua Bacchis? *Cl.* Apud nos. *Sy*. Non. *Cl.* Ubi ergo? *Sy*. Apud
Cliniam.
Cl. Perii! *Sy*. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. *Cl.* Garris. unde? *Sy*. A tuo patre.
Cl. Ludis fortaſſe me. *Sy*. Ipſa re experibere.
Cl. Nae ego fortunatus homo ſum! deamo te, Syre.
Sy. Qua cauſa id fiat. obſecundato in loco.

Sed

CALPHURNII.

16. JAM NON SUM IRATUS.] Non poteſt prae nimia laetitia diutius reticere quod fecerit.

IRATUS.] IRATUS eſt ex cauſa: *Iracundus* ex moribus.

SCIN' UBI NUNC SIT?] Haec interrogatio gaudentis eſt, & cui omnia ex voto ſucceſſerint.

18. PERII!] Haec vox eſt amantis, aliquid mali ſuſpicantis. * Quia amantibus omnia ſunt ſuſpecta.

JAM ARGENTUM.] JAM, nimiam velocitatem ſignificat.

DEFERAS.] In alia ſignificatione accipitur illud Olympiadis ad Alexandrum, *Amabo*, inquit, *mi fili, quieſcas, neque deferas me.* Hinc *delator*.

19. GARRIS.] Tanquam avis. unde *garrulus*. Et GARRIRE is dicitur, qui inaniter loquitur.

20. EXPERIBERE.] Antiquum eſt: nos dicimus *experiere*. ¹ *Juvenalis*,

Experiar concedatur in illis, &c.

21. NAE EGO.] NE, id eſt *valde*.

DEAMO TE, SYRE.] Id eſt, *valde amo*. DE, hoc loco auget: alias diminuit.

22. QUA CAUSA ID FIAT.] Ut argentum habeamus quod ad Bacchidem deferas.

OBSECUNDATO IN LOCO.] OBSECUNDARE eſt omnia ad alterius nutum facere.

OBSERV. IN CALPH.

¹. *Juvenalis.*] Sat. I. 170. lege autem: *Experiar, quid concedatur in illos.*

COMMENTARIUS.

17. TUA BACCHIS?] Goveanus & Muretus, ut metro conſulant, tollunt TUA. Eraſmus vero reſecat τὸ APUD. Illud elegantiam, hoc Latinitatem laedit.

19. UNDE?] Mſſ. pluſculi & edit. 1469. cum Anonyma, UNDE ID?

20. LUDIS FORTASSE ME.] Ita ſolent, qui vix credunt rem laetam ſibi nunciatam. Adelph. IV. 5. 63.

21. DEAMO TE.] Grati animi vox eſt. Eun. I. 2. 106. Heaut. II. 3. 119. Adelph. V. 8. 23.

22. SY. QUA CAUSA ID FIAT.] Integrum hunc verſum Muretus facit ſecundum a fine, ita collocans verba Syri:

Sed pater egreditur. cave quidquam admiratus ſies,
Qua cauſa id fiat: obſecundato in loco:
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

Quam emendationem laudat Guyetus, laudant alii. Nemo auctoritatem ullius Codicis vetuſti profert. Et fateor, ſi ita legeretur in idoneo quopiam Mſ. ſenſum fore optimum. Idem tamen Guyetus in Codice ſuo ita ordinat perſonas, ut iſta, SED PATER EGREDITUR, etiam Clitiphoni tribuantur. Videtur autem ordo verborum vulgatus retineri poſſe. Scilicet, dixerat Syrus, IPSA RE EXPERIBERE, quum ſubito interloquitur Clitipho, dicens: NAE EGO FORTUNATUS HOMO SUM. DEAMO TE, SYRE. Hic Syrus proſequitur, quod dicturus erat, dicens, QUA CAUSA ID FIAT. Quo dicto admonitionem ſubjungit, OBSECUNDATO IN LOCO, ſub.

patri.

Digitized by Google

Sed pater egreditur. cave quidquam admiratus ſies:
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

CALPHURNII.

24. Loquitor paucula.] Paucula dixit, non *pauca:* & ſic majorem vim admonitio iſta habitura eſt. nam paucula coram patre loquetur Clitipho.

COMMENTARIUS.

patri, vel mihi. Simile praeceptum vide And. IV. 3. 20. Eſt vero *obſecundare* omnia alicui ſecunda & ſubſervientia dicere & facere. Sic Plaut. Truc. IV. 2. 3.

tempus ei rei ſecundes.

In Mſ. Mark. Traject. & Leidenſium uno, & edit. Junt. aliiſque antiquis omnia haec Syro tribuuntur uſque ad finem Scenae. quae lectio conjecturam noſtram firmat. Vulgo autem verſus a fine tertius Clitiphoni datur.

24. Loquitor.] Editio Anonyma, & Tarviſiana, anni 1481. loquere.

ACTUS QUARTI

SCENA SEPTIMA.

Chremes. Clitipho. Syrus.

Ch. Ubi Clitipho nunc eſt? *Sy.* Eccum me! inque. *Cl.* Eccum hic tibi!
Ch. Quid rei eſſet, dixti huic? *Sy.* Dixi pleraque omnia.

Ch.

CALPHURNII.

1. Ubi Clitipho nunc est?] *Egreditur Chremes cum argento.*

Eccum me! inque.] *Syrus ſubjicit verba Clitiphoni, quae patri reſpondeat.* Inque.] [1] Raro alibi praeter *inquam* & *inquit* reperies. Inque.] id eſt, *dic.*

2. Pleraque omnia.] [2] Hic adjectio in primo poſita eſt loco. Adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo pleraque ex abundantia poſitum eſt. Omnia neceſſario additum in ultimo, ſicut *interealoci*, *interibi.*

3. Quid stas? lapis!] Hoc dictum in ignavum. Illa vero, *caudex*, *ſtipes*, *aſinus*, in ſtultum.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Raro alibi.*] Contraria exempla Plautus, Cicero, alii ſuppeditant.

2. *Hic adjectio in primo poſita eſt loco.*] Locus hic repetitus eſt e Donato ad And. I. 1. 28.

COMMENTARIUS.

2. Dixti huic?] Mſ. Mark. Dixti huic, Syre?

Pleraque omnia.] Vid. ad And. I. 1. 28.

3. Hei, quid stas? lapis!] Cod. Bemb.

Ch. Cape hoc argentum, ac defer. *Sy.* Hei, quid ſtas? lapis!
Quin accipis? *Cl.* Cedo ſane. *Sy.* Sequere hac me ocius.
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil eſt, illic quod moremur diutius.
Ch. Minas quidem jam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis eſſe nunc duco datas:

Haſce

CALPHURNII.

4. Quin.] Pro, *cur non.*

5. Opperibere.] Antiquum eſt, ſicut *experibere.*

7. Minas quidem.] Inducitur tenax ſenex circa rem ſollicitus, qui conqueritur de damno quod illi acciderat de inventa filia.

8. Pro alimantis.] Nam crediderat anum illam oppigneraſſe filiam Bacchidi.

COMMENTARIUS.

Is, quid stas? lapis! Vide ſupra IV. 6. 9. In aliis eſt I. rurſus in aliis hem. Stupidum hominem & ſtolidum *Lapidem* vocabant. Sic infra V. 1. 44. Hec. II. 1. 17. Plaut. Merc. III. 4. 46.

egomet credidi
Homini docto rem mandare, *is* lapidi *mando* [*maximo.*

Mil. IV. 2. 33.

Nullum eſt hoc ſtolidius ſaxum.

Ariſtoph. Nub. 1204. *Λίθοι.* Ubi ſcholia: *τυφέσιν, ἠλίθιοι, ἀναίσθητοι. μεταφορικῶς.* Ceterum Guyetus parum accurate omnia haec, cape hoc argentum, ac defer. i, quid stas? lapis! quin accipis? Chremeti tribuit. Chremes enim, qui adhuc non commutaverat verbum unum cum filio, *lapidem* eum diceret? Chremes juberet primum ire cum argento filium ad Bacchidem, mox demum a ſe accipere argentum? non cohaerent. Bene igitur ordinatae ſunt perſonae, ut vulgo ex Mſſ. exhibentur. Quum enim prae gaudio vix crederet Clitipho verbis patris, Cape hoc argentum, ac defer, ceſſaretque accipere, Syrus indignatus ſubmonet eum, dicens, I, ſub. ad patrem, Quid stas? lapis! quin accipis? Tum monitus a Syro Clitipho paucula loqui, incertus erat, eloqueretur, an ſileret; acciperet, an non acciperet. Poſſint tamen illa, quin accipis? etiam Chremeti tribui, ſi per Codices liceret.

4. Sequere hac me ocius.] Mſ. Lipſ. Sequere hac nunc ocius. Edit. Anon. & 1469. Sequere me hac nunc ocius. Ita & Mſ. Bodl. & Boend.

6. Nihil est, illic quod moremur diutius.] Ita diſtinxi. Vulgo *κόμματος* ſignum poſt τὸ illic ponitur. Fingit autem haec ſervus, ne ſuſpicio amoris ſuboriatur Chremeti, ſi diutius moraretur Clitipho in aedibus Menedemi cum Bacchide. Suſpicatur autem ſibi fucum factum a Syro, infra V. 1. 9.

8. Quas pro alimentis.] In Mſ. Bodl. ſuprafcriptum, *h. e. invitamentis.* Binos hoſce verſus tanquam infititios expungit Guyetus. Sed praeterquam quod Codicum fide deſtituitur, τὸ porro in verſu ſeq. locum habere non poteſt, niſi etiam de alteris illis decem minis mentione prius facta. Sic Phorm. I. 1. 12.

porro *autem Geta*
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.
Porro *autem alio, ubi erit puero natalis dies:*
Ubi initiabunt.

Et ſunt haec multa illa injusta ac prava, quae fiunt moribus. Vide Chreſtomath. Boecleri, v. *Exponere.*

Duco.] Mſ. Mark. Boend. & Boecleri omnes, cum edit. Anon. dico. Anteſignanus autem, Quas pro alimentis esse nunc duco datas, vertit: *Leſquelles maintenant j'eſtime & ſuppoſe avoir eſté baillées pour* (ſon) *nourriſſage.* In paraphraſi etiam planius: *Au lieu de ce qu'il m'eut coſté la faire nourrir.*

9. Hasce ornamentis consequentur altarae.] Mſ. Mark. Boend. & edit. Anon. pro ornamentis. Tanto minus τὸ ornamentis ſollicitandum mihi videtur, quod praeter *alimenta* & dotem etiam *ornamenta* requirebantur ad filiam ex honeſta familia ortam. Unde Suetonius de Veſpaſiano narrat cap. 14. *Offenſarum inimicitiarumque mini-*

nis.

Digitized by Google

Haſce ornamentis conſequentur alterae.
Porro haec talenta dotis adpoſcunt duo.
Quam multa injuſta ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus eſt
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

CALPHURNII.

9. ALTERAE.] Id eſt, *totidem*.

10. PORRO.] Modo adverbium ordinis: alias temporis.

HAEC ADPOSCUNT.] [3] HAEC pluraliter pro *hae*. In Eunucho, *Continuo haec adornant, ut lavet.* In Phormione, *Haec illae erant itiones.*

TALENTA DUO.] In ſequentibus dicet,

Duo talenta pro re noſtra ego decrevi eſſe ſatis.

12. RELICTIS OMNIBUS.] Poſitis omnibus aliis negotiis.

13. LABORE INVENTA.] Proprie, *parta*.

OBSERV. IN CALPH.

3. *Haec pluraliter pro Hae.*] Vide Donatum ad Eun. III. 5. 54.

COMMENTARIUS.

me memor, Vitellii hoſtis ſui filiam ſplendidiſſime maritavit, dotavitque etiam & inſtruxit. Sub. ornamentis & neceſſaria ſupellectile.

10. PORRO HAEC TALENTA DOTIS ADPOSCUNT DUO.] Primum HAEC dictum pro HAE, ſub. *minae*. Phorm. V. 8. 23. Plaut. Aul. III. 5. 58.

Haec *ſunt, atque aliae multae in magnis dotibus*
Incommoditates.

Tum ADPOSCUNT ſub. ſibi, quaſi in eandem ſummam. Poſtremo DOTIS, eſt dotis nomine. Plaut. Ciſtell. II. 3. 19.

Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis.

Vir Cl. Jac. Perizonius ad Sanct. Min. II. 3. 7. exponit, *duo talenta, quibus conſtet dos*; & adducit illa Plauti, Perſ. III. 1. 66.

Dabuntur dotis *tibi inde ſexcenti logi.*

Et Nep. Alcib. 9. *Ex quo quinquaginta talenta* vectigalis *capiebat*. Timoth. 1. *Mille & ducenta talenta* praedae *in publicum detulit*. Mſſ. quidam & edit. anni 1469. ADPOSCENT.

11. FIUNT MORIBUS!] H. e. conſuetudine. Guyetus Eugraphium legiſſe autumat: QUAM MULTA JUSTA INJUSTA FIUNT MORIBUS. Quod & Georg. Fabritius defendit. Retinendae autem vulgatae lectioni aptus videtur locus Plauti, Stich. V. 1. 1.

More hoc fit, *atque ſtulte, mea ſententia.*

Uti enim Plautus, *Hoc more fit, atque ſtulte*, ita Terentius, *Multa fiunt moribus, injuſta ac prava.* Certe enim injuſta quae ſunt, moribus nunquam fient juſta. Ut adeo minime opus ſit, cum Daciera legere: QUAM MULTA INJUSTA AC PRAVA, JUSTA FIUNT MORIBUS. Neque cum priore Aldi editione: QUAM MULTA JUSTA INJUSTA AC PRAVA FIUNT MORIBUS. Plaut. Trin. IV. 3. 30.

Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam.

Virg. Aeneid. VII. 246.

Hoc Priami geſtamen erat, cum jura vocatis
More *daret populis.*

Tangit autem corruptos mores ſui temporis, reſpiciens tempora heroica, quibus filiae non adferebant dotes, ſed emebantur a procis. Vid. Salmaſ. de Mod. Uſur. pag. 138. & Ampl. Gisb. Cuperi Obſerv. I. 10.

12. RELICTIS REBUS.] Sic And. II. 5. 1. In aliis eſt, RELICTIS OMNIBUS. Vid. Giſan. Ind. Lucret.

ACTUS QUARTI

SCENA OCTAVA.

MENEDEMUS. CHREMES.

Me. MULTO omnium nunc me fortunatiſſimum
Factum puto eſſe, gnate, quum te intelligo
Reſipiſſe. *Ch.* Ut errat! *Me.* Te ipſum quaerebam, Chreme:
Serva, quod in te eſt, filium, & me, & familiam.
Ch. Cedo, quid vis? faciam. *Me.* Inveniſti hodie filiam.
Ch. Quid tum? *Me.* Hanc ſibi uxorem dari volt Clinia.
Ch. Quaeſo, quid tu hominis es? *Me.* Quid eſt? *Ch.* Jamne oblitus es,

Inter

CALPHURNII.

1. MULTO OMNIUM NUNC ME.] *Hic eſt jucunda expoſitio erroris ſenis de verbis Syri, qui Menedemum credit decipi, dum ipſe decipitur.*

3. UT ERRAT!] [1] *Virgilius,*
Ut vidi, ut perii.

4. FILIUM.] FILIUM prius nominavit, in quo omnis cura patris erat.

7. QUAESO.] Modo objurgatorium eſt.

QUID HOMINIS ES?] In Eunucho, *Quid iſtuc, inquam, ornati eſt?* [2] Scire nos convenit, cum recto caſu profertur interrogatio, non eſſe contumelioſum. Ut ſi dicas, *Quis hic homo eſt?* Si autem in obliquo, contemtum ſignificari. ut, *Quid hoc eſt hominis? quid mulieris? quid ornatus?*

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgilius.*] Ecl. VIII. 41.

2. *Scire nos convenit.*] Verba Donati ad Eun. II. 2. 6.

COMMENTARIUS.

3. RESIPISSE.] Cum bona mente in gratiam rediiſſe. Plaut. Rud. IV. 1. 8. ſimili archaiſmo.
Pol, magis ſapiſſet, *ſi dormiviſſet domi.*
Cicero Att. IV. 5. *Vix aliquando te auctore* reſipui. Diverſum ſignificatum vide And. IV. 2. 15. Dicit autem hoc egrediens Menedemus Clitiphoni, qui intus eſt. Alii, RESIPISCERE.

UT ERRAT!] Id lepidum. *Errare* dicit Menedemum, & falſo credere filium Clitiphonem relicta Bacchide amorem alio contuliſſe, qui ipſe grandem per omnem Fabulam errat errorem.

7. QUAESO, QUID TU HOMINIS ES?] Mſ. Lipſ. non agnoſcit TU, neque editio Anon. & 1469. neque Mſ. Bodl. & Boend. Eſt autem cum contemtu dictum. Sic Hec. IV. 4. 21. *Sed quid mulieris*
Uxorem habes?

JAMNE OBLITUS ES.] Similis μετεωρίας exemplum Claudius. De quo Suet. Claud. 40. *Sermonis vero rerumque tantam ſaepe negligentiam oſtendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, ſcire ac cogitare exiſtimaretur.*

9. AUFERRETUR.] Mſ. Mark. AUFERATUR.

10. CH.

Digitized by Google

Inter nos quid ſit dictum de fallacia?
Ut ea via abs te argentum auferretur. *Me.* Scio.
Ch. Ea res nunc agitur ipſa. *Me.* Quid dixti, Chreme?
Erravi. ſic res acta 'ſt. quanta ſpe decidi!
Ch. Immo haec quidem, quae apud te eſt, Clitiphonis eſt
Amica. *Me.* Ita ajunt. *Ch.* Et tu credis? *Me.* Omnia.
Ch. Et illum ajunt velle uxorem, ut quum deſponderim;
Des qui aurum, ac veſtem, atque alia, quae opus ſunt, comparet.
Me. Id eſt profecto! id amicae dabitur. *Ch.* Scilicet

Datu-

CALPHURNII.

10. EA RES NUNC AGITUR IPSA.] Et ex hoc credit eos inter ſe finxiſſe Cliniam amare Antiphilam.

11. SIC RES ACTA 'ST.] Ut decipiaris. Et haec quidem, cum contemtu interrogat. nam & hoc fictum eſſe credit.

13. ITA AJUNT.] ITA AJUNT, de re dicimus, quam volumus eſſe falſam.

16. ID EST PROFECTO.] Fingit ſe credere amico, quem fidum cognoverat.

COMMENTARIUS.

10. CH. EA RES NUNC AGITUR IPSA.] Integrum locum ita lego ac diſtinguo:

> CH. *Ea res nunc agitur ipſa.* M. *Quid dixti, Chreme?*
> CH. *Erravi. res acta 'ſt.* M. *Quanta ſpe decidi!*
> CH. *Et quidem haec, quae apud te eſt, Clitiphonis eſt*
> *Amica.* M. *Ita ajunt.* CH. *Et tu credis?* M. *Omnia.*
> CH. *Et illum ajunt velle uxorem; ut, cum deſponderim,*
> *Des, qui aurum ac veſtem, atque alia quae opus ſunt, comparet.*

Quanquam quomodocunque legas, & perſonas ordines, non omnis obſcuritas tollitur. Quare amplius cogitandum. Quid ſi Syro aucupanti ex occulto ſermonem ſenum attribuantur haec: ERRAVI. RES ACTA 'ST. QUANTA SPE DECIDI! Primum enim, ne expungam cum Faërno, facit conſenſus Codicum. Tum videtur Syrum poenitere, quod conſilium de emungendo Menedemo aperuiſſet Chremeti, ubi animadvertit, herum eam rem communicare cum Menedemo, metuens ne Menedemus praeſentiſcens dolos, caveat, ne decipiatur. Anteſignanus ita παραφράζει, ut dubites, Chremetiſne ſint verba, an Menedemi. Quod de Syro dixi, non eſt inſolens in Comoediis. Acidalius vero emendari judicat:

> CH. *Ea res nunc agitur ipſa.* M. *Quid narras, Chreme?*
> *Immo haec quidem, quae eſt apud me, Clitiphonis eſt*
> *Amica.* CH *Ita ajunt, & tu credis?* M. *Omnia.*

Sed & verſus 11. deſideratur in quibuſdam Libris. Mſ. Mark. CH. SIC RES ACTA 'ST. M. QUANTA SPE DECIDI! Alii omittunt τὸ SIC. Mſ. Traject. QUAE OPUS EST.

DIXTI.] Libri quidam ſcripti & editi, NARRAS.

14. DESPONDERIM.] Ita Mſſ. plurimi, & editi praeſtantiſſimi. Alii, DESPONDERIS. In Mſ. Lipſ. τῷ DESPONDERIM ſuprascriptum: *ei meam filiam.*

15. COMPARET.] Proprie, pro, *Emat.* quod & *Parare* dicunt. Plaut. Poen. I. 2. 1.

> *Negotii ſibi qui volet vim* parare,
> *Navem & mulierem, haec duo,* comparato.

Phaed. IV. 4. 42.

> *ut ornatum* paret.

Cic. Att. XII. 19. *Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos* parare.

16. CH. SCILICET DATURUM.] H. e. Scire licet, Cliniam id argentum daturum eſſe amicae,

Digitized by Google

Daturum. *Me.* Vah! fruſtra ſum igitur gaviſus miſer.
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te reſponſum, Chreme,
Ne ſentiat me ſenſiſſe, atque aegre ferat?
Ch. Aegre! nimium illi, Menedeme, indulges. *Me.* Sine!
Inceptum 'ſt: perfice hoc mihi perpetuo, Chreme.
Ch. Dic conveniſſe; egiſſe te de nuptiis.
Me. Dicam. quid deinde? *Ch.* Me facturum eſſe omnia:
Generum placere. poſtremo etiam, ſi voles,
Deſpon-

CALPHURNII.

17. GAVISUS.] Bene de filio GAVISUS dixit, quia *gaudemus* propriis, *gratulamur* alienis.

MISER.] MISER eſt, cui animae miſeria eſt.

18. AMITTERE.] Pro *dimittere*, more antiquo.

21. AEGRE!] Sic diſtingue, ut Chremes hanc vocem Menedemi ſubrideat: quippe quod filius non ſit ulla in re timendus.

INDULGES.] Nullum magis proprium verbum invenire potuiſſet de patre, qui omnia filio permittit.

22. INCEPTUM.] Nam quod ſemel INCEPTUM EST, non poteſt facile omitti.

*23. CONVENISSE.] CONVENIRE interdum ſignificat *paciſci.* ut [3] *Conveni tecum pro denario diurno.* Interdum ſignificat *alloqui.* ut, *Te convenire cupio*, i. e. alloqui. Interdum ſignificat, *caſu invenire.* ut [4] *Cicero* ad Lentulum: *Quem cum conveniſſet*, i. e. caſu inveniſſet. Quandoque etiam ſignificat, *placere*, *neque in controverſia eſſe.* ut, *Hoc convenit inter nos.* i. e. de hoc nulla inter nos eſt controverſia. Item dicere ſolemus, *de hoc negotio tandem convenit*, i. e. placuit deliberantibus, *ut res in craſtinum differatur.*

OBSERV. IN CALPH.

3. *Conveni tecum.*] In Evang. Matthaei XX. 13. habet Verſio vulgata: *Nonne ex Denario conveniſti mecum?* Quem locum ſine dubio reſpexit Interpres.

4. *Cicero ad Lentulum.*] Fam. I. 9.

COMMENTARIUS.

cae. Supra II. 3. 18. & infra V. 1. 19. Si autem cum Eugraphio & Boeclero verba haec Menedemo tribuas, q. d. *Scilicet daturum me decrevi*, vel, *daturum me eſſe dicam*, *quod poſtulabit filius*, minor emphaſis erit in illis Menedemi, VAH! FRUSTRA SUM IGITUR GAVISUS MISER, ſub. filium meum Cliniam ad uxorem appuliſſe animum, & Antiphilam filiam tuam ſibi in matrimonium petere. Nannio τὸ DATURUM valde ignavum videtur. Ita tamen & Plautus Curc. II. 2. 13.

Item alios Deos facturos, ſcilicet.

Guyeto in gloſſis Mſſ. τὸ VAH additamentum eſt hiſtrionicum. Muretus mutavit in AH. Neque Juntae, Rob. Stephanus, Eraſmus aliique agnoſcunt τὸ SUM. Mſſ. variant.

21. NIMIUM ILLI, MENEDEME, INDULGES.] Sed & filius dicitur *indulgens* in patrem. Cic. Off. III. 31. *Qui* perindulgens in patrem, *idem acerbe ſeverus in filium.*

22. PERFICE HOC MIHI PERPETUO.] Georg. Fabritius vere teſtatur, legi etiam PERPETUUM. quod praetulerim, ut ἐμφατικώτερον. Id enim, quod inceptum erat, perpetuum & ratum fieri poſtulat; q. d. Beneficium verbis initum dudum, nunc re comproba, ex And. V. 1. 5. Niſi PERPETUUM adverbii vice poſitum ſtatuas.

23. CONVENISSE.] Senſus eſt, vel, *nos conveniſſe*, vel, *te conveniſſe me.*

27. TANTO OCIUS.] Edit. anni 1469. TANTOCIUS.

29. ISTIUS OBSATURABERE.] H. e. Satias te &

Deſponſam quoque eſſe dicito. *Me.* Hem! iſtuc volueram.
Ch. Tanto ocius te ut poſcat, & tu id, quod cupis,
Quam ociſſume ut des. *Me.* Cupio. *Ch.* Nae tu propediem,
Ut iſtam rem video, iſtius obſaturabere.
Sed haec ita ut ſunt, cautim, & paulatim dabis,
Si ſapies. *Me.* Faciam. *Ch.* Abi intro; vide, quid poſtulet.
Ego domi ero, ſi quid me voles. *Me.* Sane volo.
Nam te ſciente faciam, quidquid egero.

CALPHURNII.

26. Desponsam.] Et hoc eſt quod Cliniae magis placiturum eſt.

Hem!] Modo interjectio laetantis: alias iraſcentis.

27. Tanto ocius.] Quia ſi acceperit filius deſponſatam Antiphilam, quam primum expoſcet argentum ad ornamenta coëmenda.

28. Nae.] Pro *valde*. Et hoc proprie Terentianum eſt.

Propediem.] Temporis adverbium, & ſignificat *cito*.

29. Obsaturabere.] Id eſt nimiam de filio capies ſatietatem. quod eſt corporis, ad animum tranſtulit. Et ſic plus hoc verbo intulit, quam ſi inveniſſet proprium verbum.

31. Postulent.] Tanquam jure: quia jure aliquid *poſtulamus*.

33. Te sciente.] Recte sciente. nam *ſciens* eſt, qui alicujus indicio rem cognoſcit. *Prudens*, qui intelligentia ſua aliquid ſentit. Ergo *ſciens* eſt per alios.

OBSERV. IN CALPH.

5. *Sciens eſt.*] Ita Donatus ad Eun. I. 1. 27.

COMMENTARIUS.

& taedium iſtius filii capiet. Κορεσθήσῃ τούτου τοῦ υἱοῦ τοῦ δυσκόλου. Hec. IV. 2. 18. Plaut. Stich. I. 1. 18.

Hae res vitae me, ſoror, ſaturant.

Eſt & phraſis ſacra. Sic Pſalm. LXXXVIII. 4. שבעה ברעות נפשי Quod recte vertit Sebaſt. Caſtalio: *Animus mihi malis ſatur eſt*. Et Belgae: *Myne Ziele is der tegenheden zat*. Graeca vero τῶν ό, ἐπλήσθη κακῶν ἡ ψυχή μου, Vulgatus expreſſit, *Repleta eſt malis anima mea*. Porro vide ad Eun. III. 1. 13.

30. Sed haec ita ut sunt.] Mſ. Lipſ. Sed haec ista ut sunt. Ita & editio anni 1469. Rivius & Fr. Fabritius defendunt, Sed haec ut ut sunt, h. e. qualiacunque ſunt. Atque ita eſt in Mſſ. nonnullis & editis.

31. Postulet.] Mſ. Mark. Bodl. Boend. & Lipſ. Postulent. Ita & omnes Mſſ. Boecleri, & editio anni 1469. Anonyma, Rob. Steph. Juntina, Aldina, aliae.

33. Te sciente.] Alii, Te scientem, h. e. certiorem. Eugraphius & Mſſ. plurimi legunt, ut edidi.

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

MENEDEMUS. CHREMES.

Me. EGo, me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe, id certo ſcio.
Sed hic adjutor meus, & monitor, & praemonſtrator Chremes,
Hoc mihi praeſtat. In me quidvis harum rerum convenit,

Quae

CALPHURNII.

1. EGo, ME NON TAM ASTUTUM.] *Quia jam ad exitum properat fabula, fallacia detegitur per Menedemum, & Cliniae Antiphila* [1] *deſponſabitur.* * *Et eſt operae pretium, videre ſenem, qui antea monebat, indigere admonitione. Et ſenes ſe multis ludibriis illudunt ultro citroque, uſque donec aperte loquens Menedemus oſtendit, Bacchidem eſſe Clitiphonis amicam, non Cliniae.* EGO ME.] Ut inſultat ſenex, dum alterius ſtultitiam & tarditatem ludibrio habet.

NON TAM ASTUTUM.] Haec jactationis cujuſdam ſpecies eſt, fingere ſe non ASTUTUM, [2] dum videt alterum ſtultiorem.

2. ADJUTOR.] Cum riſu haec pronuntianda: & ADJUTOR proprie in re bona, *Impulſor* in re mala.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Deſponſabitur.*] Forte, *deſponſatur*, uti continuo ante, *detegitur*.

2. *Dum videt.*] Forte, *dum vidët.*

COMMENTARIUS.

1. ID CERTO SCIO.] Mſſ. quidam omittunt τὸ CERTO. Unde nec in omnibus eſt impreſſis. Eſt autem in verbis Menedemi mera *διασυρτικὴ εἰρωνεία.* Suis enim erroribus ſoluto vacat etiam ridere eum, a quo uſque adhuc irriſus erat, & magiſtri rectoriſque elogio honeſtare, qui ſibi in alieno tantum ſapere viſus erat, incaute interim in fraudem illicitus.

2. ADJUTOR.] Ita dicti, qui conſilio & opera nobis adſunt. Videtur autem h. l. reſpici mos Scenae, in qua *Adjutores* dicti, qui adjuvabant hiſtriones in agendis partibus; quod ſeu voce, ſeu geſtibus fiebat. Phaed. V. 5. 13.

In Scena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine adparatu, nullis adjutoribus.

Ad quem locum vide Interpretes.

MONITOR.] Sic dicti in Scena, qui *monebant* hiſtriones, ne memoria vacillarent in agendis partibus.

PRAEMONSTRATOR.] Sic Plaut. Perſ. I. 3. 68.

Praemonſtra *docte, praecipe aſtu filiae,*
Quid fabuletur, ubi ſe natam praedicet.

Idem Trin. II. 2. 61.

Sed ego hoc verbum cum illi cuidam dico, praemonſtro *tibi,*
Ut ita te aliorum miſereſcat, ne tui alios miſereat.

3. HOC MIHI PRAESTAT.] Guyetus ſuo Codici adſcripſit: *Hoc me antecedit, i. e. ſtupiditate, ſtultitia, τῷ non eſſe aſtutum ſeu perſpicacem.*

IN ME QUIDVIS HARUM RERUM CONVENIT.] Cicero Philipp. IX. 4. *Quid enim minus in hunc ordi-*

Quae ſunt dicta in ſtultum, caudex; ſtipes, aſinus, plumbeus:
In illum nihil poteſt; nam exſuperat ejus ſtultitia haec omnia.
Ch. Ohe! jam deſine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam eſſe inventam gnatam: niſi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, niſi idem dictum ſit centies.

Sed

CALPHURNII.

4. Caudex, stipes.] Iſta injurioſe dicuntur in ſtultum & hebetioris ingenii hominem: quemadmodum ignavum, *lapidem* appellamus. quamvis tamen idem ſit: ſed hoc plus eſt.

6. Ohe!] Interjectio eſt, ſatietatem uſque ad faſtidium deſignans.

Obtundere.] [1] *Obtundit*, qui ſaepe repetendo aliquid dicit. Obtundere.] Eſt tranſlatio a fabris, qui ſaepe repetunt tundendo aliquid malleo, & idem *obtundunt* & hebetant.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Obtundit, qui ſaepe repetendo aliquid dicit.*] Haec & quae ſequuntur, Donati ſunt ad And. II. 2. 11.

COMMENTARIUS.

ordinem convenit? Et Verr. I. 49. *Quae vitia videntur in quemvis potius, quam in iſtum* convenire.

4. Caudex.] Guyetus praefert cautes, ſcilicet quia ſequitur verſu 44. Ni essem lapis. Tum quia caudex & stipes idem ſunt. Quî vero minus caudex & stipes jungantur, quam *ſilex* & *cautes* in illo Virgilii, Aen. VI. 471.

Quam ſi dura ſilex, *aut ſtet Marpeſia* cautes.

In Mſſ. quibuſdam tamen cautes eſt:

Stipes] Cicero poſt Reditum in Senatu, cap. 6. *Cum hoc homine, an cum* ſtipite *Aethiope ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe.* Vide Serv. ad Virg. Aen. III. 43. Plauto eadem ratione *frutex* in conviciis eſt, Moſtell. I. 1. 12.

Asinus.] Sic Eun. III. 5. 50. Adelph. V. 8. 12.

Plumbeus.] Suet. Ner. 2. *In hunc dixit Licinius Craſſus orator, non eſſe mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum,* cor plumbeum.

5. Nam exsuperat ejus stultitia haec omnia.] Ita legendum eſſe, non astutia, quod Mſſ. quidam praeferunt, vel unius Plauti auctoritas evincit. Ita ille Bacchid. V. 1. 1.

Quicunque ubique ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſthac
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes antedeo ſtultitia, *& moribus indoctis.*

Tum qui modo dixerat, Chremetem ſibi praeſtare aſtutia & perſpicacia, nunc ſalſe eum ridet, dicens, ſtultitiam illius exſuperare omnia dicteria. Quidam libri non agnoſcunt τὸ nam.

6. Ohe!] Recte Calphurnius: Ohe *interjectio eſt, ſatietatem uſque ad faſtidium deſignans.* Sic Martial. IV. 91. 1.

Ohe, *jam ſatis eſt*; ohe, *libelle.*

Chremes vero haec domo egreſſus uxori, quae intus eſt, loquitur.

Gratulando obtundere.] H. e. gratias agendo. Ennius Hecuba:

Jupiter tibi ſumme tandem male re geſta gratulor.

Gell. IV. 18. *Famus hinc protinus Jovi opt. max.* gratulatum. Vide Non. & Suet. Tib. 6. Calig. 6. Juſtin. XII. 8. *Itaque caeſis hoſtibus, cum* gratulatione *in eadem reverterunt.* Mſſ. quidam, congratulando. Dixit autem obtundere, quod crederent Deos fatigari precibus. de cujus vocis vi vide ad And. II. 2. 11.

7. Nisi illos ex tuo ingenio judicas.] Turpilius apud Non. *Nunc me ex aliorum ingeniis judicat* Sic Eun. I. 2. 118.

8. Nisi idem dictum sit.] Mſſ. & editi quidam, Nisi si idem dictum est.

Centies.] Sic And. V. 4. 43. *Millies audivi.* Eun. III. 1. 32. *plus millies audivi.* Phorm. III. 2. 2. *taedet jam audire eadem millies.*

9. Sed

Sed interim, quid illic jam dudum gnatus ceſſat cum Syro?
Me. Quos ais homines, Chreme, ceſſare? *Ch.* Ehem! Menedeme, advenis?
Dic mihi; Cliniae, quae dixi, nuntiaſtin'? *Me.* Omnia.
Ch. Quid ait? *Me.* Gaudere adeo coepit, quaſi qui cupiunt nuptias.
Ch. Ha! ha! he! *Me.* Quid riſiſti? *Ch.* Servi venere in mentem Syri
Calliditates. *Me.* Itane? *Ch.* Voltus quoque hominum fingit ſcelus.
Me. Gnatus quod ſe adſimulat laetum, id dicis? *Ch.* Id. *Me.* Idem iſtuc mihi
Venit in mentem. *Ch.* Veterator! *Me.* Magis, ſi magis noris, putes,
Ita rem eſſe. *Ch.* Ain' tu? *Me.* Quin tu auſculta. *Ch.* Mane. hoc prius ſcire expeto,

Quid

CALPHURNII.

9. CESSAT CUM SYRO?] Bene CESSAT, tanquam deſidioſus. nam *Ceſſant* deſidioſi, *Requieſcunt* defeſſi.

* 10. QUOS AIS HOMINES.] Hic Menedemus incipit alloqui Chremetem, ut faciem detegat.

EHEM! MENEDEME, ADVENIS?] Sic tanquam expectatus: & Adventus proprie expectatorum, neceſſariorumque dicitur. * Et HEM eſt particula oſtendens gaudium de adventu.

12. QUASI QUI CUPIUNT.] In Andria, *Ita tum diſcedo ab eo, ut qui ſe neget filiam daturum.*

13. HA! HA! HE!] Vox nimii cachinni, & accommodata Chremeti, qui credebat Menedemum decipi in filio, & ⁴ aſſimulare illum petere uxorem.

14. ITANE?] Sic lege, ut quaſi eludat Chremetem: qui paſſus eſt ſe a ſervo decipi.

FINGIT.] Format: ſi triſtes ſunt, laetos reddit. FINGERE proprie eſt figuli, qui formas ducit ex luto.

15. SE ADSIMULAT.] Refertur ad id, *Voltus hominum fingit.*

16. VENIT IN MENTEM.] Sic dicit, quia ſcit ab illo deceptum Chremetem.

⁵ VETERATOR!] Vetus eſt in aſtutia.

17. ITA REM ESSE.] Vultuoſe pronuntiandum. quod ſi Chremes ſciret ſe a Syro deceptum, vere illum *veteratorem* appellaret.

MANE.] Deceptus Chremes aliter percipit verba Menedemi, quam ipſe loquatur, & ab illo imprudens eluditur.

OBSERV. IN CALPH.

4. *Aſſimulare.*] Mſ. *aſſimulate.* rectius.
5. VETERATOR. *Vetus eſt in aſtutia.*] Verba Donati ad And. II. 6. 26.

COMMENTARIUS.

9. SED INTERIM, QUID ILLIC JAM DUDUM GNATUS CESSAT CUM SYRO?] Reſpicit ea, quae narrantur ſupra IV. 7. 3. ſeqq. Nunc autem demum ſubſentit ſibi fucum factum Chremes. Τὸ ILLIC autem valet, in domo Menedemi cum Bacchide.

11. DIC MIHI, CLINIAE, QUAE DIXI, NUNTIASTIN'?] Vide ſupra IV. 8. 23.

12. COEPIT.] Mſ. Lipſ. & Boend. cum edit. Anon. OCCEPIT. Editio anni 1469. OCCIPIT.

14. VOLTUS QUOQUE HOMINUM FINGIT SCELUS.] Mſ. Mark. HOMINI. Necdum credit Chre-

Quid perdideris: nam ubi deſponſam nuntiaſti filio,
Continuo injeciſſe verba tibi Dromonem, ſcilicet
Sponſae veſtem, aurum, atque ancillas opus eſſe, argentum ut dares.
Me. Non. *Ch.* Quid? non? *Me.* Non, inquam. *Ch.* Neque ipſe gnatus? *Me.* Nihil prorſus, Chreme.
Magis unum etiam inſtare, ut hodie conficerentur nuptiae.
Ch. Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? *Me.* Nihil.
Ch. Quamobrem? *Me.* Neſcio equidem: ſed te miror, qui alia tam plane ſcias.

Sed

CALPHURNII.

21. Non.] Ridicula negatio. Illa vero [a] Virgiliana amara,

Non: verum Aegenis.

Quid? non?] Cum admiratione repetit non.

22. Hodie conficerentur nuptiae.] Incipiet paulatim detegi fallacia. nam hoc ſignum eſt Cliniam non falſo velle Antiphilam.

23. Ne is quidem quidquam?] Ἀποσιώπησις admirantis. hoc magis mirum videtur, quod nec Syrus verba injecerit, ad extorquendum argentum.

24. Alia tam plane scias.] Pulchra ironia in eum qui deceptus ſit.

OBSERV. IN CALPH.

a. *Virgiliana.*] Ecl. III. 2.

COMMENTARIUS.

Chremes. Cliniam revera amare Antiphilam, ſed ficto vultu ſimulare amorem, ita ſcilicet edoctum a Syro ſervo. Quare mox Menedemus erroribus jam ſolutus falſe ei regerit verſu 25.

Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit *filium.*

Q. d. Tu, qui credis, Cliniam meum haud vero vultu alludere ad Antiphilam, non animadvertis interim, tuum Clitiphonem alludere ad Bacchidem, atque ſi ita finxit eum Syrus, mire finxiſſe, quia Clitipho tuus ex animo eam amat. Caeſ. B. G. I. 39. *Hi neque* vultum fingere, *neque interdum lacrimas tenere poterant.* Virg. Aeneid. II. 107. ficto *pectore fatur.*
Ovid. Heroid. XVII. 15.

Si non eſt ficto *vultus mihi triſtis in ore.*

Adde Chreſtomat. Boecleri, v. *Fingere.*

16. Veterator!] Vide ad And. II. 6. 26.

Magis, si magis noris, putes, ita rem esse.] H. e. Nondum etiam ejus aſtutias bene noſti. Supra illae ſunt, quam putas. Eugraphius: *Magis, qualis ſit Syrus, intelligas, ſi magis, quae fecerit, cognoſcas.*

17. Expeto.] Mſſ. & editi quidam veteres, Expecto. ſed contra metrum.

20. Aurum, atque ancillas.] In Mſſ. quibuſdam deſideratur τὸ Atque. Sed & in edit. Anonyma, & anni 1469. qua particula omiſſa verſus claudicat.

21. Quid? non?] Duplicem feci interrogationem, monente Boeclero, ob majorem emphaſin.

22. Conficerentur nuptiae.] Vide ad And. III. 2. 41.

Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paullulum quidem ſuboleat, eſſe amicam hanc Cliniae.
Ch. Quid ais! *Me.* Mitto jam oſculari, atque amplexari: id nihil puto.
Ch. Quid eſt, quod amplius ſimuletur? *Me.* Vah! *Ch.* Quid eſt? *Me.* Audi modo:
Eſt mihi in ultimis conclave aedibus quoddam, retro:
Huc eſt intro latus lectus; veſtimentis ſtratus eſt.

Ch.

CALPHURNII.

25. Ille tuus quoque Syrus.] Quem tantum *veteratorem* putas.

Finxit filium] Refertur ad id quod Chremes ſupra dixit, *Voltus quoque hominum fingit ſcelus.*

26. Suboleat.] Tractum a ſenſu adorandi. * Et sub ibi minuit. i. e. ut nec etiam pauxillum appareat, vel paullulum ſentiatur id ſcilicet quod ſequitur.

27. Quid ais!] Nonnunquam perturbati interceſſoris eſt dicere, quid ais? ſed hoc loco metuentis eſt, non interrogantis.

Mitto jam osculari.] Color rhetoricus. Osculari.] 7 Haec eſt quarta amoris linea. nam ſunt quinque: Prima *viſus*, Secunda 8 *loqui*, Tertia *tactus*, Quarta *oſculi*, Quinta *coitus*.

Id nihil puto.] Sic dicimus quando habemus aliquid majus ad confirmandum. * Ita dicit: Nil puto osculari & amplexari, in comparatione ad illud, quod ſequitur.

29. Conclave] In Eunucho, *Virgo in conclavi ſedet.* Eſt autem conclave, ſeparatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa & cubilia clauſa ſint adhaerentia triclinio. * Et eſt neutrum. Feſtus autem ait, *conclavia* dici loca, quae *una clave clauduntur.* 9 Cicero autem in De Oratore cepit conclave pro *triclinio*, in quo epulabantur convivae, loquens de Simonide, qui quum eſſet evocatus a duobus juvenibus ad januam, interea *conclave*, inquit, *quo epulabatur Scopas, ſuper convivas corruit.* 10 Valerius autem vocat illum locum *triclinium*, cum de eodem Simonide faceret mentionem, in capite de Miraculis.

OBSERV. IN CALPH.

7. *Haec eſt quarta amoris linea.*] Vide Donatum ad Eun. IV. 2. 12.

8. *Loqui.*] In Libris vetuſtis rectius eſt, *colloquii.*

9. *Cicero autem in De Oratore.*] II. 86.

10. *Valerius aut.*] I. 8. 7. in Extern.

COMMENTARIUS.

25. Sed ille tuus.] Ita Faërnus & Georg. Fabritius. Alii, Sed tuum ille. Mſſ. & editi veteres variant.

26. Ut ne paullulum quidem suboleat, esse amicam hanc Cliniae.] Sic Phorm. III. 1. 10. Dixit autem, paullulum suboleat, ſub. Cuiquam homini vel mihi; uti And. II. 6. 16. *ſubtriſtis aliquantulum.* Utrobique adverbium πλεονάζει. Guyetus metro conſulturus, delet τὸ Amicam, ſed contra fidem Codicum.

27. Osculari, atque amplexari.] Adde etiam, Manum in sinum inserare, ex Actus III. Sc. 3. 2.

28. Quid est?] Rogat haec iterum, poſtquam dixiſſet, Quid est, quod amplius simuletur? ſub. Bacchidem Clitiphonis eſſe amicam. Sic And. II. 6. 18. Ut adeo non opus ſit haec Menedemo tribuere cum Guyeto, & legere,

Ch. Quid, poſtquam hoc eſt factum? *Me.* Dictum factum huc
abiit Clitipho.
Ch. Solus? *Me.* Solus. *Ch.* Timeo. *Me.* Bacchis conſecuta
'ſt ilico.
Ch. Sola? *Me.* Sola. *Ch.* Perii! *Me.* Ubi abiere intro, ope-
ruere oſtium. *Ch.* Hem!
Clinia haec fieri videbat? *Me.* Quidni? mecum una ſimul.
Ch. Filî eſt amica Bacchis, Menedeme. occidi!

Me.

CALPHURNII.

* 31. DICTUM AC FACTUM.] I. e. aeque cito factum eſt hoc, ac dictum. Et hoc ſermone celeritas facti indicatur. Vel intellige, quod vulgo dici ſolet, ſtatim dictum, ſtatim factum. Illud autem dicendi genus, DICTUM AC FACTUM, vim habet cujuſdam aut adverbii, aut interjectionis. quod quidem ſumtum eſt a communi loquendi modo; neque adluberi debet verbum, quoniam eo addito vim ſuam perdere videtur. Melius eſt igitur, ut pro adverbio aut interjectione ſumatur; ut, *Me miſerum! proh Deûm atque hominum fidem! malum!* & alia multa.

33. SOLA.] Hoc magnum argumentum quintae lineae, quod *ſola cum ſolo* fuerit.

* OPERUERE OSTIUM.] Ab obſtando. ſicut *aperio* ſignificat recludo, ſic *operio* interdum ſignificat claudo, uti hic.

34. QUID NI?] *Quid niſi?*

* UNA SIMUL.] Idem fere ſignant; ſed hic ponitur altera earum particularum ad ornatum, ut ſonorior reddatur oratio.

COMMENTARIUS.

gere, Me. VAH! QUID EST? AUDI MODO.

29. CONCLAVE.] Guyetus, ob verſum, CONCLAVIS. Et mox, QUAEDAM. idque pluribus etiam adſtruit tam in Scholiis Mſſ. quam editis. vid. Eun. III. 5. 35. Gloſſ. Graec. *οἶκος ὑπὸ μίαν κλεῖδα.*

RETRO.] Id additur, ut notetur plane ultima pars aedium. unde & diviſim pronunciandum, contra ac fit vulgo. Dixit autem, ULTIMIS AEDIBUS, pro, *ultima aedium parte.* Sic Phorm. I. 4. 38. Curt. IV. 10. *In* ultimas terras *trahi ſe querebantur.* Sed Phaedrus IV. 19. 3. *ſpeluncam ultimam* dicit profundam, & maxime remotam a terra, notante Cl. Viro, Petro Burmanno. Nepos autem Praefat. intimas aedes *interiorem aedium partem* vocat.

30. HUC EST INTRO LATUS LECTUS.] Obſervat Petrus Nannius, lectos olim fuiſſe exemtiles, & deportari potuiſſe ad alia atque alia loca, additque verſus ex Homero, Odyſſ. XXIII. 177. ubi Penelope jubet Ulyſſi maritalem lectum adferri e thalamo, ut in agnoſcendo tentaret ejus conſcientiam; nam ipſis ſolis conſtabat, lectum affixum eſſe oleagino trunco, idque praeter aliorum lectorum conditionem. Quod quum ſciret Ulyſſes, certiſſimo edito ſigno ab uxore agnoſcitur.

31. DICTUM FACTUM.] Petron. cap. 99. & Ovid. de Ponto IV. 3. 58. *Dum loqueris.* Idem Metam. IV. 549. *res dicta ſequuta eſt.* Vide ad And. II. 3. 7. Editio Anonyma, & anni 1469. DICTUM AC FACTUM.

32. TIMEO.] Ita ſolent in media narratione, ubi quid mali ominantur. Sic And. I. 1. 46. & 100.

33. OPERUERE OSTIUM.] Ne ſcilicet deprehenderentur. Sic Eun. III. 5. 55.

34. MECUM UNA.] Mſſ. & edd. quidam, UNA MECUM.

35. FILII EST AMICA BACCHIS, MENEDEME. OCCIDI!] Ita demum ingemit Chremetis deceptus ſtupor.

36. FA-

Me. Quamobrem? *Ch.* Decem dierum vix mihi eſt familia.
Me. Quid? iſtuc times, quod ille operam amico dat ſuo?
Ch. Immo quod amicae. *Me.* Si dat. *Ch.* An dubium id tibi eſt?
Quemquamne animo tam communi eſſe, aut leni putas,
Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam?
Me. Quidni? quo verba facilius dentur mihi.

Ch.

CALPHURNII.

36. Familia.] Hoc loco pro *re familiari* ponitur. unde in judicium venit de lite familiae Hereiſcundae. i. e. hereditatis. [11] *Cicero* in lib. de Orat. *Idem Herciſcundae familiae cauſam agere non poſſit.*

37. Operam dat.] Facete dictum a ſene.

38. Si dat.] Suſpendendum, & eſt ἔλλειψις, quaſi dicat, neſcio.

Dubium id tibi est?] Jam credit Chremes ſe eſſe deceptum.

* 39. Communi et leni.] Quod ſi comi, intellige comi pro benigno & manſueto; nam *comes* homines dicuntur, qui errantibus viam oſtendunt benigne ac non gravati.

40. Amicam patiatur suam.] Subaudi, *ſubagitari.* Et eſt honeſta ἔλλειψις in re turpi. [12] *Virgilius,*

Novimus & qui te.

41. Quid ni?] Pro, *cur non.* Et haec verba proprie ſunt deridentis.

OBSERV. IN CALPH.

11. *Cicero in Lib. de Orat.*] I. 55.

12. *Virgilius.*] Ecl. III. 8.

COMMENTARIUS.

36. Familia.] Res familiaris. ut ſenſus ſit: *Tout mon bien ne durera pas dix jours.* Vel, vertente Dacieria: *A peine ai-je du bien pour dix jours.* Quod poſſit videri expreſſum ex Italo Fabrini: *Appena io ho da vivere per dieci di.* Unde *herciſcere familiam* in veteri jure eſt dividere bona hereditaria. Quique patrimonio nondum diviſo in communibus etiam erant bonis, *herctio non cito* coheredes dicti. Gell. I. 9. *Citum* enim patrimonium diviſum eſt.

38. Immo quod amicae.] Sub. *operam dat.* Atque in eo verſabatur jocus ex ambiguo. Neque enim ex mente ſenum reprehendendus erat Clitipho, quod operam daret amico Cliniae, alludendo ad ejus amicam, dum verba daret patri Menedemo, verſu 41. Eſt vero *amicae operam dare* eodem ſenſu dictum, quo, *amori dare operam.* Sic Plaut. Trin. III. 2. 25.

In foro operam amicis da, *haud in lecto* amicae, *ut ſolitus es.*

Si dat.] Satis apparet, ſubaudiri *operam.* Sed crediderim ferme, Menedemum ὑπονοούμενον obſceniore etiam ſenſu *dandi* vocabulo uti. Certe quidem *dare* & *datare* ἐν αἰσχροῖς virorum ſunt, non minus quam mulierum. Piget pudetque adſcribere loca, praeter Suet. Caeſ. 49. *Notum eſt, & quid ille tibi, & quid illi tu* dederis.

39. Animo tam communi.] In editione Anonyma, Tarviſiana anni 1481. & Venetis duabus, annorum 1490. & 1512. eſt comi, non commi, quod in veteri Veneto deprehendiſſe ſe teſtatur Muretus, & quod forſan poſſit valere communi. Faërnus dubitat, an *animus communis* ſatis Latine hoc ſenſu dicatur. Certe Vir Cl. J. G. Graevius ex Mſſ. ita edidit ad Suet. Veſp. 22. *Super coenam autem, & ſuper aleas* communiſſimus, h. e. valde affabilis & familiaris. Belg. *zeer gemeenzaem.* Unde idem ad illa Ciceronis Fam. IV. 9. *An qui in bello, cum omnium noſtrum conjunctum eſſe periculum ſuo cerneret, certorum hominum minime prudentium conſilio uteretur, eum magis* communem *cenſemus in victoria futurum fuiſſe, quam incertis rebus fuiſſet?* haec notat: „ Communes Latinis dicuntur co„ mes, aliter civiles, qui nihil ſingulare ac „ praecipuum ſibi tribuunt prae aliis, qui non „ ſupra alios cives ſe extollunt, qui ſunt popu„ lares, modeſti, patientes juris legumque „ com-

Ch. Derides? merito mihi nunc ego ſuccenſeo.
Quot res dedere, ubi poſſem perſentiſcere,
Niſi eſſem lapis? quae vidi! vae miſero mihi!
At, nae, illud haud inultum, ſi vivo, ferent:
Nam jam! *Me.* Non tu te cohibes? non te reſpicis?

Non

CALPHURNII.

44. Ni essem lapis?] Superius, *Nam exſuperas ejus ſtultitia haec omnia.* Et plus eſt quam, *caudex, ſtipes, aſinus.*

46. Nam jam!] Ἀποσιώπησις. [*] H. e. Ex hoc tempore exheredabo eum. aut aliquid tale. [15] *Virg. Quos ego!*

48. Tene istuc loqui?] [16] *Virgilius,*

Mene incepto deſiſtere victam:

OBSERV. IN CALPH.

15. *Virgilius.*] Aeneid. I. 135.

16. *Virgil.*] Aeneid. I. 37.

COMMENTARIUS.

„ communium, qui non ſuo in omnibus utun-
„ tur conſilio, ſed & aliorum civium, homi-
„ numve. Suet. Claud. 21. *Nec ullo ſpectaculo*
„ communior *aut remiſſior erat.* Nep. Att. 3.
„ *Hic autem ſic ſe gerebat, ut* communis *infimis,*
„ *par principibus videretur.* Plin. Paneg. cap. 2.
„ *Enimvero quam* commune, *& ex aequo, quod felices nos, felicem illum praedicamus?* Hoc eſt, *civile*, ut paullo ante idem loquitur, alienum a
„ faſtu, populare. Idem cap. 24. *Ante te Principes, faſtidio noſtri, & quodam aequalitatis metu, uſum pedum amiſerant. Illos ergo humeri cervicesque ſervorum ſuper ora noſtra: te fama, te gloria, te civium pietas, te libertas, ſuper ipſos Principes vehunt: te ad ſidera tollit humus. Ita* communia *& confuſa Principis veſtigia.* hoc eſt,
„ incedis ut alii cives, pedibus nimirum, non
„ equo, aut in lectica vectus. Terent. *Quemquamne animo tam* communi *eſſe aut leni putes?*
Haec Graevius. Ita & legit Gruterus ex Mſ. Pal. primo, & Caſaubonus ex Viterbienſi. Atque ita eſt in editione anni 1469. aliiſque veteribus, ſed & Mſ. Lipſ. & Traject. & duobus Leidenſibus. In uno *coi.* Ita & in Mſ. Boenderm. Sed in Bodl. Mſ. communi at leni. Cicero autem pro Balbo, cap. 16. diſtinguit inter *communiter* & *comiter.* Verba Ciceronis: *In quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat,* comiter, eſſe communiter: *quaſi vero priſcum aliquod, aut inſolitum verbum interpretaretur. comes, benigni, faciles, ſuaves homines eſſe dicuntur,* qui erranti comiter monſtrat viam, *benigne, & non gravate:* communiter *quidem certe, non convenit.*

41. Me. Quidni?] Editio anni 1469. Ha! ha! he! quidni? Mſ. Mark. & Lipſ. Ah! ah! eh! quidni? Dictum autem εἰρωνικῶς. unde mox Chremes; derides? inquit.

43. Quot res dedere.] Sub. *ſe.* Plaut. Bacchid. IV. 4. 25.

An neſciebas, quam ejuſmodi homini raro tempus ſe daret?

Niſi forte ſenſus eſt: Quot res Clitipho & Syrus fecere? Quot indiciis eam rem prodidere? q. d. Gallice: *Combien m'ont ils donné de marques?* Sic fere Eun. III. 2. 4.

Ubi.] H. e. Ex quibus rebus. Adverbium pro relativo. Sic Prudentius περὶ στεφ. de Caſſiano Martyre, 13.

Innumeri circum pueri, miſerabile viſu,
Confoſſa parvis membra figebant ſtilis.
Unde *pugillares ſoliti percurrere ceras*
Scholare murmur annotantes ſcripſerant.

Ubi τὸ *unde* valet, *quibus ſtilis.* Vid. Eun. III. 5. 36.

Perſentiscere.] Editio anni 1469. Praesentiscere.

44. Lapis.] Vide ſupra IV. 7. 3. & Hec. II. 1. 17.

45. Haud inultum ferant.] Vide ad And. III. 5. 4.

Si vivo.] Formula jurisjurandi, etiam ipſi Deo in ſacris literis uſitata.

46. Nam jam!] Ἀποσιώπησις iratis conveniens.

Non tibi ego exempli ſatis ſum? *Ch.* Prae iracundia,
Menedeme, non ſum apud me. *Me.* Tene iſtuc loqui?
Nonne id flagitium 'ſt, te aliis conſilium dare,
Foris ſapere; tibi non poſſe auxiliarier?
Ch. Quid faciam? *Me.* Id quod me feciſſe ajebas parum.
Fac te patrem eſſe ſentiat: fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, & poſcere:

Ne

CALPHURNII.

49. ALIIS CONSILIUM DARE.] Hinc illud 17 *Servii Sulpitii* ad Cicer. *Denique noli te oblivisci Ciceronem eſſe, & eum, qui aliis conſueveris praecipere, & dare conſilium.*

OBSERV. IN CALPH.

17. *Servii Sulpitii ad Ciceronem.*] Fam. IV. 5.

COMMENTARIUS.

NON TU TE COHIBES?] Quod hic de iracundia, id Servius de moerore Ciceronis, Fam. IV. 5. *Visne tu te, Servi,* cohibere?

NON TE RESPICIS?] Reponit Menedemus Chremeti dictum ſupra I. 1. 18.

neque te reſpicis.

48. NON SUM APUD ME.] Non aliter Belgae eodem fere ſenſu: *Ik ben niet by my zelven.* Sunt autem *ἰκσθέναμαι*, perturbatum eſſe, &c, non eſſe apud ſe. And. II. 4. 5. Hec. IV. 4. 85. Unde & *redire ad ſe* eſt colligere ſe. And. III. 5. 16. Adelph. V. 3. 8. *παράλληλος* eſt Adelph. III. 2. 12.

Vix ſum compos animi: ita ardeo iracundia.

50. FORIS SAPERE.] Cic. Fam. VII. 6. *Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, nequidquam ſapit.* Creditur verſus Ennii, expreſſus ex illo Euripidis in Medea: *Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.* Vide omnino P. Manutium. Unde idem Cicero Off. III. 15. *Ex quo Ennius, Nequidquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſe prodeſſe non quiret.* Idem Fam. X. 26. *O mi Furni, quam tu cauſam tuam non noſti, qui alienas tam facile diſcas!* Ennius apud Cic. de Div. I. 58.

Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Ovid. Arte I. 84.

Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.

Phaed. I. 9. 1.

Sibi non cavere, & aliis conſilium dare,
Stultum eſſe, paucis oſtendamus verſibus.

TIBI NON POSSE AUXILIARIER.] Libri quidam: TIBI NON POSSE TE AUXILIARIER. Guyeto in Gloſſis Mſſ. TIBI valet *intus*, & opponitur τῷ FORIS.

52. FAC TE PATREM ESSE SENTIAT.] Reponit Chremeti ſuas monitiones, ſupra I. 1. 105.

55. MULTO MALO.] Alii, MULTO POTIUS. Rurſus alii, POTIUS MALO. Lectio, quam exhibeo, vincit numero Mſſ. & editionum vetuſtiſſimarum. Et eſt Plauto familiaris. Vide Moſtell. I. 3. 22. Poen. I. 2. 88. Sic Noſter Hec. I. 2. 35. Quanquam & *malint potius* Plautinum eſt.

56. PER FLAGITIUM.] De notione vocum FLAGITIUM & *Flagitare* vide ad Eun. II. 3. 90. & Lindenbruch. ad h. l.

57. SI ILLI PERGO SUPPEDITARE SUMTIBUS.] Inſolens conſtructio, ſeu tertio, ſeu ſexto caſu ponatur τὸ SUMTIBUS. Conjiciebam ſcripſiſſe Terentium, ILLIS SUMTIBUS. Ut adeo, SUPPEDITARE SUMTIBUS eſſet, parem eſſe ſumtibus, ſeu, exaequare ſumtus ſua liberalitate. Sic Plaut. Aſin. II. 4. 17.

non queo labori ſuppeditare.

Si id minus placet, poſſit τὸ ILLI adverbialiter eſſe ſumtum pro *illic*, h. e. ſumtibus qui illic fiunt. Plaut. Amph. Prol. 133.

Illi *ad legionem.*

Vel ILLI notet *illis.* ut ſenſus rurſus ſit, *illis ſumtibus ſuppeditare.* quomodo Eun. V. 9. 46.

Ut

Ne quam aliam quaerat copiam, ac te deſerat.
Ch. Immo abeat multo malo, quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam ſi illi pergo ſuppeditare ſumtibus,
Menedeme, mihi illaec vere ad raſtros res redit.
Me. Quot incommoditates in hac re accipies, niſi caves?
Difficilem oſtendes te eſſe, & ignoſces tamen

Poſt;

CALPHURNII.

* 54. COPIAM.] Facere *copiam* ſui quaſi ſe familiarem exhibere, & praeſentiam ſuam non denegare. Interdum ſignificat concedere facultatem. Fac ergo, ne quaerat aliam facultatem.

55. IMMO ABEAT.] Hoc terribiliter pronuntiandum: & verba proprie rigidi & aſperi patris.

QUOVIS GENTIUM.] GENTIUM, in fine ſuperflua adjunctio: ſicut *interea loci.* dat tamen quandam αὔξησιν pronuntianti.

56. FLAGITIUM.] *Facinus.* [18] FLAGITIUM, more militari dicitur, res *flagitatione*, hoc eſt increpatione digna. nam *flagitare*, eſt perſonare, inde *flamma* & *flagella*, quod haec non ſint ſine ſonitu & crepitu.

57. SI PERGAM.] *Perſeverem.* alias *pergere*, eſt ire. * Multi Codices habent SUMTIBUS, quod non multum placet, niſi ſic dicas: *Si pergam ſuppeditare illi filio*, i. e. inſervire, indulgere illi ſumtibus dandis. vel, SUMTIBUS, i. e. per ſumtus.

58. VERE AD RASTROS.] Quaſi dicat, *Id quod tu Menedeme abſentia filii exercebas*, hoc eſt, *rem ruſticam*, *id ego inopia facere cogar.*

59. QUOT INCOMMODITATES.] Satis comice dixit: nam hoc nomen, leve quiddam ſignificat: ut in Eunucho, *Immo enimvero infeliciter.*

Nam incommoda alia ſunt dicenda, Parmeno.

CAPIES.] [19] Ibi, *Inimicitias caperem.* *Capere* proprie dicimus, cum id quod in nobis eſt, aſſumimus. unde *capere* pro eligere ponitur.

OBSERV. IN CALPH.

18. *Flagitium more militari dicitur.*] Integra haec Nota deſcripta e Donato ad Eun. II. 3. 90.

19. *ibi.*] Lego, *Alibi*, ex Libris vetuſtis.

COMMENTARIUS.

Ut tuo amori ſuppeditare *poſſit ſine ſumtu tuo.* Expeditiſſima tamen conciliandi ratio videtur levis mutatio interpunctationis, ita: SI ILLI PERGO SUPPEDITARE, SUMTIBUS, MENEDEME, MIHI ILLAEC VERE AD RASTROS RES REDIIT. Exiſtimat Abr. Wielingius, τὸ ILLI vel πλεονάζειν, vel idem eſſe quod *ejus commodo.* Sic Cic. Att. XII. 32. *Suppeditemus ei* (Ciceroni) *quod opus ſit.* Mſ. Bodl. & Lipſ. SI ILLI PERGAM. Ita & Editio Anon. anni 1469. aliae.

58. MIHI ILLAEC VERE AD RASTROS RES REDIIT.] Omnis emphaſis eſt in τῷ VERE, q. d. *mihi vere victus raſtris erit quaerendus* ob inopiam, non ut tibi, qui prae nimio dolore ob filii abſentiam raſtros uſque adhuc tractaſti. Idem valet Plauti illud Poen. IV. 2. 85.

Profecto ad incitas lenonem rediget, ſi eas abduxerit. Cicero Off. II. 15. *Omnino meminiſſe debemus id, quod a noſtris hominibus ſaepiſſime uſurpatum jam in proverbii conſuetudinem venit, Largitionem fundum non habere.*

59. QUOT INCOMMODITATES IN HAC RE ACCIPIES.] Editio Anonyma, anni 1469. & Juntina, Aldina, aliae, Lindenbruchii Mſ. & vetus codex, Mſ. Lipſ. & Boenderm. QUOT INCOMMODA TIBI IN HAC RE CAPIES. quam lectionem tuetur Faërnus. Sed Juntina altera ex emendatione Faërni, 1565. Rob. Stephani cum pluſculis aliis exhibent, ut edidi; atque haud ſcio, an melius, conſentientibus nonnullis Mſſ. Terentiana ſunt, COMMODITAS & INCOMMODITAS, in contrahendis nuptiis. Sic And. III. 3. 35. & 37. Dixit autem,

Poſt; & id ingratum. *Ch.* Ah! neſcis, quam doleam. *Me.* Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat noſtro? niſi quid eſt,
Quod mavis. *Ch.* Immo & gener, & affines placent.
Me. Quid dotis dicam te dixiſſe filio?
Quid obticuiſti? *Ch.* Dotis! *Me.* Ita dico. *Ch.* Ah! *Me.* Chreme,
Ne quid vereare, ſi minus: nihil nos dos movet.
Ch. Duo talenta pro re noſtra ego eſſe decrevi ſatis.
Sed ita dictu opus eſt, ſi me vis ſalvom eſſe, & rem, & filium,

Me

CALPHURNII.

* 62. Quid hoc, quod volo.] Convertit Menedemus ſermonem ad conjugium faciendum Cliniae & Antiphilae.

Nisi quid est.] Honeſte petit quod officium eſt probi & honeſti viri. * q. d. Honeſte peto, nolens impedire, quin alteri tradas, ſi videas, te melius filiae tuae conſulturum.

63. Et affines.] [20] Uxoris, *cognati* ſunt: *Affines*, mariti. unde multi gradus ſunt, & veluti rami propinquitatis, in *affinitate* & *cognatione* diſpoſiti.

65. Quid obticuisti?] Sic dixit, quaſi puderet Chremetem dicere, quod parva dos videretur: nam [21] *tacemus* conſilia: *reticemus* dolores: *obticemus* quorum nos pudet.

67. Pro re nostra.] Tacite *rem ſuam* extenuat.

OBSERV. IN CALPH.

20. *Uxoris, cognati ſunt: affines, mariti.*] Monet Doctiſſ. Wielingius, conjunctim & ſine diſtinctione legendum: *uxoris cognati affines mariti*. Idem obſervat, nullos in affinitate eſſe gradus, ex Modeſtin. *l.* 4. §. 5. *D. de grad. & adfin. & nomin. eor.* Nec obſtare Paulum *l.* 8. *pr. D. eod.* τὸ *noſſe* enim ex compendio ſcribendi ita legendum, ut *no* ſyllaba prior repetita ſignificet *Nomina*; atque ita hujus legis principium conveniet cum inſcriptione Tituli.

21. *Tacemus conſilia.*] Haec Donati ſunt ad Eun. V. 1. 4.

COMMENTARIUS.

incommoditates accipies, uti ſupra II. 3. 96. *Accipere metum.* Malim, ſi per Codices liceret: Ex hac re. Muretus tamen, Quot incommoditates in hac re accipies, utpote contra metri leges ſcriptum repudiat.

61. Et id ingratum.] Mſ. Boenderm. & Bodl. ſed & editio anni 1469. Et id erit ingratum. Edit. Anonyma: Et id erit tibi ingratum. Utrumque ex gloſſa. Vide ſupra II. 3. 21.

Quam doleam.] Alii, Quid doleam. quod defendunt Rivius & Guyetus.

Ut lubet.] Vertit Guyetus in Scholiis Mſſ. *Vous en ferez ce qu'il vous plaira.*

62. Quid hoc, quod volo.] Ita praeter Mſ. Boenderm. Mark. & Traject. legit editio anni 1469. tum Veneta anni 1490. Daventrienſis, Juntina, aliae; itaque recenſuerunt Muretus & Heinſius. Robertus Stephanus, Aldus, Fabrini, nuperi quidam, Quid hoc, quod rogo. Eſt antem volo vehementer cupio. Sic And. III. 3. 18. Heaut. V. 4. 4. Tum confirmant lectionem quam exhibeo, quae proxime ſequuntur, Nisi quid est, quod mavis, h. e. magis vis. Eandem lectionem contra Goveanum & Guyetum delentes τὸ hoc, defendit J. Fr. Gronovius, ad Plaut. Bacchid. II. 3. 15.

Quid hoc? *qua cauſa eum hinc in Epheſum miſeram,*
Accepitne aurum ab hoſpito Archidemide?

Obſervat porro Vir ſummus, notabilem eſſe veterum ἰδιωτισμόν. Sic Plaut. Bacchid. IV. 9. 55.

quid
Quod te miſi, ecquid egiſti?

Noſter, Phorm. IV. 1. 1.

Nisi

Me mea omnia bona doti dixiſſe illi. *Me.* Quam rem agis?
Ch. Id mirari te ſimulato, & illum hoc rogitato ſimul,
Quamobrem id faciam. *Me.* Quin ego vero, quamobrem id
facias, neſcio.
Ch. Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria & laſcivia
Diffluit, retundam: & redigam, ut, quo ſe vortat, neſciat.
Me. Quid agis? *Ch.* Mitte; ſine me in hac re gerere mihi
morem. *Me.* Sino.

Itane

CALPHURNII.

69. QUAM REM AGIS?] Hoc eſt quaſi perturbati interceſſoris.

70. ILLUM ROGITATO.] Pulchra admonitio, ut perterrefaciat filium.

72. LUXURIA.] LUXURIA a *Luxu*, i. e. ſuperfluitate derivatur. LASCIVIA autem deſignat quandam petulantiam & importunitatem, exſultando & delectando in ſua turpitudine. Haec tamen differentia non obſervatur; ſed indifferenter illis duobus utimur pro eodem ſignificatu

73. DIFFLUIT.] [a] *Perſius, Diffluis amens.*

74. QUID AIS?] AIS dicimus de iis, qui vana loquuntur.

OBSERV. IN CALPH.

22. *Perſius.*] Sat. III. 20. Legitur autem: *Effluit.*

COMMENTARIUS.

NISI QUID EST, QUOD MAVIS.] Eodem ſenſu dixit And. V. 4. 47.

Niſi quid pater ait aliud.

64. DIXISSE.] H. e. decreviſſe dare. Ordo autem eſt, QUID DOTIS DICAM FILIO, TE DIXISSE?

66. NIHIL NOS DOS MOVET.] Ita loquitur, quod eſſet in re lauta, & bene per ſe aucta. Supra IV. 5. 50.

68. ET REM, ET FILIUM.] Mſſ. quidam: ET FILIUM, ET REM.

69. DOTI DIXISSE.] Mſ. Bodl. DOTIS DIXISSA.

70. ID MIRARI TE SIMULATO.] Mſſ. quidam: ID EMIRARI TE SIMULA.

HOC ROGITATO.] Mſ. Bodl. non agnoſcit τὸ HOC. Neque editio Anonyma.

72. EGONE?] Nonius Marcellus: EGO, NAE, SI VIVO.

EJUS ANIMUM.] Mſ. Mark. ILLI ANIMUM. Mſſ. duo Boecleri: ILLIUS ANIMUM.

LUXURIA ET LASCIVIA DIFFLUIT.] Συνώνυμα videntur. Gr. ἀσωτία. Cic. Off. I. 30. *Atque etiam ſi conſiderare volumus, quae ſit in natura excellentia, & dignitas; intelligemus, quam ſit turpe,* diffluere luxuria. Lael. 15. *Non ergo erunt homines deliciis* diffluentes *audiendi.* Et de Orator. III. 32. Quinctil. Inſtit. I. 2. *Inde ſoluti ac* fluentes *non accipiunt e ſcholis mala iſta, ſed in ſcholas afferunt.* Eadem metaphora *Liqueſcere voluptate* dixit Cic. Tuſc. Quaeſt. II. 22. Neque aliter Perſii illud III. 20. *effluis amens* interpretatur Iſ. Caſaubonus. Mſſ. pluſculi DEFLUIT.

73. RETUNDAM.] H. e. in ordinem cogam & contineam. Proprie de ferro aliave materia acuta, quae hebetatur. Horat. Carm. I. 35. 38.

o utinam nova
Incude diffingas retuſum *in*
Maſſagetas Arabaſque ferrum.

Inde ad animum transfertur. Cic. Att. XVI. 15. *Quanquam enim poſtea, in praeſentia belle iſte puer* retundit *Antonium.* Tuſc. Quaeſt. IV. 36.

Major mihi moles, majus miſcendum malum,
Qui illius acerbum cor contundam *& comprimam.*

Phaed. IV. 23. 21.

Satis profecto retudi *ſuperbiam.*

Ubi vide V. Cl. Petrum Burmannum.

UT,

Itane vis? *Ch.* Ita. *Me.* Fiat. *Ch.* Age jam, uxorem ut arceſſat, paret.
Hic, ita ut liberos eſt aequom, dictis confutabitur.
Sed Syrum! *Me.* Quid eum? *Ch.* Egone? ſi vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit ſemper mei:

Qui

CALPHURNII.

75. FIAT.] Conceſſio irati adverſus pertinacem.

76. DICTIS.] Quia liberi *verbis* objurgandi ſunt: ſervi vero *verberibus* puniendi.

77. SED SYRUM!] Α᾽ποσιώπησις, ſcilicet *puniam.*

* QUID EUM?] Scilicet *punies.* modus interrogandi.

* SI VIVO.] Subjungit affirmationem.

78. ADEO DEPEXUM.] Hoc verniliter more ſenum iratorum lege, & intellige contrarium.

COMMENTARIUS.

UT, QUO SE VORTAT, NESCIAT.] H. e. Quid agat, quidve conſilii capiat. Imitatus Cicero pro Q Ligar. cap. 1. *Itaque, quo me vertam, neſcio.*

74. QUID AGIS?] Mſſ. quidam, QUID AIS?

SINE ME.] Mſſ. quidam, AC SINE ME.

M. SINO.] Daciera praeter fidem Codicum SINE legit, & Chremeti tribuit. quod ſcilicet Menedemus non queat commode dicere, SINO, antequam rogaſſet, ITANE VIS? Idem placebat V. C. Jacobo Perizonio.

75. PARET.] Mſ. Mark. cum duobus Pall. PRAEPARET. Ita & Mſſ. omnes Boecleri, & editio anni 1469. Mſ. Boenderm. & editio Anonyma, PRAEPARET SE.

76. HIC.] Intelligit Clitiphonem ſuum.

DICTIS CONFUTABITUR.] Sic Phorm. III. 1. 13. Eſt vero *confutare* turbare, & impetum alicujus reprimere. Gell. VII. 3. *Injuriis atque imperioſis minationibus* confutare. Ibid. *Quod noſtras ſecundas res* confutet. Illa Tironis, liberti Ciceronis, haec Catonis verba; quae perperam Ciceroni tribuuntur in Fabri Theſauro. Atque ita paſſim veteribus uſurpata haec vox. Hodie pro *leniter refellere* uſurpant. Confutat autem filium infra V. 2. 7. ſeqq.

77. SED SYRUM!] Erudite Eugraphius: *Cum utique majora tormenta ſervo minatus ſit, iraſcentis more, quod eſſet facturus, exprimere non potuit.*

ADEO EXORNATUM DABO.] Verba *ornandi* ſumuntur quandoque in deteriorem partem. Belgice, *Havenen.* Sic Adelph. II. 1. 22.

78. ADEO DEPEXUM.] Loquitur κατ᾽ ἀντίφρασιν, i. e. *comtum, ornatum.* Atilius apud Varronem L. L. VI. *cape, caede Lyde, come, conde.* Legit Guyetus in Notis Mſſ. *cape, caede, lide, come, tunde.* ut *lide* valeat, percute. unde compoſita ſunt, *allido, collido, elido, illido.* Plaut. Menaechm. V. 7. 28. *Pecte pugnis.* Poen. I. 2. 145.

Sed vide ſis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas *poſtea.*

Salſe autem jocatur ſenex. Sponſi enim ante nuptias *pecti* & ornari ſolebant. Juvenal. VI. 25.

Conventum tamen, & pactum, & ſponſalia, noſtra
Tempeſtate paras: jamque a tonſore magiſtro
Pecteris, *& digito pignus fortaſſe dediſti.*

Niſi forte ridet Satyricus delicatulum quendam, Gallis *un petit maitre.*

UT, DUM VIVAT.] Mſ. Bodl. USQUE, UT DUM VIVAT. Editio anni 1469. USQUE DUM VIVAT.

79. PRO RIDICULO.] Alii, DERIDICULO. Sic Gell. XIII. 30. Ovid. Triſt. I. 7. 15.

Illud amicitiae ſanctum & venerabile nomen
Re *tibi* pro vili, *ſub pedibuſque jacet*

Gr. ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ εἶναι. DERIDICULO porro Plautinum eſt & Lucretianum. Vide illum Mil. II. 1. 14. hunc Lib. III. 778.

DELECTAMENTO.] Mſſ. & editi quidam, OBLECTAMENTO. quod defendit Guyetus.

80. VIDUAE MULIERI.] Scilicet ſequior ſexus contu-

Digitized by Google

Qui ſibi me pro ridiculo, ac delectamento putat.
Non, ita me Dî ament! auderet haec facere viduae mulieri,
Quae in me fecit.

CALPHURNII.

80. Viduae mulieri.] Bene perſonam abjectam delegit, quae ludibrio habetur, & quia *mulier*, & quia viro orbata.

COMMENTARIUS.

contumeliis magis expoſitus. Plaut. Mil. II. 6. 6.

Non hercle hiſce homines me marem, ſed feminam
Vicini eſſe rentur ſervi militis:
Ita me ludiſicant.

Apulej. Metam. V. *Et ipſam matrem tuam, me, inquam, ipſam parricida denudas quotidie; & percuſſiſti ſaepius, & quaſi* viduam *utique contemnis.* Quinctil. Declam. CCCXXXVIII. init. *Etiamſi lis huic mulieri, cui adſum, judices, eſſet contra pauperem iſtum, infirmo loco pars noſtra & dignior auxilio videretur: quia & per ſe imbecilla res eſt* femina, *& adfert infirmitati naturali non leve pondus, quod* vidua *eſt.*

81. Quae in me fecit.] In Mſ. Boenderm. additum, Tantas illusiones.

ACTUS QUINTI

SCENA SECUNDA.

Clitipho. Menedemus. Chremes. Syrus.

Cl. ITane tandem, quaeſo, Menedeme, ut pater
Tam in brevi ſpatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quod-

CALPHURNII.

1. Itane tandem.] *Reſtas ad tranquillitatem rerum omnium, ut Clitipho verbis patris perterritus, in vitam redeat, & uxorem ducat.* Itane.] Sic incipit, ut qui ſe a patre abdicatum putet.

Tandem.] Hic expletiva conjunctio. ¹ *Cicero, Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?* Alias ponitur pro *tamen*: ut, *In qua civitate tandem arbitrare te vivere?* Nonnunquam pro *ſaltem*.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Cicero.*] Catil. I. 1.

COMMENTARIUS.

1. Itane tandem.] Ita ſolent cum indignatione interrogantes. Sic Phorm. II. 3. 26.

2. Omnem de me ejecerit animum patris?] Rarior locutio. Poſſit videri metaphora tranſlata

Quodnam ob facinus? quid ego tantum ſceleris admiſi miſer?
Volgo faciunt. *Me.* Scio, tibi eſſe hoc gravius multo, ac durius,
Cui fit: verum ego haud minus aegre patior, id qui, neſcio;
Nec rationem capio, niſi quod tibi bene ex animo volo.
Cl. Hic patrem adſtare ajebas? *Me.* Eccum! *Ch.* Quid me
incuſas, Clitipho?
Quidquid ego hujus feci, tibi proſpexi, & ſtultitiae tuae.

Ubi

CALPHURNII.

3. Admisi.] Αὔξησις eſt. plus eſt *admittere*, quam *facere*. Alibi, *Haec te admittere Indigna.*

4. Vulgo id faciunt.] Ad purgationem peccati, ſi nihil aliud habemus, argumentum ab exemplo aliorum ſumimus, qui idem factitaverunt. Sed multo magis valet, ſi ab exemplo omnium ſumitur.

* 5. Cui fit.] Quoniam id te propius tangit, ſive tua magis refert.

* Haud minus aegre.] Verum amicum agit Menedemus, qui aequum ex incommodo amici dolorem capit.

7. Quid me incusas.] Bene incusas: quia filio major eſt pater.

8. Quicquid ego hujus feci.] Hujus abſolute: ut per ἔκλειψιν deſit *rei*. In Hecyra, *Ne quid ſit hujus oro.* Alibi, *Nihil me iſtius facturum, pater.*

Ego hujus feci.] Semper gravis inceptio orationis, quae exordium ſumit a pronomine.

COMMENTARIUS.

ta de iis, quae evomendo ejiciuntur. Cic. Fam. XIV. 7. *Omnes moleſtias, & ſollicitudines, quibus & te miſerrimam habui, id quod mihi moleſtiſſimum eſt, Tulliolamque, quae nobis noſtra vita dulcior eſt, depoſui,* & ejeci. *Quid cauſae autem fuerit, poſtridie intellexi, quam a vobis diſceſſi.* Χολὴν ἄκρατον *noctu* ejeci. *Statim ita ſum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam feciſſe videatur.* Illa vero, de me, non leguntur in omnibus Mſſ.

4. Volgo faciunt.] Sub. *Adoleſcentes.* In quibuſdam Libris eſt: Volgo id faciunt. quanquam τὸ id elegantius abeſt. Sic Adelph. IV. 5. 54. de eadem culpa:

Fecere alii ſaepe, item boni.

Cic. Fam. IV. 3. *Nam, quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant. Sed aliquid, atque adeo multa addunt & afferunt de ſuo*

5. Ego haud minus aegre patior.] Sic Hec. IV. 2. 30.

Haec res non minus me male habet, quam te.

7. Aditare.] Mſſ. quidam & impreſſi, esse.

Quid me incusas, Clitipho?] Virg. Aen. I. 407.

Quid *natum toties crudelis tu quoque falſis Ludis imaginibus?*

8. Quidquid ego hujus feci, tibi prospexi, et stultitiae tuae.] Ita confutaturum ſe dictis filium dixerat ſupra V. 1. 76. Intelligit autem stultitiae nomine ἀσωτίαν. Boeclerus commodum citat Ariſtophanis illa:

Ἢν δ' ὡς παραπλῆγ' ἄνθρωπον εἰσελθὼν τύχω,
Πόρναισι καὶ κύβοισι παραβεβλημένος
Γυμνὸς θύραζ' ἐξέπεσον ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ.

Locus eſt Pluto, v. 242. ubi vetus Scholiaſtes erudite: Ἀληθῶς γὰρ ἡ ἀσωτία παραπεπληγμένη ἐστὶ διάνοια. Editio anni 1469. Quidquid hujus ego feci.

9. Animo esse omisso.] Sic Adelph. V. 3. 45. In Mſ. Lipſ. eſt: Animo esse omisso et suavi. Vide ad And. I. 1. 25.

Suavia in praesentia quae essent, prima habere.] Ariſtot. Ethic. I. 3. Ὁ νεανίσκος τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικός ἐστι, κατὰ πάθος γὰρ ζῇ, καὶ μάλιστα διώκει τὸ ἡδὺ αὐτῷ, καὶ τὸ παρόν. Et VIII. 3. *Κατὰ πάθος γὰρ οὗτοι ζῶσι, καὶ μάλιστα διώκουσι τὸ ἡδὺ αὐτοῖς, καὶ τὸ παρόν.* Sed & τὰ μαλακὰ dixere suavia. Seneca Controv. XXI. *Servus non ſtultus tergum & caput ſuum deliciis praeſentibus praetulit.* De Locutione *impraeſentiarum* vide V. Cl. Jac. Perizonium ad

Sanct.

Ubi te vidi animo eſſe omiſſo, &, ſuavia in praeſentia
Quae eſſent, prima habere, neque conſulere in longitudinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut haec poſſes perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proximos, qui erant tibi: eis commiſi, & credidi:
Ibi tuae ſtultitiae ſemper erit praeſidium, Clitipho:
Victus, veſtitus, quo in tectum te receptes. *Cl.* Hei mihi!

Ch.

CALPHURNII.

9. ANIMO OMISSO.] *Negligenti.* Alibi, *At enim metuas ne ab re ſint omiſſiores paullo.*

ET SUAVIA QUAE ESSENT, PRIMA HABERE.] ² *Salluſtius, Quae prima mortales ducunt.* Et PRIMA modo ad laudem, non ad ordinem pertinet. In Eunucho, *Nihil prius, neque fortius.*

* SUAVIA IN PRAESENTIA.] Voluptates licet *in praeſentia* ſint ſuaves, ſemper tamen ſecum junctam habent poenitentiam.

* 11. CEPI RATIONEM.] H. e. inveni modum.

* 12. PRIMO, TIBI NON LICUIT PER TE MIHI DARE.] H. e. Tu non permiſiſti, tuis moribus obſiſtentibus. Vel, Tui mores non poſtulaverunt, me dare tibi bona mea, CUI DECUIT, i. e. juſtum fuit me dare bona mea, quia jure debebas mihi ſuccedere, niſi obſtitiſſent mores.

13. AD PROXIMOS.] Bene AD PROXIMOS, ad quos ſpectat poſt filium hereditas.

* 15. VICTUS, VESTITUS.] Oſtendit, quid ſit illud praeſidium ſtultitiae. VICTUS alimonia ad vitam ſuſtentandam; VESTITUS cultus ſive ornatus ad tegendum corpus.

RECEPTES.] Alibi, *Meum receptas filium.* Et frequentativo uſus eſt, quod non raro, ſed frequenter poterit ſe recipere.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Salluſtius.*] Catil. 36. Ubi *putant* nunc legitur.

COMMENTARIUS.

Sanct. Min. II. 3. 8.

10. PRIMA HABERE.] H. e. Optima, praecipua. Vide Eun. I. 1. 5.

CONSULERE IN LONGITUDINEM.] Vide ad And. III. 3. 16. Praecipit Cato R. Ruſt. cap. 30. *Pabulum aridum quod condideris. in hieme quam maxime conſervato, cogitatoque, hiems quam longa ſit.* Forte legendum, *quod condideris in hiemem.* Cic. Fam. II. 8. *Quare ego nec praeterita, nec praeſentia abs te, ſed ut ab homine* longe in poſterum proſpiciente, *futura exſpecto.*

11. UT NEQUE EGERES.] Editio anni 1469 & Mſſ. quidam, UT NEQUE TU EGERES. Ita & Nonius Marcellus, cui τὸ CEPI valet, *inveni.*

13. ABII AD PROXIMOS.] Reſpicit jus Atticum & Romanum, ubi furioſi & prodigi dabantur in tutelam proxime cognatis. Columella R. Ruſt. I. 3. *Mente eſſe captum, atque eum ad agnatos & gentiles deducendum.* Varro R. Ruſt. I. 2. *Mente eſt captus, atque ad agnatos & gentiles eſt deducendus.* Horat. Epiſt. II. 2. 136.

Hic ubi cognatorum opibus curiſque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe.

Idem Sat. II. 3. 217.

interdicto huic omne adimat jus
Praetor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

De quo loco vide Cl. V. Bernh. Henr. Reinoldum, Var. cap. 1. & Gravinam ad XII. Tabb. cap. 26. Ordo autem conſtructionis eſt: UBI NON LICUIT MIHI PER TE HAEC DARE TIBI, CUI PRIMO DECUIT, ABII AD PROXIMOS, QUI TIBI ERANT. h. e. *Ad eos, qui tibi erant proximi.*

15. VICTUS.] Olim diſtinctus a veſtitu & habita-

Ch. Satius eſt, quam te ipſo herede haec poſſidere Bacchidem.
Sy. Diſperii! ſceleſtus quantas turbas concivi inſciens!
Cl. Emori cupio. *Ch.* Prius, quaeſo, diſce, quid ſit vivere:
Ubi ſcies; ſi diſplicebit vita, tum iſtoc utitor.
Sy. Here, licetne? *Ch.* Loquere. *Sy.* At tuto? *Ch.* Loquere.
Sy. Quae iſta 'ſt pravitas,
Quaeve amentia eſt, quod peccavi ego, id obeſſe huic? *Ch.* Ilicet.
Ne te admiſce: nemo accuſat, Syre, te; nec tu aram tibi,

Nec

CALPHURNII.

18. VIVERE.] Cum virtute & ratione intelligas.

19. VITA.] Hoc loco *actus* & *mores*. In Phorm. *Quem ego viderim in vita optimum*, id eſt, *in actu* & *moribus*.

20. QUAE ISTA EST PRAVITAS?] Derivatio criminis in ſe eſt. Et bene optimi ſervi fungitur officio.

21. ILICET.] [1] ILICET, ſemper finem rei ſignificat, ut *actum eſt*. ILICET per ſyncopen, quod ſignificat *ire licet*. Sic judices de concilio dimittebantur, ſuprema dicta cum praeco pronuntiaſſet. ILICET ergo increpatio eſt, quia interloquendo impedit Chremetem narrantem.

* 22. NEC TU ARAM.] Praeſidium. Miſeri ad *aram*, ut tuti ſint, confugere ſolent. [4] *Ovid.*

Unica praeſidiis ara reperta meis.

OBSERV. IN CALPH.

1. ILICET *ſemper finem rei ſignificat*.] Haec deſcripta e Donato ad Phorm. I. 4. 31.

4. *Ovidius*.] Triſt. IV. 5. 2. Legitur; *fortunis*.

COMMENTARIUS.

bitatione, poſt utrumque complexus, praeſertim JCtis. Vid. l. 234. §. 2. 43. 44. 45. de Verbor. ſignif.

16. HAEC.] Mſ. Mark. Hoc.

17. TURBAS CONCIVI.] Plaut. Amph. I. 2. 14.

uxori turbas conciet.

18. PRIUS, QUAESO, DISCE, QUID SIT VIVERE.] Laudat Lactantius III. 18. *De vita quereris: quaſi vixeris, aut unquam tibi ratio conſtiterit, cur omnino ſis natus. Nonne igitur tibi verus ille & communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit:* PRIUS DISCE, QUID SIT VIVERE.

20. AT TUTO?] Mſ. Bodl. AC TUTO? Senſus eſt: Ne mihi fraudi ſit, liberius ſi locutus fuero. Quo magis abſurda Parei interpretatio, *Ratione & virtute*.

21. ILICET.] Omnia haec ironice dicuntur a Chremete, qui prius volebat dictis confutare filium, dein ſervum acriter punire. De voce ILICET vide ad Eun. I. 1. 9.

22. NE TE ADMISCE.] Sic ſupra IV. 5. 35.

Ita tu iſtaec tua miſceto; *ne me admiſceas.*

NEC TU ARAM TIBI, NEC PRECATOREM PARARIS.] Scilicet duo perfugia habebant ſervi, ARAM & PRECATOREM ſeu *deprecatorem*. De *Ara* frequentia ſunt apud Comicos exempla, & in Jure de ſervis ad ſtatuas confugientibus. Sic Tranio ſervus apud Plautum, Moſtell. V. 1. 45.

Interim hanc aram *occupabo.*

Ubi vide, quae notat Illuſtriſſ. Scaliger. Idem Rud. III. 3. 26.

TR. *Ne, inquam, timete: aſſidite hic in* ara.

De *Precatore* vide infra verſu 49. & Phorm. I. 2. 90. Euripides Andromache, 161.

Χ' ὐδὲν σ' ὀνήσει δῶμα Νηρῇδος τόδε,
Οὐ βωμὸς, οὐδὲ ναὸς, ἀλλὰ κατθανῇ.
Et nihil te juvabit iſta domus Nereidis,
Non ara, *non templum, ſed morieris.*

Adde omnino, quae ex utriuſque Linguae auctoribus, ſed & ex Jure huc erudite congeſſit Lindenbruchius. Idem autem mos ad aras confugiendi

Nec precatorem pararis. *Sy.* Quid agis? *Ch.* Nihil ſuccenſeo,
Nec tibi, nec huic: nec vos eſt aequom, quod facio, mihi.
Sy. Abiit; vah! rogaſſe vellem. *Cl.* Quid? *Sy.* Unde mihi peterem cibum:
Ita nos alienavit: tibi jam eſſe ad ſororem intelligo.
Cl. Adeon' rem rediiſſe, ut periculum etiam fame mihi ſit, Syre?
Sy. Modo liceat vivere; eſt ſpes. *Cl.* Quae? *Sy.* Nos eſurituros ſatis.
Cl.

CALPHURNII.

23. NEQUE PRECATOREM PARARIS.] Alibi, *ad precatorem abeam.* Et *precari* aliquando idem, quod *deprecari*, hoc eſt a ſe crimen depellere. Hinc *deprecatio.*

NIHIL SUCCENSEO.] [5] SUCCENSERE is dicitur, qui cum amare debeat, laeſus iraſcitur.

27. UT PERICULUM ETIAM FAME MIHI SIT, SYRE?] Quod eſt extremum miſeriarum. Etiam *fame fames* apud antiquiſſimos in quinta declinatione nominum variabatur, ex quo poteſt eſſe genitivus caſus: quia C. Caeſar in libro de Analogia, *hujus die*, & *hujus ſpecie* dicendum putat. [6] *Salluſtius* in Jugurtha, *Vix decima parte die reliqua.* Vel ſit ſeptimus caſus.

28. ESURITUROS SATIS.] Παρὰ προσδοκίαν quando aliter reſpondemus, quam expectatur.

OBSERV. IN CALPH.

5. *Succenſere is dicitur.*] Repetita haec e Donato ad Phorm. II. 3. 14.

6. *Salluſtius in Jugurtha.*] Cap. 97.

COMMENTARIUS.

fugiendi ut in pluſcularum gentium hominibus ſupplicium metuentibus fuit uſitatus, ita antiquiſſimus. Virgil. Aen. II. 512. ſeqq. ubi vid. Emmeneſſ. Ovid. Pont. I. 2. 149. & maxime e Sacris I. Regum I. 50. Hinc *Ara* pro defenſore ſumitur.

23. QUID AGIS?] Mſ. Lipſ. QUID AIS?

25. SY. ABIIT.] Duos hoſce verſus expunctos vult Guyetus, cujus rei iniquitatem optime oſtendit Boeclerus. Et ſane minus opportune ſermo coeptus verſu 27. continuo infertur ſermoni Chremetis in Scena remanentis.

VAH!] Abeſt a Mſ. Bodl. & Editione Anonyma, & anni 1469.

QUID?] Mſſ. quidam, QUID, SYRE?

UNDE MIHI PETEREM CIBUM.] Proprie de mendicis. Eun. III. 2. 38. Ovid. Ibid. 111.

Exſul inops erres, alienaque limina luſtres:
Exiguumque petas *ore tremente* cibum.

Quinctil. Declam. CCLXXXIII. *Quis eſt iſte filii habitus? quae ſordes? quid mihi hanc invidiam facis, ut, cum habeas patrem,* cibum *ab aliis* petas?

26. ITA NOS ALIENAVIT.] Mſſ. & editi quidam, ABALIENAVIT. Lindenbruchius citat e Mſ. ITA NOS ALIENAVIT SIBI: JAM ESSE AD SOROREM INTELLIGO. Loquitur autem ex inſtituto Athenienſium, qui ἀποκηρύττοντες abdicabant; cum Romani exheredes teſtamento ſcriberent. [3] Vide ſupra I. 1. 56.

TIBI JAM ESSE AD SOROREM INTELLIGO.] Senſus eſt, *Tibi exheredato ſororis coenam eſſe captandam intellige*, heredis ſcilicet bonorum patris ex aſſe.

27. FAME.] H. e. *Famis.* Vid. Gell. IX. 14. Alii, A FAME.

SYRE?] Abeſt a Mſ. Bodl.

28. MODO LICEAT VIVERE, EST SPES.] Apollod. *Οὐδεῖ γ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράττοντα ἄνδρα, τὰ βελτίω τε προσδοκᾶν ἀεί.*

QUAE?] Mſ. Bodl. QUID?

NOS ESURITUROS SATIS.] Vernile *ἀπροσδόκητον.* qualia *ſubmoroſa ridicula* vocat Cicero de Oratore II. 69. Sic Naevius: *Quid ploras, pater? Mirum ni cantem, condemnatus ſum.*

Cl. Irrides in re tanta? neque me quidquam conſilio adjuvas?
Sy. Immo & ibi nunc ſum, & uſque id egi dudum, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intelligere poſſum. *Cl.* Quid? *Sy.* Non aberit longius.
Cl. Quid id ergo? *Sy.* Sic eſt, non eſſe horum te arbitror. *Cl.* Quid iſtuc, Syre?
Satin' ſanus es, *Sy.* Ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica.
Dum iſtis fuiſti ſolus, dum nulla alia delectatio,
Quae propior eſſet, te indulgebant, tibi dabant: nunc filia

Poſt-

CALPHURNII.

* 30. DUDUM ID EGI.] Scilicet ut adjutarem te conſilio.

* 31. QUID?] Interrupit Syri ſermonem Clitipho.

* NON ABERIT.] Perficit, quod dicere inceperat. q. d. *pater, qui ſimulavit ſe abſcedere & relinquere proximis ſua omnia, non erit abſens diu. Haec enim eſt fictio, ut depellaris a domo paterna.*

32. NON ESSE HORUM TE ARBITROR.] Quaſi cum odio HORUM dixit: & eo magis quod nec te filium dixit.

34. DUM ISTIS FUISTI SOLUS.] Satis veriſimilis ratio adoleſcenti imprudenti & parum provido: ideo ſtatim ſubjicit: *Eſt veriſimile.*

* 35. INDULGEBANT.] Faciles erant, tibi permittentes multa, quae volebas.

COMMENTARIUS.

29. IRRIDES IN RE TANTA?] Sic Cicero Att. XV. 9. *Rides in talibus rebus?*

30. IBI NUNC SUM.] Vide ſupra III. 1. 63.

31. NON ABERIT LONGIUS.] Si Calphurnio & Jodoco Badio Aſcenſio credimus, PATER ſubauditur. Sed crediderim potius cum Eugraphio, Syrum fingere ſe meditabundum & conſilium quaerentem Clitiphoni. Ubi enim dixerat, QUANTUM EGO INTELLIGERE POSSUM, quaſi data opera ἀποσιωπᾷ. Quumque Clitipho rogaret, QUID? pergit fingere, ſe quaerere conſilium, dicitque meditabundus, NON ABERIT LONGIUS, ſub. conſilium. Sic Davus And. IV. 1. 60.

at jam hoc tibi inventum dabo.

Porro autem inſtante Clitiphone, & rogante: QUID ID ERGO? ſub. conſilii eſt, quo me adjuvas? ſervus quaſi ſecum, SIC EST, ait. q. d. εὕρηκα, inveni conſilium. moxque ad Clitiphonem converſus, NON ESSE HORUM TE ARBITROR, inquit. Sunt tamen, qui ABIERIT legunt, intelligentes de patre; ut ſenſus ſit: Non longe diſceſſerit. Alii, NON ABERIT LONGIUS, ſub. periculum. Rurſus alii, NON ABIERIT LONGIUS. q. d. Res non eo uſque procedet, quo tu putas.

32. SIC EST.] Bene Eugraphius: *Diu finxit, ſe neſcio quid cogitare ſervus: reperit tamen* (forte, *tandem*) *aſtute.*

HORUM.] Id cum contemtu pronunciatum. Sic ſupra II. 3. 19.

QUID ISTUC.] Alii, QUI ISTUC. ut ſit adverbium, pro, *Quomodo.*

33. QUOD MIHI IN MENTEM.] MſT. quidam: QUOD IN MENTE MIHI EST. Alii, QUOD MIHI IN MENTEM EST.

35. TE INDULGEBANT.] Praeſtat haec diſtinctio prae illa: QUAE PROPIOR ESSET TE, INDULGEBANT. Vide Donatum ad Eun. II. 1. 16. Afranius Vopiſco: *Male merentur de nobis heri,*

qui

Poſtquam eſt inventa vera, inventa eſt cauſa, qua te expellerent.
Cl. Eſt veriſimile. *Sy.* An tu ob peccatum hoc eſſe illum iratum
putas?
Cl. Non arbitror. *Sy.* Nunc aliud ſpecta: matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent eſſe: id non fit. *Cl.* Verum dicis. quid nunc faciam, Syre?
Sy. Suſpicionem iſtanc ex illis quaere: rem profer palam:
Si non eſt verum, ad miſericordiam ambos adduces cito: aut
Scibis, cujus ſis. *Cl.* Recte ſuades; faciam. *Sy.* Sat recte hoc mihi
In

CALPHURNII.

37. IRATUM PUTAS?] Bene IRATUM, ob peccatum. IRATUS eſt, qui ex aliqua re laceſſitus iraſcitur. *Iracundus*, ex parva vel nulla cauſa.

40. ID NON FIT.] Mater tibi non eſt adjutrix: & hoc prope veriſimilius.

* VERUM DICIS.] Prius autem dicebat, eum dixiſſe aliquid *veriſimile*.

*41. SUSPICIONEM ISTANC.] Quae turbat tuam mentem, videlicet, an ſis eorum filius, nec ne.

42. AD MISERICORDIAM.] Quia parentes veri, filiis cito ignoſcunt.

44. MINIMA IN SPE SITUS ERIT.] Nam ſi non eſſe filium crediderit, eo miſerabilior videbitur patri: & citius ad miſericordiam commovebitur. * SITUS.] Hic inflectitur, *ſitus, a, um*, i. e. ſituatus, conſtitutus.

OBSERV. IN CALPH.

7. *Non eſſe.*] Mſ. & editio anonyma: *non ſe eſſe*. rectius.

COMMENTARIUS.

qui nos tantopere indulgent *in pueritia*. Lucil. Iram indulges *nimis*. Mſſ. & editi quidam: TIBI INDULGEBANT.

36. VERA.] Cum emphaſi expreſſum, & oppoſite ad Clitiphonem ſubditum ſcilicet.

INVENTA EST CAUSA, QUA TE EXPELLERENT.] Sic And. II. 3. 8.

37. OB PECCATUM HOC.] Intelligit ſcortationem cum Bacchide.

38. MATRES OMNES FILIIS IN PECCATO ADJUTRICES.] Menand.

> *Ἔστι δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός.*
> *Eſt vera mater filiorum amantior patre.*

Unde Apulejus Florid. III. *Servulus callidus, & amica illudens, & uxor inhibens*, & mater indulgens. Juvenal. Sat. VI. 238.

> *Scilicet exſpectas, ut tradat mater honeſtos,*
> *Aut alios mores, quam quos habet? Utile porro*
> *Filiolam turpi vetulae producere turpem.*

40. VERUM DICIS.] Amplius nunc dicit, quam paullo ante, EST VERISIMILE. paullatim enim fit, ut prorſus credat verbis Syri. Goveanus & Muretus τὸ DICIS delent, ob metrum. Neque eſt in omnibus Mſſ.

QUID NUNC FACIAM, SYRE?] Mſſ. & editi quidam interſerunt τὸ EGO. Alii, ERGO.

41. SUSPICIONEM ISTANC.] Ita citat Priſcianus Lib. XII. Alii, ISTAM. Eſt autem ſecunda in SUSPICIONEM producta. Unde non opus, SUSPECTIONEM legere cum quibuſdam.

42. SI NON EST VERUM.] Scilicet, quod ego ſuſpicor, atque adeo, ſi tu vere es horum.

AD MISERICORDIAM AMBOS ADDUCES CITO.] Quia ſcilicet ferre non poterunt, τὴν γνησιότητα τῆς στοργῆς in dubium vocari.

43. CUJUS SIS.] Mſſ. quidam: CUJUS SIS FILIUS. ex gloſſa.

SAT RECTE HOC MIHI IN MENTEM VENIT.] Haec ad ſpectatores converſus dicit.

 44. QUAM

In mentem venit. namque adoleſcens, quam minima in ſpe ſitus erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.
Etiam haud ſcio, an uxorem ducat; ac Syro nihil gratiae.
Quid hoc autem? ſenex exit foras: ego fugio. adhuc quod factum 'ſt,
Mi-

CALPHURNII.

* 45. Pacam in leges.] H. e. ſecundum eas leges & conditiones, quas dare patri voluerit in ea pace ineunda. Nam cum pax inter aliquos conficitur, lex aliqua aut conditio in ea facienda ſolet allegari, i. e. adhiberi. Senſus ergo illius orationis eſt: Filius componet pacem cum patre, ſuo arbitrio, & ſecundum eas leges & conditiones pacis, quas voluerit.

* 46. An uxorem ducat.] Chremes diſcedens & patriam relinquens ducet uxorem ſcilicet Soſtratam.

* Ac Syro nil gratiae.] Tu Clitipho ita tibi parentes reconciliabis; ego autem nihil ſum gratiae apud illos habiturus, h. e. nullo modo potero illis gratus eſſe.

47. Quid autem hoc?] Haec vox eſt timentis.

COMMENTARIUS.

44. Quam minima in spe situs erit.] Faernus ope Codicis Bembini legit: Nam quam adoleſcens maxime ſpe ſitus erit. Explicans τὸ situs, derelictus; laudante Pareo, & P. Victorio. Guyetus ita ſervat lectionem, ut tamen malit citus, h. e. motus. verum neutrum ſapit genium Comici noſtri.

45. Tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.] Cic. Philipp. XII. 5. *Tam graviſſimis, tamque multis judiciis, ignominiiſque conciſus.* Plaut. Aſin. I. 3. 81.

Habeo, unde iſtuc tibi, quod poſcis, dem: ſed in leges meas
Dabo.

Exhibui autem lectionem maxime uſitatam. Eugraphius: *Cum enim in periculo majore poſitus fueris filius, tum facile parentibus poteſt movere pietatem, vel pacem ab iracunde patre ſuſcipere.* Mire autem ſe in hoc loco exponendo torſerunt Faërnus & Guyetus. Eandem porro conſtructionem cum ſuperlativo admittunt, *Quantum, tantum; quanto, tanto.* Et cum comparativo *magis.* Virg. Aen. VII. 787.

Tam magis *illa fremens, & triſtibus effera flammis,*
Quam magis *effuſo crudeſcunt ſanguine pugnae.*

Eadem fere ratione tam flagitium dixit infra, Adelph. III. 4. 58. Conſule porro Langium & Graevium ad Cic. Lael. cap. 23. Eſt autem metaphora deſumta a pactionibus bellicis, ubi utrimque juſtis conditionibus res componi ſolet. Plaut. Moſtell. V. 2. 5.

Nunc ego de ſodalitate ſolus ſum orator datus,
Qui a patre ejus conciliarem pacem.

Eſtque *pacis* vox ſolennis in Pontificum precibus. Liv. VII. 2. Pacis Deûm *expoſcendae cauſſa tertio tum poſt conditam Urbem lectiſternium fuit.* Juſtin. XVIII. 6. Pacem Deorum *ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita Dii rogari maxime ſolent.* Deinum leges dixit pro conditionibus & pactis ſibi maxime placitis. Sic Phorm. III. 2. 48. Juſtin. II. 3. *Miſſis primo legationibus, qui hoſtibus parendi* legem *dicerent.* Et V. 8. *In has* leges *traditam ſibi urbem Lacedaemonii formandam Lyſandro tradiderunt.*

46. Haud ſcio, an uxorem ducat.] Valet id, quod vulgo nunc dicat, *Haud ſcio, an non uxorem ducat.* Sic Adelph. IV. 5. 33.

Qui infelix haud ſcio an *illam miſere nunc amat.*

Eſt autem formula verecunde & timide aſſeverantis. vide ad And. III. 2. 45. Mſ. Bodl. Huc scio, anne uxorem ducat. corrupte.

Ac Syro nihil gratiae.] Scilicet pro argento a ſenibus erepto, & herili filio dato.

47. Adhuc quod factum 'st.] Mſ. Lipſ. quod

Miror, continuo non juſſiſſe abripi me. ad Menedemum hinc pergam:

Eum mihi precatorem paro: ſeni noſtro fidei nihil habeo.

COMMENTARIUS.

Quod factum 'st adhuc. Editio Anonyma: ob hoc, quod factum est.

48. Hinc pergam.] Mſ. Bodl. Hinc nunc pergam. Editio anni 1469. & Anonyma: Hinc nunc ad Menedemum pergam.

ACTUS QUINTI

SCENA TERTIA.

Sostrata. Chremes.

So. PRofecto, niſi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali:

Idque adeo miror, quomodo

Tam ineptum quidquam tibi in mentem venire, mi vir, potuerit. *Ch.*

CALPHURNII.

1. PRofecto, nisi caves.] *In hac Scena continetur imago quaedam diſſidii inter virum & uxorem, qui natura moroſi atque difficiles ſunt.*

Tu homo.] Cum contemtu & ſtomacho pronuntiandum. * Et dicit, tu homo, & poſtea ſubito mulierum natura redit ad lenitatem, diſcedente indignatione.

3. Ineptum quidquam.] Bene ineptum: nam *ineptum* eſt quod a quovis reprehenditur.

Venire in mentem.] Venire in mentem veteres non recordationis cauſa tantum, ſed etiam [1] recogitationis confiderationiſque poſuerunt.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Recogitationis.*] Ita Libri omnes. Forte melius, *cogitationis.*

COMMENTARIUS.

1. Tu homo.] Quo minus ſtomachoſe haec dicta credam, facit, quod continuo ſequitur, & antequam reſpondeat Chremes, mi vir. Aliter ſentit Petitus Miſcell. Obſerv. III. 15. citans verba Calphurnii, ſcribentis *cum contemtu & ſtomacho pronunciandum.* Sic And. IV. 4. 39.

Tu, *pol*, homo, *non es ſobrius.*

Blandientis autem eſt, quoties τὸ mi vel mea additur.

4. Per-

Ch. Pergin', mulier, odioſa eſſe? ullamne ego rem unquam in vita mea
Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorſatrix, Soſtrata?
At ſi rogitem jam: quid eſt, quod peccem, aut quamobrem hoc faciam? neſcias.
In qua re nunc tam confidenter reſtas, ſtulta? *So.* Ego neſcio.
Ch. Immo ſcis, potius quam quidem redeat ad integrum haec eadem oratio.

So.

CALPHURNII.

* 4. PERGIN' MULIER.] Sic ſolent mariti uxoribus dicere, cum illae adverſantur. Et eſt energia ſenilis. Senſus igitur eſt: Pergin' mulieris partes exercere & officium, quae ſemper vult loqui & marito repugnare.

6. QUOD PECCEM.] Notat mulierum imprudentiam & imperitiam, quae ut plurimum ignorant quae prava aut recta ſunt.

7. TAM CONFIDENTER.] Recte CONFIDENTER. nam ² *confidentia* ſaepius in malam: *Fiducia* vero in bonam partem accipitur. Alibi, *O ingentem confidentiam!*

NESCIO.] Sic lege, ut intelligas contrarium.

9. DE RE TANTA.] Scilicet in periculo filii.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Confidentia ſaepius in malam.*] Vide Donat. ad And. V. 3. 5.

COMMENTARIUS.

4. PERGIN', MULIER, ODIOSA ESSE?] Ita Bembus, eumque ſequuti Lindenbruchius & Pareus. Mſ. Mark. PERGIN', MULIER, MOLESTA ESSE? ita & editiones Venetae, Anonyma, & Tarviſiana anni 1481. Sed anni 1469. & pleraeque veteres cum Mſ. Traject. & Lipſ. OH! PERGIN' MULIER ESSE? In Leidenſium uno: PERGIN' MULIER ESSE? ſed ſupraſcriptum, MOLESTA. Sic Plaut. Caſ. II. 3. 32.

Ohe, jam ſatis uxor *eſt: comprime te: nimium tinnis.*
Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.

Paulinum praeceptum eſt, 1. Timoth. II. 11. Γυνὴ ἐν ἡσυχίᾳ μανθανέτω ἐν πάσῃ ὑποταγῇ. Ad eundem modum Philemon: Ἀγαθῆς γυναικός ἐστι, μὴ κρείττον' εἶναι τ' ἀνδρός, ἀλλ' ὑπήκοον.

ULLAMNE EGO REM.] Ita Mſ. Traject. Juntae, Melanchthon, Rob. Stephanus, alii ediderunt. Quidam antiquiores Libri legunt ſine interrogatione, NULLAM NE EGO. quae lectio ſtomachum Chremetis ſignate exprimit, ſi NAE legas.

IN VITA MEA.] Haec abſunt a quibuſdam Mſſ. neque leguntur in Juntina, Aldina, Rob. Stephani, aliis.

5. ADVORSATRIX.] Plaut. Moſtell. I. 3. 100.

Nunc aſſentatrix ſceleſta eſt, dudum advorſatrix *erat.*

Ita Phidippus Myrrhinae uxori, Hec. IV. 1. 29. 30.

Sed, ut olim te oſtendiſti, eadem eſſe nihil ceſſaviſti uſque adhuc:
Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egiſſem, eſſet ratum.

6. QUID EST, QUOD PECCEM.] Rob. Stephanus edidit, QUID EST, QUOD PECCEM HIC. Ita & editio Pictavienſis, Fabrini, aliorum. Et ſane τὸ HIC ſi maxime non ſit a Terentii manu, valde juvat ſenſum.

7. RESTAS.] Reſiſtis, advorſatrix es. Ovid. Faſt. II. 749.

Poſt modo victa cades: melioribus, Ardea, reſtas
Improba; quae noſtros cogis abeſſe viros.

Liv. VI. 30. *Ibi dum iniquo loco ſola virtute militum*

Digitized by Google

So. Oh! iniquus es; qui me tacere de re tanta poſtules.
Ch. Non poſtulo : jam loquere : nihilo minus ego hoc faciam ta-
men.
So. Facies? *Ch.* Verum. *So.* Non vides, quantum mali ex ea
re excites? [quam, mi vir.
Subditum ſe ſuſpicatur. *Ch.* Subditum! ain' tu? *So.* Certe, in-
Ch. Confitere, tuum non eſſe. *So.* Au! obſecro te, iſtuc inimicis ſiet.
Ego-

CALPHURNII.

12. SUBDITUM SE.] Id eſt, *ſuppoſitum.* [3] *Juvenalis*,

Tranſeo ſuppoſitos.

* Mulieres, quae parere non poſſunt, & ut placeant maritis, ſe gravidas fingunt, & aliquarum inopum mulierum filios ſupponunt, [4] & pro ſuis edunt.

AIN' TU?] Pro, *aisne?* Et eſt percontativum verbum.

* 13. AH!] Obſecrantis. modo blandientis & miſericordiam moventis.

INIMICIS SIET.] Haec imprecatio ſic uſurpatur [5] ab Ovidio, ut illius propria ſit.

OBSERV. IN CALPH.

3. *Juvenalis.*] Sat. VI. 601.
4. *Et pro ſuis edunt.*] Lego, *Et pro ſuis educunt.*

5. *Ab Ovidio.*] Vide Commentarium.

COMMENTARIUS.

tum reſtantes *caeduntur.* Mſſ. quidam: RESTITAS.

EGO NESCIO.] Ironice dictum. q. d. *Non ſum adeo imperita, ut hoc neſciam vel non intelligam.* Fabrini citra ironiam accipit, vertens illa, IMMO, SCIS POTIUS, *voglio piu preſto credere, che tu lo ſappi.*

8. IMMO SCIS.] Interpretatur Guyetus in Notis Mſſ. *Immo te hoc ſcire concedo, potius quam eadem oratio, i. e. idem ſermo a nobis habitus domi ſuper hac re hic repetatur.* Sed in Notis editis intelligit de ſermone in Scena habito.

HAEC EADEM ORATIO.] Ita Juntina, Aldina, Stephani, aliae. Plurimi tamen Mſſ. non agnoſcunt τὸ HAEC, ſed nec editiones annorum 1481. 1497. 1512. nec metrum admittit. Eraſmus, quod mireris, reſecat τὸ EADEM. Goveanus HAEC ſubſtituit. Eſto autem quinto loco proceleuſmaticus, ſexto dactylus, & EADEM diſyllabum, & conſtabit verſus.

10. NON POSTULO: JAM LOQUERE.] Mallim, NON POSTULO JAM. LOQUERE. Sic verſu 6. AT SI ROGITEM JAM. Tangit autem loquacitatem mulierum. Plaut. Poen. IV. 2. 53.

rectius.

Tacitus tibi reſiſtam, quam quod dictum eſt malae mulieri.

12. SUBDITUM SE SUSPICATUR.] Ὑποβολιμαῖον. Liv. XL. 9. *Me* ſubditum *& pellice genitum appellant.* Tacit. Annal. I. 6. *Metuens, ne reus* ſubderetur. Idem *Subdititius* & *ſubditivus* dicitur Plauto. Suet. Ner. 7. *Ut* ſubditivum *apud patrem arguere conatus eſt.* Contrarium eſt *verus.* Suet. Claud. 43. Tanaq. Faber & Dacieria SUSPICETUR legunt; ut dubie dictum ſit. Neque enim jam ſuſpicionem a Syro injectam aperuerat matri; & mox Soſtrata, SIC ERIT, inquit. Legit igitur Faber, CERTE, SIC ERIT, MI VIR. Sed in praeſtantiſſimis Libris eſt, CERTE, INQUAM, MI VIR.

13. CONFITERE, TUUM NON ESSE.] Variant Libri ſcripti & editorum praeſtantiſſimi. In aliis eſt, ut edidi, in aliis ſimpliciter, CONFITERE; rurſus in aliis, CONFITERE, TUUM NON ESSE FILIUM.

AU! OBSECRO TE, ISTUC INIMICIS SIET.] Edit. Anon. Junt. Steph. AH. Mſſ. & editi quidam: ISTUC NOSTRIS INIMICIS SIET. Eſt autem formula deprecandi infelicia. Plaut. Merc. I. 2. 25.

Egone confitear, meum non eſſe filium, qui ſit meus?
Ch. Quid? metuis, ne non, quum velis, convincas eſſe illum tuum?
So. Quod filia eſt inventa? *Ch.* Non: ſed, quod magis credendum ſiet,
Id quod eſt conſimilis moribus,
Convincas facile ex te natum: nam tui ſimilis eſt probe:
Nam illi nihil vitii eſt relictum, quin ſit & idem tibi.

Tum

CALPHURNII.

15. Convincas.] Verbum judicii eſt. * In judiciis *convicti* proprie dicuntur, qui cauſa ceciderunt.

18. Tui similis.] Nam plerumque filii conſimiles ſunt parentum moribus. * Dicimus cum genitivo, cum morum ſimilitudinem, aut doctrinae

COMMENTARIUS.

Ac. *Periimus.* Ch. *Principium inimicis dato.* Virg. Georg. III. 513.

Di meliora piis, erroremque hoſtibus illum!

Ovid. Heroid. XVI. 217.

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.

Idem ad Liviam, verſu 181.

Urbs gemit, & vultum miſerabilis induit unum.
Gentibus adverſis forma ſit iſta, precor!

Lucianus Alex. Ἡ ψυχὴ δὲ καὶ ἡ γνώμη, ἀλεξίκακε Ἡράκλεις, καὶ Ζεῦ ἀποτρόπαιε, καὶ Διόσκουροι σωτῆρες, πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο, ἢ συγγίνεσθαι τοιούτῳ τινί. Adde Briſſon. de Form. Lib. I.

15. Quid?] Editio Juntina: Quid metuis? nonne, cum velis, convincas illum eſſe tuum? Juvatur autem διασυρμὸς Chremetis, ſi legas, uti edidi. Lectionem Juntinam tuetur Guyetus. Et multus in hoc loco explicando eſt Boeclerus.

16. Quod filia est inventa?] Cur id rogitet Soſtrata? Num videtur id velle: An inde facile convincam, ex me natum eſſe, quod filia inventa documento ſit, non fuiſſe me ſterilem? Hic quidem vulgo Interpretibus ſimpliciſſimus verborum ſenſus videtur, & Soſtratae maxime conveniens. Atque ita Fabrini: *Dite voi, perche ſi è ritrovata la figliuola, cioè, Dite voi, perche non ſi potrà dire, che non ſia mio, perche io ſia ſterile, perche ſi è ritrovata la figliuola?* Uti vero liberos peperiſſe plures Soſtratam filia inventa veriſimile faciebat, ita ad aſſerendum Clitiphoni jus filiifamilias idem argumentum non valebat. Fuerit igitur haec Comici mens: *Ideone credis me facile convicturam Clitiphonem, eſſe nos ei parentes, quod ſatis argumentorum habuerim, quibus publice conſtare queat, puellam modo inventam eſſe filiam noſtram?* Certe ſuus matri partus eſt notiſſimus.

Sed quod.] Mſ. Mark. & Lipſ. Sed quo. Idem citat e Mſ. Lindenbruchius, & exhibet editio 1469.

17. Consimilis.] Mſ. Mark. Consimile.

19. Nam illi nihil.] Hunc verſum Boeclerus inſititium vocat & gloſſam adjectam. Guyetus vero etiam proxime praecedentem & ſequentem excludit, ut ſpurios.

Et idem.] Ita Faërnus. Mſ. Bodl. & Mark. cum eum editione Anonyma, Itidem sit et. Ita & duo Mſſ. Boecleri. Unus: quin id idem sit tibi. Alii aliter. Senſus autem eſt, Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν.

20. Nisi tu, nulla pareret.] Mſ. Lipſ. Nulla, nisi tu, pareret. Ita & editio anni 1469.

21. Rem, cum videas, censeas.] Varie haec capiunt Interpretes. Chremes vero demonſtrat Clitiphonem filium quaſi cenſendum matri Soſtratae, h. e. ut de ejus moribus judicet. Senſus autem videtur eſſe: Si ex vultu judices, credas eſſe ſincerum & gravem; ſed ſi rem penitus inſpicias, apparet nullius eſſe frugis.

Ita

Tum praeterea talem, niſi tu, nulla pareret filium.
Sed ipſe egreditur. quam ſeverus! rem, cum videas, cenſeas.

CALPHURNII.

ctrinae oſtendimus. ſed dicimus, *ſimilis tibi*, cum dativo, cum qualitatem ſimilem oſtendere laboramus.

21. Quam ſeverus!] Nam facie ipſa videtur quandam probitatem oſtendere: re vero, alius eſt.

COMMENTARIUS.

Ita Fabrini: *Giudica, quando tu vedi i fatti.* Vel poſſit ſenſus eſſe: Cum videas, censeas rem esse, h. e. hominem magni momenti. Ita Res emphatice pro re majoris momenti uſurpatur Adelph. III. 3. 64. Petron. cap. 126. *Ex vultibus tamen hominum mores colligo, & quum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio.* Noſter autem imitatus Plautum, Caſ. III. 2. 32.

Sed eccum incedit. at, quum aſpicias *triſtem*, *frugi* cenſeas.

Vel denique poſſit eſſe interrogatio, Rem, cum videas, censeas? H. e. Credas ex ſeveritate, quam prae ſe fert, ita rem eſſe? *τὸ χρῆμα ἰδὼν φαίης ἄν*; Sic ſupra V. 1. 17.

ACTUS QUINTI

SCENA QUARTA.

Clitipho. Sostrata. Chremes.

Cl. SI unquam ullum fuit tempus, mater, quum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obſecro,
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miſereſcat mei.

Quod

CALPHURNII.

1. Si unquam ullum fuit tempus.] *Adhuc filius matrem ſollicitam reddit, dum petit ut parentes commonſtret: & ex hoc facilius pervenitur ad tranquillitatem omnium rerum.*

2. Tua voluntate.] Quaſi innuit illam de induſtria illum voluiſſe appellari filium.

* 3. Miserescat.] Habemus *miſeret*, *miſeraat*, & *miſereſcit*, *miſereſcat*, in eadem ſignificatione,

COMMENTARIUS.

1. Si unquam.] Non aliter fere Dido ad Aenean, apud Virg. Aen. IV. 317.

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum; miſerere domus labentis.

De ſimili uſu τοῦ si vide ad And. I. 5. 57.

3. Inopis.] Sine ope & auxilio. Adelph. II. 1. 2. Juſtin. XIX. 3. *Inter haec procedit* inops *e navi ſua imperator.*

4. Peto

Quod peto,& volo, parentes meos ut commonſtres mihi.
So. Obſecro, mi gnate, ne iſtuc in animum inducas tuum,
Alienum eſſe te. *Cl.* Sum. *So.* Miſeram me! hoccine quaeſiſti, obſecro?
Ita mihi atque huic ſies ſuperſtes, ut ex me atque ex hoc natus es!
Et

CALPHURNII.

catione, ejuſdem naturae. Habemus etiam *miſereſco*, *ic.* 1 *Virgil.*

His lacrimis vitam damus, *&* miſereſcimus *ultro.*

4. Quod peto, et volo.] Peto, inquit, quaſi *precario.* nam proprie aliquid *precarie petere* dicimur.

5. Obsecro te, mi gnate.] Verba proprie matris deſperatae.

6. Sum.] Haec vox ſimplex terribiliter pronuntiat.

* Miseram me!] Per exclamationem prae dolore dicitur, q. d. *dico*, *verum eſt*, *me miſeram eſſe.* quod dictum interjectionis vice fungitur.

* Quaesisti?] Excogitaſti, ſeu ſomniaſti, ut dici ſolet, ut mihi dolorem incuteres. Vel, Quaesisti hoc? i. e. inveſtigaſti & interrogaſti hoc ab aliquibus, ne eſſes filius proprius, non ſuppoſititius?

7. Huic sis superstes.] Mos jurandi antiquus parentum. Et bene inducitur mater mitior patre, & quae *adjutrix ſit in paterna injuria filio.*

OBSERV. IN CALPH.

1. *Virgilius.*] Aen. II. 145.

COMMENTARIUS.

4. Peto et volo.] Mſ. Bodl. & editio Anonyma, & anni 1469. Peto aut volo.

Parentes meos ut commonstres mihi.] Solebant magna petituri hac dubitatione parentes quaſi cogere. Ovid. Metam. II. 35.

Ille refert, o lux immenſi publica mundi,
Phoebe pater, ſi das hujus mihi nominis uſum,
Nec falſa Clymene culpam ſub imagine celat;
Pignora da, genitor, per quae tua vera propago
Credar, & hunc animis errorem detrahe noſtris.

Verba Phaëtontis.

6. Alienum.] Non noſtrae familiae. Adelph. I. 2. 57. & III. 4. 6. Hec. IV. 4. 27. Liv. XXIX. 29. *Extitit quidam, Mezetulus nomine, non* alienus *ſanguine regibus, familiae ſemper inimicae.* Dicitur autem quis *alienus alicui*, *aliquo*, & *ab aliquo.*

Hoccine quaesisti, obsecro?] Laudat Boeclerus Gallum Interpretem, qui vertit: *N'as tu point honte d'avoir fait telle demande?* Quae Anteſignani paraphraſis eſt, quum prius vertiſſet: *as tu bien demandé cecy?* Errat autem uterque, & Anteſignanus & Boeclerus. Senſus enim eſt: *Hoccine voluiſti?* Sic Virg. Aen. IV. 675.

Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?

Quanquam poſſunt haec videri verba Soſtratae ad Chremetem, ſequentia ad filium.

7. Ita mihi atque huic sies superstes.] Formula precandi & optandi. Adelph. IV. 5. 47. Hec. II. 1. 9. Plaut. Aul. IV. 10. 31.

Ita te amabit Jupiter,
Ut tu neſcis?

Antonius in literis ad Auguſtum, apud Suet. Aug. 69. *Ita valeas, uti tu, hanc epiſtolam cum leges, non inieris* Phaed. IV. 1. 19. Mus retorridus de muſtela:

Sic valeas, inquit, ut farina es, quae jaces.

Cic. Fam. V. 21. *Tecum eſſe, ita mihi omnia, quae opto, contingant, ut vehementer velim.* Quinctil. Inſtit. Orat. IX. 2. *Ita mihi contingat herede filio mori.* Vide porro Cic. Fam. XV. 4. XVI. 16. Ovid. Triſt. I. 2. 99. & 105. Suet. Aug. 28. Tib. 21. Haec porro vota piorum parentum, hic naturae ordo. Contrarium ſi accidat, JCti *mortalitatis ordinem eſſe turbatum* dicunt. Papin. l. 15. D. de Inoff. Teſtam. Pulcherrimus in hanc rem eſt
locus

Et cave poſthac, ſi me amas, umquam iſtuc verbum ex te audiam.
Ch. At ego, ſi me metuis, mores cave in te eſſe iſtos ſentiam.
Cl. Quos? *Ch*. Si ſcire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, heluo,
Ganeo, damnoſus! crede, & noſtrum te eſſe credito.

Cl.

CALPHURNII.

8. SI ME AMAS.] Haec verba, blandientis matris ſunt, & quae valde de filio ſollicita ſit.

9. SI ME METUIS.] * Matri dat verba ſuavia, patri vero aſpera. illa inquit, SI ME AMAS: hic, SI ME METUIS.

* 10. QUOS?] Supple, *Mores dicis eſſe in me*; ſeu; *me cavere, ne ſint in me*.

GERRO, INERS, FRAUS.] Haec dicuntur in abjectiſſimum quemque & nullius precii hominem. GERRO.] * GERRO, ut *Servius* dicit, a *gerendo*. unde *nugigerulus*, qui nugas gerit; vel ut *Nonius* & *Feſtus*, a *gerris*, nam *gerrae* ſunt nugae & ineptiae, ſic dictae, ut *Feſtus* refert, quod quum Athenienſes Syracuſas obſiderent, & crebro *gerras* poſcerent, irridentes Siculi *gerras* clamitabant, quum *gerrae* prius dicerentur, ut idem *Feſtus* ait, crates vimineae. Propter illam irriſionem Siculorum factum eſt, ut *gerrae* pro nugis & contemtu dicantur. Hinc *congerro*. [3] *Plaut*. in Perſa,

Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.

* INERS.] I. e. otioſus, ignavus, ſine arte & induſtria vivendi, ut vult *Servius*.

* FRAUS.] Frauduloſus ſeu fraudulentus, ſeu culpabilis; nam, ut inquit *Ulpianus*, *fraus eſt ipſa noxa*, i. e. culpa, & quaſi quaedam praeparatio poenae. Interdum etiam pro *poena* ponitur in jure, ut ait *Servius*. Item & *fraus* pro periculo poni invenitur; ut, *Eris illa res fraudi*, id eſt periculo. Hoc *Servius*. Ponitur autem hic FRAUS pro fraudulento, ut alibi ſcelus pro ſceleſto.

HELUO.] *Vorax*. [4] *Catul*. in Caeſarem, *An parum beluatus eſt?* * Inſatiabilis, inquit *Servius*, ſeu, immoderate bona ſua conſumens, inquit *Feſtus*. Inde *beluor*, *aris*. i. e. effundere bona ſua luxurioſe ac immoderate.

11. GANEO.] Veteres *ganeum*, meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γῆς, quod ipſa ſit in terra. Hinc GANEO deducitur, qui meretrices ſequitur.

DAMNOSUS.] Recte hoc poſtremum cum ſuperioribus convenit. * DAMNOSUS.] I. e. damni quidquid tuis parentibus afferens. ut jam feciſti, extorquendo a me per ſervum decem minas Bacchidi.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Matri*.] Immo, *Mater*, & mox, *Pater*. vide ad verſum 12.

3. *Plautus in Perſa*.] I. 3. 9.

4. *Catul*.] XXVII. 16.

COMMENTARIUS.

locus Taciti Ann. XVI. 11. Conf. Auſon. Epitaph. VII. Reineſ. Inſcript. Claſſe V. n. 35. Grut. pag. 436. n. 1. Adde Papin. l. 72. pr. D. de Condit. & Demonſt. & l. 7. §. ult. D. Si Tabulae Teſtam. nul. ext. Virg. Aen. XI. 160. Demum ad And. III. 2. 7.

8. ET CAVE POSTHAC.] Vide Chreſtomathiam Boecleri, voce *Denunciandi*.

10. GERRO.] Nugator. φλυαρός. οὐδαμινός. Unde Nonius Marcellus: CONGERRO, *qui eaſdem exercet nugas*.

HELUO.] Pompejo Feſto dicitur *immoderate bona ſua conſumens*, *ab* eluendo. *Cui aſpiratur*, *ut aviditas magis exprobretur. fit enim vox incitatior.* Niſi forte ab antiquo *Helus*, h. e. holus, quod notat omnis generis dapes. Unde *Helue Librorum* dicitur omnes Libros legens & quaſi devorans. Vide G. J. Voſſii Etymolog.

11. GANEO.] Ἄσωτος. Meretricum ſectator, a *ganeis*, h. e. lupanaribus. Juvenal. XI. 58. Iſidorus Lib. X. GANEO, *luxurioſus*, *& tanquam in occultis locis & ſubterraneis*, *quae* ganea *Graeci vocant*.

DAMNOSUS.] Prodigus. Inſanos ſumtus *damna*

 dixe-

Digitized by Google

Cl. Non ſunt haec parentis dicta. *Ch.* Non? ſi ex capite ſis meo
Natus item, ut ajunt Minervam eſſe ex Jove, ea cauſa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
So. Dî iſtaec. *Ch.* Deos neſcio: ego quod potero, enitar ſedulo.
Quaeris id, quod habes, parentes: quod abeſt, non quaeris, patri

Quo-

CALPHURNII.

12. PARENTIS.] Scilicet qui filium amet.

NON? SI EX CAPITE SIS MEO.] Haec ingenti clamore pronuntianda: & ſic oſtendit Chremes filium non debere abjicere ſpem patris, etſi ab eo verba aſpera audit.

13. AJUNT.] Bene AJUNT, de re fabuloſa & ficta.

15. DEOS NESCIO.] Modus loquendi, praeſertim iratorum.

COMMENTARIUS.

dixerunt. Suet. Ner. 31. *Non in alia re* damnoſior, *quam in aedificando.*

NOSTRUM TE ESSE CREDITO.] Reponit Guyetus: NOSTRUM TE ESSE, HAUD CREDITO. Si vero ita dixiſſet Chremes, non potuiſſet apte reſpondere Clitipho: NON SUNT HAEC PARENTIS DICTA. Et mox Chremes: QUAERIS ID QUOD HABES.

12. NON SUNT HAEC PARENTIS DICTA.] Juntina, Aldina, Stephani, editiones aliae: NON SUNT HAEC JAM PARENTIS DICTA. q. d. *Ex his dictis apparet primum, non eſſe te parentem meum.* Et emphaticum eſt τὸ JAM. Sic And. II. 2. 25. Quod Batavi vulgo dicunt: *By proviſie.* Teſtatur autem Faërnus, in nullo Mſ. legi illud JAM. Dacieria male haec verba tribuit Soſtratae.

NON?] Ita diſtinxi, ut gravior eſſet ſententia. Vulgo ſine ulla interrogatione: NON, SI EX CAPITE MEO SIS NATUS ITEM, UT AJUNT MINERVAM ESSE EX JOVE, EA CAUSA MAGIS PATIAR, CLITIPHO, FLAGITIIS TUIS ME INFAMEM FIERI. Malim, ſi per Codices liceret, NON? NON, SI EX CAPITE MEO SIS NATUS. Editio Anonyma: NON? SI EX CAPITE SIS MODO NATUS, ITIDEM.

13. MINERVAM ESSE EX JOVE] Fabulam vide apud Lucianum in Dialogo Jovis & Vulcani. Adde Mythologos. Senſus autem videtur eſſe: *Si tu maxime propius me contingeres, quam humanos parentes contingunt filii, ea cauſa non magis paterer, me tuis flagitiis infamem fieri.* Ceterum, hunc locum in animo fuiſſe apparet Horatio, Arte, 93.

Interdum tamen & vocem Comoedia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

Videntur enim verba Chremetis grandiora, quam pro ſtilo Comico.

15. DÎ ISTHAEC.] Formula abominandi & deprecandi. Liv. VI. 18. *Bene facitis, quod abominamini:* Dii prohibeant haec! *Sed nunquam propter me de coelo deſcendent. Vobis dent mentem, oportet, ut prohibeatis.* Lectio autem quorundam Librorum, DÎ ISTHAEC PROHIBEANT! metrum corrumpit.

DEOS NESCIO.] Gratificari ſe Terentio putant, & impietatis nota, quam Dionyſius Lambinus in Epiſtola ad Carolum IX. ei adſperſit, abſolvere, qui Chremetem id voluiſſe dicunt: *Neſcio, quid facturi ſint Dii, prohibiturine iſthaec, an non?* Editioni Pictavienſi, ex recenſione Melanchthonis, adſcriptum, *Les Dieux l'empêcheront, s'ils veulent: mais pour moy, j'y mettray bon ordre.* Quomodo Antiphila de aliarum mulierum animo in amatores, ſupra II. 4. 16. *Neſcio alias.* Mihi haec in ſtomachantem ſenem parum convenire videntur. Crediderim igitur, ſenſum verborum Chremetis eſſe, *Non nunc de Diis res agitur, neque adeo Deos tu partes voco.* Unde continuo a Diis diſcedens, quid ipſe hac in re facturus ſit, addit. Sic Guido Juvenalis: NESCIO DEOS. *Modus loquendi iratorum, praecipue qui Dei cogitationem* (malim, *cognitionem*) *non habent.* Salluſtius Catil. 52. *Non votis, neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpere omnia cedunt. Ubi ſocordiae tete, atque ignaviae tradideris, nequicquam Deos implores; irati*

infe-

Digitized by Google

Quomodo obſequare: & ut ſerves, quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere, hac praeſente, verbum turpe: at te id nullo modo
Puduit facere. *Cl.* Eheu, quam ego nunc totus diſpliceo mihi!
Quam pudet! neque quod principium inveniam ad placandum,
ſcio.

CALPHURNII.

ENITAR.] Ne infamis fiam.

17. INVENERIT.] Id eſt, *acquiſiverit*. Alibi, *Labore inventa mea cui dem bona.*

18. ADDUCERE.] Ἀποσιώπησις honeſta. noluit dicere meretricem, praeſente matre.

COMMENTARIUS.

infeſtique ſunt. Liv. XXII. 5. *Nec enim inde votis, aut imploratione Deûm, ſed vi ac virtute evadendum eſſe.* Scilicet credebat vulgus, etiam nihil agendo precibus Deorum opem impetrari. Ovid. Faſt. VI. 443.

Provolat in medium, & magna, ſuccurrite, voce,
Non eſt auxilium flere. Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis:
Non ea ſunt voto, ſed rapienda manu.

Plaut. Ciſtell. I. 1. 53.

GY. *Di faxint.* LE. *Sine opera tua nihil Di horunc facere poſſunt.*

16. QUOD ABEST.] Mſ. Mark. QUOD ABEST A TE.

17. QUOD LABORE INVENERIT.] Sic ſupra I. 1. 87. & IV. 7. 13.

18. MIHI PER FALLACIAS ADDUCERE ANTE OCULOS?] Vide ad Eun. IV. 7. 24.

19. DICERE, HAC PRAESENTE, VERBUM TURPE.] Omnis emphaſis eſt in τῷ DICERE, cui mox ad exaggerandum Clitiphonis flagitium, opponitur τὸ FACERE. Ceterum fuit quaedam ſanctitas & majeſtas matronarum. De qua vide Plutarchum in Romulo. Juvenal. Sat. XI. 201.

Spectent hoc nuptae, juxta recubante marito,
Quod pudeat narraſſe aliquem praeſentibus ipſis.

Intelligit autem *verba praetextata*. De quibus vide Suet. Veſp. 22. Gell. IX. 10. Similis verecundiae exemplum eſt Archytas apud Aelian. V. H. XIV. 19. Quanquam alia matronarum Graecarum, alia Romanarum ratio; harum liberior, illa ſecus. Vide Abr. Wielingii Diatriben de Furto per Lancem & Licium concepto, cap. IV. §. 6.

20. PUDUIT.] Mſ. Bodl. & Mark. cum editione Anonyma, & anni 1469. aliiſque, PIGUIT.

21. INVENIAM.] Mſ. Lipſ. & editio Anonyma, cum anni 1469. & Pall. omnibus, INCIPIAM. quam lectionem praefert Muretus. Alii, CAPIAM.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA QUINTA.

MENEDEMUS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

Me. ENIMVERO Chremes nimis graviter cruciat adoleſcentulum,
Nimiſque inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem. optume
Ipſos video. *Ch.* Ehem, Menedeme: cur non arceſſi jubes
Filiam, & quod dotis dixi, firmas? *So.* Mi vir, te obſecro,
Ne facias. *Cl.* Pater, obſecro, ut mihi ignoſcas. *Me.* Da veniam, Chreme:
Sine

CALPHURNII.

1. ENIMVERO CHREMES.] *Intervenit perſona, cujus gratia pax concilietur: ita ut omnia tranquilla ſint, & compoſita, prout Comoediae finis poſtulat.* ENIMVERO.] * Hoc loquitur Menedemus ſolus apud ſe. ENIMVERO.] Nonnunquam principium eſt aliquid per iram dicturi.

* 3. HEM.] Interjectio percipientis eum, quem volebat.

ARCESSI.] Bene ARCESSI: [1] quia proprie *arceſſitur* uxor, dum ad virum ducitur.

* 4. MI VIR.] Putat Soſtrata, id quod erat fictum, eſſe verum, timebatque ne pater penitus exheredaret filium, omnia tribuens filiae.

OBSECRO.] Nil ſignificantius. nam *Orare*, eſt placidos petere. *obſecrare* vero, iratos rogare.

5. NE FACIAS.] Haec timebat ne omnia bona [2] illi traderet.

OBSERV. IN CALPH.

1. *Quia proprie.*] Videtur reſpexiſſe loca And. III. 3. 14. Heaut. V. 1. 75. & quae notavit Donatus ad Eun. III. 5. 44.

2. *illi.*] Forte, *Filiae.*

COMMENTARIUS.

4. QUOD DOTIS DIXI.] De Dote ſupra IV. 7. 10. & V. 1. 67. Proprie autem *Dos dicitur*, h. e. promittitur. Ovid. Faſt. VI. 594.

Si vir es, i, dictas *exige* dotis *opes.*

Ubi vide Heinſium. Sed ex Afranio laudat Nonius Marcellus, *De ruſtico neſcio cui vicino ſuo perpauperi, cui* dicat dotis *paullulum.* Idem ex Varrone, Myſteriis, *In id virgo*, dos *a femina ut auferatur, quae mihi poſtea quam ad concordiam* dicta eſt. Hinc *doti dicere* JCtorum proprium. Sic Serv. ad Virg. Georg. I. 31. Inde ad alia transfertur. Nepos Eum. 2. *Hoc tempore data eſt Eumeni Cappadocia, ſive potius* dicta; *nam tum in hoſtium erat poteſtate.*

6. SINE

Sine te exorem. *Ch.* Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono? ſciens
Non faciam. *Me.* At id nos non ſinemus. *Cl.* Si me vivum vis, pater,
Ignoſce. *So.* Age, Chremes mi. *Me.* Age quaeſo, ne tam obfirma te, Chreme.
Ch. Quid iſtic? video, non licere, ut coeperam, hoc pertendere.
Me. Facis, ut te decet. *Ch.* Ea lege hoc adeo faciam; ſi facit,
Quod ego hunc aequom cenſeo. *Cl.* Pater, omnia faciam: impera.
Ch. Uxorem ut ducas. *Cl.* Pater. *Ch.* Nihil audio. *Me.* Ad me recipio:
Faciet. *Ch.* Nihil etiam audio ipſum. *Cl.* Perii! *So.* An dubitas, Clitipho?

Ch.

CALPHURNII.

6. Sciens.] Quod pejus eſſet, quam ſi neſciret.

* 7. Si me vivum vis.] Hoc ſolo verbo poterat placare patrem. nam pater filii vitam omnibus rebus anteponit.

* 8. Ne tam obfirma te.] I. e. Noli te tam obſtinatum oſtendere. Ille enim dicitur ſe *obfirmare* in aliquo propoſito, qui obſtinate ac pertinaciter in illo perſeverat, tanquam immobilis truncus. Et eſt tranſlatio ſumta a repagulo obfirmando.

* 9. Pertendere.] In Eunucho: *Si incipies, neque pertendes gnaviter.* Alii legunt, perpendere.

* 12. Pater.] Tantum dicit hoc verbum, non ſtatim volens dare reſponſum, tanquam prius deliberaturus.

* Nihil audio.] Averſus & indignatus Chremes haec dixit.

* Ad me recipio.] Hoc dicendi genere ſaepius *Cicero* utitur in ſuis Epiſtolis, & praecipue commendatitiis. Interdum ſumitur pro *Promittere.*

COMMENTARIUS.

6. Sine te exorem.] Ita editi veteres, & plerique Mſſ. In impreſſis recentioribus quibuſdam eſt, Exoret. Malim, Exorent. nam & mater & filius oraverant. Idem ex Mſ. Pal. laudat Georg. Fabritius.

Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono? sciens non faciam.] Ita edidi, ſecutus auctoritatem editionum Juntinae, Rob. Stephani, Pictavienſis. Atque ita conſtruxit Fabrini: *Sapendolo io no lo farò mai.* Vulgo ita: Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono sciens? non faciam.

9. Video, non licere, ut coeperam, hoc pertendere.] Mſ. Mark. Non licere mihi. Sic Eun. I. 1. 6. Menand. Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ᾽ ἔργοις πατήρ.

10. Si facit.] Editio anni 1469. & Mſſ. pluſculi: Si id faciat. Alii, Si facit id.

11. Pater.] Modeſte & verecunde detrectantis eſt.

12. Ad me recipio.] Polliceor, me praeſtiturum, ut ille id faciat. Inde *Recipere* abſolute, pro, polliceri. Phorm. V. 7. 9.

13. Nihil etiam audio ipsum.] Exiſtimat Guyetus, id velle Chremetem, Nihil adhuc audio ipſum reſpondere ad ea, quae propoſui. Eodem ſenſu adſcriptum editioni Pictavienſi:

 ll

Ch. Immo, utrum volt. *Me.* Faciet omnia. *So.* Haec, dum incipias,
gravia ſunt:
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. *Cl.* Faciam, pater.
So. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile
ames;
Filiam Phanocratae noſtri. *Cl.* Rufamne illam virginem,
Caeſiam, ſparſo ore, adunco naſo? non poſſum; pater.

Ch.

CALPHURNII.

* 14. IMMO, UTRUM VOLT.] Permiſſio patris ironica.

17. RUFAM.] *Rufus* color & *ruber* idem eſt. * De Rufo colore [2] *A. Gellius* in ſecundo Noctium Atticarum multa verba facit.

* 18. CAESIAM.] [3] Idem *Gellius* inquit: *Noſtris autem Latinis veteribus caeſia dicta eſt, quae a Graecis γλαυκῶπις dicitur, ut Nigidius ait, de colore caeli, quaſi caelia.* Dantur caeſii oculi Minervae, coerulei Neptuno.

OBSERV. IN CALPH.

2. *Gellius in ſecundo Noctium Atticarum.*] Cap. 26. Interpres autem de ſuo addidiſſe videtur, *Latinis* & *dicitur.*

3. *Idem Gellius.*] Ibidem.

COMMENTARIUS.

Il ne veut pas dire, oui. Et Fabrini: *Ancora io non odo lui; cioè, io non odo ancora, che dica di volerla, e tu prometti tanto gagliardamente.* Perperam. Daciera ſubaudit, *mihi polliceri.* Eſt autem vox indignantis, qualis ſupra, quando Clitipho audiens, uxorem ſibi eſſe ducendam, PATER, diceret, Chremetis reſponſio, NIHIL AUDIO. q. d. Non eſt, quod nuptias iſtas effugere velis. Quod igitur hic filio, idem mox Menedemo inquit, NIHIL ETIAM AUDIO IPSUM. Unde videns Clitipho, ſe teneri, nec elabi poſſe, FACIAM, PATER, inquit. Sic Cic. de Amic. 13. *Neque enim ſunt iſti* audiendi, *qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe quandam volunt.* Et cap. 15. *Non ergo erunt homines deliciis diffluentes* audiendi.

14. IMMO.] Mſ. Mark. & editio Anonyma integrum interſerunt verſum: AUT ILLAM ACCIPIET, AUT ME INIMICUM HABEBIT. Ex Gloſſa, ut videtur. Guyetus in Scholiis Mſſ. UTRUM explicat, *aut uxorem, aut exheredationem.* recte.

HAEC, DUM INCIPIAS, GRAVIA SUNT.] Editio Anonyma: GRAVIA OMNIA SUNT. Imitatus Lactantius VI. 23. *Omnia* gravia ſunt, *dum ignores; ubi cognoveris, facilia.*

15. FACIAM, PATER.] Mſ. Mark. FACIAM, PATER, OMNIA.

16. ILLAM.] Mſ. Bodl. & Mark. cum editione Anonyma, PUELLAM. quod verſum facit aequo longiorem. Id Eraſmus animadvertens, GNATE MI, ſuſtulit. Glareanus reſecat, MI. Goveanus & Muretus TIBI. Lectio quam exhibeo, eſt optimorum Librorum; ſed & metrum ſervat. In editione anni 1469. eſt: DABO PUELLAM LEPIDAM ILLAM CAESIAM VIRGINEM.

FACILE.] Sine dubio, lubenter. Ita Cicero paſſim. Videtur autem Soſtrata honeſtatis & divitiarum, Clitipho formae potiorem habuiſſe rationem.

17. RUFAM.] Martial. XII. 54.

Crine ruber, *niger ore, brevis pede, lumine laeſus,*

Rem

Digitized by Google

Ch. Heja! ut elegans eſt! credas animum ibi eſſe. *So.* Aliam dabo.

Cl. Quid iſtic? quandoquidem ducenda eſt, egomet habeo propemodum,

Quam volo. *So.* Nunc laudo te, gnate. *Cl.* Archonidi hujus filiam.

So.

CALPHURNII.

* Sparso ore, adunco naso?] Haec duo nimiam arguunt deformitatem, & adjuvant Clitiphonem in recuſatione. Indecens naſus vituperatur, ſed magis in muliere. Sparso ore.] I. e. Habentem os ſparſum & latum ſeu extentum.

* Non possum; patar.] Plus patrem commovit, quam ſi dixiſſet, *nolo*.

19. Elegans ast!] Hic ad formam refertur: ſed ſaepius ad orationem & ad verba.

* 19. Animum ibi esse.] Verba apta ei, qui ſibi multum tribuit.

COMMENTARIUS.

Rem magnam praeſtas, Zoile, ſi bonus es.

Ep. XII. 32. 4.

Portabat uxor ruſa, *crinibus ſeptem.*

Erat autem color crinium rufus inviſus.

18. Caesiam.] *Γλαυκῶπιν.* Plautus itidem per contumeliam *noctuinos oculos* vocat, Curc. I. 3. 35. ubi vide Turneb. Apulej. Metam. II. Oculi *quidem* caeſii, *ſed vigiles, & in aſpectu micantes prorſus aquilino, quoquoverſum floridi.* Adde Ferrarium de Re Veſtiar. Parte I. Lib. III. cap. 22.

Sparso ora.] Sunt qui pro late diducto ore, ſunt item, qui pro lentiginoſo vultu accipiunt. Guyetus in Scholiis Mſſ. *picotée de rouſſeurs.* In Mſ. Lipſ. ſupraſcriptum, *diffuſo.* Virgil. Ecl. II. 41.

ſparſis *etiam nunc pellibus albo.*

Aen. VII. 191.

Fecit avem Circe, ſparſitque *coloribus alas.*

Suet. Caeſ. 45. *Fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris.* Martial. III. 93. 6.

Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat corcodilus anguſta.

Adunco naso?] Hunc in puero ſuo laudat Martialis IV. 4. 9.

Sons brevis, atque modus breviter ſit naribus uncis.

Lego, *leviter.* ut *naribus leviter uncis* valeat ad *uncis.* Petron. cap. 126. *Nares paullulum inflexae* Sidon. Lib. I. Epiſt. 2. *Naſus venuſtiſſime incurvus.* de Theodorico Rege.

19. Ut elegans est!] Guyetus in Scholiis Mſſ. *Qu'il eſt delicat! qu'il eſt deſgouté! il paroit bien, qu'il ne penſe à rien, qu'à cela.* Eugraphius: Ut elegans est! *Id eſt, prudens in diſcernendis puellis. quia* ibi, *id eſt, in hac electione totus eſt.* Eſt vero totum Ironicum. q. d. Quam faſtidioſus formarum arbiter! quem ſi ſpectes, credas, animum ad uxorem adpulſurum eſſe. Qui enim tam profeſſum ageret formarum cenſorem, niſi aliquam magno e numero electurus? Vide ad Eun. III. 5. 18.

Credas, animum ibi esse.] Sic ſupra V. 2. 30. Vide ad Eun. IV. 7. 46. Poſſint fortaſſe haec per interrogationem exprimi; ut ſenſus ſit: Credisne ſerio appuliſſe animum ad uxorem, quum oblatam a matre recuſet? Videturne ideo tantum promittere, ut iram meam in ipſum remittam, nec omnia bona mea dem Cliniae in dotem?

21. Archonidi hujus.] *Δεικτικῶς* de vicino. Eſt autem penultima in Archonidi producenda. Priſcian. Inſtit. Grammat. Lib. VI. Mſ. Lipſ. non agnoſcit τὸ hujus. In Mſ. Boenderm. & editione anni 1469. eſt: Archonidis filiam.

So. Perplacet. *Cl.* Pater; hoc nunc reſtat. *Ch.* Quid? *Cl.* Syro ignoſcas volo,
Quae mea cauſa fecit. *Ch.* Fiat. Ω. Vos valete & plaudite!

CALLIOPIUS RECENSUI.

COMMENTARIUS.

22. PERPLACET.] Si hoc Soſtrata dicit, cur tacet Chremes, cujus vel maxime requirebatur aſſenſus? Niſi dicas, ſponſalia, ubi patris conſenſus requiritur, nondum celebrari, idque agi ſolum, quo Clitiphonis animus ab amore meretricio ad uxorium transferatur. Quando τὸ PERPLACET matri ſuaſorias agenti non incommode tribuetur.

SYRO IGNOSCAS.] Mſ. Mark. & Boenderm: UT SYRO IGNOSCAS.

23. Ω. VOS VALETE ET PLAUDITE!] Ita plerique Libri. In aliis haec Chremeti tribuuntur, Vide finem Andriae & Eunuchi.

FINIS HEAUTONTIMORUMENOY.

P. TE-

Digitized by Google

P. TERENTII
ADELPHI.

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS AEMILII PAULLI QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS. P. CORNELIUS AFRICANUS. EGERE L. ATILIUS PRAENESTINUS, MINUTIUS PROTHIMUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI, TIBIIS SARRANIS. FACTA GRAECA MENANDRU L. ANICIO, M. CORNELIO COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.

AESCHINUS, *adoleſcens. Filius Demeae, ſed adoptatus a patruo Micione.*

CANTHARA, *nutrix Pamphilae.*

CTESIPHO, *adoleſcens. Frater Aeſchini.*

DROMO, *ſervus Micionis.*

DEMEA, *ſenex. Frater Micionis, Pater Aeſchini & Cteſiphonis.*

GETA, *ſervus Soſtratae.*

HEGIO, *ſenex. Propinquus Pamphilae.*

MICIO, *ſenex. Frater Demeae, Pater adoptivus Aeſchini.*

PAMPHILA, *filia Soſtratae, amica Aeſchini.*

SANNIO, *leno.*

SOSTRATA, *mater Pamphilae.*

SYRUS, *ſervus Aeſchini.*

PERSONAE MUTAE.

BABYLO.

PARMENO, *ſervus.*

STORAX, *ſervus.*

TIBICINA, *amica Cteſiphonis.*

C. SULPITII APOLLINARIS
PERIOCHA
IN TERENTII ADELPHOS.

DUos cum haberet Demea adoleſcentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Aeſchinum:
Sed Cteſiphonem retinet. hunc Cithariſtriae
Lepore captum, ſub duro ac triſti patre;
Frater celabat Aeſchinus; famam rei,
Amoremque in ſeſe transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripit. vitiaverat
Idem Aeſchinus civem Atticam pauperculam,
Fidemque dederat, hanc ſibi uxorem fore.
Demea jurgare, graviter ferre. mox tamen,
Ut veritas patefacta eſt, ducit Aeſchinus
Vitiatam: potitur Cteſipho Cithariſtriam,
Exorato ſuo duro patre Demea.

AELII

Digitized by Google

AELII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMAE,

PRAEFATIO IN ADELPHOS TERENTII.

HAEC fabula palliata, ut ipſum indicat nomen, ex plurali numero, quum ſit una: & maſculino genere, quum ſit Comoedia: ex Graeca Lingua, quum ſit Latina: cenſetur. Potuit eam *Terentius* FRATRES dicere: ſed & Graeci nominis εὐφωνίαν perderet: & praeterea togata videretur; ad ſummam, non ſtatim intelligeretur *Menandri* eſſe: quod *Terentius* in primis lectorem ſcire cupit: minus exiſtumans laudis, proprias ſcribere, quam Graecas tranſferre. Eſt igitur *Menandri:* & a Fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Hujus tota actio quum ſit mixta ex utroque genere, ut fere *Terentianae* omnes, praeter HEAUTONTIMORUMENON, tamen majori ex parte Motoria eſt. nam Statarios locos perpaucos habet. Prodeſt autem & delectat actu & ſtilo. In hac, primae partes ſunt, ut quidam putant, Demeae: ut quidam, Syri. Quod ſi eſt, ut primas Syrus habeat: ſecundae Demeae erunt, tertiae Micionis, & ſic deinceps. Quanquam etiam ſunt qui putant, primas Micioni dandas, ſecundas Syro, tertias Demeae. Nam quod ait *Terentius*, *Senes qui primi venient:* non ad partes quas dicimus, ſed ad ordinem pertinet exeuntium perſonarum. Haec etiam, ut caetera hujuſcemodi Poëmata, quinque Actus habeat neceſſe eſt, choris diviſos a Graecis Poëtis. quos etſi retinendi cauſa jam inconditos ſpectatores minime diſtinguunt Latini Comici, metuentes ſcilicet, ne quis faſtidioſus finito Actu, velut admonitus abeundi, reliquae Comoediae fiat contemtor & ſurgat: tamen a doctis veteribus diſcreti atque disjuncti ſunt, ut mox aperiemus poſt argumenti narrationem. In hac Prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in ſe purgando, quam in adverſariis laedendis eſt occupatus. Protaſis eſt turbulenta, Epitaſis clamoſa, Cataſtrophe lenis. Quarum partium rationem diligentius in principio propoſuimus, quum de Comoedia quaedam diceremus. Haec ſane acta eſt ludis ſcenicis funebribus L. Aemilii Pauli: agentibus L. Ambivio, & L. Turpione: qui cum ſuis gregibus etiam tum perſonati agebant. Modulata eſt autem tibiis dextris, id eſt, Lydiis, ob ſeriam gravitatem, qua fere in omnibus Comoediis utitur hic Poëta. Saepe tamen, mutatis per ſcenam modis, cantica mutavit: quod ſignificat titulus ſcenae, habens ſubjectas perſonis literas, M. M. C. Item Diverbia ab hiſtrionibus crebro pronuntiata ſunt, quae ſignificantur D. & M. literis ſecundum perſonarum nomina praeſcriptis, in eo loco ubi incipit ſcena. Adnotandum ſane, quod haec Fabula προτατικὸν πρόσωπον non habet, hoc eſt, perſonam, quae ad argumentum nihil attineat, quaeque ſit aſſumta extrinſecus, ut eſt in ANDRIA Soſia. Hanc dicunt ex *Terentianis* ſecundo loco actam, etiam tum rudi nomine Poëtae. Itaque ſic pronuntiatam, ADELPHOE TERENTÎ, non TERENTÎ ADELPHOE: quod adhuc magis de Fabulae nomine Poëta, quam de Poëtae nomine Fabula commendabatur. In hac quidem ſpectatur quid interſit inter ruſticam, & urbanam vitam: mitem & aſperam: coelibis & mariti: veri patris, & per adoptionem facti. Quibus propoſitis ad exemplum, vitanda perinde, fugiendaque, *Terentius* monſtrans, artificis Poëtae per totam Fabulam obtinet laudem.

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

M*Icio, & Demea, duo diſſimillimo fratres ingenio fuere: illе urbanam vitam ſecutus eſt; hic ruſticam: ille coelebs vixit; hic uxorem duxit: ille ingenio leniſſimo; hic aſperrimo: ille*

Digitized by Google

ille mitis etiam in alienos; hic ſaevus etiam in ſuos: ille etiam in ira placidus; hic etiam citra iram ferox. Erant Demeae filii duo: ex quibus natu majorem Aeſchinum ſibi adoptavit Micio, eumque ſecum in urbe liberaliſſime indulgentiſſimeque educavit: minorem Cteſiphonem ruri ſecum ſevere inprimis ac reſtricte habuit pater. Aeſchinus multas meretrices, patre ad omnia connivente, adamavit, multa convivia celebravit; quae denique juventus fert, ea omnia non libere modo, ſed etiam licenter exercuit. Poſtremo uſque eo progreſſus eſt: in virginem pauperculam quidem, ſed bonam, bonis prognatam, Pamphilam nomine, quam mater Soſtrata vidua ſancte ſecum & pudice, ut poterat, educabat, noctu temulentus quum incidiſſet, vim ei attulit, gravidamque fecit. Venit poſtea ad matrem illius, veniam petens, pollicenſque ſe puellam uxorem ducturum. Ea fide data, & ignotum eſt, & tacitum. Cteſipho, cum in urbem interdum ventitaret, ipſe quoque citharistriae cujuſdam amore correptus eſt. Totam ejus rei famam, ne qua emanaret, ac perveniret ad Demeam, in ſeſe Aeſchinus transferebat. Tandem, quum leno, puellae dominus, aut pecuniam ſibi, quanti ea erat, vellet in manum dari, aut ſe eam alii venditurum minitaretur; adductus in ſummam deſperationem Cteſipho, jam de relinquenda patria cogitabat: quum Aeſchinus, re intellecta, qui nullo neque pudore teneretur, neque metu, domum lenonis per vim ingreſſus eſt, & ipſum, & familiam contudit pugnis, puellamque per vim abreptam tradidit fratri. Spargitur tota urbe rumor, venit Demea, Micionem objurgat, inclamat, teſtatur Deos atque homines, quod diſſolutus, quod intemperans, quod vinoſus, quod ſcortator, quod nullius bonae rei Aeſchinus foret, omnem in Micione uno haerere culpam. Diis gratias agere, quod ille ſaltem, quem ipſe ruri haberet, frugi ac temperans eſſet; rei ſtuderet, & famae; illarum rerum nihil ne cogitaret quidem: tantum videlicet intereſſe inter ſuam & fratris diſciplinam! Placat hominem, quantum in ſe eſt, Micio: jamque ſe ab eo expediverat, quum ſupervenit aliud, quod majores etiam tumultus excitaret. Raptam ab Aeſchino cithariſtriam, perfertur ad matrem Pamphilae; quae quidem Pamphila ita erat ad pariendum vicina, ut jam e dolore laboraret. Quid faceret miſera? mutatum Aeſchini animum, ſe vero, filiamque ſuam proditas per ſummam perfidiam, ac deſertas putabat. Getam ſervulum, qui pauperem familiam ſolus, ut poterat, alebat, mittit ad Hegionem, puellae cognatum, jubetque ei rem, ut erat, exponere. Interea audierat Demea, ſuum quoque Cteſiphonem in raptione adſuiſſe: jamque totus in fermento, ut ajunt, erat; quum ei Syrus, ſervus vaſerrimus, mendaciolum adſpergit: veniſſe quidem rure Cteſiphonem, ſed veniſſe objurgatum Aeſchinum: multa ei medio foro mala dixiſſe, deinde rediiſſe rus in praefecturam ſuam: lacrumare gaudio Demea, & gratulari ſibi, quod unum ſaltem haberet, in quo exſtaret paternae ſeveritatis exemplum. Dum rus redit, incidit in Hegionem, a quo de conſtuprata per vim ab Aeſchino Pamphila intelligit. Denuo commotus, dum fratrem, ut in eum iram evomeret, quaerit, obvium habuit mercenarium a villa, ex quo ſciſcitatus de filio, accipit, non eſſe ruri. Redit ad Syrum; a quo ei rurſus novum mendacium, velut offa in os, ne latraret, objicitur: quaerit, ubi fratrem reperire poſſit: id vero ita indicavit Syrus, ut infelix ſenex, dum illius verbis fidem habet, nequidquam omne oppidum perreptaverit. Interea Micio omnium ab Hegione certior factus, ipſemet ad mulieres profectus, jacentes jam & afflictas erexerat, labantes & dubias confirmaverat, triſtitia ac moerore confectas recreaverat, pollicitus, ſe Aeſchino Pamphilam uxorem daturum. Venit Demea, clamor, jurgium, convicia. Etiam eo praeſente, ſervulus quidam Cteſiphonem per imprudentiam nominat. Ille quum ſubito per vim in aedes irrupiſſet, quem jam pridem putabat ruri fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique, eum accubantem cum amica, & ſuaviter potitantem deprehendit. Ibi vero tanta iracundia incitatus eſt, ut arderet. Satis diu vociferatus quum eſſet; tandem placida & compoſita Micionis oratione eo perducitur, ut, depoſita vetere ſaevitia, benignus, affabilis, lepidus eſſe meditetur. Itaque ipſo non permittente tantum, ſed etiam jubente, puerpera domum traducitur: fiunt nuptiae: lenoni numeratur argentum: Micio ipſe Soſtratam ducit uxorem: Hegioni datur, unde vivat: Syrus una cum Phrygia uxore manumittitur. Quum Micio, caeterique omnes, ſed tamen praecipue Micio, illam tantam, tam inſperatam, tam ſubitam mutationem admiraretur; gravi & cordata oratione claudit Fabulam Demea: ſi omnia profundere, ſi in omni libidine ac nequitia vivere, ſi totam rem beluationibus, ſcortationibus, largitionibus conſumere libeat, nihilo id ſua magis, aliquanto etiam minus, quo ſibi minus aetatis ſuperſit, quam aliorum, intereſſe: ſin corrigi ſe in loco & modice coërceri atque admoneri velint, eum eſſe ſe, qui id praeſtare poſſit. Permittuntur ei omnia. ita Fabula concluditur.

PUBLII

PUBLII TERENTII CARTHAGINIENSIS ADELPHI.

PROLOGUS.

POSTQUAM Poëta ſenſit, ſcripturam ſuam
Ab iniquis obſervari, & adverſarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi ſumus,

In-

DONATI.

1. POSTQUAM POETA SENSIT, SCRIPTURAM.] Poſtquam, *pro* quoniam: *cujus reciprocum*, Quoniam, *pro* poſtquam. [1] *Plaut.* in Aulul.

Quoniam is moritur, ita avide ingenio fuit.

POSTQUAM POETA SENSIT, SCRIPTURAM SUAM.] [2] Indifferenter omnis qui aliquid ſcripſiſſet, *ſcriptor* a veteribus dicebatur.

2. AB INIQUIS.] Inimicis: ut,

[3] *fatis Junonis iniquae.*

OBSERVARI.] *Obſervatio*, ad honorem refertur: ut,

[4] *Praeterea Regem non ſic Aegyptos & ingens Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes*
Obſervant.

Sed nunc OBSERVARI, captari ſignificat & audiri. OBSERVARI ergo & honorari, & captari, & audiri ſignificat: ut [5] *Plautus*,

Obſervatote, ut blande palpetur mulieri.

3. RAPERE IN PEJOREM PARTEM.] Varietas per genera verborum; & utrique ſententiae apte jungimus *Scripturam ſuam.* RAPERE IN PEJOREM PARTEM.] Id eſt, vitio dare, vituperare.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Plaut. in Aulul.*] Prol. 9.
2. *Indifferenter.*] Diſcrimen Scriptorum apud veteres & nos, ſed & inter utroſque & Scribas ediſſerit Barthius Adverſ. L. 1.
3. *Fatis.*] Virg. Aen. VIII. 292.
4. *Praeterea.*] Virg. Georg. IV. 210.
5. *Plautus.*] Amph. I. 1. 9. ubi nunc legitur: *Obſervatote, quam blande mulieri palpabitur.*

COMMENTARIUS.

In Mſſ. plurimis eſt ADELPHOE. Quod itidem ex Libris antiquis laudat Muretus, ſed & Giſanius in Ind. Lucret. v. *Tractus corporis.*

1. SCRIPTURAM.] Vide ad And. Prol. 1.

2. ADVERSARIOS.] Notat L. Lavinium, alioſque. Vid. Prol. And. 7.

3. RAPERE IN PEJOREM PARTEM.] Sic Cicero Fam. X. 33. *Pium meum conſilium* raperent in contrariam partem *obtrectatores mei.* Adde Eun. IV. 2. 4.

4. In-

Indicio de ſe ipſe erit; vos eritis judices,
Laudin' an vitio duci id factum oporteat.
ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΕΣ Diphili Comoedia 'ſt.
Eam COMMORIENTES Plautus fecit Fabulam.

In

DONATI.

4. INDICIO DE SE IPSA ERIT.] Mire expreſſit ſimplicitatem vera dicturi, quum indicaturum de ſe dixit, non narraturum. Et INDICIO ERIT, pro *Index erit*. INDICIO DE SE.] *Indicat* is, qui de ſe volens aliquid, & de aliis etiam prodit: ſed *confitetur* qui de ſe tantum, & qui invitus.

VOS ERITIS JUDICES.] Bene: quia apud judices indicium profitentur, qui accuſatorem adjuvant.

5. LAUDIN' AN VITIO.] Medium non fecit: ut appareat, ſi crimen non ſit, laudi debere eſſe.

6. ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΕΣ DIPHILI COMOEDIA 'ST.] Nec numeri, nec genera reſpicienda ſunt, contra ſententiam remque ipſam.

7. EAM COMMORIENTES PLAUTUS FECIT FABULAM.] Sic ut apud Graecos δρᾶμα, ſic apud Latinos generaliter *Fabula* dicitur: cujus ſpecies ſunt, *Tragoedia*, *Comoedia*, *Togata*, *Tabernaria*, *Praetexta*, *Crepidata*, *Attellana*, *Μικτὸς*, *Rhintonica*.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Indicat is.*] Utrumque eodem ſenſu uſurpat Cicero pro Arch. 11. *Jam me vobis, judices, indicabo, & de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortaſſe, verumtamen honeſto, vobis confitebor.*

COMMENTARIUS.

4. INDICIO DE SE IPSA ERIT.] Guyetus: DE SE IPSE INDICIO ERIT. Editio anni 1469. IPSA DE SE INDICIO ERIT. Barthius tamen Adverſ. XII. 6. contendit, legendum eſſe, INDICIO DE SE IPSA ERIT; & τὸ IPSA referendum ad τὸ SCRIPTURAM. Lucret. IV. 1013.

Indicioque ſui facti perſaepe fuere.

Notat Eminentiſſius, pervenuſtam eſſe locutionem, ad Virg. Georg. II. 218.

Et bibit humorem, &, quum vult, ex ſe ipſa *remittit.*

Nepos Pauſan. 4. *Neque prius vim adhibendam putaverunt, quam* ſe ipſe indicaſſet.

VOS ERITIS JUDICES.] Mſſ. quidam & editi veteres: ET VOS ERITIS JUDICES.

5. DUCI ID FACTUM.] Τὸ ID, quod abeſt a Libris quibuſdam ſcriptis & impreſſis, ex Codice Bembino & Victoriano tuetur Gabriel Faernus.

6 DIPHILI.] Ita dictus videtur per craſin, pro Διιφιλος, quaſi Διὸς φίλος, Jovis amicus. Vixit tempore Menandri, fuitque Poëta κομψότατος καὶ γνωμικώτατος. Eadem ratione Epictetus dictus φίλος ἀθανάτοις. Ad quae verba vide Interpretes. Sic And. V. 6. 9. de Pamphili puero recens nato:

Solus eſt, quem diligunt Dii.

7. COMMORIENTES.] Hanc tamen Plauti negat eſſe Varro, teſte Gellio, III. 3. ſed M. Aquilii. Potior tamen Terentii fides. Niſi forte & alter ille ejuſdem nominis ſcripſit Fabulam. Vide Dacieriam. Plaut. Merc. I. 1. 9.

Graece haec vocatur Ἔμπορος Philemonis.

Eadem Latine Mercator *Marci Accii.*

Unde adparet, Graeca etiam nomina manſiſſe Fabulis Latine verſis. Quale autem ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΩΝ fuerit argumentum, incertum eſt; cum ejus Fabulae praeter Terentium & Donatum nemo meminerit; neque ulla ejus ſuperſint Λείψανα. Poſſint fortaſſis videri fuiſſe *Devoti*, quorum poſt ſecundam Mardonii irruptionem in Atticam, hanc jurisjurandi fuiſſe formulam, auctor eſt Diodorus, Lib. XI. Οὐ καταλείψω τοὺς Ἡγεμόνας, οὔτε ζῶντας, οὔτε ἀποθανόντας. Qualis & ἱερὸς λόχος τῶν ἐπιλέκτων ἀνδρῶν apud Carthaginienſes fuit, teſte eodem, Lib. XX. Caeſar autem B. G. III. 22. *Devotos* ejuſmodi *Soldurios* Gallis eſſe dictos refert. Similis fere ratio & olim praetorianae cohortis apud Romanos, & nunc Janizarorum in aula & imperio Turcico; ſi quidem fidem ſpectes, non ſimile pactum. Adde Tacitum de Germ. 14. *Cum ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adaequare. Jam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe.* En

igitur

Digitized by Google

In Graeca adoleſcens eſt, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima Fabula. Eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum ſumſit ſibi
In ADELPHOS; verbum de verbo expreſſum extulit.

Eam

DONATI.

8. IN GRAECA ADOLESCENS EST.] Diphili ſcilicet. quaſi diceret, Quidam adoleſcens eſt qui lenoni eripuit meretricem.

9. IN PRIMA FABULA.] Hoc eſt, in prima parte: ut dicimus, *In primis digitis*, non enim aut ſecunda, aut tertia fabula eſt.

10. RELIQUIT INTEGRUM.] [7] Quum aliam transferret.

SUMSIT SIBI.] Libere tulit: hoc eſt, non furatus eſt: ut, *Sume, pater.*

11. IN ADELPHOS.] Latine declinavit.

VERBUM DE VERBO EXPRESSUM EXTULIT.] Haec approbatio eſt, de Graeco eſſe ſublatum, non de Plauto, ut dicit adverſarius. EXTULIT.] Mire non dixit *Tranſtulit*, ſed EXTULIT: ut ornaſſe Graeca videatur Latino ſtilo.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Quum aliam transferret.*] Mſ. Boend. & edit. Anonyma: *Quum aliam transferret.* ſub. locum. Niſi *aliam* intelligimus Fabulam. Abr. Wielingius ex conjectura, *illam.*

COMMENTARIUS.

igitur τοῖς Ἡγεμόσι Συναποθνήσκοντας. Mela, III. 2. de Comatae Galliae incolis: *Erantque, qui ſe in rogos ſuorum, velut una victuri, libenter immitterent.*

8. ERIPIT.] Hanc lectionem ex Mſſ. tuentur Faërnus & Pareus. In plurimis tamen eſt ERIPUIT. quomodo & Donatus legit, ſi credimus Boeclero, ſed ERIPIT, ſi Faerno. Videtur autem eſſe ſermo de re praeſenti. Sic Eun. Prol. 30.

Colax Menandri eſt. In ea eſt paraſitus Colax.

Plaut. Mil. III. 2. 2.

Eripiam *ego hodie concubinam militi.*

9. IN PRIMA FABULA.] Recte Donatus, In prima fabulae parte. Plaut. Ciſtell. Act. V. Caterva, verſu 6.

More majorum date plauſum poſtrema in Comoedia.

Cic. pro Roſc. Amer. 44. In extrema oratione *noſtra, judices, audietis.* Fam. III. 6. *Te* in prima provincia *velle eſſe, ut quam primum decederes.* Att. V. 16. *Appius, ut audivit nos venire*, in ultimam provinciam *ſe conjecit.* Phaed. II. 4. *ſublimi quercu.* mox, *in media*, &, *ad imam.* Sic Heaut. V. 1. 29. Phorm. I. 4. 38.

10. EUM] Abeſt a Mſ. Mark. ſed in Mſ. Boend. additum ſecunda manu. Perperam vero Guyetus locum hunc ſollicitat, legens: HIC VERO SUMSIT SIBI. Neque enim repetitio ejuſdem ſubſtantivi inſolens eſt veteribus.

11. VERBUM DE VERBO EXPRESSUM EXTULIT.] Horat. Arte 133.

Nec verbum verbo *curabis* reddere *fidus*
Interpres; nec deſilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.

Quorum verborum hic ſenſus eſt: ita diſtare inter ſe interpretem & imitatorem, ut ille, ſi fidus velit eſſe, *verbum verbo reddere* debeat; hic contra ſe non ita arctari patiatur, ſed materia vel argumento mutuato, id ſuo arbitratu diſponat augeatque. Cicero tamen Fin. III. 4. liberum ſe profitetur interpretem, non ita adſtrictum. *Nec tamen* exprimi verbum e verbo *neceſſe erit, ut interpretes indiſerti ſolent, quum ſit verbum, quod idem declaret, magis uſitatum. Equidem ſoleo etiam, quod uno Graeci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere; & tamen puto, concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, ſi quando minus occurret Latinum.* Idem Tullius exemplum de ſe adfert, Libro de optimo genere Oratorum, cap. 5. *Converti*, inquit, *ex Atticis, duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe contrarias, Aeſchinis, Demoſthenisque: nec converti, ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iiſdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus non* verbum pro verbo *neceſſe habui* reddere, *ſed genus omnium verborum, vimque ſervavi. Non enim ea*

 nos

Eam nos acturi ſumus novam. pernoſcite,
Furtumne factum exiſtumetis, an locum
Reprehenſum, qui praeteritus negligentia 'ſt.
Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, aſſidueque una ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet,

Qui

DONATI.

12. EAM.] Adelphos ſcilicet.

NOVAM.] Veterem Graecam eſſe intelligimus.

13. FURTUMNE FACTUM.] Hoc eſt, vitio duci.

AN LOCUM REPREHENSUM.] Hoc eſt, laudi duci.

14. REPREHENSUM.] Retentum, reſumtum.

NEGLIGENTIA 'ST.] Plauti ſcilicet; cujus aemulari nunc exoptat negligentiam.

15. NAM QUOD ISTI DICUNT.] NAM, incipiendi vim habet modo: ut, [8] *Nam ego hanc machaeram meam dico.*

HOMINES NOBILES.] Scipionem Africanum ſignificat, & Laelium Sapientem, & [9] Furium Publium.

16. EUM ADJUVARE.] Legitur & ADJUTARE. *Pacuvius* in Chryſe: *Adjuta mihi.*

ASSIDUEQUE UNA SCRIBERE.] [10] Non ſic dicit adverſarius: verum hic oratorie crimen non tangit.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Nam ego.*] Forte reſpexit locum, qui eſt apud Plautum, Mil. I. 1. 5. ubi ita Pyrgopolinices:

Nam ego hanc machaeram mi hic conſolari volo.

9. *Furium Publium*] Mſ. Boend. & impreſſi veteres: *Furium Pinum.* & mox adverſ. 20. *Furii Pi.*

10. *Non ſic dicit adverſarius: verum hic oratorie crimen non tangit.*] Ita tres editiones Pariſinae, Rob. Stephani, anni 1518. Johannis de Roigny, anni 1551. & Lindenbruchii, anni 1602. Vetuſtiores his cum Mſ. Boend. & Hulſt. exhibent: *Non ſic dicit adverſare: verum oratorie hoc crimen impingit.*

COMMENTARIUS.

me annumerare lectori putavi oportere, ſed tanquam appendere. Simili fere locutione dixit Fam. III. 8. *Romae compoſui edictum: nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, quum Samum ad me veniſſent, ut de suo edicto* totidem verbis transferrem *in meum.* Sed & Tuſc. Quaeſt. III. 19. *Haec Epicuro confitenda ſunt, aut ea, quae modo* expreſſa ad verbum *dixi, tollenda de libro, vel totus liber potius abjiciendus.* Servius autem ad Virg. Aen. VIII. 19.

Cuncta videns magno curarum fluctuat aeſtu,

barbare haec notat: *His verbis futuram praeoccupat comparationem, quae eſt Apollonii* de verbo ad verbum. Atque ita nunc fere vulgo loquuntur.

12. EAM NOS ACTURI SUMUS.] Hos tres verſus ſpurios vocat Guyetus, nulla idonea ratione motus. Eugraphius EANDEM legit.

PERNOSCITE, FURTUMNE FACTUM EXISTUMETIS.] Neque haec locutio magis abſurda videri debebat Guyeto, quam illa in Prologo Andriae, verſu 24. *rem cognoſcite,*

Ut pernoſcatis.

14. REPREHENSUM.] Exemplum quaerit Guyetus, ubi *Reprehenſus* pro Reſumto ponatur. Habeat igitur illud Phaedri V. 8. 3.

elapſum *ſemel*

Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere.

Quod Graeci ἀναλαβεῖν dicunt. Infra autem IV. 4. 13. uberius primigeniam vim τοῦ *Reprehendo* explicat idem Guyetus, addens: *Ab hac notione primigenia aliae ſignificationes ortae ſunt.* Quod igitur Phaedrus dixit, *elapſum reprehendere*, id Terentio eſt, *reprehendere praeteritum.* Eugraphio REPREHENSUS valet *iterum prehenſus.*

NEGLIGENTIA] H. e. voluntaria praetermiſſio-

Qui vobis univerſis & populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore uſus eſt ſine ſuperbia.
Dehinc ne expectetis argumentum Fabulae:
Senes qui primi venient, ii partem aperient:
In agendo partem oſtendent. facite, aequanimitas
Poëtae ad ſcribendum augeat induſtriam.

DONATI.

19. QUI VOBIS UNIVERSIS, ET POPULO PLACENT.] UNIVERSIS, qui in cavea ſunt, dicit. POPULO, qui etiam praeter theatrum, id eſt, univerſam urbem.

20. IN BELLO.] Scipionis.

IN OTIO.] Furii Publii.

IN NEGOTIO.] Scilicet Laelii Sapientis.

24. IN AGENDO PARTEM OSTENDENT.] Σχῆμα ἀποσιώπησις. Hic enim jam non ſenes accipiendi eſſent: immo potius caeterae perſonae. ſed ipſi ſenes in ſtatario charactere partem aperient: in motorio, partem oſtendent. Nam duo agendi ſunt principales modi, Motorius & Statarius: ex quibus ille tertius naſcitur, qui dicitur Μικτός.

AEQUANIMITAS.] Favor & propitius animus: & deeſt, *veſtra*.

COMMENTARIUS.

miſſione. Cujus contrarium eſt *Legere*. Cic. Off. III. 3. *Quae ſecundum naturam eſſent, ita legere, ſi ea virtuti non repugnarent.* Fin. IV. 15. *Introduci enim virtus nullo modo poteſt, niſi omnia; quae leget, quaeque rejiciet, unam referantur ad ſummam.* Neque tamen exiſtimandus Terentius hoc loco reprehendere Plauti *negligentiam*, quam diſerte laudat in Andriae Prologo.

15. NAM QUOD ISTI DICUNT.] Eleganter continuatur ſermo per voculam NAM, tranſitioni inſervientem. Vide Heaut. Prol. 16.

MALEVOLI.] Vetus editio Daventrienſis diſtinguit, MALEVOLI HOMINES, NOBILES EUM ADJUTARE. Praeter mentem, opinor, Poëtae. De re ipſa vide Heaut. Prol. 24. & Vitam Terentii.

18. EAM LAUDEM HIC DUCIT MAXIMAM, QUUM ILLIS PLACET.] Τὸ HIC abeſt a Mſ. Mark. Sic Horat. Serm. I. 6. 62. *magnum hoc ego duco,*
Quod placui tibi.

Uſque adeo principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.

19. VOBIS UNIVERSIS ET POPULO.] Atqui *univerſi* illi erant ipſe populus. An POPULO dixit, pro, *omni populo?* Quidam vetuſtiſſimi Codices legunt, NOBIS; quaſi ſermo ſit de grege hiſtrionum.

20. QUORUM OPERA.] Ad haec ita Eugraphius: *Quorum opera unuſquiſque uſus eſt in neceſſitatibus ſuis, ſine aliqua eorum ſuperbia.* Neque aliter Fabrini, ubi vertiſſet, *ſenza ſuperbia*, addit continuo: *perche ſono humani, e non ſuperbi, & arroganti.* Ut adeo OPERA SINE SUPERBIA videantur connectenda. In eundem ſenſum Daciera reddidit: *Et qui en paix, en guerre, & en toutes ſortes d'affaires, ont rendu à la Republique en general, & à chacun en particulier, des ſervices conſiderables, ſans en être pour cela plus fiers, ni plus orgueilleux.* Dixit autem OTIO pro pace. Caeſ. B. C. I. 5. *Si qua hominum aequitate res ad otium deduci poſſet.* Ut adeo δημοτικοὺς viros illuſtres civiles & in officiis praeſtandis expromtos praedicet.

22. DEHINC.] Tranſeundi particula eſt. Sic Eun. Prol. 14. Duo autem verſus hi expreſſi e Plauto, Trin. Prol. 16.

Sed de argumento ne exſpectetis Fabulae.
Senes, qui huc venient, hi rem vobis aperient.

23. II PARTEM APERIENT.] Mſſ. plurimi: EAM PARTEM APERIENT. Quod & eſt in edit. Anonyma. Alii, HI PARTIM APERIENT.

24. AEQUANIMITAS.] Mſ. Boendeim. & editio Anonyma, UT VESTRA AEQUANIMITAS. Forſan ex gloſſa; quia & Donatus τὸ VESTRA deeſſe notat. Boeclerus etiam τὸ UT in duobus Mſſ. reperit. Seu vero legas, VESTRA POETAE AD SCRIBENDUM AUGEAT INDUSTRIAM, ſeu, POETAE AD SCRIBENDUM AUGEAT UT INDUSTRIAM, verſus conſtabit.

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

Micio.

Storax! non rediit hac nocte a coena Aeſchinus;
Neque ſervolorum quiſquam, qui advorſum ierant?

Pro-

DONATI.

1. Storax.] Nomina perſonarum, in Comoediis duntaxat, habere debent rationem & etymologiam. Etenim abſurdum eſt, Comicum aperte argumenta confingere: vel nomen perſonae incongruum dare, vel officium quod ſit a nomine diverſum. Hinc ſervus fidelis *Parmeno:* infidelis vel *Syrus*, vel *Geta:* miles *Thraſo*, vel *Polemon:* juvenis *Pamphilus:* matrona *Myrrhina:* & puer ab odore *Storax:* vel a ludo & a geſticulatione *Circus:* & item ſimilia. In quibus ſummum Poëtae vitium eſt, ſi quid e contrario repugnans contrarium diverſumque protulerit, niſi per *ἀντίφρασιν* nomen impoſuerit joculariter, ut *Miſargyrides* in *Plauto* dicitur trapezita. Et fere hoc modo apud alios a Poëtis nomina componuntur deſcribenda per *ἀντίφρασιν*, quod deſignat *Storax*. Primae partes, ſicut in Prologo ipſe promiſit, a ſenibus aguntur: quorum contentione ad argumentum relata, vita aſpera cum leni, & pater comis cum ſeveriſſimo comparatur. Storax.] *Storacem* vocavit, non Aeſchinum: quo tacente puerum, id eſt, Aeſchinum abſentem credit: quia ſervuli adoleſcentibus praeſtolantur. ut in Andria, *Obſervabam mane illorum ſervulos venientes, aut abeuntes.* Sed quia fieri poterat, ut domino abſente adeſſet Storax; commodiſſime adjecit: Neque servulorum quisquam, qui advorsum ierant.

Storax! non rediit hac nocte.] Hoc alii interrogative, alii pronuntiative proferunt: ſed magis pronuntiative dicendum.

2. Neque servolorum quisquam.] [1] Propter Storacem, quem abeſſe non reſpondendo intelleximus. Qui advorsum.] Proprie locutus eſt. nam *adverſitores* dicuntur. Ierant.] Producte *I* pronuntiando: quod nos addita *v*, *Iverant* dicimus. Tale eſt illud [2] *Virgilii*,

Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Propter Storacem.*] Ms. Hulſ. & editi quidem veteres: *Praeter Storacem.*

2. *Virgilii.*] Aen. II. 25.

COMMENTARIUS.

1. Storax!] Guyetus, eumque laudans Boeclerus poſt binos hoſce verſus perperam interrogationis notam poni ajunt. Vetuſtiſſimorum Codicum alii ponunt, alii non ponunt. unde nata Donati animadverſio. Mihi omnino videtur eſſe interrogatio. Scilicet Micione rogante de reditu Aeſchini ſervulorumque, Storax quaſſans caput negare videtur. Sic Eun. IV. 4. 25. Pythias Dorum rogans, *Veniſtin' hodie ad nos?* mox ipſa addit, *negat*; quod ſcilicet quaſſato capite videretur negare. Idem igitur in Storace animadvertens Micio, ait, profecto hoc vera dicunt. Qui quidem hujus loci ſenſus prae omni alio commodus videtur. Farnabio egreſſus in Proſcenium Micio alloquitur Storacem, qui intus. Quod nonnunquam factum eſſe, indicio

Profecto hoc vere dicunt: ſi abſis uſpiam,
Aut ubi ſi ceſſes, evenire ea ſatius eſt,
Quae in te uxor dicit, & quae in animo cogitat
Irata, quam illa, quae parentes propitii.
Uxor, ſi ceſſes, aut te amare cogitat,

Aut

DONATI.

3. PROFECTO HOC VERE DICUNT.] ſ Abſolute: non addidit *Qui*.

SI ABSIS USPIAM.] Abundat USPIAM, aut deeſt *profectus*, aut quid tale. aut *ubi uſpiam:* ſignificat enim ſcilicet *uſpiam* & in loco, & ad locum. SI ABSIS USPIAM, AUT UBI SI CESSES.] SI ABSIS, ad parentes propitios: SI CESSES, ad uxorem iratam refert ⁴ in deſertorem.

5. UXOR.] ſ Subaudiendum eſt: *Dicit irata uxor.*

QUAE IN ANIMO.] Omne quod ſentimus, aut cogitamus, aut dicimus: & utrumque pro oratione eſt. Sed illa ἐνθυμηματικὸς, quae in cogitatione eſt: haec προφορικὸς λόγος dicitur, quae in verbis eſt conſtituta. ⁶ *Virgilius*;

Et mihi jam multi crudele canebant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.

Et ipſe alibi:

Nunc ſi quis eſt qui hoc dicat, aut ſic cogitet.

6. QUAM ILLA, QUAE PARENTES.] Erudite. non addit in quem dicat, quia ſcit, nomina uxoris & parentum τῶν πρός τι eſſe.

7. UXOR, SI CESSES.] Quare non, *ſi abſis*? an quia juſtius ceſſanti, quam abſenti ſuccenſemus? an quia irata uxor, ſi ceſſes?

AUT TE AMARE COGITAT.] Ἐπεξήγησις cum ἐξεργασίᾳ. ⁷ AUT TE AMARE COGITAT: aut minus peccari eſt, amori proprio cedere, quam alieno amori obſequi, nulla re te impellente, ſine uxore potare, aut velle delicias. Ergo αὔξησις eſt: niſi forte τῷ ἰδιωτισμῷ hoc putamus dictum. AUT TE AMARE COGITAT, AUT TETE AMARI.] Quum duo propoſuerit, alterum ſumſit. Nam quum dixiſſet, *Quae in te uxor dicit, & quae in animo cogitat:* intulit, *Aut te amare cogitat.*

OBSERV. IN DONAT.

3. Abſolute: non addidit *Qui*.] Ita vulgo editur, quaſi τὸ *Qui* ſit omiſſum. perperam. ſenſus eſt, τὸ DICUNT abſolute dici, neque addi, *qui* ſub. *dicant*.

4. *In deſertorem.*] Verba obſcura. quae tamen leguntur in Mſſ. binis, & editis antiquis omnibus, praeterquam in Argentinenſi. Forte expreſſum fuit nomen veteris Grammatici.

5. *Subaudiendum eſt: dicit irata uxor.*] Ml. Boecl. & editi vetuſti: *Subaudiendum eſt, dicit.* IRATA, *uxor ſcilicet.* Neutra lectio digna Donato, quia nec DICIT, nec UXOR ſubauditur, ſed utrumque exprimitur.

6. *Virgilius.*] Aen. II. 124.

7. AUT TE AMARE COGITATA *aut*.] Ita editi omnes. Senſus poſtulat, ut legatur: AUT TE AMARE COGITAT, AUT.] *Minus peccat: eſt.*

COMMENTARIUS.

dicio eſt omnis Comoedia. Vid. And. III. 2. 10. Noſtram porro conjecturam firmat, quod ſi Storacem vocaſſet Micio, quaſi unum ſervulorum, qui obviam ierant Aeſchino, nulla cauſa viſa eſſet, quare non & reliquos vocaſſet. Sic Eun. IV. 7. 2. Si tamen Storace vocato, ſed non reſpondente inde conjeciſſe Micionem cum Donato ſtatuere maſis, neque hunc eſſe domi, non valde repugnaverim.

2. ADVORSUM IERANT.] Officii & heri tuendi gratia. Plautus eadem locutione uſus eſt ſaepius, maxime Moſtell. IV. 2. 29. ubi & *advorſum venire* dixit. Vid. Pignor. de Serv. pag. 255.

3. PROFECTO HOC VERE DICUNT.] Sic And. II. 5. 15. Eun. IV. 5. 6.

SI ABSIS USPIAM.] Servius ad Virg. Aen. III. 430. SI ABIS USPIAM.

4. EVENIRE EA.] Editio Anonyma, EVENIRE TIBI.

6. PROPITII.] *Propitius* Κυρίως qui prope eſt ut auxilietur, praeſens. Praeſentes Divi, i. e. auxiliantes, adjuvantes, adjutores. Gl. Phil. *Propitius*, ἵλεως. Excerpta: *propitius*, ἵλεος, ἱλάσκομαι, propitior, placor. Guyet. in Gloſſ. Mſſ. Opponitur autem *propitius* irato. Cic. Att. VIII. 16. *Hunc* propitium *ſperant*; *illum* iratum *putant*.

7. Aut

Aut tete amari, aut potare, aut animo obſequi:
Et tibi bene eſſe ſoli, quum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quae cogito!
Et quibus nunc ſollicitor rebus! ne aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut perfregerit

Ali-

DONATI.

8. AUT TE AMARE COGITAT, AUT TETE AMARI.] [a] Qui TE AMARE ἀμφιβόλως dixerat, cito intulit quod certum eſt, AUT TETE AMARI. Et quia illud TE dixerat, hoc geminavit, & TETE dixit, tanquam ſignificantius.

AUT ANIMO OBSEQUI.] Ἐπαναφορά.

10. EGO, QUIA NON REDIIT FILIUS.] Plus eſt quod dixit EGO, quam ſi diceret, *Pater*. EGO, QUIA NON REDIIT: FILIUS.] Ἀνακόλουθον: non enim *Pater* dixit.

QUAE COGITO! ET QUIBUS.] Hoc ſic pronuntiandum eſt, ut horrere videatur ipſe cogitationem ſuam.

11. QUIBUS NUNC SOLLICITOR REBUS!] Hoc eſt, quam malis! non ut uxor, bonis.

NE AUT ILLE ALSERIT.] Vide quam teneri ſit amoris hic timor; in juvene praeſertim. NE AUT ILLE ALSERIT, AUT USPIAM CECIDERIT.] Nimium tenere amat, qui haec in juvene pertimeſcit, quae circa infantulos caveri ſolent.

12. AUT USPIAM.] USPIAM & in loco, & ad locum ſignificat.

CECIDERIT, AUT PERFREGERIT ALIQUID.] Jungendum, ut, non ſolum CECIDERIT, ſed etiam PERFREGERIT. [b] Haec ſunt, quae ſibi nemo evenire velit.

13. QUEMQUAMNE HOMINEM.] Sic dicimus de ea re, quam miramur fere ab omnibus fieri.

OBSERV. IN DONAT.

[a] *Qui* TE AMARE *ἀμφιβόλως dixerat.*] Mſ. Boend. & veteres impreſſi rectius: *Quia.*

[b] *Haec ſunt, quae ſibi nemo evenire velit.*] Atqui non de ſe, ſed de Aeſchino loquitur Micio. Quare audacter lego: *Haec ſunt, quae filio nemo evenire velit.*

COMMENTARIUS.

7. AUT TE AMARE COGITAT, AUT TETE AMARI.] Imitatus Phaedrus II. 2. 1.

A feminis utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, *nempe exemplis diſcimus.*

8. POTARE.] Loquitur ex more vetuſto. Sic infra de filio, verſu 37. & I. 2. 37. & V. 3. 13. etiam de ſervis, infra IV. 2. 47. & V. 1. 12. Phorm. V. 5. 9. de mulieribus, And. I. 4. 5. Unde Graecis συμπόσιον dictum. quam vocem eleganter exagitat Cicero Fam. IX. 24. *Sapientius noſtri, quam Graeci. illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concenationes: nos* convivia; *quod tum maxime ſimul vivitur.*

AUT ANIMO OBSEQUI.] Plaut. Poen. I. 1. 48.

Se amare velle, atque obſequi animo ſuo.

Gr. χαρίζεσθαι τῇ ψυχῇ.

9. ET TIBI BENE ESSE SOLI, QUUM SIBI SIT MALE.] Sic Plaut. Moſtell. I. 1. 49.

Quia mihi bene eſt, & tibi male eſt.

Truc. IV. 2. 31.

Nam invidere alii bene eſſe, tibi male eſſe, *miſeria eſt.*

10. QUAE COGITO! ET QUIBUS NUNC SOLLICITOR REBUS!] Cic. ad Q. Fr. III. 3. *Me autem jam & mare iſtuc, & terra ſollicitat: neque deſine, ut fit in amore, ea, quae minime volo, cogitare.* Idem Tuſc. Quaeſt. III. 29. in ὑπερβολῇ τῆς φροντίδος nimiumque πάθος erudite inquirit.

11. NE AUT ILLE ALSERIT.] Locus expreſſus e Plauto, Mil. III. 1. 124.

Pol, ſi habuiſſem, ſatis cepiſſem miſeriarum liberis.
Conſerem emori: cecidiſſetne ebrius, aut de equo uſpiam:

Mo-

Aliquid. vah! quemquamne hominem in animum inſtituere, aut
Parare, quod ſit carius, quam ipſe eſt ſibi?
Atqui ex me hic non natus eſt, ſed ex fratre: is adeo
Diſſimili ſtudio eſt, jam inde ab adoleſcentia.

Ego

DONATI.

14. QUAM IPSE EST SIBI?] Tanquam duo ſint. Sed hoc Poëtae Comico licet.

15. ATQUI EX ME HIC NON NATUS EST.] Quaſi dicat, Ex me non eſt, & ſic afficior: quid paterer, ſi genuiſſem? EX ME HIC NON NATUS EST.] Quaſi dicat, Non eſt meus.

SED EX FRATRE.] Hoc eſt, omnino non alienus eſt.

IS ADEO.] Tranſitus ad argumentum ſubtiliſſimus. ADEO.] Aut abundat, aut *nimium* ſignificat. Ut in Eunucho, *Adoleſcentem adeo nobilem.*

COMMENTARIUS.

Metuerem, ne ibi defregiſſet crura aut cervices ſibi.

12. PERFREGERIT.] Guyetus praefert, PRAEFREGERIT. Atque ita in Mſ. Argentoratenſi ſcriptum prima manu reperit Boeclerus. Quod mox quum eidem Guyeto minus placeret, mutavit in, CRUS FREGERIT ALIQUI; forte reſpiciens locum Plautinum modo laudatum. Sed PERFREGERIT ALIQUID conſtanter legunt Codices. Sic Liv. XXII. 20. *Naves omnes, quae non aut* perſregerant *proras, littore illiſas, aut carinas fixerant vadis, religatas puppibus in altum extraxere.* Cicero de Oratore II. 62. *Ut in illum Titium, qui cum ſtudioſe pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregaleſque eum in campum non veniſſe requirerent, excuſavit Veſpa Terentius, quod eum* brachium fregiſſe *diceret.* Phaed. V. 7. 8.

ſiniſtram fregit tibiam.

Ejuſmodi vero res quum non in juvene, ſed infantulo caveri ſoleant, nimis tenerum & praepoſterum Micionis amorem recte inde arguit Donatus.

13. VAH! QUENQUAMNE HOMINEM IN ANIMUM INSTITUERE, AUT PARARE, QUOD SIT CARIUS, QUAM IPSE EST SIBI?] Similis conſtructio apud Plautum, Moſtell. I. 2. 1.

Recordatus multum & diu cogitavi,
Argumentaque in pectus *multa* inſtitui
Ego: atque in meo corde, ſi eſt quod mihi cor,
Eam rem volutavi, & diu diſputavi.

Ideo autem hoc miratur Demea, quia vere hoc dicunt, *omnes ſibi malle melius eſſe, quam alteri.* Et, *Proximus ſum egomet mihi.* Dixit autem PARARE pro *emere*; nam in adoptione, de qua hic ſermo eſt, genus quoddam emtionis intercedebat. Eun. III. 2. 35. Catull. X. 20.

Non poſſem ecte homines parare *rectos.*

Cic. Att. XII. 19. *Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos* parare. Haec fere ex ſententia Mureti; quem tamen refellit illuſtris Joſephus Scaliger ad Catull. loc. cit. cui IN ANIMUM INSTITUERE & PARARE *ἰσοδύναμα* ſunt; neque PARARE magis valet *emere*, quam INSTITUERE. Explicat igitur per Graecorum *κτᾶσθαι.* Mſ. Lipſ. & editio anni 1469. habent INSTITUERE IN ANIMO. Sed & ita erat in omnibus Mſſ. Boecleri. Guyetus in Scholiis Mſ. PARERE, id eſt, *τίκτειν* defendit ex Caecilio, Plauto, & Quinctiliano; unde parentes dicti *τοκεῖς, οἱ τεκόντες.* additque, ſequentia illa, ATQUI EX ME NATUS NON EST, τὸ PARERE, quod de utroque ſexu dicatur, confirmare.

15. ATQUI.] Mſſ. quidam, ATQUE. Quae inceptiva eſt particula. Atque ita Soſipater Lib. II. ex Acrone citat, laudantibus Georgio & Franciſco Fabriciis.

16. ADEO DISSIMILI STUDIO EST, JAM INDE AB ADOLESCENTIA.] Hanc diſtinctionem ex Aldo, Stephano, aliis, revocare viſum fuit. Vulgo nunc ita: IS ADEO DISSIMILI STUDIO EST. JAM INDE AB ADOLESCENTIA EGO. Guyetus ita: ATQUE EX ME HIC NATUS NON EST, SED FRATRE EX MEO. Sequentem verſum expungit.

Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus ſum: &, quod fortunatum iſti putant,
Uxorem numquam habui. ille contra, haec omnia:
Ruri agere vitam: ſemper parce, ac duriter
Se habere. uxorem duxit: nati filii

Duo:

DONATI.

17. Ego hanc clementem vitam urbanam.] Ὀρθὴ διήγησις καὶ διατύπωσις. Clementem vitam, [s] figura ipſa. Vitam clementem dicimus, quae clementes facit. *Clemens* autem eſt, qui colit mentem.

Atque otium.] Deeſt, *Urbanum.*

18. Secutus sum.] Bene, Secutus, quaſi magiſtram recte beateque vivendi.

Et, quod fortunatum isti putant.] Romani ſcilicet, qui *coelibem* quaſi *coelitem* dicunt. Et item Graeci, apud quos ſunt hujuſmodi ſententiae:

[9] ΕΙΤΑ ΦΙΛΟϹ ΕΧΟΙΝΙωΝ ΠωΔΟΥΜΕΝΟΝ.*

Et alibi:

ΓΑΜΕΙ ΠΑΜΦΙΛΟϹ ΓΑΜΕΙΤω ΚΑγΑΡΙΔΗΑΙΚΗϹϹΝ ΜΕ.

Fortunatum isti putant.] Me utique uxorem non ducere. Dicit autem Romanis id videri: quos ſpectatores habet. Menander: Ὦ *μακάριον με*! *γυναῖκα οὐ λαμβάνω.* Quod fortunatum isti putant.] Quidam putant ſic pronuntiandum, Et quod fortunatum isti putant uxorem. Et haec bona & concinna locutio eſt. Et, putant bene dicit is, cui diſplicet aliena ſententia. Isti putant.] Id eſt, hi qui a me diſſentiunt,

19. Uxorem nunquam habui.] Si *Non habeo* dixiſſet, poterat videri habuiſſe.

20. Ruri agere vitam.] Contra haec omnia ſuffecerat brevitas: ſed ſubjunxit fratris deſcriptionem, ut verbis ipſis malam vitae conditionem oſtendat.

Semper parce, ac duriter.] Semper, licet incertam diſtinctionem habeat, tamen recte additum eſt: quia vel ruri agere, voluptatis eſt: vel parce, ac duriter se habere, virtutis. Sed Semper, ad vitium: Parce autem, ad ſervandum: Duriter vero, ad laborem referendum eſt. Ruri agere vitam, semper parce, ac duriter se habere.] Variavit, ut in Andria.

21. Uxorem duxit.] Recte Duxit, non *Ducere.* Semel enim hoc fecit Demea. Uxorem duxit.] Varie per modos diſcurrit. Uxorem duxit.] Adjuvandum pronuntiatione eſt, ne ſingula utrinque aſſecuti videantur. Nam ſic in fine Fabulae ait Demea, *Uxorem duxi: quam ibi miſeriam vidi! nati filii: Alia cura.*

OBSERV. IN DONAT.

8. *Figura ipſa.* Vitam clementem *dicimus, quae clementes facit.*] Ita editiones, quas vidi, omnes, cum Mſ. Boend. Sed Mſ. Hulſt. legit: *Figura ſpaʒ tam clementem.* Unde fingo: *Figura. Ipſam vitam clementem dicit, quae clementes facit.* Abr. Wielingius conjiciebat ex lectione P. Dan. apud Lindenbr. *Figurata ipſata*, forte excidiſſe ſolemnem Criticorum notam X. adeoque a manu recentiori adſcriptum, *figu. catachriſtica.*

9. Eita.] Hos binos verſus ita reſtituit Iſ. Caſaubonus: Εἶτα φίλης σχοινίῳ ἐμποδούμενον. Quod eſt: *Deinde amicae vinculis impeditum.* Vel hoc modo: Ἔπειτα φίλον σχοινίῳ (γυναίῳ) ἐμποδούμενον vel, (συμποδούμενον) ὀλεῖ; *Itane tu eum cum nexu amoris is perditum?* Γαμεῖ Πάμφιλος. γαμείτω. καὶ γὰρ κ' ἠδίκησέ με.

COMMENTARIUS.

17. Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium sequutus sum.] Cic. pro Rabir. Poſt. 7. *Hanc vitam quietam, atque otioſam ſequuti ſumus.* Et pro Cluent. 56. *Vitam illam tranquillam, & quietam, remotam a procellis invidiarum, & hujuſcemodi judiciorum anfractu, ſequi maluiſſe.* Phaed. V. 1. 7.

ſequentes otium.

18. Et quod fortunatum isti putant, uxorem nunquam habui.] Guyetus ſubſtituit

INFOR-

Duo: inde ego hunc majorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvulo: habui, amavi pro meo:
In eo me oblecto: ſolum id eſt carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio ſedulo:

Do,

DONATI.

22. INDE EGO HUNC.] Mire INDE ſubjungit, quum perſonam praetulerit. Sic alibi, *E praedonibus, Unde emerat, ſe audiviſſe, abreptam e Sunio.* INDE EGO.] INDE pro *ex quibus*. Et MIHI abundat. Et bene HUNC dixit, quia de ipſo loquebatur.

23. EDUXI A PARVULO.] [10] Quos nos *educare* dicimus, *educere* veteres dicebant: ut,

[11] *Educet ſylvis regem, regumque parentem.*

HABUI, AMAVI PRO MEO.] Quaeritur quid ſit HABUI. Et quum multa dicantur, hoc ſolum verum eſt, HABUI, credidi, duxi, exiſtimavi: ut alibi, *Semper enim ejus dicta eſt haec, atque habita eſt ſoror.* Et, *Sic itaque habeantur, itaque dicantur.* Ergo PRO MEO ſubaudiendum eſt bis: & [12] HABUI PRO MEO, & AMAVI PRO MEO.

24. IN EO ME OBLECTO: SOLUM ID EST CARUM MIHI.] Abſolute utrumque, & IN EO, & SOLUM. IN EO.] Quaſi in ea re. IN EO ME OBLECTO.] Nove dixit, pro, *Ea me oblecto.* SOLUM ID EST CARUM MIHI.] Plus autem ſignificat, quam ſi diceret, *Solus is eſt carus mihi.*

25. ILLE UT ITEM CONTRA ME HABEAT.] ITEM, ſimiliter: CONTRA, viciſſim. [13] *Plaut.*

Ut illa illum contra, qui eſt amoris culter optimus.

FACIO SEDULO.] Secus a dolo, id eſt, ſine dolo, & impenſe.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Quos nos educare.*] Ita poſt Lindenbruchium vulgo exhibent editiones. Sed Codices vetuſtiores cum Mſſ. rectius: *Quod nos educare.*

11. *Educet.*] Virg. Aen. VI. 765.

12. *Et Habui pro meo, & Amavi pro meo.*] Atqui dicit Terentius, AMAVI PRO MEO. Videtur igitur legendum, ET EDUXI A PARVOLO PRO MEO, &, HABUI PRO MEO. Neque enim aliter illa PRO MEO bis ſubaudiri poſſunt.

13. *Plaut.*] Mil. II. 1. 21. ſed legitur nunc,

Et illa illum contra: qui eſt amor cultu optumus.

COMMENTARIUS.

INFORTUNATUM, exagitans in gloſſis *ἀνεκδότοις* Donatum, qui id non viderit, quum praeſertim Menandrum haberet ad manum. praeter mentem Poëtae. Cic. Att. XIV. 13. *A ducenda autem uxore ſic abhorret, ut libero lectulo neget quidquam eſſe jucundius.* Horat. Epiſt. I. 1. 88.

melius nil coelibe vita.

Idem Menander ſaepius. Laudat haec Boeclerus:

Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, ὦ φίλε,
Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.

Et:

Ὅστις γενόμενος βούλεται ζῆν ἡδέως,
Ἑτέρων γαμούντων αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμου.

Quo quin reſpexerit Noſter, dubium nullum eſt. Hadrianus vero Junius in Append. Animadverſionum teſtatur, ſe in Libro ſuo Donati aſteriſcum inveniſſe, verborum nihil. Unde eoſdem hoſce poſteriores verſus Boeclero laudatos ab Interpretis manu eſſe exiſtimat. Itali ita: *Franco, ſciotto, ſligate, O piu che ſelice ſtato!*

20. RURI AGERE VITAM.] Editio-Anonyma, RURI AGERE SEMPER VITAM.

PARCE, AC DURITER.] Sic And. I. 1. 47. Adde Lindenbruch.

22. INDE.] In hoc & ſeptem ſeqq. verſibus dilectionis vis *ἐμπαθῶς* exprimitur.

23. HABUI.] Tractavi. Sic Hec. II. 3. 6.

24. SOLUM ID EST CARUM MIHI.] Scilicet, Adoptaſſe mihi hunc majorem, eduxiſſe a parvulo; habuiſſe, amaſſe pro meo; in eo memet me oblectare.

25. UT ITEM CONTRA ME HABEAT.] H. e. ut viciſſim itidem me tractet. Pacuvius Niptris:

Pariter te eſſe erga illum video, ut illum te erga ſcio.

Mſſ. pluſculi & editi, ITIDEM. Alii, IDEM.

Do, praetermitto: non neceſſe habeo omnia
Pro meo jure agere. poſtremo alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem,
Aut audebit: tanto magis audebit caeteros.
Pudore & liberalitate liberos Reti-

DONATI.

26. Do, PRAETERMITTO.] Do ſumptum: PRAETERMITTO delicta.

NON NECESSE HABEO OMNIA PRO MEO JURE AGERE] Etſi licet, non neceſſe eſt patrem ſaevire, quia pater eſt. Inter *Jus* & *Aequitatem* hoc intereſt: *Jus* eſt, quod omnia recta & inflexibilia exigit: *Aequitas* eſt, quae de jure multum remittit. Ergo hic ſenſus, Non neceſſe eſt, etiam ſi liceat, ſaevum eſſe patrem. Et mire oſtendit, jus ſummum, niſi neceſſitate, non eſſe ſervandum.

27. POSTREMO ALII CLANCULUM.] Non alii patres: ſed alii adoleſcentes, clanculum patres ſuos.

28. QUAE FERT ADOLESCENTIA.] Veniam addidit ſtatim, [14] peccata ab adoleſcentibus ad aetatem removendo. Et vide quam breviter, quam pudice, quam ignoſcenter locutus eſt.

29. EA NE ME CELET, CONSUEFECI FILIUM.] Tribus enim vivitur modis, natura, conſuetudine, & ratione.

30. NAM QUI MENTIRI, AUT FALLERE INSUERIT PATREM.] Separatim ſubaudiendum eſt, INSUERIT, πρὸς τὸ MENTIRI.

31. CAETEROS.] Quia jam deceperit patrem.

32. PUDORE ET LIBERALITATE.] PUDORE, ad filios retulit: LIBERALITATE, ad parentes. Argumentum a conjugatis. LIBERALITATE inquit regendi ſunt: propter quod *liberi* dicuntur. *Liberalitatem* autem, bonitatem dicit.

OBSERV. IN DONAT.

14. *Peccata ab adoleſcentibus ad aetatem removendo.*] De hoc loco ita ad me Ampliſſ. Vir, Cornelius van Bynkershoek: *Aut fallor, aut ſcripſit Donatus* ob aetatem, *juvenilem ſcilicet.* Ad aetatem *non video, quem ſenſum habere poſſit.* Ad, ab, ob *in Libris Veterum ſaepe commutantur. In l. 7. ff. de Juſtit. & Jur. Florentiae legitur*, ad honorem Praetorum, *cum legendum ſit*, ob honorem, *vel ut etiam nonnulli Editores exhibuerunt*, ab honore. *Et apud Feſtum in* Graeca ſacra, *non* ob inventionem Proſerpinae, *ſed* ad inventionem Proſerpinae *legendum exiſtimo.* Quam quidem emendationem Ampliſſimi Viri certiſſimam eſſe duco, cum ob ſenſus perſpicuitatem, tum quod manifeſto ita legitur in Mſ. Boenderm. ſed & editionibus vetuſtiſſimis, Anonyma, Tarviſiana anni 1481. Argentina 1499. Venetis annorum 1490. & 1512.

COMMENTARIUS.

27. CLANCULUM PATRES.] Praepoſitionis vim habet τὸ CLANCULUM, q. d. *clam patres.* Vide tamen de hoc loco, atque adeo de vi vocis CLANCULUM, Virum Cl. Jac. Perizonium, ad Sanct. Min. l. 16. 1. Mſſ. quidam, & editio Anonyma, CLANCULUM PATRE. Sed nec pyrrichius, nec trochaeus primo ſenarii loco ſatis recte ſubſiſtit.

28 QUAE FERT ADOLESCENTIA.] Cicero pro Cluent. 60. abſolute: *Ut aetas illa fert.*

30. INSUERIT.] Boeclerus poſt Guyetum INSUEVERIT defendit. Utrumque eſt in Libris ſcriptis & impreſſis. Adi Giſan. Ind. Lucret. v. *Suetus*, & Donat. ad And. V. 2. 26.

31. AUT AUDEBIT.] Haec abſunt a quibuſdam Mſſ. Codicibus; unde gloſſema vocatur Boeclero, legenti, ut verſus conſtet, MAGIS IS. Idem argumentum habens comparationem a minori ad majus, illuſtrat verbis Ariſtotelis, ex Rhet. Lib. II. Τὸ δ' ὅτι τὺς πλησίον τύπτει, ὅσγε καὶ τὸν πατέρα τύπτει, ἐκ τῦ εἰ τὸ ἧττον ὑπάρχει, καὶ τὸ μᾶλλον ὑπάρχει.

32. LIBERALITATE.] Ἐλευθεριότητι, bonitate, lenitate, manſuetudine, quae libere natis & ingenuis convenit. Confer verſ. 51. Multi in hac re diſputanda ſunt Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, Seneca de ira, II. cap. 20. 21. 22. 23. & Quinctil. Inſtit. I. 1.

34. Haec

Retinere ſatius eſſe credo, quam metu.
Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me ſaepe, clamitans: quid agis, Micio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumtum ſuggeris?
Veſtitu nimio indulges: nimium ineptus es.

Ni-

DONATI.

33. RETINERE SATIUS ESSE CREDO.] Bene RETINERE: a vitiis ſcilicet. nam vitia filios [15] retinent: quos retinent patres, a vitiis ſcilicet. Nam *retinet*, qui adverſum aliquem tenet.

34. HAEC FRATRI MECUM NON CONVENIUNT.] Nova locutio. Et, NON CONVENIUNT, pro, non congruunt: ac per hoc, *In his ego & frater diſſentimus*, id eſt, diſſimiles ſumus.

35. VENIT AD ME SAEPE, CLAMITANS.] Et importunitatem odioſam oſtendit, AD ME dicendo: & inconditam aſſiduitatem, addendo SAEPE. Et congrue, poſtquam SAEPE dixit, adjecit aptius verbum, non dicens *Clamans*, ſed CLAMITANS.

QUID AGIS, MICIO?] Reminiſcere lectionem, & invenies, interrogationem hujuſmodi, vel invectionis principio convenire, vel objurgationis.

36. CUR PERDIS ADOLESCENTEM NOBIS?] Recte NOBIS additum eſt, & ἠθικῶς, ut alibi, *Pſaltriam nobis, ſi Diis places, Paravit.*

CUR AMAT? CUR POTAT?] Vide quemadmodum, ut durum objurgatorem oſtendat Demeam, quum ab eo ea dicantur in crimen vocari, quae aut aetatis ſunt: ut, CUR AMAT? aut naturae: ut, CUR POTAT? aut pietatis: ut, CUR TU HIS REBUS SUMTUM SUGGERIS? & caetera. CUR AMAT? CUR POTAT?] CUR AMAT? ad illud refertur, quod ait ſupra, DO, PRAETERMITTO. nam PRAETERMITTO delicta intelligimus ex amore. CUR POTAT? revocamus ad illud, quod ait, DO SUMTUM.

38. NIMIUM INEPTUS ES.] Utrumque dure, & NIMIUM, & INEPTUS ES.

39. PRAETER AEQUUMQUE ET BONUM.] [16] Potuit ET non addi, PRAETER AEQUUM BONUM.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Retinent.*] Senſus poſtulat, ut legatur, *Tenent.*

16. *Potuit* ET *non addi*, PRAETER AEQUUM BONUM.] Ita poſt Rob. Stephanum etiam Lindenbruchius edidit, aliique recentiores. Sed Mſſ. & editi vetuſtiores planius: *potuit & non addi*, PRAETER AEQUUM ET BONUM. Et certe, qui dixerat jam, NIMIUM, non opus erat addere, PRAETER AEQUUMQUE ET BONUM.

COMMENTARIUS.

34. HAEC FRATRI MECUM NON CONVENIUNT.] Reſpexit huc Horatius, Epiſt. II. 2. 183.

> *Cur alter fratrum ceſſare, & ludere, & ungi*
> *Praeferat Herodis palmetis pinguibus; alter*
> *Dives & importunus.*

35. VENIT AD ME SAEPE, CLAMITANS.] Quinque hoſce verſus laudat Cicero de Invent. I. 19. Guyetus tamen CLAMANS praefert.

QUID AGIS, MICIO?] Formula reprehendendi. Cicero pro Planc. 14. *Cum ille eum ſalutaſſet, ut fit, dixiſſetque*, Quid agis, Grani? *Reſpondit: immo vero, tu Druſe*, quid agis?

36. NOBIS?] Ἐμφατικῶς; quod uterque, & Demea & Micio pater eſſet Aeſchini, ille natura, hic adoptione & conſiliis. Sic mox I. 2. 2.

> *Ubi* nobis *Aeſchinus ſiet?*

Et verſu 67. *Aeſchinus*

> *Nonnullam in hac re* nobis *facit injuriam.*

Sed & τὸ NOBIS valet, in damnum noſtrum. Sic infra I. 2. 36. & verſu 68.

37. SUMTUM SUGGERIS?] Mſſ. quidam & editi: SUMTUS SUGGERIS.

38. VESTITU NIMIO INDULGES.] Ita dixit pro, VESTITUI, quod in uno Mſ. reperit Boeclerus. Plaut. Rud. II. 1. 5.

> *Hiſce hami, atque hae arundines ſunt nobis*
> *quaeſtu & cultu.*

Virg. Georg. IV. 158. de apibus:

> *Namque aliae* victu *invigilant.*

Et

Nimium ipſe eſt durus, praeter aequumque & bonum.
Et errat longe, mea quidem ſententia,
Qui imperium credat gravius eſſe, aut ſtabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum:
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet:

Si

DONATI.

40. ET ERRAT LONGE.] [17] Melius eſt, LONGE ſimpliciter accipiendum, ut locale ſit, quam *valde*.

MEA QUIDEM SENTENTIA.] Modeſte addidit, MEA QUIDEM SENTENTIA: ne quis hoc pro praecepto dici exiſtimet.

41. QUI IMPERIUM CREDAT.] Utrum cujuſlibet, an Demeae tantum?

GRAVIUS ESSE, AUT STABILIUS.] GRAVIUS, ad vim; STABILIUS, ad tempus refertur.

42. VI QUOD FIT.] Id eſt, metu ac malo.

QUAM ILLUD, QUOD AMICITIA ADJUNGITUR.] Illud FIT, quod VI: hoc ADJUNGITUR, quod AMICITIA.

43. MEA SIC EST RATIO, ET SIC ANIMUM INDUCO MEUM.] MEA SIC EST RATIO, ad ſuperiora pertinet confirmanda. SIC ANIMUM INDUCO MEUM: ad ea pertinet, quae dicturus eſt. MEA SIC EST RATIO.] Iterum modeſte & ἰδιωτικῶς. ET SIC ANIMUM INDUCO MEUM.] Senilis μακρολογία.

44. MALO COACTUS.] Duo dicit, MALO, & COACTUS.

QUI SUUM OFFICIUM.] Ὁ τὰ καθήκοντα ποιῶν, id eſt, qui recte facit. OFFICIUM autem dicitur, quaſi *efficium*, ab *efficiendo*, quod unicuique perſonae congruit.

45. DUM ID RESCITUM IRI CREDIT.] Quod facit ſcilicet.

TANTISPER.] TANTISPER, quaſi *Tantumper*. Et *Pauliſper*, quaſi *paulumper*: unde *Parumper*, dictum eſt. TANTISPER CAVET.] *Peccare* ſubaudiendum eſt. nam totum ἐλλειπτικῶς, & obſcure dictum eſt. Et bene, CAVET: [18] quaſi malo.

OBSERV. IN DONAT.

17. *Melius eſt*, LONGE *ſimpliciter accipiendum, ut locale ſit, quam valde.*] Lectio corrupta, quam tamen tuentur Mſſ. & editi omnes. Reſtituo: *Melius eſt*, LONGE *ſimpliciter accipere, ut locale ſit, quam pro valde.* ſub. accipere. Niſi forte legendum & ſcribendum: *Melius eſt* LONGE, (*ſimpliciter accipiendum, ut locale ſit*) *quam* valde. Ut videatur Interpres cauſam velle reddere, quare potius LONGE ERRAT dixerit Poeta, quam VALDE ERRAT.

18. *Quaſi malo.*] Primus, opinor, Rob. Stephanus ita edidit. Nam Mſſ. & editi antiquiſſimi legunt, *Quaſi malum.*

COMMENTARIUS.

Et IV. 198.

Quod nec concubitu *indulgent.*

Muretus cum Guyeto NIMIUM defendunt. In vetuſtiſſimis Libris eſt INDULGIS. quod ex Codice Bembino laudat Franciſcus Fabricius.

39. PRAETER AEQUUMQUE ET BONUM.] Cicero Senect. 18. de Demea & Micione: *Quanta in altero duritas, in altero comitas!* ubi Nonius Marcellus male *diritas* legit. Vide Gifan. Ind. Lucret. v. *Victus.* Mſ. Bodl. & Edit. 1469. cum Anonyma, PRAETER AEQUUM ET BONUM. quomodo & omnes Mſſ. Boecleri. Sed τὸ QUE ante ET Terentianum eſt. Vid. Eun. V. 2. 37. & V. 9. 49. Neque aliter fere Poëtae, imitati Graecorum τε & καί.

40. ET ERRAT LONGE.] Incipit γνωμολογεῖν Micio, ſpecioſo colore nimiam indulgentiam ſuam obducens, magnoque aetatis & ſapientiae praetextu. Cic. Off. II. 7. *Omnium autem rerum nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi: nec alienius, quam timeri.* Salluſt. Catil. 9. *Beneficiis magis, quam metu imperium agitabant.* Idem Jugurtha; *Vi quidem regere patriam, aut parentes, quamquam & poſſis, & delicta corrigas; tamen importunum eſt.* Et cap. 10. *Non exercitus, neque theſauri, praeſidia regni ſunt, verum amici; quos*

neque

Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit:
Studet par referre: praeſens, abſenſque idem erit.
Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium,
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt. hoc qui nequit,

Fatea-

DONATI.

46. SI SPERAT FORE CLAM.] Iterum *quod facit* ſubaudiendum.

RURSUM AD INGENIUM REDIT.] [19] Mire, non intulit: CAVET: Sed, AD INGENIUM REDIT. Et RURSUM, eſt retro verſum, ut [20] *Prorſum*, prius verſum.

47. ILLE, QUEM BENEFICIO ADJUNGAS.] Non dicit, *Beneficio adjunctus*, ut ſupra, *Malo coactus*. ILLE, QUEM BENEFICIO ADJUNGAS.] [21] Καλαντιθηκῶν AN*. Ille *malo*, hic *beneficio*. Ille *coactus*, hic *adjunctus*. Ille *dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet:* hic, *praeſens abſenſque idem erit*. Et τὸ PRAESENS & ABSENS, non ad aliquem locum: ſed ad cuſtodem retulit & monitorem. ILLE, QUEM BENEFICIO ADJUNGAS.] Contra illud ait, MALO COACTUS.

EX ANIMO FACIT.] Officium ſcilicet.

48. STUDET PAR REFERRE.] Id eſt, benefacere.

PRAESENS, ABSENSQUE IDEM ERIT.] Contra illud, *Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit*.

49. HOC PATRIUM EST.] Superius a re tractum eſt: hoc jam a perſona ducitur argumentum.

CONSUEFACERE.] Non *Cogere:* ſed CONSUEFACERE.

50. QUAM ALIENO METU.] Vide quemadmodum ſuum ad indulgentiam affectum revocet optimae diſciplinae.

51. HOC PATER AC DOMINUS.] A differentia perſonarum & officiorum.

INTEREST.] Differentia eſt.

HOC QUI NEQUIT.] Longe melius NEQUIT, quam ſi diceret, *Non vult*.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Mire, non intulit, cavet: Ad ingenium redit.*] Vetuſti Codd. ſcripti & impreſſi, *Mire, non intulit* CAVET, *ſed*, AD INGENIUM REDIT.

20. *Prorſum, prius verſum.*] Lego: *Prorſum, porro verſum.* Ita Donatus ad Eun. II. 3. 14. quod imitatus Calphurnius ad Heaut. IV. 5. 28.

21. Καλαντιθηκῶν AN*] Hic lacuna eſt in pleriſque Codicibus. Quia vero oppoſitionem inſtituere Poëtam obſervat Donatus, dubium nullum eſt, quin ſcripſerit: *Κατ' ἀντίθετον*.

COMMENTARIUS.

neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide pariuntur. Verba Micipſae Numidarum regis ad Jugurtham. Idem praeceptum Cyrus & Marcus Imperator dedere filiis, Xenophonte & Herodiano teſtibus. Plin. Paneg. 49. *Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus caritate non fuerit.* Nepos Dione, cap. 5. *Ex quo intelligi poteſt, nullum eſſe imperium tutum, niſi benevolentia munitum.*

43. MEA SIC EST RATIO.] Conſuetudo, inſtitutum. Infra III. 4. 11. Atque ita Cicero paſſim.

46. RURSUM AD INGENIUM REDIT.] *Εἰς τὴν φύσιν ἐπανέρχεται. πάλιν φέρεται εἰς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν.* Sic Hec. I. 2. 38. Mſ. Bodl. RURSUS.

47. ILLE, QUEM BENEFICIO ADJUNGAS, EX ANIMO FACIT.] Menand.

Υἱῷ προθύμως τ' ἀξιώματα ποιῶν
Κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξει βίου.
Filio libenter quod aequum videtur faciens
Vere curatorem, non ſucceſſorem habebit bonorum.

48. PRAESENS, ABSENSQUE.] Mſſ. & editi quidam, PRAESENS, ABSENS.

49. PATRIUM.] Mſ. Mark. & editio Anonyma, cum Fabrini editione, PATRUM. Ita & Mſſ. Leidenſium unus. Sed Mſ. Traject. HOC PATRIUM POTIUS EST.

51. HOC PATER AC DOMINUS INTEREST.] Id vult, Patrum eſſe, conſuefacere filios, ſua ſponte recte facere; dominorum contra, metum incu-

Fateatur neſcire imperare liberis.
Sed eſtne hic ipſus, de quo agebam? & certe is eſt.
Neſcio quid triſtem video. credo jam, ut ſolet,
Jurgabit. ſalvum te advenire, Demea,
Gaudemus!

DONATI.

52. FATEATUR NESCIRE IMPERARE LIBERIS.] Hoc indicat, & ſe melius conſulere, & volentem hoc exercere. FATEATUR NESCIRE.] Deeſt *Se*. NESCIRE IMPERARE LIBERIS.] Oratorie, quaſi artis ſit, indulgentiſſime agere. IMPERARE, modo non ad ſuperbiam, ſed ad *Regendum*, eſt referendum.

53. SED ESTNE HIC IPSUS, DE QUO AGEBAM?] *Κατ' οἰκονομίαν* ſupervenit, de quo ſermo eſt, ut factis dicta oſtendantur.

ET CERTE IS EST.] Bene nunc confirmat ipſum eſſe eum, quum propior eſt, utpote ſenili, nec in longum proſpiciente conſpectu.

54. NESCIO QUID TRISTEM VIDEO.] Orationis apparatus ex vultu oſtenditur: ut,

[22] *ſtetit acri fixa dolore.*
Tum quaſſans caput, hanc effundit pectore vocem.

NESCIO QUID.] Deeſt *Propter*: ut ſit, *Neſcio propter quid.*

UT SOLET.] Cauſa cur illum aequo animo frater ferat. UT SOLET, inquit.

55. SALVUM TE ADVENIRE, DEMEA, GAUDEMUS.] Ut aſperior oſtendatur Demea, etiam ſalutatur ab eo, quem objurgaturus eſt.

OBSERV. IN DONAT.

22. *Stetit.*] Virg. Aen. VII. 291. ſed nunc legitur: *hanc effundit pectore dicta.*

COMMENTARIUS.

incutere ſervis. Jacobus Perizonius, Vir Cl. ad Sanct. Min. III. 5.4. locutionem vocat paullo duriorem, cujus idoneam rationem aut ellipſin vix invenias. Guyeto Helleniſmus eſt, q. d. *τούτῳ πατὴρ καὶ δεσπότης διαφέρει.* pro, *τούτῳ ὁ πατὴρ τοῦ δεσπότου διαφέρει.*

HOC QUI NEQUIT.] Mallet Guyetus: HOC QUI NESCIT. non ineleganter, modo Codices faverent. In Mſ. Traject. erat ſcriptum, HOC QUI NESCIVIT, ſed *τὸ* NESCIVIT inductum, & mutatum in NEQUIT. Unde Pindarus, Olymp. Od. XIII.

Ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος.

Eſt vero in his verbis quaſi epiphonema; magna arrogantia, nec ſine contumelia in fratrem prolatum.

52. FATEATUR NESCIRE.] Reperi in Mſſ. quibuſdam, FATEATUR, SE NESCIRE. Idem ſibi repertum in duobus Codicibus teſtatur Boeclerus. Ex impreſſis habent Anonyma, Tarviſiana anni 1481. Juntina, Venetae, Argentina, Daventrienſis, aliae. Donatus non legit *τὸ* SE, nec recenſuerunt Rob. Stephanus, Fabrini, alii. Et ſane metri ratio reſpuere videtur.

53. AGEBAM?] Editio anni 1469. AJEBAM. quomodo & fuit in Mſ. Bodl. ſed mutatum in AGEBAM.

55. JURGABIT.] Donatus infra I. 2. 3. OBJURGABIT.

SALVOM TE ADVENIRE, DEMEA, GAUDEMUS.] Aſſentior iis, qui hic novum Scenae initium ſtatuunt. Qui enim hucuſque ſolus de fratre Demea fuerat loquutus, nunc advenientem alloquitur Micio. Editio anni 1469. SALVO TE ADVENIENTE, DEMEA, GAUDEMUS.

ACTUS

ACTUS PRIMI

SCENA SECUNDA.

DEMEA. MICIO.

De. EHEM! opportune: te ipſum quaerito.
Mi. Quid triſtis es? *De.* Rogas me? ubi nobis Aeſchinus
Siet? quid triſtis ego ſim? *Mi.* Dixin' hoc fore?
Quid fecit? *De.* Quid ille fecerit! quem neque pudet

Quid-

DONATI.

1. EHEM! OPPORTUNE: TE IPSUM QUAERITO.] *In hoc actu diverſi homines, diverſi patres, & diverſa ſtudia proponuntur. hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax & difficilis.* HEM! OPPORTUNE: TE IPSUM QUAERITO.] Melius quam Menander, quum hic illum ad jurgium promtiorem, quam ad reſalutandum faciat.

2. QUID TRISTIS ES?] Bene interrogat. potuit enim non iratus frater quaerere.

UBI NOBIS AESCHINUS SIET?] Quaſi quaedam cauſa ſit triſtitiae.

3. DIXIN' HOC FORE?] Credo jam, ut ſolet, objurgabit.

4. QUID ILLE FECERIT!] Animadvertendum, ut interrogatus interroget more indignantium, quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, ut videatur minus reprehendere culpam Aeſchini.

COMMENTARIUS.

1. EHEM!] Libri plerique praeferunt HEM; quod admirantis eſt, quum illud ſit vocantis, atque adeo huic loco parum conveniens.

2. ROGAS ME? UBI NOBIS AESCHINUS SIET? QUID TRISTIS EGO SIM?] Verba obſcuriora, & a Donato praeterita. Zwaerdecronius ita ordinat: ROGAS ME, QUID TRISTIS EGO SIM? UBI NOBIS AESCHINUS SIET? ut videatur id dicere, Aeſchini flagitia ſibi triſtitiae cauſas eſſe. Poſſit & ordo eſſe: QUID TRISTIS EGO SIM? ROGITES ME, UBI NOBIS AESCHINUS SIET. q. d. *Rogitas, quid ſim triſtis? Rogaſſe debebas, ubi nobis Aeſchinus ſiet.* Sunt enim, qui ROGAS, ſunt qui ROGITAS, ſunt item, qui ROGITES legunt. Eugraphius ita: *Interrogas me, quid ego triſtis ſim, cum Aeſchinum filium habeamus?* Mſſ. Leidenſium unus: ROGITASNE? mox tres: QUID TRISTIS EGO SUM? Fabrini vertit: *Dimandimi tu, perche io ſia di mala voglia, ſapendo dove Eſchino per vituperio noſtro è?* Subaudit igitur, *ſi ſcias*, quod mox *ſe tu ſai*, mox *ſapendo* vertit. Daciera unam facit interrogationem: ROGAS ME, UBI NOBIS AESCHINUS SIET, QUID TRISTIS EGO SIM? vertitque: *Pouvez vous me faire cette demande, vous, chez qui eſt Aeſchinus?* qui ſenſus omnium eſt optimus, in verbis de induſtria, ut videtur, a Poëta turbatis. Neque enim Demea furioſus ordine loqui debebat.

3. DIXIN' HOC FORE?] Haec averſus dicit ſpectatoribus, reſpiciens dicta ſua, ſupra I. 1. 54.

4. QUID FECIT?] Multi Mſſ. QUID IS FECIT? ſed Faërnus delet τὸ IS, ut minus neceſſarium, & ex auctoritate Cod. Bembini & Baſilicani. Impreſſi veteres variant.

QUEM NEQUE PUDET QUIDQUAM.] Ἐν Ἀνεψιοῖς Menandri feruntur haec:

Ὅς δ' οὔτ' ἐρυθριᾷν οἶδ', οὐδὲ δεδοικέναι,
Τὰ πρῶτα πάντα τῆς ἀναιδείας ἔχει.

Quidquam: nec metuit quemquam: neque legem putat
Tenere ſe ullam. nam illa, quae antehac facta ſunt,
Omitto: modo quid deſignavit! *Mi.* Quidnam id eſt?
De. Fores effregit, atque in aedes irruit
Alienas: ipſum dominum, atque omnem familiam

Mul-

DONATI.

Quem neque pudet quidquam: neque metuit quemquam.] Varie per caſus diſcurrit, Quem neque pudet quidquam: contra illud quod alibi pater dicit, *Erubuit, ſalva res eſt.* Quem neque pudet quidquam] Magno ordine accuſavit. non (inquit) pudore movetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim αὔξησις oratoria proceſſit.

6. Tenere se ullam.] Bene Tenere, quia legem. Et eſt ἀμφιβολία oratoria.

Nam illa, quae antehac facta sunt, omitto.] Accuſatio duo tempora recipit; praeteritum, ab ante geſtis: & praeſens, ab iis quae objiciuntur. Ergo utrumque mira brevitate perſtrinxit.

7. Omitto.] Παράληψις.

Modo quid designavit!] Designare, eſt rem novam facere, in utramque partem, & bonam & malam. Nam & *deſignatores* dicti, qui ludis funebribus praeſunt: credo ob eam cauſam, quod ipſis ludis multa fiant nova & ſpectanda: ſimul etiam turba retineatur. • quae ſunt aut in ſpectaculis, aut in litibus. Modo quid designavit!] Puto ego, *deſignationem*, contractionem, aut conductionem populi in unum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio plurium in ſe oculos & ora convertit, & ſpectaculo eſt vulgo: quemadmodum *deſignatores*, qui ludis funebribus multitudinem retinent. Designavit!] Hoc verbum apud veteres duas res ſignificabat: etenim prave & recte facta, *deſignata* dicebantur.

Quidnam id est?] Et hoc etiam contemnens interrogat Micio.

8. Fores effregit.] Haec ſingula magna cum vociferatione inferenda ſunt. ſtomachatur enim adverſus male interrogantem. Fores effregit, atque in aedes irruit alienas.] Totum quidem unum crimen eſt: Rapuit meretricem. Sed vide qua pompa, qua vociferatione dilatetur accuſatio Demeae, de moribus Aeſchini • nihil niſi inania referentis. Fores effregit, atque in aedes irruit alienas.] Haec ſingula conſideranda ſunt. Et bene dicit Alienas, quia ſi *Lenonis* diceret, parva res videretur.

9. Ipsum dominum.] Iterum ſuppreſſa eſt infamis perſona. Atque omnem familiam mulcavit.] Aut Familiam pro ſervis lenonis dicit, aut pro meretricibus.

10. Mulcavit.] Laceravit, mutilavit, mollivit, atque diſſolvit. Unde *Mulciber* a mulctando, quaſi *Mulctiber*.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Quae ſunt.*] Mſſ. & impreſſi vetuſti: *Quae fuerat.* Lindenbr. & Steph. *Quae ſunt.*

2. *Nihil niſi inania.*] Ita Libri, quos conſului, omnes. Niſi quod Boeclerus corrigit, *immania.* quae probabilis conjectura eſt. Poſſitque Donatus videri ſcripſiſſe, *nihil niſi Mania*, quod quum valeret, *nihil niſi immania*, facili errore mutatum fuit in, *nihil niſi inania.* Vel poſſit τὸ *inania* defendi eo, quod quae Demea refert, errata ſunt aetati adſcribenda, non animi ſcelera.

COMMENTARIUS.

Qui neque erubeſcere novit, neque timere,
Primas omnis impudentiae tenet.

Quae verba Lindenbruchius nequicquam ex Priſciani Lib. XVIII. citat. nulla enim ibi eorum mentio.

5. Neque legem putat tenere se ullam.] Id *regnum poſſidere* vocat leno, infra II. 1. 21. Cic. Philipp. XI. 5. *Quamquam* leges *eum non* tenent. Virg. Aen. II. 159.

teneor *patriae nec* legibus *ullis.*

Niſi forte Helleniſmus eſt in verbis Virgilianis, ut *patriae* & *legibus* ſint dandi caſus, quomodo Aldus edidit,

teneor patriae, nec legibus ullis.

Q.d.

Mulcavit uſque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat. clamant omnes, indigniſſime
Factum eſſe. hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! in ore 'ſt omni populo. denique,

DONATI.

USQUE AD MORTEM.] Magna invidia caedis & mortis mentione, quae tamen nulli accidit. ERIPUIT MULIERAM QUAM AMABAT.] Omnia magno colore & accuſatorie dicta ſunt, & ex hoc maxime, quod *lenonem* & *meretricem* non dixit, contentus facti atrocitate, perſonarumque vilitatem reticens. ERIPUIT MULIEREM.] Non, *Abduxit*, ſed ERIPUIT.

11. CLAMANT.] A praejudicato, & auctoritate rumoris.

12. HOC ADVENIANTI QUOT MIHI, MICIO, DIXERE!] Quaſi dicat, Diſplicet omnibus, & multi eum accuſant. Nec tamen lenonis querelae mentio fit. Vide oratorem. Hoc autem, vel articulus, vel adverbium loci eſt.

13. IN ORA 'ST OMNI POPULO.] 3 *Salluſtius*, *In ore gentibus agens, populo, civitati.*

OBSERV. IN DONAT.

3. *Salluſtius.*] In Fragmentis. De Pompejo intelligit Douſa.

COMMENTARIUS.

Q. d. e Graeco Trojanus factus ſum. Idem Aen. XII. 819.

nulla fati quod lege tenetur.

7. DASIGNAVIT.] Virgilius ad urbem & moenia proprie retulit. quo reſpiciens Donatus, *rem novam facere* interpretatur. Verba Virgilii, Aen. V. 755.

Interea Aeneas urbem deſignat *aratro.*

Et VII. 157.

ipſe humili deſignat moenia *foſſa.*

8. FORIS EFFREGIT.] Proprie. Sic infra verſu 23. & 40. Plaut. Aſin. II. 3. 4.

Quis noſtras ſic frangit fores?

Bacchid. IV. 2. 4.

Fores *pene* effregiſti.

Cic. Verr. IV. 23. Effringi *multorum* fores, *revelli clauſtra.* Nepos Dione, cap. 9. *Si propitia fuiſſent voluntate*, foribus effractis, *ſervare eum potuiſſent.* Virgil. Aen. II. 480.

Limina perrumpit, poſteſque a cardine vellit.

Ovid. Amor. I. 9. 19. de milite & amante:

Ille graves urbes: hic durae limen amicae
Obſidet: hic portas frangit: *at ille* fores.

Idem Arte III. 71.

Nec tua nocturna frangetur janua *rixa.*

Notantur autem perditi juventutis Atticae & Romanae mores, ita graſſari ſolitae, maxime noctu. Qua de re non unus apud Plautum eſt locus. Horat. Carm. I. 25. 1.

Parcius junctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi ſomnos adimunt: amatque
Janua limen.

Quantum porro crimen apud Romanos habitum fuerit, *alienas effringere fores*, & quam ſollicite jus patrisfamilias hac in re tuiti ſint, notavit Doctiſſ. Vir, Abr. Wielingius, Diatriba de Furto, Cap. IV. §. 2.

9. DOMINUM.] Aedium nimirum. Sic Phorm. V. 1. 26. Amplificat autem omnia, gancum AADAS, lenonem DOMINUM, meretrices FAMILIAM, ſcortum MULIEREM vocans.

12. HOC.] Adverbium eſt Rivio, pronomen Guyeto. Donatus nihil definit. Sed in Mſ. Lipſ. & editione anni 1469. junctim legitur, FACTUM ESSE HOC.

13. DIXERE!] Suſtuli interrogationis notam. Eſt enim exclamatio cum admiratione. Sic infra V. 4. 13.

quam ibi miſeriam vidi!

IN ORE 'ST OMNI POPULO.] Mſ. Bodl. non agnoſcit τὸ OMNI. Plaut. Pſeud. I. 5. 4.

Ita nunc per urbem ſolus ſermo eſt omnibus.

Cic. Fam. V. 16. *Semper* in ore *atque in animo*

Si conferendum exemplum eſt, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri eſſe parcum, ac ſobrium?
Nullum hujus ſimile factum. haec quum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi ſinis.

Mi.

DONATI.

14. SI CONFERENDUM EXEMPLUM EST.] Tanquam non ſit conferendum. NON FRATREM VIDET REI DARE OPERAM.] Satis comice hoc inſertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipſe eſt, quem laudat.

15. REI DARE OPERAM.] Non amori. REI DARE OPERAM.] Quam facete Poëta haec omnia falſa, & e contrario facit Demeam credere. RURI ESSE.] Non in urbe. PARCUM.] Non prodigum. SOBRIUM.] Non inſanum. PARCUM AC SOBRIUM.] Contra illud: *Cur amas? cur potas?*

16. NULLUM HUJUS SIMILE FACTUM.] Hoc cum admiratione. Micio tangitur, quaſi ipſius culpa ſit fratris natura. NULLUM HUJUS SIMILE FACTUM.] Hoc cum admiratione indignantis pronuntiandum eſt, & ardentibus in Micionem oculis. Et ſubaudiendum eſt *Eſſe*, aut *Invenire*. HAEC QUUM ILLI, MICIO, DICO, TIBI DICO.] ILLI, pro *In illum:* & TIBI, pro *In te.*

17. TU ILLUM CORRUMPI SINIS.] Deeſt *Nam.* ſed ferventius ἀσυνδέτως dicitur. Et hoc TIBI & TU pronuntiandum eſt intento digito, & infeſtis in Micionem oculis. nam hoc agi ſtomacho adverſum diſſimulatores ſolet. TU ILLUM CORRUMPI SINIS.] Mitius modo dixit, SINIS CORRUMPI: mox vehementius dicet, *An laudi putat fore, ſi perdiderit gnatum?*

COMMENTARIUS.

habere. Et Fam. VI. 18. *Lepta ſuaviſſimus ediſcat Heſiodum: & habeat in ore:* Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. Idem de Amic. cap. 1. *In eum ſermonem illum incidere, qui tum fere* omnibus erat in ore.

14. SI CONFERENDUM EXEMPLUM EST.] Plaut. Poen. I. 2. 85.

Sed ubi exempla conferentur *meretricum aliarum.*

Ovid. Metam. VII. 696.

Si faciem moreſque velis conferre *duarum.*

FRATREM.] MSſ. & editi quidam vetuſti: PATREM.

16. NULLUM HUJUS SIMILE FACTUM.] Plerique Libri cum interrogatione haec exprimunt. quod quid ſibi velit, non video. Senſus eſt, Nullum Cteſiphonis factum Aeſchini fratris ſimile eſt. Quod cum impetu dictum quum non videretur ad animum referre Micio, pergit Demea: HAEC QUUM ILLI, MICIO, DICO, TIBI DICO: TU ILLUM CORRUMPI SINIS. In quibus verbis major etiam ſtomachus eſt, & acerbior objurgatio. q. d. Ita haec Aeſchino dico, itaque ad Aeſchinum haec omnia pertinent, ut facile intelligas, etiam tibi dici, atque adeo etiam ad te pertinere. optime haec Donatus expoſuit. Eſt enim omnis emphaſis in TIBI & TU. Ovid. Heroid. XX. 153.

Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, *exi.*

Phaed. IV. 19. 18.

Tibi dico, *avare, gaudium heredis tui.*

Et V. 9. 5.

Qui doctiorem emendat, ſibi dici *putet.*

Ubi *ſibi* valet, in ſe. quomodo & Demeae verba capiunt Interpretes.

18. HOMINE IMPERITO NUMQUAM QUIDQUAM INJUSTIUS.] MS. Bodl. Boenderm. & Lipſ. cum editione Anonyma & anni 1469. NIHIL QUIDQUAM INJUSTIUS EST. Mox Bodl. QUIA, NISI QUOD IPSE FACIT, NIHIL RECTUM PUTAT. Menander:

Οὐκ ἔστ' ἀνοίας οὐδὲν τολμηρότερον.

21. NON EST FLAGITIUM.] Sic Eun. II. 3. 90. Hec. IV. 1. 27. Plaut. Pſeud. I. 5. 19.

Quid mirum fecit? quid novum? adoleſcens homo
Si amat? ſi amicam liberat?

Neque tamen haec ex inſtituto vel Graecorum, vel Romanorum dicta, ſed nimia indulgentia in vulgo patrum notatur. Quanquam non abſolute patribus diſplicuiſſe ſcortationes filiorum,

multi

Digitized by Google

Mi. Homine imperito numquam quidquam injuſtius,
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.
De. Quorſum iſtuc? *Mi.* Quia tu, Demea, haec male judicas.
Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum

Scor-

DONATI.

18. Homine imperito numquam quidquam injustius.] Miro ſtomacho apud ipſum de ipſo tanquam apud alterum loquitur.

19. Nisi quod ipse fecit.] *Αὐθάδεια.* hoc enim proprium ruſticorum eſt, atque imperitorum. Nihil rectum putat.] Proprie putat. nam hoc verbum imperitorum eſt. Ordo eſt, Qui nihil rectum putat, niſi quod ipſe fecit.

20. Quorsum istuc?] Deeſt *Pertinet*, aut *Dicis.* Quia tu, Demea.] Id eſt, homo imperitus. Haec male judicas.] Pari virtute haec leniter dicta ſunt, qua ſuperiora vehementer.

21. Non est flagitium.] Non peccatum negat eſſe: ſed flagitium non eſſe contendit, & ideo ſubindignanter pronuntiandum eſt: ut ſi dicat, Scortari quidem adoleſcentulum, delictum eſt, ſed non eſt flagitium. Et veniae locus non tam in facto, quam in perſona eſt conſtitutus. Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari.] Mire reſpondit, & oratorie, ad haec quae invidioſe dicta ſunt. Nam quod ait ille, *Eripuit mulierem quam amabat*: hic *ſcortum* dicit. quod *irruit in aedes alienas*: quaſi ex vino furens, *potare*: quod cum aliis grave propoſitum eſt, hoc ſolum dicendo, leve reddit, id eſt, *fores effringere* Mihi crede.] Quaſi imperito dicit, Mihi crede. Non enim, *Me intellige.* Quod imitatus *Cicero* [4] ſic Caelium exagitat; *Magna ſunt, mihi crede: noli haec contemnere.* Hic enim & auctoritas dicentis, & contemtus oſtenditur audientis.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Sic Caelium exagitat.*] Hadr. Junius in Append. Animadv. legit, *Ubi Caecilium exagitat.* recte. Lege autem: *magna ſunt ea, quae dico, mihi crede: noli haec contemnere.* Vid. in Q. Caecil. Divin. cap. 12.

COMMENTARIUS.

multi loci evincunt. Heaut. I. 2. 32. Majus autem dedecus habebatur in domum meretricis intraſſe, quam ſi meretrix ultro ad amantes acceſſiſſet. Seneca Controv. III. 12. *Clamavit pater: in domum ergo meam meretrix veniet? aut, quod turpius eſt, filius ad eam ibit?* Unde Gracchus apud Gell. XV. 12. veram continentiae laudem de ſe praedicaturus, *ſi ulla*, inquit, *meretrix, domum meam introivit, aut cujuſquam ſervus propter me ſollicitus eſt, omnium nationum poſtremiſſimum nequiſſimumque exiſtimatote.* Quanto magis mirum, quod de Catone, quem cum continentia ex eodem naturae utero prodiiſſe ferunt, Horatius refert, Serm. I. 2. 31.

Quidam notus homo cum exiret fornice; macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.
Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes aequum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores.

In adoleſcentulis quidem crimen ſcortationis impune abibat; in viris honoratis & magiſtratum gerentibus non item. Niſi quod in juvenibus culpam dignitas faceret, non voluntas, per ancillulas & lupanaria libidine permiſſa. Unde adeo Micio non objurgat Aeſchinum ob ſtuprum commiſſum, quam quod virginem vitiaſſet. Infra IV. 5. 52. Videntur porro diſtinxiſſe inter *Peccatum* & *Flagitium*. Peccatum eſſe ſcortationem, concedebant, Flagitium eſſe negabant. Cic. pro Coel. 20. *Verum ſi quis eſt, qui etiam meretriciis amoribus interdictum juventuti putet, eſt ille quidem valde ſeverus: negare non poſſum: ſed abhorret non modo ab hujus ſeculi licentia, verum etiam a majorum conſuetudine, atque conceſſis. quando enim hoc factum non eſt? quando reprehenſum? quando non permiſſum? quando denique fuit, ut, quod libet, non liceret?*

Scortari, neque potare; non eſt: neque fores
Effringere. haec ſi neque ego, neque tu, fecimus,
Non ſivit egeſtas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia?
Injurium eſt. nam ſi eſſet, unde id fieret,
Faceremus. Et tu illum tuum, ſi eſſes homo,

Sine-

DONATI.

23. Haec si neque ego, neque tu, fecimus.] Quia dixit: *Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.*

24. Non sivit egestas.] Non voluntas prohibuit, ſed neceſſitas: & ideo nulla laus.

25. Quod tum fecisti inopia?] Nota, Fecisti, in eo quod ſignificat, *Non feciſti.*

26. Injurium est.] Quia nihil quicquam injuſtius homine imperito. Nam si esset, unde id fieret.] Non eſt neceſſario conſequens, ſed probabiliter admittitur apud oratores: non enim omnes qui habent unde faciant, continuo etiam faciunt. Unde id fieret.] Fieret, producta prima ſyllaba. [5] *Ennius, Memini me fieri pravum.*

27. Et tu illum tuum, si esses homo.] Multum progreſſus eſt, accuſans accuſantem.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Ennius.*] Lege: *Memini me fieri pavum.* Vide ad And. II. 5. 18. ibique Observ.

COMMENTARIUS.

22. Non est.] Haec abſunt a Mſ. Mark.

23. Neque ego, nequs tu.] Anonym. & edit. anni 1469. Nsque tu, nsque ego. Ita & Mſ. Boenderm.

24. Tu nunc tibi id laudi ducis, quod tum fecisti inopia?] Interrogandi ſignum poſui, ob majorem emphaſin. Neque aliter ſatis apte infertur illud, injurium sst.

26. Si essst, unde id fieret, facsremus.] Id velle videtur, ſuam & fratris jam praeteriiſſe aetatem, neque jam aptam amplius eſſe ad libidinem. Ne enim de re familiari intelligam, faciunt ejuſdem Micionis verba, verſu 41. Est, Dis gratia, et unde haec fiant, et adhuc non molesta sunt. Boeclero & aliis enallage eſt temporis, pro, *ſi fuiſſet, unde id fieret, feciſſemus.* Mirum non videri mimeſin verborum Micionis & Demeae olim adoleſcentum. Eſt vero elegans ellipſis *τῦ argentum.* qualis & in *τῷ Habere* frequens eſt. Cic. Fam. IX. 20. *Cum in ſumtum* habebas. Evang. Luc. XII. 15. *Ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ* Virg. Georg. II. 499.

Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.

Ovid. Metam. I. 131.

amor ſceleratus habendi:

Phaed. III. Prol. 21.

Curamque habendi *penitus corde eraſerim:*

Ad quem locum vide omnino V. Cl. Petrum Burmannum.

27. Si essss homo.] H. e. Humanus, non tyrannus, erroribus juvenum ceu flagitiis iraſcens, cum veniam te illis deceret dare. Sed & ſimpliciter homo dicitur Homo alicujus pretii, & nomine hominis dignus. Infra V. 8. 11. Plaut. Epid. III. 4. 57.

pugnaſti. homo *es.*

Cic. Fam. VII. 29. *At illa noſtra praedicatio quanti eſt, nos quod ſimus, quod habeamus, quod* homines *exiſtimemur, id omne abs te habere.* Att. IV. 15. *Si vis* homo *eſſe, recipe te ad nos.* Adde Fabri Theſaurum, v. *Homo.*

29. Exspectatum.] Sic infra V. 4. 20. Hec. IV. 2. 20. Quinctilianus Inſtit. Orator. IX. 3. ubi de Antanaclaſi agit, quae ſit ejuſdem verbi contraria ſignificatio: *Quum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem ſuam* exſpectaret; *& ille dixiſſet, ſe vero non* exſpectare: *immo, inquit, rogo* exſpectes. Scilicet *exſpectare* & oppe-

Sineres nunc facere, dum per aetatem licet:
Potius quam, ubi te exſpectatum ejeciſſet foras,
Alieniore aetate, poſt faceret tamen.
De. Prô Juppiter! tu homo adigis me ad inſaniam.
Non eſt flagitium, facere haec adoleſcentulum! *Mi.* Ah!
Auſculta: ne me obtundas de hac re ſaepius.

Tuum

DONATI.

29. QUAM, UBI TE EXSPECTATUM.] Eo rem produxit, ut ipſe magis videatur conſulere diſciplinae, quam Demea. EXSPECTATUM.] Odioſum & [6] malae vitae. Nam filiis parentes aut amabiles ſunt, aut exſpectati. amabiles, boni: *exſpectati*, mali: quorum mors in dies ſingulos exſpectanda & optanda ſit. nam *exſpectamus* ante diem, *ſperamus* ad diem. Unde avidior intelligitur, qui exſpectat, quam ille qui ſperat. EJECISSET FORAS.] Non dixit *Amiſiſſet*: ſed, ut quiddam abjiciendum, EJECISSET.

30. ALIENIORE AETATE, POST FACERET TAMEN.] Ἀνακόλουθον. Deeſt enim *Quamvis*. Et FACERET ultimum, magnam vim habet. nihil enim prodeſſet, inſuper obeſſet, [7] retinere ab iſtis filium juvenem. ALIENIORE pro *Aliena* dicens, comparativum gradum pro poſitivo poſuit.

31. PRÔ JUPPITER!] Tragica exclamatio eſt. Et bene, tanquam ipſe ſe reprehenderet Demea, adjecit; TU HOMO ADIGIS ME AD INSANIAM.] Et TU HOMO dicens, negat illi familiaritatem.

32. NON EST FLAGITIUM, FACERE HAEC.] Moraliter indignatio expreſſa eſt, iisdem verbis, quae frater dixerat, repetitis.

33. NE ME OBTUNDAS.] Ne me ſaepe & moleſte interpelles. Nam *Obtundere*, eſt aliquid ſaepe odioſe repetere.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Malae vitae.*] Mſ. Hulſt. & Lindenbr. *Moleſtae vitae.* Unde forte legendum, *odioſae & moleſtae vitae.*

7. *Retinere.*] Mſſ. & edd. veteres: *Retineri.*

COMMENTARIUS.

opperiri & deſiderare notat. Juvenal. Sat. XIV. 248.

ſed grave tardas
Exſpectare *coles.*

Rutilius Lupus de Figuris ſententiarum: *Non opus eſſe, ſaepe eadem ſe oratione moneri, nec ſe patris mortem* exſpectare. Ovid. Metam. I. 148.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

EJECISSET FORAS.] Cicero in Piſonem, cap. 9. *Ab hoc* ejecto *cadavere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti expetebam?* Explicat Turnebus Adverſ. XXI 15. Ejecta cadavera *quae ſunt? Nempe quibus honos ſepulturae non tribuitur: quod ultimae apud veteres cenſebatur ignominiae: & qui propter paupertatem, quum ſumtus deeſſet funeri, e cellis ejecti mortui a ſandapilariis in exquilinum buſtum puticuloſque portabantur in arcis.* Inde Cicero pro Mil. 32. *Ut ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur abjectus.* Horat. Sat. I. 8. 8.

Huc prius anguſtis ejecta *cadavera cellis*
Conſervus vili portanda locabat in arca.

Palmerius tamen ELEGISSET legit.

30. ALIENIORE AETATE.] Sic Plautus, Caſ. III. 1. 4.

Cano capite! aetate aliena!

Cic. Fam. III. 10. *De qua* alienum tempus *eſt mihi tecum expoſtulandi.*

31. ADIGIS.] Mſſ. & editi quidam: ADIGES. Alii, REDIGES. Rurſus alii, REDIGIS.

33. NE ME OBTUNDAS.] Vide ad And. II. 2. 11. Poſtquam autem Micio ad Flagitii crimen reſpondit fratri, nunc ad Damnum lenoni illatum diluendum ſe accingit, argumento ab adoptione petito.

34. Ad-

Digitized by Google

Tuum filium dediſti adoptandum mihi:
Is meus eſt factus: ſi quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obſonat? potat? olet unguenta? de meo.

Amat?

DONATI.

24. Tuum filium dedisti adoptandum mihi.] Mira argumentatio per ἐπαγωγὴν, quae *Inductio* ab oratoribus dicitur, quum per interrogationem pervenimus ad id, quod volumus, concludendum.

35. Is meus est factus.] Sic progreditur, quaſi confeſſionis genus ſit, adverſarium tacuiſſe. Si quid peccat, Demea.] Concluſio dubiae rei a non dubiis ſumta. Si quid peccat, Demea.] Τῷ ἰδιωτισμῷ interpoſuit, Damea: & repetitum eſt, peccat.

36. Ego illi maxumam partem feram.] Errant, qui putant illi eſſe pronomen, quum ſit adverbium loci: ut,

[1] *illi mea triſtia fata,*
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Illi ergo, *ibi*, ubi ille peccat. Quare quidam etiam *li* ſyllabam diſcretionis cauſa, ut locum ſignificet, corripiunt. Et Maxumam partem, optime dicit: Non enim *univerſam*, quia non ſolus pater Aeſchini eſt: ſed Maxumam, quia ejus magis eſt, cujus filius coepit eſſe per adoptionem. Feram.] Suſtinebo, tolerabo.

37. Olet unguenta?] A ſummo ad imum propoſita ſolvuntur. Et mira varietas eſt, Olet unguenta: ne diceret, *obſonat*, *potat*, *ungitur*: ne ſcilicet haec exercitationis palaeſtricae, non luxuriae dicerentur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Illi.*] Virg. Aen. II. 548. Legitur: *facta.*

COMMENTARIUS.

34. Adoptandum.] Mſſ. & impreſſi quidam veteres, Adoptatum. Vide de ritu & jure adoptandi Gell. V. 19.

35. Is meus est factus.] Obſervat Boeclerus, tranſlatam hanc per adoptionem poteſtatem patriam apud Graecos a Juſtiniano in Jure Civili aliter eſſe conſtitutam. Dubium autem videri poſſit, unquamne iſtiuſmodi adoptio apud Graecos locum habuerit, qualis apud Romanos; ubi originem debet mancipationi & patriae poteſtatis rigori. Vero igitur ſimilius eſt, Romanum, non Graecum morem hic tangi a Poëta. Quae porro Juſtinianus conſtituit, huc prorſus non faciunt, qui nulla Philoſophia, quod ait Boeclerus, ſed aſtu politico uſus, jus illud Quiritium infregit, Αὐτοκράτωρ. Vid. Abr. Wielingii Diatrib. *de Furto*, cap. 1 §. 7.

36. Mihi peccat.] Meo damno & periculo. Cic. Fam. II. 18. *Sin quid offenderit: ſibi totum, nihil tibi offenderit.* Idem Lael. 3. *Nihil enim mali accidiſſe Scipioni puto.* Mihi accidit, *ſi quid accidit.*

Ego illi maxumam partem feram.] Poſſit ſenſus eſſe: Ego ibi maximum damnum accipiam. Illi pro *illic* uſitatum. Hec. I. 2. 19. Partem vocat infortunium. Plaut. Rud. I. 3. 6.

Hanccine ego partem *capio ob pietatem praecipuam?*

Dixit igitur partem feram, uti infra II. 1. 24. *Ferres infortunium.* Quanquam idem Aeſchinus olim hereditatem Demeae natura patris cernere debebat cum Cteſiphone fratre. Infra V. 3. 27. ſeqq.

37. Obsonat?] Citat Varro L. L. Lib. VI. Scortatur, potat, olet unguentum de meo. Addens: *Scortari, eſt ſaepius meretriculam ducere.* Quam lectionem contra Codd. fidem laudat Fr. Floridus Sabinus, Lect. ſubſec. I. 5. componens cum illo Plauti, Pſeud. IV. 7. 32.

Venus mihi haec
Bona dat, at cum hos huc adigit lucrifugas, damni
Cupidos, qui ſe ſuamque aetatem bene curant;
Edunt, bibunt, ſcortantur.

Quia

Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortaſſe excludetur foras.
Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt, Dis gratia,

Et

DONATI.

38. AMAT?] Πρὸς τὸ, *Cur amat*? DUM ERIT COMMODUM.] Dare ſcilicet.

39. UBI NON ERIT.] Argentum ſcilicet: ſed *Commodum dare*, ſubaudiendum eſt. FORTASSE EXCLUDETUR FORAS.] Hoc ita protulit, quaſi dicat, nihil ſibi deperiiſſe, ſi gratis forte fuerit ad amicam admiſſus. Et totum hoc τῷ ἐξουθενισμῷ legendum eſt. Et mire FORTASSE dicit, ut pater indulgens, & credens adoleſcentem poſſe etiam amari ab amica. non enim affirmavit, ut diceret, EXCLUDETUR FORAS.

40. FORES EFFREGIT? RESTITUENTUR.] Pervenit ad praeſens crimen: illa enim ante acta fuerant.

41. RESARCIETUR.] RE abundat.

COMMENTARIUS.

Quia vero ORSONAT eſt in Codicibus omnibus, etiam in Donato, & Priſciano, Lib. VIII. & IX. non minus videtur mutandum in SCORTATUR, quam UNGUENTA in UNGUENTUM.

OLET UNGUENTA?] Ἀρωματίζει, ναρδίζει. Plaut. Aſin. V. 2. 79.

Murrham olet.

Contrarium eſt Menaechm. I. 2. 59.

ME. *Quid igitur? quid* olet? *reſponde.* PE. *Furtum, ſcortum, prandium.*

Poen. I. 2. 56.

Quae tibi olant *ſtabulum, ſtatumque, ſellam, & ſeſſibulum merum.*

Horat. Serm. I. 2. 27.

Paſtillos Ruſillus olet, *Gargonius hircum.*

Quem locum laudat Seneca Epiſt. LXXXVI. Martial. III. 63. 3.

Bellus homo eſt, flexos qui digerit ordine crines:
Balſama *qui ſemper, cinnama ſemper* olet.

Idem XIV. 59. 1.

Balſama me capiunt: haec ſunt unguenta virorum.
Delicias *Coſmi vos* redolete *nurus.*

Suet. Veſp. 8. *Adoleſcentulum fragrantem unguento, quum ſibi pro impetrata praefectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam graviſſima increpuit: maluiſſem* allium oboluiſſes; *litteraſque revocavit.* Idem mos genti Judaeorum olim frequens, qua de re multa mentio in ſacris.

DE MEO.] Plaut. Bacchid. I. 1. 65.

facere ſumtum de tuo.

Phaed. IV. 19. 26.

Libitina ne quid de tuo *faciat lucrum.*

Tertull. de Pallio cap. 5. De meo *veſtiuntur, & primus informator literarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum harenarius, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophiſta, & Medicus, & Poëta, & qui Muſicam pulſat, & qui ſtellarem conjectat, & qui volaticam ſpectat.*

38. DUM ERIT COMMODUM.] Dum libuerit. Sic Eun. III. 2. 31. & 49. Cicero in Verrem Lib. II. 13. *Aut eum judicem, quem* commodum erat. Ubi Aſconius: *vetuſte poſuit pro eo, quem volebat.* Sic Terentius:

AMAT? DABITUR A ME ARGENTUM, DUM ERIT COMMODUM.

Nam meretrici dare, quando eſt commodum? ſed eſt poſitum pro eo, Quamdiu libuerit.

40. FORES EFFREGIT? RESTITUENTUR. DISCIDIT VESTEM? RESARCIETUR.] Citat Cicero pro Caelio cap. 16. Erudite Boeclerus, poſtquam notaſſet, non ſemper de vi facta actionem in jus eſſe deductam, multis lucri ſpe privatam ſatisfactionem accipientibus, *Cur*, inquit, *non addidit Micio*, ERIPUIT MULIEREM? REDDETUR. *Hoc enim quoque Demea in ſua accuſatione poſuerat. Per artem reticuit caput flagitii, de quo nec reſponſio, nec ſatisfactio tam facilis Micioni erat futura, antequam Aeſchini animum in ea re percepiſſet.* Romae autem ex Lege Cornelia publica accuſatio criminalis data in eum, qui pulſaſſet aliquem, vel verberaſſet, aut in domum alienam irrupiſſet. Poena erat vel exilium, vel metallum, opuſve aliud publicum. Ceterum obtinuit poſtea, ut Judex pro ratione delicti poenam mitigaret. Vid. §. 8. Inſt. de Injuriis, & L. 5. D. eod. Omnia haec accurate perſequitur Cujacius ad Tit. Cod. de Injur. Vid. etiam Paul. Sent. v. 4. 8. ubi Cl. Schultingius erudite tradit, publicum L. Corne-

Et unde haec fiant, & adhuc non moleſta ſunt.
Poſtremo, aut deſine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare oſtendam. *De.* Hei mihi!
Pater eſſe diſce ab aliis, qui vere ſciunt.
Mi. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.
De. Tun' conſulis quidquam? *Mi.* Ah! ſi pergis, abiero.
De. Siccine agis? *Mi.* An ego toties de eadem re audiam?
De.

DONATI.

42. Et unde haec fiant.] Iterum ſubaudiendum, *eſt.* Et adhuc non moleſta ſunt.] Quia non eſt flagitium, adoleſcentem ſcortari.

45. Ab aliis, qui vere ſciunt.] Superbum fuiſſet, *A me* dicere. melius ergo, Ab aliis, dictum eſt.

46. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.] Urbane Micio Conſiliis ſubjunxit. Plus enim valet ad laudem *conſilium*, quam *natura.* Et ſimul oſtendit Poëta verbis Micionis, qui non natura, ſed affectu ſit pater, nullum patrem eſſe ſapientem: [9] eum vero poſſe ſine perturbatione perfrui iis quos amat, quem patrem eſſe conſilium fecerit, non natura, hoc eſt, qui filium adoptaverit. Et mire, quum Natura ſingulariter dixerit, pluraliter intulit, Conſiliis ego.

47. Tun' conſulis quidquam?] Apertior contumelia: & ideo ſequitur denuntiatio diſcedendi. Tun' conſulis quidquam?] Quia dixit, *Conſiliis ego pater ſum:* a conjugatis argumentatus reſpondit, Tun' conſulis quidquam? quia a conſulendo *conſilia* dicuntur, & *conſultores.* Si pergis, abiero.] Ut,

[10] *donec me flumine vivo*
Abluero.

Si pergis, abiero.] Α'ρχαϊσμὸς, pro *Abibo:* Et hoc geſtu abeuntis, vel abituri pronuntiatur.

48. Siccine agis?] Recte, quia jam abibat: quaſi revocantis correptio eſt. An ego toties.] Hoc converſum intelligas dicere. Audiam?] Deeſt *te:* ſed exprimere durum fuit. Et hoc eſt, *obtundere.*

OBSERV. IN DONAT.

9. *Eum vero.*] Mſ. Bocad. & edd. vett. *Cum non poſſit ſine perturbatione perfrui his, quae amat.*

10. *Donec.*] Virg. Aen. II. 719.

COMMENTARIUS.

hac judicium hodie poſt l. 7. & ult. C. de Injur. ceſſare. Eandem Legem illuſtrarunt Gravina de L L cap. 102. & Auguſtin. de L L.

Diſcidit veſtem?] Vide ad Eun. IV. 3. 4.

42. Et unde haec fiant.] Quidam Libri non agnoſcunt τὸ Et.

44. In hac re.] Ita plerique Libri. Quidam, In hanc rem. Sic infra II. 1. 20.

45. Ab aliis.] Ita Donatus & Mſſ. quidam editique. Alii, Ab illis.

Qui vere ſciunt.] Conjectabat Palmerius: Qui vere ſient. Non male. Atque ita etiam legi obſervat Pareus. In Mſ. Traject. eſt, Qui vere ſunt.

46. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.] Infra V. 7. 4. Cicero Philipp. III. 6. *Cujus etiam* natura pater, *ſi vita ſuppeditaſſet, Conſul factus eſſet.* Pro quo vulgo, *Naturalis pater.* Salluſt. Catil. 6. *Hi vel aetate, vel curae ſimilitudine* Patres, *appellabantur.* Ita autem reponit Micio Demeae exprobranti, quod neſciret fungi officio patris, qui numquam genuiſſet liberos, ut videatur id velle, non ſe tanti putare, quod natura, quam quod ratio & deliberatum judicium faciat; ſe vero non fortuito, ſed deſtinato propoſito conſulere filio ſemel a ſe adoptato; atque adeo longe praeſtare ei, qui natura ſit pater & neceſſitate. Idem Phaedri judicium, III. 15. 17.

47. Tun' conſulis quidquam?] Codex Bembi-

De. Curae eſt mihi. *Mi*. Et mihi curae eſt. verum, Demea,
Curemus aequam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum
Repoſcere illum eſt, quem dediſti. *De*. Ah! Micio.
Mi. Mihi ſic videtur. *De*. Quid iſtuc? tibi ſi iſtuc placet;
Profundat, perdat, pereat! nihil ad me attinet.
Jam ſi verbum unum poſthac. *Mi*. Rurſum, Demea,

Iraſce-

DONATI.

49. CURAE EST MIHI.] Aeſchinus ſcilicet.

50. CUREMUS AEQUAM UTERQUE PARTEM.] Proprie UTERQUE & AEQUAM, quaſi particeps fratris.

51. PROPEMODUM.] Niſi addidiſſet PROPEMODUM, falſa videretur eſſe ſententia.

52. AH! MICIO.] Religioſe commotus eſt: ac veluti incuſatio eſt perfidiae. Et ideo exclamat dolens, & tranſit in iracundiam, conceſſionemque, quae ἐπιτροπὴ dicitur.

53. MIHI SIC VIDETUR.] Rationabiliter non *Eſt ſic*, dixit: ſed, SIC VIDETUR: non vult enim verum eſſe. QUID ISTUC?] Deeſt *Loquor* aut *Reſiſte*: nam proprie ſignificatio eſt, de ſententia ſua decedentis.

54. PROFUNDAT, PERDAT.] Ἐπιτροπὴ figura. [11] *Virgilius:*

I, ſequere Italiam ventis: pete regna per undas.

PROFUNDAT, PERDAT, PEREAT! | Haec ſic pronuntianda ſunt, ut oſtendatur geſtu, nolle quod loquitur.

55. SI VERBUM UNUM POSTHAC.] Ἀποσιώπησις. Deeſt, *Tibi fecero*, aut tale hujuſmodi. RURSUM.] [12] Quaſi curans iraſceris?

OBSERV. IN DONAT.

11. *Virgilius.*] Aen. IV. 381.

12. *Quaſi curans iraſceris?*] Mſ. Boend. & editio Anonyma, Tarviſiana, Argentina, Venetae, *Quaſi rurſum curans iraſceris.* Malim: *Quaſi mirans:* RURSUM IRASCERIS?

COMMENTARIUS.

Bembinus: TUN' CONSILIIS QUIDQUAM? Ita & Cod. Argent. citatque ex Cod. Werteri Georg. Fabricius.

48. SICCINE AGIS?] Sic Eun. I. 2. 19. Mſ. Mark. SICCINE AIS? ita & omnes Mſſ. Boecleri.

AN EGO TOTIES.] Mſſ. quidam haec etiam Demeae tribuunt.

51. AMBOS CURARE.] In Mſſ. Bodl. ſupraſcriptum, TE.

52. AH! MICIO.] Mſ. Boend. Editio Anonyma, & anni 1469. AH! AH! MICIO.

53. QUID ISTUC?] Vide de hac formula ad And. III. 3. 40.

54. PROFUNDAT, PERDAT.] In Mſ. Bodl. deſideratur τὸ PERDAT. Citat Servius ad Virg. Aen. IV. 381.

I, ſequere Italiam ventis.

Additque: *Satis artificioſa prohibitio, quae fit per conceſſionem.* Plaut. Cas. II. 3. 31.

Immo, age ut lubet,
Bibe, es, diſperde rem.

Cic. pro Coel. 16. *Dide ac diſſice, per me licebit. ſi egebis, tibi dolebit.*

55. VERBUM UNUM.] Mſſ. & edd. vett. quidam: VERBUM ULLUM. Uni Codicum Boecleri adſcriptum, *Jam peream*, SI VERBUM ULLUM POSTHAC.

RURSUM, DEMEA, IRASCERE? DE. AN NUM CREDIS?] Emboliſmata haec videntur Guyeto. Sunt vero in Libris cum manu ſcriptis, tum impreſſis, quos vidi, omnibus. ſed & agnoſcit Donatus. Indicant igitur & haec, & quae ſequuntur, verba ſtomachum Demeae, eoque conciſa proferuntur. Pareus ex uno Mſſ. Pall. citat, AH! NON CREDIS? Atque ita edidit. Mallet Palmerius: AH! NON CEDIS? q. d. *Quouſque tandem mihi reſiſtes?*

30. RE-

Iraſcere? *De*. An non credis? repeton' quem dedi?
Aegre 'ſt: alienus non ſum. ſi obſto: hem! deſino.
Unum vis curem, curo: & eſt Dis gratia,
Quum ita, ut volo, eſt. iſte tuus, ipſe ſentiet
Poſterius. nolo in illum gravius dicere.
Mi.

DONATI.

56. An non credis?] Iraſci ſcilicet. Repeton' quem dedi?] Ruſticani ſtomachi eſt repetere ſemper verba, quae invitus alius audierit. Repeton' quem dedi?] Minus erat, ſi *Aeſchinum* diceret: ſed plus eſt, Quem dedi.

57. Aegre est.] Quaſi dictum ſit, *Quid ergo loqueris? quia aegre eſt. Cur aegre eſt? quia alienus non ſum.* Alienus non sum.] Mire Alienus non sum: quaſi timeat jam dicere, *Pater ſum.* Alienus non sum.] Satis cum ſtomacho, quaſi dicat, Si patrem me eſſe jam non licet, alienus non sum.

59. Iste tuus.] Memoriter Iste tuus, ad illud quod dixerat, *Meus eſt factus.* Iste tuus, ipse sentiet posterius.] [13] Quantus ſis, quantumque eum ames: hoc eſt, ut decipiatur per indulgentiam tuam. Ipse sentiet.] *Sentire*, multi pro malo poſuere. ut ipſe alibi, *Sit rogas? Senſi. nam unam ei coenam atque ejus comitibus Dedi.*

60. Posterius.] Etenim Demea ſatis hoc grave exiſtimat dictum in eum, qui non provideat in futurum: [14] & arctius, quia pater eſt. Nolo in illum gravius.] Scilicet quam hoc.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Quantus ſis.*] Ita Libri MSſ. & editi veteres omnes; ſed mox: *Quantumque.* Unde conjicio, ſcripſiſſe Interpretem: *hoc eſt, Quantumvis & quantumcunque eum ames, decipietur per indulgentiam tuam.*

14. *Et arctius.*] Conſtans lectio. Forte, *Et* Gravius, *quia pater eſt.* q. d. ideo gravius in illum dicere non vult.

COMMENTARIUS.

56. Repeton'] MSſ. Bodl. Repeton' filium.

57. Hem! desino.] MSſ. Boend. Jam desino. MSſ. Bodl. & editio anni 1469. Desino.

58. Unum vis curem, curo.] Confer infra V. 3. 10.

Et est Dis gratia.] MSſ. quidam, Et est Diis habenda gratia. quae gloſſa eſt.

59. Ut volo.] H. e. ex mei animi ſententia. Plautus ſaepius utrumque conjunxit, Merc. I. 1. 93.

Omnes, ut volui, *vendidi* ex ſententia.

Iste tuus.] H. e. Aeſchinus. Eſt autem cum ſarcaſmo dictum ad illa Micionis, ſupra verſu 35. Is meus est factus.

Sentiet posterius.] Comminandi formula. Vide ad Eun. I. 1. 21. Senſus autem eſt: Is, cui nunc liberius vivendi eſt poteſtas, diſcet olim experiundo, quid periculi ſit, ita vivere. Laudant hunc locum Priſcianus Lib. XVII. & Chariſius Lib. II. niſi quod hic contra omnium Interpretum mentem τὸ posterius cum ſequenti verſu conjungit. Tibull. I. 4. 29.

Vidi jam juvenem, premeret cum ſerior aetas,
Moerentem, ſtultos praeteriiſſe dies.

60. Nolo in illum gravius dicere.] MSſ. quidam: Nolo in illum quicquam gravius dicere. Eſt autem formula cohibendi iracundiam. Cic. Fam. I. 7. Graviori *enim* verbo uti *non libet.* Fam. III. 6. *Ut leviſſime dicam.* Orat. pro Rabir. Poſt. cap. 1. *Graviſſimo verbo utar.* Philipp. I. 11. *Ne gravius quippiam dicam.* In Fragmentis Menandri fertur:

Οὐδέποτ' ἀληθὲς οὐδὲν οὔθ' υἱῷ πατὴρ
Εἴωθεν ἀπειλεῖν, οὔτ' ἐρῶν ἐρωμένῃ.
Nihil unquam verum nec filio pater
Conſuevit minitari, nec amans amatae.

Utitur autem hac formula Demea, quod crederet, parentum diras non eſſe irritas. Qua de re vide Interpretes ad Geneſ. IX. 25. Adde Elect. Plaut. Tit. Abominationum, Dirarum.

61. Nec nihil, neque omnia haec sunt, quae dicit.] H. e. neque nullius momenti ſunt,

Digitized by Google

Mi. Nec nihil, neque omnia haec ſunt, quae dicit; tamen
Nonnihil moleſta ſunt haec mihi: ſed oſtendere,
Me aegre pati, illi nolui: nam ita 'ſt homo;
Quum placo, advorſor ſedulo, & deterreo:
Tamen vix humane patitur: verum ſi augeam,
Aut etiam adjutor ſim ejus iracundiae,

Inſa-

DONATI.

61. NIHIL, Et, NONNIHIL.] Nota figura eſt, conveniens placidiſſimo ſeni, qui in reprehendendo adoleſcente moderatus eſt. NEC NIHIL.] Apparet Terentium favere leniſſimis patribus: unde ſubjecit etiam rationem facti Micionis. NEQUE OMNIA HAEC SUNT, QUAE DICIT.] Bene a Micione hoc dicitur: quia indulgentioris eſt, plura ſcire: & ſupra dixit, *Ea ne me celet, conſueſeci filium.* Et hic ſenſus eſt: *Nec contemnenda ſunt quae dicit, nec omnia dicit tamen.* Hoc eſt, *Non ſola ſunt quae dicit, ſed multa alia.* Et ordo eſt, *Neque tamen haec quae dicit, ſunt omnia.*

62. NONNIHIL MOLESTA.] Placidiſſime NEC NIHIL dixit: & NONNIHIL maluit repetere, quam vehementer iracundiam demonſtrare. Eſt enim altera διπλότης. NONNIHIL MOLESTA HAEC SUNT MIHI.] Optime Poëta Micionem fecit commotum: ne, ſi omnino immobilis eſſet, non indulgere adoptivo filio, ſed omnino eum non curare videretur. Ergo ſic in eum ſervat placidum animum, ut tamen retineat patris affectum. SED OSTENDERE, ME AEGRE.] Conſtat ergo, AEGRE PATI. nam aliter non erat parens.

63. ILLI.] Demeae ſcilicet. Aut *Illic*, id eſt, ibi, ubi Demea litigabat. NAM ITA 'ST HOMO.] Homo dixit moraliter: ſic enim de iis dicimus, quos parce reprehendimus. ut alibi, *Ut homo eſt, ita morem geras.*

64. QUUM PLACO.] Id eſt, quum volo placare.

65. VERUM SI AUGEAM.] Argumentum a contrario. nam *Placare*, contrarium eſt irritantibus augentibuſque iracundiam.

66. AUT ETIAM ADJUTOR SIM EJUS IRACUNDIAE.] Σύλληψις. Nam a genitivo caſu accuſativus aſſumtus eſt.

COMMENTARIUS.

ſunt, neque vera omnia, quae dicit. Eun. IV. 2. 10. & 13. Cie. in Verr. Lib. IV. 6. *Sunt iſta.* Quod poſſit videri formatum ad Platonicum illud: ἔστι ταῦτα. quo uſus ille in aſſentiendo & confirmando legitur.

63. ITA 'ST HOMO.] Vide ad And. V. 4. 16.

64. QUUM PLACO, ADVORSOR SEDULO, ET DETERREO.] Sic Plaut. Trin. III. 2. 46.

Ille qui aſpellit, is compellit: ille, qui conſuadet, vetat.

Virg. Aen. XII. 46.

exſuperat magis, aegreſcitque medendo.

Plautus Amph. II. 2. 71.

Non tu ſcis, Bacchae bacchanti ſi velis advorſarier,
Ex inſana inſaniorem facies; feriet ſaepius,
Si obſequare, una reſolvas plaga.

Ex Eurlpidis Proteſilao citant Stobaeus & Pareus:

Δυοῖν λεγόντοιν θατέρου θυμουμένου
Μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος.
Duobus loquentibus altero irato
Non reſiſtens ſermonibus ſapientior.

Joſua autem Barneſius rectius ad ejuſdem Euripidis Ἱππόλυτος Καλυπτόμενος retulit. Videntur enim verba Chori de Theſeo cum Hippolyto altercante.

65. VIX HUMANE PATITUR.] Cic. Tuſc. Quaeſt. II. 27. *Graeci autem homines non ſatis animoſi, prudentes, ut eſt captus hominum, ſatis, hoſtem adſpicere non poſſunt, ſed iidem morbos toleranter, atque* humane ferunt. Aliter autem Att. I. 2. *Sin alter acciderit*, humaniter feremus. Vide porro ad Heaut. I. 1. 47.

70. Cre-

Inſaniam profecto cum illo. etſi Aeſchinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? poſtremo, nuper, credo, jam omnium
Taedebat, dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam deferviſſe adoleſcentiam.

Gau-

DONATI.

67. ETSI AESCHINUS NONNULLAM IN HAC RE.] Rurſus διπλότης, ut ſit mitis reprehenſio: & hoc ipſo gravis. nam ETSI, & NONNULLAM NOBIS, temperamento ſunt poſita.

69. QUAM HIC NON AMAVIT MERETRICEM? AUT CUI NON DEDIT ALIQUID?] Ἦθος ὑπερβολῆς. QUAM NON, & CUI NON. Ea tamen haec ſunt, ut non gravi ſono accuſationis proferantur; ſed ſolam reprehenſionem contineant. ALIQUID vero, admirantis eſt. Quod addidit MERETRICEM, oſtendit Micionem hoc ſolum adhuc ſcire: nihil autem de vitiata virgine. QUAM HIC NON AMAVIT MERETRICEM?] Et hoc cum venia & defenſione. nam colere meretricem, non eſt flagitium. Et ſimul etiam vitiatae virginis adhuc ignarus oſtenditur Micio. AUT CUI NON DEDIT ALIQUID?] [15] ALIQUID dicendo, praetermiſit vel meretricem vel numerum.

70. CREDO, JAM OMNIUM TAEDEBAT.] Παρένθεσις πρώτη. Etenim addimus ad ea quae apud nos parum certa ſunt, aut *Credo*, aut *Puto*.

71. DIXIT VELLE UXOREM DUCERE.] Mirum eſt apud Terentium, quum etiam per neſcias perſonas indicet argumenta. nam quum Micio neſciat amari ab Aeſchino civem virginem: tamen dicit, CREDO, JAM OMNIUM TAEDEBAT, &, DIXIT SE VELLE UXOREM DUCERE. Sic ex parte magna oſtendit neſcius argumentum: ideo quia veriſimile eſt, amantiſſimum Aeſchini Micionem omnes ſcire affectus adoleſcentis & conſuetudines. Et apparet praeterea, conatum ex parte fateri [16] vitiatum amore Aeſchinum, & pudore impeditum, tantum hoc dixiſſe, quod honeſte potuit, velle ſe uxorem ducere: quam autem vellet, tacuiſſe confuſum.

72. SPERABAM JAM DEFERVISSE ADOLESCENTIAM.] Recte SPERABAM, pro *Gaudebam*: ſic enim dicimus, quum erraſſe nos cernimus. Et mire: non dixit, *Sperabam illam jam corruptum*: ſed mitis ſenex totum aetati attribuit, nihil filio. DEFERVISSE ADOLESCENTIAM.] Servat propoſitum circa aetatis veniam. DEFERVISSE.] Quaſi deorſum a fervore tenuiſſe. Legitur & *deſaeviſſe*.

OBSERV. IN DONAT.

15. ALIQUID *dicendo, praetermiſit vel meretricem, vel numerum.*] Reſtituo: CUI & ALIQUID *dicendo praetermiſit*, meretrici, & munerum.

16. *Vitiatum amore Aeſchinum.*] Abr. Wielingius ex conjectura: *vitiaſſe amicam Aeſchinum.*

COMMENTARIUS.

70. CREDO.] Hoc verbo utimur vel in re dubia, vel ironice. Prior ſenſus h. l. occurrit. Poſteriori utitur Servius ad Ciceronem, Fam. IV. 5. *Licitum eſt tibi*, credo, *pro tua dignitate, ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares.*

OMNIUM TAEDEBAT.] Sic Eun. II. 3. 6.

Taedebat cotidianarum harum formarum.

71. DEFERVISSE ADOLESCENTIAM.] Cicero Fam. IX. 2. *Dum deferveſcit* haec gratulatio. Idem pro Coel. cap. 18. *Multi & noſtra, & patrum, majorumque memoria, judices, ſummi homines, & clariſſimi cives fuerunt; quorum cum adoleſcentiae cupiditates* deferviſſent, *eximiae virtutes, firmata jam aetate, extiterunt.* Dixit igitur DEFERVISSE, ob naturalem adoleſcentiae fervorem. Unde Cicero de Senect. 13. *Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice, ſed erat quidam* fervor aetatis: *qua progrediente, omnia fiunt indies mitiora.*

Eſt

Gaudebam. ecce autem de integro! niſi, quidquid eſt,
Volo ſcire, atque hominem convenire, ſi apud forum eſt.

DONATI.

73. ECCE AUTEM DE INTEGRO! NISI, QUIDQUID EST.] Ἀποσιώπησις prima: quia non vult credere. NISI, QUIDQUID EST.] Deeſt, *quia:* ut ſit, NISI QUIA. Et eſt ſenſus, *Niſi quia non temere credo; & volo ſcire quidquid eſt.*

COMMENTARIUS.

Eſt autem metaphora ab aeſtu & fervore maris tranſlata. Quidam Libri, DEFERBUISSE. Alii, DESAEVISSE.

73. ECCE AUTEM DE INTEGRO!] In Mſ. Bodl. τὸ AUTEM eſt a ſecunda manu. Vid. ad And. Prol. 26.

NISI, QUIDQUID EST.] Sic Eun. III. 4. 10. Exiſtimat Eraſmus in Annotat. ad 1. Corinth. VII. 5. Terentium expreſſiſſe Graecanici ſermonis figuram, εἰ μὴ; qua loquendi forma ſolent uti, quoties omiſſis, quae incerta ſunt, ad id quod certum eſt, redimus; q. d. *utcunque eſt*, aut, *in ſumma.*

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

SANNIO. AESCHINUS. PARMENO.

Sa. OBSECRO! populares, ferte miſero, atque innocenti auxilium!

Sub-

DONATI.

1. OBSECRO! POPULARES] Popularitas *in omnis rei conſortium ſumitur. nunc autem* POPULARES *cives dicit. Et hoc eſt, quod veteres* Quiritari *dicebant, Quirites conclamare.* OBSECRO! POPULARES, FERTE MISERO, ATQUE INNOCENTI AUXILIUM!] Hic exemplum eſt contumelioſi per potentiam divitis, & in perniciem ſuam pauperis contumacis. MISERO, ATQUE INNOCENTI AUXILIUM! SUBVENITE INOPI!] Tria ſunt, *Miſer*, *Innocens*, *Inops.*

COMMENTARIUS.

Huic Scenae in editione anni 1469. praefixa nomina, SANNIO. PARMENO. MERETRIX. AESCHINUS. In Mſ. Bodl. PARMENO. SANNIO. AESCHINUS. Guyetus ſuo Codici adſcripſerat, FIDICINA, κωφὸν πρόσωπον.

1. POPULARES.] Sic Eun. V. 9. 1. Vide ad Phorm. I. 1. 1. Expreſſa autem e Plauto, Rud. III. 2. 1.

Pro,

Subvenite inopi! *Aeſ.* Otioſe nunc jam illico hic conſiſte.
Quid reſpectas? nihil pericli eſt: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
Sa. Ego iſtam invitis omnibus.
Aeſ. Quamquam eſt ſceleſtus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.

Sa.

DONATI.

2. SUBVENITE INOPI!] Vide quam poſteriora vehementiora ſunt, ad incendendum populum. primo, *miſerum*: poſt, *innocentem*: ad ultimum, *inopem* poſuit. Et primo, FERTE AUXILIUM: poſt, SUBVENITE. Et totum hoc principium a benevolentia ſumitur: quae comparatur ex invidia potentiae Aeſchini. nam, contraria in Aeſchino eſſe, vult intelligi. OTIOSE NUNC JAM.] OTIOSE, *ſecure* ſignificat. Nam niſi qui *ſecurus* eſt, *otioſus* non eſt. OTIOSE NUNC JAM ILLICO HIC CONSISTE.] Simul imperavit modum, tempus, locum, factum. Modum, OTIOSE: Tempus, NUNC: Locum, HIC: Factum, CONSISTE. Nam JAM & ILLICO, alterum tempori adjungitur, alterum loco. At *Conſiſtere*, eſt audacter & conſtanter ſtare, ut,

[1] *Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque.*

ILLICO.] Modo locum, non tempus ſignificat.

3. NUNQUAM.] Pro *non*. [2] *Virgilius.*

Nunquam omnes hodie moriemur inulti.

4. EGO ISTAM INVITIS OMNIBUS.] Bona ἔλλειψις. nemo enim plene loquitur, qui luctatur. ISTAM INVITIS OMNIBUS.] Deeſt *abducam.*

5. QUAMQUAM EST SCELESTUS, NON COMMITTET.] Ἀνακόλουθον primum: nam quum praepoſuiſſet QUAMQUAM, non ſubjecit *Tamen.* COMMITTET.] Perficiet: ſed hoc proprie de illicitis & puniendis facinoribus dicimus. Et ſimul hic oſtendit Comicus adoleſcens cedere ſe lenoni, invitum ſe noxam intuliſſe: & id quod fecerit, feciſſe lenonis culpa, non ſua. ITERUM UT VAPULET.] Minaciter Poëta priorem litem ſuſtulit, dicendo ITERUM: ut non eadem lis eſſet, de qua ſupra Demea queſtus eſt: ſed inſtaurata naſcatur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Conſtitit.*] Virgil. Aeneid. V. 426.

2. *Virgilius.*] Aeneid. II. 670.

COMMENTARIUS.

Pro, Cyrenenſes populares! *veſtram ego imploro fidem,*
Agricolae, accolae, propinqui qui eſtis his regionibus,
Ferte opem inopiae, atque exemplum peſſimum peſſumdate,
Vindicate; ne impiorum potior ſit pollentia,
Quam innocentium, qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.

Apulej. Metam. VIII. *Nec diu tale facinus meis oculis tolerantibus*, porro Quirites! *exclamare geſtivi.* Mſ. Lipſ. inverſo ordine, POPULARES, OBSECRO.

2. OTIOSE NUNC JAM ILLICO HIC CONSISTE.] Libri quidam: OTIOSE JAM ILLICO HIC CONSISTE NUNC. Alloquitur Cithariſtriam, quam ex aedibus lenonis eripuerat. Donatus τὸ OTIOSE recte explicat *ſecure*, contra quam putabat Guyetus, cui OTIOSE ἐν ἀνεκδότοις valet *ad agio, tout doucement.* Puella autem identidem reſpectans periculum timebat a Sannione. Sic And. V. 2. 1. Phaed. I. 25. 6. *quamlibet lambe otio.* Idem vero Guyetus in Scholiis Mſſ. haec addit: *Rapido enim gradu fidicinam abduxerat Aeſchinus, & cum aedibus appropinquaret, huic dixit*, OTIOSE *jam incedamus*, σχολαίως, ἡσύχως. *Ubi autem ad aedes ventum eſſet*, NUNC JAM ILLICO HIC CONSISTE. *Mox Parmenoni*, ABI PRAE, APERI FORES.

Sa. Aeſchine, audi: ne te ignarum fuiſſe dicas meorum morum;
Leno ego ſum. *Aeſ.* Scio. *Sa.* At ita, ut uſquam fuit fide quiſquam optuma.
Tu quod te poſterius purges, hanc injuriam mihi nolle
Factam

DONATI.

7. LENO EGO SUM.] LENO, terribiliter pronuntiandum eſt: quaſi dicat, *cui ſupplex erit.* Sed ex argumento eſt, quod contemnit Aeſchinus minas lenonis: utpote qui jam uxorem decreverat ducere. SCIO.] [3] Hic ſic reſpondit, quaſi in lenone imminutio capitis tantum conſiſteret. FIDE QUISQUAM OPTUMA.] [4] *Fides* in concipiendis comminationibus: nam *denuntiatio comminantis* eſt.

9. HUJUS NON FACIAM.] [5] Figurate ergo. QUOD TE PURGES, id eſt, purgationem tuam. Hujus autem, δεικτικὸν eſt. Aut enim ſtipulam, aut

OBSERV. IN DONAT.

3. *Hic ſic reſpondit.*] Lego, *Hoc ſic reſpondit.* Mox autem pro *imminutio*, Mſ. Boend. & impreſſi vetuſti omnes legunt, *minutio*, quorum neutrum commodum habet ſenſum. Niſi ita capias, quaſi *in lenone*, i.e. lenonis nomine, imminutio capitis tantum conſiſteret; ſcilicet quia jus fere civitatis amittebat, quicunque lupanar exerceret, certe infamis erat, l. 1. D. de His, qui not. inf. Ut plurimum quoque peregrini lenones, pariter ut meretrices. Auſon. in Monoſyll.

Triplex libertas, *capitisque minutio* triplex.

Scilicet libertatis, *civitatis* & familiae. Vid. Inſtit. de Cap. Diminut. Sannio igitur *Lenonem* ſe vocat, adpellatione minus dura, quam ſi *ſceleſtum* ſeſe dixiſſet, quo titulo eum ornaverat Aeſchinus. Scelus autem habebatur *lenocinium*; atque ideirco infamiae notam incurrebat Leno, quae boni civis exiſtimationem auferebat, improbumque ac inteſtabilem reddebat, omni civium jure privatum. Athenienſium autem vetuſto jure capitis adficiebantur ſupplicio Lenones. Vid. Meurſ. Them. Att. l. 4. ext.

4. *Fides in concipiendis.*] Videtur una ſerie legendum, ut eſt in Libris Mſſ. & editis antiquiſſimis ante Lindenbruchium fere omnibus: *Fides in concipiendis comminationibus denunciatio comminantis eſt.* Rob. Stephanus omiſit τὸ *nam.*

5. *Figurate ergo.*] Fortaſſe diſtinguendum: *Figurate. Ergo* QUOD TE PURGES, *id eſt, purgationem tuam.* Solet enim τὸ *Figurate* ita ſimpliciter poni a Donato. Vide mox ad verſ. 36.

COMMENTARIUS.

RES. *Et demum ipſi Fidicinae*, I INTRO NUNC JAM. Varius autem verborum ordo eſt in variis Mſſ. & editis vetuſtis.

3. RESPECTAS.] Mſ. Mark. SPECTAS.

NUNQUAM.] Mſſ. quidam: NUNQUAM EGO DUM ADERO, HIC TANGET TE. Alii, NUNQUAM DUM EGO ADERO HIC, TANGET TE. Alii aliter.

4. EGO ISTAM INVITIS OMNIBUS.] Sub. Non tangam tantum, ſed abripiam. quod dicens ſimul manus injicit puellae, Aeſchino & Parmenone contra luctantibus.

5. QUAMQUAM EST SCELESTUS.] Libri quidam veteres, atque in iis Edit. Anon. & Tarviſ. anni 1481. QUANQUAM SIT SCELESTUS.

ITERUM UT VAPULET.] Vapulaverat igitur jam intus in ipſis aedibus. Quo ſpectant Demeae verba, ſupra I. 2. 8. ſeqq.

6. MEORUM MORUM.] Muretus: MORUM MEUM. ob metrum. quod probat Fr. Fabricius.

7. LENO SUM.] H. e. puellarum mercaturam facio. Honeſte enim de ſuo mangonio loqui voluit. quod aliter accepit Aeſchinus, dicens, SCIO. H. e. Novi te lenonem eſſe improbum, fallacem, perfidum. Poterat vero vel ex verſicolore veſtitu, & capite calvo raſoque internoſci leno, notante Turnebo, ad Plaut. Pſeud. IV. 2. 23. Mox igitur Sannio ſubjungit, AT ITA, UT USQUAM FUIT FIDE QUISQUAM OPTUMA; volens vulgus lenonum abs ſe ſegregatum, nec dubitans, quin ſibi liceat rem facere Aeſchinum ereptae per vim mulieris. Donatus haec parum ad mentem Terentii cepiſſe videtur.

8. QUOD TE POSTERIUS PURGES.] Sic Hec. V. 1. 16. Eſt autem ſententia ex ipſo jure petita, quo nemo tenetur privatim tranſigere, aut poenitentia ejus, qui vim intulit, contentus eſſe. Plaut. Aul. IV. 10. 23.

Non mihi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant.

Citat Boeclerus ex l. 5. ff. Vi bon. rapt. *Nec prodeſt ei, qui vi rapuit, ad evitandam poenam, ſi ante judicium reſtituat rem, quam rapuit.*

Qqqq 9. Hujus

Digitized by Google

Factam eſſe, hujus non faciam. crede hoc; ego meum jus perſequar:
Neque tu verbis ſolves unquam, quod mihi re male feceris.
Novi ego veſtra haec; nollem factum: jusjurandum dabitur, te eſſe
Indignum injuria hac; indignis quum egomet ſim acceptus [modis.

Aeſ.

DONATI.

aut floccum moverat, aut ſummum digitum. HUJUS NON FACIAM.] [6] *Cicero: Ne tantulum quidem commotus eſt.* EGO MEUM JUS PERSEQUAR.] Hoc eſt, lenonium. MEUM JUS.] Meam libertatem. MEUM JUS] Meam vindictam. Nam ut illa *injuria* eſt, quae fit innoxio: ita [7] JUS *vindicta* illa, quae redditur reo. PERSEQUAR.] Ulciſcar. *Cicero: Tu dum tuas injurias per te, id quod non potes, perſequi conaris.*

10. NEQUE TU VERBIS SOLVES UNQUAM, QUOD MIHI RE MALE FECERIS.] Νομικῶς. Et SOLVES, lues, perſolves, id eſt, ſatisfacies, ac te purgabis. RE MALE FECERIS.] Acuendum eſt RE, & ſignificanter proferendum. Ibi enim eſt ſententia. Et plus dixit, RE MALE FECERIS, quam *Injuriam feceris.*

11. NOVI EGO VESTRA HAEC.] Ἔλλειψις: deeſt enim *verba*. JUSJURANDUM DABITUR.] Hoc eſt, jurabimus te eſſe indignum cui injuria fiat hujuſmodi. [8] Aut ſeparatim, JUSJURANDUM DABITUR: & ſeparatim, TE ESSE INDIGNUM INJURIA HAC. Et ſic melius. verba enim ſatisfaciunt, quum res colligitur in generalibus cauſis. nam ſaepe irae ac [9] lites jurejurando ſunt terminatae.

12. INDIGNUM INJURIA HAC.] Comice INDIGNUM & INDIGNIS.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Cicero.*] Verr. II. 50.
7. *Jus vindicta.*] Sic Phaed. I. 26. 2.
mulcandum ſimili jure.
Vide infra II. 2. 27.

8. *Aut ſeparatim.*] Haec Donati non eſſe, ſed alicujus, qui ſe ſuppoſuerit Donato, ait Petrus Nannius.
9. *Lites jurejurando ſunt terminatae.*] Idem teſtatur Paulus Apoſtolus Hebr. VI. 16. ubi vide Interpretes.

COMMENTARIUS.

9. Hujus NON FACIAM.] Δεικτικῶς, vel cum crepitu digitorum, vel ſimili geſtu exprimendum. Ita Graeci, Τούτου οὐκ ἄξιος, de re nihili & contemta. Vide, quae h. l. notavit Lindenbruchius ad Donatum. Mſ. Bodl. Hujus EGO NON FACIAM. CREDE HOC. MEUM JUS PERSEQUAR. Editio Anonyma & Tarviſiana, CREDE, omiſſo HOC.

MEUM JUS PERSEQUAR.] Sic infra II. 2. 27. Cicero pro Caecina 33. *Et lege agant, & jus* ſuum perſequantur. Plura huc congeſſit Adr. Barlandus.

10. NEQUE TU VERBIS SOLVES UNQUAM.] Sic Phorm. V. 7. 80.

11. NOVI EGO VESTRA HAEC.] Mſ. Lipſ. NOVI EGO HAEC VESTRA. Editio anni 1469. NOVI EGO VESTRA. HOC NOLLEM FACTUM.

NOLLEM FACTUM: JUSJURANDUM DABITUR, TE ESSE INDIGNUM INJURIA HAC.] Elegans mimeſis, qua ſimul juventutis mores tanguntur. Ejuſmodi autem ſatisfactione quandoque placatos eſſe laeſos, patet ex Plauto, Amph. III. 2. 7. ubi Alcumena probri inſimulata ab Amphitruone marito ait:

quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi ille, atque adjuret inſuper,
Nolle eſſe dicta, quae in me inſontem protulit.

Cic. Off. I. 11. *Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus. atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriae ſuae poenitere.* Imitatus Noſtrum, ut ſolet, Livius XXIX. 19. *Locrenſibus coram ſenatum reſpondere, Quas injurias ſibi factas quererentur, eas neque ſenatum, neque populum Romanum factas velle.*

13. ABI PRAE STRENUE.] Dubitat Donatus, itane legendum, an, ABI PRAESTRENUE. Exhibeo

Digitized by Google

Aeſ. Abi prae ſtrenue, ac aperi fores. *Sa.* Ceterum hoc nihil facis.
Aeſ. I intro nunc jam. *Sa.* At enim non ſinam. *Aeſ.* Accede illuc, Parmeno;
Nimium iſtoc abiſti: hic propter hunc adſiſte. hem! ſic volo.
Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos:

DONATI.

13. ABI PRAE STRENUE.] Aut ABI PRAE, id eſt, prior: aut ABI PRAE, id eſt, praei: ut, *I prae, ſequar.* Aut PRAESTRENUE: ut, [10] *Praedivitis urbe Latini.* ABI PRAE STRENUE] Magna contemptio minarum lenonis, non reſpondiſſe Aeſchinum ad ea, quae dixerat. CETERUM HOC NIHIL FACIS.] NIHIL pro *non*. legitur & NIHILI.

14. AT ENIM NON SINAM.] ENIM, inceptiva particula apud veteres fuit: ſed & convenit perturbationi.

15. NIMIUM ISTOC ABISTI.] Quaſi ex contumacia lenonis appareat, quod multum abierit. PROPTER HUNC.] Juxta hunc. ut [11] *Virgilius*,

templum de marmore ponam
Propter aquam.

HEM! SIC VOLO.] Mire Comicus, ex alterius verbis, quid faciat alter, oſtendit.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Praedivitis.*] Virg. Aeneid. XI. 213.

11. *Virgilius.*] Georg. III. 13.

COMMENTARIUS.

hibeo autem praeſtantiſſimorum Librorum lectionem. Unde recte Guido Juvenalis: ABI PRAE. *i. e. praei, praecede.* Pareus: *Sic recte diſpeſcuntur voces.* Farnabius: *Parmenonem praeire jubet.* Porro utrumque Comicum eſt, & *ire prae*, & *ire ſtrenue.* Plaut. Poen. IV. 7. 79.

Strenue, mehercle, iſti.

Tum ipſe Aeſchinus Parmenonem ſequuturus erat cum puella. Nonius Marcellus, PERSTRENUE.

CETERUM HOC NIHIL FACIS.] Qui fruſtra ſunt, & inanem ſumunt operam, *nihil facere*, *nihil agere* dicuntur. Infra V. 8. 12. Adde Eraſm. Chil. Donatus non cepit.

14. I INTRO NUNC JAM.] Mſſ. quidam, I INTRO JAM NUNC TU. Ita & edit. Anon. & anni 1469, Tarviſ. 1481. aliae. quando verſus erit trochaicus octonarius catalecticus. ſcilicet, foribus Micionis a Parmenone apertis, Aeſchinus fidicinam, quam manu ducebat, ire intro jubet. quod mox repetit, verſu 21.

AT ENIM NON SINAM.] Hoc leno dicens puellam apprehendit, retrahitque, ne in aedes intrare queat. Quare mox Aeſchinus, verſu 18. *omitte mulierem.* Donatus non videtur legiſſe AT.

15. PROPTER HUNC ANSISTE.] Vult Parmenonem adſiſtere juxta Sannionem. Plaut. Mil. I. 1. 9.

ſtat propter *virum.*

Vide porro Eun. II. 3. 81.

HEM! SIC VOLO.] Haec in edit. Anonyma, Tarviſ. & anni 1469. Sannioni tribuuntur.

16. OCULOS A MEIS OCULIS QUOQUAM DEMOVEAS.] Pluſculi Mſſ. DIMOVEAS. Plaut. Aul. IV. 1. 13.

Herile imperium ediſcat, ut, quod frons velit, oculi ſciant.

Pſeud. III. 2. 69.

Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis:
Quoquo hic ſpectabit, eo tu ſpectato ſimul.

Cicero Philipp. I. 1. *Nec a republica dejiciebam oculos.*

Ne mora ſit, ſi innuero, quin pugnus continuo in mala haereat.

Sa. Iſtuc volo ergo ipſum experiri. *Aeſ.* Hem! ſerva. omitte mulierem.

Sa. O facinus indignum! *Aeſ.* Geminabit, niſi caves. *Sa.* Hei miſero mihi!

Aeſ. Non innueram: verum in iſtam partem potius peccato tamen.

I

D O N A T I.

17. Quin pugnus continuo.] Pugnus a *pugna* dictus: aut ab illo *pugna*. Pugnus continuo.] " Id eſt, veſtigium litigantis.

18. Istuc volo ergo ipsum experiri.] Expreſſe oſtendit pauperioris loquacem contumaciam uſque ad pericula caedis. Istuc volo ergo ipsum experiri.] Hoc illo dicente, Servus lenonem verberat. Hem! serva.] Neſcias cui dicat haec Aeſchinus, an lenoni, an ſervo: ſed ſervo magis eſt veriſimile.

19. Geminabit, nisi caves.] Hoc comminantis eſt, non jubentis ferire. ſed quia longe ſtat Parmeno, gemina putavit dictum. Et geminabit, ſubaudiendum eſt *plagam*. Geminabit, nisi caves.] Non ſingularem pugnum, & unum dabit, ſed geminabit: quaſi dicat, *geminato duplicatoque numero inferet*. Hei misero mihi!] Leno pulſatur.

20. Non innueram.] Convenienter Poëta avidiorem Parmenonem malefaciendi inducit, quum ſupra dominum invitum oſtenderet cogi ad inferendam injuriam. In istam partem potius peccato.] Ut verberes non juſſus potius, quam juſſus non verberes.

O B S E R V. I N D O N A T.

12. *Id eſt veſtigium litigantis.*] In his nec vola nec veſtigium ſani ſenſus. Praeferunt tamen Libri omnes eodem modo eandem ſcripturam. Niſi quod interpretatio Guidonis Juvenalis facit, ut ferme credam, ſcripſiſſe Donatum: *e veſtigio in lenonis gena ſit*, ſub. pugnus.

C O M M E N T A R I U S.

17. Si innuero.] Sic Plautus Rud. III. 4. 26.

Vos adeo, ubi ego innuero *vobis, ſi ne ei caput exoculaſſitis.*

In aliis eſt, innuerim.

Pugnus in mala haereat.] Mſſ. quidam, in malam. quod Plautinum eſt. Theocr. Idyll. XIV. 34.

πὺξ ἐπὶ κόῤῥας
Ἤλασα, κἄλλαν αὖθις.

Pugnum in genam impegi, & alterum in alteram.

18. Ergo.] Mſ. Mark. Ego. Ita & omnes Mſſ. Boecleri, & edit. Anon. cum Tarviſ.

Hem! serva.] Τόρει. Haec Aeſchinus ad Parmenonem. q. d. Hoc age, me intuere. Mſ. Bodl. Hem! servate. Mox idem Aeſchinus ad lenonem, omitte mulierem. Eo autem non omittente, Aeſchinus innuit ſervo; qui igitur colaphum impingit Sannioni. Exclamat ergo Sannio, O facinus indignum! cumque Aeſchinus diceret, Geminabit, nisi caves, Parmeno ad vocem, Geminabit, neque exſpectans verba, Nisi caves, rurſus ferit. Sic And. II. 5: 5. Sed & verberantium erat. Plaut. Perſ. V. 2. 29.

hem! ſerva rurſum.

19 O facinus indignum!] Mſſ. quidam, O miserum facinus! Ita & editio Anonyma, & anni 1469.

Hei misero mihi!] Quidam vetuſti Codices, cum edit. Anon. Hei miseriam! quomodo & in Donato reperit Rivius, & edidit Rob. Stephanus. Sed & eſt in Mſ. Traject. Quinque Mſſ. Leidenſes & Bodl. cum editione 1469. Et miseriam! Alii, Hei miserum!

20. In istam partem.] Bene ad haec Donatus. Eodem

I nunc jam. *Sa.* Quid hoc rei eſt! regnumne, Aeſchine, hic tu poſſides?

Aeſ. Si poſſiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus.

Sa. Quid tibi rei mecum 'ſt? *Aeſ.* Nihil. *Sa.* Quid? noſtin' qui ſim? *Aeſ.* Non deſidero.

Sa.

DONATI.

21. NUNC JAM.] Duae partes iſtae ſunt. Et bene JAM, quia ſero, & poſt plagas. Et utrum hoc lenoni, ut abeat, an puellae, ut introeat, dicitur? ſed facetius eſt, ſi lenoni intelligas dici: quaſi hoc factum ſit quod voluerit: & quaſi venerit ut vapulet. Et JAM etiam tarditatis incuſatio eſt. Ut, [13] *Virgilius*,

Jam melior, jam, diva, precor.

REGNUMNE, AESCHINE.] Invidioſa moraliter exclamatio, & ardentior ad plagas. REGNUMNE, AESCHINE, HIC TU POSSIDES?] Bene HIC, id eſt, Athenis, ubi gravius crimen eſt dominari velle. Nam tyranni ibi ſemper oppreſſi ſunt, & [14] maxime a proximis.

22. SI POSSIDEREM.] Ἠθικὴ εἰρωνεία [15] contemnentis in invidiam. ORNATUS ESSES EX TUIS VIRTUTIBUS.] Cito oſtendit [16] quantum a ſe longe ſit REGNUM, qui dixerat *ornari* potuiſſe lenonem. EX TUIS VIRTUTIBUS.] Sic veteres per *εἰρωνείαν virtutes* pro flagitiis dicebant. Lucilius, *Animo, ac virtutibus.*

23. QUID TIBI REI MECUM 'ST?] Hoc, quia verberatus eſt, dicit. ut ſit, *Quid tibi debeo?* non quia nihil ſibi debeatur. NIHIL.] Facete. quia ipſe abſtulit, & NIHIL vult a ſe repeti. QUID? NOSTIN QUI SIM?] Proprie: ſic enim dicit qui nihil quidquam debet, *Non me novit:* non quod ignoretur, ſed quod in jure non cernatur.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Virgilius.*] Aen. XII. 179.

14. *Maxime a proximis.*] Ml. Hulſt. *Maxime proxime.* Mſ. Boecl. cum edd. vetuſtis, *maxime proximi.* Lectio autem vulgata videtur praeferenda.

15. *Contemnentis in invidiam.*] Mſſ. & impreſſi antiqui rectius: *Contemnentis invidiam.*

16. *Quantum a ſe longe ſit* REGNUM.] Lego, *Quam a ſe longe ſit* REGNUM. Scilicet & *quam* & *quantum* ſcripſerunt compendio *qm.*

COMMENTARIUS.

Eodem autem modo dictum, quo illud Heaut. III. 1. 31.

Vehemens in utramque partem.

Plaut. Moſtell. I. 1. 31.

Is nunc in aliam partem *palmam poſſidet.*

21. I NUNC JAM.] Alloquitur rurſus Fidicinam, uti ſupra verſu 14. Niſi forte formula eſt in irriſum & male habitum lenonem. Sic Virg. Aen. IX. 634.

I, verbis virtutem illude ſuperbis.

REGNUMNE, AESCHINE, HIC TU POSSIDES?] Τὸ NE in REGNUMNE metri cauſa excludit Guyetus. Ubi autem HIC dicit, Athenas intelligit, ubi *Regis* & *Regni* appellatio non minus erat odioſa, quam in libera Republica Romanorum. Sic Phorm. II. 3. 58. Salluſt. Jugurth. 31. *Impune quaelibet facere, id eſt, Regem eſſe.* Adi Barthium, Adverſ. XXI. 21.

22. ORNATUS ESSES EX TUIS VIRTUTIBUS.] Ἀλληγορεῖ; Regum enim eſt, ornare Duces & quoſcunque alios ex virtutibus eorum. Apud Plautum itidem εἰρωνικῶς ſervo corruptori herilis filii dicitur abs ſervo altero, Moſtell. I. 1. 32.

Virtute *id factum tua, & magiſterio tuo.*

Capt. V. 3. 20.

Sed, eccum, incedit huc ornatus ex ſuis virtutibus.

Aliter Heaut. V. 1. 77. Adde Eraſm. Chil. Mſ. Lipſ. EX TUIS MERITIS. ſed ſupraſcriptum, VIRTUTIBUS.

23. QUID TIBI REI MECUM 'ST?] Idem valere, atque *Quid tibi debeo, quod jure a me repetas?* erudite obſervat Donatus. Et elegans locus eſt, quo ſenſum hunc firmat Boeclerus, Heaut. IV. 4. 20.

B. *Etiamne tecum res hic mihi eſt?* SY. *Minime: tuum tibi reddo.*

Unde recte Guido Juvenalis: *Quid in me actionis*

Sa. Tetigin' tui quidquam? *Aeſ.* Si attigiſſes, ferres infortunium.
Sa. Quî tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Reſponde. *Aeſ.* Ante aedes non feciſſe, erit melius, hic convicium:

Nam

DONATI.

24. Si attigisses.] Plus dixit Attigisses, quam *Tetigiſſes.* [17] Eſt enim multo majus *attingere*, quam *tangere.*

25. Quî tibi magis licet.] Hic non tam ratiocinatio eſt, quam exclamatio per dolorem. Quî tibi magis.] *Si mihi*, inquit, *non licet attingere tuam: cur tibi licet meam, non tangere, ſed habere?* Et habere, utrum domi in conſuetudine: an corrumpere, id eſt, ſtuprare intelligimus? Meam habere, pro qua ego argentum dedi?] Meam ſuffecerat: ſed magna moralitate additum, pro qua ego argentum dedi, ad vociferationem. ſimul eſſe oſtendit leno quod repetat.

26. Ante aedes non fecisse, erit melius, hic convicium.] Non erat quod ad haec juſte reſponderet. Et ideo ſic reſpondet, ut convicium dicat, quod verum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

17. *Eſt enim multo majus.*] Mſſ. & impreſſi veteres: *Eſt enim multo minus.* quod cum Aeſchini verbis convenire videtur.

COMMENTARIUS.

nis habes? aut, Quid tibi debeo? Aliter Heaut. I. 1. 3.

Nec rei fere ſane amplius quidquam fuit.

H. e. Nihil mihi tecum negotii fuit.

Quid? noſtin' qui ſim?] Quae Donatus hic habet de *jure*, auctoritate carent. Et contrarium videtur patere e reſponſo Aeſchini, Non desidero. Sic Plaut. Menaechm. II. 2. 22.

Ego te non novi, neque noviſſe adeo volo.

Et verſu 49.

Ego te non novi: cum hoc, quem novi, fabulor.

Catull. Carm. XC.

Nil nimium ſtudeo, Caeſar, tibi velle placere;
Nec ſcire, utrum ſis ater, an albus homo.

24. Tetigin' tui quidquam?] H. e. Diripui. Liv. II. 5. Diripienda *plebi ſunt data; ut* contacta *regia praeda ſpem in perpetuum cum his pacis amitteret.* Poſſit & valere, *Abſtuli, furatus ſum.* Unde JCti furtum *contrectationem rei alienae* definiunt.

Ferres infortunium.] Sic Juvenal.‡XIII. 105.

Ille crucem ſceleris pretium tulit; *hic diadema.*

25. Qui tibi magis licet meam habere.] Cic. Fam. XII. 16. *Quî magis hoc Lucilio licuerit aſſumere libertatis, quam nobis?* Edit. anni 1469. Licet eam habsre.

26. Responde.] Ita ſolent, qui indignantes quid rogant. Sic Eun. IV. 7. 22. Thraſo ad Thaidem:

primum hoc mihi reſponde.

Phorm. II. 1. 25.

hoc reſponde *mihi.*

Erit melius.] H. e. Auctor tibi ſim. ſed comminantium eſt. Gr. πολλῷ γὰρ ἄμεινον. Eodem ſenſu Belgae, *ik zoude u raden.* Liv. III. 48. *Proinde quieſſe* erit melius. *I, inquit, lictor: ſummove turbam.*

Hic.] Mſ. Mark. Hoc. ita & in edit. anni 1469. quod laudat Rivius, & ex duobus Mſſ. Boeclerus.

Convicrum.] Ita dictum quaſi *convocium*, ſeu multorum junctus clamor. Inde contumelia, maledictum. Vid. Scheff. ad Phaed. I. 6. 5. & Boecleri Chreſtomath. Plaut. Bacchid. IV. 8. 32.

Vis tibi ducentos nummos jam promittier,
Ut ne clamorem *hic facias, neu* convicium?

Cic. pro Arch. 6. *Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures* convicio *defeſſae conquieſcant.*

27. Intro abripiere.] In Mſſ. pluſculis eſt, arripiere; quomodo & editio Juntina eshibet, aliaeque veteres. Sic And. V. 2. 20. Intelligit

Nam ſi moleſtus pergis eſſe, jam intro abripiere, atque ibi
Uſque ad necem operiere loris. *Sa.* Loris? liber! *Aeſ.* Sic erit.
Sa. O hominem impurum! hiccine libertatem ajunt aequam
eſſe omnibus?

Aeſ.

DONATI.

28. LORIS? LIBER!] *Lora* apud veteres *laura* dicebantur, a lauro triumphorum: [18] ſub qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam. ideo autem, ut conditionis reminiſcantur, loris caeduntur mancipia. Nam *mancipia* dicuntur, quod manu capta ſunt: *Servi*, qui ſervati ſunt, quum eos occidi oporteret jure belli. unde [19] *Virgilius* ſic inducit captivum rogantem,

Per patrios manes, per ſpes ſurgentis Iuli,

Te precor, hanc animam ſerves natoque patrique.

29. O HOMINEM IMPURUM!] Sic veteres IMPURUM generaliter pro improbo ponebant: ut in eadem hac fabula, *Perſuaſit ille impurus, ſat ſcio.* HICCINE LIBERTATEM.] Scilicet Athenis. AEQUAM ESSE OMNIBUS?] [20] Quaſi diceret, ubi non eſt, quando Aeſchinus loquitur. Et bene OMNIBUS: ut ne lenones quidem videantur excepti.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Sub qua mos erat captivos vinciri.*] In edit. Pariſ. 1552. legitur in margine: *Vide, an detrahenda ſit praepoſitio* ſub, *ut intelligas, captivorum manus laureis virgultis fuiſſe vinctas.* Quae Nannii ſententia eſt, Miſcell. II. 9. laudata etiam Voſſio Etymol. v. LORUM. Verum aut vehementer fallor, aut immerito Donati verba ſollicitantur a ſummis Viris. *Sub qua mos erat captivos vinciri*, ſi quid video, valent interpreti, captivos revinctis poſt tergum manibus ita praeceſſiſſe triumphalem currum, ut ſub corona laurea ipſius triumphantis quaſi vincti inceſſerint. Neque enim virgultis laureis vinciri captivos morem fuiſſe, apud quenquam veterum me legere memini.

19. *Virgilius.*] Aen. X. 524.

20. *Quaſi diceret, ubi non eſt, quando Aeſchinus loquitur.*] Diſtinguo: *Quaſi diceret:* Ubi non eſt. *Quando Aeſchinus loquitur.* Vult enim Donatus, Sannionem plura dicturum fuiſſe, ſed ab Aeſchino interpellatum tacuiſſe.

COMMENTARIUS.

telligit autem aedes Micionis. Sunt item MſT. in quibus eſt: NAM SI MOLESTUS PERGES JAM ESSE, INTRO ABRIPIERE. Et τὸ PERGES itidem eſt in edit. anni 1469.

28. IBI USQUE AD NECEM OPERIERE LORIS.] Ἀττικῶς addidit τὸ IBI, reſpiciens morem veterum, ſervos & homines nequam domi & intra aedes flagellantium. Dicit autem USQUE AD NECEM, uti And. I. 2. 28. Plaut. Rud. III. 4. 27.

Quaſi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam.

LORIS? LIBER!] Duplex Indignatio lenonis, primum quod caedendus eſſet, tum quod ſerviliter; legeſque oppreſſas eſſe quiritatur, ſi liberum corpus ſervili poena mulctetur. Ut autem Magiſtratus virgis in noxios utebantur, ita domini in ſervos loris. Plaut. Poen. Prol. 26.

Ne & hic varientur virgis, & loris *domi.*

Exemplo autem juris Attici etiam civem Romanum virgis caedi nefas erat, per legem Porciam. Cic. pro C. Rabir. 4. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit; hic miſericors flagella retulit.* Verr. V. 63. *O nomen dulce libertatis! o jus eximium noſtrae civitatis! o lex Porcia, legeſque Semproniae!* Eodem jure Paulus Apoſtolus uſus legitur in Actis, cap. XXII. 25.

29. O HOMINSM IMPURUM!] In conviciis erat *impuri* & *impurati* hominis appellatio. Infra III. 3. 6. Phorm. V. 7. 93. Plaut. Bacchid. IV. 8. 43.

Quid nunc, impure, *nunquid debetur tibi?*

Rud. IV. 3. 51.

Et victorem & piſcatorem te eſſe, impure, *poſtulas.*

Contra mediocriter laudantis formula eſt, *Haud impurus.* Eun. II. 2. 4. Heaut. IV. 1. 16.

AEQUAM OMNIBUS?] Cic. Off. II. 23. *Faqua eſt ſumma ratio, & ſapientia boni civis, commoda civium non divellere, atque omnes aequitate eadem continere.* De Arato Sicyoniorum Legiſlatore. Ἰσονομίαν vocant Graeci. Phaed. I. 2. 1.

Athe-

Aeſ. Si ſatis jam debacchatus es, leno, audi, ſi vis, nunc jam.
Sa. Egon' debacchatus ſum autem, an tu in me? *Aeſ.* Mitte iſta, atque ad rem redi.
Sa. Quam rem? quo redeam? *Aeſ.* Jamne me vis dicere id, quod ad te attinet?
Sa. Cupio: aequi modo aliquid. *Aeſ.* Vah! leno iniqua me non volt loqui.

Sa.

DONATI.

31. MITTE ISTA, ATQUE AD REM REDI.] Superbe adoleſcens maleficium nón putat lenonis eſſe purgandum. AD REM autem, ad negotium de quo agitur, dicit.

32. QUAM REM?] *Quam abduxiſti? Res* enim, pecunia intelligitur: vel id pro quo pecunia danda eſt. QUO REDEAM?] [21] Ad, *quam evertiſti domum?* quia, *Fores effregit, atque in aedes irruit alienas.* QUOD AD TE ATTINET?] Quod tibi prodeſt, & commodum eſt.

33. CUPIO.] Ille, VIS, dixit: hic CUPIO. AEQUI MODO ALIQUID.] Subaudiatur, *dicas.* VAH! LENO INIQUA ME NON VOLT LOQUI.] [22] Nomen ſacrilegum, & injuſtum LENO, iniquitatem agitat, juſtitiae patrocinatur. Hoc totum *εἰρωνικῶς* pronuntiandum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

21. Ad, *quam evertiſti domum? quia, Fores effregit, atque in aedes irruit alienas.*] Si ita editur, quod fit vulgo, credas illa, QUO REDEAM? referenda eſſe ad, *Quam evertiſti domum?* Tum *κόμματος* ſignum poſt *quia*, ſequentia faciunt itidem obſcuriora. Uti autem ad Sannionis verba, QUAM REM? notat Donatus: *Quam abduxiſti?* q. d. leno, *Redeamne ad illam rem, quam abduxiſti?* i. e. cithariſtriam; ita quum idem Sannio rogat, QUO REDEAM? Donatus cum ſenſum dat, quaſi dicat leno: *Ad quam evertiſti domum?* Tum addit Interpres ſuis, non lenonis verbis: *Quia fores effregit, atque in aedes irruit alienas.* Quae repetita e verbis Demeae, ſupra I. 2. 8.

22. *Nomen.*] Haec ita leguntur in Mſ. Boend. & edd. ante Rob. Stephanum: LENO *nomen ſacrilegum & injuſtum.* LENO *iniquitatem agitat.* LENO *injuſtitiae patrocinatur.* Unde ſequentia ita legenda: *Ergo hoc totum εἰρωνικῶς pronunciandum eſt.*

COMMENTARIUS.

Athenae quum florerent aequis legibus.

Juvenal. Sat. VIII. 177.

Aequa ibi libertas.

Adde Lucian. Tim. TI. *Ἐπαινῶ ταῦτά σου, ὦ Θρασύκλεις. πρὸ γοῦν τῆς πήρας ἐμοὶ δοκεῖ, φέρε σοι τὴν κεφαλὴν ἐμπλήσω κονδύλων, ἐπιμετρήσας τῇ δικέλλῃ.* ΘΡ. *ὦ δημοκρατία, καὶ νόμοι, παιόμεθα ὑπὸ τοῦ καταράτου ἐν ἐλευθέρᾳ τῇ πόλει.* TI. *τί ἀγανακτεῖς, ὦ γαθὲ Θρασύκλεις; μῶν παρακέκρουσμαί σε;* TIM. *Equidem iſta quae dicis, probo, Thraſycles. Ergo ſi videtur, priuſquam peram expleam, tibi caput pugnorum ictibus opplebo, inſuperque auctarium ligone dabo.* THR. *O populi imperium & leges! A nefario homine in libera civitate pulſamur.* TIM. *Quid ſtomacharis, ô bone Thraſycles? num te defraudavi?* Ad quem locum vide Lamb. Barlaeum.

30. SI VIS, NUNC JAM.] Edit. anni 1469. SI VIS JAM.

31. EGON' DEBACCHATUS.] Laudat Rivius e Budaeo & edit. Veneta & Argentina, EGONE AUTEM DEBACCHATUS SUM IN TE? Exhibeo autem lectionem Faërni, optimos Codices ſecuti, quam laudat Georg. Fabricius. Tò AUTEM tamen legunt etiam editiones Anonyma & Tarviſiana anni 1481. ſed & citat Ant. Auguſtinus, Emendat. Lib. IV. cap. 11.

33. AEQUI MODO ALIQUID.] Plaut. Curc. I. 1. 64.

neque quidquam queo
Aequi *bonique ab eo impetrare.*

Mſ. Lipſ. MODO AEQUI ALIQUID.

VAH! LENO INIQUA ME NON VOLT LOQUI.] Verba ſunt mirantis, & ſimul lenoni iniquitatem exprobrantis. Sic And. IV. 4. 16.

Mirum vero, impudenter mulier ſi facit meretrix.

Editio

Sa. Leno ſum, fateor; pernicies communis adoleſcentium;
Perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta eſt injuria.
Aeſ. Nam hercle etiam hoc reſtat. *Sa.* Illuc, quaeſo, redi, quo coepiſti, Aeſchine.
Aeſ. Minis viginti tu illam emiſti; quae res tibi vortat male!
Argenti tantum dabitur. *Sa.* Quid? ſi ego tibi illam nolo vendere,

Coges

DONATI.

34. Leno sum.] Figura συγχώρησις.

35. Orta est injuria.] Orta, coepta.

36. Illuc, quaeso, redi, quo coepisti, Aeschine.] Figurate: rectum enim erat, Unde coepisti. niſi forte Quo pronomen eſt modo accipiendum: ut ſit, *a quo*. Et bene memor eſt, dixiſſe Aeſchinum, *Omitte iſta, atque ad rem redi.*

37. Quae res tibi vortat male!] Adjicit contumeliam, quaſi & hoc multum ſit & inimicum. *Vertumnus* dicitur Deus, qui rebus ad opinata [23] revertentibus, praeeſt. Saepe autem male cedit, quod bonum putatur: & hoc eſt *male vertiſſe*: ut ille gladius qui muneri datus, adminiculum fuit reginae pereunti, de quo [24] *Virgilius*,

enſemque recluſit
Dardanium, non hos quaeſitum munus in uſus.

38. Quid? si ego tibi illam nolo vendere.] Haec majoris ſunt ſtomachi: & ideo ſtultiora: nam quod jam amiſit, venditurum ſe negat. Et, Quid? si nolo, nove dictum eſt, & τῷ ἰδιωτισμῷ. Quid? si ego tibi illam nolo vendere, coges me?] Poteſt autem dici, Quid si nolo? coges me?

OBSERV. IN DONAT.

23. *Revertentibus.*] Forte, *ſe vertentibus.*

24. *Virgilius.*] Aen. IV. 646. ubi nunc *recludit* legitur.

COMMENTARIUS.

Editio anni 1469. non agnoſcit τὸ me.

34. Pernicies communis adolescantium.] Plaut. Aſin. I. 2. 7. itidem de lenone:

Perlecebrae, pernicies, adoleſcentum exitium.

Noſter autem videtur tranſtuliſſe verſus Diphili:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲ τεχνίον ἐξωλέστερον
Τῆς πορνοβοσκοῦ.
Non eſt ulla ars peſtilentior
Lenonis.

36. Etiam hoc restat.] Mſ. Bodl. & Mark. cum edit. Anonyma, Tarviſ. Juntina & anni 1469. Etiam id restat. Eſt autem ironice dictum. Gr. Τοῦτο γὰρ ἔσθ' ὑπόλοιπον. Illud vero id defenditur forte loco Ciceronis, Att. XIII. 33. *Id hercle* reſtabat; Virg. Aen. X. 29.

equidem, credo, mea vulnera reſtant.

Horat. Serm. I. 9. 28.

Omnes compoſui. Felices! nunc ego reſto.

37. Quae res tibi vortat male.] Imprecandi formula. Phorm. IV. 3. 73. Plaut. Curc. II. 2. 23.

quae res male vortat tibi.

Virg. Ecl. IX. 6.

quod nec bene vertat.

Contrarium eſt, *Bene vertat.* Et, *Dii vertant bene, quod agas.*

38. Quid? si ego tibi illam nolo vendere.] Nititur jure, quo nemo cogitur invitus rem ſuam vendere, aut alii, quam cui vult, vendere. l. 14. C. de contrah. emt. & l. 11. eod. Adde l. 9. ff. de act. rer. amot. l. 16. C. de jure delib.

Coges me? *Aeſ.* Minime. *Sa.* Namque id metui. *Aeſ.* Neque vendundam cenſeo,

Quae libera 'ſt: nam ego liberali illam aſſero cauſa manu.

Nunc vide, utrum vis: argentum accipere, an cauſam meditari tuam?

Deli-

DONATI.

39. MINIME.] *Εἰρωνεία.* NAMQUE ID METUI.] *Εἰρωνεία* contumax & ridicula in eo, quod jam amiſit id, de quo dixit ſe cogi non poſſe.

40. NAM EGO ILLAM LIBERALI ASSERO CAUSA MANU.] Ordo eſt, EGO LIBERALI CAUSA, MANU ASSERO. Et ſunt juris verba: a quibus etiam *Aſſertores* dicuntur vindices alienae libertatis. Nam & cauſa ipſa, *liberalis* dicitur, quae actionem in ſe continet libertatis.

COMMENTARIUS.

39. NAMQUE ID METUI.] *Εἰρωνεία.* Cogi enim, ut venderet virginem invitus, per Leges non poterat.

NEQUE VENDUNDAM CENSEO, QUAE LIBERA 'ST.] Editio Anonyma, Tarviſ. & anni 1469. VENUNDANDAM. Apulej. Metam. VIII. *Quanquam enim prudens crimen Corneliae legis incurram, ſi* civem Romanum pro ſervo *tibi* vendidero. Forte reſpicitur lex Cornelia de Falſis. De Plagiariis certe eſt lex Fabia, qua tenentur, qui hominem liberum vendunt emuntve. l. 1. D. de lege Fabia de Plagiar. l. 15. C. eod. l. 2. C. ubi de Criminib. agi oport. Lucianus *βίων Πρᾶσ.* ΑΓΟ. Ὦ κῆρυξ, πῶς ἔφης; πωλεῖς τὸν ἐλεύθερον; ΕΡ. Ἔγωγε. ΑΓΟ. Εἶτα ἐ δέδιας, μή σοι δικάσηται ἀνδραποδισμῦ, ἢ καὶ προκαλέσηταί σε ἐς Ἄρειον πάγον; Mercat. *Quid dixiſti, praeco? tune liberum hominem vendis?* Merc. *Maxime.* Mercat. *Annon times, ne plagii te accuſet, aut in Areopago tibi litem intendat?*

40. LIBERALI ILLAM ASSERO CAUSA MANU.] Senſus eſt: *Quia liberam mulierem, quae vendi non poteſt, alienare vis, ego illam liberali cauſa, h. e. directa legis, qua liberos homines alienare prohibitum eſt, actione, aſſero manu.* Quod quum dicit Aeſchinus, Sannioni pactionem recuſanti, extemporali aſtutia calumniae metum injicit. Plaut. Poen. IV. 2. 83.

> manu *eas* aſſerat
> *Suas populares*, liberali cauſa.

Curc. V. 2. 66. ſeqq.

> *Et leno hic debet nobis triginta minas.*
> PH. *Quamobrem iſtuc?* TH. *Quia ille ita repromiſit mihi,*
> *Si quiſquam hanc* liberali aſſeruiſſet manu,
> *Sine controverſia omne argentum reddere.*

Adde Perſ. IV. 9. & Rud. III. 4. Inde Vindices alienae libertatis dicti *Aſſertores*; & cauſa, quae aſſertionem libertatis in ſe continet, *Liberalis* dicitur. Locutio inde orta, quod qui hominem in ſervitute conſtitutum defendere vellet, & eſſe liberum dicere, eum juxta ſe collocatum coram Praetore, & manu apprehenſum quaſi aſſereret ſeu plantaret, dicens: *Hunc ego hominem jure Quiritium liberum eſſe ajo.* Eſt enim *ſerere* non tantum ſemen in terram mittere, ſed & plantam vel ſurculum figere. Unde *aſſerere* ſimpliciter pro defendere uſurpatur. Flor. I. 11. 1. *Latini quoque Tarquinios* aſſerebant. Vide porro Lindenbruchium. Simili fere locutione Graeci ὑπερέσχον τινὸς τὴν χεῖρα dixerunt. q. d. Belgice, *Iemand de hand boven 't hoofd houden.* quod itidem Galli, *maintenir* dicunt. Vide quae ex Homero notavit Lamb. Barlaeus ad Lucian. Tim. ὑπερέσχε γὰρ αὐτῷ τὴν χεῖρα Περικλῆς. *Obtendit enim ei manum Pericles*, i. e. manu obtenta eum protexit.

41. UTRUM VIS.] Sic Heaut. II. 3. 85. Plaut. Caſ. II. 4. 13.

> *Optio haec tua eſt:* utram *harum* vis *conditionem accipe.*

ARGENTUM ACCIPERE.] Edit. Anon. & Tarviſ. ARGENTUM RECIPERE.

CAUSAM MEDITARI TUAM?] Adagii ſpeciem habet. Cic. Att. VIII. 11. *Vides, quam* cauſam mediter. Idem & *commentari cauſam* dixit.

42. SUPREME JUPITER!] Edit. anni 1469. SUMME JUPITER!

43. Qui

Digitized by Google

Delibera hoc, dum ego redeo, leno. *Sa.* Prô ſupreme Jupiter!
Minime miror, qui inſanire occipiunt ex injuria:
Domo me eripuit: verberavit: me invito abduxit meam:
Ob male facta haec tantidem emtam poſtulat ſibi tradier.
Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum

DONATI.

42. PRO SUPREME JUPITER!] Haec locutio ad hoc inducta eſt, ut ex verbis lenonis appareat, quam facile mitis fieri poſſit, & quidvis libenter accipere. PRO SUPREME JUPITER!] *Supremum* nunc dicit ſummum. [25] ab eo quod eſt *ſuperior* & *ſuperius* fit *ſupremum*. [26] *Virgil.*

rex ipſe Jovis de gente ſuprema,
Troïus Aeneas tua nos ad limina miſit.

Et non abhorret a perſona & plebeii, & lenonis, & vim paſſi, Jovem ipſum convicio perſequi, ut quotidie videmus ab hominibus ejus loci & ordinis fieri.

43. MINIME MIROR, QUI INSANIRE OCCIPIUNT EX INJURIA.] Senſus hic eſt: Inſanos fieri per injuriam pleroſque mirabar, ſed jam non miror, poſtquam ego ipſe per injuriam quam ſum paſſus, inſanire compellor: adeo ut exclamem, PRO JUPITER! Et ſimul adverte vigilantem Poëtam, ut ubicunque in Comoedia vocem tragicam extulerit, ſtatim perſonam inſanam dicere faciat. Sic ſupra, *Pro Juppiter! tu homo adigis me ad inſaniam.*

44. ME INVITO ABDUXIT MEAM.] Honeſtiori perſonae haec querela ſufficeret, ABDUXIT MEAM. Sed leno bene addidit, ME INVITO. nam abducuntur meretrices [27] abſque voluntate lenonum. Et decora locutio eſt per ἔλλειψιν, ME INVITO ABDUXIT, non enim addidit, *puellam*, aut quid tale.

45. TANTIDEM EMTAM POSTULAT.] Legitur & TOTIDEM EMTAM.

46. HOMINI MISERO.] Secundum illud *Menandri:*

OBSERV. IN DONAT.

25. *Ab eo quod eſt ſuperior.*] Variant Libri, exhibentes vel *ſuper*, vel *ſuperior*, vel denique *ſuperum*. Videtur igitur legendum: *Ab eo quod eſt* ſuperum, *&* ſuperius, *fit* ſupremum. Vel: *Ab eo, quod eſt* ſuperum, *fit* ſuperius *&* ſupremum.

26. *Virgilius.*] Aen. VII. 220.

27. *Abſque voluntate.*] Ita vulgo editur. Sed Mſ. Hulſt. & Boend. cum editis nonnullis, *Et cum voluptate lenonum.* i. e. non ſemper invitis lenonibus; quod magis placet. Vel, quomodo Lindenbr. edidit: *Et cum voluntate lenonum.*

COMMENTARIUS.

43. QUI INSANIRE OCCIPIUNT EX INJURIA] Menandri fertur illud:

Οἴ μοι, τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.

44. DOMO ME ERIPUIT.] Mallet Guyetus: HOMO ME ARRIPUIT. citans verba Ciceronis, Fam. V. 10. Hominem *unum omnium crudeliſſimum, qui tot ingenuos, matresfamilias, cives Romanos occidit*, arripuit, *diſperdidit, regiones vaſtavit?* Sed praeterquam quod nullis Codicibus adjuvatur, ſtomachantis eſt non nominare, de quo queraris. And. I. 5. 4. Tum verſu 46. τὰ HOMINI MISERO de ſemet dicta obſtant τῷ HOMO.

VERBERAVIT.] Editio anni 1469. VERBERAVIT ME. INVITO ABDUXIT MEAM.

45. OB MALEFACTA HAEC.] Rarior uſus vocis OB. Sic Eun. I. 2. 91.

Ob haec facta *abs te ſpernor.*

Gall. *Non obſtant.* Belg. *Niet tegenſtaende.*

TANTIDEM EMTAM.] Ita dixit, quantitatem ſimilem pretii oſtendens, teſte Priſciano Inſtit. Grammat. Lib. XII.

46. COLAPHOS INFREGIT.] Guyetus legendum cenſet, IMPEGIT, idque exemplis Plautinis firmat; locumque Plinii, Lib. VIII. cap. 36. de Urſis, *Saepe in arena* colapho infracto *exanimantur*; emendat, legitque, *impacto.* Sed quid ſi legas, *collo infracto*? Porro autem *infringere* hoc ſenſu dixit Donatus ad And. I. 5. 15. Videtur autem τὸ INFREGIT ἐμφατικώτερον, quam IMPEGIT. Sic Perſ. Sat. I. 115.

genuinum fregit in illis.

Cum quo loco verba Terentii componit Iſaacus Caſaubonus ad loc. cit. Guyetus vero poſt ſuum IMPEGIT totum verbum ſuppoſititium vocat.

Digitized by Google

Verum enim quando bene promeruit, fiat: ſuum jus poſtulat.
Age, jam cupio, ſi modo argentum reddat. ſed ego hoc hariolor;
Ubi me dixero dare tanti, teſtes faciet ilico,
Vendidiſſe me. de argento, ſomnium: mox; cras redi.

Id

D O N A T I.

nandri: * [28] ΑΙΓΟϹ ΤΗ ϖΟΙωΝ ΤΟΙΓΟϹΡϖΑΤΟ ΤΟΝ ΓΡωΝΟΝ ΟΙΚεΤΗΝ λαϐων. * Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.] Contumelioſa caedes, *colaphus*, & digna lenone. Infregit.] Ut illudens hoc feciſſe Aeſchinus videatur, cum ſonitu ſe colaphizatum ſignificat. Infregit autem, illiſit, inflixit: ut ſenſus ſit, *Inflixit homini miſero plus quam quingentos colaphos.* Et flebiliter pronuntiandum eſt. hoc enim exprimitur, ut tamen incuſet in alieno facto fortunam ſuam. Et vide quantum hoc diſtet ab illo quod ſupra dicebat, *Iſtuc volo ergo ipſum experiri.* hoc, quia ſolus eſt: illud, quia cum adverſario.

47. Bene promeruit.] Bene, multum. Promeruit, adjuvit, profuit: cui contrarium eſt *commeruit*. Nam *mereri* & *promereri*, eſt praeſtare beneficium. [29] *Virgil.*

Quique ſui memores alios fecere merendo.

Et,

[30] *nunquam, regina, negabo*
Promeritam.

49. Ubi me dixero dare tanti.] Recte dixit. Ubi enim pactio interceſſerit pretii, jam ereptionis actio ſublata erit, & pretium debebitur.

50. Mox; cras redi.] Mire tranſit ad *μιμητικόν*.

O B S E R V. I N D O N A T.

28. ΑΙΓΟϹ ΤΗ ϖΟΙωΝ ΤΟΙΓΟϹΡϖΑΤΟ ΤΟΝ ΓΡωΝΟΝ ΟΙΚεΤΗΝ λαϐων.*] Videtur Lindenbruchius omnium primus ita edidiſſe, cum nec in Mſſ. nec editis vetuſtioribus quidquam verborum Menandri hoc loco legatur. Qui vero Menandri Fragmenta collegerunt, nullam hujus loci mentionem faciunt. Neque adeo ſanum inde ſenſum exſculpere mihi licuit.

29. *Virgil.*] Aeneid. VI. 664.

30. *Nunquam.*] Virgil. Aeneid. IV. 334.

C O M M E N T A R I U S.

47. Verum enim.] Quanquam ironice haec dicit Sannio, miteſcere tamen videtur, & de ſuo jure concedere.

48. Hariolor.] Fabulas & ſomnia narro. Sic Phorm. III. 2. Dorio fruſtra rogatus a Phaedria, modo *hariolare*, modo *fabulae*, tum *logi*, demum *ſomnia* reſpondet. Cic. Fam. II. 16. *Sed ego fortaſſe* vaticinor: *& haec omnia meliores habebunt exitus.* Sumta locutio ab iis, qui futura, quorum nulla certa eſt cognitio, praedicere ſe fingunt.

49. Teſtes faciet.] Senſus idem, qui eſt verborum Plauti, Curc. IV. 4. 9.

Ne facias teſtes: *neque equidem debeo quidquam.*

Quae ita παραφράζει ὁ πάνυ J. Fr. Gronovius: *Noli ſperare, verbis me abs te circumventum iri, ut ſi quid ambiguum dixero, tu arreptum, id appellatis teſtibus mandes.* Ubi idem Vir ſummus noſtrum hunc locum laudat tanquam παράλληλον, poſtquam dixiſſet: *Si quis in re dubia, aut unde lis oriri poſſet, audiebat adverſarium imprudenter dicentem, quo convinceretur aut teneretur, praeſentes aut ſubito praetereuntes appellabat, meminiſſent hoc ab iſto dictum, inque eam rem, ubi opus foret, teſtimonium perhiberent.* Adde Parei Lexic. Plaut. v. *Auteſtari.* Aliud eſt Μάρτυρας ποιεῖν, μαρτυροποιεῖν, μαρτυροποιεῖσθαι. ſubornare teſtes. Belg. *Getuigen opmaken.*

50 De argento, ſomnium.] H. e. Quod ad argentum mihi reddendum attinet, *ſomnium* merum videbitur, & inanis erit exſpectatio. Sic Heaut. IV. 2. 4.

Quod de argento ſperem, Nihil eſt.

Lucianus in Harmonide: Πάντα ἐκεῖνα ὑπηνέμια ὀνείρατά φασι, καὶ λόγων σκιαί. *Omnia illa evanida, quod ajunt; ſunt ſomnia, & verborum umbrae.* Idem Dial. Nir. Therſ. & Men. Ὀνείρατά

μοι

Id quoque poſſum ferre, ſi modo reddat: quamquam injurium 'ſt.
Verum cogito id, quod res eſt: quando eum quaeſtum occeperis,
Accipiunda, & muſſitanda injuria adoleſcentium 'ſt.
Sed nemo dabit: fruſtra egomet mecum has rationes puto.

DONATI.

51. ID QUOQUE POSSUM FERRE.] Id, Mox, CRAS REDI, id eſt, moram. QUAMQUAM INJURIUM.] Vendere quod nolis. *eſt*, ſcilicet.

52. ID, QUOD RES EST.] Pro, *id quod verum eſt*: bona locutio. QUANDO EUM QUAESTUM OCCEPERIS.] Ut in Andria, *Dein quaeſtum occipit*.

53 MUSSITANDA.] Patienda, conſideranda cum ſilentio, & ut in amatore putanda, atque per hoc perferenda. *Muſſitare* enim proprie eſt diſſimulandi cauſa tacere, dictum vel a *muto*, vel ab *M*, quae litera eſt nimium preſſae vocis ac pene nullius; adeo ut ſola omnium, quum inter vocales inciderit, atteratur atque ſubſidat. Hinc [31] *Virgilius*,

Muſſat rex ipſe Latinus.

54. FRUSTRA EGOMET MECUM.] Praeparationis genus, ad accipiendas viginti minas, totius ſummae deſperatio.

OBSERV. IN DONAT.

31. *Virgilius.*] Aeneid. XII. 657. Ubi *muſſat* Servio valet *dubitat*.

COMMENTARIUS.

μοὶ λέγεις. Somnia mihi narras. Guyetus in Ἀνεκδότοις παραφράζει, *Argentum non videbo, niſi per ſomnium. i. e, nihil accipiam.*

MOX: CRAS REDI.] Senſus eſt: *Mox flagitanti mihi argentum reſpondebit*, CRAS REDI. Quae malorum nominum formula, nec expedire rem expetentium. Donatus vero ad verſ. ſeq. ita cepit, quaſi ſenſus ſit, MOX REDI, CRAS REDI. Perſ. Sat. V. 66.

Cras *hoc fiet. Idem* cras *fiet. Quid? quaſi magnum,*
Nempe diem donas?

52. QUAESTUM OCCEPERIS.] Vide ad And. I. 1. 52. Mſ. Bodl. & edit. anni 1469. INCEPERIS.

53. ACCIPIUNDA, ET MUSSITANDA INJURIA.] H. e. ſilenda. Plaut. Mil. II. 3. 40.

quidquid eſt, muſſitabo *potius, quam inteream male.*

Truc. II. 2. 57.

egone haec muſſitem?
Jam enim eccere ibo in forum, atque haec facta narrabo ſeni.

Corruptam autem parentum diſciplinam arguit, ubi ADOLESCENTIUM potius, quam cujuſvis alterius injuriam muſſitandam dicit. Virg. Aen. XI. 345.

ſed dicere muſſant.

Et verſu 454.

Flent moeſti, muſſant*que patres.*

Muſſare autem, teſte Varrone L. L. VI. *dictum, quod muti non amplius quam μῦ dicunt.* Unde & pro ſonitu & bombo apum uſurpatur a Virgilio, Georg. IV. 188.

Fit ſonitus, muſſant*que oras & limina circum.*

Vide ad And. III. 2. 25.

54. SED NEMO DABIT.] Elegantiſſimus hicce verſus Guyeto ſuppoſititius audit, tantum ideo, quod τὸ EGOMET offendit, mox recurrens initio Scenae ſequentis. Sed haec potius artificioſa elegantia vocanda.

FRUSTRA EGOMET MECUM HAS RATIONES PUTO.] Id Belgae dicunt, *De rekening zonder den Waerd maken.* Plaut Caſ. III. 2. 25.

altrovorſum cum eam mecum rationem puto.

Quum vero RATIONES dicit, proprie loquitur, intelligens *rationes nummarias*. Sic Phorm. I. 1. 2. Eſt autem *ſecum rationes putare*, Gr. παρ' ἑαυτῷ νοεῖν. παρ' ἑαυτῷ λογίζεσθαι. Mſſ. quidam DEPUTO. Ita & editio anni 1469. & Anonyma, cum Juntina & Tarviſiana.

ACTUS SECUNDI

SCENA SECUNDA.

SYRUS. SANNIO.

Sy. TACE! egomet conveniam jam ipſum: cupide accipiat, faxo; atque etiam
Bene dicat ſecum eſſe actum. Quid iſtuc, Sannio, eſt, quod te audio,
Neſcio

DONATI.

TACE! EGOMET CONVENIAM JAM IPSUM.] [1] *In hac Scena actus, eſt exemplum continens vitas avarorum, qui ſaepe in damnum ipſius avaritiae rationibus ruunt: ſimul etiam duorum inter ſe nequam hominum ſpectanda quaedam viciſſim, & doloſa captio eſt.*

1. TACE! EGOMET CONVENIAM JAM IPSUM.] TACE, ſi pro adverbio eſt, omnibus dicitur: ſi pro verbo ponitur, dicitur Cteſiphoni maxime ſollicito, & ſupplicanti omnibus, ob metum patris. JAM autem, non tarditatis eſt; ſed properationis ſignificatio.

2. BENE DICAT SECUM ESSE ACTUM.] ACTUM, recte additum eſt: nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiſcum eſſe dicamus actum. QUID ISTUC, SANNIO, EST.] Illud ſupra poſt Scenam, hoc jam in proſcenio dicitur. Et vide qnam ingenioſe *Terentius*, qui ſupra ab Aeſchino Lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti & feroci ob aetatem & negotium: at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum Lenone loqui, & Sannionem eum vocare. Sane qui in ſordidis profeſſionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas: ſed qui in ſplendidis artibus ſunt conſtituti, gaudent artis nomine nuncupari, ut Imperator, Orator, Philoſophus. [2] Sic & in Eunucho, *Audire vocem viſa ſum modo militis*, apud ſe loquens meretrix: & poſtquam illum cominus videt, *Salve, mi Thraſo*, inquit, non, *Salve miles*: quod erat duriſſimum. Et mox irata perſonat, *Miles, nunc adeo edico tibi.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *In hac Scena actus, eſt exemplum continens vitas avarorum.*] Si ita diſtinguatur, omnino legendum videtur, *continens vitam*. Quia vero τὸ *vitas* eſt in Mſſ. & editis vetuſtis, quod ſciam, omnibus, videtur potius diſtinctione laborare locus, & ita interpungendus, *In hac Scena actus eſt, exemplum continens vitas avarorum.* quando *actus* non partem quintam Fabulae, ſed ſimpliciter *actionem* notabit. Vide mox ad verſum 4.

2. *Sic & in Eunucho.*] Locus eſt Eun. III. 2. 2. ubi vide Donatum.

COMMENTARIUS.

1. TACE!] Hoc Syrus in proſcenium procedens Aeſchino, qui intus erat, dicit. Mire autem in ordinandis hujus verſus vocibus diſſentiunt Mſſ. & editi vetuſti. In Mſ. Bodl. deeſt τὸ JAM. Editio Tarviſ. legit, TACE, EGOMET CONVENIAM IPSUM. CUPIDE JAM ACCIPIAT FAXO.

2. BENE DICAT SECUM ESSE ACTUM.] H. e. Se fortunatum eſſe. Cic. Fam. IV. 5. *Hiſce temporibus*, non peſſime cum iis eſſe actum, *quibus* ſine

Neſcio quid concertaſſe cum hero? *Sa.* Nunquam vidi iniquius
Concertationem comparatam, quam haec hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, uſque ambo defeſſi ſumus.
Sy. Tua culpa. *Sa.* Quid agerem? *Sy.* Adoleſcenti morem geſtum oportuit.

Sa.

DONATI.

3. NESCIO QUID CONCERTASSE CUM HERO?] Argute poſitum NESCIO QUID: vult enim ex illo audire, ut nanciſcatur initium, quod perſuadendum ſuſcepit. CONCERTASSA.] Οἰκονομία. [3] honorifice nomen tractat, ut & placidum ſibi reddat, & ut eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem. nam honeſtas adimit avaritiam.

4. CONCERTATIONEM COMPARATAM.] Διασύρει, quia ille CONCERTASSA dixit, non *caeſum eſſe*. COMPARATAM.] Proprie; alias *conſtitutam*. Et COMPARATAM ad dictum Syri refert, qui ait *concertationem* fuiſſe, pares faciens Aeſchinum & Lenonem. nam Sannio vult ſibi deberi pro eo quod vapulavit: quod abſtulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum eſſe, ſed potius *concertaſſe*. Et proprie dixit *Concertationem*, ipſum actum. nam *certamen* eſt res ipſa de qua certatur, [4] uter columbam ſagitta feriat, uter prior decurrat ad metas. Nam ſic [5] *Virgilius* in Bucolicis:

Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.

At vero *certatio*, ipſe actus contentioque certantium eſt.

5. ILLE VERBERANDO, USQUE AMBO DEFESSI SUMUS.] Incerta eſt diſtinctio, vel VERBERANDO USQUE, vel USQUE DEFESSI. Et eſt USQUE adverbium, ſignificans aut *diu*, aut *multum*

6. TUA CULPA.] Poteſt & nominativus & ſeptimus caſus eſſe. ſi nominativus eſt, deeſt *eſt*: ſi ſeptimus, deeſt *Factum eſt*. ADOLESCENTI MOREM GESTUM OPORTUIT.] Ab aetate adjuvatur ſententia. Ideo ADOLESCENTI dixit, non *Aeſchino*. Et *morem gerere*, proprie lenonis & meretricis eſt: unde & ipſe ſic reſpondet, ut non fugiens κακόφατον, dicat, USQUE PRAEBUI. ADOLESCENTI MOREM GESTUM OPORTUIT.] Cum ἐμφάτει ADOLESCENTI pronuntiandum eſt, ſcilicet qui facilius aſſentatione caperetur.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Honorifice nomen tractat.*] Malim, *Honorifice hominem tractat*.

4. *Uter.*] Forte, *Ut uter*.

5. *Virgil. in Bucolicis.*] Immo in Georgicis, II. 530.

COMMENTARIUS.

ſine dolore licitum eſt mortem cum vita commutare? Idem Fam. IX. 24. *Hoc denique animo ſum, ut, ſi in hac cura, atque adminiſtratione vita mihi ponenda ſit*, praeclare actum mecum *putem*.

QUID ISTUC, SANNIO, EST, QUOD TE AUDIO.] Ita rogare admirabundi ſolent. Cic. Att. XII. 52. *Sed quid eſt, quod audio, Spintherem feciſſe divortium?*

3. NESCIO QUID CONCERTASSE.] Callide diſſimulat ſe ſcire, quid rei actum ſit, ut ita familiariter eliciat omnia ex ipſo lenone. Sed & imminuit rem, atque ita loquitur, quaſi rixa tantum verborum fuerit.

INIQUIUS CONCERTATIONEM COMPARATAM.] An διασυρμὸς eſt? Reſpicit autem certamen gladiatorum, qui *comparari* proprie dicebantur. Cic. Fam. XII. 22. *Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequiſſimo, collega veſtro, Antonio, bellum gerimus; ſed non pari conditione, contra arma verbis.* Mſ. Bodl. CERTATIONEM. Ita & editio Anonyma, Tarviſ. & Junt. quam lectionem laudat Georgius Fabricius.

4. QUAM HAEC HODIE.] Mſſ. & editi quidam: QUAM QUAE HODIE.

5. EGO VAPULANDO, ILLE VERBERANDO.] Sic Juvenal. Sat. III. 289.

Si rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo tantum.

6. QUID AGERAM?] Ita ſolent purgantes ſe, quique vel innocentes ſunt, vel videri volunt. Vide ad Eun. V. 1. 15. Libri quidam ſcripti & editi: QUID FACEREM?

7. QUID

Sa. Qui potui melius, qui hodie uſque os praebui? *Sy.* Age, ſcis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere, maximum interdum 'ſt lucrum. *Sa.* Hui!
Sy. Metuiſti; ſi nunc de tuo jure conceſſiſſes paululum, atque Ado-

DONATI.

7. Qui potui melius, qui hodie usque os praebui?] Subauditur, *morem gerere.* Et hoc ſubtiliter Leno, quum morem gerendum fuiſſe in meretricis pretio dixerit Syrus. Hodie autem, non tempus ſignificat, ſed iracundam eloquentiam ac ſtomachum. Ut [a] *Virgil.*

nunquam omnes hodie moriemur inulti.

Age.] Modo Age corripientis eſt adverbium. Scis quid loquar?] Argute: quia ſimulaverat Leno non intellexiſſe, quid dixerat ſervus. Scis quid loquar?] Legitur & ſic: Sed scis, quod loquar?

8. In loco negligere, maximum interdum 'st lucrum.] Bene additum eſt In loco, & interdum: non enim ſemper.

9. Si nunc de tuo jure concessisses.] Bene Tuo jure: ne diceret, *Non erat res mea, quam venalem habui.* Aut De tuo jure, de lenonia duritia; ut alibi, *Meo jure utar, ut potior ſit, qui prior ad dandum ſit.*

OBSERV. IN DONAT.

a. *Virgil.*] Aeneid. II. 670.

COMMENTARIUS.

7. Qui potui melius?] Editio Juntina: Quid potui melius? usque os praebui. An quia referire non audebat homo liber pulſatus a Parmenone ſervo? non videtur. Quin in ipſis aedibus ab Aeſchino verberatus quidni referiret, niſi vel ſenio vel imbecillitate prohibitus, vel quod in rem ſuam eſſe crederet, *accipere & muſſitare injurias adoleſcentium?* Qui vero obſcenum hinc ſenſum eliciunt, acutius vident, quam par eſt: Quanquam leno in ſuo ipſius malo videtur διαῤῥήγειν. Cic. Att. I. 18. *Auli autem filius, ô Dii immortales! quam ignavus, ac ſine animo miles? quam dignus, qui Palicano, ſicut facit, os ad male audiendum quotidie* praebeat? Idem Verr. III. 16. *Qui teſtes interrogari priore actione nolueris, & iis tacitum* os *tuum* praebere *malueris.*

8. Pecuniam in loco negligere.] Sic infra V. 3. 41. *in loco Vereri.*
Cic. Off. I. 40. Locum *autem actionis opportunitatem temporis eſſe dicunt.* Rem ipſam expreſſit Plautus, Capt. II. 2. 75.

Non ego omnino lucrum omne eſſe utile homini exiſtimo.
Scio ego; multos jam lucrum luculentos homines reddidit.
Eſt etiam, ubi profecto damnum praeſtet facere, quam lucrum.

Menander:

Βέλτιστον οὐ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκοπεῖν.

Liv. II. 47. *Spreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit.* Cl. Graevius ad Cic. Att. IV. 2. ad haec verba, *Quiſque horum loco ſententiam rogatus*, legit, Pecuniam loco negligere, fortaſſe e ſuo Mſ.

Hui!] Mſſ. Leidenſes quatuor, cum Heinſio, in edit. Amſtelod. 1618. quae eſt in Bibliotheca Leidenſi, & quidam alii hanc vocem etiam Syro tribuunt. Codices alii rectius Sannioni. Neque enim in medio ſermone facile reperias exclamandi hanc particulam, ſed fere initio. Sic And. III. 1. 16. vel ſolam. Eun. IV. 7. 35. Guido Juvenalis iisdem Sannioni tribuit, dicens, *Interjectio ridentis eſt, quaſi lene rideat dicta ſervi, & contemnat.*

9. Metuisti.] Integrum hunc Syri ſermonem interrogationis ſigno finire viſum fuit, exem-

Adoleſcenti eſſes morigeratus, hominum homo ſtultiſſime,
Ne non tibi iſtuc foeneraret? *Sa.* Ego ſpem pretio non emo.
Sy. Nunquam rem facies. abi, neſcis ineſcare homines, Sannio.
Sa. Credo iſtuc melius eſſe: verum ego nunquam adeo aſtutus fui,
Quin

DONATI.

11. Ne non tibi istuc foeneraret?] *Foeneratum*, eſt cum lucro redditum & multiplicatum. Foeneraret ergo, non Aeſchinus, ſed ipſa res in qua foeneratio eſt. Ego spem pretio non emo.] Ἀντιστοιχία; contra, Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

12. Nunquam rem facies.] Leno quidquid agit, ad lucrum refert: & ſic lucri genus dicit eſſe Syrus a Lenone, quemadmodum perſuadet. Et nota, Rem, & litem, & negotium meretricis, & patrimonium, & omnem pecuniam nominari. Nunquam rem facies.] Secundum perſonam ſervi, Lenonem Syrus hortatur, hominem ad lucrum excitans, non ad honeſtatem. Nescis inescare homines, Sannio.] Μεταφορὰ ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum.

13. Credo istuc melius esse.] Vide Comicum errorem utriuſque perſonae, & callidi Lenonis, & captioſiſſimi Syri ſervi.

COMMENTARIUS.

exemplo Aldi, Heinſii, & aliorum.

Nunc.] Mſ. Mark. duo Mſſ. Boecleri, edit. Anon. & Tarviſ. huic.

De tuo jure concessisses paullulum.] Non velle cogi ad vendendam puellam a ſe emtam, jus erat Sannionis. *Concedere de jure ſuo*, eſt paullulum de jure remittere. Cic. Fam. XI. 3. *Illud vero quemadmodum ferendum ſit, tute cogita: non licere praetoribus, concordiae ac libertatis cauſa, per edictum* de ſuo jure decedere, *quin Coſ. arma minetur.* Et Off. II. 18. *Eſt enim non modo liberale*, paullum *nonnunquam* de ſuo jure decedere, *ſed interdum etiam fructuoſum. Habenda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt: ſed ita, ut illiberalitatis avaritiaeque abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum is eſt pecuniae fructus maximus.*

10. Morigeratus.] Quod Lucas dicit Act. XIII. 18. ἐτροποφόρησεν, id Guyetus a Graecis neotericis ad phraſin, *morigerari*, *morem gerere*, formatum eſſe exiſtimat.

11. Spem pretio non emo.] Lucrum incertum damno certo non adſecto. Ejuſdem fere argumenti eſt adagium alterum, *Aureo hamo piſcari.* Vide Eraſm. Chil.

12. Rem facies.] Divitias comparabis. Plaut. Pſeud. II. 1. 12.

facilem ego hanc rem *meis civibus* faciam.

Abi.] Non eſt imprecationis formula; neque ſenſus eſt, *Abi in malam rem*, quod ait Guyetus; ſed notat, *Apage te.*

Nescis inescare homines.] H. e. parum leno es. Sic lena apud Plautum, Aſin. I. 3. 63. ad amatorem:

Non tu ſcis? hic noſter quaeſtus aucupii ſimillimu'ſt.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum.
Aves adſueſcunt. neceſſe eſt facere ſumtum, qui quaerit lucrum.
Saepe edunt: ſemel ſi captae ſunt, rem ſolvunt aucupi.
Itidem hic apud nos. aedis nobis area eſt; auceps ſum ego;
Eſca eſt meretrix; lectus illex eſt; amatores aves.

Plato autem, teſte Cicerone in Catone Majore, cap. 13. Τὴν ἡδονὴν δέλεαρ τῶν κακῶν dixit.

13. Ego nunquam adeo astutus fui.] Cic. Fam. XI. 28. *Non agam aſtute. fateor me ad iſtum gradum ſapientiae non perveniſſe.* Contrarium Sannionis ſententiae eſt in illo Euripidis, Archelao verſ. 50.

Μισῶ γὰρ ὄντως, οἵτινες φρονοῦσι μὲν,
Φρονοῦσι δ' οὐδὲν, ἢτε χρημάτων ὕπερ.

Quin quidquid poſſem, mallem auferre potius in praeſentia.
Sy. Age; novi tuum animum: quaſi jam uſquam tibi ſint viginti minae,
Dum huic obſequare. praeterea autem te ajunt proficiſci Cyprum. *Sa.* Hem!
Sy. Coëmiſſe, hinc quae illuc veheres, multa. navem conductam, hoc ſcio. Ani-

DONATI.

15. AGE.] AGE, nunc verbum eſt, ſignificans *dic*, quia jam prope eſt, ut conſentiat perſuadenti. TUUM ANIMUM.] Deeſt, *liberalem.* QUASI JAM USQUAM TIBI SINT VIGINTI MINAE.] Senſus, Quaſi numero in aliquo ducas, & in aliqua aeſtimatione conſtituas: & non, ſi velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obſequaris.

16. PRAETEREA AUTEM.] Ἀρχαϊσμὸς eſt figura. Nam veteres libenter conjunctiones multiplicabant. TE AJUNT PROFICISCI CYPRUM.] Et eum non profecturum dixit, ſed jam PROFICISCI: & non ab uno dicit ſe audiviſſe, ne negaret: ſed AIUNT inquit.

17. COEMISSE, HINC QUAE ILLUC VEHERES, MULTA.] Nuſquam hoc oſtendit alias *Terentius*: ſed apparet ex confeſſione Lenonis vera haec omnia eſſe. Et mira varietas eſt. PROFICISCI, COEMISSE, CONDUCTAM NAVEM: ne diceret, *Proficiſci*, *Emere*, & *Conducere navem.* Et CONDUCTAM NAVEM addidit, ut dilationem res habere non poſſit. HOC SCIO. ANIMUS TIBI PENDET?] [7] Hoc & correpte legi poteſt, ut articulus demonſtrativus ſit: & producte, ut ſignificet aut *hanc rem*, aut *hunc locum*, id eſt Cyprum.

OBSERV. IN DONAT.

7. Hoc *& correpte legi poteſt.*] Videtur inepta Grammatici diſtinctio. Exiſtimat Abr. Wielingius, quum *producte* accipi Hoc ait Donatus, ablativum intelligi; ut Hoc valeat, *ex hoc.* Quia tamen ita Hoc interpretatur *aut hanc rem, aut hunc locum,* poſſit videri Hoc accepiſſe pro Huc, ut ſenſus ſit, *Animus tibi pendet in Cyprum.* Sic ſupra I. 2. 12. dixit: Hoc *autem, vel articulus, vel adverbium loci eſt.*

COMMENTARIUS.

14. POTIUS.] Πλεονάζει haec vox. Cic. Fam. XV. 5. *Caſum* potius, *quam te laudari* maviſ.

IN PRAESENTIA.] Contrarium eſt, *in diem.* Hinc pecunia *praeſens*, &, *Repraeſentare* pecuniam. Mſ. Mark. addit, QUAM IN FUTURUM. Editio Tarviſiana, QUAM IN FUTURO. Utrumque ex gloſſa. Similis ſententia lenae apud Plautum, Aſin. I. 3. 50. [*quod vident.*
Semper oculatae noſtrae ſunt manus; credunt

15. AGE; NOVI TUUM ANIMUM.] Captat mollire Sannionis praeciſam ſententiam.

QUASI JAM USQUAM TIBI SINT VIGINTI MINAE.] Senſus eſt, Quaſi tu, qui es in re lauta, & bona parte aucta, de poſſeſſione viginti tantillarum minarum magnopere ſis ſollicitus; & quaſi non multo malis obſequi Aeſchino, quam tantulam ſummam accipere. Sic οὐδαμοῦ λέγειν τινά, eſt, nullius pretii quem dicere. Eadem fere ratione *nullo loco eſſe* dicitur, qui contemnitur. Eſt autem ſalſa ironia. Vide Turnebum Adverſ. XX. 31.

16. CYPRUM.] Inſula haec Veneri ſacra mancipiorum emtione & venditione nobilitata fuit. De ipſa autem locutione, PROFICISCI CYPRUM, pro, IN CYPRUM, vide Sanct. Min. Lib. IV. cap. 6. init: Infra tamen II. 4. 14. dixit, IN CYPRUM. quomodo & Mſſ. quidam h. l. legunt.

17. COEMISSE, HINC QUAE ILLUC VEHERES, MULTA. NAVEM CONDUCTAM, HOC SCIO. ANIMUS TIBI PENDET? UBI ILLINC, SPERO, REDIERIS, TAMEN HOC AGES.] Ita lego & diſtinguo. Primum, NAVEM CONDUCTAM, HOC SCIO, ita dixit, uti Phorm. V. 7. 60.

Niſi me dixiſſe nemini, id certo ſcio.

Et And. V. 4. 26. *hoc certo ſcio,*
Rhamnuſium ſe ajebat eſſe.

Id vero, ubi dixiſſet Syrus, leno quaſi meditabundus

Animus tibi pendet? ubi illinc, ſpero, redieris, tamen hoc ages.
Sa. Nuſquam pedem. perii hercle! hac illi ſpe hoc inceperunt!
Sy. Timet.
Injeci ſcrupulum homini. *Sa.* O ſcelera! illud vide,
Ut in ipſo articulo oppreſſit! emtae mulieres
Complures: & item hinc alia, quae porto Cyprum.

Niſi

DONATI.

18. Ubi illinc, spero, redieris.] Ex ſpe ſua vult Syrus oſtendere, quid Leno debeat ſperare, id eſt, non ſe accepturum modo. Tamen hoc ages.] Hoc eſt, exiges debitum. nam *hoc agere* dicimus eum, qui inſtat negotio ſuo.

19. Nusquam pedem.] Quia exclamatio eſt, per ἀποσιώπησιν non completur.

20. Injeci scrupulum homini.] Hoc leno non audit. ſimul enim dicitur, quum ille clamat. Et ideo ſimul legi non poteſt. Et hic oſtendit Syrus, quo haec conſilio locutus ſit. Illud vide.] Vide, τῷ ἰδιωτισμῷ dicit.

21. In ipso articulo oppressit!] Μεταφορὰ perſeverans a ſcrupulo, id eſt, lapillo, qui nos in calceo latens plerumque laedit. Et Oppressit, vel Aeſchinus, vel res ipſa, quam ſubjicit, id eſt, quod ait, Emtae mulieres complures. Mulieres.] Σύλληψις. Legitur Emta, & Amtae.

22. Item hinc alia.] In lenonis mercibus ἐξοχῇ. Quae porto Cyprum.] Hanc inſulam poſuit Poëta, vel quod Veneri ſacrata ſit. ut [8] *Horatius*, *Sic te diva potens Cypri.*
Vel quod mercatus in ea ſit, ut idem:
[9] *Numquam dimoveas, ut trabe Cypria*
Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Horatius.*] Carm. I. 3. 1.

9. *Numquam.*] Carm. I. 1. 13.

COMMENTARIUS.

bundus tacet. Unde ſervus iterum, animus tibi pendet? & quae ſequuntur. Tum Sannio quaſi cum ſtomacho reſpondet: Nusquam pedem. Et ſimul ad ſpectatores converſus, quaſi non audiente Syro, addit: Perii hercle! hac illi spe hoc inceperunt! Quo dicto etiam ſervus ſecum gaudens ait: Timet. injeci scrupulum homini; & ſimul lenonem paulliſper relinquit ſolum.

18. Animus tibi pendet?] *Animus pendere* dicitur, dum in dubio eſt, & paullo momento huc illuc impellitur. And. I. 5. 31. Iidem & *pendere animi* dicuntur.

Ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.] Id vult callidus ſervus, Quia ante diſceſſum in Cyprum auferre nihil poteris, reditusque omnino erit exſpectandus, nullus dubito, quin tu facturus ſis, quod ut nunc facceres, tibi ſuaſi, i. e. quin obſecuturus ſis Aeſchino, & ex pecunia in tempore neglecta magnum lucrum exſpectaturus.

Spero.] Sarcaſmum habet. Guyeti sero languet. Pro tamen in Mſ. Mark. eſt tum.

19. Nusquam pedem.] Sub. fero. ſed iratorum eſt elliptica oratione uti. Crito And. IV. 5. 13.

Nam, pol, ſi id ſciſſem, nunquam huc tetuliſſem pedem.

Mox verſu 38. idem Sannio: Nusquam abeo.

Hac illi spe hoc inceperunt!] Verba ſunt tandem intelligentis, quid rei ſit. Sic And. I. 1. 98. *hoc illud eſt!*

20. Injeci scrupulum.] H. e. dubium movi. And. V. 4. 37. Adelph. IV. 5. 76. Phorm. V. 7. 61.

Illud vide.] Rem inopinatam ſeu magnam cum admiratione narrantes, Vide, dicebant. Cic. Fam. VII. 19. Vide; *quanti apud me ſit.* Et XVI. 5. Vide, *quanta in te ſit ſuavitas.*

21. In ipso articulo oppressit!] Plaut. Menaechm. I. 2. 31.

Commoditatis omnes articulos *ſcio.*

Cic. pro P. Quintio 5. In ipſo articulo *temporis.*

22. Complures.] Guyetus ſubſtituit, in Cypro. quomodo & Eugraphium legiſſe autumat;

quod

Niſi eo ad mercatum venio, damnum maxumum 'ſt.
Nunc ſi hoc omitto; actum agam. ubi illinc rediero,
Nihil eſt; refrixerit res. nunc demum venis?
Cur paſſus? ubi eras? ut ſit ſatius perdere,
Quam aut hic nunc manere tam diu, aut tum perſequi.
Sy.

DONATI.

23. NISI EO AD MERCATUM VENIO.] Eo nunc adverbium eſt loci, id eſt, Cyprum. MERCATUM autem, locum tempuſque ſignificat. DAMNUM MAXIMUM 'ST.] Quia & hoc damnum in pretio mulieris eſt.

24. NUNC SI HOC OMITTO.] Quod damnum eſt ſcilicet. Hoc autem dicit negotium cum Aeſchino. ACTUM AGAM.] Proverbium, id eſt, *nihil agam.* quod enim in jure ſemel judicatum fuerit, reſcindi & iterum agi non poteſt. Sic in Phormione, *Actum, ajunt, ne agas.*

25. NIHIL EST.] Nove NIHIL EST: pro, *nulla ſpes eſt.* REFRIXERIT.] Pro *refrigeſcit.*

26. UT SIT SATIUS PERDERE.] Per ὑπερβολὴν hoc accipe. nam non convenit perſonae lenoniae damna contemnere.

27. AUT NUNC MANERE.] Dum non navigo. TUM PERSEQUI.] Quum rediero.

COMMENTARIUS.

quod meretrices non Athenis in Cyprum, ſed e Cypro Athenas deportarentur. Crediderim cauſam ſollicitandi lectionem fuiſſe acri Critico, quod cogitaret, Cyprias mulieres ſtatis diebus ad littus exſpatiantes ex corporibus vulgatis dotem quaeſiviſſe; ne ſcilicet ſola Κυπρογενὴς Dea impudicitiae argueretur. Aſt cogitaſſe debebat, lenones, praeſertim Atticos per omnem Graeciam conquiſitas puellas ad mercatum Cyprium portaſſe; atque inde de iis non violandis pulſandiſve cautum fuiſſe.

23. AD MERCATUM.] Et locum & tempus notare recte Donatus obſervat. Nam & *Ludorum* vocabulum paſſim de loco & tempore uſurpatur. Dixit autem VENIO pro *eo*, uti viciſſim *ire* pro *venire* uſurpant. Infra III. 3. 7. Eun. II. 3. 13. Virg. Aen. II. 375.

vos celſis nunc demum a navibus itis?

24. NUNC SI HOC OMITTO.] H. e. ſi negligo perſequi jus meum, de argento pro fidicina, vel de puella ipſa. Lupum ergo, quod ajunt, auribus tenet Sannio. Mſſ. pluſculi, OMITTAM, & paullo ante, VENIAM Ita & editio anni 1469. Juntina, Aldina, Rob. Stephani, aliae.

ACTUM AGAM.] H. e. Fruſtra operam ſumam. Phorm. II. 3. 72. Plaut. Ciſtell. IV. 2. 36.

Actam rem age.

Adde Eraſm. Chiliad.

25. NIHIL EST.] Vide ad Phorm. V. 8. 6.

REFRIXERIT RES.] H. e. In oblivionem venerit. Plaut. Poen. IV. 2. 92.

At enim nihil eſt, niſi, dum calet, hoc agitur

Metaphora a ferro tranſlata, quod ubi *refrixit*, fruſtra cuditur. Cic. Fam. IX. 10. *Unum vereor, ne haſta Caeſaris* refrixerit. Philipp. V. 11. *Teretur interea tempus: belli apparatus* refrigeſcent. Contra *fervere* res dicitur, quae cum maxime concitate agitur. ſed & *calere.* Cicero Philipp. V. 4. Calebant *in interiore aedium parte totius reip. nundinae.*

NUNC DEMUM VENIS? CUR PASSUS? UBI ERAS?] Quaſi mimeſis eſt eorum, quae aliquando ab Aeſchino vel quovis alio objici poterant lenoni. q. d. *Nunc demum venis queſtum injurias, & res repetitum? Cur paſſus tibi eripi? ubi eras, ſtolide, quum eriperetur?*

27. PERSEQUI.] Subaudi, jus meum, vel, lites ſequi. And. IV. 5. 16. Cic. Verr. III. 13. *Bona tua repetere, ac* perſequi *lite, atque judicio.*

28. JAMNE ENUMERASTI.] Poſt exigui temporis moram rurſus Syrus adoritur Sannionem. Eſt autem interrogatio ironica. *Enumerare* valet exputare, Belg. *Uitcyfferen.* Numerabant autem per digitos. qua de re multa habet P. Colvius ad Apulej. Apol.

AD TE REDITURUM.] H. e. Tibi deberi. And. IV. 5. 4. Hec. I. 2. 97. Niſi REDITURUM quaſi fugitivum argentum pro puella expenſum intelligit, quod ut *retrahi* eleganti metaphora dicitur Heaut. IV. 2. 11. Ita *redire* non incommode dicas.

Sy. Jamne enumeraſti id, quod ad te rediturum putes?
Sa. Hoccine illo dignum 'ſt? hoccine incipere Aeſchinum?
Per oppreſſionem ut hanc mihi eripere poſtulet?
Sy. Labaſcit. unum hoc habeo: vide, ſi ſatis placet:
Potius, quam venias in periculum, Sannio,

Ser-

DONATI.

28. JAMNE ENUMERASTI.] Finxit Syrus ſe non intellexiſſe, quid apud ſe ipſum Leno locutus ſit. ideo illi aliud ait, quam ille ſecum [10] diſputaverit. QUOD AD TE REDITURUM PUTES?] Hoc dicto tantum illum accepturum ſignificat, quantum dederat in puella. Nam ad nos redit, quod a nobis abierit. Et dicendo REDITURUM, oſtendit ſuper viginti minas nihil illum ſperare oportere: ſic enim ſupra, *Minis viginti tu illam emiſti; quae res tibi vertat male!*

29. HOCCINE ILLO DIGNUM 'ST?] Hujuſmodi comploratio ſummam deſperationem Lenonis oſtendit. HOCCINE INCIPERE AESCHINUM?] Quaſi de magno facinore dixit. Ut in Heautontimorumeno, *Vide quod inceptet facinus.* AESCHINUM autem cum laudatione dixit: quaſi quem non deceat male facere. Et vide quam omnia experiatur impotens & miſer, ob recuperandam rem ſuam.

30. UT HANC MIHI ERIPERE POSTULET?] [11] Non dicit de qua: quia de illa ſermo eſt. POSTULET, velit, aut ſperet. *Cicero*, *Ut temporibus reipubl. cedat, non eſt poſtulandum:* id eſt, cupiendum, aut expectandum. ERIPERE POSTULET.] Ἐν τῷ ἤδει dixit, non eripuerit: tanquam adhuc non fecerit. Et ſic loquuntur, qui nolunt circa ſe perſeverare injuriam.

31. LABASCIT.] Hoc preſſe dicitur. Et proprie dixit LABASCIT, ut & ſuam inſtantiam, & cunctationem tarde incipientis conſentire monſtraret. nam inchoativum verbum eſt. Et eſt metaphora ab arbore facta: quae multis ſucciſa ictibus, ferri tandem incipit [12] in caſum ponderis, ruinamque minitari. UNUM HOC HABEO.] Hoc clare: & ſubaudiendum eſt, *Quod dicam*, vel *Dicere*. VIDE, SI SATIS PLACET.] Non PLACET dixit: ſed SATIS PLACET. veluti magnum conſilium praebiturus.

32. POTIUS, QUAM VENIAS IN PERICULUM.] Oratorie: comparatione pejorum, dicit, hoc eſſe, quod ſuggerit, eligendum.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Diſputaverit.*] Lego: *Diſputaverat.*
11. *Non dicit, de qua.*] Forte, *Non dicit, quam.*
12. *In caſum ponderis.*] Verba ſine ſenſu. MS. Hulſt. recte: *In caſum pendere.* Lego igitur, & diſtinguo: *Quae multis ſucciſa ictibus ferri, tandem incipit in caſum pendere.*

COMMENTARIUS.

dicas. Aut forte Syrus callide avertere ſermonem inſtituit a puella ad lucrum, quod e mercatura & venditione omnium aliarum mercium ad ſe rediturum putet Sannio. Aut, ſi & id minus placet, poſſit ſenſus eſſe, Satiſne rationem ſubduxiſti, quantum lucri ſis facturus, Cyprium mercatum negotio Aeſchini, aut hoc illi praeferendo. Simulat autem Sannio, ſe iter Cyprium prae pecunia praeſenti neglecturum. Prior ſenſus Tanaq. Fabro, poſterior Boeclero placebat.

29. HOCCINE ILLO DIGNUM 'ST?] Sic Eun. V. 2. 25. Heaut. I. 1. 55. Phorm. II. 3. 26.

30. PER OPPRESSIONEM.] Verſum hunc Guyetus exulare jubet.

31. LABASCIT.] Haec ad ſpectatores converſus dicit. Senſus eſt, Non amplius ſtat ei ſententia. Eun. I. 2. 98. Plaut. Rud. V. 3. 33.

ſalvos ſum: leno labaſcit.

UNUM HOC HABEO.] Haec converſus ad lenonem dixit. intelligit autem conſilium. Sic And. IV. 2. 21. ubi Davus dixiſſet, *Conſilium quaero*, mox Charino roganti, *Quid eſt?* reſpondet, *Huic, non tibi habeo.* Quod ſupra II. 1. 20. dixerat Pamphilus: *Neque pol conſili locum habeo, neque auxilii copiam.* Palmerius autem pro UNUM HOC

Serveſne, an perdas totum, dividuum face:
Minas decem corradet alicunde. *Sa.* Hei mihi!
Etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer?
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:
Praeterea colaphis tuber eſt totum caput:

Etiam

DONATI.

33. Dividuum face.] Hoc eſt: *divide*: figura μακρολογία. Dividuum, a diviſione: *Dimidium*, a dimenſione dicimus.

34. Minas decem.] Scit illum viginti poſſe accipere: ſed idcirco agit, ut optet Leno quod paulo ante nolebat. Corradet alicunde.] Alicunde dictum eſt, quaſi non habentis: nam [13] nec ipſa in promtu ſunt.

35. Hei mihi! etiam de sorte nunc venio in dubium miser?] *Sors* eſt ſumma, cui extrinſecus acquiritur foenus. Ergo *ſortem* dicit de pretio quo emta eſt, id eſt, viginti minis. Et vide illum damno potius exclamare, quam injuria. Nunc venio in dubium.] Id eſt, in periculum.

36. Omnes dentes labefecit mihi.] Injuria Lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno eſt: ut ſupra,

quando eum quaeſtum occeperis,
Accipienda, & muſſitanda injuria adoleſcentium
eſt.

Vel idcirco, enumeratis contumeliis adjecit, Etiam insuper defrudet? Et vide ut eadem quae dixit ſupra, repetat: ſed ardentius tamen, & cum αὐξήσει. [14] Sic *Virgil.* in majus repetit, quod non ſemel dicit.

37. Colaphis tuber est totum caput.] Tuber eſt genus cibi, collectum ex tumentibus, & quaſi praegnantibus arenis. Plus autem hic, quam ſupra, dixit. Supra enim dixit, *Plus quingentos colaphos infregit mihi*; hic vero, Colaphis tuber est totum caput.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Nec ipſa.*] Lego, *Nec ipſae.* Sub. viginti minae.
14. *Sic Virgil. in majus repetit, quod non ſemel dicit.*] Pro his in Mſſ. & editis Rob. Stephano & Lindenbruchio vetuſtioribus legitur: *Sic & Virgilius in majus repetit, q. d. ſ.* Quae poſſint videri aliunde adſuta Donato; illa vero, *q. d. ſ.* iiſdem notare, *quae dixit ſupra.*

COMMENTARIUS.

habeo, legit, virum hoc habeo, ad Plaut. Caſ. II. 8. 34. refertque ad formulam adagiî in manifeſto deprehenſos. Sic Eun. V. 1. 19.

33. Dividuum face.] Videtur ſimpliciter dictum, pro, *Divide in duas partes.* Sic Plaut. Rud. V. 3. 52.

Dividuum *talentum* faciam.

Et mox:

dimidium tibi ſume: dimidium huic cedo.

Martial. I. 76.

Dimidium donare Lino, quam credere totum
Qui mavult: mavult perdere dimidium.

Apulej. Apol. *Sin vero uno unave ſuperſtite diem ſuum obiiſſet; uti tum* dividua pars *dotis poſteriori filio, reliqua prioribus cederet.* Mſſ. quidam, dimidium face.

34. Corradet.] Vide Heaut. I. 1. 89. Phorm. I. 1. 6. Lucret. VI. 443.

Vortex, conradens *ex aëre ſemina nubis.*

Plaut. Poen. V. 6. 25.

Verum, obſecro te, ut liceat ſimplum ſolvere.
Trecentos Philippos: credo, corradi *poteſt.*

Ita diſtinguo hunc locum. In quibuſdam Mſſ. ita ordinantur voces, Minas corradet alicunde decem.

35. De sorte.] Intelligit dimidium ſortis, decem minas. viginti enim minis emta erat Sannioni puella. Eſt vero h. l. *Sors* ſumma ſeu caput pecuniae, unde lucrum fit nomine uſurae & reditus. Plaut. Moſtell. III. 1. 34.

Qui

Etiam inſuper defrudet? nuſquam abeo. *Sy.* Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? *Sa.* Immo hercle hoc quaeſo, Syre;
Utut haec ſunt facta, potius, quam lites ſequar,
Meum mihi reddatur: ſaltem quanti emta 'ſt, Syre.
Scio te non uſum antehac amicitia mea:
Memorem me dices eſſe, & gratum. *Sy.* Sedulo

Fa-

DONATI.

38. Etiam insuper defrudet?] Αὔξησις apta Lenoni avaro. nam honeſtior perſona non hunc ordinem faceret. Defrudet.] Fraude decipiat. Nusquam abeo.] Hoc dictum vim habet comminantis: niſi illud cum contemtu ſuſceperit Syrus. Ut lubet.] Negligenter ſervus reſpondet, ut rogetur a Lenone.

39. Numquid vis, quin abeam?] Haec eſt plena locutio. Numquid vis, deſiderat ſupplementum. Et hoc uti dicto diſcedentes ſolent, Quin, nunc, *quare non* ſignificat. Immo, hercle hoc quaeso, Syre; ut ut haec sunt facta.] Ipſe ſibi ſatisfacit. Ut ut enim, *quoquomodo* ſignificat, diverticulum ad preces faciens.

40. Potius, quam lites sequar.] Quia dixerat Aeſchinus, *Nunc vide, utrum vis: argentum accipere, an cauſam meditari tuam.*

41. Meum mihi reddat.] Sortem, quam ſolam ſupra recuſabat. Et oratorie: non enim *Quanti emi* dixit: ſed invidioſe, Meum mihi reddat. Saltem.] Τὸ ἔσχατον. Natum eſt autem a captivis Saltem, qui nihil aliud praeter *ſalutem* a victore petunt.

42. Scio te non usum antehac amicitia mea.] Figura ἀξιοπιστία, per quam oſtendit, ſe fideliter promittere, quod promittit. [15] *Virgilius:*

ſcio me Danais e claſſibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe penates.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Virgil.*] Aeneid. III. 602.

COMMENTARIUS.

Qui mihi neque foenus; neque ſortem *argenti* [*damnat.*
Martial. V. 42.

Debitor uſuram pariter, ſortemque negabit.

Infra V. 3. 30. *De* ſumma *nihil decedet.*

36. Omnes dentes labefecit mihi.] Id Κρούειν eſt Graecis. Unde Belgicum, *Krouwen, een krouw geven.*

37. Colaphis tuber est totum caput.] H. e. Tuberoſum, tuberibus ſcatens. Eſt vero tuber adjectivum ἄκλιτον, ut *uber.* Quod vero Donato tuber ſubſt. eſt *bulbi genus*, malim φῦμα, ἀπόστημα interpretari.

38. Nusquam abeo.] Mſſ. quidam: Nusquam adiero.

Ut lubet. Concedentis formula. Sic And. II. 1. 10. Heaut. V. 3. 61.

39. Immo hercle.] Mſſ. quidam: Immo jam hercle. Mſ. Lipſ. Immo hercle quaeso. omiſſo hoc.

40. Lites sequar.] Vid. And. IV. 5. 16. Phorm. II. 3. 61. Plaut. Perſ. V. 2. 20.

Stultitia 'ſt, quoi bene eſſe licet, eum praevorti Litibus.

41. Meum mihi reddatur.] Rivius Codices emendatiores, & Donati auctoritatem ſequutus, reddat legit. Atque ita ediderunt Rob. Stephanus, Pulmannus, Aldus. Sed & ita exhibent editiones Venetae annorum 1490. & 1512. cum Anonyma & Tarviſiana; probat etiam Guyetus.

42. Scio.] Mſſ. quidam, & edit. 1469. aliacque veteres, Scio, te non esse usum antehac amicitia mea. Guyetus integrum hunc verſum reſecat, merito improbante Boeclero.

43. Memo-

Faciam. ſed Cteſiphonem video. laetus eſt
De amica. *Sa.* Quid, quod te oro? *Sy.* Pauliſper mane.

DONATI.

43. MEMOREM ME DICES.] Figurate eſt inducta promiſſio praemiorum. Et bene utrumque narrat. nam non continuo qui *memor* eſt, etiam *gratus* eſt. *Memor* enim eſt, qui apud ſe meminit. *Gratus* qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi ſunt *memores*, *ingrati* tamen. SEDULO FACIAM.] Sic promittit, ut nihil ſua intereſſe credatur. SEDOLO.] De induſtria, ſine dolo.

44. SED CTESIPHONEM VIDEO.] Adventus in proſcenium perſonarum quum conſulto conſilio fingantur a Poëta, tanquam ſuperveniant aliis rebus in medio poſitis, quae ipſarum interventu finiantur. mire tamen, quod quaſi ex argumento fit, ut futuri actus ſui, ante quam loqui incipiant, deſcribantur. LAETUS EST DE AMICA.] Hoc lentius, & ſummiſſe.

45. QUID, QUOD TE ORO?] Deeſt *agis*: ſeu deeſt *ego*. QUOD TE ORO.] Aut *ſi quid*, aut *propter quod*, ſubintelligimus: ut ſit, Quid mihi non reſpondes de eo, propter quod te oro: aut ſi quid te oro? Et quam bene faſtidioſum Lenonem facit Syrus, ut optans ille deſperando viginti minas accipiat. nam & ſupra non intendenti dicit totiens in uno ſenſu hoc idem Syrus de amica. Poteſt hoc interrogative pronuntiari.

COMMENTARIUS.

43. MEMOREM ME DICES ESSE, ET GRATUM.] Cic. Fam. XIII. 9. *Te ſocios* Bithyniae, *ſi iis commodaris*, memores eſſe, & gratos *cogniturum*. Et Fam. XIII. 67. *Multis rebus expertus ſum* gratum *hominem, meique* memorem.

QUID, QUOD TE ORO?] Formula quaerentium; quid dicendum ſit. Sic Eun. III. 2. 51. Guyetus integrum hunc verſum hominis indocti foetum dicit. ſed merito vapulat a Boeclero.

ACTUS SECUNDI

SCENA TERTIA.

CTESIPHO. SYRUS.

Ct. ABs quivis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas.

Verum

DONATI.

ABS QUIVIS HOMINE, QUUM EST OPUS, BENEFICIUM ACCIPERE GAUDEAS.] *In hac Scena gratiarum actio eſt ex perſona ejus qui praeſtitit, & ejus cui praeſtitum eſt,* &

COMMENTARIUS.

1. ABS QUIVIS HOMINE, QUUM EST OPUS, BENEFICIUM ACCIPERE GAUDEAS.] Sequutus ſum vulgarem & uſitatam diſtinctionem, referendo BENEFICIUM non ad OPUS, ſed ad ACCIPERE. In qua re poſt Donatum haeſitabat Georg. Fabricius. Neque aliter legendum Phorm. III. 3. 5.

Quin,

Verum enim vero id demum juvat, ſi, quem aequum 'ſt bene facere, is facit.
O frater! frater! quid ego nunc te laudem? ſatis certo ſcio;
Numquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua.

Ita-

DONATI.

& ex ipſius [1] *pretii quantitate. Nam omne quod geritur, aut in rebus eſt, aut in perſonis, aut in* [2] *attributis eorum.*

1. Abs quivis homine.] Bene ſic coepit, dicturus, O frater! frater! Et Qui ſecundum regulam dixit: quia dicimus Quibus. caeterum a *Quo*, *quis* facit, non *Quibus*. Et incerta diſtinctio eſt: quum est opus, beneficium accipere, vel quum beneficium est opus. Hoc vetus, illud communiter.

2. Id demum juvat.] Oſtendit plus eſſe quod juvat, quam gaudium. Is facit.] *Bene*, ſubaudiendum eſt, bis numero.

3. O frater! frater!] [3] *Virgilius*,

& fratrem ne deſere frater.

Unum relatum eſt ad appellationem: alterum ad laudem. Et ſubdiſtinguendum, ut videatur quaeſiviſſe, quid ultra diceret, & plus invenire ſe non potuiſſe, quam, frater! Quid ego nunc te laudem?] Quid, propter quid. Et Nunc te, τῷ ἰδιωτισμῷ additum eſt de ſuperfluo: Ut,

[4] *tu nunc Carthaginis altae*
Fundamenta locas?

Quid ego nunc te laudem?] Quia laus, genus cauſae eſt, quod non adhibetur, niſi dubiae rei. Quid ego nunc te laudem?] Diſtinguendum. Quid autem, pro *ad quid*.

4. Numquam ita magnifice.] Deeſt *quod*: ut ſit, *quod numquam ita magnifice*. Duplex cauſa eſt omittendae laudis, ſi res aut nimium mala eſt, aut nimium bona. Id virtus quin superet tua.] Bona περίφρασις. virtus tua potius, quam *tu*.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Pretii.*] Mſ. Boend. cum edd. vetuſtis; ante Rob. Stephanum, *praemii*.
2. *Attributis.*] Mſſ. & editi omnes antiqui, *Tributis*.
3. *Virgilius.*] Aeneid. X. 600.
4. *Tu nunc.*] Virgil. Aeneid. IV. 265.

COMMENTARIUS.

Quin, cum opus eſt, beneficium rurſum ei experiamur reddere?

Aliter Plautus, Capt. II. 2. 108.

Quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida eſt bonis.

Perſ. IV. 5. 2. *ſi quid bonis*
Boni fit, eſſe idem & grave & gratum ſolet.

2. Quem aequum 'st benefacere, is facit.] Exhibeo editiones optimas, Rob. Stephani, Mureti, Eraſmi, Goveani, Bergii, Venetas, Anteſignani, Fabrini, aliorum. In aliis eſt, Quem aequum est facere, is bene facit. Rurſus in aliis: Quem aequum est benefacere, is bene facit. Donatum legiſſe, Quem aequum est facere, is facit, apparet ex ejus verbis, bene, *ſubaudiendum eſt bis numero*. Quod mirum eſt, non intellexiſſe Guyetum. Scribit enim: *Quae ſequuntur verba*, bis numero, *addititia ſunt, & inepta*. Credo, quia ante illa, *bis numero*, invenit τελείαν στιγμήν, quales editiones & mihi videre contigit.

3. Quid ego nunc te laudem?] Mſſ. quidam, Quid ego te nunc laudem. Sic Eun. III. 5. 17. Menander:

Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ὁμονοίας ἔρως!

Vide Interpretes ad Pſalm. CXXXIII. 1.

4. Numquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua.] Cic. pro L. Manil. 11. *Jam vero virtuti Cn. Pompeji, quae poteſt par oratio inveniri?* Petron. cap. 126. *Nulla vox eſt, quae formam ejus poſſit comprehendere: Nam, quidquid dixero, minus erit.* Caecilius, Oboloſtate:

Si linguas decem habeam, vix habeam ſatis, te qui laudem.

Quod poſſit videri expreſſum ex Homerico illo, Iliad. B. 489.

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.

Non, ſi mihi decem quidem linguae, decem autem ora ſint.

Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror,

Fratrem homini nemini eſſe primarum artium magis principem.

Sy. O Cteſipho! *Ct.* O Syre! Aeſchinus ubi eſt? *Sy.* Ellum! te exſpectat domi. *Ct.* Hem!

Sy.

D O N A T I.

5. ITAQUE UNAM HANC REM ME HABERE.] ITAQUE & ſubjunctivum poteſt eſſe, media ſyllaba correpta: & praepoſitivum, producta eadem ſyllaba, ut ſit STAQUE.

6. FRATREM.] Nove dixit UNAM REM, *Fratrem*. Sed ego puto FRATREM non ſubdiſtinguendum, ſed legendum contexte uſque ad PRINCIPEM. Nam ſi diſtinxeris FRATREM, erit bis, ut arbitror, ſubaudiendum, & ſupra, & infra. Quod ſi FRATREM inferioribus junxeris, & cum admiratione pronuntiabitur, & ſubaudietur, *Quam mihi*. Hanc ſane locutionem ſcire debemus, [5] propter perſonam elaboratam. nam nimium gaudet, & ruſticus adoleſcens eſt, qui laudare conatur Aeſchinum: quaſi titubans, & pene balbutiens. HOMINI NEMINI.] Nove auribus noſtris, ſed veterum conſuetudine locutus eſt. nam quum NEMINI, *hominem* ſignificet: quid opus fuit dicere, HOMINI NEMINI? Sed ut diximus, figura eſt ἀρχαϊσμός.

7. O CTESIPHO!] Mire coepit, gaudium ſignificans, O CTESIPHO. O SYRE!] Ille ut gaudens: hic, ut qui non praeviderit, O dicit. O SYRE! AESCHINUS UBI EST?] Bene ſtatim de illo, cui agebat gratias, loqui coepit. ELLUM!] Ecce illum: vel pronomen eſt, vel adverbium demonſtrantis. Alii interrogative legunt: ut ſit, ELLUM *dicis?* TE EXSPECTAT DOMI. ut ſit, ELLUM pronomen, id eſt, *illum*. nam & *illum*, & *ellum*, & *ollum* veteres dixerunt. DOMI.] Adverbium eſt in loco. HEM!] Interjectio eſt laetantis.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Propter perſonam elaboratam.*] Ita Rob. Stephanus edidit. Mſ. Bocud. & Libri impreſſi vetuſtiores, *per perſonam elaborantem, ſic dictam.* pro quo editio Tarviſiana legit, *ſic pictam.*

COMMENTARIUS.

Virgilius Georg. II. 43. & Aen. VI. 625.

Non, mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum.

Hoſtius Poeta in Libro II. Belli Hiſtrici, laudatus Macrobio, Saturn. VI. 3.

non, ſi mihi linguae
Centum, atque ora ſient totidem, voceſque liquatae,

Accius, Bacchide:

Quod neque ſat fingi, neque ſatis dici poteſt
Pro magnitate.

6. HOMINI NEMINI.] Variant Mſſ. & editi. In aliis eſt, FRATREM HOMINI NEMINEM ESSE. In aliis, FRATREM HOMINEM ESSE. Duo Mſſ. Leidenſes, HOMINUM NEMINEM. Duo, HOMINI NEMINEM. Unus, HOMINEM NEMINEM. Mſ. Traject. FRATREM. HOMINUM NEMINEM ESSE PRIMARUM MAGIS PRINCIPEM.

PRIMARUM ARTIUM MAGIS PRINCIPEM.] Quae hic ex Pindaro obſervat Guyetus, aliter in Α'νειδότοις, aliter in impreſſo Codice leguntur. Videtur autem intelligere Artem Amandi. Linacer Lib. VI. locutionem hanc Helleniſmum infinitae orationis vocat, cujus ſenſus ſit, *Fratrem talem, ut nemo homo ſit magis princeps primarum artium.*

7. TE EXSPECTAT.] Mſ. Lipſ. EXSPECTAT TE.

8. VIVO.] H. e. Reſipiſco; cum antea occidiſſe, & pene ſcpultus viderer. Cic. pro P. Sext. 31. *Res erat, & cauſa noſtra eo jam loci, ut erigere oculos, &* vivere *videretur.*

FESTIVUM CAPUT!] Editio Anonyma, Tarviſiana, anni 1481. Veneta 1490. Heinſius in edit. Amſtelod. 1618. Syro haec tribuunt; quod ſequuta eſt Dacieria. Quando tamen dubium manet, Aeſchinumne intelligat ſervus, an Cteſiphonem. Mſſ. plerique omnes tribuunt Cteſiphoni; atque in iis quinque Leidenſes.

9. Qui

Sy. Quid eſt? *Ct.* Quid ſit! illius opera, Syre, nunc vivo. feſtivom caput!
Qui omnia ſibi poſtputavit eſſe prae meo commodo:
Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in ſe tranſtulit.
Nihil

DONATI.

8. Quid sit!] Deeſt, *quaeris?* ſed eſt admirantis magis, quam interrogantis. Illius opera.] Dicendo opera, & corporeum laborem Aeſchini oſtendit, & religionem. Ut,

> [6] *Hunc mihi da proprium, virgo ſata nocte, laborem,*
> *Hanc operam.*

Hanc religionem ait: ut,

> [7] *annua magnae*
> *Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis.*

Illius opera, Syre, nunc vivo.] O miram amplificationem beneficii. non dixit, *Illius opera amicam habeo:* ſed quod ſatis grave, & ſatis amatorium, Illius opera nunc vivo, inquit. Festivom caput!] Huic contrarius ſenſus eſt, *Ridiculum caput.* Alii putant, festivom caput, non Aeſchini intelligendum, ſed orationis, quam habet Cteſipho, agens gratias fratri. Ita in Eunucho, *Quam venuſte! quod dedit Principium adveniens!* Quod ſi eſt, nihil poteſt ſupra hanc laudationem: nam ſupra hoc factum erit accipiendum. ſed male: nam [8] *caput Aeſchini*, id eſt, ipſum Aeſchinum: ut in toto pars ſit per συνεκδοχὴν: in qua figura & pars pro toto ponenda eſt, quae aut eminet ex toto, aut majoris pretii eſt ad id quod agitur. Quod ipſum ſic eſſe obſervatum a bonis auctoribus, ſi exempla συνεκδοχῆς penitus conſiderare ſtudes, invenies.

9. Quin omnia.] Admirative Quin: & ſic pronuntiandum Quin, τὸ παρέλκον uſque ad Maledicta, famam. Prae meo commodo.] Id eſt, mei commodi comparatione: ut in Eunucho, *Hic ego illum contemſi prae me*, id eſt, mei comparatione.

10. Maledicta, famam.] Maledicta; [9] aut lenonis; aut Demeae: Famam autem, populi. nam ſi aliter acceperis, idem *maledictum* videbitur & mala *fama*. Meum amorem, et peccatum.] De rapienda meretrice, & amanda. Meum amorem, et peccatum.] Quum dixiſſet omnia, duo tantum intulit, Maledicta & Famam: ut,

> [10] *Omnia Mercurio ſimilis, vocemque coloremque.*

Et hoc, ut ſit defectus quidam intelligendus ex affectu gratias agentis. In se transtulit.] Pulchra παρασκευὴ, quia erratura eſt Soſtrata circa Aeſchinum, quemadmodum jam erravit Demea, eo quod ab illo credidit amari meretricem.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Hunc mihi.*] Virgil. Aeneid. VII. 111.
7. *Annua.*] Virgil. Georg. I. 338.
8. *Caput Aeſchini, id eſt, ipſum Aeſchinum.*] Mſ. Boend. & primae editiones, *Caput Aeſchini intelligo ipſum Aeſchinum.* Rob. Stephanus utramque edidit, *Caput Aeſchini intelligo, id eſt, ipſum Aeſchinum.*
9. *Aut lenonis.*] Mſ. Boend. & editiones veteres ante Rob. Steph. *Aut Miciomis.*
10. *Omnia.*] Virgil. Aeneid. IV. 558.

COMMENTARIUS.

9. Qui omnia sibi postputavit.] Rich. Bentlejus, V. Cl. ad Horat. Serm. I. 10. 21. ex Donato & Codd. Faërni, ſed & e duobus Britannicis optimae notae legit, Quin omnia sibi postputarit. Sic Hec. III. 5. 33. Praeſtat autem postputavit legere, vel ideo, quod verſu ſeq. etiam transtulit dicit.

Prae meo commodo.] Editio anni 1469. Pro meo commodo.

10. Peccatum in se transtulit.] Vide And. II. 3. 5. Non valde diſſimilis locutio ſacra, Eſai. LIII. 4. אכן חלינו הוא נשא Quod in Evang. Matth. VIII. 17. vertitur, Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε. Belgae optime: *Hy heeft onse krankheden op ſich genomen.*

Nihil pote ſupra. ſed quiſnam? foris crepuit. *Sy.* Mane, mane! ipſe exit foras.

DONATI.

11. NIHIL POTE SUPRA.] Ἔλλειψις per admirationem eſt: ſubaudiendum eſt enim vel *Eſſe*, vel *Dici*. Ut POTE pro *potis*, & *mage*, pro *magis*. Τῷ ἀρχαϊσμῷ. SED QUIS NAM? FORIS CREPUIT.] Reſonuit: ut *decrepiti* dicti ſunt clamoſi ſenes. FORIS ſingularis numeri, nominativi caſus MANE] MANE, gaudentis eſt hoc dictum, non operiri jubentis.

COMMENTARIUS.

11. NIHIL POTE SUPRA.] Mſſ. quidam, NIHIL SUPRA POTEST.

SED QUISNAM? FORIS CREPUIT.] Libri quidam vetuſti, poſt editionem Anonymam, SED QUIDNAM FORES CREPUIT? Atque ita Heinſius recenſuit. Mſſ. quidam, SED QUISNAM FORES CREPUIT? Quomodo Leidenſes omnes, niſi quod unus omittit τὸ SED; in uno ſupraſcriptum, APERUIT. Mſ. Traject. & editio Juntina, SED QUISNAM FORIS CREPUIT? τὸ QUISNAM autem antique dictum pro QUAENAM. potuitque ita dixiſſe Cteſipho exſultans gaudio, nec ſatis advertens animum, quae fores crepuerint. Niſi autem legiſſet Donatus, FORES, non annotaſſet, eſſe ſingularis numeri, nominativi caſus. Sic *feles*, *vulpes*, pro, felis, vulpis. Quanquam & FORIS dixerunt. Plaut. Mil. II. 1. 76.

ſed foris concrepuit.

De ratione autem aperiendarum forium vide ad And. IV. 1. 59.

ACTUS SECUNDI

SCENA QUARTA.

AESCHINUS. SANNIO. CTESIPHO. SYRUS.

Aeſ. UBI ille eſt ſacrilegus? *Sa.* Men' quaerit? num quidnam effert? occidi!

Nihil

DONATI.

1. UBI ILLE EST SACRILEGUS?] *Miro Aeſchinus ſervat adverſus Lenonem ſuperbiam, qua oſtenditur tanto eſſe alienior ab amoribus Meretricis, quanto audacior in Lenonem.* MEN' QUAERIT? NUM QUIDNAM EFFERT?] Sperat nunc Leno ſe aliquid acceptu-rum propter convicium. ut alibi, *Minis viginti tu illam emiſti: quae res tibi vertat male! Argenti tan-*

COMMENTARIUS.

1. UBI ILLE EST SACRILEGUS?] Ita edidi, Glareanum ſequutus. Vulgo, UBI EST ILLE SACRILEGUS? Malim tamen, ſi per Codices liceret, UBI ILLIC EST SACRILEGUS? Sic And. III. 5. 1. & V. 6. 1. Nam ILLIC pro ILLE uſitatum Comicis. Sic And. II. 6. 27. Plautus ſaepius.

MEN'

Nihil video. *Aeſ.* Ehem! opportune: te ipſum quaero. quid fit, Cteſipho?

In tuto 'ſt omnis res: omitte vero triſtitiam tuam.

Ct. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem. o mi Aeſchine!

O

DONATI.

tantum dabitur. ¹ Et vide, quanti faciat Leno prae lucro injuriam, qui ſe *ſacrilegi* nomine ſignificari non ſolum non dolet, ſed etiam cupit. Oportet autem MENE QUAERIT? cum quadam geſticulatione & ſubſultatione ſperantis Lenonis ad hoc ſe quaeri, ut accipiat, pronuntiare. OCCIDI! NIHIL VIDEO.] OCCIDI, non quis ſacrilegus dictus eſt, ſed quia nihil accipit. Et ſimul geſtum conſidera loquentis ex verbis. OCCIDI! NIHIL VIDEO.] Mire hoc verbo apparet, in vultu Lenonis & ſpem mortuam, & extinctum gaudium. nam & apta eſt ἔλλειψις haec dicentis: OCCIDI! NIHIL VIDEO. neque enim addidit *Proferri*, aut quid tale.

2. EHEM!] Interjectio repentinae rei. OPPORTUNE: TE IPSUM QUAERITO.] Ἀσύνδετον. deeſt *Veniſſe*: non enim ſequenti nectitur. QUID FIT, CTESIPHO?] QUID FIT, blandum initium eſt. non enim nunc interrogat, quum ipſe dicat, IN TUTO 'ST OMNIS RES. ² ſic ipſe mox in ſubditis, *jam nunc haec tua*, addidit praeter naturam quaeſtionis. QUID FIT?] Quid agitur?

3. IN TUTO 'ST OMNIS RES.] Quaſi amatori, omne dixit negotium de amica. An OMNIS RES, & Lenonis jurgium, & ſuſpicio patris Demeae? OMITTE VERO.] VERO, abundat: aut correptivum eſt, jamdudum non omittentis. TRISTITIAM TUAM.] Sic dixit, quaſi nimiam.

4. EGO ILLAM HERCLE VERO OMITTO.] Apparet non nunc primum dici Cteſiphoni ab Aeſchino, OMITTE VERO TRISTITIAM TUAM. nec nunc primum reſponſum, OMITTO: & ideo additum eſt, HERCLE VERO. quia nunc demum data eſt plena ſecuritas. QUI QUIDEM TE HABEAM FRATREM.] Acuendum TE.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et vide, quanti faciat leno prae lucro injuriam.*] Ita poſt Rob. Stephanum vulgo editur. Mſ. Boend. & editiones primae magis ad mentem Poëtae & Interpretis: *Et vide, quantam ferat leno pro lucro injuriam.*

2. *Sic ipſe mox in ſubditis.*] Haec, & quae ſequuntur, corruptiſſima ſunt. neque tamen a Libris quidquam praeſidii. Reſtituo ex conjectura: *Sic ipſe Demea in ſubditis:* JAM NUNC HAEC TRIA PRIMUM AUDIDI PRAETER NATURAM: O NOSTER! QUID FIT? QUID AGITUR? Quae Demeae verba ſunt, infra V. 5. 3. & 4.

COMMENTARIUS.

MEN' QUAERIT?] Ita plurimi Libri. Pauci cum Codice Bembino citra interrogationem. quod laudat Tanaq. Faber. Atque ita eſt in edit. Amſtelod. ex recenſione Heinſii, 1618.

NUM QUIDNAM EFFERT?] Mſſ. quidam: NUM QUIDNAM EFFERTUR? Alii, NUM QUIDNAM AFFERT? quomodo eſt in uno Mſſ. Leidenſium. Sed in uno, NUM QUIDNAM AFFERT ARGENTUM? ex gloſſa.

2. AE. EHEM! OPPORTUNE.] Hunc & ſequentem verſum interpolatum eſſe, ſuboluit Guyeto. diſtinguit ergo, AE. HEM, CTESIPHO, OPPORTUNE. TE IPSUM QUAERO. CT. QUID, AESCHINE? AE. IN TUTO 'ST OMNIS RES. OMITTE VERO TRISTITIAM TUAM. Malim leviori mutatione: AE. EHEM! OPPORTUNE: TE IPSUM QUAERO. CT. QUID FIT? AE. CTESIPHO, IN TUTO 'ST OMNIS RES. OMITTE VERO TRISTITIAM TUAM. In Mſſ. Leidenſium uno eſt, AE. EHEM OPPORTUNE, TE IPSUM QUAERITO, CTESIPHO, QUID FIT? IN TUTO 'ST OMNIS RES. OMITTE VERO TRISTITIAM TUAM. Editio Anonyma, HANC TRISTITIAM TUAM.

3. IN TUTO 'ST OMNIS RES.] Sic Plaut. Merc. II. 3. 48.

Res *adhuc quidem hercle* in tuto 'ſt.

Vide ad And. V. 2. 4.

4. HERCLE VERO.] Ita plerique Libri. Mu-

O mi germane! ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id aſſentandi magis, quam quo habeam gratum, facere exiſtumes.

Aeſ. Age, inepte: quaſi nunc norimus nos inter nos, Cteſipho.
Hoc mihi dolet, nos pene ſero ſciſſe; & pene in eum locum
Rediſſe, ut ſi omnes cuperent, nihil tibi poſſent auxiliarier.

Ct.

D O N A T I.

5. O MI GERMANE!] MI, *meus:* ſed vocativo dixit caſu: CORAM IN OS TE LAUDARE AMPLIUS.] CORAM, ad ipſum pertinet qui laudat, & ad eos qui audiunt: IN OS, ad ipſum qui laudatur. Nam CORAM *laudat*, qui non tacet apud alios, & hoc agit non per epiſtolam, ſed ipſe praeſens. IN OS, qui apud ipſum loquitur, quem collaudat. LAUDARE AMPLIUS.] Quia laudavit.

6. NE ID ASSENTANDI.] Antiqua ἔλλειψις, deeſt enim *Cauſa.* ASSENTANDI.] Adulandi. Et utrum deeſt *Cauſa*, an ad ipſam litem ſic dicitur? NE ID ASSENTANDI.] Specta, ſi non ruſticus adoleſcens eſt, & puriſſimae ſimplicitatis, adeo ut etiam velit laudare fratrem nimio pudore non poſſit, hoc ſolo quia praeſens eſt, quum illum nimium laudarit abſentem. QUAM QUOD HABEAM GRATUM.] Varie: non enim intulit, *quam gratias agendi* QUOD.] Quia.

7. AGE, INEPTE.] Non eſt injuria, quia & major frater eſt, & blanda dicturus.

8. HOC MIHI DOLET.] Τῷ ἰδιωτισμῷ. MIHI DOLET, pro *Doleo.* Et DOLET bis ſubaudiendum eſt. ET PENE IN EUM LOCUM REDISSE.] Inſinuatio beneficii: ex periculo & difficultate, ob tempus.

9. UT SI OMNES CUPERENT.] Non, ſi ego tantummodo, aliis adverſantibus.

O B S E R V. I N D O N A T.

* 3. *Ex periculo & difficultate.*] Mſ. Boend. & edd. vett. *Ex periculo difficultatis.*

C O M M E N T A R I U S.

vetus tamen FACILE VERO defendit, quomodo & erat in omnibus Mſſ. Boecleri, ſed & in Mſ. Lipſ. & edit. anni 1469. denique Juntina.

5. CORAM IN OS TE LAUDARE.] Graeci idem varie exprimunt: ἐπαινεῖν παρόντα, κατὰ στόμα, κατ' ὀφθαλμοὺς, εἰς κεφαλήν. Gratius vero eſt, abſentem laudari. Cic. pro Sext. 40. *Adiis ad remp. tribunus plebis, Milo: de cujus laude plura dicam, non quo aut ipſe haec dici, quam exiſtimari malit, aut ego hunc laudis fructum praeſenti libenter impertiam.* Contrarium eſt infra V. 4. 10. *Nulli laedere os.* Eleganti metaphora rem expreſſit Themiſtius Orat. III. de Amicitia: Οὐδὲν ἄν, οἶμαι, τῶν τοξευόντων διαφέρωσιν οἱ ἐπαινοῦντες. ἐντονώτερα γὰρ καὶ τούτων τὰ βέλη πόῤῥωθεν ἀφιέντων, ἢ σφόδρα ἐγγύθεν.

6. ASSENTANDI.] Ellipſis Attica etiam Livio familiaris.

QUO HABEAM GRATUM.] Ita edidi ex Codice Bembi, & auctoritate aliorum, ſimul metro ſuadente. In aliis eſt, QUAM QUOD HABEAM GRATUM. Rurſus in aliis, QUAM HABEAM QUOD GRATUM. Editio Tarviſiana legit, NE ID ASSENTANDI MAGIS AESTIMES, QUAM QUOD HABEAM GRATUM, FACERE. Alii aliter. Inferendum autem fuerat, QUAM GRATIAS AGENDI. Pro quibus verbis in vetuſtiſſimis Donati editionibus legitur: *Quas gratias agenti.* barbare. Auſon. Epiſt. XVII. *Haec, Domine mi, fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur eſſe, quam verius.*

7. QUASI NUNC NORIMUS NOS INTER NOS.] Haec varie leguntur, Edit. 1469. & aliae, QUASI NUNC NON NORIMUS NOS. Ita Fabrini, *Come ſe noi non ci conoſciamo hora.* Rurſus alii: QUASI NON NORIMUS. Illud autem NUNC videtur exponendum per

Digitized by Google

Ct. Pudebat. *Aeſ.* Ah! ſtultitia 'ſt iſtaec, non pudor, tam ob parvolam
Rem pene ex patria? turpe dictu. Deos quaeſo, ut iſtaec prohibeant.
Ct. Peccavi. *Aeſ.* Quid ait tandem nobis Sannio? *Sy.* Jam mitis eſt.

Aeſ.

DONATI.

10. PUDEBAT.] Deeſt *Fateri.* STULTITIA 'ST ISTHAEC.] ◆ Hoc ſcilicet fateri ei, qui ipſe patri numquam quidquam celaverit. TAM OB PARVOLAM REM.] Ergo diminutivis adjungitur TAM particula. Et deeſt *Perire:* ſed τῷ εὐφημισμῷ tacetur. TAM OB PARVOLAM REM.] Id eſt, meretricem. Et bene hic dicis Aeſchinus, quaſi qui majora expertus ſit, id eſt, vitium virginis.

11. PENE EX PATRIA?] Deeſt, *Fugere:* quia amatores comici cito comminantur, patriam ſe deſerturos, ut amicas ſequantur. PENE EX PATRIA?] Ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν. 5 *Menander*, mori illum voluiſſe fingit: *Terentius* fugere. TURPE DICTU.] Te fugere ſcilicet. Et deeſt *eſt.* UT ISTAEC PROHIBEANT.] Id eſt, exilium, fugamque patriae.

12. PECCAVI.] Approbavit ex periculo magnitudinem beneficii. QUID AIT TANDEM NOBIS SANNIO?] NOBIS, τῷ ἰδιωτισμῷ additum eſt. non enim NOBIS intelligendum eſt. JAM MITIS EST.] Quia debacchatus eſt ſupra Leno, JAM MITIS EST dixit.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Hoc ſcilicet fateri ei.*] Ita Libri omnes, ſed nullo ſenſu. Forte, *Hoc volle celare ei.*

5. *Menander.*] Ex conjectura Petri Nannii reſcribendum, *Diphilus.* Vide Prologum, verſu 6.

COMMENTARIUS.

per *nunc demum*, *nunc primum.* Cic. Fam. XIII. 76. *Ut nihil poſſit eſſe conjunctius*, *quam* nos inter nos *ſumus.*

8. HOC MIHI DOLET.] Mſſ. & editi quidam, SED HOC MIHI DOLET.

PENE SERO SCISSE.] Sub. puellam Cyprum eſſe deportandam, & pro mancipio vendendam.

IN EUM LOCUM REDISSE.] Sic Phorm. I. 2. 5. ex quo loco conficias, τὸ REM hic excidiſſe; quod Guyetus in tribus Codicibus veteribus ſcriptum invenit. Legerim igitur, ET PENE REM IN EUM LOCUM REDISSE. Atque ita habet editio Anonyma, & Tarviſiana, anni 1481. ſed & Veneta, anni 1490. Similis locutio eſt infra III. 2. 1.

10. PUDEBAT] Sub. Amorem meum aperire patri.

◆ STULTITIA 'ST ISTAEC, NON PUDOR.] Ideo *ſtultitiam* vocat Aeſchinus, quidquam celare patrem, quod ipſe nihil celaret Micionem. Supra I. 1. 29.

11. DEOS QUAESO, UT ISTAEC PROHIBEANT.] Videntur haec a Syro dicta. Neque enim ipſius narrantis, ſed alterius verba eſſe ſolent. Sic Heaut. V. 4. 15. ſtomachante Chremete infert Soſtrata, *Di iſtaec!* Et Hec. II. 1. 10. Soſtrata ſe purgante, infert Laches, *Di mala prohibeant!* Cic. Fam. XII. 6. *Quod Di omen avertant!*

12. QUID AIT TANDEM NOBIS SANNIO?] Emphaſin habent voces TANDEM & NOBIS. Sic infra IV. 5. 31. & III. 4. 30.

MITIS EST.] Nimirum ex debacchante. Sic IV. 1. 18.

Quum fervet maxime, tam placidum, quam ovem reddo.

Afranius, Divortio:

Immo illum mitem *faxo faciant fuſtibus.*

Cic. de Senect. 4. de Fabio Maximo: *Annibalem juveniliter exſultantem patientia ſua* molliebat.

13. AD

Aeſ. Ego ad forum ibo, ut hunc abſolvam: tu intro ad illam, Cteſipho.

Sa. Syre, inſta. *Sy.* Eamus: namque hic properat in Cyprum. *Sa.* Ne tam quidem.

Quamvis etiam maneo otioſus hic. *Sy.* Reddetur: ne time. *Sa.*

DONATI.

13. Ego ad forum ibo.] Tunc enim, in foro & de menſae ſcriptura magis, quam ex arca domoque, vel ciſta, pecunia numerabatur. Ut hunc absolvam.] Id eſt, ut hunc, reddito illi pretio, dimittam. Nam veluti ligati ſunt, quibus debetur aliquid. [6] Dicuntur etiam *ſervi* illi *ſolvi*, qui quum debitores pretiorum fuerint, pecuniam reddunt debitam. Eſt ergo Absolvam, pro, *a me ſolvam.* An jocatur in triſtitia Lenonis, qui illum cum barba lenonia, & moeſto vultu ſequitur, tanquam reus? Tu intro ad illam, Ctesipho.] Bona ἔλλειψις, ſignificans laetitiam potiundae meretricis.

14. Syre, insta.] Jam Syrus, non ut adjuvet, ſed ut inſtanter adjuvet, rogatur. Eamus: namque hic properat.] Hoc clamat Syrus, ut beneficium oſtendat: ſane ita ut rurſus Lenonem de profectione abſterreat. Ne tam quidem.] [7] A Lenone inconſtanter dicitur, ut perturbatio metuentis, magnum damnum poſſit oſtendere. Ne tam quidem.] Tam pro *Tantum.* an Tam pro *Tamen?* & deeſt, *Dicas me properare*, aut *propero:* ut ſit etiam adverbium hortantis, vel conſentientis.

15. Quamvis etiam.] Pro, *In quantum vis.* Etiam particula, utrum conſentientis adverbium, an conjunctio, qua ſignificat & properare ſe, & non in tantum, ut negligat quod ſibi debetur. Maneo otiosus hic.] Hoc ſeparatim inferendum eſt, [8] quaſi pertinaciter aſſerentem Lenonem inſtaturum ſe exclamationem * facere denotetur. Maneo otiosus hic.] Dixerat enim, Propero: & rurſum conſenſerat in Syri verba, *Properaſſe ſe* dicentis. Reddetur: ne time.] Quod deſperaverat Leno, Syri oſtendit ſermo.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Dicuntur etiam ſervi illi ſolvi.*] Si expungas τὸ *ſervi*, ſenſus erit, ut creditorem & debitorem ligatum eſſe, & proinde recte dici ſolvi. Hic abſolvendus erat creditor Sannio.

7. *A lenone.*] Mſſ. & editi vetuſti, *Hoc a lenone.* Et mox, *poſſet oſtendi*. Sed Mſ. Hulſt. *poſſit oſtendit.* Unde conjicio legendum: *Hoc a lenone inconſtante ita dicitur, ut perturbatio metuentis magnum damnum poſſit oſtendi.*

8. *Quaſi pertinaciter aſſerentem lenonem inſtaturum ſe exclamationem * facere denotetur.*] Lectio corrupta. Mſ. Hulſt. *Quaſi pertinaciter aſſeverantem lenonem inſtaturum ſe exclamatione agendi.* Mſ. Boecl. *Quaſi pertinaciter aſſeverantem lenonem inſtaturum ſe & clam actionem facere denotetur.* In edd. vetuſtis eſt *exclamationem.* Conjiciebam ſcripſiſſe interpretem: *Hic ſeparatim inferendum eſt, quaſi pertinaciter aſſerentem lenonem inſtitoriam* (actionem) *ſe.* (ſcilicet) *exclamatione facere denotetur.* Qui enim in Cyprum non erat profecturus, poterat videri inſtitoriam Athenis velle facere, idque exclamatione ſignificare.

COMMENTARIUS.

13. Ad forum ibo, ut hunc absolvam.] Reſpicit morem veterum, ab argentariis, quorum menſae & tabernae in foro erant, nummos ſolventium. Vide ad Phorm. V. 7. 28. Multa autem huc congeſſit Joh. Theodoricus Bellovacus, merito reſellens P. Nannium, qui ex verbis Syri, infra III. 4. 5. perperam conficit, Micionem a ſe dediſſe nummos, non ab argentario.

Ut hunc absolvam.] Mire dictum, quum debitor proprie ſit abſolvendus, utpote obligatus creditori. Plaut. Moſtell. III. 1. 120.

Abſolve *hunc, quaeſo, vomitum, ne hic nos enecet.*

14. Syre, insta.] Sub. ut mihi argentum renumeretur.

Eamus: namque hic properat in Cyprum.] Haec dicens Servus vult videri partes Lenonis agere,

Digitized by Google

Sa. At ut omne reddat. *Sy.* Omne reddet: tace modo, ac ſequere hac. *Sa.* Sequor.

Ct. Heus! heus! Syre. *Sy.* Hem! quid eſt? *Ct.* Obſecro hercle, hominem iſtum impuriſſimum

Quamprimum abſolvitote: ne, ſi magis irritatus ſiet,

Aliqua ad patrem hoc permanet; atque ego tum perpetuo perierim.

Sy.

DONATI.

16. Ut omna reddat.] Propter illud quod Syrus dixerat, Dividuum face. Et probatum eſt, completumque quod ait, Cupide accipiat, faxo. Et hoc ipſum, cum trepida & vultuoſa ſupplicatione pronuntiandum eſt. Tace modo, ac sequere [hac.] Sic ait Syrus, quaſi nunc Lenonem doceat, quae ſit ars non perdendi. Et totum cum ſupercilio praeſtantis magnum beneficium dicit. Sequor.] [9] Hoc verbo Leno ſatis commitigatus oſtenditur.

17. Heus! heus! Syre.] Ex argumento eſt, oſtendere, quantum timeat Cteſipho ſaevum patrem. Heus! heus!] Vox eſt de longinquo revocantis. Obsecro hercle, hominem istum impurissimum.] Satis manſuete, quaſi *Lenonem*, aut non poſſit ruſticus, aut non audeat dicere, Hominem dixit. Istum impurissimum.] Avariſſimum. Et totum cum execratione Lenonis.

18. Ne, si magis irritatus stet.] Velut clamet ſcilicet: & proprie de Lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam *irritari*, proprie canes dicuntur. [10] *Lucilius* de litera *R*:

Irritata canis quod, homo quam, plurima dictat.

Lenonem autem timet Cteſipho ut ruſticus, ut ſub patre duro, ut amator.

19. Aliqua ad patrem hoc permanet.] Non dicit quid: ſed nos intelligimus *raptam puel-*

* OBSERV. IN DONAT.

9. *Hoc verbo.*] Mſ. Hulſt. *Hoc reſponſo.*

10. *Lucilius.*] Ejus verba e Sat. Lib. I. ita exhibentur in Fragmentis:

Irritata canes quam homo quam planius dicit.

Rob. Stephanus vetuſtiores edd. ſequutus, *plurima* edidit. In Mſ. Hulſt. veſtigia τῦ *planius* ſervantur in *planes*. Conſentit Lindenbruchius.

COMMENTARIUS.

agere, ejuſque cauſam tueri, quum revera eidem fraudi ſit hic ſermo. Certe ita accipit ipſe Leno. Mſſ. quidam & editi vetuſti, Propsrat Cyprum.

Ne tam quidem.] Exiſtimat Guyctus, τὸ tam δεικτικῶς dictum, extenſione ſummi digiti, ut rei minimae. Mihi contra videtur Sannio velle ſignificare, ſe *non tam* properare in Cyprùm, ut non malit ante argentum recipere pro rapta Fidicina. Sic Plaut. Perſ. IV. 6. 11.

To. *Quid* tam *properas?* Sa. *Ita negotium'ſt.*

Certe hunc ſenſum hoc loco firmant ſequentia. Unde recte Fabrini: Ne tam quidem, *ſcilicet propero*; vertitque: *Io non ho tanta fretta.* Editio Anonyma & Tarviſiana, Ne tam cito quidem.

16. At ut omne reddat.] Dividuum facere non vult Leno, quod ſuaſerat Syrus, ne ſcilicet de ſorte quid perdat. Mſ. Mark. Ah, fac ut omne reddat. Quae manifeſta gloſſa eſt.

17. Hominem istum impurissimum.] Convicium in Lenonem paſſim apud Plautum & Terentium, notans *avarum*. Cic. pro Cluent. 25. *Quae pecunia ſimulatque ad eum delata eſt*, homo impuriſſimus *ſtatim coepit in ejuſmodi mente, & cogitatione verſari: nihil eſſe ſuis rationibus utilius.*

18. Irritatus.] Plaut. Amph. II. 2. 75.

So. *Irritabis crabrones.*

19. Aliqua ad patrem hoc permanet.] Sic Plaut. Capt. II. 1. 25.

Neve permanet palam haec noſtra fallacia.

Sy. Non fiet: bono animo es: tu cum illa te intus oblecta interim:

Et lectulos jube ſterni nobis, & parari caetera.

Ego jam, tranſacta re, convortam me domum cum obſonio.

Ct. Ita quaeſo: quando hoc bene ſucceſſit, hilarem hunc ſumamus diem.

DONATI.

puellae ſignificari. ALIQUA AD PATREM HOC PERMANET.] Proprie ſecretum latens latici comparatur, intra vas clauſum exiſtenti: quod, quum effunditur, *manat*. Sic & alibi de committendis ſecretis loquens, *Plenus*, inquit, *rimarum ſum: hac atque illac perfluo*. ATQUE EGO TUNC PERPETUO PERIERIM.] Quaſi & nunc ſe periiſſe ſentiat, ſed non PERPETUO.

20. NON FIET: BONO ANIMO ESTO.] Ut illi liberalis timor eſt: ita Syro ſervilis confidentia. TU CUM ILLA TE INTUS OBLECTA.] Moraliter ILLA dictum eſt, ut, *Daturne illa hodie Pamphilo? & Illa quidem mea erit*. TU CUM ILLA TE INTUS OBLECTA.] Honeſte explicavit [11] turpe dictu.

21. ET LECTULOS JUBE STERNI NOBIS.] [12] Servus. * nihil tam comicum. Et vide ut totum ſuperbe ac magnifice loquatur Syrus.

22. CONVORTAM ME DOMUM.] CONVORTAM, magnifice dictum. verbum eſt enim magni moliminis & agminis ingentis. Nam *Convertere ſe*, dicitur, quem pompa praecedit: ut Imperator proprie convertit exercitum. [13] Et hoc ſpectatur, ut moribus arrogantes ſervi ſint, quum laetantur.

23. ITA QUAESO.] Volunt quidam & hunc verſum Syri perſonae adjungendum: ſed Cteſiphonis verba eſſe, ex ſubditis planum eſt, quum dicit, *Hunc diem miſere nimis cupio, ut coepi, perpetuum in laetitia degere*.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Turpe dictu*.] Mſ. Boend. & edd. vett. *Turpe factum*.

12. *Servus*. * *nihil tam comicum*.] In Mſſ. & impreſſis antiquis lacunae indicium nullum. Mſ. Boend. cum edd. veteribus: *Servus nihil tam comicum, niſi invitus adeo ut totum ſuperbe & magnifice loquatur*. Mſ. Hulſt. pro illis, *niſi invitus adeo*, habet, *ſed eo vultu*. Legerim igitur: ET LECTULOS JUBE STERNI NOBIS.] *Servus. Nihil tam Comicum, ſed eo vultu, ut totum ſuperbe ac magnifice loquatur Syrus*.

13. *Et hoc ſpectatur*.] Mſ. Hulſt. *Ex hoc ſpectatur*.

COMMENTARIUS.

Eadem metaphora uſus Parmeno, Eun. I. 2. 23. & 41. Cic. Fam. VIII. 6. *Invidioſum tibi ſit, ſi emanarit*.

PERPETUO PERIERIM.] Videtur metuere abdicationem & exheredationem. de cujus cauſis vide Quinctil. Inſtit. VII. 4. Plin. VII. 45. Cod. VIII. 47. de patr. poteſt.

20. BONO ANIMO ES.] Mſſ. quidam & editio Anonyma, anni 1469. & Tarviſ. BONO ANIMO ESTO. Ita & Donatus.

21. LECTULOS JUBE STERNI NOBIS.] Loquitur ex more ſervorum, quorum animus, heris vel graviſſimis rebus diſtrictis, ſemper in patinis erat.

22. EGO JAM.] Editio Anonyma, EGO AUTEM JAM.

CUM OBSONIO.] Vide ad And. II. 2. 23.

23. QUANDO HOC BENE SUCCESSIT.] Mſſ. pluſculi non agnoſcunt τὸ HOC. Neque editio anni 1469.

HILAREM HUNC SUMAMUS DIEM.] Sic infra V. 3. 68. Plaut. Epid. I. 2. 54.

> *eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem*
> *Luculente habeamus*.

Valet autem τὸ SUMAMUS idem quod CONSUMAMUS, καταναλίσκωμεν. Editio Anonyma, HILAREM SUMAMUS HUNC DIEM. Ita & Tarviſiana anni 1481. Quid Hilenius Acron hic notaverit & obſervaverit, vide apud Chariſium Lib. II.

ACTUS

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

Sostrata. Canthara.

So. Obſecro, mea nutrix, quid nunc fiet? *Ca.* Quid fiet, rogas?
Recte, aedepol, ſpero. *So.* Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.

Ca.

DONATI.

Obsecro, mea nutrix.] *Haec Scena Tragoediae ordinem ſervat. Nam Tragoedia in tria dividitur, Exſpectationem, Geſta, & Exitum. Hic ergo exſpectatio eſt in Getae nuntio: Geſta, in planctu Soſtratae:* [1] *Exitus*, *

1. Obsecro, mea tu nutrix.] Hinc demonſtratur, qui ſit maternus affectus, quam grata in dominos ſervorum fides ſit: eundemque laborem & dolorem eſſe ex falſis & veris malis. Obsecro, mea tu nutrix.] Perſonae aut ſuis verbis, aut aliorum inſinuantur. Ex ſuis: ut nunc perſona Soſtratae. Ex alienis: ut [2] Micio Aeſchini perſona ex Micionis oratione ac Demeae. Obsecro, mea tu nutrix.] Mea nunc pro blandimento ponitur. Quid nunc fiet?] Imploratio eſt magis trepidantis, quam ignoratio & interrogatio: namque illius nutrix eſt, quippe anicula eſt: ſed non ſapientior nutrix eſt, quam domina ſua. Ipſum etiam quod dicit, Nutrix, honorificum eſt. Ut,

[3] *Annam, chara, mihi, nutrix, huc ſiſte ſororem.*

Sunt enim nomina ad aliquid, quibus nos tamen velimus ab omnibus appellari, ut *Magiſter, Medicus, Orator.*

2. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.] Evidenter hic Modo temporis praeſentis adverbium eſt. Et rurſus Mea tu, blandimentum eſt; ſine quo non progreditur colloquium foeminarum, & maxime trepidantium. Primulum.] Initium, & ipſa origo dolorum, diminutive demonſtrata eſt. Non enim *Primum*, ſed Primulum dicit.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Exitus**] Lacunam hic eſſe, primus, opinor, credidit Rob. Stephanus; quia in Mſſ. & editis antiquis nullum ejus indicium: in quibus omnibus & *geſtum* & *geſtus* legitur. Fortaſſe ita diſtinguendus locus: *Hic ergo Exſpectatio eſt; in Getae nuntio Geſtus: in planctu Soſtratae Exitus.*

2. *Micio Aeſchini perſona.*] Conſtans fere Librorum lectio. Sed vel delendum τὸ *Micio*, vel legendum, *ut modo Aeſchini perſona*; vel potius cum Mſ. Hulſt. *Ut initio Aeſchini perſona.* Intellige initium hujus Fabulae: quo Aeſchini perſona inſinuata eſt a Micione & Demea.

3. *Annam.*] Virgil. Aen. IV. 634.

COMMENTARIUS.

1. Obsecro, mea nutrix.] Ita praeſtantiſſimae editiones, Juntina, Aldina, & his vetuſtiores. In aliis, Obsecro te, mea nutrix. Rurſus in aliis, Obsecro, mea tu nutrix. Mſſ. variant.

Quid fiet, rogas?] Ita plurimi optimique Libri Mſſ. & impreſſi. Vulgo, Quid fiat, rogas?

2. Recte, aedepol, spero.] Sic Heaut. I. 1. 107.

Modo

Ca. Jam nunc times, quaſi numquam adfueris, numquam tute pepereris?
So. Miſeram me! neminem habeo: ſolae ſumus. Geta autem hic non adeſt;
Nec quem ad obſtetricem mittam; nec qui arceſſat Aeſchinum.

Ca.

D O N A T I.

3. Jam nunc times, quasi numquam adfueris, numquam tute pepereris?] Docte duo propoſuit, quibus experientes ſcienteſque rerum ſumus, videre & pati. [4] *Virgilius* ſic,

quaeque ipſe miſerrima vidi:
Et quorum pars magna fui.

Tute, autem pro *tu*: *παρέλκον* eſt, [5] quod * recitatu. Et facit *tute*, & *tutemet*, & *tutemet ipſe*. Numquam tute pepereris?] Vide *προπαρασκευὴν* doloris: nihil mali adhuc ſecutum eſt, & jam ſic turbatur Soſtrata.

4. Miseram me!] Proprium eſt mulierum quum loquuntur, aut aliis blandiri: ut,

[6] *Annam, chara, mihi, nutrix, huc ſiſte ſororem.*

Aut ſe commiſerari. ut,

[7] *miſerae hoc tamen unum*
Exſequere, Anna, mihi.

Nam haec omnia muliebria ſunt, quibus pro malis ingentibus quaſi in acervum rediguntur, & enumerantur nullius momenti querelae. Neminem habeo.] Quid enim opus eſt? aut cur nunc quereris? Neminem habeo: solae sumus.] Muliebriter queritur, & ex perturbatione ſua aeſtimans, metu multa facit ea, quae pauca ſunt. [8] Solae sumus.] Numquam pluraliter Solae. Solae sumus.] Quum hoc nomen ſingularitatis ſit, mire Solae pluraliter dixit. Geta autem hic non adest.] Hic apparatio eſt, ut oſtendatur abſens, qui ſuperventurus eſt.

5. Nec quem ad obstetricem mittam.] Deeſt *Habeo*. Sed in conſuetudine eſt ſic loqui, quum utrumque nobis, non alterutrum, deeſſe conquerimur. Nec quem ad obstetricem mittam; nec qui arcessat Aeschinum.] *Habeo* ſubauditur, & magis a trepidante, quam rationabiliter dicitur: nam refellit hoc totum nutrix Canthara.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Virgilius.*] Aen. II. 5.

5. *Quod * recitatu.*] In editis vetuſtis eſt: *Quod ſi reſciſcitatur, facit Tute & Tutemet, & Tutemet ipſe.* Ml. Boenderm. *Quod ſi reſciſcitatur, ut facit Tute, & Tutemet, & Tutemet ipſe.* In quibus verbis bonus videtur eſſe ſenſus, ſi legas, *Quod ſi res ſciſcitatur, Tu facit Tute, & Tutemet, & Tutemet ipſe* Apponam, quod ſit exempli gratia. *Ego filium corrupi?* Tute. *Egone?* Tutemet. *Egone?* Tutemet ipse. Quae conjectura ſi minus placet, en aliam ſcripturam: Tute *autem pro* tu *παρέλκον eſt. quod ſi* te *recidatur*, facit tu. Tute.] *Et* Tutemet, *&* Tutemet ipse.

6. *Annam.*] Virgil. Aeneid. IV. 634.

7. *Miſerae.*] Virg. Aeneid. IV. 420.

8. Solae sumus.] *Numquam pluraliter* Solae. Non leguntur haec in omnibus Codicibus vetuſtis. Videntur autem poſt proxime ſequentia ab neſcio quo ad marginem allita, ita demum in contextum irrepſiſſe.

COMMENTARIUS.

Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.] Vide ad And. I. 5. 33. Haec perperam in Codicibus nonnullis Cantharae tribuuntur. Eſt autem in his verbis cauſa timoris, quid porro futurum ſit, quum filiae doloribus primulum occipientibus ipſa jam adeo graviter laboret. Tum compellatio, Mea tu, indicio eſt, non eſſe verba Cantharae, quae Soſtratam honeſtiore vocabulo *Herae* appellat, verſu 8. Plaut. Amph. V. 1. 40.

Ibi utero exorti dolores, ut ſolent puerperae.

Idem Menaechm. V. 5. 18.

occeptat *inſanire* primulum.

Propert. IV. 1. 95.

Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram.

3. Jam

Ca. Pol is quidem jam hic aderit: nam numquam unum intermittit diem,
Quin ſemper veniat. *So.* Solus mearum miſeriarum eſt remedium.
Ca. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum 'ſt, hera:
Quan-

DONATI.

6. NUMQUAM UNUM INTERMITTIT DIEM, QUIN SEMPER VENIAT.] NUMQUAM, pro *Non.* ET SEMPER non ad omne tempus retulit: nam qui poteſt? ſed ad omnes dies, ſecundum quod ait, NAM NUMQUAM UNUM INTERMITTIT DIEM.

7. SOLUS MEARUM MISERIARUM.] Bona locutio.

8. E RE NATA.] Sic proprie dicimus de iis, quae contra voluntatem noſtram acciderunt: ut nunc vitium virginis. Ergo E RE NATA, ex vitio virginis. [9] Sic *Lucilius*,

p. i. i. *Hic e re nata Sic ejus dedit: haud malus eſt.*

Et ſic maluit dicere, [10] quam nunc Aeſchino culpam, ſed potius caſui attributam vellet. Eſt autem ordo, *Nihil potuit melius e re nata fieri, quam id quod factum eſt, hera.* ut quandoquidem vitianda erat virgo, ab eo vitiaretur, qui erat expetendus ad matrimonium. Senſus enim hic eſt, Malum vim fieri virgini: ſed ex conditione ejus quae vitiata ſit, nihil potuit melius evenire quam contigit, ut ab eo vitiaretur, cujus nos non poeniteret. Intelligere autem debemus. FIERI & FACTUM ESSE: pro *Evenit* & *Contigit* dici. MELIUS FIERI HAUD POTUIT.] Si FIERI pro *Evenit* acceperis: erit conſequentio locutionis. ſin minus: deerit, *quantum intelligo.* ut ſit, E RE NATA, *quantum intelligo.*

OBSERV. IN DONAT.

9. *Sic Lucilius p. i. i. Hic e re nata Sic ejus dedit: haud malus eſt.*] Totus hic locus deeſt in Ml. Boend. & edd. quibuſdam veteribus. Neque in Fragmentis Lucilii verba haec leguntur.

10. *Quam nunc Aeſchino.*] Mſſ. & editi veteres: *Quamnon Aeſchino.* Sed ſenſus poſtulat, ut legatur: *Quam nunc Aeſchino culpam, ſed potius caſui attributam vellet.*

COMMENTARIUS.

3. JAM NUNC TIMES.] Malim, ſi per Codd. liceret, TAM NUNC TIMES.

ADFUERIS.] Sub. Parientibus. Sic And. IV. 4. 32.

In pariundo aliquot adſuerunt *liberae.*

4. NEMINEM HABEO: SOLAE SUMUS.] Sic Eun. I. 2. 67.

6. NUMQUAM UNUM INTERMITTIT DIEM.] Sic Plaut. Bacchid. II. 2. 31.

hem, non tantulum
Unquam intermittit tempus, *quin eum nominet.*

7. SOLUS MEARUM MISERIARUM EST REMEDIUM] Sic Heaut. III. 2. 28.

8. E RE NATA MELIUS FIERI HAUD POTUIT.] Exiſtimat Pareus, in Lexico Plaut. v. *Nata res*, ſenſum horum verborum eſſe, q. d. *Ego puto, ipſum bene feciſſe. Nam prout haec tota res comparata fuit, non exiſtimo, a quoquam melius potuiſſe fieri.* Melius Donatus; ad cujus mentem Daciera: *En verité, puiſque cet accident devoit arriver à vôtre fille, elle ne pouvoit pas tomber en meilleures mains. Eſchinus eſt un jeune homme ſi bien fait, ſi noble, ſi genereux, & d'une famille ſi riche & ſi conſiderable.* Senſus igitur erit: E RE NATA, i. e. poſtquam res ita nata erat, ut nimirum filiae tuae offerretur vitium, MELIUS FIERI HAUD POTUIT, i. e. Malum illud ad majorem ſalutem converti non potuit, quam, quod ad Aeſchinum attinet, illum eſſe talem. In eundem ſenſum cepit vertitque Fabrini: *Padrona mia, non ſi è potuto far meglio de la coſa fatta, di quello, ch' è intervenuto, poi che ella è ſtata vitiata, in quanto che e ſi appartione a lui, che è tale.* Videtur autem congratulatio Soſtratae facta a Canthara eo eſſe inducta a Poeta, ut major eſſet turba ſequentis Scenae e narratione Getae orta. Dixit vero *rem natam*, i. e. comparatam. Plaut. Caſ. II. 5. 35.

ita rem natam *intelligo.*

Quando vitium oblatum eſt; quod ad illum attinet potiſſimum;
Talem, tali genere, atque animo, natum ex tanta familia.

So.

DONATI.

9. Quando vitium oblatum est.] Hoc eſt, e re nata. Oblatum est.] Oblatum dicitur, quod offertur invito. Quod ad illum attinet potissimum.] Quaſi vitium oblatum ſit potissimum, hoc eſt, bonum: ſed ex perſona ejus qui obtulit vitium, factum eſt bonum, quod per ſe ipſum malum eſt. Et hoc eſt quod melius haud fieri potuit, quam factum est. Illum autem dicit, Aeſchinum ſcilicet. Potissimum autem ſuperlativum eſt ab eo quod eſt *Potis* & *Potius*. » Sic enim facit, *Potis*, *potius*, *potiſſimum*. Et Quod, modo exceptionem ſignificat: ut ſit; *Quantum ad illum attinet*, id eſt, Aeſchinum.

10. » Talem.] Scilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. Tali genere.] Laus, ante illum talem: & tali animo, in illo. Et *Genus* jam ad vivos pertinet. *Familia* etiam ad defunctos. Alii *Genus* ad nobilitatem referunt, *Familiam* ad copias: unde & *paterfamilias* dicitur: ut ſit, Ex tanta familia, ex tam divite domo. Haec omnia παρένταξις tragica, eſt gaudiorum introductio, ante funeſtiſſimum nuntium. Tali genere.] Id eſt, ab his quae extrinſecus ſunt, id eſt, honeſtate generis. Atque animo.] Id eſt, ſapientia, modeſtia. Hoc modo igitur nihil praetermiſit in laude.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Sic enim facit, potis, potius, potiſſimum.*] Haec abſunt a quibuſdam Codicibus; neque videntur eſſe genuina. Sic ſupra II. 1. 42. ubi dixiſſet, *Ab eo quod eſt ſuperum & ſuperius, fit ſupremum*, non addit etiam, *ſic enim facit ſuperum, ſuperius, ſupremum.*

12. Talem.] *Scilicet a corpore.* Integra haec Nota mire turbata & interpolata eſt. Lego ex conjectura: Talem] *Laus ſcilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. Ante:* Illum talem. *Haec,* & Tali animo, *in illo.* Tali genere.] *Laus ab his, quae extrinſecus ſunt, id eſt, honeſtate generis.* Genus *tantum ad vivos pertinet.* Familia *etiam ad defunctos. Alii* Genus *ad nobilitatem referunt,* Familiam *ad copias. Unde & paterfamilias dicitur, ut ſit,* Ex tanta familia, *ex tam divite domo. Haec omnis* παρένταξις *tragica eſt gaudiorum introductio, ante funeſtiſſimum nuncium.* Tali animo. *Id eſt, ſapientia, modeſtia. Hoc modo igitur nihil praetermiſit in laude.* Ita utcunque ſenſus conſtat. Ubi autem dicit, *Ante,* Illum talem, manifeſto reſpicit locum, qui eſt Eun. I. 2. 81. ubi Phaedria de Thraſone, novo ſcilicet Thaidis amatore, quem itidem forma & pulchritudo commendabant,

& iſtam nunc timet,
Quae advecta eſt, ne illum talem *praeripiat tibi.*

COMMENTARIUS.

Bacchid. II. 2. 40.

ut rem *hanc* natam *eſſe intelligo.*

Cic. Att. VII. 8. *Pro re nata.* Quod vero Budaeus *rem natam* dicit, quae repente accidit, & nuper, πρᾶγμα νεωστὶ συμβεβηκός, φυόμενον πρᾶγμα, in eo quidem falli videtur. Vel enim *nata res* idem eſt, quod comparata, vel τὸ *nata* πλεονάζει, ut ſi dicas, *aptus natus*, pro eo, quod eſt ſimpliciter *aptus*. Naevius incerta Fabula:

An nata *eſt ſponſa praegnans? vel ai, vel nega.*

Neque alio ſenſu dixit Cicero Fam. VI. 5. *Ea natura eſt rerum.* Plaut. Perſ. III. 1. 23.

inimici famam non ita, uti nata *eſt, ferunt.*

Lucilius loco incerto:

Judicis Hortenſi, eſt ad eam rem nata *palaeſtra.*

In Mſſ. Leidenſibus quinque, Mark. & Lipſ. E re natae, q. d. ex uſu filiae. quam lectionem e quindecim Mſſ. poſt Rivium defendit Guyetus. Sed ſcire licet, Terentium natam pro filia nunquam, gnatam ſaepius dixiſſe. In Mſ. Traject. & edit. Anon. Herae nate, quod valet Herae natae, & agnoſcunt pluſculae editiones veteres. quae lectio nihilo melior eſt. *Naſci* porro dicitur res, quae accidit. Cic. Att. XI. 25. *Nihil umquam ſimile* natum *puto.*

9. Vitium oblatum.] Sic Hec. III. 3. 23. Eadem ratione dixit Hec. V. 1. 14.

Inſcitum offerre injuriam *tibi immerenti, iniquum eſt.*

10. Atque animo.] Mſſ. & impreſſi quidam, Tali animo.

11. Deos

So. Ita pol eſt, ut dicis: ſalvos nobis, Deos quaeſo, ut ſiet.

DONATI.

11. Salvos nobis, Deos quaeso, ut siet.] Quam bonus eſt, quum nihil ad vota praeter ſalutem, opus eſt!

COMMENTARIUS.

11. Deos quaeso.] Quaſi formulae uſum habet in bene precantibus. Sic And. III. 2. 7. Plaut. Amph. II. 2. 88.

Equidem ſana ſum, & Deos quaeſo, *ut ſalva pariam filium.*

Sed & in imprecationibus. Plaut. Rud. IV. 7. 30.

At ego Deos quaeſo, *ut quidquid in illo vidulo 'ſt,*

Si aurum, ſi argentum eſt, omne id ut fiat cinis.

ACTUS TERTII

SCENA SECUNDA.

Geta. Sostrata. Canthara.

Ge. Nunc illud eſt, quod ſi omnes omnia ſua conſilia conferant,

At-

DONATI.

Nunc illud est.] *Hic locus, ſecundum artem comicam ſervum currentem exprimit, & nuntiantem mala. Maxima itaque pars Scenae motoria eſt. Significat autem, nunc tale negotium eſt, nunc tale periculum eſt:* ¹ *aut vero conſignificationem temporis habet, ut ſi diceres, quando aut quo tempore.*

1. Nunc illud est.] Utrum periculum, an tempus?

OBSERV. IN DONAT.

1. *Aut vero.*] Lectio ſuſpecta, quam tamen omnes, quos vidi, Codices praeferunt. Conjiciebam, ſcripſiſſe Interpretem, *An vero conſignificationem temporis habet?* certe ita mox, NUNC ILLUD EST, *utrum periculum, an tempus?*

COMMENTARIUS.

1. Nunc illud est, quod si.] Mallem cum Guyeto, Nunc illud est, quum si. Si enim quod si legas, ſimpliciter pro si ſumendum erit; quando ſenſus & conſtructio parum conſtabunt. Sed & Plautus dixit Capt. III. 3. 1.

Nunc illud eſt, quum *me fuiſſe, quam eſſe, nimio mavelim.*

Et, unde hic locus videri poſſit deſumtus, Rud. III. 3. 1.

Nunc id eſt, quum *omnium copiarum atque opum,*

Auxilii, praeſidii, viduitas nos tenet.

Mſ. Boend. Nunc istud est.

Si omnes.] Etſi ita Plautus frequenter. Cic. Att.

Atque huic malo ſalutem quaerant, auxilii nihil adferant,
Quod mihique, heraeque, filiaeque herili eſt. vae miſero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt:
Vis, egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia,

Hoc-

DONATI.

tempus? Eſt enim ἔλλειψις. Quod si omnes omnia sua consilia conferant.] Ὑπερβολὴ cum παρονομασίᾳ, omnes omnia. Hinc *Cicero*, *Omnes in hoc judicio conſerant omnia.*

2. Salutem quaerant.] Non *Remedium*, ut aegro: ſed ut pereunti, Salutem. Et nove dixit, Malo salutem, pro *contra malum*. Auxilii nihil adferant.] Mire de proximo repetitum eſt παρόμοιον; id eſt, Conferant & Afferant. Hoc convenit praeſertim ſtomacho minus verba curantis. Sic ſupra, Omnes omnia.

3. Quod mihique, heraeque, filiaeque.] Mira in ſervo fides, quum primum ſe ponat in herili malo: & poſt ſe, matrem: in ultimo puellam. Quod mihique, heraeque, filiaeque herili est.] Πολυσύνδετον ſecundum. ut,

[2] *omnia ſecum*
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,
Armaque, Amyclaeumque canem, Creſſamque pharetram.

Vae misero mihi!] Ἐμπαθῶς σχετλιάζει.

4. Circumvallant.] Circumvallant ſe circa nos, & ſtipant ſe invicem. nam *circumvallamus* nos & alios. tamen rara locutio eſt. Et circumvallant dixit, velut inimica acies contra nos: & ideo addidit, Unde emergi non potest. Quum impreſſio eſt hoſtium, ſic dicitur. Ut [3] *Salluſtius: Preſſi undique multitudine. Cicero, Qui ſemper premuntur, & numquam emergunt.* Et Emergi, nove: nam *emergo* dicitur, non *emergor*. ſed ideo eſt uſus, quia extra compoſitionem & *mergo* & *mergor* facit. Unde emergi non potest.] Unde, abſolute. an deeſt *illud*? an Unda, pro *ex quibus*?

5. Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.] Hae res ſunt quae circumvallant: Vis illata: Egestas ipſius puellae: Injustitia judicum illius temporis: Solitudo a defenſoribus: Infamia ab iis, [4] qui credunt pretio vitiatam. Nam & in ſubditis ſic habes, *Quando ego conſcia mihi ſum, neque pretium, neque rem ullam interceſſiſſe.*

OBSERV. IN DONAT.

2. *Omnia ſecum.*] Virgil. Georg. III. 341.
3. *Saluſtius.*] In Fragmentis.
4. *Qui credunt.*] Forte, *Qui credent.*

COMMENTARIUS.

Att. V. 4. Si *jam res placeat, agendi tamen* viam *non video.* Horat. Sat. I. 9. 57.

non, *hodie ſi*
Excluſus fuero, deſiſtam.

Mſſ. Leidenſes quinque, Traject. Boend. Lipſ. Omnia omnes. Ita & omnes Mſſ. Boecleri, cum editionibus quibuſdam vetuſtiſſimis, in quibus ſunt Anonyma & Tarviſiana. Sed editiones Juntarum, Aldi, Rob. Stephani, Faërni, Heinſii, aliorum, legunt uti edidi.

Consilia conferant.] Sic Heaut. III. 1. 64.

2. Huic malo salutem quaerant.] Mſ. Mark. addit Nobis.

3. Quod mihique.] Expungit hunc verſum probae Latinitatis & artificii Guyetus, ſed πάθος currentis clamantiſque Getae valde imminuit.

4. Tot res repente circumvallant.] Confer And. I. 5. 25. Eadem metaphora uſus Plautus, Mil. II. 2. 64.

Viden' hoſtis tibi adeſſe? tuoque tergo obſidium? conſule.
Arripe opem auxiliumque ad hanc rem. propere hoc, non placide decet.
Antevenito aliqua aliquos, aut tu circumduce exercitum,
Curre in obſidium perduelleis, noſtris praeſidium para.

Inter-

Hoccine ſeclum! o ſcelera! o genera ſacrilega! o hominem impurum!

So. Me miſeram! quidnam eſt, quod ſic video timidum, & properantem Getam?

Ge. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum miſericordia Re-

DONATI.

6. Hoccine seclum.] Ἐν ἤθει. Queſturus de homine, seculum accnſat prius: ut, *o tempora! o mores!* Et e contrario, ſecula in omnibus rebus laudantur: ut,

[5] quae te tam laeta tulerunt
Secula?

O scelera! o genera sacrilega! o hominem impurum!] Moris eſt nimis dolentibus, incuſare alios ex aliis. [6] *Virgil.*

Quem, complexa ſui corpus miſerabile gnati,
Atque Deos atque aſtra vocat crudelis mater.

Et:

[7] Quem non incuſavi amens hominumque Deûmque?

O hominem impurum!] Aeſchinum ſcilicet. Et hoc ἠθικῶς. nam ſemper ultimum ponimus eum, cui maxime iraſcimur. Ut in Andria, poſt accuſatum ſocerum & vituperatam ſponſam, *Nam quid ego dicam de patre?* Et in Phormione, *Itane tandem uxorem duxit Antipho injuſſu meo?* Et poſt multa, *O facinus audax! o Geta monitor!* Unde ille, *Vix tandem*, inquit.

7. Video timidum, et properantem Getam?] Timidum, perturbatum. Non enim timet, ſed dolet. Sic [8] *Plautus* in Bacchidibus,

Nam ut ex navi vecta es, credo timida es.

8. Quem neque fides, neque jusjurandum.] Ordo eſt, Hominem impurum, quem neque fides, neque jusjurandum. Et ſaepe repetitum neque, exaggerat crimen admiſſum. Quem neque fides.] Quia promiſit. Neque jusjurandum.] Quia juravit. Neque illum miſericordia] Quia vim intulit. Neque illum.] Secundum παρέλκον; nam abundat Illum: ut;

[9] Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.

Et ejus videlicet misericordia quam amavit, neque repressit, ne auderet: neque reflexit, ne faceret. Et ſic hoc dictum eſt, ut a [10] *Virgilio*,

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?

Ut ſi non potuit reprimi ne faceret, ſaltem ut in peccando eſſet mitior, debuit commoveri. ſed melius, quod ſupra.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Quae te.*] Virgil. Aen. I. 605.
6. *Virgil.*] Ecl. V. 22.
7. *Quem non.*] Virgil. Aen. II. 745. Legitur nunc, *Deorumque.*
8. *Plautus in Bacchidibus.*] I. 1. 73. legendum autem, *ex navi.*
9. *Nunc dextra.*] Virgil. Aen. V. 457.
10. *Virgilio.*] Aen. IV. 369.

COMMENTARIUS.

Intercludito inimicis commeatum, tibi munito viam

Exiſtimat Petrus Victorius, Var. Lect. XXXII. 6. Terentium legiſſe in Menandro verbum περιτοιχίζεται, quam vocem ſuo Codici adſcripſerat Gerardus Falkenburgius. Dolabella Ciceroni, Fam. IX. 9. proprie: *Illi non poſſe contingere, ut honeſte effugere poſſit, pulſo Italia, amiſſis Hiſpaniis, capto exercitu veterano,* circumvallato *nunc denique.*

Unde emergi non potest.] Vide ad And. III. 3. 30.

6. Impurum.] Ita in pleriſque Mſſ. & editis. In quibuſdam eſt impium; quomodo ediderunt Juntae, Aldus, Heinſius, alii.

8. Fides.] Data puellae, de futuris nuptiis. Sic infra III. 4. 27.

Jusjurandum.] Vide mox, verſu 34. & III. 4. 27.

Neque illum misericordia.] Pro eo Mſſ.

 quidam,

Repreſſit, neque reflexit: neque quod partus inſtabat prope;
Cui miſerae indigne per vim vitium obtulerat. *So.* Non intel-
ligo
Satis, quae loquatur. *Ca.* Propius, obſecro, accedamus, Soſtrata.
Ge. Ah!
Me miſerum! vix ſum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil

DONATI.

9. Neque quod partus instabat prope.] Αὐξητικῶς addidit non tantum mariti, ſed etiam patris ſcelus.

10. Cui miserae.] Deeſt *ei*. Indigne.] Impie, crudeliter. ut [11] *Virgil.*

quae cauſa indigna ſerenos
Foedavit vultus?

Non intelligo satis, quae loquatur.] Ad hoc Soſtrata ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriatur. Et quia oportuit ipſam priorem loqui, [12] praeſens loquitur. Quia autem non eſt perdenda tam ſuavis ἠθοποιΐα dolentis ad iraſcentem: idcirco non audit, [13] ne ob illam rem Geta conſervus loqui deſinat.

11. Satis, quae loquatur.] [14] Adhuc non audiente Geta loquitur. Idcirco nec audit eum ſatis, nec videtur ab eo Soſtrata.

12. Vix sum compos animi.] Aut vix, tandem: aut vix, non. Ut *Lucilius*,

Carcer vix carcere dignus.

Compos animi.] Id eſt, [15] competentis animi, vel ſani animi. cui contrarium eſt, *Impos animi.* [16] *Salluſtius*, *Neque animo, neque lingua ſatis compotem.* quum de amente Septimio loqueretur. Alii, *Compotem animi*, [17] compoſitum animo intelligunt.

OBSERV. IN DONAT.

11. *Virgil.*] Aen. II. 285.

12. *Praeſens loquitur.*] Lectio ſuſpecta. Reſtituo ex conjectura: *Et quia oportuit ipſam priorem loqui, porro ſervus loquitur.* Lindenbruchius edidit; *praeſens eſt.*

13. *Ne ob illam rem Geta conſervus loqui deſinat.*] Locus corruptus. Soſtratae facta erat mentio, cujus non conſervus, ſed ſervus erat Geta. Lego: *Idcirco necCanthara audit, ne ob illam Geta conſervus loqui deſinat.* Et *rem* omittunt quidam Codd.

14. *Adhuc non audiente Geta loquitur.*] Lego ope Codd. *Adhuc non audiente hera loquitur. idcirco nec audit eum ſervus, nec videtur ab eo Soſtrata.* Vide Donatum ad verſ. 23.

15. *Competentis animi.*] Ita plerique Libri. Sed in Mſ. Boend. & edit. Anon. eſt, *competentis animi.* Abr. Wielingius malebat, *compotens animi.*

16. *Salluſtius.*] In Fragmentis.

17. *Compoſitum animo.*] Mſ. Boend. cum editionibus Venetis, annorum 1490. & 1512. Anon. & Tarviſ. anni 1481. *compoſitum animum.* Edit. Argentina, *compoſitum animi.*

COMMENTARIUS.

quidam, Neque ulla misericordia. Atque ita recenſuit Heinſius. Sed neque auctoritate quorundam impreſſorum caret. Eleganter autem παρέλκει τὸ ille poſt relativum, vel nomen proprium. Ita mox verſu 17.

Tum autem Syrum *impulſorem, vah, quibus*
illum *lacerarem modis!*

Et infra III. 3. 4. Similis pleonaſmus Scriptoribus ſacris uſitatus. Vide Glaſſ. Philol. Sacr. Lib. III. Tract. II. Can. XXV.

12. Ardeo iracundia.] Sic Heaut. V. 1. 48. Plaut. Pſeud. I. 2. 67.

ira incendor.

Capt. III. 4. 62.

ardent oculi.

Menaechm. V. 2. 77.

ut oculi ſcintillant!

Porro autem iratorum ſpeciem graphice deſcribit Seneca, de Ira Lib. I. cap. 1. *Ut autem ſcias, non eſſe ſanos, quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color verſus, crebra*

Nihil eſt quod malim, quam illam totam familiam mihi dari
obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem; dum aegritudo haec
eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo.

Seni

DONATI.

13. Quam illam totam familiam.] Hic nunc tam culpa familiae, quam ſcelus Aeſchini oſtenditur, propter quem omnes cruciandi ſunt.

14. Iram hanc.] Hanc interdum pro qualitate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro utroque. ut,

[18] *tuaque animam hanc effundere dextra?*

Et;

[19] *Hunc ego te, Euryale, aſpicio?*

Sed nunc pro utroque, Hanc dixit. ut [20] *Salluſtius*, de ſcriptione Celtiberi ait, *Hunc igitur redarguit Tarquinius.*

15. Satis mihi id habeam supplicii.] Moraliter loquitur: nam fere quando quiſquam iraſcitur, ſibi videtur fortis, tanquam qui plus audet. Dum illos ulciscar modo.] Verum eſt hanc eſſe vindictam, [21] quae ex recentiſſimis flagitiis properata ſit. [22] *Virgil.*

te, Turne, ſuperbum
Caede nova quaerens.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Tuaque.*] Virgil. Aeneid. I. 98.
19. *Hunc ego.*] Virgil. Aen. IX. 481.
20. *Salluſtius.*] In Fragmentis. Legitur & *Tarquitius.*
21. *Quae ex recentiſſimis flagitiis properata ſit.*] Ml. Boecl. cum editionibus Venetis, Argentina, Tarviſiana & Anonyma: *Quae ex recentis vitis flagitiis properat.*
22. *Virgil.*] Aen. X. 514.

COMMENTARIUS.

bra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, & comploſae ſaepius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque minas agens, foeda viſu & horrenda facies depravantium ſe, atque intumeſcentium. Neſcias, utrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme.

14. Iram hanc in eos evomam omnem.] Sic infra III. 4. 65. Hec. III. 5. 65. Cic. Amic. 23. *Pati non poſſit, ut non anquirat aliquem, apud quem* evomat *virus acerbitatis ſuae.* Idem pro Mil. 29. *Non timeo, judices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec* in illum evomere *videar, quam verius.*

Dum aegritudo haec est recens.] Cic. Fam. X. 23. Iracundias *autem harum rerum* recentes *habebant.*

15. Satis mihi id habeam supplicii.] Contentum eſſe, & putare ſibi ſatisfactum, *ſatis habere* dicitur. Phorm. V. 8. 40. Plaut. Moſtel. V. 2. 43.

Si hoc pudet, feciſſe ſumtum; ſupplicii habeo ſatis.

Ita Jupiter apud Lucian. Timone, Πλὴν ἱκανὰ ἐν τούτῳ καὶ αὕτη τιμωρία ἔσται αὐτοῖς. Daceria praeter mentem Comici: *Il n'y a rien, que je ne vouluſſe ſouffrir.* Fabrini optime: *Baſtimi aſſai queſta vendetta.* Guyetus inficete verſum hunc expungit. Juvenal. Sat. XIII. 180.

At vindicta bonum vita jucundius ipſa.

P. Syrus:

Inimicum ulciſci, vitam accipere eſt alteram.

Adde Senecam, De Ira, II. 32. Et quae ex Homero & Ariſtotele laudat Boeclerus.

Digitized by Google

Seni animam primum extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus.
Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram ſtatuerem,

Ut

DONATI.

16. SENI ANIMAM PRIMUM EXTINGUEREM IPSI.] Bene EXTINGUEREM: quia ignis eſt. [23] *Virgilius:*

Igneus eſt illis vigor, & coeleſtis origo
Seminibus.

Et PRIMUM addidit, quod ordinem ſignificat. tunc enim adjicitur, quum multa ſubjicienda monſtrantur: ut cui fracta prius crura [24] brachiaque, * & caetera vitia, in Aeſchinum totum promovens oſtenditur, etiam per aliena ſupplicia.

17. SYRUM IMPULSOREM.] Cauſa poenae. VAH, QUIBUS ILLUM LACERAREM MODIS!] Hic voluntas immodica oſtenditur, poenam pro merito repoſcentis. Et nota, quum SYRUM dixerit, addidiſſe nutus de ſupercilio.

18. SUBLIMEM.] [25] Iſta poena.

OBSERV. IN DONAT.

23. *Virgilius.*] Aen. VI. 730.
24. *Brachiaque, * & caetera vitia, in Aeſchinum.*] Locus corruptus; cui emendando nihil opis ferunt Codices vetuſti. Tento, ſi forte ita reſtitui queat: *Brachiaque, & caetera. Vindicta in Aeſchinum ſtomachum porro movens oſtenditur etiam per aliena ſupplicia.* poſt quae continuo legunt editiones veteres cum Mſ. Boend. *maxime per Syrum impulſorem.*
25. *Iſta poena.*] Lego: *Ipſa poena.*

COMMENTARIUS.

16. SENI ANIMAM PRIMUM EXTINGUEREM.] Vitam *lumen* dixerunt, & *flammulam.* Sic Plaut. Ciſtell. III. 12. *lumen linque.*
Inde *extingui* eſt morti dari. Plaut. Truc. II. 6. 43.

hic nos extinxit *fames.*

Virg. Aeneid. IV. 605.

natumque, patremque
Cum genere extinxem.

Eadem metaphora Scriptoribus ſacris uſitata. Sic Hiobi XVII. 1. רוחי חבלה ימי נזעכו *Spiritus meus corruptus, dies mei extincti.*

PRODUXIT.] Genuitne, an educavit? utrumque enim *producere* eſt. Plaut. Bacchid. III. 3. 51.

qui illum produxit *ſibi.*

Aſin. III. 1. 40.

Audientem dicto, mater, produxiſti, *filiam.*

Fabrini: *Il quale ha generato quello ſcelerato.* Daciera: *Qui a donné le jour a ce monſtre.* Videturque aptius de generatione intelligi. Lucil. Sat. Lib. XXIII.

Ducunt uxores, producunt, *quibus haec faciam, liberos.*

17. SYRUM IMPULSOREM.] H. e. improbum adoleſcentis magiſtrum. Sic Parmeno de Chaerea, Eun. V. 6. 18.

Here, ne me ſpectes: me impulſore *haec non facit.*

Et ipſe Syrus infra IV. 2. 21.

me impulſore *hanc emtam eſſe ait.*

LACERAREM.] Articulatim conciderem. Sic Plaut. Curc. IV. 4. 20.

Jam ego te faciam, ut hic formicae fruſtillatim differant.

Bacchid. IV. 8. 46.

Si tibi eſt machaera, & nobis veruina eſt domi:
Qua quidem te faciam, ſi tu me irritaveris,
Confoſſiorem ſoricina naenia.

18. SUBLIMEM.] Vide ad And. V. 2. 20.

CAPITE PRIMUM IN TERRAM STATUEREM.] Aſſentior Palmerio & Guyeto, legentibus, CAPITE PRONUM IN TERRAM STATUAREM. Juvat hanc lectionem, quod nonnullae editiones habent, SUBLIMEM MEDIUM PRIMUM ARRIPEREM, ET CAPITE IN TERRAM STATUEREM. Scilicet quia τὸ PRIMUM ſuſpectum erat, varie collocatum eſt. Sed & pronus error fuit PRIMUM deſcribentis ἀντὶ τοῦ PRONUM. Neque

Ut cerebro diſpergat viam.

Adoleſcenti ipſi eriperem oculos: poſt haec praecipitem darem.

Caeteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem.

Sed

DONATI.

19. Ut cerebro dispergat viam.] Et cerebrum & via diſpergi poteſt: ideo videtur ambiguum. ut apud [26] *Virgil.*

enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus.

Aliter enim dicitur,

[27] *Spargite humum foliis.*

Aliter,

[28] *Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.*

20. Adolescenti ipsi eriperem oculos.] Bene Oculos, [29] amoris indices, adjutoreſque flagitii. Post haec praecipitem darem.] Gravior poena caecitatis, non providere quo cadas.

21. Caeteros ruerem.] *Ruere*, activam vim habet. [30] *Salluſtius* in ſecundo, *Iſlu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. Ruere* enim, eſt toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipſi praecipites alios proſternunt. Unde proprie *ſues ruere* dicuntur. [31] *Virgil.*

Ipſe ruit, denteſque Sabellicus exacuit ſus.

Et [32] *Horatius:*

Hanc rabioſa fugit canis, ac lutulenta ruit ſus.

Agerem.] Proſequerer, premerem. [33] *Virgilius:*

Illa fretus agit ventos.

Id eſt, nimia celeritate perſequitur, & pene occupat, praevenitque. Tunderem, et prosternerem.] Vide quam fortis ſibi videatur, qui dolet & iraſcitur.

OBSERV. IN DONAT.

26. *Virgil.*] Aen. IV. 664.
27. *Spargite.*] Virgil. Ecl. V. 40.
28. *Sparſerat.*] Virgil. Aen. IV. 512.
29. *Amoris indices.*] Ita Libri mei omnes. Qui tamen puellis maxime tribuuntur. Vide Interpretes ad Cantic. IV. 9. & Phaed. IV. 4. 4.
30. *Salluſtius in Secundo.*] In Fragmentis.
31. *Virgil.*] Georg. III. 255.
32. *Horatius.*] Epiſt. II. 2. 75. ſed legitur nunc, *hac lutulenta.*
33. *Virgilius.*] Aeneid. IV. 245.

COMMENTARIUS.

que ullum commodum ſenſum habet τὸ primum, ſed incurioſe repetitum videtur ex verſu 16. Imitatus Virgilius Aen. I. 115.

excutitur, pronuſ*que magiſter*
Volvitur in caput.

Plaut. Capt. IV. 2. 13.

qui obſtiterit, ore ſiſtet.

Et μεταφορικῶς, Mil. III. 2. 36.

capite ſiſtebas cadum?

Lucilius Libro XXVII. *Hos e feneſtris* in caput dejiciam, *qui prope ad oſtium aſpiraverint.*

19. Ut cerebro dispergat viam.] Ita edd. veteres. Neque inſolens eſt enallage temporis; quam non admittentes alii, dispergeret ediderunt. Accedit Getae prae iracundia quid dicat vix ſcientis furor. Obſervat autem Jodocus Willichius, reſpici hiſtoriam Polyphemi, quem ita quoſdam ſociorum Ulyſſis mulcaſſe narrat Homerus. Vid. Eun. IV. 7. 33. & infra IV. 2. 32. V. 2. 7. Ennius Fragm. Lib. VI. *telo*

Transfigit corpus, ſaxo cere comminuit brum.

Cic. in Piſ. 19. *Thyeſtea iſta exſecratio eſt, Poëtae, vulgi animos, non ſapientum, moventis:*

Ut tu naufragio expulſus, uſpiam ſaxis fixus
aſperis, [*ſpargens tabo,*
Eviſceratus latere penderes, (ut ait ille,) ſaxa
Sanie, ſanguine atro.

In Fragmentis Lucilii ſunt.

20. Eriperem oculos.] Idem Chaereae amatori minatur Pythias, Eun. IV. 3. 6. Quod capio de *oculis emiſſitiis*, quos Plautus vocat, Aul. I. 1. 2.

21. Ruerem.] Impetum minitantis ſervi juvant cum litera canina R ſaepius iterata hoc verſu, tum ἀσύνδετον. Loquitur autem more bellico & militari. Sic Plaut. Capt. IV. 2. 16.

Sed ceſſo heram hoc malo impertiri propere? *So.* Revocemus.
Geta!
Ge. Hem! quiſquis es; ſine me. *So.* Ego ſum Soſtrata. *Ge.* Ubi
ea eſt? te ipſam quaerito:
Te exſpecto: oppido opportune te obtuliſti mihi obviam,
Hera. *So.* Quid eſt? quid trepidas? *Ge.* Hei mihi! *So.* Quid feſtinas, mi Geta?

Ani-

DONATI.

23. Ego sum Sostrata.] Haec ideo inducitur, ut veriſimile ſit ſupra non viſam Soſtratam: quando etiam vix nunc agnoſcitur ab irato. Te ipsam quaerito: Te exspecto: oppido opportune.] Incerta diſtinctio, utrum Te exspecto oppido opportune, ſit dicendum: an *Exſpectare*, ſit impatienter cupere, [34] & ſine praeſcriptione temporis ſperare, juxta certum tempus. Unde apparet, ad Te exspecto, quia per ſe nimium eſt, non eſſe jungendum Oppido.

25. Quid festinas, mi Geta?] *Probus* aſſignat hoc Soſtratae. *Aſper* non vult [35] ad omnia ſervum reſpondere: ſed nutricem putat hoc loqui. Quid festinas.] Perturbaris. Et commotus dicit Prorsus, actu commoto, feſſo, & anhelanti, ob perturbationem & contentum curſum.

OBSERV. IN DONAT.

34. *Et ſine praeſcriptione temporis ſperare, juxta certum tempus.*] Diſtinguit inter *exſpectare* & *ſperare*. Unde diſtinctione laborat locus. Legendum: *Et ſine praeſcriptione temporis ſperare juxta certum tempus.*

35. *Ad omnia ſervum reſpondere.*] Videtur legendum, *Ad omnia Soſtratam reſpondere.* q. d. non omnia convenire Soſtratae. quare mox addit: *Sed nutricem putat hoc loqui.* Scilicet, Aſpero blandius, quam pro domina dictum videtur, mi Geta. Quae κρίσις Grammatici laudatur Guyeto. Niſi tamen potius ſcripſit Donatus: *a domina ſervum reſpiceri.* Ita de altero Geta currente, Phorm. V. 6. 24.

COMMENTARIUS.

meus eſt baliſta pugnus, cubitus catapulta
'ſt mihi;
Humerus aries. tum genu ad quemcunque jecero, ad terram dabo.

Trin. IV. 1. 17.

Imbres, fluctusque atque procellae infenſae frangere malum,
Ruere *antennas, ſcindere vela.*

Cic. Att. II. 15. *Tamen ſeu* ruet, *ſeu eriget rempublicam.* Virgil. Georg. I. 105.

cumuloſque ruit, *male pinguis arenae.*

Aeneid. XII. 454.

ruet *omnia late.*

Tunderem.] Guyetus reponit, funderem, quaſi magis militare. ſed nulla Codd. auctoritate nititur. Poterat eodem jure apud Phaedrum, II. 7. 8 legiſſe:

Interque caedem ferro mulum funditant.

Fabrini bene vertit *gli baſtonerei.*

22. Revocemus.] Libri quidam Mſſ. & editi: Revocemus. Geta, Geta, Hem.

23. Sine me.] Obſervat Daciera, ſervos Athenis vulgo in plateis retentos; ut ita ſerius domum reverſi vapularent abs heris. Quod ſi verum eſt, poſſit fortaſſis haud incommode eo referri exemplum Aeſopi, de quo Phaedrus III. 19.

Ego sum Sostrata.] Vel igitur averſum Getam pallio prehendit Soſtrata, vel ſervus perturbatus prae iracundia non videt heram.

25. Hei mihi!] Egregio artificio Geta feſtinando quaſi exanimatus minutatim & fere ſingulis vocibus deficiente quaſi anhelitu effert, Hei mihi! perimus! actum 'st! jam! Abscinus.

Digitized by Google

Animam recipe. *Ge.* Prorſus! *So.* Quid iſtuc prorſus ergo 'ſt.
Ge. Perimus!
Actum 'ſt! *So.* Eloquere ergo, obſecro te, quid ſit. *Ge.* Jam!
So. Quid jam, Geta?
Ge. Aeſchinus! *So.* Quid is ergo? *Ge.* Alienus eſt ab noſtra familia. *So.* Hem!
Perii!

D O N A T I.

26. ANIMAM RECIPE.] Quod in lectione geſtu oſtendi minime potuit, id ex verbis Soſtratae oſtenditur in Geta. Nam ideo dicitur, ANIMAM RECIPE: quia ille prae anhelitu crebriora verba continuare non poſſit.

27. PERIMUS! ACTOM 'ST!] Jam bina verba junguntur. PERIMUS! ACTUM 'ST!] Verba ſunt deſperationis. Nam ACTOM 'ST, dicitur in ea re, de qua jam lata ſit ſententia. ELOQUERE, OBSECRO, QUID SIT.] Bene ELOQUERE. nam conatur tantum, quod nec explicatur, nec intelligitur: cui vitio contraria virtus eſt *Eloquentia*. Jam plus hic geſtu, quam [36] dictu agitur: quia ut ſupra diximus, & laſſus eſt qui nuntiat: & integratur dolor nuntii, quum apud illam loquitur, ad quam maxime calamitas pertinet: quo dolore, vox plerumque ſubtrahitur atque ſingultit: & ſimul dat ſignum perditarum rerum.

28. [37] ALIENUS EST AB NOSTRA FAMILIA.] Bene ALIENUS. Geta enim ipſi jam dominus, Soſtratae gener, Pamphilae maritus vocabatur.

OBSERV. IN DONAT.

36. *Dictu.*] Lego, *dictis.*

37. ALIENUS EST A NOSTRA FAMILIA.] Quae ad haec verba leguntur notata, ante Lindenbruchium non invenio. Reſtituo autem ex conjectura: *Getae enim ipſe jam dominus.*

COMMENTARIUS.

MUS. donec recepta anima, ALIENUS EST AB NOSTRA FAMILIA.

QUID FESTINAS, MI GETA?] Laudat Aſperum Grammaticum Guyetus, verba haec Cantharae nutrici, non Soſtratae tribuentem, utpote blandiora, quam pro matrona & ſervo dicta. Sed & heri heraeque ſervis & ancillis blandiebantur, quoties uſus veniebat. Tum Geta ſolus omnem familiam ſuſtentabat. Georgius autem Fabricius illa, HEI MIHI, Cantharae tribuit.

26. ANIMAM RECIPE.] H. e. Reſpira. Heaut. II. 2. 12. Phorm. V. 6. 29. Plaut. Epid. II. 2. 21.

Recipiam anhelitum.

Merc. III. 4. 16.

priusquam recipias anhelitum.

Sed & defeſſi currendo *exanimari* dicebantur. Et adparet, Donatum ANIMAM legiſſe, non ANIMUM, quomodo tamen eſt in quibuſdam Mſſ. & editis praeſtantiſſimis, quia de *anhelitu* interpretatur; cum *animus* ad conſternationem potius referatur. Liv. II. 50. *Mox ut reſpirandi ſuperior locus ſpatium dedit*, recipiendique a pavore tanto animum, *pepulere etiam ſubeuntes.* Accius, Erigona:

Sapimus animo, *fruimur* anima: *ſine* animo
anima *eſt debilis.*

Lucilius Lib. XX.

Eduxique animam *in primoribus naribus.*

27. ACTUM 'ST!] Formula deſperantium. Plaut. Pſeud. IV. 7. 123.

actum eſt *de me. jam morior.*

Vide ad And. III. 1. 7. Eun. I. 1. 9.

28. ALIENUS EST AB NOSTRA FAMILIA.] Sic verſu 40. & Hec. IV. 4. 36.

30. NE-

Perii! quare? *Ge.* Amare occepit aliam. *So.* Vae miſerae mihi!
Ge. Neque id occulte fert: ab Lenone ipſus eripuit palam.
So. Satin' hoc certum 'ſt? *Ge.* Certum: hiſce oculis egomet vidi, Softrata. *So.* Ah!

Me

DONATI.

29. AMARE OCCEPIT ALIAM.] Pejus eſt AMARE OCCEPIT, quam *Amat*. Nam in eo quod dixit, OCCAPIT, [38] augmenta mali metuenda ſignificat: ut in principiis, quae actum reſpiciunt, non ſtatim imminutionem inſpectant. Et OCCEPIT, magnum facinus dixit. VAE MISERAE MIHI!] Mire [39] interponuntur mulieris affectus novo nuntio.

30. AB LENONE IPSUS ERIPUIT PALAM.] Sic nuntiat, ut ultima pejora ſint. Et his argumentis vult probare, quod immodice amet Aeſchinus, qui plus quam virginem, id ipſum quod pudor nec hortatur, nec conſulit, amat. Quis autem magis potuit impudens eſſe, quam qui poſt honeſtum amorem, AB LENONE amet? Hoc etenim ſignificat meretricem. Ergo non honeſtum, ſed AB LENONE: non per alium, ſed IPSUS: nec emit, aut abduxit, ſed ob impatientiam valde amantis ERIPUIT, neque id OCCULTE, ut qui celaret factum, tanquam ſatisfacturus uxori videretur: ſed PALAM.

31. SATIN' HOC CERTO?] Magnis malis non ſtatim creditur. Hoc ergo ex dolore dixit, quod ſtupet audiens: non quia non habet fidem. HISCE OCULIS.] Ἰδιωτισμὸς aſſeverantis. AH!] Interjectio eſt flentis.

OBSERV. IN DONAT.

38. *Augmenta.*] Mſ. Boend. & editi vetuſtiſſimi: *Argumenta mali metuendi.* Sic mox ad verſ. 30. Rob. Steph. & Lindenbr. *Augmenta* videntur ediſiſſe, ob ſequens *imminutionem*. Sequentia ita legerim: *Ut in principiis, quae actum reſpiciunt, non ſtatim imminutio rerum ſpectatur.* Movet me, quod τὸ *ſpectatur* eſt in editis quibuſdam.

39. *Interponuntur.*] Mſ. Boend. & impreſſi veteres cum Rob. Steph. & Lindenbr. *Interponitur.*

COMMENTARIUS.

30. NEQUE ID OCCULTE FERT.] H. e. Neque occulte habet, occultat, celat. Cicero Philipp. X. 7. *Sed jam vides, quid ſequantur. neque enim id* occulte ferunt. Ubi vulgo legitur, *faciunt.* Idem pro Cluent. 19. *Neque id* obſcure ferebat; *nec diſſimulare ullo modo poterat.* Contrarium eſt *prae ſe ferre.* Cic. pro C. Rabir. 5. *Profiteor, &* prae me fero. Pro P. Sext. 28. *Ea quae ſenſit*, prae ſe tulit. Pro Arch. 11. *Neque enim eſt hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt; ſed* prae nobis ferendum. Liv. II. 54. Palamque ferretur, *malo domandam tribunitiam poteſtatem.* Vide porro Nizolii Apparatum, & Fabri Theſaurum, v. FERO.

31. SATIN' HOC CERTUM?] Faërno Donatus legit, SCISNE HOC CERTO? Atque ita eſt in edit. Anon. cum apud Poëtam, tum apud Interpretem, ſed & Mſ. Boend. In aliis Libris eſt, SO. SATIN' HOC CERTO? GE. CERTO. Rurſus in aliis utrobique eſt CERTE.

HISCE OCULIS EGOMET VIDI.] Sic Heaut. III. 3. 3. Plaut. Mil. II. 3. 19.

egomet duobus hiſce oculis meis.

AH!] Mſſ. & impreſſi quidam veteres, AH, AH! quod laudat Rivius.

32. QUID CREDAS JAM, AUT CUI CREDAS?] Ita loquitur, quia Aeſchinus fidem & jusjurandum dederat, ſe nunquam deſerturum Pamphilam. Neque enim quidquam jurejurando ſanctius. Sic Heaut. II. 3. 15. Hec. V. 1. 24. Plaut. Bacchid. III. 3. 87.

Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut quoi credas, neſcias.

In Fragmentis Epicharmi Comici eſt:

νᾶφε, καὶ
Μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.
eſto ſobrius, &
Memento diffidere: hi nervi ſunt ſapientiae.

NOSTRUMNE AESCHINUM.] Qui in eadem familia erant, *noſtri* dicebantur; qui non erant, *alieni.* Plaut. Amph. I. 1. 243.

Certe edepol, tu me alienabis *nunquam, quin* noſter *fiem.*

Mil.

Me miſeram! quid credas jam? aut cui credas? noſtrumne Aeſchinum?
Noſtrarum vitam omnium? in quo noſtrae ſpes, omneſque opes ſitae
Erant: qui ſine hac jurabat ſe unum numquam victurum diem:
Qui

DONATI.

32. Me miseram!] Mira affectio. nam lachrymae non ſinunt finire ſenſum. Quid credas jam? aut cui credas?] Fides, aut perſonae qualitate ſervatur, ſi gravis perſona eſt, cui creditur: aut ipſius rei qualitate, ſi ea res creditur, in qua fallere, cui creditur, aut non poteſt, aut non debet. Hic ergo mire in utroque jam fidem dixit nullam eſſe, & in perſona, & in re. Quod [35] *Virgilius* tranſtulit, breviuſque dixit,

Nuſquam tuta fides.

Hoc eſt, nec in re, nec in perſona. Et hic ip in Heautont.

Prô Juppiter! ubinam eſt fides?

Nostrumne Aeschinum? nostrarum vitam omnium?] Ἐλλειπτικῶς omnia: quia fletus impedit verba. Deeſt autem, *Hoc feciſſe*, vel quid tale.

33. Sitae erant.] Sitae; poſitae. nam *ſitum* eſt quidquid in loco ſuo poſitum non evertitur.

OBSERV. IN DONAT.

35. *Virgilius.*] Aeneid. IV. 373.

COMMENTARIUS.

Mil. II. 5. 21.

nos noſtri, *an* alieni *ſimus.*

Et verſu 23.

Certe equidem noſter *ſum.*

Dixit igitur Softrata Nostrum Aeschinum, quod crederet, nuptias ejus cum Pamphila ratas futuras. In pluſculis autem Mſſ. & edd. optimis eſt, Nostrum Aeschinum; quod licet ad metrum minus aptum ſit, videtur ramen ſubitae admirationi magis ſervire. Sic Heaut. III. 1. 22.

33. Vitam.] H. e. Delicias & gaudium. Et eſt in blanditiis amatoriis. Plaut. Caſ. I. 47.

Mea vita, *mea mellilla, mea feſtivitas.*

Aſin. III. 3. 24.

certe enim tu vita *es*

Mihi.

Stich. IV. 2. 6.

O mea vita, *o mea voluptas, ſalve.*

In quo nostrae spes, omnesque opes sitae.] Comicum eſt, Spes & opes jungere. Plaut. Amph. V. 1. 1.

Spes atque opes *vitae meae jacent ſepultae in pectore.*

Capt. II. 3. 85.

Tibi commendo ſpes opeſque *meas.*

Eleganter autem *ſpes ſita in aliquo* dicitur, & *aliquis ſitus in ſpe.* Sic infra III. 4. 9.

In te ſpes *omnis, Hegio, nobis* ſita *eſt.*

Phorm. III. 1. 6.

Cujus nunc miſerae ſpes *opeſque ſunt in te uno omnes* ſitae.

Heaut. V. 2. 44.

adoleſcens, quam minima in ſpe ſitus *erit.*

Confer Lexic. Parei, v. *Virgo ſperata.*

34. Numquam victurum.] Plaut. Pſeud. I. 1. 92.

Profecto nullo pacto poſſum vivere,
Si illa a me abalienatur, atque abducitur.

Qui ſe in ſui gremio poſiturum puerum dicebat patris;
Ita obſecraturum, ut liceret ſibi hanc uxorem ducere.
Ge. Hera, lacrumas mitte: ac potius, quod ad hanc rem opus eſt, porro conſule.
Patiamurne, an narremus cuipiam? *Ca.* Au! mi homo, ſanuſne es?
An hoc proferendum tibi videtur uſquam eſſe? *Ge.* Mihi quidem non placet.
Jam

D O N A T I.

35. POSITURUM PUERUM.] PUERUM dixit, ſi puer naſceretur: [39] non quia divinabat. Ad votum ergo cupientis retulit PUERUM: non quia neceſſe eſſet marem naſci. Et haec omnia, magno ſtupore dicuntur, ad exaggerandam perfidiam illius cui creditur, & dolorem eorum qui crediderunt.

37. HERA, LACRUMAS MITTE: AC POTIUS, QUOD AD HANC REM OPUS EST.] Hinc [40] *Virgil.*

Non lachrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno. Sentit autem, non lachrymis agendum, ubi conſilio opus eſt. PORRO CONSULE.] PORRO, in reliquum, deinde, vel in futurum. PORRO enim, ordinis & temporis adverbium eſt, non conjunctio.

38. AU! MI HOMO, SANUSNE ES?] Hoc ex perſona nutricis legendum eſt. Illa enim diſſimulandam rem putat. MI, pro *meus.*

O B S E R V. I N D O N A T.

39. *Non quia divinabat.*] Codices veteres: *Non quia marem naſci divinabat.*

40. *Virgil.*] Aen. XII. 156.

C O M M E N T A R I U S.

35. QUI SE IN SUI GREMIO POSITURUM PUERUM DICEBAT PATRIS.] Gerardus Falkenburgius ſuo Codici adſcripſerat: *Qui ſe in ſui gremio poſiturum puerum dicebat, patreis ita obſecraturum. Ut primitivum ſit pro poſſeſſive.* ἐν τῷ ἑαυτοῦ κόλπῳ. In Mſ. Lipſ. & Boenderm. legitur eodem modo, niſi quod PATREM habent; quomodo & Fabrini edidit, & Juntae, cum Aldo. Scioppius & Georg. Fabricius exiſtimant, τὸ PATRIS dictum pro PATREIS vel PATREA; quaſi Aeſchinus dixiſſet, ſe utrumque patrem, Micionem adoptivum, & Demeam genuinum eſſe obſecraturum. Verum, praeterquam quod non ſoleat Aeſchinus, niſi de uno patre facere mentionem, vide infra IV. 4. 20. omnino ſenſus & conſtructio videtur eſſe: *Qui dicebat, ſe poſiturum puerum recens natum in gremio patris ſui Micionis, atque ita obſecraturum, & patris miſericordiam imploraturum, ut ex qua ſuſcepiſſet hunc puerum, hanc ſibi liceret uxorem ducere.* Neque enim videbatur non poſſe ad miſericordiam moveri pater, ſi puerum ſcitum ipſe ulnis complecteretur. Hunc vero ritum uſitatum fuiſſe Graecis, diſcas ex Homero, Iliad. IX. 453. ubi Phoenix ad Achillem:

> πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀϊσθεὶς,
> Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐριννῦς,
> Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
> Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα.
>
> *pater autem meus ſtatim ſuſpicatus*
> *Multa imprecatus eſt, odioſas vero invocabat Furias,*
> *Ne unquam genibus ſuis imponeretur dilectus filius*
> *Ex me genitus.*

Neque aliter Clariſſimi Viri, Immanuel Tremellius & Franciſcus Junius ceperunt locum Geneſ. L. 23. וירא יוסף לאפרים גם בני מכיר בן - מנשה ילדו על - ברכי יוסף Ubi enim vertiſſent: *Et vidit Joſeph ab Ephraimo* (natos) *abnepotes: etiam filii Maciris filii Menaſchis nati ſunt* (& educati) *ſuper genua Joſephi*; addunt in margine: *Id eſt, excepti gremio Joſephi, ut parvuli ſolent.* De quo tamen loco ita ad me Ampliſſimus Bynkershoekius: *Dubito, an phraſis ſacra eo pertineat, nam aliud eſt,*

Jam primum, illum alieno animo a nobis eſſe, res ipſa indicat.
Nunc ſi hoc palam proferimus, ille inficias ibit, ſat ſcio.
Tua fama, & gnatae vita, in dubium veniet. tum ſi maxime
Fateatur, quum amet aliam, non eſt utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito eſt opus. *So.* Ah! minime gentium:
Non faciam. *Ge.* Quid agis? *So.* Proferam. *Ge.* Hem! mea Soſtrata, vide, quam rem agas.

So.

DONATI.

42. Tua fama, et gnatae vita.] Tibi enim crimini erit, vitiatam eſſe filiam: illi etiam oberit. Et utrum *Vitam*, ſalutem dicit? In dubium.] In periculum.

43. Fateatur.] Vitiaſſe filiam. Et complexio eſt ἀμφίπλευρος oratoria, in qua utrum ſenſeris, contrarium tollis: ⁴¹ cogiturque * quod ex altera parte ſit, hoc eſt, tacere.

44. Quapropter quoquo pacto.] Congrue & pro perſona, & pro muliere hoc dictum eſt: eamque in malis ⁴² conſtantem eſſe demonſtratur.

45. Non faciam.] Non faciam, dixit, pro *Non tacebo:* quaſi *Tacere*, aliquam actionem habeat. ſed moralis ſignificatio eſt, & communis omnibus: ſicut *advocatum* dicimus *male feciſſe*, quum tacuerit.

OBSERV. IN DONAT.

41. *Cogiturque * quod ex altera parte ſit, hoc eſt, tacere.*] Mſ. Boecl. edit. Anon. Tarviſ. Venet. Argent. ſine lacunae nota: *Cogeriſque quod ex altera parte ſit, hoc eſt, conticere.*

42. *Conſtantem.*] In aliis: *inconſtantem*, &, *demonſtrat.*

COMMENTARIUS.

eſt, parturientem gremio complecti, ad ſignificandum amorem, vel promovendum partum; aliud, partum jam editum ex obſtetricis manu accipere, ulnis complecti, & ſinu fovere, qui mos & olim fuit; & nunc eſt frequentiſſimus. Eundem porro ritum reſpexit Claudianus in Rufin. I. 92.

> *quem prima meo de matre cadentem*
> Suſcepi gremio.

De ipſo autem ritu non tantum tollendi partus, ſed & amplectendi & ſinu fovendi, conſule Alphonſum a Caranza, de partu. C. 4. n. 8. ſeqq. Non abludit illud Phaedri, IV. 18. 2.

> *Gelu rigentem quidam colubram ſuſtulit,*
> *Sinuque fovit.*

Sed & inde nata Virgilii locutio, Aen. IX. 260.

> *quaecunque mihi fortuna, fideſque eſt,*
> *In veſtris pono gremiis.*

36. Ita.] Poſtea, quaſi a Gr. εἶτα.

37. Consule.] Mſſ. quidam & edd. veteres, Prospice. Senſu & metro plane eodem.

38. Au! mi homo.] Haec praeter mentem Donati in Mſſ. quibuſdam & edd. vetuſtis Soſtratae tribuuntur.

41. Proferimus.] In quibuſdam Mſſ. & editis antiquis eſt, Proferemus.

Inficias ibit.] Nimirum Pamphilam a ſe compreſſam, atque inde gravidam eſſe factam. Sic verſu 49.

42. Gnatae vita in dubium veniet.] Id vult, Pamphilam videntem, ſe deſeri ab Aeſchino, prae aegritudine morituram, vel certe vitam ei ſuavem non futuram. Sic And. V. 1. 3.

44. Tacito.] Mſ. Lipſ. & Bodl. cum quibuſdam edd. veteribus, Celato.

45. Non faciam.] Ἀνακόλουθον. Inferendum enim fuerat, *Non tacebo*. Sed ſolent *Faciendi* verbo ita uti. Sic. Cic. Fam. VI. 1. *Narravit, te interdum ſollicitum ſolere eſſe vehementius: quod facere non debes.* Idem etiam nunc in pluſculis linguis uſitatum.

Quid agis?] Editiones quaedam veteres.

So. Pejore res loco non poteſt eſſe, quam in quo nunc ſita eſt.
Primum indotata eſt: tum praeterea, quae ſecunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non poteſt. hoc reliquum eſt,
Sin inficias ibit, teſtis mecum eſt annulus, quem amiſerat.
Poſtremo, quando ego conſcia mihi ſum, a me culpam eſſe hanc procul:

Neque

DONATI.

46. Pejore res loco non potest esse.] Satis argute inter Getam & Soſtratam ſententias ex perturbatione facit nutare. Quam in quo nunc sita est.] Cauſa nihil timendi.

47. Primum indotata est.] Ratio ſubjecta eſt cauſae: & *indotatam*, pauperem modo dicit. Tum praeterea, quae secunda ei dos erat.] Videlicet, pro virgine dari nuptum. Et incerta diſtinctio eſt: etenim erat bis ſubaudiendum, Pro virgine dari nuptum.

48. Non potest.] Jungendum, Dari nuptum. Et pro virgine: id eſt, virgo: ut, *Nunc plane eſt pro nova*, id eſt, nova. Aut nec virgo, nec pro virgine nubere poteſt. non virgo: quia vitiata eſt. nec pro virgine: quia res diffamata eſt.

49. Si inficias ibit.] Si negabit. Testis mecum est annulus.] Locutio haec ſic capienda eſt: « hoc eſt, *annulus pro me teſtis*. Vel ſic, *Annulus & ego teſtes ſumus.* Sed melius quod ſupra.

50. Postremo, quando ego conscia mihi sum.] Quando, pro quoniam; vel « Quando, pro quidem.

OBSERV. IN DONAT.

43. Hoc eſt: *annulus pro me teſtis.*] Lego junctim: *Hic eſt annulus pro me teſtis.*

44. Quando, *pro Quidem.*] Forte, Quando *pro Quandoquidem.* cum Mſ. Hulſt.

COMMENTARIUS.

Quid ais? Et videtur inconcinne eidem perſonae tributum, Quid agis? & mox rurſus, Vide, quam rem agas.

47. Quae secunda ei dos erat, periit.] Virginitatem intelligit, & illibatam pudicitiam. Sic Alcumena apud Plautum, Amph. II. 2. 209.

Non ego illam mihi dotem *eſſe duco, quae* dos [*dicitur,*
Sed pudicitiam, *& pudorem, & ſedatum cu-* [*pidinem.*

Aul. II. 2. 61.

Eu. *At nihil eſt* dotis, *quod dem.* Me. *Ne duas.*
Dummodo morata recte veniat: dotata *eſt ſatis.*

Auſonius in dictis Biantis:

Quae dos *matronae pulcherrima*? vita pudica.

Sed & formam in magna *dotis* parte exiſtimabant. Ovid. Metam. XI. 301.

quae dotatiſſima forma
Mille procis placuit.

Afranius apud Non.

Formoſa *virgo eſt.* dotis dimidium *vocant*
Iſti, qui dotes *negligunt uxorias.*

Pragmaticis Virgo paupercula, ſed bella, *dotem in fronte* dicitur *gerere*; unde & *laeſae formae* actionem ei concedunt. quod tamen Juri Antiquo videtur contrariari, quod *corpus liberum* aeſtimari poſſe negat. Inde quaecunque commendant rem, *dotis* nomine veniunt. Phaed. I. Prol. 3.

Duplex libelli dos *eſt.*

Ita *dotes* praediis adſcribi, monebat me humaniſſimis literis Ampliſſimus Vir, Cornelius Bynkershoekius, citans *l.* 2. §. 1. *& l.* 20. 1. *&* 2. *ff. de Inſtr. vel Inſtr. legat. ſed & apud Plin. Lib.* 1. *epiſt. ult.* Additque: *A pudicitia autem cum puellae commendentur, haec recte earum* dos *dicitur; ſed* ſecunda; *quia, ut ais ille, virtus poſt nummos.* Ceterum, uti virginitas secunda dos Terentio, ita clementia Imperatorum *dos prima* dicitur a Fl. Vopiſco, in Aureliano, cap. 44.

48. Pro virgine dari nuptum non potest.] Atque adeo omnino illocabilis erat. Ἀνεκδότιμοι enim vocabantur virgines ἄπροικοι, i. e. indotatae. Plaut. Aul. II. 2. 14.

Virgi-

Neque pretium, neque rem ullam interceſſiſſe, illa aut me indignam, Geta,

Experiar. *Ge.* Quid iſtuc? accedo, ut melius dicas. *So.* Tu, quantum potes,

Abi, atque Hegioni cognato hujus, rem omnem narrato ordine:

Nam

DONATI.

55. Neque rem ullam.] [45] Hoc eſt, internuntium, pactum clam, aut promiſſum. Et bene totum execrative dixit: ut alii facinora abhorreant. Illa.] Filia ſcilicet.

52. Experiar.] Apud judices agam. Quid iſtuc?] Verbum eſt aegre conſentientis: quaſi qui dicat, *Quid hic reſiſtam?* Accedo, ut melius dicas.] Id eſt, ut conſentiam, [46] velut qui melius poſſim dicere. Quantum potes, abi.] [47] Deeſt *Cito*: ut ſit, *Quantum potes, cito abi.*

53. Atque Hegioni.] Apud *Menandrum* Soſtratae frater inducitur. Hujus.] Filiae ſuae ſcilicet.

OBSERV. IN DONAT.

45. *Hoc eſt, internuntium.*] Mſ. Hulſt. E. g. *internuntium*, i. e. *exempli gratia*. Ex mox: *a facinore abhorreant.*

46. *Velut qui melius poſſim dicere.*] In quibuſdam Codd. eſt, *Veluti melius potens ſis dicere.* Mſ. Hulſt. diviſim, *vel uti melius potens ſis dicere.* Abr. Wielingius: *vel ut quid.*

47. *Deeſt, Cito.*] Immo deeſt, *Tantum.*

COMMENTARIUS.

Virginem habeo grandem, dote *caſſam*, *atque illocabilem*;

Neque eam queo locare cuipiam.

49. Sin inficias ibit.] Magna Librorum pars, si inficias ibit. Utrum elegantius ſit, merito dubites. Quod autem Boeclerus reperit, se in inficias ibit, atque inde τὸ sin confirmari putat, non magis ſequitur, quam ex lectione Mſ. Boenderm. Si inficias inibit.

Testis mecum est annulus.] Neque id vult, *Annulus pro me teſtis erit*, neque, *Annulus & ego teſtes erimus*; quod Donato viſum. Sed ſenſus eſt, Annulus eſt penes me, teſtis, Pamphilam ab Aeſchino eſſe violatam. Fabrini: *l'anello farà teſtimonianza per me.* Donatus ad Eun. III. 3. 9. Mecum, Penes me ſignificat.

Quem amiserat.] Mſ. Mark. & Boenderm. Quem ipse amiserat. Ita & editio anni 1469. & Veneta 1490. Guyetus verſum hunc, in quo palmarium Soſtratae argumentum eſt, ſpurium vocat. Sed nec proxime praecedens ſine hoc ſtare poteſt; hoc enim unum reliquum erat, ex annulo convincere Aeſchinum. Nec juvat Guyetum τὸ amiserat, pro quo amisit ſcribendum fuiſſe dicit. Sed & *annuli* in re ſimili mentio, Hec. V. 3. 23. ſeqq. Dicitur porro Annulus testis, uti *res auctor*, apud Plaut. Trin. I. 2. 70.

Id ita eſſe ut credas, rem *tibi* auctorem *dabo.*

50. A me culpam esse hanc procul.] Sic Plaut. Trin. I. 2. 42.

culpam ut abs ſe ſegregent.

Phaed. I. 10. 5.

Negabat illa, ſe eſſe culpae proximam.

Ad quem locum vide omnino Virum Cl. P. Burmannum.

51. Neque pretium, neque ullam rem intercessisse.] Q. d. Nihil, quod nomine, vel ſpecie pretii venire poſſit. Si vero pretium meretricibus pro nocte dari ſolitum interceſſiſſet, jam ſpes omnis aliquando nubendi decolaverat Pamphilae. Quam rem multis exſequutus eſt Boeclerus.

52. Experiar.] Graeci ἀγωνίζεσθαι καὶ δίκην λαγχάνειν vocant actionem in judicio intendere. Cic. Fam. XIII. 65. *Non me praeterit, nos eam rem Epheſi* expertos *eſſe, neque ab Epheſiis ullo modo impetrare potuiſſe.* An autem ideo contendere judicio dixerunt *Experiri*, quod judiciorum alea eſt dubia, & eventus incertus, atque ideo *experiendum*, quid judices decreturi ſint?

Quid istuc? accedo, ut melius dicas.] Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVI. Accedo,

Nam is noſtro Simulo fuit ſummus; & nos coluit maxume.
Ge. Nam hercle alius nemo reſpicit nos. *So*. Propera tu, mea Canthara,
Curre: obſtetricem arceſſe: ut, cum opus ſit, ne in mora nobis ſiet.

DONATI.

54. SIMULO.] Nomen patris puellae: diminutivum a Simo, vel Simone. Et nota nomen in Palliata Fabula Latine diminutivum. SIMULO FUIT SUMMUS.] SUMMUS, an ad cognatum, an ad amicum refertur? an abſolute ponitur, ut in Eunucho? *Plurima ſalute Parmenonem ſummum ſuum impertit Gnatho*. ET NOS COLUIT MAXUME.] Et miſerabilius COLUIT dictum eſt; quam ſi diceret, *Colit*. [48] *Virgil.*

Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.

Colere enim, & majoribus & minoribus convenit. Ut, [49] *Poſthabita coluiſſe Samo.*

55. NOS.] Monoſyllabo finit, vultuoſam exprimens pronuntiationem. TU, MEA CANTHARA.] Triſtis ac ſeriae foeminae blandimentum eſt MEA potius, quam pronomen poſſeſſivum. Deeſt enim *Chara*, vel quid tale: quo addito, pronomen ſtaret MEA.

56. CURRE.] Mire dictum eſt ancillae, CURRE. UT, QUUM OPUS SIT.] Id eſt, quum adeſſe coeperit partus. NE IN MORA NOBIS SIAT.] [50] Locutio qualis ſupra.

OBSERV. IN DONAT.

48. *Virgil.*] Aen. IX. 300.
49. *Poſthabita.*] Virg. Aen. I. 16.
50. *Locutio qualis ſupra.*] Vide And. II. 5. 13. & III. 1. 9.

COMMENTARIUS.

UT RECTIUS DICAS. Varie haec capiunt Interpretes. Dacieria: *Ah, qu'allez-vous faire? je vous en prie, changez de ſentiment.* Fabrini: *Io deſidero, che tu ſia di altro parere, che tu non ſei.* Mihi videtur Geta Soſtratae iracundia ex poſtremis verbis viſa, & mitigare eam volens, dixiſſe, QUID ISTUC? q. d. Non amplius reſiſtam, nec diſſuadebo, quo minus proferas vitium filiae oblatum, ſed ACCEDO ad ſententiam tuam, UT MELIUS DICAS, i. e. ut bona verba loquaris. Cum ſtomacho enim dixerat, EXPERIAR! Certe quidem ita cepit Guido Juvenalis, ſcribens, *ut aptiorem ſermonem loquaris.* Eodem fere ſenſu Davus, iraſcente Simone, *Bona verba, quaeſo*, inquit, And. I. 2. 33. Niſi forte mens Poetae eſt, *Accedo ad tuam ſententiam, melius eſſe, ut proferatur, quam ut celetur. Ac proin, dicas.* Illis autem, UT MELIUS DICAS, in uno Mſſ. Leidenſium ſupraſcriptum, *Hanc cauſam.* Sed & in Mſ. Lipſ. voci ACCEDO ſupraſcriptum, *ſ. tecum.* Illis vero, UT MELIUS DICAS, etiam, *Hanc cauſam.* Abr. Wielingius vel cum Donato DICAM legit, vel ellipſin ſtatuit, q. d. UT QUAE MELIUS DICAS. Quanquam τὸ DICAM in nullis mihi Libris repertum.

54. NOSTRO SIMULO.] Cur non potius, MEO? cum Simulus videatur fuiſſe maritus Soſtratae, pater Pamphilae.

55. NEMO RESPICIT NOS.] Sic infra V. 8. 9. *Reſpicit* vero potentior humiliorem. Unde pro *Reſpicientis* Nic. Heinſius, & poſt eum Rich. Bentlejus legit *ſuſpicientis*, Horat. Epiſt. I. 1. 103.

rerum tutela mearum
Cum ſis, & prave ſectum ſtomacheris ob unguem
De te pendentis, te ſuſpicientis *amici.*

Carm. I. 2. 35.

Sive neglectum genus & nepotes
Reſpicis *auctor.*

Martial. X. 10. 5.

Qui me reſpiciet, *dominum regemque vocabo.*

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS TERTII

SCENA TERTIA.

DEMEA. SYRUS.

De. DISPERII! Cteſiphonem audivi filium
Una affuiſſe in raptione cum Aeſchino.
Id miſero reſtat mihi mali, ſi illum poteſt,
Qui alicui rei eſt, etiam eum ad nequitiam abducere.

Ubi

DONATI.

1. DISPERII: CTESIPHONEM AUDIVI FILIUM.] *Hic oſtenditur quod ſeveri homines, ac recti & honeſti tenaces, vel ridiculi ſunt, vel odio habentur quoque acceſſerint. Magno autem affectu; & quaſi exclamantis addidit* FILIUM: *quaſi cauſam redderet cur dixerat* DISPERII!

2. UNA ADFUISSE IN RAPTIONE CUM AESCHINO.] Οἰκονομία, in qua oſtenditur, quantum commovebitur Demea ipſa re comperta, quum ex parva rei ſuſpicione tantum ſe [1] afficiat. *Raptio* autem ad perſonam refertur, *Rapina* ad rem, *Raptus* ad ſtuprum, ſi volumus proprie loqui.

3. ID MISERO RESTAT.] Bene RESTAT: tanquam jam ſummum malum ſit, Aeſchinum eſſe corruptum. Et, MISERO MIHI: quaſi qui nihil neſciat, nihil curante Micione. SI ILLUM POTEST.] Non dubitat velle: & ideo dicit, POTEST.

4. QUI ALICUI REI EST.] Recte. de hoc enim ſupra dixit, *Non fratrem rei dare operam videt, ruri eſſe parcum, ac ſobrium?* ETIAM EUM AD NEQUITIAM ABDUCERE.] Quaſi invitum dixit, non *Vocare*, ſed ABDUCERE. [2] *Ducimus* enim volentes: ſed *abducimus* invitos. *Nequitia* autem proprie libidinoſa inertia dicta eſt: quod *nihil queat*, nullique rei apta ſit. Unde & *nugae*, quod *nihil agant*, vel a non agendo.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Afficiat.*] Lego: *Affligat.*
2. *Ducimus enim volentes.*] Mſ. Hulſt. *Ducimus enim etiam orantes.* Ita & Mſ. Lindenbr. ſed omiſſo *enim*. Aliter autem diſtinguit Donatus ad Eun. II. 3. 85.

COMMENTARIUS.

2. UNA AFFUISSE.] In aliis eſt, ADFUISSE, in aliis, FUISSE. Sed AFFUISSE vincit numero Mſſ. unde etiam praelatum a Mureto. Atque ediderunt ita Juntae, Aldus, Fabrini, poſt editionem Anonymam, Tarviſianam, alias. Neque aliter Nonius Marcellus citat.

IN RAPTIONE.] Farnabio *Raptio* eſt violenta perpetratio injuriae; *Raptus* vis & injuria perpetrantis; *Rapina* lucrum injuſtum & praeda per vim rapta. Neque aliter fere diſtinguit Georg. Fabricius. Parum accurate. *Raptus* paſſim de hominibus, *Rapina* de rebus dicitur. *Raptio* ipſe rapiendi actus eſt. Sic *Raptum Proſerpinae* Claudianus dixit.

4. QUI ALICUI REI EST.] Sub. natus, aptus, idoneus, homo frugi. In Mſ. Traject. Mark. Boend. aliiſque nonnullis eſt, ALICUJUS REI. quomodo & in edit. Anon. Tarviſ. & anni 1469. Venet.

Ubi ego illum quaeram? credo abductum in ganeum
Aliquo: perſuaſit ille impurus, ſat ſcio.
Sed eccum Syrum ire video! hinc ſcibo jam, ubi ſiet:
Atque hercle hic de grege illo eſt: ſi me ſenſerit
Eum quaeritare, numquam dicet carnufex.
Non oſtendam me id velle. *Sy.* Omnem rem modo ſeni,

Quo

DONATI.

5. Credo abductum.] Non *iiſſe*, ſed abductum eſſe: quaſi adhuc culpa non ſit illius. In ganeum aliquo.] Veteres ganaum, meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γᾶς, τουτ' ἔστι, τῆς γῆς, quod ipſa ſit in terra, non ut coenacula ſuperius. [3] Unde & *taberna*, quaſi *trabena*, a validioribus dicta trabibus, quibus ſuperiora ſuſpenſa ſunt.

6. Persuasit ille impurus.] *Suademus* facilia, *Perſuademus* difficilia. Et *ſuadere* facientis eſt, *Perſuadere* perficientis. Impurus autem pro improbo ponitur apud Terentium. Et hic quoque excuſata voluntas eſt Cteſiphonis, cui a majore fratre & improbo ingeſta ſit perſuaſione nequitia.

7. Sed eccum Syrum ire video!] Ire, & *abire*, & *venire* ſignificat. Ire video!] Ire, pro *venire*: ut,

[4] *Nec vero Aeacidem me ſum laetatus euntem*
Accepiſſe lacu.

8. Atque hercle hic de grege illo est.] [5] Figura ἐπανάληψις, *de grege illo eſt. Ordo* vel bonorum, vel malorum dicitur, & gravium; ut *Equeſter ordo*, *ſenatorius ordo*. Grex vel bonorum, vel malorum eſt, & levium. ut [6] *Cicero*, *In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudicique verſantur.*

9. Quaeritare.] Inſtanter quaerere. [7] Carnufex.] Pro ganeo poſitum eſt.

10. Non ostendam me id velle.] Scilicet, ſcire ubi ſit.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Unde & taberna, quaſi* trabena.] Mſ. Boend. *Quaſi trabea.* Melius autem derivat Ulp. l. 183. D. de Verb. Signif. à *Tabulis.* Legendum enim pro non, nomen, ex ſcripturae compendio, hoc modo: Tabernae *adpellatio declarat omne utile, ad habitandum, aedificatum: nomen ex eo, quod* tabulis *cluditur.* Abr. Wieling.

4. *Nec vero.*] Virgil. Aeneid. VI. 392. Ubi nunc, *Alciden.*

5. *Figura* ἐπανάληψις, *de grege illo.*] Lectio vulgaris, ſed diſtinctione laborans. Reſtituo ex Codd. vett. *Figura* ἐπανάληψις. De grege illo.] *Ordo vel bonorum, vel malorum dicitur & gravium. ut, Equeſter ordo, Senatorius ordo Grex & malorum & levium.* Idem divinabat Abr. Wielingius.

6. *Cicero.*] Catil. II. 10. Ubi tamen τὸ *bonis* vulgo non legitur; quanquam ironiae eſt aptum. Et forte inde τὸ *bonorum* in Donato interpolatum. Uti illa, *omnes adulteri*, poſt τὸ *aleatores*, omiſſa.

7. Carnufex.] *Pro ganeo poſitum eſt.* Nominandi caſus eſt *ganeo.* Niſi malis cum Guidone Juvenale legere, *pro ganeone.* Videntur autem haec tranſpoſita, referenda ad τὸ impurus, verſu 6.

COMMENTARIUS.

Venet. 1490. & 1512. Argentina & quibuſdam aliis legitur. Eugraphius alicujus spei videtur legiſſe. Utrumque perperam. dixit autem alicui rei, ut Plautus Stich. V. 4. 38.

Nolo ego nos pro ſummo bibere: nulli rei *erimus poſtea.*

Quod & legitur, *nulli relerimus.* q. d. non releverimus poſthac cados. Cic. pro Mur. 12. *Cum ceteris rebus abſurdum, tum* nullo uſui. antique, pro *nulli.* Gell. IX. 2. *Erraticum hominem eſſe dicere, & nulli rei, incelamque eſſe ſordentium ganearum.* Symmach. Lib. I. Epiſt. 37. *Quod genus* nulli rei eſt. Ex Donati verbis non licet diſpicere, alicujus, an alicui legerit.

Etiam sum.] Πλεονάζει τὸ eum. Vide ſupra III. 2. 17. quanquam abeſt a quibuſdam Mſſ. & impreſſis. In aliis eſt, Etiam ad nequitiam eum adducere.

Abducere.] Praeſtat haec lectio prae illa quorundam Codd. adducere. Quanquam ita

Plautus

Digitized by Google

Quo pacto haberet, enarramus ordine:
Nihil vidi quidquam laetius. *De.* Prô Juppiter!
Hominis ſtultitiam. *Sy.* Collaudavit filium:
Mihi, qui id dediſſem conſilium, egit gratias.
De. Diſrumpor. *Sy.* Argentum adnumeravit ilico:
Dedit

DONATI.

11. QUO PACTO SE HABERET, ENARRAMUS ORDINE.] Hoc recte: ⁷ qnia dixerat Micioni, *Si quidquid eſt, volo ſcire, atque hominem convenire, ſi apud forum eſt.* Et ENARRAMUS, pro *enarravimus*. ut,

⁸ *Omnis humo fumat Neptunia Troja.*

Et ORDINE bene: quia ſimpliciter fatetur. Fallax autem & captioſa narratio eſt, quod timemus fateri.

12. NIHIL VIDI QUIDQUAM LAETIUS.] Quartum *παρέλκον*.

13: HOMINIS STULTITIAM.] Scilicet quia lactatur, ignorans ubi Aeſchinus ſit. COLLAUDAVIT FILIUM.] Plus additum eſt. non enim ſolum non *Accuſavit*, ſed & COLLAUDAVIT.

15. DISRUMPOR.] Mire: his enim verbis commovetur, COLLAUDAVIT & EGIT GRATIAS. Et vide *αὔξησιν* ſtomachi reſervatam. ARGENTUM ADNUMERAVIT ILICO.] Contra illud eſt, *Cur tu his rebus ſumtum ſuggeris?* Et non ſolum inquit, ADNUMERAVIT: ſed quod pejus eſt, ILICO.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Quia dixerat Micioni, Si quidquid eſt.*] Turpis lectio, quae omnes fere Libros hucuſque obſedit. Scripſit Donatus: *Quia dixerat Micio: Niſi, quidquid eſt.* Vide ſupra I. 2. 73.

8. *Omnis.*] Virgil. Aen. III. 3.

COMMENTARIUS.

Plautus Bacchid. I. 2. 3.

Nam ita me Dii ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur poſſe hic ad nequitiam adducier.

Id vulgo barbare *ſeducere* vocant, Germ. *Verfuhren*, Belg. *Verleiden.*

5. GANEUM] Plaut. Menaechm. V. 1. 3.

Immerſit aliquo *ſeſe, credo*, in ganeum.

Mſſ. quidam & impreſſi: ALIQUO IN GANEUM. Vide porro ad Heaut. V. 4. 11.

6. ILLE IMPURUS.] Maximi ſtomachi nota eſt in Demea, Aeſchinum ne nominare quidem dignante. quanquam Mſſ. & editi quidam veteres legunt, PERSUASIT AESCHINUS ILLE IMPURUS. quod ex gloſſa videtur irrepſiſſe.

7. IRE.] Venire. Vide ſupra II. 2. 23.

HINC SCIBO JAM.] Τὸ JAM abeſt a quibuſdam Libris.

8. DE GREGE ILLO.] Intelligit ſodalitium. Sic Eun. V. 9. 54. An per contemtum de grege impurorum? Sic Horat. Epiſt. I. 4. 16.

Epicuri de grege *porcum.*

Vide porto Caſp. Barthium, ad Stat. Thebaid. IV. 685.

10. OMNEM REM.] In quibuſdam Codicibus h. l. initium Scenae IV. ſtatuitur, laudante Mureto. Malui autem plurimorum & Donati auctoritatem ſequi. Videtur porro Syrus haec ita narrare, ut male urat Demeam, quem videre ſe tantiſper diſſimulat.

11. QUO PACTO HABERET.] In pleriſque Codd. eſt, QUO PACTO SE HABERET. ſed refragante metro. Utroque autem modo dicitur, *Res habet ita*, &, *Res ſe habet ita.* Gr. οὕτως ἔχει.

ENARRAMUS.] Bona Librorum pars ENARRAVIMUS exhibet. Sed non opus ſtatuere craſin, quod multis verbis facit Guyetus; quum uſitata ſatis ſit temporis enallage.

12. NIHIL VIDI QUIDQUAM LAETIUS.] Id ſignificat, Micionem non tuliſſe aegre raptionem fidicinae factam ab Aeſchino. Et quid aegre ferret ſtulte lenis pater, cui neque ſcortari adoleſcentulum, neque potare, neque fores effringere flagitium videbatur?

14. QUI ID DEDISSEM CONSILIUM.] Varie haec leguntur, &, QUI DEDISSEM, & QUI CONSILIUM DEDISSEM.

15. DISRUMPOR.] Prae iracundia nimirum,

Digitized by Google

Dedit praeterea in ſumtum, dimidium minae:
Id diſtributum ſane eſt ex ſententia. *De.* Hem!
Huic mandes, ſi quid recte curatum velis.
Sy. Hem! Demea, haud aſpexeram te: quid agitur?
De. Quid agatur! voſtram nequeo mirari ſatis
Ratio-

D O N A T I.

17. Id distributum.] Distributum, in diverſa tributum: id eſt, diſpartitum per pulmentaria.

18. Huic mandes, si quid recte curatum velis.] *Eiρωνεία* eſt majoris ſtomachi: quia ille dixit, Ex sententia distributum: id eſt, ut indicat Demea, dilapidatum. Sic alibi, *Bone cuſtos, ſalve, columen vero familiae.*

19. Ehem Demea.] Ehem, interjectio eſt commoti, & quaſi perculſi re ſubita & nova. Quid agitur?] Blandientis eſt, non interrogantis. ut alibi, *O noſter quid fit? quid agitur?*

20. Nequeo mirari satis rationem.] Mira ſunt etiam illa, quae vehementer prava ſunt. Et ideo Mirari, pro horrere & reprehendere poſitum eſt. [9] Et Rationem *ἰδιωτικῶς* dixit malam: quum non ſit ratio niſi bona. ſed ſic loquitur populus.

O B S E R V. I N D O N A T.

9. Et Rationem *ἰδιωτικῶς dixit malam.*] Haec Daceriae non videntur eſſe a Donato.

C O M M E N T A R I U S.

indignatione & dolore. Cic. Att. VII. 12. *Non deterreor periculo, ſed* dirumpor *dolore.* Martial. IX. 98. 11.

Rumpitur invidia, *quod amamur, quodque probamur.*
Rumpatur, *quiſquis* rumpitur invidia.

Argentum adnumeravit ilico.] Intelligit viginti minas lenoni pro fidicina dandas. Sic Plaut. Merc. I. 1. 88.

Talentum argenti ipſus ſua annumerat *manu.*

Mſſ. quidam, enumeravit. Atque ita eſt in edit. Anon. Tarviſ. & Venetis.

16. In sumtum] Syro nempe & conſervis. Dixit autem, dedit in sumtum, uti *Habere in ſumtum* notat ferendis ſumtibus parem eſſe. Cic. Fam. IX. 20. *Sed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum* in ſumtum habebas. Ubi vide P. Manutium.

18. Huic mandes, si quid recte curatum velis.] Sic Phorm. IV. 4. 8. Plaut. Aſin. I. 1. 107.

Eidem homini, ſi quid recte curatum velis,
Mandes.

20. Quid agatur!] In pluſculis Codicibus repetitur, Quid agitur? Quod moroſius videtur, & Demeae magis conveniens.

Vostram nequeo mirari satis rationem.] H. e. Agendi modum. Sic infra V. 3. 26. Plaut. Merc. I. 1. 56.

Rationem *peſſumam eſſe.*

21. Ne dicam dolo.] Plaut. Menaechm. II. 1. 1.

Nulla eſt voluptas navitis, Meſſenio,
Major, meo animo; quam quom ex alto procul
Terram conſpiciunt. Mes. *Major*, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas, quae fuerit tua.

Trin. I. 2. 52.

Me. *Haben' tu amicum aut familiarem quempiam,*
Cui pectus ſapias? Ca. *Edepol* haud dicam dolo,
Sunt, quos ſcio eſſe amicos: ſunt, quos ſuſpicor:
Sunt, quorum ingenia atque animos non poſſum noſcere.

Et II. 4. 79.

non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de via, de ſemita,
De honore populi: verum quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longe, niſi me pugnis viceris.

Eodem ſenſu dixit Caſin. Prol. 37.

Eſt

Rationem. *Sy.* Eſt hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque abſurda. piſces ceteros purga, Dromo:
Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere
Pauliſper: ubi ego venero, exoſſabitur:

Prius

DONATI.

21. Est hercle inepta.] Hoc ad ſenem. Ne dicam dolo.] Ne mentiar, id eſt, ex contrario dicere videar: ſed ut ſedulo dicam.

22. Atque absurda.] *Ineptum*, eſt ſtultum tantum: *Abſurdum*, quod & ſtultum eſt, & in ipſa ſtultitia diverſum, & quaſi repugnans ſibi. Sic ergo locutus eſt, ut videatur ineptam rationem ad Aeſchinum referre: abſurdam ad Micionem, quem jam fieri ſtultum, [10] contrarium ſenectuti eſt.

23. Congrum istum maximum.] Διαστολή: quia erant alii, non maximi. ut e contrario, [11] *Argitiſque minor*, quia eſt & major. Nam Istum quod ait, δεικτικὸν eſt. videtur enim oſtendere digito, quem dicat. In aqua sinito ludere paulisper.] Sic oſtenditur bene obſonaſſe, qui vivos adtulit piſces: nam non ludit piſcis, niſi vivus.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Contrarium ſenectuti eſt.*] Immo, *conſentaneum ſenectuti eſt.* Unde infra IV. 7. 43. Senex delirans.

11. *Argitiſque minor.*] Virgil. Georg. II. 99.

COMMENTARIUS.

Eſt ei quidam ſervus, qui in morbo cubat:
Immo hercle vero in lecto, ne quid mentiar.

Cic. Fam. III. 4. *Quod ſcribis, tibi manendi cauſam eam fuiſſe, ut me convenires; id mihi*, ne mentiar, *gratum eſt.*

22. Pisces ceteroa purga.] Deſquama, exentera. Haec autem averſus ad conſervos dicit. Animus enim ita eſt in patinis, ut Demeam non niſi παρέργως adloquatur.

23. Congrum istum maximum.] Gr. Γογγρὸς, piſcis in deliciis, maxime ex Sicyone advectus. Philemon:

Ἢ ᾽κ τῆς Σικυῶνος τῆς φίλης ὃν τοῖς Θεοῖς
Φέρει Ποσειδῶν γόγγρον εἰς τὸν οὐρανόν.

Vel ſi ex chara Sicyone, quem Diis Neptunus congrum *in coelum uſque fert.* Citat Ludov. Nonius de Re Cibaria Lib. III. cap. 29. Plaut. Aul. II. 9. 1.

Dromo, deſquama piſces: tu Machaerio
Congrum, *muraenam exdorſua, quantum potes;*
Atque omnia, dum abſum hinc, exoſſata *fac ſient.*

De *Congrorum* foetura vide Ariſtot. Hiſt. Anim. VI. 17. Edit. anni 1469. Conorum vero.

Ludere.] Cicero, carmine Arateo, 328.

Exin ſquamigeri ſerpentes ludere *piſces.*

Idem Divinat. I. 14. ex Pacuvio: *Quid? gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus, & tot navium rectores non ita profecti ſunt ab Ilio:*
Ut profectione laeti piſcium laſciviam
Intuerentur.

Similis phraſis ſacra eſt Pſalmo CIV. 26. Confer Hiobi cap. XL. 15. Sed & latius vox patet. Ovid. Faſt. I. 156.

Ludit *& in pratis, luxuriatque pecus.*

Virg. Aen. VIII. 630.

Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos huic ubera circum
Ludere *pendentes pueros.*

Quod expreſſum ex Ennio. Annal. I.

lupu' foeta,
gemineique hinc ubera circum
Ludunt *pendentes puerei.*

24. Paulisper,] Codices quidam, Tantispar, & mox, Rediero.

Exossabitur.] Vide Plautum loc. cit. In Amphitruone autem, I. 1. 162. ad pugnos & verbera tranſtulit.

Me. Exoſſatum *os eſſe oportet, quem probe percuſſeris.*
So. *Mirum ni hic me quaſi muraenam* exoſſare *cogitat.*

Prius nolo. *De.* Haeccine flagitia! *Sy.* Mihi quidem non placent.
Et clamo ſaepe: Salſamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre! *De.* Di voſtram fidem!
Utrum ſtudione id ſibi habet, an laudi putat
Fore, ſi perdiderit gnatum? vae miſero mihi!

Vide-

DONATI.

25. PRIUS NOLO.] Superbe, & pro auctoritate: non dixit *Non oportet*, ſed NOLO. ſubauditur, *purgari eum.* Et nihil ex mora corruptelae acceſſurum piſci ex eo oſtendit, quod ait LUDERE, hoc eſt vivere, & non laeſum vivere. non enim dixit, *Natare:* quod etiam poſſunt languidi piſces. Ipſe inſuper planum fecit, quid ſit PURGA, dicendo EXOSSABITUR. PURGA igitur, *exoſſa* ſignificat: non ut quidam putant, EXOSSABITUR, *comedetur.* MIHI QUIDEM NON PLACENT.] Plus hoc ad ſenem. Et vide quam totum ſuperbe, & confidenter dixerit ob amicitiam omnium dominorum, excepto uno Demea, quem tantum prae illis contemnit.

26. SALSAMENTA.] Hoc ad diſcipulum. SALSAMENTA, aut ſalſi piſces ſunt, aut laridum. SALSAMENTA HAEC, STEPHANIO.] In tota Comoedia opera danda eſt, ut ſtomachetur Demea: excepto quod ſe ipſe in fine commutat. Haec ergo cauſa eſt, quare Syrus quoque illi objicitur, magnifice inferens ſe ut luxurioſum licentemque ſervum: praeſertim qui adoleſcentum paedagogus fuerit.

28. UTRUM STUDIONE.] Aut ordo eſt, UTRUMNE. aut eſt παρέλκον tertium. aut vero per ἔλλειψιν accipitur: quaſi dicat, *utrum eſt?* aut, *utrum verum eſt?* quod qui accipit, UTRUM ſubdiſtinguat, & ſeparet a ſequentibus neceſſe eſt. UTRUM STUDIONE.] Aut UTRUM ſupervacuum eſt, aut NE: aut certe τμῆσις figura eſt, pro, Utrumne ſtudio id ſibi habet, ſi ſciens laedit filium? LAUDI PUTAT.] Quia decipit.

29. SI PERDIDERIT GNATUM?] Et magno affectu, non dixit Aeſchinum: & mire, non addidit, cujus GNATUM. VAE MISERO MIHI!] Hoc eſt, quod ſupra dixit, *Aegre eſt: alienus non ſum.*

COMMENTARIUS.

Ultro iſthunc, qui exoſſat *homines.*
Pomp. Mela II. 1. 55. de Boryſthene: *Alit laetiſſima pabula, magnoſque piſces, quibus & optimus ſapor, & nulla* oſſa *ſunt.*

25. PRIUS NOLO.] Aut familiam duxit Syrus, adoleſcentum etiam paedagogus, quippe qui praecipere ſe conſervis jactat, aut nimis magnifice ſeſe effert.

HAECCINE FLAGITIA!] Mſſ. quidam, HAECCINE FIERI FLAGITIA!

26. CLAMO SAEPE.] Ergo quae ſequuntur cum clamore & ſtomacho pronuncianda. ſic infra 53.

SALSAMENTA HAEC, STEPHANIO, FAC MACERENTUR PULCHRE!] Plaut. Poen. I. 2. 31.

Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi,
Quaſi ſalſa muriatica *eſſe autumantur,*
Sine omni lepore, & ſine ſuavitate:
Niſi multa aqua uſque & diu macerantur.

28. AN LAUDI PUTAT FORE.] Hottomanus ad Cic. Verr. IV. 1. legit, AN TANTI PUTAT FORE.

30. VIDERE VIDEOR.] Plaut. Moſtell. I. 3. 114.

Non videor vidiſſe *lenam callidiorem ullam alteram.*

Cicero Fam. XVI. 21. *Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum jucundiſſimum conſpectum propono,* videor *enim* videre *ementem te ruſticas res, cum villico loquentem, in lacinia ſervantem ex menſa ſecunda ſemina.* Dixit autem VIDERE DIEM; uti Servator de Abrahamo, Evang. Joh. VIII. 56. Ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν. καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη.

EODEM PROFUGIET ALIQUO MILITATUM.] Vid. Heaut. I. 1. 59.

32. NON, QUOD ANTE PEDES MODO EST, VIDERE.] Carnifex ſententias loquendo ridet dictum

Videre videor jam diem illum, quum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. *Sy.* O Demea!
Iſtuc eſt ſapere, non, quod ante pedes modo 'ſt
Videre, ſed etiam illa, quae futura ſunt,
Proſpicere. *De.* Quid? iſtaec jam penes vos pſaltria 'ſt?
Sy. Ellam intus. *De.* Eho, an domi eſt habiturus? *Sy.* Credo,
ut eſt
De-

DONATI.

30. VIDERE VIDEOR JAM DIEM ILLUM.] ILLUM dixit, quaſi quendam triſtem ac funeſtum.

32. QUOD ANTE PEDES MODO 'ST VIDERE.] Hoc ſumpſit Poëta de illo in phyſicum pervulgato ancillae dicto, *Quod eſt ante pedes, non vides: coeli ſcrutatur plagas.*

33. SED ETIAM ILLA, QUAE FUTURA SUNT.] Magis ridicula eſt aſſentatio, ſiquis maxime laudetur, quibus maxime caret.

34. ISTAEC JAM PENES VOS PSALTRIA 'ST?] Dicendo ISTAEC, oſtendit jamdudum ſe hac indignari.

35. ELLAM INTUS.] Ut, *Ellum confidens, catus.* AN DOMI EST HABITURUS?] Proprie: quia *haberi uxor* dicitur, & *haberi mulier*, [12] quum coit. CREDO, UT EST DEMENTIA.] Sic & in Eunucho, *Eam ſe intendit eſſe*, [13] *ut eſt dementia.* Et nominativus caſus eſſe poteſt, & ſeptimus. Si ſeptimus, *Perditus*, aut quid tale ſubaudimus. Sed melius nominativum accipimus caſum.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Quum coit.*] Ita quidem And. I. 1. 58. non h. l.
13. *Ut eſt dementia.*] Lege, *ut eſt audacia.* Vide Eun. III. 2. 19. Niſi forte e memoria laudans locum Donatus lapſus eſt.

COMMENTARIUS.

ctum Demeae. Cic. Orat. pro L. Mur. cap. 2. *Eſt boni Conſulis, non ſolum videre, quid agatur, verum etiam videre, quid futurum ſit.* Idem Div. II. 13.

Quod eſt ante pedes, *nemo ſpectat: coeli ſcrutantur plagas.*

Plin. H. N. XVIII. 27. *Cur etiam nunc altius ſpectas, ipſumque coelum ſcrutaris? Habes* ante pedes *tuos, ecce Vergilias.* Gabrias Fab. XXII.

Νῦν Θεὶς αἴω, βέλτιστε, γὰρ οὐ βλέπεις.

Minut. Felix Octav. cap. 12. *Deſinite coeli plagas, & mundi fata & ſecreta rimari: ſatis eſt* pro pedibus *adſpicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agreſtibus: quibus non eſt datum intelligere civilia, multo magis denegatum eſt, diſſerere divina.* Corn. Severus, Aetna 253.

Nam quae, mortales, ſpes eſt; quae amentia major,
In Jovis errantem regno perquirere velle:
Tantum opus ante pedes *tranſire & perdere ſegnes?*

Adde Barth. Adverſ. XXV. 12. Quod vero eo ſenſu Latini *ante pedes* eſſe dicunt, id Germani *fur augen*, Belgae *voor oogen*, Galli *devant les yeux.* Sed Fabrini vertit, *innanzi a i piedi.* Gr. ἐν ποσὶν, πρὸ ποδὸς, πρὸ ποδῶν. Diog. Laërt. Thal. 34. Σὺ γὰρ, ὦ Θαλῆ, τὰ ἐν ποσὶν οὐ δυνάμενος ἰδεῖν, τὰ ἐπὶ οὐρανοῦ οἴει γνώσεσθαι; ubi vide Menagium. Pindarus, Iſth. Od. VIII.

Τὸ πρὸ ποδὸς ἄρειον αἰεὶ
Χρῆμα πᾶν.

Quod quare alio detortum dicat Guyetus, non video: quum diſerte praeterito & futuro opponatur. Vid. loc.

34. PSALTRIA.] Hujus ſaepius hac Comoedia meminit Poëta, nec alibi uſpiam.

35. ELLAM INTUS.] Qui ita ediderunt, auctoritate Donati nituntur. Sed editiones vetuſtiſſimae & probiſſimae legunt, EST JAM INTUS. Atque ita reperi in quatuor Mſſ. Leidenſibus, quam lectionem Daceria revocavit. In quinto Mſ. Leidenſi, Boend. & Bodl. ETIAM INTUS. In Lipſ. EST ETIAM INTUS. Mſſ. Boecleri varie, EST ETIAM INTUS. EST HAEC JAM INTUS. Quo-

modo

Dementia. *De.* Haeccine fieri! *Sy.* Inepta lenitas
Patris, & facilitas prava. *De.* Fratris me quidem
Pudet, pigetque. *Sy.* Nimium inter vos, Demea, ac
Non, quia ades praeſens, dico hoc, pernimium intereſt.
Tu, quantus quantus, nihil niſi ſapientia es:
Ille

DONATI.

36. INEPTA LENITAS PATRIS, ET FACILITAS PRAVA.] LENITAS, ad permittendum: FACILITAS, [14] ad agnoſcendum. ſic quidam. Sed ego *lenitatem* ad Micionem refero, qui haec leniter patitur: *Facilitatem*, ad Aeſchinum, cui haec per licentiam facilitas datur. *Pravum* autem eſt, quod & ipſum laedit facientem: *Malum*, quod alios tantum.

37. FRATRIS ME QUIDEM PUDET, PIGETQUE.] PUDET, in his quae turpiter facit: PIGET, in his quae cum damno ac malo. *Pudere*, etiam ad dedecus: *pigere*, ad dolorem refertur. PUDET, quod turpe eſt: PIGET, quod dolet.

38. NIMIUM INTER VOS, DEMEA.] *Μεταδιόρθωσις.* nunc enim redditum eſt, quod ſupra dicebatur. Et praeterea repetendo NIMIUM, confirmavit ſuperius dictum, [15] & τὸ CPEMANIE* non ſolvit.

40. TU, QUANTUS QUANTUS.] Id eſt, quantuſcunque. NIHIL NISI SAPIENTIA ES.] Ridicule prius additum NIHIL, quam quicquam, laudis nomine. Deinde ſi *Sapiens* dixiſſet, non tanta eſſet irriſio. Sed hyperbolicῶs accipitur, id eſt, ſtultus; NIHIL NISI SAPIENTIA ES: ILLE

OBSERV. IN DONAT.

14. *Ad agnoſcendum.*] Recte Godd. vett. *ad ignoſcendum.*

15. *Et τὸ* CPEMANIE * *non ſolvit.*] Haec abſunt a Mſ. Hulſt. & Boendern. Editorum veterum quidam poſt lacunam, alii ſine lacuna, *non ſolvit.* Locus fere deploratus. Probabilis, opinor, conjectura eſt, ſcripſiſſe interpretem: *Et τὸ κρεμάμενον ſolvit.* i. e. ſermonem ſuſpenſum. Suſpenderat autem ſermonem Syrus, non dicens, NIMIUM INTER VOS INTEREST, ſed interſeruerat appellationem, DEMEA, porro autem, lento ſpiritu, AC NON, QUIA ADES PRAESENS, DICO HOC. Ut igitur ſuſpenſum ſermonem aliquando ſolveret, PERNIMIUM, inquit, INTEREST. Niſi τὸν κρεμάμενον quis malit, atque ipſum Demeam intelligere, qui tantiſper ſuſpenſum tenebat animum, κρεμάσας ſcilicet νόημα, διάνοιαν.

COMMENTARIUS.

modo & edit. Anon & Tarviſ. exhibent. Niſi forte ELLAM dixit, digito in aedes intenſo. quomodo Davus de Critone in aedibus Glycerii, Donat. ad And. V. 2. 14. *Ellum* dicit. Plaut. Aul. IV. 10. 51.

> LY. *Filiam ex te tu habes?* EU. *Immo* eccillam *domi.*

Amph. Prol. 120.

> *meus pater intus nunc eſt*, eccum, *Jupiter.*

HABITURUS.] Nempe, uxoris loco. Sic in Evang. Joh. III. 29. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐστιν. Dicitur autem vel de juſto matrimonio, uti Nep. Cim. 1. vel de concubina. Sic And. V. 3. 18. Vel ſimpliciter HABITURUS *ſecum*, Cic. Fam. XIV. 4. ad Terentiam uxorem: *Si te* habebo, *non mihi videbor plane periſſe.* Donatus non cepit.

36. HAECCINE FIERI!] Libri quidam: HAECCINE FLAGITIA! Alii: HAECCINE FLAGITIA FIERI! quod ex gloſſa videtur.

39. ADES PRAESENS.] Sic Plaut. Amph. III. 3. 22.

> *Audis, quae dico, tametſi* praeſens *non* ades.

Eſt autem ſumma aſſentationis ſpecies in eo, qui adulatur maxime, dum ſe minime adulari oſtendit. Sic ſupra II. 4. 5.

40. QUANTUS QUANTUS.] Plautus Epid. V. 1. 17.

> *Uſque ab unguiculo ad capillum ſummum.*

Apulej. Metam. III. *Ab imis unguibus ſeſe totam aduſque ſummos capillos perlinit.* Gr. Ἐξ ἄκρας κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν.

41. ILLE] Mſ. Mark. & Boend. cum edit. Anon. Tarviſ. Venet. Daventr. Rob. Steph. Ald. Junt. ILLE FUTILIS. Sed improbat Faërnus. Boeclerus citat e Mſ. FUTILE SOMNIUM.

SOMNIUM.] Mſ. Lipſ. SOMNUS. Foediſſimum mendum vocat Guyetus, legitque, OMNIUM, uti And. V. 3. 1. Quae lectio cum nullius Codicis

Ille, ſomnium. ſineres vero tu illum tuum
Facere haec? *De.* Sinerem illum! an non ſex totis menſibus
Prius olfeciſſem, quam ille quidquam coeperit?
Sy. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *De.* Sic ſiet
Modo, ut nunc eſt, quaeſo, *Sy.* Ut quiſque ſuum volt eſſe, ita 'ſt.
De. Quid eum? vidiſtin' hodie? *Sy.* Tuumne filium?

Abi-

DONATI.

ILLE, SOMNIUM.] Nec tu *ſapiens*, ſed SAPIENTIA: nec ille *ſomniculoſus*, ſed SOMNIUM. Ὑπερβολή. SINERES VERO ILLUM TUUM?] Ab argumento Fabulae repetit SINEREM? & *εἰρωνικῶς* interrogat.

42. TOTIS SEX MENSIBUS.] TOTIS, quaſi longi ſint: id eſt, integris, ut ne unum quidem diem minus a ſex menſibus ſciat, quid coepturus ſit filius. Nimis comica & moralis aſſentatio.

43. PRIUS OLFECISSEM.] Totum ridicule. Nam quid olfeciſſet, qui nondum quicquam ſcire coepiſſet, cujuſque naribus nihil objectum fuiſſet? Nam ideo [16] *nares* a *naritate* dictae ſunt, quod nos odoratu doceant praeſto & prope eſſe, quod adhuc oculi non vident. QUAM ILLE QUICQUAM COEPERIT?] Multum dixit, & *Ante ſex menſes*, & OLFECISSEM, & PRIUS QUAM COEPERIT.

44. VIGILANTIAM TUAM TU MIHI NARRAS?] Id eſt, quam maxime ſcio. SIC SIET MODO, UT NUNC EST.] Non dicit *Qui*: ſed reſpice ad argumentum, & ridebis haec optantem Demeam.

45. UT QUISQUE SUUM VOLT ESSE, ITA 'ST.] Hae ſunt ſententiae & ſemper probabiles, & pro perſonis ridiculae. [17] *Plautus* in Milite glorioſo,

Nimia eſt miſeria, nimis pulchrum eſſe hominem.

46. QUID EUM? VIDISTIN' HODIE?] QUID EUM? initium interrogationis futurae de perſona alicujus. Sic in Heautont. *Sed Syrum.* ME. *Quid eum?* TUUM NE FILIUM?] Hoc clare, TUUM NE FILIUM? Moris eſt ut qui cogitat, quid reſpondeat, interrogatione remoretur.

OBSERV. IN DONAT.

16. *Nares a naritate.*] Videtur *naritate* dictum pro *gnaritate*, ab eo, quod eſt *gnarus*.

17. *Plautus in Milite glorioſo.*] I. 1. 68. Legendum autem: *Nimia eſt miſeria, pulchrum eſſe hominem nimis.*

COMMENTARIUS.

dicis, quod quidem ſciam, auctoritate nitatur, ſomnianti excidiſſe videtur.

SINERES VERO TU.] Ita loquitur ſervus, quaſi praeſens adfuiſſet, dicente Micione ſupra I. 2. 27.

& tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres *nunc facere, dum per aetatem licet.*

42. AN NON.] Libri quidam Mſſ. & impreſſi veteres, AUT NON.

SEX TOTIS MENSIBUS.] De tempore longo. Sic Eun. II. 3. 39. Dixit autem TOTIS MENSIBUS, ut *ſolidos annos* Varro apud Nonium; Cicero paſſim *ipſos dies*, Graecos imitatus, quibus *τὸ αὐτὸ integrum* notat.

43. OLFECISSEM.] Eodem ſenſu Cicero Att. IV. 14. *Soles enim tu feſtine* odorari. Et ſaepius alibi.

COEPERIT.] Faërnus, Rivius, Barthius Adverſ. XVI. 1. ex Priſciano & quibuſdam vetuſtis Terentii & Donati Libris COEPERET tuentur. Et laudat Boeclerus e duobus Mſſ. Adde ejuſdem Chreſtomath.

44. SIC SIET MODO, UT NUNC EST.] De ſapientia Demeae explicat Guyetus. Male, ni fallor, quum ad filium Cteſiphonem ſit referendum. Unde mox Syrus: UT QUISQUE SUUM VOLT ESSE, ITA 'ST. Quae, ſi aliter accipias Demeae verba, inepte inferuntur. Quidam Codices ex gloſſa additum habent, UT QUISQUE FILIUM SUUM VOLT ESSE, ITA 'ST.

46. TUUMNE FILIUM?] Mſ. Lipſ. ABIGAM HUNC RUS. TUUMNE FILIUM? ABIIT HINC RUS. JAM DUDUM ALIQUID RURI AGERE ARBITROR.

47. ABI-

Abigam hunc rus. jamdudum aliquid ruri agere arbitror.
De. Satin' ſcis ibi eſſe? *Sy.* Oh! qui egomet produxi. *De.* Optume 'ſt.
Metui, ne haereret hic. *Sy.* Atque iratum admodum.
De. Quid autem? *Sy.* Adortus jurgio fratrem apud forum,
De pſaltria iſtac. *De.* Ain' vero? *Sy.* Vah! nihil reticuit.
Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit

Homo

DONATI.

47. Abigam hunc rus.] Ut pecudem, dixit Abigam: non ut hominem, *Mittam.* Abigam.] Hoc lentius. Et Abigam quaſi pecudem dixit: unde & *Abactores* dicti ſunt. [18] *Cicero* in Verrinis, *Equarum greges iſtum abigendos curaſſe.* Jamdudum aliquid ruri agere arbitror.] Hoc clare. Aliquid ruri agere arbitror.] Hoc plus eſt, quam *illic eſſe:* vult enim cum laude ejus loqui, ut ſupra:

Rei dare operam, ruri eſſe parcum, ac ſobrium?

Et Agere. proprie dixit, nam [19] ab agendo, *ager* dictus eſt, quod in eo multa agenda ſunt.

48. Qui egomet produxi.] Mutata praepoſitione, non *Deduxi*, ſed Produxi, dixit: id eſt, *porro duxi.*

49. Metui, ne haereret.] Haec tranſlatio ut ſublevat Cteſiphonem, ita Aeſchino invidioſa eſt. Nam haeret avis, non animo, nec voluntate: ſed viſco decipientis aucupis.

50. Quid autem?] Quid pro quare, vel ob quam cauſam. [20] *Virgilius:*

Quae fortuna viris; claſſem quo littore linquant;
Quid veniant?

[21] Cui contrarium in ſignificatione * id quod te oro. Adortus jurgio est.] *Aggredimur*, de longinquo: *Adorimur*, ex inſidiis & ex proximo. nam *Adoriri*, eſt [22] quaſi aliquem oriri, id eſt, exurgere.

51. De psaltria istac.] Hic mire ſenem imitatus eſt, & memoriter: quia ille dixerat, *Quid? iſtaec jam penes vos pſaltria eſt?* Nihil reticuit.] Mirum enim, minorem fratrem non pepercisse majori: nec reticuiſſe quidquid erat opus.

52. Intervenit homo de improviso.] *Intervenire*, eſt in medio negotio, quaſi ex inſidiis ſupervenire, & opprimere in ipſo actu eos, qui rem celatam vellent. Et vide quam oratorie narret geſtionem rei, quae nunquam facta ſit: his enim fides fit.

53. Coepit clamare.] Ἠθικῶς, totum, & Coepit, & Clamare: & quod ſequitur.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Cicero in Verrinis.*] I. 10. Addo II. 7. *Praeterea greges nobiliſſimarum equarum abactos.*

19. *Ab agendo ager dictus.*] Recte Quinctilianus Inſtit. I. 6. *Sed cui non poſt Varronem ſit venia? qui* Agrum, quod in ea agatur aliquid: *& graculos, quia gregatim volent, dictos, Ciceroni perſuadere voluit; quum alterum ex Graeco ſit manifeſtum duci, alterum ex vocibus avium.*

20. *Virgilius.*] Aeneid. I. 517.

21. *Cui contrarium in ſignificatione * id quod te oro.*] Editiones veteres & Mſ. Buend. ſine nota lacunae: *Cui contrarium eſt in ſignificatione id quod te oro.* Ml. Lind. *Cui contrarium eſt idem ſignificant.* Ml. Hulſt. *Cui contrarium eſt id eſt ſignificat id quod te oro.* Ubi illa, *id eſt ſignificat*, ex gloſſa irrepſiſſe videntur, atque inde nata, *in ſignificatione*, &, *idem ſignificant.* Id autem velle videtur, Quid autem? h. l. eſſe rogantis cauſam. Contrariam vero vim obtinere, ſi dicas, *Quid, quod te oro?* Quod autem Rob. Stephanus duas priores literas in τῷ *Quid* non legeret expreſſas, edidit, * *id quod te oro.* Doctiſſ. Wielingius ope Mſ. Lindenbr. legit: *Cui contrarium id, ſignificans idem quod te oro.*

22. *Quaſi aliquem.*] Abr. Wielingius legit, *Quaſi ad aliquem.*

COMMENTARIUS.

47. Abigam hunc rus.] Haec Syrus ſecum, vel ad ſpectatores converſus. Male igitur in nonnullis Codd. tribuuntur Demeae.

48. Ibi esse.] Pro eo Libri quidam legunt, Eum ibi esse, quod ex gloſſa videtur inſertum.

Qui egomet produxi.] Quaſi magiſter & paeda-

Homo de improviſo: coepit clamare, o Aeſchine!
Haeccine flagitia facere te! haec te admittere
Indigna genere noſtro! *De*. Oh! lacrumo gaudio.
Sy. Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.
De. Salvos ſit, ſpero: eſt ſimilis majorum ſuûm. *Sy*. Hui!
De. Syre, praeceptorum plenus iſtorum ille. *Sy*. Phy!
Domi habuit unde diſceret. *De*. Fit ſedulo.

Nihil

DONATI.

53. AESCHINE, HAECCINE FLAGITIA FACERE TE!] Eſt accuſatio a perſona: & vide pondus in nomine Aeſchini.

54. HAEC TE ADMITTERE?] Αὔξησις. nam plus eſt ADMITTERE, quam FACERE. HAEC TE ADMITTERE INDIGNA.] Pronum eſt haec ſtatim credere Demeam, de eo quem ſuperius laudaverit,

non fratrem vides
Rei dare operam, ruri eſſe parcum, ac ſobrium?

Unde mira Poëtae arte, & initia & media, & poſtrema ſibi congruunt atque reſpondent.

55. LACRUMO GAUDIO.] Immoderata laetitia, maxime parentum, lachrymas habet. Recte ergo additum eſt, GAUDIO: quia [23] lachrymae ſolum moerorem ſignificant.

56. NON TU HOC ARGENTUM PERDIS, SED VITAM TUAM.] Haec figura oratoria δεινότης dicitur: qua oſtenditur, non eſſe mediocre quod factum eſt.

57. HUI!] quaſi admiretur ipſe, quae narrat.

58. SYRE, PRAECEPTORUM PLENUS ISTORUM ILLE.] Vide Demeam non deſinere culpam Aeſchini in Micionem conferre: quum e contrario praeceptorum ſuorum vult eſſe, quod ſapit Cteſipho. ISTORUM.] Quae dicis, ſcilicet, *Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.* PHY!] Interjectio mirantis eſt.

59. DOMI HABUIT UNDE DISCERET.] UNDE, id eſt, de quo. FIT SEDULO.] Ἠθικῶς dictum eſt FIT. Et SEDULO, ſine dolo, id eſt, inſtanter: quia negligentes doloſi dicuntur.

OBSERV. IN DONAT.

23. *Lachrymae ſolum moerorem ſignificant.*] Abr. Wielingius legit, *Lachrymae ſolae moerorem ſignificant.*

COMMENTARIUS.

paedagogus. Variant Libri, etiam QUEM & QUEN legentes; quorum hoc metro repugnat.

49. NE HAERERET HIC.] Nimirum Athenis. Mſſ. quidam & veteres impreſſi, NE HAERERET HUIC, i. e. Aeſchino. Quam lectionem tuetur Janus Gulielmius; ſed in Scholiis ineditis refutat Guyetus.

51. AIN' VERO?] Mſ. Lipſ. AIN' VERUM?

54 HAEC TE ADMITTERE INDIGNA GENERE NOSTRO!] Plaut. Curc. I. 1. 23. [*ſit tuo*,

Numquid tu, quod te, aut genere indignum
Facis, aut inceptas facinus facere, Phaedrome?

55. OH! LACRUMO GAUDIO.] In pluſculis Libris eſt, OH, OH. In aliis etiam PRAE GAUDIO. Sic infra IV. 1. 20. Apulej. Metam. I. *Nam ut lacrimae ſaepicule de gaudio prodeunt.*

58. DE. SYRE, PRAECEPTORUM PLENUS ISTORUM ILLE.] Hunc verſum quam elegantem & commodum expungit Guyetus, ut inſititium, licet jam a Donato lectum, & in omnibus Codicibus expreſſum. Dicitur autem quis PLENUS aliqua re, qua affatim inſtructus eſt. Plaut. Epid. I. 2. 49. *plenus conſilii es.*

Cic. Off. I. 1. *Abundare oportet praeceptis.*

PHY!] Vera haec videtur lectio, & vox formata ἀπὸ τοῦ φεῦ, φῦ. Priſcian. Inſtit. Grammat. Lib. XV. In quibuſdam Mſſ. & impreſſis eſt *Phui*, in aliis *Philoſophos*. Sed ſi alterutrum legiſſet Donatus, τὸ UNDE non interpretatus eſſet, *de quo*, ſed, *de quibus*.

59. DOMI HABUIT UNDE DISCERET.] Sic Plaut. Mil. II. 2. 36. [*falſijurium:*

Domi habet *animum, falſiloquum, falſificum,*
Domi *dolos*, domi *delenifica facta*, domi *fallacias.*

 Truc.

Nihil praetermitto: conſuefacio: denique,
Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.
Hoc facito. *Sy.* Recte ſane. *De.* Hoc fugito. *Sy.* Callide.
De. Hoc laudi eſt. *Sy.* Iſtaec res eſt. *De.* Hoc vitio datur.

Sy.

D O N A T I.

61. INSPICERE, TANQUAM IN SPECULUM, IN VITAS OMNIUM JUBEO.] Videndum, an recte *ſpeculum* induxerit, quum *alienas vitas* dicit *inſpiciendas* eſſe. niſi forte hoc ad cauſam admovendi ſpeculi, non ad effectum referamus. Nam cauſa inſpiciendi ſpeculi, emendatio eſt vultus: effectus, formae per imaginem reſultatio.

63. CALLIDE.] *Callidus* dictus eſt etiam qui exercet dolos. *Callidus* dicitur, qui callum ſibi uſu artis induxerit.

64. HOC LAUDI EST, HOC VITIO DATUR.] Non philoſophice, ſed civiliter monet. Non enim dixit, *hoc bonum:* ſed, HOC LAUDI EST. Nec *hoc malum:* ſed, VITIO DATUR. Ergo ut idiota & comicus pater, non ut ſapiens & praeceptor. ISTAEC RES EST.] Non quam rem gerit Micio: non ut ille agit. Et ſignificat, *Hoc verum eſt, hoc utile eſt.*

C O M M E N T A R I U S.

Truc. II. 5. 4.

domi *modo docta dictito.*

Cic. Fam. IX. 3. *Sed quid ego nunc haec ad te, cujus* domi *naſcuntur?* Pro Murena, 31. Domeſticum *te habere dixiſti exemplum ad imitandum. Eſt quidem illud exemplum tibi propoſitum* domi. De Senect. 4. *Illo extincto, fere* unde diſcerem, *neminem.* Quinctil. Inſtit. Orat. VI. 3. *Ex hiſtoria etiam ducere urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, cum in teſtem in judicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius:* Non intelligo haec aenigmata. Atqui debes, *inquit*, cum Sphingem domi habeas. *Acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam magnae pecuniae.*

61. INSPICERE, TANQUAM IN SPECULUM.] Plautus Amph. I. 1. 286. proprie:

ſaepe in ſpeculum inſpexi.

Et Epid. III. 3. 1.

Non eris cauſa modo homines aequom fuit
Sibi habere ſpeculum, *ubi os contemplarent ſuum:*
Sed qui perſpicere poſſent cor ſapientiae,
Igitur perſpicere ut poſſint cordis copiam.
Ubi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea,
Vitam ut vixiſſent olim in adoleſcentia.

Cicero Off. I. 41. *Non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, ex aliis judicare: ut, ſi quid dedeceat alios, vitemus & ipſi. Fit enim neſcio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobiſmet ipſis, ſi quid delinquitur.* Adi Interpretes ad Phaed. III. 8. 14. Horatius Serm. I. 4. locum hunc Terentii maniſeſto imitatus videtur. A verſu 105. ita:

inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipſe paraſſet:
Nonne vides, Albi ut male vivat filius? utque
Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. a turpi meretricis amore
Cum deterreret: Scetani diſſimilis ſis.
Ne ſequerer moechas, conceſſa cum Venere uti
Poſſem: deprenſi non bella eſt fama Treboni,
Ajebat: ſapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, cauſas reddet tibi.

Et poſt pauca:

Sic teneros animos aliena opprobria ſaepe
Abſterrent vitiis. ex hoc ego ſanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt: mediocribus, & quis
Ignoſcas vitiis, teneor. fortaſſis & iſtinc
Largiter abſtulerit longa aetas, liber amicus,
Conſilium proprium. neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, deſum mihi: Rectius hoc eſt:
Hoc faciens vivam melius: Sic dulcis amicis

Occur-

Digitized by Google

Sy. Probiſſime. *De*. Porro autem. *Sy*. Non hercle otium 'ſt
Nunc mihi auſcultandi. piſces ex ſententia
Nactus ſum: hi mihi ne corrumpantur, cautio 'ſt:
Nam id nobis tam flagitium 'ſt, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quae modo dixti: &, quod queo,

Con-

DONATI.

65. Porro autem.] Prope delinitus erat Demea, contra inſtitutum argumenti. Artificioſe igitur Poëta ſubjecit ex perſona ſervi, unde illum ad amaritudinem provocet. [24] Porro autem.] At vero, & hujuſmodi principia narrationum ſunt, quibus ſuperiora ſequentibus connectuntur.

68. Nam id nobis tam flagitium 'st.] Non dixit, *Peccatum*, irridens ſenem: ſed Flagitium. Et quidem flagitium, corrumpi piſces, vel talia.

69. Quod queo.] Quod poſſum. Sed ſic maluit dicere, ut alluſionem de ſua arte faceret Syrus: & hac re oſtenderet, nihil ab illo dici ſerio. Quod queo.] A coquendo ſumſit παρόμοιον. Sic & infra: *Sedulo moneo, quae poſſum, pro mea ſapientia.* Et [25] *Ciceronis* dictum refertur in eum, qui coqui filius ſecum cauſas agebat: *Tu quoque aderas huic cauſae.* Nam apud veteres *coquus* non per C literam, ſed per Q ſcribebatur

OBSERV. IN DONAT.

24. Porro autem] *At vero, & hujuſmodi.* Lego: Porro autem] Porro autem, *At vero, & hujuſmodi.* Solet enim Interpres paſſim ita repetere verba Poëtae.

25. *Ciceronis dictum.*] Similis jocus eſt Ciceronis apud Quinctilianum, Inſtit. Orat. VI. 3. *Cum is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio peteret; Ego quoque tibi jure favebo.* Quanquam diſputant Interpretes, utra in voce ibi ſit amphibolia, *quoque*, an *jure*. Poſſit videri eſſe in utraque. Quo facit facetiſſimum dictum Axii apud Varronem de Re Ruſt. Lib. III. cap. 17. *Hos piſces nemo cocus in jus vocare audet.*

COMMENTARIUS.

Occurram: Hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Haec ego mecum
Compreſſis agito labris.

Plin. Paneg. 55. *Ac mihi intuenti in ſapientiam tuam, minus mirum videtur, quod mortales iſtos caducosque titulos aut depreceris, aut temperas.* Senec. Controv. I. Praefat. *Quo plura exempla inſpecta ſunt, plus eloquentia proficitur. Non eſt unus, quamvis praecipuus ſit, imitandus: quia nunquam par ſit imitator auctori.* Vide de ſpeculorum uſu & abuſu differentem Senecam, Nat. Quaeſt. I. 17. Mirifica autem lectionum varietas in Codicibus cum Mſſ. tum impreſſis. Videas in illis, tanquam in speculo. Et, tanquam speculum vitas omnium. Et, tanquam in speculum vitas hominum. Belgae, *Zig aen iemand ſpiegelen* dicunt; imitatione Germanorum.

62. Ex aliis sumere exemplum sibi.] Sic Heaut. I. 2. 36.

Scitum eſt; periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu ſiet.

Plaut. Perſ. IV. 3. 70.

ſed te de aliis, quam alios de te ſuavius 'ſt
Fieri doctos.

65. Porro autem. Sy. Non hercle otium est.] Locus huic παράλληλος eſt in And. IV. 2. 25. Plaut. Caſ. II. 2. 39.

Mox magis, quum otium *mihi & tibi* erit.

Moſtell. III. 2. 101. *Seni* non otium erat. Dixit autem ita ſervus, quod Demea per ſuum porro autem videretur longum ſermonem incepturus.

67. Ne corrumpantur.] Ne negligantur. Phaed. II. 8. 21.

Et quia corruptos *viderat nuper boves.*

 71. Hoc

Conſervis ad eundem iſtunc praecipio modum:
Hoc ſalſum 'ſt, hoc aduſtum 'ſt, hoc lautum 'ſt parum,
Illud recte: iterum ſic memento. ſedulo
Moneo, quae poſſum, pro mea ſapientia.
Poſtremo, tanquam in ſpeculum, in patinas, Demea,
Inſpicere jubeo, & moneo, quid facto uſus ſiet.
Inepta haec eſſe, nos quae facimus, ſentio:
Verum quid facias? ut homo 'ſt, ita morem geras.

Num-

D O N A T I.

70. Ad eundem istunc praecipio modum.] Arguta imitatio ad deridendum Demeam, omnium quae ſerio ille ſupra dixerat.

71. Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st.] Haec contexte & conjuncte dicuntur: quia non viciſſim Syro aſſentatur ſenex.

73. Pro mea sapientia.] Διανοητικῶς Sapientia dixit: quia condimentum guſtu ac ſapore temperant coci.

74. Tanquam in speculum.] Et hic Speculum non ad imaginem vultus, ſed ad contuitum contrapoſitae rei retulit.

76. Nos quae facimus.] Non coci, ſed Micio, Aeſchinus, & familia. An Nos pro *Domini* poſuit? An Nos, pro *Ego*? & hoc melius. Sentio.] Cum dilatione & vultuoſe dicendum Sentio.

77. Verum quid facias?] Quid facias? pro, quid faciat. unuſquiſque ſcilicet. Ut homo 'st, ita morem geras.] Utrum aptum proverbium ſit ſervis, an etiam amicis? Ut eſt, *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Et haec ſententia modo velut querela, demiſſa voce proferenda eſt.

COMMENTARIUS.

71. Hoc lautum 'st parum.] An mundum, lotumque & nitidum, an delicatum? Certe *lautae dapes* vulgari cibo opponuntur.

72. Memento.] Mſſ. quidam Mementote. Forte, quod dictum *conſervis*. Atque ita editiones Venetae, Anonyma, Tarviſiana, Pulmanni. Mire autem exprimit ἀλαζονείαν rei culinariae Praefecti.

73. Moneo, quae possum, pro mea sapientia.] Nimis argutatur Donatus, quique eum ſequuntur, exiſtimantes, διανοητικῶς haec dicta a ſervo, guſtum & *saporem* tacite reſpiciente. Ubi enim verſu 40. dixiſſet: Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es, ſeſe quaſi extenuans ait, pro mea sapientia. q. d. pro mea virili, quantum mihi opis Dii dant. Quanquam ſimul καταχρηστικῶς ita de ſeſe ſervus; in quem ingenii quidem dotes collatae putantur; non sapientia. Vid. Interpp. ad Cic. Fam. XVI. 1. Mſ. Bodl. & Lipſ. pro mea sententia. Fabrini ad ſenſum Donati vertit: *secondo il mio guſto.* Dacieria bifariam: *ſelon ma petite capacité, & le peu de goût, que j'ai.*

75. Quid facto usus siet.] Locutio Comica. Plautus Amph. I. 3. 6.

Sed ubi ſummus imperator non adeſt ad exercitum,
Citius, quod non facto 'ſt uſus, *fit, quam quod facto 'ſt opus.*

Et alibi ſaepius. Edit. anni 1469. Facto opus siet.

77. Ut homo 'st, ita morem geras.] Sic Plautus Moſtell. III. 2. 36.

ut homines ſunt, ita morem geras.

79. Tu rus hinc abis?] Ita exhibeo ex quinque Mſſ. Leidenſibus, Mark. & Boend. ſed & edit. anni 1469. Rob. Steph. Junt. Anon. aliis; tanto magis, quod mox Demea reſpondet: Ego vero hinc abeo. Et de Cteſiphone: Rus abiit. Rivius & Faërnus iata tuentur; quod eſt in Mſ. Lipſ.

82. Illum curo unum.] Diſtinguo; Illum curo

Digitized by Google

Numquid vis? *De*. Mentem vobis meliorem dari.
Sy. Tu rus hinc abis? *De*. Recta. *Sy*. Nam quid tu hic agas,
Ubi, ſi quid bene praecipias, nemo obtemperet?
De. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet.
Quando ita volt frater, de iſtoc ipſe viderit.
Sed quis illic eſt, procul quem video? eſtne hic Hegio
Tribulis noſter? ſi ſatis cerno, is hercle'ſt: vah!

Homo

DONATI.

78. MENTEM VOBIS MELIOREM DARI.] Πρὸς τὸ *Vis:* reſpondet agreſti feritate. nam reſpondendum erat, *Recte*, aut *Valeas*. Sed hic, ne vel abiens blandus eſſet, pro ſalutationibus ipſis amara ſupponit. Et memento etiam hunc eundem inſalutatum relinquere, qui adveniens paulo ante, nec ſalutaverat, nec reſalutaverat fratrem. MELIOREM autem, pro bona ac tolerabili poſuit. non enim bonam credit, ut meliorem optet. Sic [26] *Virgilius*,

Di meliora piis, erroremque hoſtibus illum!

79. TU RUS HINC ABIS?] Vult Syrus noſſe an eat. TU RUS HINC ABIS?] Qui conſuetudinis memor eſt, animadvertit has interrogationes non inquirendi cauſa poni, ſed admonitionis loco eſſe apud eos, quos velimus abſcedere. Sic igitur interrogat ut hortetur: & ſic pronuntiat, ut & ſciat, & approbet quod rogat. NAM QUID TU HIC AGAS.] Addidit hortatum, ut quam primum abeat.

81. QUANDO IS, QUAM OB REM.] Nova locutio, IS, QUAM OB REM: pro, *Is, propter quem*. ſic & alibi, *In eo me oblecto: ſolum id eſt charum mihi.*

82. ILLUM CURO UNUM.] UNUM cum exceptione. Et tamen ſic loquitur, ut appareat illum non poſſe ſibi imperare oblivionem Aeſchini. nam idcirco addidit, QUANDO ITA VOLT FRATER, DE ISTOC IPSE VIDERIT. [27] *Amare coepit*. Et ideo tenet, *Nam ambos curare, propemodum Repoſcere illum eſt, quem dediſti.*

84. QUIS ILLIC EST, QUEM PROCUL VIDEO? ESTNE HEGIO.] Inventa cauſa eſt, cur non abeat Demea, propter reliquam Fabulae partem: & ſimul aliud additur, quo indignetur. [28] Bene autem dubitat, & familiam * inveniat civem, & multum abſens a conſpectu civium.

OBSERV. IN DONAT.

26. *Virgilius.*] Georg. III. 513.

27. *Amare coepit.*] Conſtans lectio, niſi quod in quibuſdam Codd. eſt *coeperit*. Suſpicor, fuiſſe ſcriptum: *A M. fre coepit.* unde ignorantia Librariorum factum, *Amare*, quum notaret, *A Micione fratre coepit*. Confer ſupra I. 2. 51. & infra V. 3. 21.

28. *Bene autem dubitat, & familiam * inveniat civem, & multum abſens a conſpectu civium.*] Locus corruptus. cui reſtituendo non juvat Mſ. Hulſt. in quo hinc uſque ad IV. 5. 10. lacuna eſt. Edin vetuſtiſſima, & Mſ. Buerd. non agnoſcunt τὸ *inveniat*. Senſus autem conſtabit, ſi legas: *Et bene dubitat, an familiarem videat civem, ipſe multum abſens a conſpectu civium.*

COMMENTARIUS.

CURO UNUM; ILLE AD ME ATTINET, QUANDO ITA VOLT FRATER. DE ISTOC IPSE VIDERIT. Dicit autem ILLUM, ſub. Cteſiphonem, DE ISTOC, ſub. Aeſchino.

85. TRIBULIS NOSTER.] Non convenit inter Scriptores de numero Tribuum apud Atticos. Vulgo duodecim ſtatuuntur, quaſi ad numerum XII Tribuum Iſraëliticarum, vel potius menſium. Tum ſingulis Tribubus XXX. tribuunt genera, itidem ad numerum totidem dierum in quolibet menſe. Scholiaſtes autem Ariſtophanis, ad Plut. 277. & 973. diſerte δέκα

φυλῶν

Homo amicus nobis jam inde a puero. Dii boni!
Nae illiuſmodi jam nobis magna civium
Penuria 'ſt. homo antiqua virtute, ac fide:
Haud cito mali quid ortum ex hoc ſit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Reſtare video! vah! vivere etiam nunc libet.

Oppe-

DONATI.

87. Nae illiusmodi jam nobis magna civium penuria 'st.] Nae, valde. Illiusmodi.] Cujuſmodi eſt Hegio, id eſt, qualis. Et magna *οἰκονομίᾳ* ſenex laudatur, ut poſtulationi ejus ſtatim adſit fides.

89. Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.] Utrum hoc optantis eſt, ne moriatur? an eſt teſtimonium vitae hominis, numquam obſuturi reipublicae?

90. Ubi etiam hujus generis reliquias restare video!] Paucos ac raros bonos. nam reliquias, pro relictis paucisque dixit. ideo Restare etiam dictum eſt.

91. Vivere etiam nunc lubet.] Ex hac delectatione oſtenditur Demea, & quam peccantibus ſit amarus ac ſaevus: & quam facile [29] hujus incuſatione, tanquam gravi teſtimonio crediturus ſit: & quantum doliturus [30] ſuper Aeſchino, qui diſpliceat talibus viris.

OBSERV. IN DONAT.

29. *Hujus incuſatione.*] Rob. Stephanus rectius, *Incuſationi*, quod & in quibuſdam antiquioribus. Sed Anonyma editio *accuſationi* legit. Utcunque; videtur legendum, non *Hujus*, ſed *Hegionis*.

30. *Super Aeſchino.*] Plerique Codd. veteres, *Super Aeſchinum*.

COMMENTARIUS.

φυλῶν & proin *δίκα δικαστηρίων* mentionem facit. Eſt igitur Tribulis *ὁμόφυλος* ex eadem Tribu. Suidas in v. Γεννηταὶ numerum nullum definit. Cicero Fam. XII. 25. Regienſes vocat *Tribules* Cornificii. Fam. XIII. 23. L. Coſſinium amicum & *Tribulem* Servii. Fam. XIII. 58. L. Cuſtidium *Tribulem* & municipem & familiarem ſuum. Fabrini vertit: *de la noſtra Tribu, del noſtro quartiere.* Dacieria: *de notre Tribu.*

Si satis cerno.] Sic Phorm. V. 1. 8

Certe edepol, niſi me animus fallit, aut parum proſpiciunt oculi,
Meae nutricem gnatae video.

Plaut. Trin. IV. 3. 64.

Satin' ego oculis plane video? eſtne ipſus, an non eſt? is eſt.
Certe is eſt. is eſt profecto.

86. Homo amicus nobis jam inde a puero.] Plaut. Capt. III. 4. 112.

Philocrates jam inde uſque amicus fuit mihi a puero puer.

Dii boni!] Haec verba in Mſ. Mark. junguntur verſui ſeq.

88. Homo antiqua virtute, ac fide.] Omnia indies in pejus ruere jam olim exiſtimatum. Unde *antiqua* pro bonis & probis uſurpabant, utpote proxime ad Deos accedentia. And. IV. 5. 22. Hec. V. 4. 18. & 20. Plaut. Capt. I. 2. 20.

Ille demum antiquis *eſt adoleſcens moribus.*

Trin. II. 2. 16.

meo modo & moribus vivito
Antiquis.

Cicero Att. IX. 15. *Vide, quam ſim* antiquorum *hominum.* Videtur autem hunc locum in animo habuiſſe, pro L. Flacco: *At quos vivos! non ſolum ſumma* virtute ac fide, *cujus generis in ſenatu facultas maxima.* Idem pro P. Quint. 22. *Tu aliquem patronum invenies, hominem* antiqui *officii, qui ſplendorem noſtrum & gratiam negligat?* Pro P. Sext. 3. *Graviſſimae* antiquitatis *viris.* De patre & ſocero. Seneca de Benef. III. 16. *In-*

Opperiar hominem hic, ut ſalutem, & conloquar.

COMMENTARIUS.

16. *Infrunita & antiqua eſt, quae neſciat, matrimonium vocari, unum adulterium.* Sed & Graeci Ἀρχαίως ἐνώδεις dicebant, & ἀρχαιοτρόπους, & Κρόνιον ὄζοντας, quaſi Saturnum redolentes.

89. HAUD CITO.] Formulae ſpeciem habet. Cic. Bruto: *Sed neque verbis aptiorem* cito *alium dixerim, neque ſententiis crebriorem.* Juntina omiſit, & Aldina. Mſſ. quidam & impreſſi veteres, HAUD SCIO.

90. QUAM GAUDEO.] Menander:

Ὡς ἡδὺ τὸ ζῆν, εἰ μεθ' ὧν κρίνει τις ἂν
Τοῦτ' ἔστι τὸ ζῆν, οὐχ' ἑαυτῷ ζῆν μόνον.

Citat Stobaeus Flor. Tit. CXXII. ἐν τῷ Φιλαδέλφῳ.

91. VIVERA ATIAM NUNC LUBAT.] Plaut. Curc. I. 3. 16.

hoc etiam eſt, quamobrem cupiam vivere.

ACTUS TERTII

SCENA QUARTA.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

He. PRo Dî immortales! facinus indignum, Geta.
Quid narras! *Ge.* Sic eſt factum. *He.* Ex illan' familia
Tam illiberale facinus eſt ortum? o Aeſchine,
Pol

DONATI.

1. PRÔ DÎ IMMORTALES!] *Haec Scena fidem amici erga defunctum, maturitatem ſenilis orationis, & accuſationem ejus, quem laedere nolit ipſe accuſator, continet.* FACINUS INDIGNUM.] Jam narravit Geta: & recte. non enim apud ſpectatores iterum fuerunt dicenda, quae dicta ſunt. Illud ſane admirandum, ejuſmodi Hegionis verba induci, qualia eſſe debuerunt tantopere laudati viri, [1] & ejuſdem Hegionis ac Demeae.

2. QUID NARRAS!] Mirantis eſt, non interrogantis.

3. TAM ILLIBERALA FACINUS.] Id eſt, non odiſſe cui ſuccenſeas, laudare homines, factum reprehendere. O AESCHINE, POL HAUD PATERNUM.] Mira maturitas: in qua neſcias utrum magis injuriam illatam orbae virgini, an Aeſchinum peccaſſe, plus doleat. ſervatur enim in Hegione, quod vir bonus ſit & amicus.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et ejuſdem Hegionis ac Demeae.*] Forte, *Et ejuſdem Hegionis a Demea.* In editis Rob. Stephano vetuſtioribus non eſt τὸ *Et.*

COMMENTARIUS.

1. FACINUS INDIGNUM, GETA. QUID NARRAS!] Praeſtat haec lectio prae illa quorundam Librorum: FACINUS INDIGNUM, GETA, QUOD NARRAS. Quomodo tamen citat Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII.

2. EX ILLAN' FAMILIA TAM ILLIBERALE FACINUS

Pol haud paternum iſtuc dediſti. *De*. Videlicet
De pſaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit. hei mihi!
Utinam hic prope adeſſet alicubi, atque audiret haec!
He. Niſi facient, quae illos aequom 'ſt, haud ſic auferent.

Ge.

D O N A T I.

4. HAUD PATERNUM ISTUC DEDISTI.] Deeſt, *facinus*. Et DEDISTI, pro *feciſti*. Sed ſic dicitur in re magna: ut,

dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis.

VIDELICET DE PSALTRIA HAC AUDIVIT.] VIDELICET, confirmativum eſt. Ut VIDELICET, *videre licet:* ſic *ſcilicet*, ſcire licet: *ilicet*, ire licet.

5. DE PSALTRIA HAC AUDIVIT.] Sic errat Demea, ut intelligatur quantum debeat iraſci in iis, quae inopinata audiet.

6. IS NIHILI PENDIT.] IS, abundat. ut in Heautont. *Perii! is mihi, ubi adbibit plus paullo, ſua quae narrat facinora!* Aut IS, pro *ipſe*: ſubjunctivum pronomen minus quam finitum.

7. UTINAM HIC PROPE ADESSET.] Quaſi ſibi non crediderit dicenti, *In ore eſt omni populo.*

8. NISI.] *Si non*, ſignificat. QUAE ILLOS AEQUOM 'ST.] Subauditur; *Facere*, a ſuperiori, per σύλληψιν intellectum. HAUD SIC.] Δεικτικὸν eſt. HAUD SIC AUFERENT.] Quomodo accipimus, HAUD SIC AUFERENT? an, Factum ſuum auferent ſic; An, ſi correxerint culpam, non ſilentio tranſituros ipſos, vel ipſum quod factum eſt. HAUD SIC AUFERENT.] Id eſt, leniter abibunt, vel ſubtrahent culpam. HAUD SIC AUFERENT.] Senilis & matura comminatio. Et eſt SIC demonſtratio, geſtum continens leviſſimae ac parvae ſignificationis.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Dabit.*] Virgil. Aen. XII. 451.

3. *Subjunctivum.*] Ita ſupra II. 1. 5. Unde *ſubjectum*, & *ſubjectivum*, quod eſt in impreſſis antiquis, corruptum videtur.

4. HAUD SIC AUFERENT.] Quae ad haec verba notata ſunt, aliter in Mſ. Boend. & edd. vetuſtis, ante Rob. Stephanum & Lindenbruchium exhibentur, atque nunc vulgo leguntur. Pro illis autem, *ſi correxerint*, malim, *niſi correxerint.*

COMMENTARIUS.

CINUS ESSE ORTUM?] Scilicet, augetur indignitas, ex familiae ipſius honore. Sic ſupra III. 1. 10. & mox verſu 18.

4. POL HAUD PATERNUM ISTUC DEDISTI.] Id vult, Aeſchinum non patriſſare. Quod igitur Guyetus laudat ex Heaut. V. 1. 43.

Quot res dedere, *ubi poſſem perſentiſcere?*

ἀπροσδιόνυσον eſt. *Res* enim *dare*, *& dare ſe* dicitur, pro eo, quod eſt ſimpliciter, accidere. Magis accedit locus, qui eſt Eun. III. 2. 4.

quod dedit
Principium *adveniens!*

5. DE PSALTRIA HAC AUDIVIT.] Mſſ. quidam: DE PSALTRIA HIC AUDIVIT. Non incommode. Sic Heaut. II. 3. 22.

6. PATER IS NIHILI PENDIT.] Guyetus legit: PATER ID NIHILI PENDIT. addens in gloſſis ineditis, τὸ IS reſpuere aures Latinas. credit autem, ID mutatum in IS, quod praecederet, ID ILLI NUNC DOLET. Sed & Donatus, & reliqui Codices tuentur τὸ IS. Sic ſupra III. 2. 17. Itidem τὸ ILLUM πλεονάζει. In quibuſdam Libris eſt, NIHIL PENDIT.

7. UTINAM.] In Mſ. Lipſ. eſt, UTINAM HIC ESSET ALICUBI, ATQUE HAEC AUDIRET.

8. HAUD SIC AUFERENT.] Sub. inultum, impunitum. Haud ſic poenae ſubtrahent culpam. Vide ad And. III. 5. 4. Poſſit videri metaphora ab emtione & venditione tranſlata. Habet & *impetrandi* vim τὸ *Auferre*. Unde & ſenſus eſſe queat: *Haud ſic impetrabunt veniam delicti.* Sic Plaut. Moſtell. IV. 1. 22.

bene merens
Hoc pretium inde abſtuli.

Cic.

Ge. In te ſpes omnis, Hegio, nobis ſita eſt.
Te ſolum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit, ſenex.
Si deſeris tu, perimus. *He.* Cave dixeris.

Neque

DONATI.

9. IN TE SPES OMNIS, HEGIO.] Ut narratio non fuerit neceſſaria: ita preces interponendae ſunt.

10. TU ES PATRONUS, TU PARENS.] PATRONUS aut temporale nomen eſt defenſoris: aut certe appellatio eſt, per quam oſteuditur, quid illi cultus & obſequii debeatur. Eſt enim [5] nomen ad aliquid. PARENS autem, veri amoris nomen eſt: & aequali loco continet interpretationem. Et vide, quam vigilanter Poëta, quum [6] ſimpliciter matronam de abſente Hegione loquentem induceret, COLUIT NOS, dixit: quum ſervus & ſupplex ad praeſentem loquitur, TU ES PATRONUS, inquit.

11. ILLE TIBI MORIENS NOS COMMENDAVIT, SENEX.] Servus magnum veritatis indicium addidit, dicendo MORIENS: nemo enim moriens nou vera loquitur & urgentia. Unde in jure ultima judicia certiora ſunt. Sic alibi, *Hanc mihi in manum dat. mors continuo ipſam occupat.*

12. SI DESERIS TU, PERIIMUS.] Proprie, quaſi patrono. nam Socius deficit, Parens prodit, Patronus deſerit. Sic [7] *Salluſtius*, *Poſt defectionem ſociorum & Latii.* Et,

[8] *unius ob iram*
Prodimur.

Et,

Prodidiſti & te, & illam miſeram, & gnatum: quod quidem in te fuit.

[9] Plautus,

Qui libertos habent, eos deſerunt.

Hinc & milites, qui defenſores patriae deberent eſſe, *deſertores* eſſe dicuntur. Haec autem omnia magnam vim habent, ſi per ſingulas partes orationis conſiderentur, ad commovendum precibus Hegionem. Et, TU ES PATRONUS, ab honeſto; TU ES PARENS, a juſto. SI DESERIS TU, PERIIMUS.] Et huic rei maxime respondet oratorie, quae illum maxime commovit. Ut,

[10] *En ego victa ſitu.*

Et,

[11] *Pulſus ego?*

Alii πρὸς τὸ PERIIMUS, τῷ εὐφημισμῷ reſponſum putant.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Nomen ad aliquid.*] Sic ſupra, Sc. I. verſu 1.
6. *Simpliciter.*] Mſ. Boenderm. & editiones veteres, *ſupplicitèr.*
7. *Salluſtius.*] In Fragmentis.
8. *Unius.*] Virg. Aen. I. 251.
9. *Plautus.*] E memoria laudavit locum, qui eſt Curc. IV. 3. 15.

facis ſapientius,
Quam pars latronum, libertos qui habent, & eos deſerunt.

10. *En ego.*] Virg. Aen. VII. 452.
11. *Pulſus ego?*] Virg. Aen. XI. 164.

COMMENTARIUS.

Cic. Fam. VI. 12. *Recepit, perceleriter ſe* ablaturum *diploma.* Idem Att. XVI. 16. *Adiimus ad Caeſarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberaliſſimum decretum* abſtulimus. Horat. Lib. II. Epiſt. 1. 55.

auſert
Pacuvius docti famam ſenis, Accius alti.

Praeſtat autem ſignificatio prior.

10. TU ES PATRONUS, TU PARENS.] Mſſ. & impreſſi quidam: TU PATER. Alii, TU ES PATER. Sic And. I. 5. 60. Phorm. III. 2. 11. Plaut. Capt. II. 3. 84.

tu mihi herus nunc es: tu patronus, tu pater.

11. TIBI MORIENS NOS COMMENDAVIT.] Sic And. I. 5. 49. ſeqq.

12. SI DESERIS TU.] Sic And. I. 5. 35. & 56. Mſ. Mark. Boend. & duo Boecleri: SI DESERIS NOS TU. Mſ. Traject. SI DESERIS TU NOS. Sed

Mſſ.

Neque faciam, neque me ſatis pie poſſe arbitror.
De. Adibo. Salvere Hegionem plurimum
Jubeo. *He.* Te quaerebam ipſum. ſalve, Demea.
De. Quid autem? *He.* Major filius tuus Aeſchinus,
Quem fratri adoptandum dediſti, neque boni,
Neque liberalis functus officium eſt viri.

De.

D O N A T I.

13. Satis pie posse.] Deeſt, *facere*. Neque me satis pie posse arbitror.] Honeſta locutio, qua ſignificat, quicquid fecerit pro pietatis debito [12] illis merito parum eſſe. Senſus autem hic eſt, Neque faciam quod nefas eſt, ut vos deſeram: nec hoc ipſum quod facio, ſatis pium eſt pro tanta neceſſitudine. Et bene addidit Satis. ut, *Et ſapiens; non tamen ſatis.*

14. Salvere Hegionem plurimum jubeo.] Ideo providit Demea, non proviſus eſt: quia oportuit illum audire quae loqueretur Hegio, & ex illius jam verbis [13] indignationem moveri. Jubeo autem, volo ſignificat: ab eo quod ſequitur, id quod praecedit. Non *jubemus* enim, niſi quod voluerimus. [14] Et eſt *Homericum:*

Κέλευε με πάντ' ἀποδοῦναι ἐθέλομαι γὰρ ἔκτορα.

Cynenniatena.

16. Major filius tuus Aeschinus.] Artificioſa poſtulatio: in qua, ne ſtatim Demea diceret, nihil ad ſe hanc querelam pertinere, quippe qui Cteſiphonem curare debeat, infertur cauſa, cur non diſſimulet pater: quia filius: quia major eſt: quia Aeſchinus, ſi quid eſt in ipſo nomine charitatis: quia fratris adoptivus: quia bonus & liberalis: & contra haec, quibus laudatus eſt, fecit.

17. Neque boni.] [15] Quaſi id quod eſt, velit quod eſſe debet.

18. Neque liberalis functus est officium viri.] Quaerendum inter *bonum* & *liberalem* quid interſit. [16] An *bonus* eſt, qui non nocet? *Liberalis*, qui etiam prodeſt? An *bonus*, qui non peccat in facto? *liberalis*, qui nec verbo quidem.

O B S E R V. I N D O N A T.

12. *Illis.*] Mſ. Boend. & edd. veteres, *illi*

13. *Indignationem moveri.*] Lego cum edit. Anon. *Indignatione moveri.* Rob. Steph. & Lindenbr. *in indignationem.*

14. *Et eſt Homericum.*] Poſt haec verba in Libris meis omnibus lacuna eſt; videturque Lindenbruchius primus edidiſſe, niſi quod non ἔκτορα, ſed ἐκ legit. Sunt autem Iliad. A. 133. Agamemnonis haec verba ad Achillem de Briſeide:

H' ἐθέλεις, ὄφρ' αὐτὸς ἔχῃς γέρας, αὐτὰρ ἐμ' αὔτως
H'σθαι δευόμενον· κέλεαι δέ με τήν δ' ἀποδοῦναι;

Numquid vis, ut ipſe habeas praemium, ſed me fruſtra
Sedere indigentem: jubeſque me hanc reddere?

Quorum verſuum quin poſtrema ſaltem verba laudaverit Donatus, dubium nullum eſt. Addiderit igitur de ſuo: E'θέλω μὲν γὰρ ἐκ συνωνυμίας. Firmat conjecturam Euſtathius.

15. *Quaſi id quod eſt, velit quod eſſe debet.*] Conſtans Librorum lectio. Forte legendum: *Quia is prodeſt, vel prodeſſe debet.* Vid. infra ad verſum 30.

16. *An bonus eſt.*] Fruſtra argutari Interpretem notat Boeclerus, quum *Liberalis* ad ἐυγένειαν, adeoque ad ingenium referatur, *Bonus* ad mores & diſciplinam vitae.

C O M M E N T A R I U S.

Mſſ. Leidenſes quinque cum editis praeſtantiſſimis, Si deseris tu.

Cave dixeris.] Vult Getam ἐυφημεῖν, neque uti voce deseris, utpote malae notae, & ominis. Unde ipſe non ait, *Non deſeram*, ſed, Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror. Reſpondet autem ita, quod impium haberetur, ſi patronus clientem ſine cauſa deſereret, maxime ſi acceſſiſſet morientis commendatio.

14. Salvere Hegionem plurimum jubeo.] Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. Gau-

dere

Digitized by Google

De. Quid iſtuc? *He.* Noſtrum amicum noras Simulum,
Atque aequalem? *De.* Quidni? *He.* Filiam ejus virginem
Vitiavit. *De.* Hem! *He.* Mane; nondum audiſti, Demea,
Quod eſt graviſſimum. *De.* An quid eſt etiam amplius?
He. Vero amplius: nam hoc quidem ferundum aliquo modo 'ſt:
Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia:

Huma-

DONATI.

20. AEQUALEM?] Ὁμήλικα. QUIDNI?] Plus eſt QUIDNI, quam *Noveram.* nam quaſi corripit dubitantem, dicendo QUIDNI? ut ſubaudiatur, *Noverim.* FILIAM EJUS VIRGINEM VITIAVIT.] Vides quantum valeat injuria, vel dignitas perſonarum. Non contentus facinore, perſonas credidit ante proponendas.

21. HEM!] Interjectio nunc eſt irati, & eſt irati vehementer: quippe qui aliud vitium audiebat, praeter crimina quae ſciebat.

22. QUOD EST GRAVISSIMUM.] Quia illud grave. AN QUICQUAM EST ETIAM AMPLIUS?] AMPLIUS, quantitatis eſt. nam ideo, *Nondum etiam audis, quod eſt graviſſimum.* AMPLIUS.] Id eſt, majus.

24. PERSUASIT NOX, AMOR, VINUM, ADOLESCENTIA.] [17] *Plautus* in Bacchidibus:

quia iſthoc illecebroſius

Fieri nihil poteſt; Nox, mulier, vinum, homini adoleſcentulo.

Et haec omnia ab impulſionis parte dicuntur, non a ratiocinationis: ideo & PERSUASIT dixit: nam inſtans perſuaſio, *impulſio*, dicitur: [18] ut ipſe, *Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur.* PERSUASIT NOX, AMOR, VINUM, ADOLESCENTIA.] Haec inferuntur ἀνωδί-τως, ut multa videantur. VINUM.] Plus dixit, quam ſi *vinolentiam* diceret. ut, *Tu nihil niſi ſapientia es: Ille, ſomnium.* Proximum huic, & ſimile, eſt in Hecyra:

cum virgine una adoleſcens cubuerit
Plus potus, ſeſe illa abſtinere ut potuerit?
Non veriſimile dicis: nec verum arbitror.

[19] Virgilius:

Bacchus & ad culpam cauſas dedit.

OBSERV. IN DONAT.

17. *Plautus in Bacchidibus.*] I. 1. 54.
18. *Ut ipſe.*] Mſ. Boend. & edd. veteres: *Ut ipſe alibi.* Vid. And. I. 5. 31.
19. *Virgilius.*] Georg. II. 455.

COMMENTARIUS.

DERE HEGIONEM PLURIMUM JUBEO.

15. TE QUAEREBAM IPSUM.] Melior lectio quorundam Codicum: OH! TE QUAEREBAM IPSUM. Sic And. III. 3. 1.

19. QUID ISTUC?] Mſ. Bodl. & unus Boecleri: QUID ISTUC EST? Alii, QUID ISTUC REI EST?

20. AEQUALEM.] Nepos Ariſt. 1. Aequalis *fere fuit Themiſtocli.* Att. 17. *Nunquam cum ſorore fuiſſe in ſimultate, quam prope* aequalem *habebat.* Curt. VIII. 13. 21. *Attalum & aequalem ſibi, & haud diſparem habitu oris & corporis, utique cum procul viſeretur, veſte regia exornat.* Vide ad And. II. 6. 22.

22. AN QUID.] Ita praeſtantiſſimi Libri. In aliis quibuſdam eſt, AN QUIDQUAM.

AMPLIUS.] H. e. Gravius. Sic Hec. III. 1. 9.

23. VERO AMPLIUS.] Mſ. Mark. VERO AMPLIUS EST.

24. PERSUASIT NOX, AMOR, VINUM, ADOLESCENTIA.] Menander, citante Scholiaſte Theocriti, Idyll. II. 10. Ὦ νύξ. σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖστον Ἀφροδίτης. De quo loco ita Plutarchus, obſervante Hugone Grotio: Πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης ἡ νὺξ, κατὰ Μένανδρον, ἀλλὰ Τύχη μετέσχηκεν. Plaut. Aulul. IV. 10. 15.

Quia vini vitio atque amoris feci.

Ovid.

Humanum 'ſt. ubi ſcit factum, ad matrem virginis
Venit ipſus ultro, lacrumans, orans, obſecrans,
Fidem dans, jurans ſe illam ducturum domum.
Ignotum 'ſt: tacitum 'ſt: creditum 'ſt. virgo ex eo
Compreſſu gravida facta eſt: menſis hic decimus eſt.

Ille

DONATI.

25. HUMANUM 'ST.] Nihil tandem ex ea ſumtum conſuetudine eſt, quod non humanum. Et hoc dicere ſolemus, ubi peccatum quidem non negamus, ſed tolerabile eſſe dicimus. UBI SCIT FACTUM.] Id eſt, intelligit & ſentit: [20] quia ſupra futurae * peccaverit: & quia qui impulſione peccat, non peccat ratiocinatione. Hic locus illi rei occurrit, *Cur ergo tacuiſti?*

26. VENIT IPSUS ULTRO, LACRUMANS.] Mire: & ad matrem VENIT ULTRO, LACRUMANS, ne, quod leniter aut mollius mulier tuliſſet, prope pactionem iniiſſe videretur. ORANS, OBSECRANS.] *Orare*, eſt placidos petere: *Obſecrare*, iratos rogare. Unde plus facit OBSECRANS, quam ORANS: plus vero *orans*, quam *rogans*. *Cicero*, *Orare & rogare.*

28. IGNOTUM 'ST: TACITUM 'ST: CREDITUM 'ST.] Ἀσυνδέτως per εὐτονίαν ut ſolet, hic loquitur: ut, *Imus*, *venimus*, *videmus*. IGNOTUM 'ST autem, quod ULTRO venerat & LACRUMANS: TACITUM 'ST, quod *orabat* & *obſecrabat*: CREDITUM 'ST, quod *fidem dabat* & *jurabat*. Et honeſtius imperſonaliter, quam *ignovimus*, *tacuimus*, *credidimus*. VIRGO EX EO COMPRESSU GRAVIDA FACTA EST.] Haec addidit, ne ex viliore uſu & inhoneſta patientia virginis ad conceptum libido pervenerit. Et praeterea quia & hoc potuit dici, Ille quidem vitiavit virginem: ſed quid ſi ex alio concepit poſtea, quae nunc gravida facta eſt? idcirco & a vitio virginis tempus oſtendit: ut cum facto ratio conveniret.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Quia ſupra futurae * peccaverit.*] Ita Rob. Stephanus & Lindenbruchius ediderunt. Sed Mſ. Boend. editi omnes vetuſtiores: *Quid ſupra future peccaverit.* Videtur autem vox futilis ſubſtituenda, legendumque, *futuera.* Ut ſenſus ſit, *Ubi ſcit, ſe non tantum compreſſiſſe, ſed & gravidam feciſſe.* Abr. Wielingius ita: *Id eſt, intelligit & ſentit, quid ſua perſuaſione peccaverit.*

COMMENTARIUS.

Ovid. Amor. I. 6. 59.

Nox, & amor, vinumque, nihil moderabile ſuadent.

25. HUMANUM 'ST.] Sic mox ipſe Micio infra IV. 5. 53.

UBI SCIT FACTUM.] Libri quidam: UBI SIT FACTUM. Unde Fabrini ita legens vertit: *ſubito che fu fatto queſto.* Alii: UBI SIC FACTUM. Maxima tamen Mſſ. & impreſſorum pars cum Donato: UBI SCIT FACTUM. Sic Virg. Aen. V. 788.

cauſſas tanti ſciat *illa furoris.*

26. LACRUMANS, ORANS, OBSECRANS.] Ennius Annal. Lib. I. 128.

Flentes, plorantes, lacrumantes, obteſtantes.

28. VIRGO EX EO COMPRESSU GRAVIDA FACTA EST.] Sic Plaut. Epid. IV. 1. 15.

quae meo compreſſu *peperit filiam.*

29. MENSIS HIC DECIMUS EST.] Lunaris nimirum; quales ante Jul. Caeſarem computabantur. Unde adeo paſſim decem menſes partui tribuuntur a veteribus. Sic infra IV. 5. 57. Hec. V. 3. 24. Plautus ſaepius. Menandro tribuunt Fr. Fabricius & Farnabius, ἐν τῷ πλοκίῳ, quod in Fragmentis tamen non comparet, Γυνὴ κύει δεκάμηνα. Sed Caecilii in Plocio eſt:

Inſolens mulier decumo menſe *parere?*
Pol nono *etiam*, ſeptimo *atque* octavo.

Virgil. Ecl. IV. 61.

Matri longa decem *tulerunt faſtidia* menſes.

Quod imitatus Alcimus Avitus, de Laude Caſtitatis, VI. 173.

Et

Ille bonus vir nobis pſaltriam, ſi Dîs placet,
Paravit, quicum vivat: illam deſerat.
De. Pro certon' tu iſtaec dicis? *He*. Mater virginis
In medio 'ſt: ipſa virgo: res ipſa: hic Geta

Prae-

DONATI.

30. Ille bonus vir.] *Εἰρωνεία* indignantis in loco addita eſt verbis ardentibus. Ille bonus vir, nobis pſaltriam, si Dîs placet, paravit.] Concluſio accuſationis. Et, Bonus vir, *εἰρωνεία* quidem eſt, ſed ab eo poſita, qui indignetur *virum bonum* eſſe debuiſſe, qui non ſit: ut ſupra, *Neque boni, Neque liberalis eſt functus officium viri*. Et ſimul conſidera, quo nomine Aeſchinum vocet, *virum* appellans ſcilicet, qui vult ejus certa eſſe promiſſa, & qui illum jampridem videri maritum velit. Nobis autem, ex abundanti *τῷ ἰδιωτισμῷ* ad indignationem relatum eſt. Nobis psaltriam.] *Τῷ ἰδιωτισμῷ*. ſic enim dicimus, & eſt conſuetudinis pervulgatae. Si Dîs placet.] Bene interpoſitum ad invidiam, Si Dis placet: [21] ſcilicet per quos juratum eſt.

31. Illam deserat.] Id eſt, [22] qui e contrario, dum vivat, obſtrictus eſt. Et Deserat, virginem ſcilicet.

32. Pro certon' tu istaec dicis?] Hoc ideo non dicit, quia fidem non habeat narranti: ſed quia miratur ſcelera. Mater virginis in medio 'st.] Terribiliter ſatis, In medio 'st: quaſi retineri non poſſit, nec cohiberi, quin rem probet. Et praeterea, quum argumentorum genera duo ſint, *ἔντεχνοι καὶ ἄτεχνοι*: ſicut in rebus manifeſtis, *ἀτέχνῳ* utitur. Hoc ergo, ſublatis ſuperciliis, dicendum eſt. In medio 'st. nam [23] lentius erat, ſi diceret, *Praeſto eſt*.

33. Ipsa virgo.] Scilicet quae in Aeſchinum reum & teſtis & crimen eſt. Et ideo addit, Res ipsa: Id eſt, pondus uteri, exactis ad pariendum menſibus.

OBSERV. IN DONAT.

21. *Scilicet per quos juratum.*] Id longe petitum, nec Donato dignum.

22. *Qui e contrario.*] Lego: *Cui e contrario.*
23. *Lentius.*] Forte, *Lenius.*

COMMENTARIUS.

Et cum longa decem *tulerint faſtidia* menſes.

30. Si Dis placet.] Ironiae maxime inſerviens formula. Sed & adhibetur ab indignantibus & aſpernantibus. Ita h. l. & Eun. V. 3. 10. Cic. in Piſonem 16. *Appellatus eſt hic vulturius illius Provinciae*, ſi Diis placet, *Imperator*. Quinctil. Inſt. VIII. 3. *Dicta ſancte & antique, ridentur a nobis*, ſi Diis placet. Flor. III. 4. 1. *Poſt Macedonas*, ſi Diis placet, *Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarii Macedonum*. Ubi vide, quae annotarunt Freinshemius & Cl. Dukerus. Plautus etiam extra ironiam & indignationem uſus eſt. Capt. II. 3. 94.

Expedivi ex ſervitute filium, ſi Dis placet.

Quo ſenſu &, *ſi Dii volent*, dixit Poen. IV. 2. 88.

31. Illam deserat.] Mſſ. quidam, Hanc deserat. Faërnus e Codice Bembino laudat deserit.

32. Pro certon' tu istaec dicis?] Sic Salluſt. B. Catil. 15. Pro certo *creditur*. Ovid. Amor. II. 11. 53.

Omnia pro veris *credam, ſint ficta licebit*.

Liv. XLIV. 22. *Illud* affirmare pro certo *habeo audeoque*.

33. In medio 'st.] *In medio eſſe* pro vivere dixerunt. *E medio abire, e medio excedere*, mori ſignificat. Phorm. V. 8. 30. & V. 7. 74. Sed & *e medio excedere* eſt e conſpectu & celebritate hominum abire. Sic Hec. IV. 3. 14. Unde ad mortem tranſlatum.

Res ipsa.] Q. d. Quid verbis opus eſt, cum res ipsa teſtetur, & flagitium commiſſum palam conſtet ex pondere uteri & inſtante partu?

Praeterea, ut captus eſt ſervorum, non malus,
Neque iners, alit illas: ſolus omnem familiam
Suſtentat. hunc abduce, vinci, quaere rem.
Ge. Immo hercle extorque, niſi ita factum 'ſt, Demea.
Poſtremo non negabit: coram ipſum cedo.

De.

DONATI.

34. Praeterea, ut captus est servorum, non malus.] Ad haec, intelligamus aliter dici, *non inertem Socratem:* aliter, *non inertem ſervum:* aliter, *non malum Scipionem eſſe:* aliter, *non malum ſervum eſſe.* Praeterea, ut captus.] An, quantum capit animus ſervilis, tantum non malus, neque iners Geta? An, ut captus est servorum, [24] quemadmodum ſaepe aucupium in ſervis habendis bonum evenit? Ut in captu avium, vel piſcium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia ſervum evenire bonum, non ratio eſt aut natura, ſed caſus eſt, utpote in re rariſſima: ut ſit, ut captus est servorum, id eſt, eventus eſt in ſervis. Ut captus est servorum.] Id eſt, ut ſe habet conditio ſervorum. *Afranius* in Simulante, *Is, ut ſervorum captus eſt, facillime domo atque noſtra familia provenditur.* Ergo captus ſortem intelligo. Non malus.] Id eſt, fidelis.

35. Neque iners.] [25] Id eſt, artem habens. Oratorie futurum teſtem & indicem laudat: ſed ne improbe facere videatur, parcius id facit. non enim dixit, *bonus & ſolers:* ſed, quod in ſervo ſufficit, non malus, neque iners. Et proferendi Getae haec maxime cauſa eſt: ne quod permittere videatur in ſervo pauperis, atrocius fiat. Et ſimul ut haec προθεραπεύσεις non contriſtet Getam; quem prius laudat, dicturus, Hunc abduce, vinci, quaere rem.

Alit illas: solus omnem familiam sustentat.] Duas hic res docet: & unde hae vivant: quod teſtimonium pudicitiae eſt: & gravem teſtem poſſe eſſe Getam. Solus.] Incerta diſtinctio eſt, solus. ſed melius, Solus omnem familiam sustentat. Hoc verbo tenuis victus oſtenditur, quod bene frugi eſſe monſtratur in foeminis.

36. Hunc abduce, vinci, quaere rem.] Non multum permittit, utpote de alieno ſervo. ideo Geta plus de ſe largietur. Ipſe tamen ἀσυνδέτως tria poſuit, ut multa videretur dicere. Hunc abduce.] Ut,

[26] *Tu, Voluſe, armari Volſcorum edice maniplis.*

Nam poſtea *E* litera, hujuſmodi verbis [27] aucta eſt. Hunc abduce, vinci.] Bono ordine. Et Abduce: [28] ab hoc illuc ubi nemo poſſit intercedere. Et Vinci: [29] ne ſolutus, ut ſciat ſi verum ſervus accuſet. Quaere rem.] Latenter praeter vincula, etiam tormenta ſignificavit. nam hoc, Quaere rem, pete rei veritatem, ſignificat.

37. Immo hercle extorque.] Ἄτεχνος πίστις. Et bene ipſe de ſe plus & apertius, quam Hegio, largitur. Extorque.] Multum dixit: non *Torque*, ſed Extorque. *Torquemus* enim hominem: *Extorquemus* veritatem.

OBSERV. IN DONAT.

24. *Quemadmodum ſaepe aucupium.*] Confer omnino notata ſupra ad III. 3. 71. Et adde Cic. Fam. XV t. 1. ibique Manutium.

25. *Id eſt, artem habens.*] Vide ad And. III. 5. 2.

26. *Tu Voluſe.*] Virgil. Aeneid. XI. 463.

27. *Aucta.*] Lego vel *addita*, vel, *adjecta.*

28. *Ab hoc illuc ubi.*] Mſ. Boend. & impreſſi ante Rob. Steph. & Lindenbr. *Ad hoc illud, ut nemo poſſit intercedere.*

29. *Ne ſolutus, ut ſciat.*] Lectio omnium Librorum meorum. Malim tamen: *Ne ſi ſolutus, neſciat.*

COMMENTARIUS.

34. Ut captus est servorum.] Mſſ. & editi quidam vetuſti legunt, Servolorum. Sed Servorum eſſe in omnibus Libris Priſciani, teſtis eſt Fr. Fabricius. Solet autem formula haec, ut captus est, addi laudibus eorum, qui minus capaces ſunt magnae laudis. Caeſ. B. G. IV. 3. *Ad alteram partem ſuccedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens*, ut captus eſt *Germano-*

De. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic reſpondeam,
Scio. *Pa*. Miſeram me! differor doloribus.
Juno Lucina, fer opem! ſerva me, obſecro! *He*. Hem!
Numnam illa, quaeſo, parturit? *Ge*. Certe, Hegio. *He*. Hem!
Illaec fidem nunc voſtram implorat, Demea:
Quod

DONATI.

39. PUDET.] Averſus hoc dicit, & perturbatus Demea. Majoris erit ponderis PUDET dictum, ſi *Me* nec addas, nec ſubaudias.

40. DIFFEROR DOLORIBUS.] Divellor, diſcrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelae convenit parturienti, & cui viſcera diſtenduntur: & ei quae inexpertum dolorem nunc primum ſentiat.

41. JUNO LUCINA, FER OPEM!] Bona procuratio Poëtae: ut & vox parturientis, pro teſtimonio ſuccedat, ad inflammandum Demeam. Et nota, puellarum quae in Comoediis honeſtae ſunt, [30] & ex amore dicuntur, aut nullam in Scena eſſe, aut rariſſimam vocem. FER OPEM!] Partui. SERVA ME, OBSECRO!] Parturientem. Duas enim res poſcit haec precatio: & naſcentis, & parturientis ſalutem.

42. NUMNAM ILLA, QUAESO, PARTURIT?] ILLA ſcilicet de qua ſermo eſt. quid enim opus fuerat nomine?

43. ILLAEC FIDEM NUNC VOSTRAM IMPLORAT.] Haec oratoria πλάνης eſt. non enim vere rogat: ſed videtur hoc facere. Et *implorare*, eſt [31] in malis poſitos cum ploratu aliquem rogare.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Et ex amore dicuntur.*] Senſus videtur eſſe, Quae poſt amorem nihilominus dicuntur eſſe honeſtae. Sed vide, ſi non obſtet exemplum Antiphilae, Heaut. II. 3.

31. *In malis poſitos.*] Ita Rob. Steph. & Lindenbr. ediderunt. Sed in Mſ. Boend. & edd. Anon. Tarviſ. Venet. anni 1490. eſt, *In malis poſitu.* Editio Veneta, anni 1512. habet, *In malis poſitus.* Guido Juvenalis legit: *In malis poſitum.*

COMMENTARIUS.

manorum. Cic. Tuſc. Quaeſt. II. 27. *Graeci autem homines non ſatis animoſi, prudentes*, ut eſt captus *hominum*, *ſatis*, *hoſtem adſpicere non poſſunt.*

NON MALUS.] Vide ad Eun. II. 2. 43. Quae laus tanto rarior, quod vulgo dicerent,

Δῦλοι δὲ χεῖρον ὐδὲν, ὐδὲ τῦ καλῦ.

36. ABDUCE, VINCE, QUAERE.] Κλίμαξ ἀσύνδετος ici accommodata. Sic Hec. V. 2. 7.

37. IMMO HERCLE.] Duo hi verſus in Mſ. Lipſ. etiam Hegioni tribuuntur.

38. CORAM IPSUM CEDO.] Mſ. Mark. cum edd. Juntarum, Aldi, Rob. Stephani, CORAM IPSO CEDO. Sed & ita Fabrini, vertens: *Diglielo in ſua preſenza.* Praeſtat autem lectio Codicis Bembini, & pluſculorum Mſſ. quam exhibeo. ut ſenſus ſit: *Siſte eum praeſentem.*

40. MISERAM ME!] Ante haec verba plerique Codices veteres legunt, INTUS. Alii: PAMPHILA CLAMAT INTUS. Utrumque a Librariis eſt, non a Poeta. Sic And. III. 1. 15.

DIFFEROR DOLORIBUS.] Tam ad ſenſus, quam ad corpus refertur. Turpilius apud Nonium Marcellum:

Intercapedine interficior, deſiderio differor.

Plaut. Epid. I. 2. 15.

Quin edepol egomet clamore defatigor, differor.

Truc. IV. 1. 3.

Dii magni! ut ego laetus ſum, & laetitia differor!

43. ILLAEC FIDEM NUNC VOSTRAM IMPLORAT.] Cum ploratu & vociferatione auxilium alicujus expetere, proprie *implorare* dicitur. Suet. Caeſ. 17. *Id vero Caeſar, nullo modo tolerandum exiſtimans*, *cum* implorato *Ciceronis teſtimonio, quaedam ſe de conjuratione ultro ad eum detuliſſe docuiſſet.* Liv. XXIX. 9. *Dum ſpoliandis iis (repugnabant enim, militemque* implorabant) *tempus teritur, repente milites feroces recenti victoria, ex omnibus locis, velut adverſus hoſtes ad arma conclamatum eſſet, concurrerunt.* Maxime, III. 21.

Multi-

Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.
Haec primum ut fiant, Deos quaeſo, ut vobis decet.
Sin aliter animus voſter eſt, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.
Mihi cognatus erat: una a pueris parvolis

Sumus

DONATI.

44. QUOD VOS VIS COGIT; ID VOLUNTATE IMPETRET.] Artificioſe: ne totum [32] ſimpliciter agendo, diffidere cauſae videatur. VIS igitur legum intelligitur.

45. DEOS QUAESO, UT VOBIS DECET.] Hoc eſt, non voluntate adverſarium fore. UT VOBIS DECET.] *Παραινετικῶς* dixit, non ut puellae utile eſt, ſed UT VOBIS DECET. VOBIS DECET.] Graece dixit, *ὑμῖν πρέπει*. Et deeſt, *facere*.

46. SIN ALITER ANIMUS VOSTER EST.] Officium amici exequitur in reddenda cauſa, cur adverſarius futurus ſit. EGO, DEMEA, SUMMA VI DEFENDAM HANC.] Non dixit id quod eſt, *Vos ulciſcar*: ſed, DEFENDAM HANC.

47. ATQUE ILLUM MORTUUM.] Idonea cauſa eſt, adverſus vivos querimoniam faciendo, pro mortuo ſcilicet. Qua in re, & de officio ſuo locutus eſt, & exaggeravit culpam in Aeſchinum, qui videbatur in uno & eodem facinore vivos mortuoſque laeſiſſe.

48. COGNATUS MIHI ERAT.] Cauſa expoſita, jam agit Hegio de perſona ſua, utrum recte faciat: [33] ut quam perſonam inducit * oſtendat habiturus. Quum amicitiarum duo genera ſint, unum neceſſarium, id eſt, propinquitas ſanguinis: alterum voluntarium, quo nobis etiam alieniſſimi conjunguntur: Micionem dicit ac Demeam, & vivos, & voluntarios tantum ſibi amicos eſſe. Simulum vero, & mortuum, & non ſolum voluntate, ſed & neceſſitudine amicum fuiſſe conjunctum. In qua re & illi non deerit, & his purgatur. Sed &, COGNATUS MIHI ERAT, vultu adjuvat: quia non a conjunctione inceptiva ſumſit exordium. COGNATUS MIHI ERAT.] Officia multa contra officium unum Demeae amicitiae ac Micionis.

OBSERV. IN DONAT.

32. *Simpliciter.*] Fortaſſe legendum: *ſupplicitur.*
33. *Ut quam perſonam inducit * oſtendat habiturus.*] Ante Rob. Steph. & Lindenbr. nullum lacunae indicium. Videtur autem *oſtendatur* legendum.

COMMENTARIUS.

Multitudo clamore ingenti, nunc Conſulum, nunc Patrum fidem implorant. Eodem ſenſu, I. 7. Fidem *paſtorum nequicquam* invocans, *morte occubuit.*

44. QUOD VOS JUS COGIT.] Menandri fertur

Τρία ἐστὶ, δι᾽ ὧν ἅπαντα γίγνεται,
Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε
Τρίτον ἔθει τινί.

Ex ſcriptura autem Mſſ. vix internoſcere queas, *ius* ſcripſerit Poëta, an *uis*, ob exiguam differentiam. Et poſſit Donatus videri legiſſe VIS, quia interpretaturus dicit, VIS *igitur legum intelligitur*. Neque enim jus *legum* commode dicitur. Sed & teſtatur Gabriel Faërnus, in Cod. Bemb. adſcriptum fuiſſe, VIS, *neceſſitas legum*. Si vero jus ſcripſit Terentius, intelligitur *vis juſtitiae*

ID VOLUNTATE IMPETRET.] H. e. ſponte. Sic And. II. 5. 11. Phorm. V. 3. 2. Liv. XXXV. 45. *Multa homines, ne bellarent*, voluntate *remittere, quae bello & armis* cogi *non poſſint*. Et ſaepius alibi. Guyetus e tribus Mſſ. τὸ UT inſerit; quod & mihi repertum. quando legendum: ID UT VOLUNTATE IMPETRET.

45. VOBIS DECET.] Sic infra V 8. 5. Plaut. Amph. II. 2. 188.

Iſtuc facinus, quod tu inſimulas, noſtro generi *non* decet.

Capt. II. 2. 71.

Ne patri, *tametſi unicus ſum*, decere *videatur magis.*

Sic l. 13. ff. de Legat. 3. *Decet tantae majeſtati.*

46. SIN ALITER ANIMUS VOSTER EST.] Sic Hec. V. 2. 19. Confer Juſtin. II. 13. 3. & ibi Scheffer.

47. DEFEN-

Sumus educati: una ſemper militiae, & domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter enitar, faciam, experiar: denique
Animam relinquam potius, quam illas deſeram.
Quid mihi reſpondes? *De.* Fratrem conveniam, Hegio:
Is, quod mihi de hac re dederit conſilium, id ſequar.

He.

DONATI.

50. PAUPERTATEM UNA PERTULIMUS GRAVEM.] Ἐπαναφορὰ eſt. quia magis conjungit malorum conſortium, quam bonorum.

51. NITAR, FACIAM, EXPERIAR.] Sic dicit, ne dicat, *Vindicabo*: quod vult magis ſignificatum eſſe, quam dictum. Et ne ei diceretur, *nihil poteris*: quod ad incipiendum ſufficit, dixit, EXPERIAR.

52. ANIMAM RELINQUAM POTIUS.] Modeſta comminatio: prius quid ſibi poſſit evenire dixit, quam quid paſſurus ſit Aeſchinus.

53. QUID MIHI RESPONDES?] *Reſpondere* proprie dicitur, quum lis intenditur. [34] *Reſpondere* enim eſt priorem alloqui, quaſi reſpondere, verba fundere. ut,

[35] *funditque has ore querelas.*

Reſpondere, poſteriore loco dicere. FRATREM CONVENIAM, HEGIO.] Vultuoſe pronuntiandum, hoc quod addidit, HEGIO. quaſi dicat; Res in manu fratris eſt conſtituta, non mea.

OBSERV. IN DONAT.

34. *Reſpondere enim eſt priorem alloqui.*] Integra haec Nota ita legitur in omnibus Libris meis. Nec Guido Juvenalis eam citans quidquam mutat, niſi, *quaſi reſpondere ſit verba fundere.* Doctiſſ. Wielingius legit: *Reſpondere proprie dicitur, quum lis intenditur. Reſpondere enim eſt priorem alloqui, quaſi rurſus ſpondere. Spondere eſt verba fundere.* Quae lectio proba eſt, ſi ſtatuas, Interpretem SPONDERE ſcripſiſſe, quod bis *ſpondere* valet. Conjeceram, veram ſcripturam eſſe: *Reſponderi proprie dicitur, quum lis intenditur. Reſpondere enim eſt priorem alloqui, quaſi re-ſpondere, verba fundere.* Elegans locus eſt apud Plautum, ſed alterius argumenti, Capt. IV. 2. 115.

ER. *Sponden' tu iſtud?* HE. *Spondeo.*
ER. *At ego tuum tibi adveniſſe filium, re ſpondeo.*

35. *Funditque.*] Virgil. Aen. V. 842. ſed legitur nunc, *loquelas.*

COMMENTARIUS.

47. DEFENDAM HANC.] Ita And. IV. 5. 18.

48. MIHI COGNATUS ERAT.] Ita quidem Terentius; ſed Menander Hegionem Soſtratae fratrem facit.

UNA A PUERIS PARVOLIS SUMUS EDUCATI.] Defendit hanc lectionem Faërnus ex Libro Bembino, & Mſſ. aliis, addens, in nullo Mſ. legi, EDUCTI. Sed & Rob. Stephanus edidit EDUCATI, & dudum ante eum alii. EDUCERE tamen Terentio frequentius, quam EDUCARE. In Mſ. Lipſ. eſt, A PUERO PARVOLI.

49. MILITIAE, ET DOMI.] Plaut. Capt. Prol. 68.

Domi, bellique.

Gr. Ἐν οἰκίᾳ, καὶ ἐν πολέμῳ.

51. ENITAR, FACIAM, EXPERIAR.] Sic And. II. 1. 34. *Facite, fingite, invenite, efficite.* In Mſſ. quibuſdam eſt, NITAR. Ita & Donatus. Dixit autem EXPERIAR, uti ſupra III. 2. 52.

52. ANIMAM RELINQUAM POTIUS.] Sic Heaut. III. 1. 70.

54. IS, QUOD MIHI DE HAC RE DEDERIT CONSILIUM, ID SEQUAR.] Hunc verſum ex Phormione, II. 4. 21. huc inſertum quidam poſt Muretum crediderunt. Et ſane parum commode hoc loco legi videtur, quum de Aeſchini rebus nihil faceret Demea ex conſilio Micionis, qui corrumpi eum ſinebat, invito Demea, ſuum jam eſſe factum jure adoptionis dicens Aeſchinum. Porro Demea in fine hujus Scenae ita ſtomachatur in fratrem, ut eum minime conſulturus videatur. Sed neque Donatum verſum hunc hic legiſſe videtur, quia nihil ad eum notavit. Igiturne delendus, quamvis tot Mſſ. & impreſſi antiqui eum exhibent? ἐπέχω. Illa autem, ID SEQUAR, in Mſſ. quibuſdam, editiſque leguntur, ID EXSEQUAR.

He. Sed, Demea, hoc tu facito: cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis: quam eſtis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maxume vos aequo animo aequa noſcere
Oportet, ſi vos voltis perhiberi probos.
De. Redito: fient, quae fieri aequum 'ſt, omnia.

He.

D O N A T I.

55. SED, DEMEA, HOC TU FACITO.] Ἐπιθεσπισμὸς ſupra habitae comminationis.

56. QUAM VOS FACILLIME AGITIS.] Ut & ſupra, [56] *Facilem victum pares.* Et vide quam oratorie laudes ſumſerit argumenta ſuadendi.

58. AEQUO ANIMO AEQUA NOSCERE OPORTET.] Bene dixit, AEQUO ANIMO: quia potentiori & fortiori contra naturam eſt aequitas.

60. REDITO.] Proſequebatur eum, quemadmodum apparet ex verbis.

O B S E R V. I N D O N A T.

56. *Facilem victum pares.*] Haec nuſquam in Terentio comparent. Forſan e memoria laudavit locum, qui eſt Eun. II. 2. 30. *Et tam facile victum quaerere.*

C O M M E N T A R I U S.

55. FACITO: CUM ANIMO COGITES.] Georg. Fabricius, FACITO DUM ANIMO COGITES, legit. Videtur autem CUM ANIMO COGITES dictum, uti, *tecum cogites.* Sic Plaut. Moſtell. III. 2. 13.

Quo magis cogito *ego* cum *meo* animo.

Cic. Orat II. 24. de Lege Agraria: *Vos tamen id poteſtis* cum animis *veſtris* cogitare. Quod & *apud animum cogitare*, & *in animo cogitare* dixerunt. In Mſſ. & impreſſis quibuſdam eſt, TECUM ANIMO COGITES.

56. QUAM VOS FACILLIME AGITIS.] Notandus uſus particulae QUAM & TAM ſequente ſuperlativo. Sic Heaut. V. 2. 44. Eſt autem *facillime agere* rebus ad vitam neceſſariis abundare. Plaut. Curc. V. 2. 6.

PL. *Nugas garris.* CU. *Soleo. nam propter eas*
vivo facilius.

Cic. Fam. VI. 5. *Res & fortunae tuae mihi maxime curae ſunt, quae quidem quotidie* faciliores *mihi & meliores videntur.* Liv. XXIII. 11. ex emendatione J. Fr. Gronovii: *Res veſtrae meliores* facilioreſque *erunt, magiſque ex ſententia.* Virg. Aen. I. 445.

Egregiam & facilem victu *per ſecula gentem.*

Ita Dii Homero dicuntur ῥᾶον ζῶντες, ῥᾶον ἄγοντες. Adde, quae ex Ariſtotele obſervat Boeclerus. Contrarium eſt, *difficultatibus premi, in ſumma difficultate nummaria eſſe.* cetera. Vide porro ad Eun. II. 2. 30.

58. AEQUA NOSCERE.] Aequum eſſe, & juſtitiam colere. ἐπιεικῆ γνῶναι.

59. SI VOS VOLTIS PERHIBERI PROBOS.] Haec cum ſtomacho & abiens dicit Hegio. Unde mox Demea eum placaturus ait, REDITO. Cic. Off. III. 4. *Qui bonos ſe viros haberi volunt.* In Fragmentis Plautinis fertur:

ſane ego
Me volo fortem perhiberier virum.

62. NON ME INDICENTE HAEC FIUNT.] Dixerat enim ſupra I. 2. 17. Micioni fratri: TU ILLUM CORRUMPI SINIS. Et verſu 59. ISTE TUUS, IPSE SENTIET POSTERIUS. Eodem porro ſenſu dixit Cicero Fam. VI. 6. *Quo in bello nihil adverſi accidit*, non praedicente me. Sollicitatur autem τὸ INDICENTE quaſi minus Latinum. Georgius Fabricius: *Obſerva*, ME INDICENTE, *hoc eſt*, me non dicente; *quod an alibi lectum ſit, neſcio.* Guyeto durum viſum eſt, mutanti in INTICENTE, multo durius. Daciera laudans Donatum, ait: *en effet, je ne crois pas, qu'on ait vû ailleurs* indicere *pour* non dicere. Fefellit autem doctiſſimam feminam, credo, quod Faërnus Codici Bembino adſcriptum eſſe teſtatur: INDICENTE, *tacente.* nove, immo

He. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Soſtratam.
De. Non me indicente haec fiunt: utinam hoc ſit modo
Defunctum! verum nimia illaec licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum haec evomam.

D O N A T I.

61. DECET TE FACERE.] Solicita obſequela Hegionis, ultima in loquendo, oſtendit impotentiorem perſonam contra Aeſchinum, quo magis gaudium creſcit Comoediae: quando tali ac tanto pauperior puella, ſed tamen cupita, jungetur.

62. NON ME INDICENTE.] Quia dixerat, *Ipſe ſentiet poſterius.* Et nimis dura compoſitio eſt: ſed apta iraſcenti. UTINAM HOC SIT MODO DEFUNCTUM!] UTINAM, deſperandi vim habet. Hoc, id eſt, negotium; id eſt, raptus virginis. DEFUNCTUM, finitum, id eſt, ut non pejora committat. DEFUNCTUM, finitum, id eſt, ne ulterius peccet Aeſchinus.

63. NIMIA ILLAEC LICENTIA.] Quam illi dat Micio.

64. PROFECTO EVADET.] Per ardua & praerupta veniet.

65. HAEC EVOMAM.] Non *Effundam*, ſed EVOMAM: utpote quae me aegrum faciunt, quibus me relevabo, cum languor ille egeſtus ſit, nam EVOMAM, hoc tranſlatione ſignificat.

COMMENTARIUS.

immo potius κατ' ἀρχαϊσμὸν; *nam nuſquam legimus, niſi in hoc loco:* indicentem *enim dixit* non dicentem. Sed non magis neceſſarium eſt ipſum verbum τῦ INDICENTE deſiderare, quam aliorum, ſeu participiorum, ſeu adjectivorum; qualia ſunt *inſciens*, *inſperans*, *inopinans*, alia. Tum, qui minus *indicens* Latine dicatur, quam *indictus?* Virg. Aen. VII. 733.

Nec tu carminibus noſtris indictus *abibis.*

Et Noſter, Phorm. V. 7. 58.

Quod dictum, indictum *'ſt.*

Ad eundem modum dixit Plautus Amph. II. 2. 217.

Iſtam rem inquiſitam *certum eſt non amittere.*

Et IV. 1. 9. *quaeſtionem* inquiſitam *hodie amittere.* H. e. non quaeſitam, non inquiſitam. Dubium omne tollit ὁ πάνυ J. Fr. Gronovius, ad Liv. XXII. 39. legens: *Nam & duo boni Coſſ. etiam* me indicente, *omnia e republica fide veſtra faceretis.* Sed & apud Cic. Fin. II. 3. *Eam ſi varietatem diceres, intelligerem, ut, etiam* indicente *te, intelligo.* Ubi tamen editio Aſcenſiana legit, *non dicente.* Adde Jac. Gronov. J. Fr. Fil. Optime igitur vertit Fabrini: *Non naſcono queſti ſcandoli, non lo dicendo io, e no lo profetezzando.*

UTINAM HOC SIT MODO DEFUNCTUM!] Sic Eun. Prol. 15. Phorm. V. 8. 32. Teſtatur Faernus, in Codice Bembino & Victoriano eſſe, UTINAM HIC SIT MODO DEFUNCTUM. Et poſſit videri Fabrini ita legiſſe, vertens: *Ma Iddio voglia, che queſto ſia finito ora. cioè che la coſa habbia fin qui.*

63. NIMIA ILLAEC LICENTIA PROFECTO EVADET IN ALIQUOD MAGNUM MALUM.] Sic Phorm. II. 2. 11. In quibuſdam Codicibus eſt, NIMIS ILLAEC LICENTIA.

65. REQUIRAM.] Mſſ. & editi quidam, EXQUIRAM.

IN EUM HAEC EVOMAM.] Sic ſupra III. 2. 14. Hec. III. 5. 65.

ACTUS TERTII

SCENA QUINTA.

HEGIO.

BONO animo fac ſis, Soſtrata; & iſtam, quod potes,
Fac conſolere. ego Micionem, ſi apud forum 'ſt,
Conveniam: atque, ut res geſta eſt, narrabo ordine.

Si

DONATI.

BONO ANIMO FAC SIS, SOSTRATA.] *Hi ſex verſus in quibuſdam non feruntur. In hac Scena videtur jam locutae Soſtratae Hegio reſpondere. Poteſt tamen & ipſe incipere, tanquam qui & rem noverit, & moerore ejus moveatur.*

1. BONO ANIMO FAC SIS, SOSTRATA.] Meminiſſe debemus, quod dixit, *Duc me intro ad Soſtratam*. Et quia hoc *Intro*, in proſcenio eſt. [1] ΠΑΤΕΓΑ ΠΔΙΤΝΝΙΝ * non poſt Scenam. Nam aliud ſignificat *Eamus intro*, ubi dicitur, *Intus deſpondebitur: Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtet.* Illud enim interius agitur extra omne proſcenium. FAC SIS, SOSTRATA.] SIS honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronuntiatur, ſuperbum ſit. Deductum eſt autem [2] a ſenatuſconſulti formula: ubi enim aliquid ſenatus conſulibus injungit, addit, *Si eis videatur.* ET ISTAM, QUOD POTES.] Quia vox ipſa triſtis, & circa triſtem filiam, QUOD POTES dixit.

2. FAC CONSOLERE.] Duas res dixit, quas & ordine locutus eſt; Et tu bonum habe animum, inquit: & filiam fac habere. EGO MICIONEM.] Quia Demeam jam vidit.

OBSERV. IN DONAT.

1. ΠΑΤΕΡΑ.] Graeca haec in nullo meorum Codicum comparent, in Argentino ne vel lacunae indicium ullum. Et videntur ſane ſine ſenſus diſpendio abeſſe poſſe. Solus Lindenbruchius videtur edidiſſe primus. Quidquid inde effingere licebit, παρὰ προσδοκίαν erit.

2. *A ſenatuſconſulti formula.*] Mſ. Boend. & edd. veteres, *A ſenatuſconſulto formulare.* Sed tres Pariſini Codices exhibent, ut edidi.

COMMENTARIUS.

Scenam hanc genuinam eſſe, evincunt, praeter Donati auctoritatem, qui in quibuſdam tantum non ferri hos ſex verſus aſſerit, non in omnibus, etiam locutiones Terentio digniſſimae. Porro autem Hegio, qui paulo ante a Geta intro ad Soſtratam erat ductus, infra IV. 3. non poterat rurſus prodire in Scenam, niſi ante rurſus egreſſus eſſet ex aedibus Soſtratae. Nec audiendus Guyetus, ſpurios hos ſex verſus vocans, quia ſcilicet Hegio alloqui non poſſit Soſtratam, quae nec in hac Scena, nec in praecedenti compareat. Optime enim Eugraphius: *Senex ingreſſus domum, vidit parturientem puellam, ejus matrem conſolatur, promittens ſe conventurum Micionem, Aeſchini patrem, & coacturum, ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit.* Cohaeret autem haec Scena ſuperiori in Mſ. Lipſ. & editione anni 1469. Juntina & Aldina.

1. QUOD POTES.] H. e. Quantum potes. Eun. II. 1. 8. & 9. Heaut. III. 1. 7. Phorm. III. 1. 14. Gr. ὡς δύναται. ὅτι πλεῖστον δύναται.

2. CONSOLERE.] Poterat enim Pamphila duplici nomine ſollicita & in moerore eſſe, cum quod peperiſſet ante nuptias cum Aeſchino,

tum

Si eſt, facturus ut ſit officium ſuum,
Faciat: ſin aliter de hac re eſt ejus ſententia,
Reſpondeat mihi: ut, quid agam, quamprimum ſciam.

DONATI.

4. SI EST, FACTURUS OFFICIUM.] Hoc dicendo, promittit eum eſſe facturum: nam facile eſt unumquemque ſuo officio fungi.

6. UT, QUID AGAM, QUAM PRIMUM SCIAM.] Mature: neque comminatur, neque ſegnem oſtendit ſe fore.

COMMENTARIUS.

tum quod Aeſchinum intellexiſſet pſaltriam rapuiſſe a lenone, atque adeo vereretur, ne ſe desereret. Idem Glycerio accidit de Pamphilo, in Andria.

4. SI EST, FACTURUS UT SIT OFFICIUM SUUM.] Unde mox ipſe Micio, IV. 3. 2. *Meum officium facio.* Eſt autem loquendi genus Terentio familiare, pro eo quod eſt ſimpliciter, SI EST FACTURUS OFFICIUM SUUM. Sic Hec. III. 5. 51. IV. 1. 43. IV. 4. 15. & 102. Adde Phorm. II. 1. 40. ubi Donatus *honeſtam locutionem* vocat. Male igitur in editione Anonyma, Juntina, Aldina & Lindenbruchii diſtinguitur, SI EST FACTURUS, UT SIT OFFICIUM SUUM.

6. UT, QUID AGAM, QUAMPRIMUM SCIAM.] Videtur cogitaſſe de Micione & Aeſchino in jus vocandis, & de re ad judices referenda.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

CTESIPHO. SYRUS.

Ct. AIN', patrem hinc abiſſe rus? *Sy.* Jam dudum. *Ct.* Dic ſodes. *Sy.* Apud

Vil-

DONATI.

AIN', PATREM HINC ABISSE RUS?] *Hic oſtenditur timiditas boni adoleſcentuli, 1 & verti * ſe ad peccandum ex delicti conſcientia, & reverentia parentis apparet. Item mos verorum patrum circa filios, Syro Demeam deſcribente.*

1. AIN', PATREM HINC ABISSE RUS?] Compendio oſtenditur, quid ſit jam locuturus Syrus.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et verti * ſe ad peccandum.*] Ita eſt in edit. Rob. Stephani, Lindenbruchii, & Pariſina, anni 1552. Sed Mſ. Boend. Edit. Anon. Argent. Venetae, Tarviſ. *Et vertiſſe ad peccandum.* Reſtituo: *Et veriri, ſc. ob peccatum ex delicti conſcientia, & reverentia parentis. Apparet item mos verorum parentum circa filios.* Abr. Wielingius legit, *Vertiſſe ſe.*

COMMENTARIUS.

1. AIN'.] Mſſ. quidam, AIN' TU. quod laudat Guyetus ex duodecim Mſſ. Codicibus; quare & ſuae editioni adſcripſit. quo motus forte Boeclerus ita edidit. In vetuſtioribus agnoſcunt

Anony-

Villam eſt. nunc cum maxume operis aliquid facere credo.
Ct. Utinam quidem,
Quod cum ſalute ejus fiat, ita ſe defatigarit, velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorſum e lecto nequeat ſurgere.

Sy.

D O N A T I.

2. Nunc cum maxume operis aliquid facere credo.] Vide quaſi ἰδίωμα verborum Syri eſſe, de opere loqui: ſic enim dicit & Demeae. Sed illud, falſo: hoc, ſerio. Utinam quidem.] *Apud villam ſit*, ſubaudiendum: & diſtinguendum, ante quam inferatur, quod ſequitur.

3. Quod cum salute ejus fiat.] Hoc non eſt odiſſe patrem: ſed tantum timere ex proprio delicto. ſervatur enim in eo & amor filii, & amoris effectus.

4. Ut triduo hoc perpetuo.] Quantum ſufficiat [a] amori. etenim [3] non opus erat Perpetuo dicere, ſi *Triduum* dixiſſet.

O B S E R V. I N D O N A T.

2. *Amori.*] Neſcias, utrum ita legendum ſit, an *Amatori.* Illud ad verſum 8. hoc ad 15. occurrit. Et utrumque eſt in Codd. antiquis.

3. *Non opus erat.*] Immo fieri non poterat, ut diceret, Perpetuo, ſi praeceſſiſſet, Triduum. Videntur autem quaedam excidiſſe ante τὸ *Etenim.*

C O M M E N T A R I U S.

Anonyma, Tarviſiana, Veneta anni 1490. & 1512. Omittunt Juntae, Aldus, Stephanus, Fabrini, Heinſius, Daciera, cum editione Pictavienſi, ex recenſione Phil. Melanchthonis, Daventrienſi anni 1519. Baſilienſi, anni 1548. aliis, poſt editionem anni 1469.

Dic sodes.] Formula, qua utitur is, qui repeti ſibi poſtulat rem, quam veram eſſe cupit. Sic Heaut. IV. 5. 22.

2. Cum maxime.] Mire variant Mſſ. & impreſſi, exhibentes, Cum maxime. hunc maxime. autem maxime. eum maxime. Guyetus probat, Nunc eum cum maxime. Valere autem Latinis Cum maxime in praeſenti, hoc tempore, abunde conſtat. Sic Heaut. IV. 5. 40. Vide Graevium ad Cic. Fam. I. 9. & Off. II. 7. Suet. Domit 10. Sed & valet, valde, prorſus. q. d. *Ita nunc, ut, cum maximo.* vel, *Ita tunc, ut, cum maximo.* Gr. ὡς μάλιστα. Sane non aliter plene expreſſit ipſe Terentius, Hec. I. 2. 40.

Amabat, ut cum maxime, *tum Pamphilus.*

Et Cicero ad Q. Fr. II. 6. *Domus celebratur*, ita ut cum maxime. Unde vel maxime confirmantur ea, quae pro *tum maximo* diſputat V. Cl. Car. Andr. Dukerus, ad Flor. II. 16. Facit huc conjunctio particularum, *tum eum maxime.* Vide Frensh. Ind. Flori, v. *Maxime.* Eaedem particulae ſeparatim poſitae eandem vim retinent. Liv. III. 25. Quum *Virginius* maxime *&* *Tribuni de Lege agerent, duum menſium ſpatium Conſulibus datum eſt ad inſpiciendam Legem.* Eodem fere ſenſu *tum longe* uſurpatur. Liv. loc. cit. *Is* tum longe *princeps in Aequis erat.* Uti autem Terentius h. l. & Phorm. I. 4. 27. Nunc cum maxime, ita Cicero pro Cluent. 5. *Quae multos jam annos, &* nunc cum maxime *filium interfectum cupit.* Et Cl. Mamertinus Panegyrico, Maximiano Heracleo dicto, cap. 1. *Quanto tandem ſtudio nos hic convenit, qui te praeſentem intuemur Deum, toto quidem orbe victorem, ſed* nunc cum maxime *in eadem occidentis plaga non paſtorem trino capite deformem; ſed prodigium tertius opprimentem, quidquid ſpiritus & vocis habemus, omne id in laudibus tuis, non occupare modo, ſed, ſi res poſcat, abſumere?* Eumenius, Paneg. pro Reſtaur. Schol. cap. 4. *Ne in his quidem, quae* nunc cum maxime, *geruntur, bellis.*

Operis aliquid facere.] Vide ad Eun. II. 1. 14.

3. Quod cum salute ejus fiat.] Εὐφημισμὸς, quem pietas expreſſit, ne durior imprecatio vitio non careret.

Defatigarit.] Sic Eun. II. 1. 14. Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XV. Defatigaret.

Velim.] Πλεονάζει poſt Utinam. Quod non animadvertens Donatus, binas ſententias fecit.

Ita:

Digitized by Google

Sy. Ita fiat! & iſtoc, ſi quid potis eſt, rectius. *Ct.* Ita. nam hunc diem
Miſere nimis cupio, ut coepi, perpetuum in laetitia degere.
Et illud rus nulla alia cauſa tam male odi, niſi quia prope 'ſt.
Quod

DONATI.

5. ET ISTOC, SI QUID POTIS EST, RECTIUS.] Deeſt *addi.* nam ſi mortem ſignificaret, [4] non conveniret adoleſcentem ita dicere: videtur enim plus temporis optaſſe languori. NAM HUNC DIEM MISERE NIMIS CUPIO.] [5] Moriatur ſcilicet. Et hoc adverſus ſervum debet dicere, ne indecorum adoleſcentis perſonae ſit, haec ita dixiſſe. quamvis ejuſmodi adoleſcentes inducant Comici. ut *Naevius* in Tribaſelo, *Deos quaeſo, ut adimant & patrem & matrem meos.*

6 MISERE NIMIS CUPIO.] NIMIS abundat, more Comicorum, qui hoc dicto aſſeverationem inculcabant. CUPIO, UT COEPI, PERPETUUM IN LAETITIA DEGERE.] Qui & ſupra dixit, *Ita quaeſo: quando hoc bene ſucceſſit, hilarem hunc ſumamus diem.*

7. ET ILLUD RUS NULLA ALIA CAUSA TAM MALE ODI.] Mire oſtendit omnia ex delictis in pravum verti: adeo ut miſeram putet adoleſcens ſuburbanam villam, qua re caeteri delectantur. [6] Illud ergo tanquam cum deteſtatione dixit: & MALE, & NIMIS, & MISERE. Nam *Nimium*, & malum miſerumque eſt; ſecundum illam ſententiam, *Ne quid nimis.*

OBSERV. IN DONAT.

4. *Non conveniret adoleſcentem ita dicere.*] Legendum: *Non conveniret adoleſcentem* ITA *dicere.*

5. *Moriatur ſcilicet.*] Et haec loco mota ſunt, & non videntur eſſe a Donato. Lego autem, quae continuo ſequuntur: *Et hoc adverſus ſervum debet dicere, ne indecorum adoleſcentis perſonae ſit, ad haec* ITA *dixiſſe.* In Fragmentis autem Naevianis nihil verborum, quae hic laudantur, compareet. Sed & Mſ. Boend. & edd. veteres non *adimant* legunt, ſed *adjuvent.* Abr. Wielingius reſtituit: ITA, *Moriatur ſcilicet*, & quae ſeqq.

6. *Illud ergo.*] Legit Doctiſſ. Wielingius: *Illud ergo*, TAM MALE *cum deteſtatione dixit. Et* MALE *eſt* NIMIS *&* MISERE.

COMMENTARIUS.

Ita:. UTINAM QUIDEM. ſub. *apud villam ſit.* Mox de integro: QUOD CUM SALUTE EJUS FIAT, ITA SE DEFATIGARIT, VELIM. Incommode, quia ſimile votum non inchoat ſententiam, ſed mediae ſententiae inſeritur. Fabrini tamen ad mentem Donati vertit: *Iddio voglia, che ſia coſi, che ſia in villa.*

4. E LECTO NEQUEAT SURGERE.] Liv. III. 24. *Multis enim emanabat indiciis, neque fratrem Volſcis, ex quo ſemel fuerit aeger, unquam non modo viſum in publico, ſed ne* aſſurrexiſſe *quidem* ex morbo.

5. ITA FIAT! ET ISTOC, SI QUID POTIS EST, RECTIUS.] Muretus Var Lect. XVI. 3. cum Donato ſentiens de tempore longiori, quam triduo interpretatur. Guyetus de morte accipit, ita reddens in Scholiis Mſſ. *qu'il n'en puiſſe jamais relever.* Neutrum ſatis placet. Crediderim verba haec geſtu juvanda. Neque opus eſt dicere, Syrum averſum a Cteſiphone haec dixiſſe: neque adeo mortem imprecari Demeae. Aliud enim dicturus fuiſſe videtur. Ubi igitur vultuoſe pronunciaſſet haec, ITA FIAT! ET ISTOC, SI QUID POTIS EST, Cteſipho metuens, ne diceret, PEJUS, vultu interminatur, vultque eum εὐφημεῖν. Unde adeo expromta aſtutia addit ſervus, RECTIUS. quae vox quum placeret Cteſiphoni, ITA, reſpondet.

6. MISERE NIMIS CUPIO.] Mſſ. & impreſſi quidam exhibent, MISERE CUPIO, omiſſo, NIMIS. Alii, MI SYRE, CUPIO. Sed MISERE NIMIS firmatur a Donato.

PERPETUUM IN LAETITIA DEGERE.] Supra II. 4. 23. Intra V. 3. 68. Plaut. Ciſtell. I. 1. 79.

Quia ego illum unum mihi exoptavi, quicum
aetatem degerem.

Phaed. I. 3. 2.

Suoque potius habitu vitam degere.

7. TAM MALE ODI.] Cic. Fam. VII. 2. Oderam *multo* pejus *hunc.* Att. XIV. 1. *Non dubito, quin me* male oderit. Horat. Epiſt. I. 17. 30.

Alter Mileti textam cane pejus *& angue*
Vitabit

Digitized by Google

Quod ſi abeſſet longius,
Prius nox oppreſſiſſet illic, quam huc revorti poſſet iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, ſat ſcio.
Rogitabit me, ubi fuerim: quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? *Sy*. Nihilne in mentem? *Ct*. Numquam quidquam. *Sy*. Tanto nequior.

Cliens,

DONATI.

8. QUOD SI ABESSET LONGIUS.] Amori magis, quam rei conſulit adoleſcens.

10. JAM HUC RECURRET, SAT SCIO.] Mire de ſene, RECURRET dixit, ut ejus inſtantiam demonſtraret.

12. NIHILNE IN MENTEM?] Sic hoc accipiendum eſt, ut adoleſcenti libero malitiam putemus, non ſapientiam deeſſe: adeo in hac re magiſter eſt ſervus. NUMQUAM QUIDQUAM.] Παρέλκον, pro NUMQUAM: id eſt, non. TANTO NEQUIOR.] Sic hoc dictum eſt, ut e contrario dicimus, *Tanto melior*.

COMMENTARIUS.

Vitabit *chlamydem*.

NISI QUIA PROPE 'ST.] Mſſ. & editi quidam, NISI QUIA TAM PROPE 'ST.

9. NOX OPPRESSISSET.] H. e. deprehendiſſet. Sic ſupra II. 2. 21.

REVORTI POSSET ITERUM.] Πλεονάζει τὸ ITERUM. Sic Plaut. Poen. Prol. 79.

Revortor rurſus denuo *Carthaginem*.

Quanto minus ferendum illud Guyeti, REVORTI POSSET, & Faërni POSSIET, deleto ITERUM. Ut tamen ſit Trochaicus octonarius catalecticus, Tanaq. Faber legit: PRIU' NOX OPPRESSISSET ILLIC, QUAM HUC POSSET REVORTIER.

10. VIDEBIT.] Mſ. Lipſ. VIDERIT.

11. ROGITABIT ME.] Quidam Mſſ. & editi veteres, ROGABIT. Guyetus vero & ME & EGO in hoc verſu duo gloſſemata vocat ἐν ἀνεκδότοις.

QUEM EGO HODIE TOTO NON VIDI DIE.] Eſt occupatio verborum Demeae, quaſi is rogaturus ſit: *Ubi fuiſti, Cteſipho, quem ego hodie toto non vidi die?*

12. NIHILNE IN MENTEM?] Sub. venit. Ita Donatus legit. quem confer ad verſum 14. & Heaut. IV. 5. 16. V. 1. 13. V. 2. 33. & 44. V. 3. 3. Codices alii, NIHILNE IN MENTEM EST? alii, NIHILNE IN MENTE EST?

TANTO NEQUIOR.] Formula reprehendendi alterum. Mſ. Boend. TANTO NEQUIOR ES. Sic Plaut. Menaechm. II. 3. 79.

MES. *Quid ergo?* ME. *Opu 'ſt.* MES. *Quid opu 'ſt?* ME. *Scio, ut me dices.* MES. Tanto nequior es.

Contra laudandi formula eſt, *Tanto melior*. Vide ad Heaut. III. 2. 38.

13. CLIENS, AMICUS, HOSPES, NEMO 'ST VOBIS?] Cicero de Senect. 10. *Non Curia vires meas deſiderat, non Roſtra, non* Amici, *non* Clientes, *non* Hoſpites. Quo gradu in officiis praeſtandis habiti *Clientes*, diſputat Gellius V. 13. originem a Romulo repetunt Plutarchus in Romulo, & Dionyſius Halicarnaſſenſis. Plutarchus ita: Ἑτέρους δὲ τοὺς δυνατοὺς ἀπὸ τῶν πολλῶν διῄρει, ΠΑΤΡΩΝΑΣ ὀνομάζων, ὅπερ ἐστὶ προστάτας, ἐκείνους δὲ ΚΛΙΕΝΤΑΣ, ὅπερ ἐστὶ πελάτας· ἅμα δὲ πρὸς ἀλλήλους θαυμαστὴν εὔνοιαν αὐτοῖς καὶ μεγάλων δικαίων ὑπάρχουσαν ἐνεποίησεν. Οὗτοι μὲν γὰρ ἐξηγητάς τε τῶν νομίμων καὶ προστάτας δικαζομένοις, συμβούλους τε πάντων καὶ κηδεμόνας ἑαυτοὺς παρεῖχον. Ἐκεῖνοι δὲ τούτους ἐθεράπευον, οὐ μόνον τιμῶντες, ἀλλὰ καὶ πενομένοις θυγατέρας συνεκδιδόντες, καὶ χρέα συνεκτίνοντες. *Ceteros deinde, quibus majores erant opes, ſecrevit a plebe, appellavitque* PATRONOS *illos, hos* CLIENTES. *Ex quo fonte mirifice eos inter ſe benevolentiae neceſſitudiniſque copulavit jure, quum litigantibus Patroni de jure reſponderent, atque advocati adeſſent in judicio, omnibuſque item in rebus conſilio eos & ſtudio foverent: hos contra colerent clientes, non honorando modo, verum dote etiam tenuiorum filiabus conferenda, &*

aere

Cliens, amicus, hoſpes, nemo 'ſt vobis? *Ct.* Sunt: quid poſtea?
Sy. Hiſce opera ut data ſit. *Ct.* Quae non data ſit? non poteſt
fieri. *Sy.* Poteſt.
Ct. Interdiu: ſed ſi hic pernocto, cauſae quid dicam, Syre?
Sy. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet
dari.
Quin tu otioſus es: ego illius ſenſum pulchre calleo.

Quum

DONATI.

13. CLIENS, AMICUS, HOSPSS, NEMO 'ST VOBIS?] Vide magiſtrum ad nequitiam, ut ſimplici adoleſcenti mentiendi viam demonſtret, & honeſtum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter *clientem*, *amicum*, aut *hoſpitem* in urbe ceſſare viſum: quod tamen nec ſic intelligit rudis ac ruſticus adoleſcens. CLIENS, AMICUS, HOSPES, NEMO 'ST VOBIS?] Mire ſic interrogavit, ut qui agreſtes inhumanoſque reprehendat, & inſociabiles aliis, propter aſperitatem ruſtici ſenis.

14. HISCE OPERA UT DATA SIT.] A ſuperiore ſubauditur, *Veniat in mentem:* id eſt, cogita dari potuiſſe: & datam dicito. QUAE NON DATA SIT?] Hic de facto quaeſtio eſt, in qua quidem diſputant, quaedam tunc poſſibilia intelligi, quando facta ſint. quum autem non fiunt, non modo non fieri, ſed ne poſſibilia quidem eſſe dicenda. qui locus περὶ δυνατῶν dicitur. POTEST.] Iterum ſubauditur, *Fieri, ut data ſit*: vel, *ut credatur data.*

15. INTERDIU.] Bene: quia amatori maxime nocte opus eſt.

16. VAH! QUAM VELLEM ETIAM NOCTU.] Hoc utriuſque perſonae convenit, ſed melius & Syro, & facetius dicitur. Et quidam totum Cteſiphoni aſſignant, abuſque INTERDIU. Et, QUAM VELLEM, proprie dicimus in his, quae non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota converſus eſt. unde videntur magis haec verba Cteſiphonis eſſe.

17. CALLEO.] Callide ſcio.

COMMENTARIUS.

aere alieno ſuſpiciendo. Dionyſius Halicarnaſſenſis Lib. II. Παρακαταθήκας δὲ ἔδωκε τοῖς Πατρικίοις τὰς δημοτικὰς ἐπιτρέψας ἑκάστῳ τῶν ἐκ τοῦ πλήθους, ὃν αὐτὸς ἐβούλετο, νέμειν προστάτην. Ἔθος Ἑλληνικὸν καὶ ἀρχαῖον, ᾧ Θετταλοί τε μέχρι πολλοῦ χρώμενοι διετέλεσαν, καὶ Ἀθηναῖοι καταρχὰς, ἐπὶ τὰ κρείττω λαβών. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ὑπεροπτικῶς ἐχρῶντο τοῖς πελάταις, ἔργα τε ἐπιτάττοντες οὐ προσήκοντα ἐλευθέροις, καὶ ὁπότε μὴ πράξειαν τι τῶν κελευομένων, πληγὰς ἐντείνοντες, καὶ τἆλλα ὥσπερ ἀργυρωνήτοις χρώμενοι. *Commendavit enim patriciis plebeios, optione cuique e vulgo data, ut, quem vellet, patronum ſibi legeret. Mos ſane Graecus & antiquus, quo diu Theſſali uſi ſunt, & Athenienſes priſci; ſed tum receptus in melius. Illi enim ſuperbe utebantur* Clientibus, *opera eis injungentes, quae non conveniunt liberis; & ſi quando juſſa non feciſſent, intentantes verbera; ad cetera quoque abutentes tanquam emtitiis.*

14. HISCE OPERA UT DATA SIT.] Mſ. Boend. HISCE OPERA DIC UT DATA SIT.

QUAE NON DATA SIT?] H. e. quae revera non ſit data, nec veriſimile ſit, datam eſſe, eam datam eſſe dicam?

NON POTEST FIERI.] Ingenuus adoleſcens negat mentiri. Menander:

> Ἄριστον 'στι πάντας ἐπίστασθαι καλά·
> Ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς τ' ἀληθῆ λέγειν.

16. ETIAM.] Mſ. Mark. UT ETIAM. Citat hunc verſum Symmachus Lib. I. Epiſt. 23. Latere vero obſcoenum ſenſum in verbis quidam credunt, componentes cum hoc loco verba Menedemi & Chremetis, Heaut. V. 1. 37. 38. nulla idonea ratione; cum τὸ ETIAM ad NOCTU, non ad AMICIS videatur referendum.

18. QUUM

Digitized by Google

Quum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo. *Ct.* Quo modo?

Sy. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum:

Virtutes narro. *Ct.* Meas? *Sy.* Tuas. homini illico lacrumae cadunt,

Quaſi puero, gaudio. hem tibi autem. *Ct.* Quidnam eſt? *Sy.* Lupus in Fabula.

Ct.

DONATI.

18. QUUM FERVIT MAXUME.] Tertia conjugatione dixit, unde *fervere* dicitur, correpta media ſyllaba. QUO MODO?] Miratur, quia timet eum, quem iſte contemnit.

19. LAUDARIER TE AUDIT LIBENTER.] Quod [7] a Demea dicitur, in omnes parentes dici puta. nam nemo tam aſper eſt pater, ut non ſtatim miteſcat, laudato filio.

20. VIRTUTES NARRO.] Non dicit elegantem indolem, ſed VIRTUTES. VIRTUTES autem ſunt perfecti ſapientis, vel divi alicujus. Et bene cum pudore reſpondet, MEAS? oſtendens quod nullae eſſent. CT. MEAS? SY. TUAS.] Cum geſtu pronuntiare debemus, ut intelligatur irriſio.

21. QUASI PUERO, GAUDIO.] Deeſt, *prae*: ut ſit, *Prae gaudio*. LUPUS IN FABULA.] Silentii indictio eſt in hoc proverbio: [8] atque ejuſmodi ſilentio, vel in ipſo verbo, ut ipſa Fabula conticeſcat. Quia lupum vidiſſe homines dicimus, qui repente obmutuerint: quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus: ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce & verbis careant. Sic [9] *Theocritus*,

Οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες.

Et [10] *Virgil.* *vox quoque Moerin*

Jam fugit ipſa, lupi Moerin videre priores.

Alii putant ex nutricum Fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim [11] e cavea venientis uſque ad limen cubiculi. Nam falſum eſt quod dicitur, interveniſſe lupum Naevianae Fabulae, Alimoniae Remi & Romuli, dum in theatro ageretur.

OBSERV. IN DONAT.

7. *A Demea.*] Lego, *de Demea.*

8. *Atque ejuſmodi ſilentio, vel in ipſo verbo, ut ipſa Fabula conticeſcat.*] Reſtituo ex conjectura: *Atque ejuſmodi ſilentii, ut vel in ipſo verbo Fabula conticeſcat.*

9. *Theocritus.*] Idyll. XIV. 22.

10. *Virgil.*] Ecl. IX. 54.

11. *E cavea.*] In margine edit. Pariſ. 1552. *a cavea* legitur. In Libris vetuſtioribus omnibus, *Capua.* Malim: *paulatim in caſam venientis.* Vide Aeſopi Fab. Λύκος καὶ γραῦς.

COMMENTARIUS.

18. QUUM FERVIT MAXUME, TAM PLACIDUM, QUAM OVEM REDDO.] Plaut. Moſtell. III. 2. 165.

Tam placida eſt, quam eſt aqua.

Poen. I. 2. 142.

AG. *Jam hercle tu periſti, niſi illam mihi tam tranquillam facis,*

Quam mare eſt olim, cum ibi alcedo pullos educit ſuos.

Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. IX. QUASI OVEM. Codices quidam ſcripti & impreſſi, FERVET. Sed idem verbum etiam tertia conjugatione exulerunt veteres. Virg. Aen. IV. 409.

quum litora fervere *late.*

Et 567.

jam fervere *litora flammis.*

19. LAUDARIER TE AUDIT LIBENTER.] Philo apud Stobaeum, Serm. CV. *Τέκνων ἀρετὴ δόξα πατέρων.*

FACIO TE APUD ILLUM DEUM.] Hyperbole laudationis. Socrates apud Platonem in Menone: *Καὶ ἂν γε γυναῖκες δέῃ, ὦ Μένων, τὰς ἀγαθὰς*

Ct. Pater eſt? *Sy.* Ipſus eſt. *Ct.* Syre, quid agimus? *Sy.* Fuge modo intro: ego videro.

Ct. Si quid rogabit, nuſquam tu me: audiſtin'? *Sy.* Potin' ut deſinas?

DONATI.

22. Fuge modo intro.] Non dixit *i*, vel *abi*, vel *vade*, ſed fuge: tanta celeritate opus eſt.

23. Si quid rogabit, nusquam tu me.] Magna virtute *Terentius* rudem, ſimplicem, timidumque inducit Cteſiphonem ab initio: ut is ſit, qui mox opprimeretur cum meretrice accumbens, interventu patris, ob imprudentiam ac ruſticitatem ſuam. Nusquam tu me.] Scilicet vidiſſe reſpondeas. Familiaris ἔλλειψις & apta properanti. quare haec omnia preſſa voce cum celeritate pronuncianda ſunt.

COMMENTARIUS.

ἀγαθοὺς ἄνδρας, Θείους καλοῦσι. Καὶ οἱ Λάκωνες, ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, Θεῖος ἀνὴρ, φασὶν, οὗτος. *Mulieres quoque, ô Mene, bonos viros* Divinos *nuncupant: & Lacones quoties bonum quendam virum commendare volunt*, Divinus hic vir, *ajunt*. Cic. de Oratore II. 42. *Qui ordo tibi placet, inquit Catulus, & quae diſpoſitio argumentorum, in qua tu mihi ſemper Deus videri ſoles. Vide, quam ſim in iſto genere, inquit, Catule,* Deus. Vide Eraſm. in Chil. Eſt autem ſervus memor eorum, quae dixit ſupra III. 3. 59. ſeqq.

20. Homini illico lacrumae cadunt, quasi puero, gaudio.] Sic ſupra III. 3. 55. Plaut. Stich. III. 2. 13.

Ut prae laetitia lacrumae *praeſiliunt mihi!*

Homer. Iliad. Z. 484.

Δακρυόεν γελάσασα.
Lacrymabundum ridens.

Orpheus Argonaut. 445.

Δακρυόεν γελῶν.
Lacrymoſum ridens.

Mſſ. quidam, prae gaudio. De variis lacrumarum cauſis vide Coel. Rhodig. XII. 4.

21. Lupus in Fabula.] Aliter extulit Plautus, Stich. IV. 1. 71.

Atque eccum tibi lupum in ſermone.

De origine Servius ad Virg. Ecl. IX. 54. *Hoc etiam Phyſici confirmant: quod vox detrahitur ei, quem primum viderit lupus. Unde etiam proverbium hoc natum eſt*, Lupus in Fabula: *quotiens ſupervenit ille, de quo loquimur, & nobis ſui praeſentia amputat facultatem loquendi.* Eadem fere Plinius habet, VIII. 22. Et utrumque ſequutus Iſidorus, Lib. I. cap. 26. *Ajunt ruſtici, vocem hominem perdere, ſi eum lupus prior viderit. Unde & ſubito tacenti dicitur illud proverbium:* Lupus in Fabula. Fere παράλληλον eſt illud Ciceronis, Fam. VII. 25. *Sed heus tu, manum de tabula. magiſter adeſt citius, quam putaramus.* Et Att. XIII. 33. *De Varrone loquebamur:* Lupus in Fabula. *Venit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus eſſet. Sed ego ita egi, ut non ſcinderem penulam.* Adde Voſſ. de Idol. III. 72. Giſan. Ind. Lucret. v. Sermo. Eraſm. Chiliad.

22. Ct. Pater est? Sy. Ipsus est.] Alii: Ct. Paterne? Sy. Ipsu 'st. Guyetus praefert, Ct. Pater adest? Sy. Ipsus.

Quid agimus?] Mſ. Lipſ. Quid agam?

Ego videro.] Sub. Quid agamus, mihi curae erit. Vide And. II. 6. 25. Et Parei Lex. Plaut. v. *Videre*. Sic infra IV. 2. 12. *Ego cavebo.*

23. Potin' ut desinas?] Objurgantis eſt, Potin' ut. Sic Plaut. Merc. V. 2. 49.

Potin' ut animo ſis tranquillo?

Poen. IV. 2. 94.

Potin' ut taceas?

Mſſ. & impreſſi quidam: Potin' es, ut desinas?

ACTUS QUARTI

SCENA SECUNDA.

DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

De. NAE, ego homo ſum infelix! primum fratrem nuſquam invenio gentium:
Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium
Vidi:

DONATI.

NAE, EGO HOMO SUM INFELIX!] *In hoc Actu exemplum eſt, neminem facilius, quam optimum quemque falli atque deludi, ut Virgilius ait. Et* NAE *valde ſignificat. Ut*: Nae illi vehementer errant; [1] *Cicero in Catilinam.*

1. NAE, EGO HOMO SUM INFELIX!] Vide initium conveniens perpetuo moerori Demeae. Per totam Fabulam, aut *Diſperii* dicit, aut *Defeſſus ſum*, aut aliquid tale ſemper eſt, quod queratur: ita tamen, ut cum augmento ſit miſeria, quotieſcunque proceſſerit. nam plus eſt quod nunc dixit: NAE, EGO HOMO SUM INFELIX! quam *Diſperii.* NUSQUAM INVENIO GENTIUM.] Abundat GENTIUM.

2. A VILLA MERCENARIUM VIDI.] Sapientiſſime *Terentius*, etſi proxima villa eſt, neceſſario ſenem ad reliquos actus Fabulae noluit ab urbe diſcedere, perſonae ſenilis memor. nam & arduum fuerat, dum redit, & cruciabile, ne fatigatio ejus in Tragoediam tranſiret. Recte igitur invenit, a *mercenario* illi in urbe narratum, ruri non eſſe Cteſiphonem. At ubi perſona eſt adoleſcentis, & proficiſcitur ad villam, & continuo redit. ut in Eunucho Phaedria. Et A VILLA: utrum *A* pro *de* poſitum eſt? ut ſit, *De villa.* an deeſt *Veniſſe?* ut ſit, *A villa vidi veniſſe mercenarium.*

3. NEC QUID AGAM, SCIO.] Utrum fratrem, an filium magis quaeram. nam ſenex querulus tria dicit eſſe incommoda ſibi: quod fratrem non inveniat: quod Cteſipho ruri non ſit: quod, utrum in urbe maneat, an ad villam abeat, ipſe neſciat.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Cicero in Catilinam.*] II. 3.

COMMENTARIUS.

1. EGO HOMO.] Mſſ. quidam & impreſſi veteres poſt edit. 1469. EGOMET HOMO.

NUSQUAM GENTIUM.] Sic Heaut. V. 1. 55. ubi vide Calphurnium.

2. A VILLA MERCENARIUM.] *Τὸν ἀπ' ἀγρῶ μιστοφόρον* Ridet hic Georg. Fabricius Donatum dubitantem de ſenſu & conſtructione, exiſtimatque, A VILLA MERCENARIUM dictum, uti *gubernatorem a navi*, apud Plautum in Amphitruone. Locus eſt Amph. III. 3. 12.

Tu gubernatorem a navi *huc evoca verbis meis.*

Scilicet Blepharo gubernator etiamnum in navi erat, vel certe in portu, adeoque arbiter arceſſendus in urbem. Sic idem ſupra III. 2. 69. & II. 2. 219.

Quid ſi adduco *tuum cognatum huc* a navi *Naucratem?*

Et

Vidi: is filium negat eſſe ruri. nec quid agam, ſcio.
Ct. Syre. *Sy.* Quid ais? *Ct.* Men' quaerit? *Sy.* Verum. *Ct.* Perii! *Sy.* Quin tu animo bono es.
De. Quid hoc, malum! infelicitatis? nequeo ſatis decernere:
Niſi me credo huic eſſe natum rei, ferundis miſeriis.
Primus ſentio mala noſtra: primus reſciſco omnia:
Primus porro obnuncio: aegre ſolus, ſi quid fit, fero.

Sy.

DONATI.

4. VERUM.] Modo VERUM, nomen non eſt: ſed adverbium confirmantis, id eſt, *vere.* PERII!] Haec Cteſiphonis perturbatio huc tendit Poëtae arte, ut deprehendatur cum amica filius, repente ingreſſo ſene. QUIN TU ANIMO BONO ES.] Nunc QUIN, pro *Quinimo* poſitum eſt.

5. QUID HOC, MALUM! INFELICITATIS?] Abundat MALUM. QUID HOC, MALUM! INFELICITATIS?] Deeſt, *Deos teſtor.* QUID HOC, MALUM! INFELICITATIS?] Hic autem MALUM, pro interjectione poſitum: quaſi dicat, O MALUM! & eſt dictum anxii hominis, & perturbati nimis.

6. NISI ME CREDO.] Pro, *niſi quia jam ſupereſt, ut me credam.* hic enim ſenſus eſt in hujuſmodi locutione. NISI ME CREDO HUIC ESSE NATUM REI.] Nova locutio, pro, *Niſi quia credo.* Et HUIC REI, poteſt ſubtrahi, incolumi ſenſu: ut, NISI ME CREDO NATUM ESSE FERUNDIS MISERIIS. Ergo HUIC REI, ſubdiſtinguendum: & ſic inferendum, FERUNDIS MISERIIS. Ergo HUIC REI, pro, *Ad hanc rem.*

7. PRIMUS SENTIO MALA NOSTRA: PRIMUS RESCISCO OMNIA.] Ἐπαναφορά. PRIMUS SENTIO MALA.] Ridiculus error Demeae. Et PRIMUS, ad ordinem: SOLUS, ad numerum dicitur.

8. PRIMUS PORRO OBNUNCIO.] Qui malam rem nuntiat, *obnunciat*: qui bonam, *annunciat.* nam proprie *obnunciare* dicuntur augures, qui
aliquid

COMMENTARIUS.

Et mox verſu 224.

ego huc ab navi *mecum* adducam *Naucratem.*

Unde liquet, ἀπροσδιόνυσον eſſe, quod ex Plauto citat Fabricius, quum ordo ſit, *gubernatorem evoca a navi.* Tum quod eſt in quibuſdam Mſſ. & impreſſis Codicibus, A VILLA REDEUNTEM MERCENARIUM, quod Fabrini reddidit, *qui ritornava di villa*, licet vel maxime ſit gloſſema, firmat tamen Donati conjecturam. Eadem porro conſtructione dixit Plautus Merc. IV. 1. 1.

Quoniam a viro *ad me rus advenit* nuncius.

Nec valde diſſimilis locutio Thucydidis, Lib. III. Οἱ ἀπὸ τῶν τριάκοντα νεῶν Ἀθηναῖοι. *A triginta navibus Athenienſes.* Niſi quis ſtatuat MERCENARIUM A VILLA dictum ea forma, qua dicitur, *Libertus a manu.* i. e. amanuenſis; & ſimilia.

3. IS FILIUM NEGAT ESSE RURI.] Ubi nimirum Syrus eſſe Cteſiphonem dixerat Demeae, ſupra III. 3. 47. Chariſius Lib. I. RURE legit.

4. QUID AIS?] Bona pars Mſſ. & impreſſorum Codicum, atque in illis anni 1469. QUID AGIS? Quidam rectius, QUID EST?

5. NEQUEO SATIS DECERNERE.] Ita optimi Libri. In aliis eſt, DISCERNERE. Eodem ſenſu dixit Suetonius Calig. 25. *Matrimonia contraxerit turpius, an dimiſerit, an tenuerit, non eſt facile* decernere. Vide Gronov. Obſerv. III. 13.

6. ME CREDO HUIC ESSE NATUM REI, FERUNDIS MISERIIS.] Sic Heaut. III. 1. 11.

7. PRIMUS SENTIO.] Ita Papin. Stat. Thebaid. VIII. 642.

Prima videt, *caramque tremens Jocaſta vocabat Iſmenen.*

8. OBNUNCIO.] Rem explicat Donatus, ſed errat in etymo. neque enim OBNUNCIO quaſi

Sy. Rideo hunc: primum ait ſe ſcire: is ſolus neſcit omnia.
De. Nunc redeo: ſi forte frater redierit, viſo. *Ct.* Syre,
Obſecro, vide, ne ille huc prorſus ſe irruat. *Sy.* Etiam taces?
Ego cavebo. *Ct.* Numquam hercle hodie ego iſtuc committam tibi:
Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutiſſimum 'ſt.

Sy.

DONATI.

aliquid mali ominis ſcaevumque viderint. Ergo, OBNUNCIO malum imminens, quaſi *omen nuntio.* Inde enim *ἐτυμολογία* hujuſce verbi eſt. AEGRE SOLUS, SI QUID FIT, FERO.] Prave ſcilicet.

9. IS SOLUS NESCIT OMNIA.] Et bene SOLUS, utpote de multis: quia quum ſciat Micio, Syrus, Aeſchinus, Cteſipho, populus, hic ſolus fallitur.

10. SI FORTE FRATER REDIERIT, VISO.] Pro, *Si rediit.*

11. VIDE, NE ILLE HUC.] Jam metuitur quod futurum eſt. Et quum neutrum ſit, IRRUAT, nove intulit, SE. Praeterea ſic dixit, IRRUAT, tanquam de eo qui pugnaturus ſit. Ut in Eunucho, *Quam mox irruimus*? Aut tanquam de ſue. Ut [2] *Horatius*, *Hac lutulenta ruit ſus.* Et [3] *Virgilius*,

Ipſe ruit, denteſque Sabellicus exacuit ſus.

HUC PRORSUS SE IRRUAT.] Neutrum verbum, quaſi activum, SE IRRUAT, poſuit. ETIAM TACES?] Antique pro *Tace.* Sic in Andria, *Etiam tu hoc reſpondes*? pro *reſpondo* Eſt ergo correptionis ſignificatio.

12. HODIE EGO ISTUC COMMITTAM TIBI.] [4] Quod ago jam, id eſt, complexum mulieris.

13. NAM ME JAM IN CELLAM ALIQUAM CUM ILLA CONCLUDAM.] Id egit ſtulte adoleſcens, ut ibi deprehendatur, ubi concluſus eſt. Sed ſic ipſe egit, ut poſſit ſubterfugere, non deprehenſus, conſpectum patris. IN CELLAM ALIQUAM CUM ILLA.] *Αἰτίωτις* figura; dicimus *In locum*, pro *in loco.* IN CELLAM CONCLUDAM? non *in cella* ait. Et mire; ut recluſum tutumque locum ſubiret, CELLAM ſcilicet, quam ob ea quae in ipſa *celantur*, clauſam eſſe conveniat. Nam & *Cella*, & *Cellarium*, a reponendis celandiſque rebus eſculentis & poculentis dicitur.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Horatius.*] Epiſt. II. 2. 75.
3. *Virgil.*] Georg. III. 255.
4. *Quod ago jam, id eſt, complexum mulieris.*] Immo, Nunquam committam tibi negotium patris amovendi; neque tuae pollicitationi credo, niſi quum ipſe cum ea in cellulam aliquam concluſus fuero.

COMMENTARIUS.

omen nuncio, ſed eadem ratione dicitur, qua *obloquor*, *obrogo*, *obtrudo*, & ſimilia, in quibus verbis *τὸ Ob* ingratum ſenſum efficit. Scilicet magiſtratus magiſtratui dicebatur *obnunciare*, denuncians rem, de qua is acturus erat cum populo, differendam eſſe in aliud tempus, praetextu religionis vel auſpiciorum, quibus collega ille ſimulabat ſe operam dare reipublicae cauſa. Quum igitur de coelo ſervaturus dixiſſet collegae, *alio die*, nulla erant comitia, ſed maxima quies in urbe, ne aves, unde auſpicia erant captanda, abigerentur. Cicero Philipp. II. 33. *Augur auguri, conſul conſuli* obnunciaſti. Et pro Sext. 15. *Lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis* obnunciaret, *ne quis legi intercederet.* Et cap. 36. *Si* obnunciaſſet *Fabricio is praetor, qui ſe ſervaſſe de coelo dixerat: accepiſſet reſp. plagam, ſed eam, quam acceptam gemere poſſet.* Adde Cic. Att. IV. 3. ad Q. Fr. III. 3. Suet. Caeſ. 20. Hinc igitur *obnunciare* generatim notat

Sy. Age, tamen ego hunc amovebo. *De.* Sed eccum ſceleratum Syrum.

Sy. Non, hercle, hic quidem durare quiſquam, ſi ſic fit, poteſt. Scire equidem volo, quot mihi ſint domini. quae haec eſt miſeria?

De. Quid ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? eſt frater domi?

Sy.

DONATI.

14. AGE, TAMEN EGO HUNC AMOVEBO.] Mire AMOVABO dixit: non *Deterrebo.* nam proprie amovetur ſaxum de loco. In quo verbo ſignificat, imminere ſibi magnum laborem in hoc opere. Et vide αὔξησιν. Supra, *s Ut pecudem, abigam hunc rus*, dixit: modo: *Ut ſaxum, amovebo*, inquit.

15. NON, HERCLE, HIC QUIDEM DURARE QUISQUAM, SI SIC FIT, POTEST.] Nimis moraliter expreſſa verba ſunt Syri, verberatum ſe indicantis. quis non ex verbis, ſervum verberatum intelligat? & ſervum recens verberatum? & ſervum fugam comminantem? Mire autem non *ego*, ſed QUISQUAM dixit. nec *Permanere*, ſed DURARE; nam hoc verbum perferendis malis convenit. ut *s Virgilius*,

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

Haec autem omnia ſic dixit, quaſi non videat Demeam.

16. QUOT MIHI SINT DOMINI.] Et hic apparet non a legitimo domino verberatum eſſe. QUAE HAEC EST MISERIA?] Deeſt, *quam patior*, & quaſi comploratio quaedam eſt flebilis poſt querelas.

17. QUID ILLE GANNIT?] *Gannitus* eſt proprie veluti ploratus vapulantium.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Ut pecudem abigam hunc rus.*] Diſtingue: *Ut pecudem,* ABIGAM HUNC RUS. Et mox: *Ut ſaxum,* AMOVEBO.

6. *Virgilius.*] Aen. I. 207.

COMMENTARIUS.

tat rem malam aut adverſam nunciare; uti h. l. Duo Mſſ. Pall. legunt, PRIMUS PORTO, ENUNCIO.

9. SE SCIRE: IS SOLUS NESCIT OMNIA.] Diſtinguit Guyetus, SE SCIRE, IS SOLUS NESCIT, OMNIA. Scilicet quia dixerat Demea, PRIMUS RESCISCO OMNIA. Idque miratur Guyetus non obſervaſſe Donatum. Mirum autem non obſervaſſe Guyetum, omnem emphaſin eſſe in τῷ SCIRE, & NESCIRE; atque adeo τὸ OMNIA ad prius verbum eſſe ſubaudiendum.

11. HUC PRORSUS SE IRRUAT.] Ita Eun. III. 5. 51. & ſupra III. 2. 21. Apulej. Flor. *Quaerit, quorſus potiſſimum in praedam ſuperne* ſeſe ruat. Intelligit autem aedes Micionis, ubi latens in angulo quodam haec dicit Cteſipho; non in ipſa Scena.

13. ME JAM IN CELLAM ALIQUAM CUM ILLA CONCLUDAM.] Sic And. II. 3. 12. Phorm. V. 1. 17. Plaut. Caſ. I. 44.

CH. *Quid facies?* OL. Concludere in feneſtram *firmiter:*
Unde auſcultare poſſis, quom ego illanc oſculer.

14. HUNC AMOVEBO.] Sic ſupra III. 3. 47.

15. NON, HERCLE, HIC DURARE QUISQUAM.] Ita Hec. II. 2. 27. Adi Parei Lexicon Plautinum, v. *Durare.*

17. GANNIT?] Alii, GARRIT. *Gannire* proprie vulpium eſt. Gr. Κνύζειν, de catulis gementibus dicitur. Heſych. Κνύζεσθαι, μοχθεῖν, κλαίειν. Juvenalis Sat. VI. 64. ſenſu obſcoeno:

gannit,
Sicut in amplexu.

18. QUID, MALUM! BONE VIR, MIHI NARRAS?] Μιμητικῶς illud BONE VIR repetit. q. d. Quid, malum! mihi illud, BONE VIR, occinis, meque

Sy. Quid, malum! bone vir, mihi narras? equidem perii! *De*. Quid tibi eſt?

Sy. Rogitas? Cteſipho me pugnis miſerum, & iſtam pſaltriam, Uſque occidit. *De*. Hem! quid narras? *Sy*. Hem! vide, ut diſcidit labrum.

De.

D O N A T I.

18. Quid, malum!] Et hic Malum! pro interjectione abundat.

19. Cteſipho me pugnis miſerum, et iſtam pſaltriam, uſque occidit.] Mire interjecit Miſerum: & neceſſario Uſque addidit: ut oſtenderet, Occidit nimiae caedis verbum, non occiſionis intelligi oportere. Uſque occidit.] Prope Occidit: aut, Uſque, pro *valde* eſt. Occidit: pro *Vehementer cecidit*. Nam *Occidere*, & *Peroccidere*, ad caedem referebantur apud veteres. Uſque occidit.] Ἰδιωτικῶς. non enim occiſus loquitur.

20. Hem! vide, ut diſcidit labrum.] Non oſtendit, ſed videtur oſtendere ſeni parum jam videnti, & intra os. Hem! vide, ut diſcidit labrum.] Aſper mediam longam a *caedendo* accipit: ego mediam brevem a *ſcindendo*.

C O M M E N T A R I U S.

que irrides, quaſi parum ſim miſer, & parum afflictus, recentem injuriam & verbera Cteſiphonis filii tui paſſus. Nannius non cepit.

20. Vide, ut diſcidit labrum.] Haec dicens ſervus os ſibi diſtorquet, & Demeam parum proſpicere credit, neque adeo animadvertere fallaciam. Martial. III. 94.

Eſſe negas coctum leporem, poſciſque flagella:
Mavis, Ruſe, coquum ſcindere, *quam leporem.*

Adde Turneb. Adverſ. XXVIII. 31. In quibuſdam Libris eſt, Diſcidit mihi labrum.

21. Hinc modo.] Mſ. Lipſ. non agnoſcit τὸ Modo.

22. Produxe ajebas?] Vide ſupra III. 5. 48. Eſt vero συγκοπὴ Poëtis familiaris. Heaut. Prol. 32. *deceſſe*. Ita Catullus *Promiſſe*, Virgilius *Expleſſe*, Horatius *Surrexe*. Conſule Cerdam ad Virg. Aen. VIII. 274. Mſſ. quidam & impreſſi veteres, Prodiiſſe. Sed Produxe tuetur etiam Donatus.

23. Non puduiſſe.] Codices quidam, Non puduit. Alii barbare, Non puduit ſe.

24. Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis.] Ita indignatur, uti Lydus paedagogus apud Plautum, Bacch. I. 2. 44.

Magiſtrem' quenquam diſcipulum minitarier?

Euripides Cyclope, 142.

Ὃν ἐξέθρεψα παῖδ' ἐγώ ποτ' ἀγκάλαις;

Quem alui puerum ego quondam in meis brachiis?

Verba Sileni de Marone Bacchi filio. Dicti tales ἀλλοτρόφοι. Plauto, Mil. III. 1. 102. *geraria* eſt, ancilla geſtans pueros. Sed J. Fr. Gronovius Γεραῖρα legit, i. e. famula Bacchi. Livius Andronicus, Virgine:

Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.

Martial. XI. 39. 1.

Cunarum fueras motor, Charideme, mearum;
Et pueri cuſtos, aſſiduuſque comes.

Dixit autem tantillum, uti Plautus Poen. V. 3. 48.

Quantae e quantillis *jam ſunt factae!*

Multum autem valet ad amorem erga aliquem gignendum, infantem manibus cepiſſe, & in ſinu geſtaſſe. Ita Homerus Penelopen de Euryclea nutrice ipſius fecit hoc Ulyſſi dicentem, quem adhuc virum ſuum eſſe neſciebat, Odyſſ. XIX. 314.

Ἣ κεῖνον δύστηνον ἐῢ τρέφεν, ἠδ' ἀτίταλλεν,
Δεξαμένη χείρεσσ', ὅτε μιν πρῶτον τέκε μήτηρ.
Quae illum infelicem bene nutrivit, & educavit,
Suſceptum manibus, quando ipſum primum peperit mater.

25. Abi, virum te judico.] Guyetus in gloſſis Mſſ. male: *Dimitto te. abſolvo te culpa, Cteſipho, ob hoc factum.* Ubi enim laudabant quem, abi, dice-

De. Quamobrem ? *Sy*. Me impulſore hanc emtam eſſe ait.
De. Non tu eum rus hinc modo
Produxe ajebas ? *Sy*. Factum : verum venit poſt inſaniens:
Nihil pepercit. non puduiſſe verberare hominem ſenem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis ?
De. Laudo, Cteſipho : patriſſas : abi, virum te judico.

DONATI.

21. Non tu eum rus hinc modo produxe ajebas ?] Mire *Terentius* eos ipſos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit: ut eo delectabilius ſpectatoribus procedant doli. [7] nam quae gratia eſt aut delectatio, non ſtultiſſimum falli ? Non tu eum rus hinc modo produxe ajebas ?] Memoriter ſenex non ſolum quid ſibi dixerit Syrus paulo ante, ſed quibus verbis dixerit, refert. nam ſic dixerat, Quem egomet produxi.

22. Verum venit post insaniens.] Supra, *Produxi iratum admodum*. nunc αὐξητικῶς non iratum praedicat, ſed *inſanum*.

23. Nihil pepercit.] Ut ſupra, *Nihil reticuit*. ſic dicimus in his, quae praeter expectationem geſta ſunt. Verberare hominem senem.] Miſerum ſit de aetate, id quod de conditione non poterat.

24. Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis ?] Addidit aetati invidiam & meritum recens. hoc eſt enim quod dicit Modo. Et Tantillum, δεικτικὸν eſt. videtur enim manu fingere, quam parvulum.

25. Laudo, Ctesipho.] Hic totus verſus mire deluſum oſtendit ſenem. Laudo, Ctesipho : patrissas.] Facile inductus eſt ſenex varietate fraudis & doli. nam Syrus & ſupra ut laudans, non ut vituperans Cteſiphonem : & nunc ut accuſans, idem perficit atque perſuadet. Patrissas.] Αὔξησις. nam ut ſupra dixerat, *Spero: eſt ſimilis majorum ſuûm* : hic confirmat quod ſperare ſe dixerat. Patrissas.] Attende quam bene inventum ſit, inanem ſe dicere. nonne videtur ibi ſtultiſſimus, cum hujuſmodi laude non modo ſe non laudare velle, quod odioſum eſt : ſed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur ? ſiquidem non ſolum hic ſtultus, ſed etiam ille, quia Patrissas inquit. Patrissas.] Tam ſecurus eſt, ut ſe laudet. Et Abi addidit : quaſi dicat, Non eſt quod jam demorer ; perfectus es. [8] Abi, virum te judico.] Inquit, non adoleſcentulum. hoc enim ad aetatem & probitatem, non ad ſexum, refertur.

OBSERV. IN DONAT.

7. *Nam quae gratia eſt aut delectatio, non ſtultiſſimum falli ?*] Non cohaerent haec, ſi ita legantur, cum proxime ſuperioribus. Reſtituo ope Mſ. Boecl. & Codd. veterum impreſſorum: *Nam quae gratia eſt aut delectatio, hominem ſtultiſſimum, falli?* Vel ſine interrogatione : *Namque gratia non eſt aut delectatio, hominem ſtultiſſimum falli.*

8. Abi, virum te judico] *inquit, non adoleſcentulum.* Lego : *Et* virum te judico, *inquit, non* adoleſcentulum.

COMMENTARIUS.

dicebant. Perperam igitur Pareus haec Syro dicta autumat. Si vero irriderent, I, ingeminabant. Vide Boecleri Chreſtomath. v. *Abi*. Plaut. Moſtell. III. 1. 108. eodem ſenſu:

euge, Philolaches
Patriſſat.

Ubi Guyetus legit : *euge, Philolaches, Patriſſat!* Gr. πατρίζει. Vide & Eun. I. 2. 74. Plaut. Bacchid. III. 3. 33.

Ph. *Alii, Lyde, nunc ſunt mores.* Ly. *Id equidem ego certo ſcio.*
Nam olim populi prius honorem capiebas ſuffragio,
Quam magiſtro deſinebas eſſe dicto obediens.
At nunc priuſquam ſeptuennis eſt, ſi attingas eum manu,
Extemplo puer paedagogo tabula dirumpit caput.

Sy. Laudas ? nae, ille continebit poſthac, ſi ſapiet, manus.
De. Fortiter. *Sy.* Perquam! quia miſeram mulierem, & me ſervolum,
Qui referire non audebam, vicit: hui! perfortiter.
De. Non potuit melius. idem, quod ego, ſentit, te eſſe huic rei caput.
Sed eſtne frater intus? *Sy.* Non eſt. *De.* Ubi illum quaeram, cogito.

Sy.

DONATI.

26. NAE, ILLE CONTINEBIT POSTHAC, SI SAPIET, MANUS.] Comminatio eſt ſubtilis: & parcior, velut ſervi.

27. PERQUAM!] Nimis. *εἰρωνεία*, ET ME SERVOLUM.] Oratorie. non *Servum*, ſed SERVOLUM, quum ſit ſenex.

28. NON AUDEBAM.] Non poteram. HUI! PERFORTITER.] Hoc, geſtu ſervili, & nimis leviori perſonae congrue dictum eſt.

29. NON POTUIT MELIUS.] Id eſt, laudo te, Cteſipho: & deeſt *Fieri*. IDEM SENTIT, QUOD EGO.] Id eſt: *patriſſas, virum te judico.*

30. SED ESTNE FRATER INTUS?] Deeſt *Reſponde:* ut ſit, reſponde.

COMMENTARIUS.

Cum patrem adeas poſtulatum, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuria.
Provocatur paedagogus: eho ſenex minimi pretii,
Ne attingas puerum iſtac cauſa, quando fecit ſtrenue.
It magiſter quaſi lucerna uncto expretus linteo.

Qui ultimus verſus varie tentatur ab eruditis. Malim legere *expertus*. Ut ſenſus ſit: Paedagogus expertus apud patrem, an filium criminando viciſſim laedere poſſet, cauſa cadens diſcedit. Non aliter fere Graeci ſuum ἴθι uſurpant; utroque ſenſu. Sed & Ἀνὴρ in laude ponitur. Ariſtoph. Nub. 821.

Καί σοι φράσω πρᾶγμ', ὃ σὺ μαθὼν, ἀνὴρ ἔσει.
Nam ea tibi dicam, quae ſi diſcas, vir eris.

Quod Germani & Belgae imitantur. Illi, *Ihr werdet ein mann werden.* Hi, *Gy zult een man worden.*

26. LAUDAS? NAE, ILLE CONTINEBIT.] Mſſ. quidam: LAUDASNE? ILLE CONTINEBIT. Ita & editorum quidam, in quibus Anon. anni 1469. & Junt.

CONTINEBIT POSTHAC, SI SAPIET, MANUS.] An a tangenda amica? an ſimpliciter, ſub pallio? Utrumque videtur innui. Pudoris enim & modeſtiae ſignum habebatur, manus ſub pallio continere. Artemidorus Lib. 1. cap. 56. *Χρὴ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημένην ἔχειν, διὰ τὸ ἀργὸν μὴ εἶναι καὶ πρὸς ἔργα, καὶ πρὸς λόγους τὴν χεῖρα.* Theocr. Idyll. XVI. 16.

Πᾶς δ' ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχει, πόθεν οἴσεται ἀθρεῖ
Ἄργυρον.
Quiſque autem in ſinu manum tenens, circumſpicit, unde ipſe auferat
Argentum.

Petron. cap. 96. Manuſ*que* continent *a rixa.* Aelianus Var. Hiſt. V. 19.

27. QUIA.] Mſ. Mark. NIMIS QUIA.

MISERAM MULIEREM, ET ME SERVOLUM, QUI REFERIRE NON AUDEBAM, VICIT.] Ita Ovid. Metam. III. 654,

quae gloria veſtra eſt;
Si puerum juvenes, ſi multi fallitis unum?

Capital autem erat, ſi quis ſervus herum pulſaſſet.

28. HUI! PERFORTITER.] Haec Guyetus Demeae tribuit.

29. SENTIT.] Ita Codex Bembinus, cum plurimis Mſſ. aliis. Pauci, SENSIT. quomodo tamen etiam Juntina editio.

TE ESSE HUIC REI CAPUT.] H. e. Auctorem. Sic And. II. 6. 27. Vide Parei Lexic. Plaut.

30. QUAERAM.] Cod. Bemb. INVENIAM, laudante

Sy. Scio, ubi ſit : verum hodie numquam monſtrabo. *De*. Hem!
quid ais? *Sy*. Ita. [ſcio
De. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. *Sy*. At nomen ne-
Illius hominis; ſed locum novi, ubi ſit. *De*. Dic ergo locum.
Sy. Noſtin' porticum, apud macellum, hanc deorſum? *De*. Quid-
ni noverim?
Sy. Praeterito hac recta platea ſurſum. ubi eo veneris,
Clivos

DONATI.

31. Verum hodie numquam monstrabo.] Volens ſenem avidius quaerere, quod hic ardor ſemper paratiſſimus credentes etiam fallit, ei fingit ſe nolle dicere. Hodie autem aut abundat; ut,

[9] *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

Aut, Numquam hodie, pro, nullo tempore hujus diei. quia Numquam, per ſe generale eſt.

32. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.] Comminationis genus verba ipſa indicant: ut appareat ſenem baculum ſuſtuliſſe. At nomen nescio illius hominis; sed locum novi, ubi sit.] Recte: quia ſi *Hominem* diceret, non erat errandum agnita perſona hominis: & ubi habitet cognito. ſi notus eſſet, nulla cauſa quaerendi ſupereſſet.

33. Dic ergo locum.] Dic ergo, quaſi invitum coëgerit. Ergo ſemper addimus, ut hortemur tarde quid facientes. ut, [10] *Virgilius*

Ergo age, chare pater, cervici imponere noſtrae.

34. Nostin' porticum, apud macellum?] Convenit ruſtico & parciſſimo ſeni macellum in urbe neſcire. Et ideo ſic interrogatur a ſervo. Hanc deorsum?] Bene Hanc deorsum: quia non eſt una. Quidni norim?] Correptive, Quidni? pro *Quid niſi?* Etenim quamvis ruſticus, tamen eſt civis Demea.

35. Hac recta.] Proprie, hac parte: ut manu viam oſtendere videatur. Ubi eo veneris, clivos deorsum vorsus est: hac te praecipitato.] [11] Hoc lentius. quidam clarius legunt: ut ſit, Praecipitato, cito deſcende.

OBSERV. IN DONAT.

9. *Numquam.*] Virg. Aen. II. 670.
10. *Virgilius.*] Aen. II. 707.
11. *Hoc lentius.*] Ante Rob. Steph. & Lindenbr. *Hoc lentius aliqui legunt, aliqui clarius.* quae vera videtur lectio.

COMMENTARIUS.

dante Guyeto. Sic And. II. 2. 1.

31. Numquam monstrabo.] Diphilus in Paraſito:

Ἀγνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς
Ὅτι ἐςὶν, εἴ τις μὴ φράσαι ὀρθῶς ὁδὸν,
Μὴ πῦρ ἐναύσῃ, ἢ διαφθείρει ὕδωρ.

Neſcis in diris hoc eſſe, ſi quis non recte monſtrarit viam, ignem non paſſus fuerit incendi, aut aquam corruperit. Ennius:

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi de ſuo lumine lumen accendat, facit:
Nihilominus ipſi lucet, cum illi accenderit.

Citat Cicero, Off. I. 16. Idem Off. III. 13. *Quid enim eſt aliud, erranti viam non monſtrare, quod Athenis execrationibus publicis ſanctum eſt, ſi hoc non eſt?*

Sy. Ita.] Auctoritate Codicis Bembini, & Faërni motus vocem hanc huic verſui addidi, ne hi duo verſus eſſent minus trochaici catalectici, quam ceteri.

32. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.] Sic infra V. 2. 7. Supra III. 2. 19. Eun. IV. 7. 33. Priſcianus Lib. 1. Inſtit. Grammat. Dimminuetur, quaſi Disminuetur. quod laudat Giſanius, Ind. Lucret. v *Diminuo*.

34. Porticum.] De harum uſu in evitandis imbribus, umbra captanda, & deambulationibus vide Jodocum Willichium.

Deorsum.] Reſpicit ſitum Athenarum.

Clivos deorſum vorſus eſt: hac te praecipitato. poſtea
Eſt ad hanc manum ſacellum, ibi angiportum propter eſt.
De. Quonam? *Sy.* Illic ubi etiam caprificus magna eſt. noſtin'?
De. Novi. *Sy.* Hac pergito.
De. Id quidem angiportum non eſt pervium. *Sy.* Verum hercle. vah! Cen-

DONATI.

37. AD HANC MANUM.] Τὸν πρὸς τὸ προτῦχον dicitur, in quo non permanet certum dextrum, nec certum ſiniſtrum: & ideo proficit in errorem. vult enim ſervus haec ſigna eſſe perplexa. EST SACELLUM.] Ut *Varro* ait, [12] *Sacra cella eſt.* PROPTER.] Prope. ut [13] *Virgilius,*

templum de marmore ponam

Propter aquam.

Et [14] *Lucretius,*

Propter aquae rivum, ſub ramis arboris altae.

38. UBI ETIAM CAPRIFICUS MAGNA EST.] In hoc [15] *Homerum* imitatus eſt, qui dicit *caprificum* prope Trojana moenia conſtitutam. HAC PERGITO.] Non *Ito*: ſed quia longum eſt, PERGITO.

39. ID QUIDEM ANGIPORTUM.] Id eſt, anguſta & curva via: quaſi *anguiportus*: ut *angitia*, aut *anguſtia*. Alii, quod inter portus ſit locus anguſtus, hoc eſt, inter domos. Nam *domos*, vel *portus*, vel *inſulas* veteres dixerunt. Et obſerva *Terentianam* conſuetudinem, in qua inducit [16] nonnihil ſapere eos qui falluntur.

OBSERV. IN DONAT.

12. *Sacra cella.*] Potius ὑποκοριστικὸν τῦ *Sacrum.* Ita caſtrum format caſtellum, labrum, labellum, & ſimilia. tecto *ſacella ſunt loca Diis ſacrata ſine tecto.*
13. *Virgilius.*] Georg. III. 13.
14. *Lucretius.*] V. 1192.
15. *Homerum.*] Iliad. Z. 432.

Λαὸν δὲ στῆσον παρ' ἐρινεόν, ἔνθα μάλιστα
Ἀμβατός ἐστι πόλις, καὶ ἐπίδρομον ἔπλετο τεῖχος.
Exercitum autem ſiſte apud caprificum, ubi potiſſimum Adſcenſu facilis eſt urbs, & ſcandi poteſt murus.

16. *Nonnihil ſapere.*] Vide ſupra ad verſ. 21. Alii, *Nihil.*

COMMENTARIUS.

Vide ad And. II. 2. 19. In quibuſdam Libris & edit. anni 1469. eſt, HAC DEORSUM.

NOVERIM.] Codices quidam cum Donato, NORIM.

36. TE PRAECIPITATO.] In quibuſdam Codicibus deeſt TE. Alii, HAC TE PRAECIPITA. q. d. *Da te praecipitem in hunc clivum.*

37. AD HANC MANUM.] An ſervili ruditate ita dixit, pro manu dextra vel ſiniſtra?

PROPTER EST.] Libri quidam Mſſ. & impreſſi, poſt edit. anni 1469. PROPE EST.

38. QUONAM?] Mſ. Lipſ. edit. Anon. & anni 1469. QUODNAM? Guyetus reponit, UBINAM?

CAPRIFICUS.] Ficus eſt ſilveſtris, nunquam matureſcens, & ſaxis ruptis fere innata. Plin. Hiſt. Nat. XV. 19. Luſit in voce Martialis, IV. 52

Geſtari junctis niſi deſinis, Hedyle, capris,
Qui modo ficus *eras*, *jam* caprificus *eris.*

Liv. III. 25. *Quercus ingens arbor praetorio imminebat, cujus umbra opaca ſedes erat.*

NOSTIN'?] Mſſ. quidam, NOSTI? Deeſt a Cod. Bemb. aliiſque nonnullis quando verſus eſt trochaicus catalecticus.

39. ID QUIDEM ANGIPORTUM.] Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. ID AUTEM ANGIPORTUM. Quod videtur vel ἁμάρτημα μνημονικὸν ſcribentis, vel error Librariorum; quia Lib. VII. eſt, ID QUIDEM ANGIPORTUM. Gr. στενωπός. Vide Vitruv. I. 6. Varroni *Fundula* eſt angiportum non pervium.

40. CENSEN' HOMINEM ME ESSE?] Q. d. Stupidus ſum, neque adeo dignus nomine Hominis, inſaniens fere ex injuria. Sic ſupra I. 2. 27. Infra V. 8. 11. Plaut. Mil. IV. 2. 52.

Ecquis dignior fuit, homo *qui eſſet?*

Neque adeo opus cum Guyeto legere: SENTIO, HOMINEM ME ESSE. Neque exiſtimandum cum Barthio,

Digitized by Google

Cenſen' hominem me eſſe? erravi. in porticum rurſum redi:
Sane hac multo propius ibis, & minor eſt erratio.
Scin' Cratini, hujus ditis, aedes? *De.* Scio. *Sy.* Ubi eas praeterieris,
Ad ſiniſtram hac recta platea: ubi ad Dianae veneris,
Ito ad dextram: priuſquam ad portam venias, apud ipſum lacum
Eſt

DONATI.

40. Censen' hominem me esse? erravi.] Calliditas eſt maxima, deprehenſum mendacium non defendere, ſed fateri: ut opinionem ſimplicitatis acquirat. Vides igitur ut ipſe ſibi ſuccenſeat, tanquam imprudens erraverit, non doloſus impulerit interrogantem. Et mire ſe negat hominem: tanquam homo corde ſit, non corpore.

41. Sane hac multo propius ibis.] Quaſi erraſſe profuerit illa vita. Et Sané, pro *ſatis* ac *valde*: quia qui ſanus eſt, idem & validus. Minor est erratio.] Erratio eſt pecudum: *Error* animi eſt, & loci in quo erratur.

42. Cratini, hujus ditis, aedes?] Congrue nomen invenit diviti. *Cratinus*, ἀπὸ τῶ κράτους. id eſt, a potentia.

43. Ad sinistram hac.] Deeſt *Ito*: figura ἔλλειψις. Ubi ad Dianae veneris.] Sic abſolute dicebant, non addito *Templo*. [17] Salluſtius: *Ad Jovis mandem noſtra.*

44. Priusquam ad portam venias.] Portam dicendo, oſtendit uſque ad muros finemque civitatis erraturum Demeam. *Porta* autem, ab aratro portando dicta eſt, quod in eo loco coloniae deductor & conditor, ſubjunctis vacca & tauro, aratrum, quo urbem deſignat, ſuſpendit manu: ne imprimat ſulcos, ubi civitatis aditus relinquendi ſunt. Apud ipsum lacum.] Credibiliter addidit Lacum. Nam [18] Varro docet, ſemper lacum portis additum: ſcilicet ob uſum jumentorum exeuntium & introeuntium: & praeterea ut adverſum hoſtilem ignem portis de proximo ſubveniretur.

OBSERV. IN DONAT.

17. *Salluſtius: Ad Jovis mandem noſtra.*] Locum corruptum vocat Lindenbructius. Ita tamen exhibetur in Fragmentis Salluſtianis; ubi Nob. Douſa, quanquam & in Donato, & in exemplaribus ſuis ita legi affirmat, inſcitam tamen & perplexabilem ſententiam vocat, jubens legi: *Id Jovis mandem noſtro.* Quae ſi valet correctio, vel malo Codice uſus eſt Donatus, vel ipſe ἀπροσδιονύσως ſcripſit.

18. *Varro.*] Non quidem in Libris de L. L. Sed de R. R. I. 13. ita: *Chortes in fundo magno, duae aptiores. una, ut interius compluvium habeat lacum, ubi aqua ſaliat, quo intra ſtylobatas cum venit, fit ſe piſcina. Boves enim ex arvo aeſtate reducti hic bibunt, hic perfunduntur: nec minus e pabulo dum redierunt anſeres, ſues, porci. In chorte exteriore lacum eſſe oportet, ubi maceretur lupinum: item alia, quae demiſſa in aquam, ad uſum aptiora fiunt.*

COMMENTARIUS.

Barthio, Adverſ. XXXII. 3. ita dictum a ſervo, ut qui excuſaturus errorem ſuum, dicat ſe hominem eſſe. Optime ad mentem Donati Daciera: *Le gros animal, que je ſuis!*

42. Scin' Cratini, hujus ditis, aedes?] Ita diſtinguo. Si enim hujus ad Cratini referretur, quod fit vulgo, neceſſe eſſet, digito monſtrari poſſe, qui nunc procul habitabat. Senſus igitur eſt: Scin' aedes Cratini illius divitis?

43. Ubi ad Dianae veneris.] Ellipſis Graeca. τῶ Ναῶ, poſt εἰς & πρὸς. Exempla vide apud Lamb. Bos, V. Cl. unde τὸ Templum in quibuſdam Codd. gloſſema eſt. quanquam vel *aedis* vel *templi* vox nonnunquam addita. Suet. Caeſ. 78. *Univerſos Patres Conſcriptos ſedens pro* aede Veneris *Genitricis excepit.* Homer. Odyſſ. Ω. 203.

Ἑσταότ' ἐν ἀΐδαο δόμοισ.
Stantes in inferni domibus.

Eſt piſtrilla, & exadvorſum fabrica. ibi eſt. *De.* Quid ibi facit?

Sy. Lectulos in ſole ilignis pedibus faciundos dedit.

De. Ubi potetis vos? *Sy.* Bene ſane. *De.* Sed ceſſo ad eum pergere.

Sy.

DONATI.

45. Est pistrilla.] Veteres abſolute dicebant *piſtrinam*, ut *ſutrinam*, & *medicinam*, ad tabernam referentes: [19] nam *piſtrino* PISTRILLA non convenit. [20] Et ſimulata diminutiva diverſa ſunt a genere nominum primae poſitionis: ut *Rana*, *ranunculus*, *veterana*: *ſcutum*, *ſcutella*: *canis*, *canicula*.

46. Lectulos in sole ilionis pedibus faciundos dedit.] In urbe convivium, aut in ſole, aut in umbra, pro conditione temporis inſtruebatur. Repente igitur interrogatus, quod minime opinabatur quaeſiturum ſenem, arripuit ſtatim lectulos. Et quia potuit ſenex dicere, *Mentiris*: nam habet lectulos: addidit ex tempore, In sole. Et ne eos quoque habere diceret, addidit, Ilignis pedibus faciundos. Sed hoc geſtu actoris adjutum eſt: quaſi eodem tempore ſervus & quaerat quid dicat, & reſpondeat.

47. Ubi potetis vos?] Incerta perſona eſt: nam Syro vel Deineae hoc dictum jungi poteſt. Bene sane.] Hic *εἰρωνεία* eſt, non approbatio.

OBSERV. IN DONAT.

19. *Nam piſtrino* PISTRILLA *non convenit.*] Id vult, *piſtrinum* ex ſe non formare *piſtrilla*, analogice nimirum. Facit autem *piſtrinum piſtrinula*, unde *piſtrilla*.

20. *Et ſimulata diminutiva.*] Lectio mendoſa. Reſtituo ex conjectura: *Etſi multa diminutiva*. mox pro, *Rana*, *ranunculus*, *veterana*, malim, *Rana veterana*, *ranunculus*.

COMMENTARIUS.

45. Exadvorsum.] H. e. E regione. Sic Phorm. I. 2. 38. & 47. Plaut. Bacchid. IV. 7. 37.

Video exadvorſum *Piſtoclerum*.

Vid. Giſan. Ind. Lucret. v. *inante*.

46. Lectulos in sole.] Unde & *Solarium* dictus locus in ſuprema parte aedium, ubi ſolebant apricari. Plaut. Mil. II. 3. 69. Utebantur autem inter quotidiana valetudinis praeſidia etiam ſole, in quo vel ſedebant, vel jacebant, vel denique nudi ambulabant. Utebantur autem vel ſole aſſo, vel uncto; illo, cum illoti & ſine unctione utebantur; hoc, cum poſt balneum ungerentur. Vide omnino Manutium ad Cic. Att. XII. 6. Celſ. de Re Med. I. 1.

Ilignis pedibus.] Multi Mſſ. & impreſſi, cum edit. anni 1469. Iligneis. Ita & Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. II. Mſ. Lipſ. Iligneis pedibus in sole. Virg. Georg. III. 330.

ilignis *potare canalibus undam*.

Ut autem lectulorum pedes ex ilice, ita menſae ex acerno ligno fiebant, vel citreo, vel denique ex ebore aut argento. Plin. XXXIII. 11. Videntur autem ex *ilice* facti pedes ob firmitatem & duritiem. Vide Turnebum Adverſ. I. 18. & XX. 33. Lucilius apud Nonium, ex emendatione Guyeti:

Verum flumine uti atque ipſe divortio aquarum
Ilignis pedibus *ceteurus curreret aquis*.

Ubi *pedes iligni* ſunt remi. Maxima autem in ilice durities. Unde Ariſtophanes, Veſp. 872. *στρυφνὸν καὶ πρίνινον ἦθος* dixit, *duros & iliceos mores*.

47. Ubi potetis vos?] An adoleſcentes intelligit cum ſervo? an ſenem cum adoleſcentibus & ſervo? dixit autem, ubi potetis, pro, *in quibus*. Plaut. Amph. I. 1. 257.

Et ubi *Pterela rex regnavit*, oppidum *expugnavimus*.

Verba autem haec in Mſſ. nonnullis Syro tribuuntur; ſed & in quibuſdam editionibus, in quibus eſt Anonyma & Juntina. Iidem Libri ſequentia, Bene sane tribuunt Demeae.

48. Ego te exerceso.] Sic And. V. 2. 23.

Ego jam te commotum reddam.

Phorm. II. 3. 4.

Jam

Sy. I ſane. ego te exercebo hodie, ut dignus es, ſilicernium.
Aeſchinus odioſe ceſſat: prandium corrumpitur.
Cteſipho autem in amore eſt totus. ego jam proſpiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit belliſſimum,
Car-

DONATI.

48. I SANE.] Aut abundat SANE: aut inferioribus jungitur. SILICERNIUM.] Coena quae ioſertur Diis manibus, quod eam ſilentes cernant, id eſt, umbrae poſſideant: vel quod qui haec inſerant, cernant tantum, neque deguſtent. Nam de his quae libantur inferis, quiſquis comederit, aut biberit, funeſtatur. Aut erit SILICERNIUM ſenex, qui jam jamque ſilentibus umbriſque cernendus ſit: & ſic eſt melius, quam ut quidam *Xenophonta* interpretantes putant, ſic nos SILICERNIUM intelligere, hoc eſt, *ſilicem cernentem* ſenem, dum incurvus eſt, vel ſtratae ſaxo viae intentus, vel ſarcophagi jamjam appropinquantis ſibi.

49. AESCHINUS ODIOSE CESSAT: PRANDIUM CORRUMPITUR.] A'ϲύνδετον. deeſt *&*. PRANDIUM CORRUMPITUR.] Ut coquus dixit: qui ſciat [21] conditionem quandam magis ferventem placere.

50. CTESIPHO AUTEM IN AMORE EST TOTUS.] Non potuit plus dici de incondita ac nimia voluptate. EGO JAM PROSPICIAM MIHI.] JAM, interdum ſignificat feſtinationem, ut nunc. Interdum ad deſcribendum ponitur, & increpandam moram. Ut:

[22] *Jam melior, jam, diva, precor.*

Et:

[23] *Vos quoque Pergameae jam fas eſt parcere genti,*
Dique Deaeque omnes.

Et PROSPICIAM MIHI dixit, tanquam hoc ſentiat, *Illi ſua agunt negotia:* [24] *& ego illorum exemplo conſulam mihi.* Et bene PROSPICIAM: quaſi non pranſurus, niſi providero mihi.

51. BELLISSIMUM.] Proprie BELLISSIMUM dixit. Unde & hujuſmodi ad irritandam gulam cibi, *Bellaria* dicuntur.

OBSERV. IN DONAT.

21. *Conditionem.*] Videtur uſus pro *condimento.* Multa autem & *coquis*, & *condimentis*, & *ferventium patinarum*, & ejus quod *placeat* mentio apud Plaut. Pſeud. III. 2. quo quin reſpexerit Donatus, dubium nullum eſt. Adde Iſ. Caſaub. Animadv. in Athen. V. 3.

22. *Jam melior.*] Virgil. Aeneid. XII. 179.

23. *Vos quoque.*] Virg. Aen. VI. 63.

24. *Et ego.*] Lego: *At ego.*

COMMENTARIUS.

Jam ego hunc agitabo.

Plaut. Epid. IV. 1. 3.

multiplex aerumna me exercitam habet.

Ciſtell. I. 1. 60.

Noli, obſecro, lacrumis tuis mihi exercitum *imperare.*

I. e. dolorem, qui animum meum habet exercitum. Trin. IV. 3. 8.

huic, quiſquis eſt,
Gurculio 'ſt exercitor: *is hunc hominem curſuram docet.*

SILICERNIUM.] Multa de hac voce congeſſerunt Ger. Joh. Voſſius in Etymolog. & Matth. Martinius in Lexico Philologico, quae non exſcribo.

49. ODIOSE CESSAT.] Sic Eun. IV. 6. 16. *Odioſa ceſſas?* Quo minus valet h. l. quorundam Librorum, OCIOSE.

PRANDIUM CORRUMPITUR.] Sic Plaut. Pſeud. III. 2. 102.

Corrumpitur jam coena.

Poſſit videri dictum PRANDIUM παρὰ τὸ πρὰν, τουτέστι πρωῒ. Δωρικῶς. Vel quaſi *Parandium*, quod milites eo ſumto *pararentur* ad pugnam; inde quaſi proverbialiter *pranſi paratique* dicti. Alias origines dat Gerh. Joh. Voſſius in Etymol. De numero ciborum in dies ſingulos apud veteres conſule Caſaub. ad Athen. I. 9. & 10.

50. IN AMORE EST TOTUS.] Sic Horat. Serm. I. 9. 1.

Ibam forte via ſacra, ſicut meus eſt mos,
Neſcio quid meditans nugarum. totus in illis.

51. ADIBO.] Ad prandium ibo. Guyetus male, ABIBO. ſub. domum.

UNUM.

Carpam: & cyathos ſorbillans paullatim hunc producam diem.

DONATI.

52. CARPAM.] Modo *eligam*. Alias *laedam* ſignificat: ut,

[25] *Carpit enim vires paullatim, uritque videndo*
Foemina.

Alias *Fruar*: ut,

[26] *Carpamus, dum mane novum, dum flumina creſcunt.*

Et [27] *Perſius*,

Indulge genio; carpamus dulcia.

Id eſt, fruamur rebus dulcibus. PAULATIM HUNC PRODUCAM DIEM.] Bono verbo uſus eſt ad metaphoram, tanquam morientis diei. Ut eſt,

[28] *Nec te tua funera mater*
Produxi, preſſive oculos.

OBSERV. IN DONAT.

25. *Carpit.*] Virg. Georg. III. 215.
26. *Carpamus.*] Virg. Georg. III. 325. ſed legitur nunc: *dum gramina canent.*
27. *Perſius.*] Sat. V. 151.
28. *Nec te.*] Virgil. Aen. IX. 486.

COMMENTARIUS.

UNUMQUODQUE.] Bona Mſſ. pars, UNUMQUIDQUID. Ita & edd. anni 1469. Junt. Daventr. aliae veterum. Videturque pro ſingulis uſurpaſſe. Sic Plaut. Trin. IV. 2. 39.

Si unumquidquid ſingillatim *& placide percunctabere.*

BELLISSIMUM, CARPAM.] Martial. III. 13.

Dum non vis leporem, dum non vis carpere *mullum,*
Et plus quam patri, Naevia, parcis apro;
Accuſas, rumpiſque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. nunquam ſic ego crudus ero.

De voce *carpere* vide Lipſium Saturnal. II. 2. In Codice Argentino eſt: ATQUE UNUM, QUOD QUIDEM FERCULUM ERIT BELLISSIMUM, CARPAM.

52. CYATHOS SORBILLANS] *Cyathus* ordinaria menſura, qua bibentes utebantur, uno fere hauſtu exſiccantes. Martial. I. 72.

Naevia ſex cyathis; *ſeptem Juſtina bibatur;*
Quinque Lycas; Lyde quatuor; Ida tribus.

Et IX. 94. 3.

Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calociſſe, [*Deorum*
Sex jubeo cyathos *fundere? Caeſar erit.*

Reſpicit autem morem veterum, quibus ſolenne erat tot cyathos bibere in gratiam amicorum vel amicarum, quot literis eorum conſtabant nomina. Hinc *cyathiſſare* eſt a cyathis eſſe. Plaut. Menaechm. II. 2. 29.

SORBILLANS.] Id vult, ſe quamlibet otio exſiccaturum cyathos, cuticulamque ſuam curaturum. Unde nec *ſorbebo* dicit, nec *ebibam*. Vide infra V. 1. 1. Inde ova *ſorbilia* Celſus IV. 3. & Petron. 33. *Sorbilum* pro juſculo fervente Plautus Poen. I. 2. 185. dixerunt. Apulej. Metam. II. *Priuſquam totum exſorberem, clementer invadit; ac relictum* paullatim *labellis minuens, meque reſpiciens,* ſorbillat *dulciter*. Idem Metam. III. *Cum iſto fine ſermonis oculos Fotidis meae udos ac tremulos, & prona libidine marcidos, jam jamque ſemiadopertulos admiſſis &* ſorbillantibus *ſaviis ſitienter hauriebam*. An *admiſtis*? Ita Graeci *συμμῖξαι χείλεα*. In aliis eſt, *adnixis*.

PRODUCAM DIEM.] Exiſtimat Daceria, Donati auctoritatem ſequuta, τὸ PRODUCAM h. l. eſſe funerandi verbum, dictumque pro, *condam diem*. In quam ſententiam perelegans eſt locus Plauti, Menaechm. I. 2. 42.

Litigium eſt tibi cum uxore. Oh, mibi abs te caveo cautius.
ME. *Clam uxorem ubi ſepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.*
PE. *Age ſane igitur, quando aequum oras, quam mox incendo rogum?*
Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus.

Hunc vero non fuiſſe ſenſum Syri, vel inde liquet, quod die nondum condita, rurſus prodeambularet. Infra V. 1. 4. Tum quod dicit, PAULLATIM HUNC PRODUCAM DIEM, id videtur velle, ſenſim hunc diem conteram & conſumam. Sic Martial. II. 89. 1.

Quod nimio gaudes noctem producere *vino;*
Ignoſco.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA TERTIA.

MICIO. HEGIO.

Mi. EGo in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio:
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum 'ſt, corrigo.
Niſi

DONATI.

1. EGO IN HAC RE NIHIL REPERIO, QUAMOBREM LAUDER.] *Haec Scena eſt plena ſententiarum ſenilium ad officia demonſtranda.* Et TANTOPERE, vim adverbialem in ſe continet; nam ſignificat *nimis.*

2. QUOD PECCATUM A NOBIS ORTUM 'ST, CORRIGO.] Si diceret, PECCATUM EST A NOBIS, participium fuiſſet. nunc quia ORTUM addidit, nomen eſt. numquam enim eadem pars orationis jungi, niſi per ἀσύνδετον, poteſt.

COMMENTARIUS.

Hic Muretus Actus V. initium ſtatuit. abeunte enim Demea, quaeſitum fratrem, Syro autem ſorbillatum cyathos, Scena vacua remanſit. Infra autem, ubi vulgo incipit Actus V. Aeſchinus in Scena remanet.

1. EGO IN HAC RE NIHIL REPERIO.] Videbatur Hegio a foro rediens cum Micione multo geſtu ſignificare ſuum prolubium, eumque gratulando quaſi obtundere. Cui igitur initio hujus Scenae reſpondet Micio. Atque ita fere Charino reſpondet Pamphilus, And. II. 1. 30. Et Plaut. Trin. V. 2. 4.

Si quid amicum erga bene feci, aut conſului fideliter,
Non videor meruiſſe laudem: culpa caruiſſe arbitror.

2. MEUM OFFICIUM FACIO.] Compone cum his verbis verba Hegionis de Micione, ſupra III. 5. 4.

QUOD PECCATUM A NOBIS ORTUM 'ST.] Intelligit raptum Pſaltriae, quam ipſe Aeſchinus pro fratre Cteſiphone eripuerat Lenoni. Nimis autem indulgenter dicit, A NOBIS, quaſi & ipſe in culpa ſit, non tantum Aeſchinus. Tum ORTUM dixit, uti ſupra III. 3. 89. Sic Hec. II. 2. 11.

ſi quid eſt peccatum a nobis, profer.

3. QUI ITA PUTANT SIBI FIERI INJURIAM; ULTRO, SI QUAM FECERE IPSI, EXPOSTULANT, ET ULTRO ACCUSANT.] Mire in hoc loco ſe torquent Interpretes. Nullus autem commodus ſenſus elici poſſe videtur, niſi legas & diſtinguas cum Rob. Stephano, in elegantiſſima editione, formae minimae, anni 1540. qua haud ſcio, an quiſquam editorum Terentii deinceps uſus ſit: QUI ITA PUTANT, SIBI FIERI INJURIAM, ULTRO SI, QUAM FECERE IPSI, EXPOSTULANT, ET ULTRO ACCUSANT. Conſtrue: SI ULTRO EXPOSTULANT INJURIAM, QUAM IPSI FECERE, ET ULTRO ACCUSANT. Quomodo fere Fabrini reddidit: *Che penſano coſi, che ſia fatto loro ingiuria, che ſiano ingiuriati, ſe ingiuria alcuna ne hanno ad altri fatta eſſi, perverſamente ſi lamentano, e perverſamente dicon male, e biaſimano.* Quem ſenſum quum in totidem verbis non videret Donatus, culpatur a Faerno, praeferente Bembinum illud, EXPOSTULES. Eodem ſenſu, ſed mutato paullum ordine, edidit Paulus

Niſi ſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero, qui ita putant
Sibi fieri injuriam; ultro, ſi quam fecere ipſi, expoſtulant,
Et ultro accuſant. id quia non eſt a me factum, agis gratias?
He. Ah! minime: numquam te aliter, atque es, in animum
induxi meum.
Sed quaeſo, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio:
Atque iſtaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri:
Suſpicionem hanc propter fratrem ejus eſſe, & illam pſaltriam.

Mi.

DONATI.

4. SI, QUAM FECERE, IPSI EXPOSTULANT.] [1] Hic diſtingue: & ſeparatim infer, IPSI EXPOSTULANT. SI QUAM FECERE, IPSI EXPOSTULANT.] Senſus eſt manifeſtus: ſed obſcura ſunt verba, & eorum collocatio & diſtinctio. nam incertum, utrum SI EXPOSTULANT, intelligendum ſit: an, SIQUAM, pro una parte orationis accipi oporteat.

5. ULTRO ACCUSANT.] ULTRO, nunc prave & perverſe. ID QUIA NON EST A ME FACTUM.] Haec interrogatio, quaſi ſubtriſti vultu eſt proferenda.

6. AH! MINIME.] Non *minime ago*: ſed, *Minime te credo eſſe illorum in numero.*

7. QUAESO, UT UNA MECUM.] Servavit τὸ πρέπον, adjiciendo UNA MECUM EAS: quippe ad incognitam matremfamilias.

8. TUTE DICAS MULIERI.] In nomine oſtendit, cur haec ipſe dicat. MULIERI enim, inquit, nimis pavidae ac diffidenti.

9. SUSPICIONEM HANC PROPTER FRATREM EJUS ESSE.] Nimis breviter ac ſuccincte, & ut oportuit inter ſcientes. ET ILLAM PSALTRIAM.] [2] PROPTER FRATREM EJUS ESSE, ſubaudiendum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Hic diſtingue.*] Abr. Wielingius legit, *Sic diſtingue.* Poſſit tamen Donatus videri ſcripſiſſe: SI QUAM FECERE. *Hic diſtingue, & ſeparatim infer*, IPSI EXPOSTULANT.

2. PROPTER FRATREM EJUS ESSE, *ſubaudiendum eſt.*] Monet Doctiſſ. Wielingius, tantum PROPTER ſubaudiendum eſſe.

COMMENTARIUS.

lus Manutius, Aldi filius: SI, QUAM FECERE IPSI, ULTRO EXPOSTULANT, ET ULTRO ACCUSANT. Quibus verbis nihil clarius. Idem vero Stephanus quadriennio ante ediderat, ULTRO SI, QUAM FECERE, IPSI EXPOSTULANT. Rem ipſam deſignat Phaedrus I. 1. de Lupo & Agno. Confer verba Siracidis, XIII. 4. Πλούσιος ἠδίκησε, καὶ αὐτὸς προσενεβριμήσατο.

4. ULTRO.] Habet ſignificationem contrarii, non tantum rei, quae ſponte fit. Sic Phorm. II. 3. 13.

O audaciam! etiam me ultro *accuſatum advenit?*

Virgil. Aen. II. 145.

His lacrumis vitam damus, & miſereſcimus ultro.

Cic. pro P. Quint. 23. *Qui quum ipſe* ultro *deberet, quaſi eximio praemio ſceleris expoſito, cupidiſſime contenderet, ut per ſe afflictum, atque everſum propinquum ſuum, non modo honeſte partis bonis, verum etiam communi luce privaret.* Vide ad And. I. 1. 73.

5. AGIS GRATIAS?] Primus, opinor, ita edo, monente Donato. Habet autem interrogatio admirationem; qua demta minor erit emphaſis.

6. NUMQUAM TE ALITER, ATQUE ES, IN ANIMUM INDUXI MEUM.] Guyetus legit, NUMQUAM ESSE ALITER, ATQUE ES, IN ANIMUM INDUXI MEUM; ſed rationem non addit. Si credidit, minus Latine dici, *in animum inducere aliquem*, falſus fuit. Heaut. V. 4. 5.

ne iſtuc in animum inducas tuum.

8. MIHI

Mi. Si ita aequum cenſes, aut ſi ita opus eſt facto, eamus. *He.* Bene facis:
Nam & illi animum jam relevabis, quae dolore ac miſeria
Tabeſcit: & tuo officio fueris functus. ſed ſi aliter putas,
Egomet narrabo, quae mihi dixti. *Mi.* Immo ego ibo. *He.* Bene facis.
Omnes, quibus res ſunt minus ſecundae, magis ſunt, neſcio quomodo,

Suſpi-

DONATI.

10. Si ita aequum censes.] A juſto & utili eſt tota ſententia. ³ Et ſane hi verſus deſunt, quos multa exemplaria non habent.

11. Nam et illi animum jam relevabis.] Et deinceps Illi maluit dicere, quam *nurui*, adhuc divitem reveritus. Dolore ac miseria.] Dolore, parturientis: Miseria, injuria ab Aeſchino accepta.

12. Sed si aliter putas.] Artificioſe, remittendo quod petebat, extorſit magis.

13. Immo ego ibo.] Hoc adverbio quod ait Immo, oſtendit ſe promte agere, & inſtanter quod promiſit.

14. Minus secundae.] Dicere ſic maluit, ne *Miſeras* diceret. Nescio quòmodo.] Hoc eſt, vehementia, nulla palam ratione.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Et ſane.*] Haec ita videntur legenda: *Et ſane hi verſus deſunt, quos multa exemplaria non habent*, Nam et illi animum jam relevabis, *& deinceps.* Nam et illi.] Illi *maluit dicere.*

COMMENTARIUS.

8. Mihi dixti.] Libri quidam: Mihi narrasti.

10. Si ita aequum censes.] Quatuor hos verſus expungit Guyetus. Vide Donatum.

11. Illi animum jam relevabis.] Sic Plaut. Rud. I. 4. 27.

Spes mea, ut me omnium jam laborum levas!

Ennius Annal. X.

O Tite, ſei quid ego adjûro, coiramve levaſſo,
Quai nunc te coquit, & vorſat ſub pectore fixa;
Et qua deprimeris fruſtra noctei ſque dieſque:
Ecquid erit praimi?

Cicero, Catil. I. 13. *Videbimur fortaſſe ad breve quoddam tempus*, cura & metu *eſſe* relevati. Contrarium eſt, *onerare quem*, i. e. curam & moleſtiam creare alteri. Plaut. Mil. III. 3. 61.

ego illum probe jam oneratum *huc accibo.*

Moſtell. II. 1. 83.

advenienti ſarcinam imponam *ſeni.*

Quae dolore ac miseria tabescit.] Menander:

Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν αἰτία κακῶν
Λύπη, διὰ λύπης μανία γίνεται
Πολλοῖσι γὰρ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα, ἀν-
Τοὺς τ' ἀνῃρήκασι διὰ λύπην τινές.

12. Tuo officio fueris functus.] Vide ſupra, verſu 2. Quidam Codices: Tu officio fueris functus.

14. Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt, nescio quomodo, suspiciosi.] Videntur haec expreſſa e Menandrianis, quae laudat Stobaeus Flor. Tit. XCVI.

Πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ πράγματα,
Καὶ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.

P. Syrus:

In calamitoſo riſus etiam injuria 'ſt.

Digitized by Google

Suſpicioſi : ad contumeliam omnia accipiunt magis :
Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi.
Quapropter te ipſum purgare ipſis coram , placabilius eſt.
Mi. Et recte , & verum dicis. *He.* Sequere me ergo hac intro.
Mi. Maxume.

DONATI.

15. ACCIPIUNT MAGIS.] Mire additum MAGIS : quum poſſit ſenſus & ſine hoc eſſe integer.

16. PROPTER SUAM IMPOTENTIAM.] Infirmitatem. Et rurſus noluit humilitatem aut miſeriam dicere. NEGLIGI.] 4 Legitur & CLAUDERE & CLAUDICARE.

17. QUAPROPTER TE IPSUM PURGARE.] Utrum TE IPSUM , una pars orationis ſit ? an diviſe accipiendum ? ut ſit, TE Micionem , IPSUM Aeſchinum PURGARE. CORAM , PLACABILIUS EST.] CORAM , id eſt , praeſentem , & coram praeſentibus. Et CORAM indiget adjectione : *Palam* non indiget. Et praeterea CORAM , 5 ad caeteras perſonas refertur ; *Palam* , generaliter dicitur.

18. ET RECTE , ET VERUM DICIS.] RECTE , ad verba retulit : VERUM , ad rem atque ſententiam. Poteſt enim *recte & falſum* dici , dummodo nullo vitio verborum nominumque dicatur , quanquam & ipſum fallere in tempore , quidam de officiis ſcribentes , rectum putent.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Legitur & CLAUDERE & CLAUDICARE.*] Hadr. Junius in Append. Animadv. Pareus & Tanaq. Faber CALVIER legunt. i. e. *fruſtrari, decipi.* Vide ad Eun. 3. 2. 84. Et ſane ſunt Codices, in ipſo Terentio CLAUDIER legentes. Unde Paërnus CALVIER formavit. quod verbum eſt XII. Tabb.

5. *Ad caeteras perſonas*] Ita Rob. Stephanus & Lindenbrochius. His vetuſtiores editiones cum Mſ. Boend. rectius: *ad certas perſonas.*

COMMENTARIUS.

15. AD CONTUMELIAM OMNIA ACCIPIUNT MAGIS.] Sic Phaed. III. 8. 8.

Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

16. PROPTER SUAM IMPOTENTIAM SE SEMPER CREDUNT NEGLIGI.] Hoc verſu planius dicit idem , quod dixerat ſuperiore , unde adeo non erat delendus a Guyeto. Eſt autem *impotentia* h. l. inopia. Cic. pro Mur. 28. *Valeant haec omnia ad ſalutem innocentium , ad opem* impotentium . *ad auxilium calamitoſorum.* Alio ſignificatu *impotens* & *impotentia* dicitur de eo, qui animum ſuum coërcere nequit.

17. TE IPSUM PURGARE IPSIS CORAM.] Senſus eſt, TE Micionem PURGARE IPSUM Aeſchinum, IPSIS , matri & virgini. Ita expreſſi ex Mſſ. Leidenſibus quinque , Lipſiano , Boenderm. Trajectino, Bodlejano ; ſed & editionibus , Anonyma , anni 1469. Juntina , Aldina, Rob. Stephani , Daventrienſi , Venetis , Tarviſiana , Argentina , Pictavienſi , Fabrini , Anteſignani , Baſileenſi , Lugdunenſibus duabus , annorum 1511. & 1520. Plantiniana , aliis. quos Codices ſingillatim nomino , ne aegre ferant nuperi editores, quod ſecum non IPSI expreſſerim. Et in uno Mſtorum Leidenſium ſupraſcriptum reperi , *Soſtrata & filia.* Tum Donatum legiſſe IPSIS , liquet , quia *coram praeſentibus* interpretatur. Neque enim matri tantum , ſed & Pamphilae purgandus erat Aeſchinus. Unde infra IV. 4. 22.

ad illas ibo , ut purgem me.

PLACABILIUS.] H. e. Ad placandum aptius ἱλαστικώτερον. Sic Phorm. I. 4. 49.

cauſam vincibilem.

Quae facile vincat. Plaut. Moſtell. V. 2. 40.

orator impetrabilis.

Qui, quod vult, facile impetrat.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA QUARTA.

AESCHINUS.

DISCRUCIOR animi. hoccine de improviſo mali mihi objici

Tan-

DONATI.

DISCRUCIOR ANIMI.] *Hoc loco χαρακτῆρα* [1] *amantis modice juvenis, & ſenis facit indulgentis, ac lepidiſſimi patris.*

1. DISCRUCIOR ANIMI.] Ἀνταπόδοσις figura. ut, [2] *O praeſtans animi.* HOCCINE DE IMPROVISO MALI.] Haec verba repentino nuntio perculſum indicant Aeſchinum propter divortium ſtare: & iram circa ſe Soſtratae, & ejus filiae ob raptum meretricis. OBJICI.] Proprie; quia inopinanti. Nam OBJICI dicitur in utramque partem: ut ſi quos ante quis videt, quam exſpectaverit. quo verbo magnitudo doloris oſtenditur ex improviſo incommodo.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Amantis modice juvenis.*] Legendum eſſe, *Amantis immodice juvenis*, Boeclerus jam obſervavit. Vide adverſum 23.

2. *O praeſtans animi.*] Virg. Aen. XII. 19.

COMMENTARIUS.

Nuſquam majorem vel Librorum, vel Interpretum diſſenſionem in collocandis verſibus reperias, quam in hac Scena. Unde Faërnus, poſtquam expedire quid tentaſſet, ſubjungit: *Sed verius eſt, hos omnes verſus, praeter duos primos, eſſe generis ejus, quod* confuſum *vocamus.* Dacieria in alia omnia abit. Ego, ut potui, ordinavi ex Anteſignano, Mureto & Rob. Stephano. Si vero vel ita non ſatis expedivi rem, certus ſum, e vulgata lectione non plus boni metri elici poſſe. Guyetus in ἀσυνδέτοις ita dimenſus eſt verſus ſingulos, ut vel ipſe ſolus, vel reliqui omnes ridiculi ſint. Uſque adeo verum eſt, quod dixit Cicero, Oratore cap. 55. *At Comicorum ſenarii propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſaepe ſunt abjecti, ut nonnumquam vix in his numerus, & verſus intelligi poſſit.* Quid, ſi Terentius data opera Aeſchinum metu confuſum etiam confuſis verſibus loqui voluit? Id vero mihi proximum videtur.

1. DISCRUCIOR ANIMI.] Sic Plautus Aul. I. 2. 27.

> Diſcrucior animi, *quia ab domo abeundum 'ſt mihi.*

Et alibi ſaepius. Unde Ciſtell. II. 1. 3. dixit:

> *Qui omnes homines ſupero atque antideo* cruciabilitatibus animi.
>
> *Jactor*, crucior, *agitor*, *ſtimulor*, *verſor in amoris rota miſer.*

HOCCINE DE IMPROVISO MALI MIHI OBJICI.] Hec. III. 1. 6.

> *quibus eſt alicunde aliquis* objectus labos.

Phorm. III. 2. 18.

> *Tum hoc eſſe mihi* objectum malum!

Plaut. Caſ. III. 5. 33.

> *Occidi atque interii! quid illi*
> Objectum 'ſt mali *tam repente?*

Virgil. Aen. II. 199.

> *Hic alind* majus *miſeris multoque tremendum*

Obji-

Tantum? ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum ſiet!
Membra metu debilia ſunt: animus timore obſtipuit.
Pectore conſiſtere nihil conſilii quit. vah! quomodo
Me ex hac expediam turba? tanta nunc ſuſpicio de me incidit:
Neque ea immerito: Soſtrata credit, mihi me pſaltriam hanc
Emiſſe: id anus fecit indicium mihi.

Nam

DONATI.

2. UT NEQUE QUID ME FACIAM.] Plus eſt, QUID ME FACIAM: quam, *Quid faciam.* Illud enim de rebus; hoc, de ipſo homine intelligitur. NEC QUID AGAM, CERTUM SIET.] CERTUM SIET, pro *certum ſit.* ¹ niſi forte, UT, *Quam* ſignificet.

3. MEMBRA METU DEBILIA SUNT, ANIMUS TIMORE OBSTIPUIT.] METU patris: TIMORE divortii.

5. NUNC SUSPICIO.] Modo oſtenditur cauſa trepidationis Aeſchini.

7. ID ANUS MIHI INDICIUM FECIT.] Illa anus cui Soſtrata dixerat, *Curre: obſtetricem arceſſe.*

8. NAM UT HINC FORTE EA AD OBSTETRICEM ERAT MISSA.] ² Apparet, inter caetera anum dixiſſe, ad obſtetricem ſe miſſam. an ultro haec ſuſpicatus eſt Aeſchinus? HINC autem addendo, oſtendit ſe ante fores Soſtratae ſtare. ut alibi, *Ex Andro commigravit huc viciniae.* UBI EAM VIDI.] Sunt qui addant ſupervacue HANC: & legunt, HANC UBI VIDI.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Niſi forte,* UT, *Quam ſignificet.*] Obſcura lectio. Adparet ex Libris veteribus, Donatum legiſſe, CERTUM EST, ideoque notaſſe, CERTUM EST, *pro* CERTUM SIT, *niſi forte* UT *ſignificet,* O QUAM. Id igitur velle videtur, ubi Aeſchinus dixiſſet, HOCCINE DE IMPROVISO MALI MIHI OBJICI TANTUM! ſequentia pronunciari poſſe, UT NEQUE QUID ME FACIAM, NEC QUID AGAM, CERTUM EST! Quo ſ.nſu ſane τὸ UT valet, O QUAM. Abr. Wielingius *Niſi forte ut, quam* legit.

2. *Apparet, inter caetera anum dixiſſe, ad obſtetricem ſe miſſam.*] Unde id apparet? An familiariter collocuta eſt cum Aeſchino poſt tantam exclamationem & convicia? non videtur. Ultro igitur id ſuſpicatus eſt Aeſchinus, videns anum inſiſtere viam ad obſtetricis domum, neque inſtans tempus partus ignorans.

COMMENTARIUS.

Objicitur *magis, atque improvida pectora turbat.*

In Mſſ. & impreſſis nonnullis eſt, MALUM MIHI OBJICI.

2. QUID ME FACIAM.] Locutio Comica, pro, *de me*, vel, *mihi*, Plauto frequentius uſurpata. Sic Mil. IV. 1. 26.

Quid illa faciemus *concubina, quae domi'ſt*

Vide ad And. III. 5. 8.

3. OBSTIPUIT.] In Codicibus quibuſdam eſt OBSTUPUIT. Atque ita correxit in Libro ſuo Guyetus. Vide And. I. 5. 21. Plaut. Poen. I. 2. 48.

quid hic, malum,
Aſtans obſtupuiſti?

4 PECTORE CONSISTERE NIHIL CONSILII QUIT.] Id varie extulerunt. Plaut. Pſeud. II. 1. 2.

meo in pectore conditum eſt conſilium.

Et verſu 4.

ego in meo
Pectore prius ita paravi copias duplicis, triplicis, dolos.

Amph. V. 1. 1.

Spes atque opes vitae meae jacent ſepultae in pectore.

Horat. Carm. I. 13. 5.

Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manet.

Cicero de Seneſt. 20. *Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit* animo conſiſtere? Virgil. Aeneid. I. 643.

neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor.

Cic. Tuſc. Quaeſt. IV. 8. laudat illud Ennii:

Tum

Digitized by Google

Nam ut hinc forte ea ad obſtetricem erat miſſa: ubi eam vidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat? jam partus adſiet?
Eone obſtetricem arceſſat? illa exclamat: abi, abi jam, Aeſchine!
Satis diu dediſti verba: ſat adhuc tua nos fruſtrata 'ſt fides.
Hem!

DONATI.

9. PAMPHILA QUID AGAT? JAM PARTUS ADSIET?] Amatoria interrogatio, qua monſtrat Aeſchinus curae ſibi eſſe res omnes.

10. ILLA EXCLAMAT.] Non *reſpondet*, ſed EXCLAMAT. Et bene vim addidit ad exclamationem fuiſſe. Ergo a vocis ſono EXCLAMAT, non a verbis. ABI, ABI JAM, AESCHINE! SATIS DIU VERBA DEDISTI NOBIS.] Uſque dum intelligeremus.

11. SAT ADHUC TUA NOS FRUSTRATA 'ST FIDES.] Uſque dum deciperetur.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Uſque dum deciperetur.*] Aut *Pamphila* videtur addendum, aut legendum, *Uſquedum deciperemur.*

COMMENTARIUS.

Tum pavor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat.

Idem Fin. II. 4.

Tanta laetitia auctus ſum, ut mihi non conſtem.

5. ME EX HAC EXPEDIAM TURBA?] Vide ad And. III. 5. 11. Et Eun. IV. 4. 56.

SUSPICIO DE ME INCIDIT.] Aliter Heaut. IV. 5. 52.

in hunc ſuſpicio 'ſt
Tranſlata amoris.

Plaut. Bacch. III. 3. 32

Innocens ſuſpicionem *hanc* ſuſtinet *cauſa mea.*

7. ID ANUS FECIT INDICIUM MIHI.] Intelligit Cantharam. Plaut. Aul. II. 2. 11.

Anus *hercle huic* indicium fecit *de auro.*

Et ſaepe alibi. Cicero Verr. I. 57. *Nam quid argumentamur, quo iſta pecunia pervenerit?* fecit ipſe indicium. In Mſ. Bodl. deeſt τὸ ID.

8. UBI EAM.] Donatus non videtur legiſſe τὸ EAM. quod contra Rivium defendit Glareanus, ob metrum.

9. JAM PARTUS ADSIET?] Mſ. Boend. JAMNE. Guyetus corrigit, JAM PARTUSNE ADSIET?

10. ILLA EXCLAMAT.] Sic Eun. IV. 1. 11.

ABI, ABI.] Formula faſtidioſe rejicientium quem. Naevius, Togularia:

Abi, *deturba te ſaxo, quiſquilias, non homo.*

Sed Pareus in Lexico Plautino, *Abi, abi*, legit. q. d. Belgice, *Loop! loop!* Quod Plautus Trin. IV. 2. 147. *Abi hinc ab oculis*, dixit. Mſ. Boend. ABI, ABI, AESCHINE, JAM SATIS DIU. Vide Barth. Adverſ. XXV. 5.

11. SATIS DIU DEDISTI VERBA.] Varie haec leguntur. In Codd. aliis eſt, SATIS DIU VERBA DEDISTI. In aliis, SATIS DIU DEDISTI VERBA NOBIS. In Mſ. Bodl. eſt, SATIS DIU DEDISTI VERBA NOTIS. I. e. noſcentibus te. Phaed. I. 11. 2.

Ignotos *fallit*, notis *eſt deriſui.*

Adde Manut. ad Cic. Fam. V. 12. & Cl. Burm. ad Petron. cap. 112. Verum niſi ſeu NOBIS, ſeu NOTIS tollatur, verſus parum conſtabit.

ADHUC.] In Libris quibuſdam eſt AD HOC. q. d. μέχρι τούτου.

TUA NOS FRUSTRATA 'ST FIDES.] Eleganter Ennius apud Gell. XVIII. 2.

Nam qui lepide poſtulat alterum fruſtrari,
Quem fruſtratur, fruſtra eum dicit fruſtra eſſe.
Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt; ſi non, ille eſt fruſtra.

De quorum verborum ſenſu vide Jac. Gronovium, V. Cl. Eſt autem *fruſtrari* decipere, *fruſtra eſſe*, decipi.

12. VA-

Hem! quid iſtuc obſecro, inquam, eſt? valeas: habeas illam, quae placet.
Senſi illico id illas ſuſpicari: ſed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam fratris eſſe, hanc? quod minime 'ſt opus
Uſquam efferri. age, mitto: fieri potis eſt, ut ne qua exeat.
Ipſum

DONATI.

12. HEM! QUID ISTUC, OBSECRO, INQUAM, EST?] HEM, interjectio eſt novas res & inopinatas audientis. VALEAS: HABEAS ILLAM.] Quaſi recedat & longe abſit. ut in Andria, *Valeant, Qui inter nos diſſidium volunt.*

14. GARRULAE.] Utpote anus. AC FIERET PALAM.] Demeae ſcilicet, cui minime opus fuit.

15. NUNC QUID FACIAM?] Figura διαπόρησις.

16. UT NE QUA EXEAT.] Erumpat. ut,

⁷ quum ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitaſque evicit gurgite moles.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Utpote anus.*] Forte, *Utpote anui.*

7. *Quum ſpumeus amnis.*] Virg. Aen. II. 496.

COMMENTARIUS.

12. VALEAS: HABEAS ILLAM, QUAE PLACET.] Vide ad And. IV. 2. 13. & V. 3. 18.

13. REPREHENDI.] Duplex Librorum lectio. In duobus Mſſ. Leidenſibus, Trajectino & Lipſiano eſt REPREHENDI. Idem e duobus Mſſ. citat Boeclerus. In Leidenſi tertio dubia eſt lectio, unde tamen prius REPREHENDI conficias, quam REPRESSI, quomodo eſt in duobus aliis, ſed & Mſ. Mark. & Boend. quodque e tribus Pall. laudat Pareus. Secutus ſum editiones Rob. Stephani, Aldi, anni 1521. Daventrienſem, Pictavienſem ex recenſione Philippi Melanchthonis, Heidelbergenſem, Baſileenſem, alias. Eſt autem *Reprehendere* retinere ſe ab re aliqua ſeu dicenda, ſeu facienda. deſumtum ab eo, quod *Reprehendere* quandoque eſt, manum injicere & retinere. Phaed. V. 8. 3. de tempore:

elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere.

Ubi vide Schefferum. Plaut. Trin. III. 1. 22.

celeri gradu
Eunt uterque. ille reprehendit *hunc priorem pallio.*

Simile eſt illud Cic. Att. XIII. 1. *Sed me ipſe revoco.*

14. GARRULAE ILLI.] Vide Parei Electa Plautina, Tit. *Garrulitatis & Mulierum.*

FIERET PALAM.] Sic Eun. I. 2. 24. Heaut. IV. 3. 43. Hec. I. 2. 30. & IV. 4. 91. Plautus ſaepius.

* 15. DICAM.] Codices quidam: DICAMNE. Et mox, ID QUOD.

16. USQUAM EFFERRI.] Sic ſupra III. 2. 41. Phorm. V. 7. 65. Hec. I. 2. 32. Nepos Dion. 8. *Res, multis conſciis, quae gereretur,* elata *refertur ad Ariſtomachen.*

AGE, MITTO.] Ita plerique Libri. Quidam, AGE, OMITTO. Mihi neutrum ſatis placet. Mallem, ſi per Codices liceret, AGE, MUTIO. quomodo ſecum deliberans juvenis, taceretne, an efferret, poſt exiguam moram videtur dixiſſe; ſed quod Librariorum incuria in MITTO & OMITTO mutatum. Sic Hec. V. 4. 26. & paſſim apud Plautum.

NE QUA EXEAT.] Id Cteſipho dixerat ſupra II. 4. 18.

ne, ſi magis irritatus ſiet,
Aliqua ad patrem hoc permanet.

Nepos Datam. 6. *Si in turbam* exiſſet. Suet. Galb. 20. *Quod ante paucos dies* exierat *in vulgus.*

Ita

Ipſum id metuo, ut credant: tot concurrunt veriſimilia.
Egomet rapui: ipſe egomet ſolvi argentum: ad me abducta 'ſt domum.
Haec adeo mea culpa fateor fieri. non me hanc rem patri,
Ut ut erat geſta, indicaſſe? exoraſſem, ut eam ducerem.
Ceſſatum uſque adhuc eſt: nunc porro, Aeſchine, expergiſcere!

Nunc

DONATI.

17. IPSUM ID METUO, UT CREDANT.] Ipſum, quod fratri rapui. Et UT, pro *Ne non* poſuit. TOT CONCURRUNT VERISIMILIA.] Ut mea eſſe credatur.

18. AD ME ABDUCTA 'ST DOMUM.] Proprie, non dixit *Adducta*, ſed ABDUCTA: *Abducitur* enim alienum: ut in Heautontimorumeno, *Abducimus tuam Bacchidem.* AD ME autem DOMUM, moraliter dixit, pro *Ad domum meam.* An ideo AD ME, quia & illic luctatus Leno eſt in retinenda contra Aeſchinum puella?

20. UT UT ERAT GESTA, INDICASSE?] Id eſt, ſive male, ſive bene geſta erat: *ut* enim, certam qualitatem ſignificat: UT UT incertam: quaſi dicat, Quoquo modo, male, bene. EXORASSEM, UT EAM DUCEREM.] Sic enim promiſerat ſe Soſtratae facturum.

21. NUNC PORRO, AESCHINE, EXPERGISCERE!] Sic & alibi, *Enimvero, Dave, nihil loci eſt ſegnitiae, neque ſocordiae.* Legitur & *jam:* quod eſt correptivum interdum.

COMMENTARIUS.

Ita fama, liber, ſimilia, *exire* dicuntur, quando innoteſcunt publice.

17. IPSUM ID METUO, UT CREDANT.] Non cepit vim & elegantiam horum verborum Guyetus, mutans in, DE ME ID METUO, UT CREDANT. Scilicet, dixerat Aeſchinus verſu 13. SENSI ILLICO ID ILLAS SUSPICARI, ſubaudi, *Mihi me pſaltriam hanc emiſſe.* Quo reſpiciens mox ait, IPSUM ID (quod dixi illas ſuſpicari) METUO UT CREDANT. Sic And. II. 2. 13.

PA. *Iſtuc ipſum.* DA. *Atque iſtuc ipſum nihil pericli eſt: me vide.*

TOT CONCURRUNT VERISIMILIA.] Sic And. III. 2. 31. Heaut. II. 2. 3.

18. EGOMET RAPUI.] Vide ſupra II. 1. & II. 2. 30. III. 2. 30. Mſ. Boend. PSALTRIAM EGOMET RAPUI. ex gloſſa.

IPSE EGOMET SOLVI ARGENTUM.] Atqui Syrus dicit, Micionem id feciſſe, ſupra III. 3. 15 Quod vero & praeſente Aeſchino, & nomine Aeſchini id factum, poterat is vere affirmare, ſe ipſum ſolviſſe argentum. Niſi potius loc. cit. de argento a Micione Syro annumerato capimus, qui id Aeſchino, Aeſchinus rurſus Lenoni perſolverit. Mſſ. quidam, cum Priſciano, Inſtit. Grammat. Lib. XIII. legunt, IPSE EGO SOLVI ARGENTUM.

AD ME ABDUCTA 'ST DOMUM.] Ita juſſerat Aeſchinus, ſupra II. 1. 14. Sed in Mſ. Lipſ. EST DOMUM, abſunt.

19. HANC REM.] Non intelligit raptum Pſaltriae, ſed vitium Pamphilae oblatum. Quam rem tuto poterat indicaſſe Micioni patri indulgentiſſimo, quique eum conſueſecerat, ne ſe quidquam celaret.

20. UT UT ERAT GESTA.] Magna Mſſ. pars, UT ERAT GESTA. Sed Donatus legit, ut edidi, atque ita Faërnus, Rivius, Heinſius, alii recenſuerunt. Demum trochaicus ita poſtulat. Plaut. Bacchid. V. 2. 73.

Age jam id, ut ut eſt, *etſi eſt dedecorum, patiar.*

21. EXPERGISCERE!] Id vult, nihil loci eſſe ſegnitiae neque ſocordiae. Plaut. Aſin. II. 1. 1.

Hercle vere, Libane, nunc te melius 'ſt expergiſcier,
Atque argento comparando fingere fallaciam.

Salluſt. Catil. 20. *Quin igitur* expergiſcimini? Et 52. Expergiſcimini *aliquando*, & *capeſſite remp.* Eadem ratione *dormire* dicuntur negligentes rerum ſuarum, infra IV. 5. 59.

Nunc hoc primum eſt: ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores.
Perii! horreſco ſemper, ubi pultare haſce occipio miſer.
Heus! heus! Aeſchinus ego ſum; aperite aliquis actutum oſtium.
Prodit neſcio quis: concedam huc.

DONATI.

22. Nunc hoc primum.] Primum, ab eo quod rogandus eſt pater. Accedam ad fores.] Soſtratae ſcilicet.

23. Horresco semper.] Satis amatorie: ¹ nam nimium ſemper eſt calor, & frigus recedit a corpore. ut, *Totus, Parmeno, Tremo, horreoque, poſtquam aſpexi hanc.*

24. Aperite aliquis actutum ostium.] Vim pluralem habet Aliquis, quamvis ſingulariter dicatur: non eſt enim Aliquis, niſi de multis. recte ergo Aperite aliquis, & nove. nam non placet illud, ubi duae diſtinctiones ſunt: unde Aperite eſt una, altera Aliquis. Actutum ostium.] Ut aſſumatur rurſus, *Aperiat.* proprie enim veteres & *Quis*, & *Aliquis*, & *Quiſquam*, non obſervabant quo genere, aut quo numero declinarent. Eſt ergo figura *ἀρχαϊσμός*.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Nam nimium ſemper eſt calor, & frigus recedit a corpore.*] Vel legendum cum Doctiſſ. Wichingio: *Nam in nimio amore frigus eſt, & calor recedit a corpore.* Vel ſcripſit Donatus: *Nam in amore nunquam ſemper eſt frigus, & calor recedit a corpore.* Poſſit autem ex ſcriptura, *nam in am.* ignorantia dicam an incuria Librariorum omiſſum eſſe, *in am.* quaſi ſuperfluum, quod magis etiam vero eſt ſimile, ſi forte legerunt, *nam iam.* Clarius autem explicuit mentem ſuam ad Eun. I. 2. 4.

COMMENTARIUS.

22. Nunc hoc primum est.] Τὸ est, quod nec Donatus agnoſcit, videtur poſſe abeſſe, ut ſenſus ſit: *Nunc hoc primum incipiam.*

23. Horresco.] Q. d. Algere incipio. Juvenal. Sat. I. 93. De Luſore:

& horrenti *tunicam non reddere ſervo?*

Perſ. Sat. I. 54.

Scis comitem horridulum *trita donare lacerna.*

Vide plura ad Eun. I. 2. 4. Similis porro ſententia eſt apud Plaut. Capt. I. 1. 28.

quae aedes lamentariae
Mihi ſunt: quas quotieſcunque conſpicio, fleo.

Ubi pultare hasce occipio miser.] Mira Mſſ. varietas. In aliis, Ubi hasce pultare occipio fores miser. In aliis, Ubi hasce pultare occipio fores. Rurſus in aliis, Ubi pultare hasce occipio miser fores. Muretus defendit fores miser, ut ſit Jambicus quadratus; laudante Fr. Fabricio. Rivius & Faërnus rejiciunt fores. Videntur mihi in tribus hiſce verſibus ineſſe ſigna Aeſchini perturbati; unde parum concinne loquitur, geminans, nunc, nunc; ibo, accedam; fores, fores. De quo Rivius & Faërnus non cogitarunt.

24. Heus! heus! Aeschinus ego sum.] Sic Eun. III. 3. 24. & 25.

Aperite aliquis.] Syntheſis Plauto familiaris. Pſeud. V. 1. 37.

Aperite, aperite, *heus, Simoni me adeſſe,* quis nunciate.

25. Concedam huc.] Ita ſolebant a foribus paullulum recedentes, ne in viam proturbarentur. Heaut. I. 1. 121.

ſed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quiſnam egreditur? huc conceſſero.

Plaut. Caſ. II. 7. 11.

At at, concedam huc: *audio aperiri fores.*

Et alibi ſaepius.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUARTI

SCENA QUINTA.

MICIO. AESCHINUS.

ITA, uti dixi, Soſtrata,
Facite: ego Aeſchinum conveniam; ut, quomodo acta haec
ſint, ſciat.
Sed quis oſtium hoc pultavit? *Aeſ.* Pater hercle eſt. perii!
Mi. Aeſchine.
Aeſ. Quid huic hic negoti 'ſt? *Mi.* Tune has pepuliſti fores?
Tacet. cur non ludo hunc aliquantiſper? melius eſt:
Quan-

DONATI.

1. ITA, UTI DIXI, SOSTRATA, FACITE.] [1] Hic apparet, Micionem jam multa dixiſſe.

2. FACITE.] Jubet vel ſecurae ſint, vel adornent nuptias. EGO AESCHINUM CONVENIAM.] Mire, occurſurus Aeſchino, Aeſchinum quaerit.

3. PATER HERCLE EST.] Quid eſt hoc, quod Micio timetur? an quia illi non eſt confeſſus? Oſtendit autem Poëta, tantundem pudorem poſſe, aut amplius, quam timorem.

4. QUID HUIC HIC NEGOTI 'ST?] Alius timor, quod hinc egreditur pater. TUNE HAS PEPULISTI FORES?] Sic coepit interrogare, ut negationi locum praebeat. Et nota PEPULISTI, elatum verbum: & [2] tragico cothurno magis, quam loquelae comicae accommodatum.

5. TACET.] Hoc apud ſe loquitur Micio. MELIUS EST.] Et non, *Ludere bonum eſt:* ſed MELIUS. Et hoc meliore affectu dixit, quam ſi diceret; *Dignus eſt.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Hic apparet.*] Forte, *Hinc apparet.*

2. *Tragico cothurno magis.*] Ita tamen & infra V. 3. 2.

COMMENTARIUS.

1. UTI DIXI.] Ita Donatum ſequutus expreſſi. In Libris quibuſdam eſt, UT DIXI.

2. FACITE.] Ita legendum eſſe vel e Donato adparet, quare quorundam Codicum FACITO pro mendoſo habendum.

4. QUID HUIC HIC NEGOTI 'ST?] Haec Aeſchinus ad ſpectatores converſus cum pavore pronunciat.

5. CUR NON LUDO HUNC ALIQUANTISPER?] Sic Heaut, IV. 6. 20.

Ludis *fortaſſe me.*

Haec ita ſecum Micio, ut ſimul ſpectator intelligat, quid facturus ſit.

Quandoquidem hoc numquam mihi ipſe voluit credere.
Nihil mihi reſpondes? *Aeſ.* Non equidem iſtas, quod ſciam.
Mi. Ita? nam mirabar, quid hic negotii eſſet tibi.
Erubuit: ſalva res eſt. *Aeſ.* Dic ſodes, pater,
Tibi vero quid iſtic eſt rei? *Mi.* Nihil mihi quidem:
Ami-

DONATI.

6. Hoc numquam mihi ipse voluit credere.] Contra illud, quod ait,

Poſtremo alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium.

Credere autem magno affectu dixit. non enim confiteretur ut patri: ſed crederet, ut parenti aut ſodali ſuo.

7. Non equidem istas.] Deeſt, *Pulſavi.* Quod sciam.] Quantum ſcio.

8. Ita? nam mirabar, quid hic negotii esset tibi.] [1] Accepit negationem Micio, ut ludere Aeſchinum poſſit.

9. Erubuit: salva res est.] Nimis paterna ſententia. Et e contrario Simo in Andria, *Vide, num ejus color pudoris ſignum uſquam indicat?* Et quanti affectus eſt, non dixiſſe *Erubuit; ſalvus eſt*: ſed, Salva res est. Nonne videtur tibi res ejus omnis in Aeſchino conſtituta? eodem animo & ſupra dixit, *In eo me oblecto: ſolum id eſt carum mihi.* Non enim solum intulit quod exſpectabatur: ſed abſolute, quaſi ex omnibus solum id eſt, inquit.

10. Nihil mihi quidem.] Mihi, id eſt, meae propriae rei. Et callida negatione coepit: ut & illi adimat confitendi locum ac fiduciam: ſimulque fiat ei deſperatio ducendae ejus, cujus mentio tam contemtim ab ipſo tractetur.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Accepit.*] Vel *Accipit* legendum, vel mox, *poſſet.* quanquam & ad verſum 10. legitur: *coepit, ut adimat.*

COMMENTARIUS.

7. Istas.] Sub. Fores pepuli. Quanto magis mirum, & quoſdam Mſſ. & non peſſimae notae editos Codd. praeſerre instas.

9. Erubuit: salva res est.] Menander:

Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.

Citat Stobaeus Flor. Tit. XXXI. Sic Eun. II. 2. 37. Plaut. Rud. IV. 3. 98.

Euge, ſalva res eſt: *praeda haec perpetua 'ſt mea.*

Haec autem Micio ad ſpectatores converſus dicit.

12. Advocatum sibi.] Συνήγορον. συνηγορήσοντα. Plaut. Poen. III. 1. 23.

Pridie nos te advocatos *huc duxiſſe oportuit.*

Vide ad Eun. II. 3. 48.

13. Quaedam mulieres pauperculae.] Quaſi de obſcuris per contemtum loquitur, ut tacite ſpem omnem nuptiarum adimat Aeſchino, falſa veris miſcens. Plaut. Epid. IV. 1. 28.

virgini pauperculae
Tuaeque matri me levare paupertatem.

Poen. III. 1. 33.

quanquam ſumus pauperculi,
Eſt domi, quod edimus.

14. Ut opinor, has non nosse te, et certo scio.] Niſi legem Pediam metuerem, legerem: Ut opinor, has non nosti; et certo scio. Bona Librorum pars, Opinor, has non nosse te, legit. Quod Dacieria eſt ſequuta, & ante illam Fr. Fabricius. Solent vero ea quae opinamur, & quae certa ſunt, jungi ſibique opponi. And. II. 2. 30.

Pa. *Non* opinor, *Dave.* Da. Opinor, *narras? non recte accipis.*
Certa res eſt.

Et V. 4. 26.

Opinor, *fuiſſe Phaniam*: hoc certo ſcio,
Rhamnuſium ſe ajebat eſſe.

Neque

Digitized by Google

Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum ſibi. *Aeſ.* Quid? *Mi.* Ego dicam tibi:
Habitant hic quaedam mulieres pauperculae:
Ut opinor, has non noſſe te, & certo ſcio.
Neque enim diu huc commigrarunt. *Aeſ.* Quid tum poſtea?

Mi.

DONATI.

11. AMICUS QUIDAM ME A FORO ABDUXIT MODO HUC ADVOCATUM SIBI.] Hinc incipit mendacium, miſtum vero. nam AMICUS QUIDAM ME A FORO HUC, verum eſt: ADVOCATUM, falſum. Sed HUC & QUIDAM, modo ἔμφασιν habent levis negotii, & in quo nec magnae perſonae, nec res difficilis operae aut longae occupationis habentur. Et ADVOCATUM dicendo, alienum negotium demonſtravit: nam & SIBI non vacat. ſi enim *mulieribus* addidiſſet, potuit aliud ſperari.

12. QUID?] Deeſt *Ait*: ut ſit, *Quid ais?* EGO DICAM TSBS.] Senile eſt. nam id jam dicendum fuit, & hoc ἔμφασιν habet vilis rei, quae vel facile dici poſſit, vel non celanda ſit.

13. MULIERES PAUPERCULAE.] Non potuit magis celare dignitatem formae & aetatis puellae, quae amatur ab Aeſchino, quam ut eam primo eodem nomine cum matre nominaret: deinde communiter diceret de ambabus univerſa, quibus contemni debeant. QUAEDAM MULIERES PAUPERCULAE.] PAUPERCULAE addidit, ut magis deſperet Aeſchinus impetrari poſſe has nuptias a patre. Et item QUAEDAM: ut ignobiles demonſtrarentur. Et totum hoc cum abjectione pronuntiandum eſt. QUAEDAM & PAUPERCULAE dicendo, adimit omnem ſpem nuptiarum: nam QUAEDAM, ignobilem indicat: *Pauper*, indotatam. Quid ergo remanet, quod ſperet Aeſchinus? PAUPERCULAE.] Nec *pauperes* ſaltem.

14. OPINOR.] Vel adeo obſcurae ſunt, & nullius pretii, UT OPINOR, HAS NON NOSSE TE. Potuit recte dicere & hoc, *Ut opinor, has non noſti*: ſed illud ⁴ venuſtius, UT OPINOR HAS NON NOSSE TE.] Aut abundat UT: aut deeſt *Scilicet*. Magnum autem crimen eſt in forma vicinae puellae, incognitam eſſe adoleſcenti de proximo. Et quia ſcit hunc eſſe, de quo dixerit, *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?* ſubdidit cauſam, ne dignitatis pudoriſque eſſet, quod eam incognitam Aeſchino eſſe dixiſſet: NEQUE ENIM DIU HUC, inquit, COMMIGRAVERUNT. Et UT OPINOR, mire ipſe ſibi ſumit atque confirmat, quod nondum ille confeſſus eſt. ET CERTE SCIO.] Ἐπανόρθωσις. ⁵ parum dixit, inquit.

15. QUSD TUM POSTEA?] Gratiſſime proditur Aeſchinus amator, quum ſedulo diſſimulet.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Venuſtius.*] Ita editiones nuperae. Antiquiores cum Mſ. Boend. *vetuſtius.*

5. *Parum dixit, inquit.*] Legendum omnino: *Parum dixi, inquit.*

COMMENTARIUS.

Neque aliter in veteri verſu, quem laudat Gellius, X. 24.

> *Nuper die quarto*, ut recordor, & certe
> *Aquarium urceum unicum domi fregit.*

Cic. Lael. 3. *Moveor enim tali amico orbatus, qualis*, ut arbitror, *nemo umquam erit: &*, ut confirmare poſſum, *nemo certe fuit.* Guyetus nodum gladio ſecans, expungit integrum verſum; & ne ſequens obſtet, in quo ratio redditur, quare eas non norit Aeſchinus, τὸ ENIM pariter delet

15. NEQUE ENIM DSU HUC COMMSGRARUNT.] And. I. 1. 43. Plaut. Perſ. I. 3. 57.

> *Siquidem hic leno nondum ſex menſes Megaribus*
> *Huc eſt cum* commigravit.

18. Huc

Mi. Virgo eſt cum matre. *Aeſ.* Perge. *Mi.* Haec virgo orba
eſt patre:
Hic meus amicus illi genere eſt proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. *Aeſ.* Perii! *Mi.* Quid eſt?
Aeſ. Nihil: recte: perge. *Mi.* Is venit, ut ſecum avehat:
Nam habitat Mileti. *Aeſ.* Hem! virginem ut ſecum avehat!
Mi. Sic eſt. *Aeſ.* Miletum uſque? obſecro! *Mi.* Ita. *Aeſ.* Animo male 'ſt.

Quid

DONATI.

16. VIRGO EST CUM MATRE.] Vult Micio ſic audire Aeſchinum, tanquam alieniſſimum: & ideo veluti inſcius facti, diligentius narrat. *Virginem* autem ἀρχαϊσμῷ, pro *muliere* dixit.

17. HIC MEUS AMICUS.] Qui me advocatum abduxit de foro.

18. HUIC LEGES COGUNT NUBERE.] Non *Permittunt*, dixit, nec *jubent*: ſed COGUNT, ad perturbandum Aeſchinum. Et recte. alia enim ſinunt leges, alia cogunt fieri. Et ne eſſet quo reſiſteretur illi, vult ut mulieres a lege cogantur. PERII!] Hoc audit Micio, ſed diſſimulat.

19. NIHIL: RECTE.] Id eſt, *recte quod perii*. Et nihil magis comicum. Et vide * triſyllabum artificioſe eſſe ſubjectum: ut qui PERII dixit, vix hoc locutus fuiſſe videatur. PERGE.] Vide inſtantius interrogantem, quam extraneum decuit. IS VENIT, UT SECUM AVEHAT.] Aliud pejus in amatam, ut nec Athenis ſaltem alteri nuberet.

20. NAM HABITAT MILETI.] Πιθανῶς MILETI: & eſt adverbium locale. HEM! VIRGINEM UT SECUM AVEHAT!] Hic acrius commoveri proditur adoleſcens, ut affectu fateatur, quod verbis negat.

21. SIC EST. MILETUM USQUE? OBSECRO! ITA. ANIMO MALE 'ST.] Ille oblitus ſui, ſic indignatur, ut in re propria: hic rurſus callide vultu utitur, tanquam aliena narrantis. MILETUM USQUE? OBSECRO!] Bene USQUE. nam *Miletos*, colonia eſt Athenienſium in Ponto. ANIMO MALE 'ST.] *Animo male fieri* dicitur, quum ictu alicujus moeroris perculſus animus, non ſuſtinet corpus: ſequiturque ruina membrorum.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Triſyllabum.*] Abr. Wielingius legit, *triſyllabo.*

COMMENTARIUS.

18. HUIC LEGES COGUNT NUBERE HANC.] Idem Phorm. I. 2. 75. repetitur. Fuit autem ſimilis lex in Populo Iſraëlitico. Vide Numer. XXXVI. 6. ſeqq. quod inſtitutum a Phoenicibus ad Athenienſes tranſlatum autumat Grotius. Conf. Meurſ. Them. Att. I. 13. & Plutarch. in Solone.

PERII!] Id ita ad ſpectatores converſus dicit Aeſchinus, ut tamen Micio audiat.

19. NIHIL; RECTE; PERGE.] Ut ſuſpicionem omnem a ſe amoliatur Aeſchinus, idem bis dicit, NIHIL, & RECTE. Eun. II. 3. 50. Heaut. III. 2. 7. Hec. III. 2. 20. Plaut. Merc. II. 3. 33.

DE. *Unde incedis? quid feſtinas? gnate mi.*
CH. Recte, *pater.*

Impatiens autem morae Aeſchinus, & ut quamprimum ſciat, quid actum de ſua amica, PERGE, ait. Sic And. II. 2. 26. Phorm. IV. 3. 36.

20. HABITAT MILETI.] Videntur igitur vel mulieres illae pauperculae habitaſſe antea Mileti.

Digitized by Google

Quid ipſae? quid ajunt? *Mi.* Quid illas cenſes? nihil enim.
Commenta mater eſt, eſſe ex alio viro,
Neſcio quo, puerum natum: neque eum nominat:
Priorem eſſe illum; non oportere huic dari.
Aeſ. Eho! nonne haec juſta tibi videntur poſtea?
Mi. Non. *Aeſ.* Obſecro! non? an illam hinc abducet, pater?
Mi. Quid illam ni abducat? *Aeſ.* Factum a vobis duriter,
Immiſericorditerque: atque etiam, ſi eſt, pater,

Dicen-

DONATI.

22. Quid ipsae? quid ajunt?] Non ſtatim credit Aeſchinus pudicam matremfamilias ſtatim conſentire in nuptias novas viri ignoti. Quid illas censes?] *Poſſe dicere*, ſubaudiendum. Nihil enim.] *Dicunt*, ſubaudiendum. Et ſic intelligendum Nihil, non quod taceant, ſed quod nihil confirmationis habeat, id quod dicunt.

23. Commenta mater est.] Nunc dicit quid dicat. etiam Commenta dixit, id eſt, fallaciam confinxiſſe, veriſimile comminiſci. Ex alio viro.] Jam de proximo tangit Aeſchinum.

25. Priorem esse illum.] Mire tractat etiam partes Aeſchini.

26. Nonne haec justa tibi videntur postea?] Scilicet illa, quae amicus tuus dixerat prius, quam haec audires. Justa tibi.] Justa, quae poſtea audiſti, quam illa quae pro Lemnio dicebas prius. Aut ſi hoc non eſt: quaere quid ſit Postea. Videtur enim Postea ſic abundare, quomodo interdum *Hodie*, de ſtomacho adjicitur loquentis. ut [7] *Virgilius* dicit:

Numquam omnes hodie moriemur inulti.

27. Non.] Vultuoſe pronuntiandum eſt Non. An illam hinc abducet, pater?] Hinc, tanquam ſingultus ploraturi eſt. nam ſic eſt pronuntiandum. Pater.] Quaſi hoc ad ſupplicandum dicatur.

28. Factum a vobis duriter.] Non *Dure* & *Crudeliter*: ſed quaſi dura mente, id eſt, inflexibili, & quod Graeci dicunt *ἀτενής*.

29. Immisericorditerque.] Nota [8] octo ſyllabarum adverbium, atque inſuper compoſitum, &

OBSERV. IN DONAT.

7. *Virgilius.*] Aen. II. 670.
8. *Octo ſyllabarum.*] Immo ſeptem, ſi ſepares conjunctionem *que*, quod ipſe Donatus facit.

COMMENTARIUS.

ti, vel ſaltem eandem legem Solonis & Athenis & Mileti viguiſſe.

21. Animo male 'st.] Plaut. Amph. V. 1. 6.

Animo male 'ſt. *aquam velim!*

Et ſaepius alibi. Haec autem Aeſchinus averſus ſecum loquitur.

22. Quid illas censes?] Sic And. V. 2. 12. Edit. 1469. Quid istas censes?

25. Priorem esse illum.] H. e. potiorem, jure nimirum cognationis. Sic Eun. I. 2. 71.

26. Videntur postea?] Παρέλκει τὸ postea. Sic Plaut. Menaechm. III. 2. 31.

An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Poſtea?

28. Quid illam ni abducat?] Tmeſis Comica. Sic ſupra III. 3. 28.

Utrum ſtudione *id ſibi habet, an laudi putat Fore.*

Pro, *Utrumne ſtudio.* In pluſculis tamen Libris eſt, Quidni illam abducat?

29. Immisericorditerque.] Stomachoſa vox multarum ſyllabarum, & quae magnum πάθος habet, conveniens indignanti Aeſchino. quod mox αὔξησιν accipit per τὸ illiberaliter,

Dicendum magis aperte, illiberaliter.
Mi. Quamobrem? *Aeſ.* Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi miſero, qui cum illa conſuevit prius,
Qui infelix haud ſcio an illam miſere nunc amat,

Quum

D O N A T I.

& cum conjunctione prolatum. SI EST, PATER, DICENDUM MAGIS APERTE.] Id eſt, apertius: quia jam apertum fuerat, DURITER & IMMISERICORDITER. Et bene praefatus eſt, ne contumax adverſus patrem videretur.

30. ILLIBERALITER.] Αὔξησις. nam multa DURITER, etiam ſi opus ſit, IMMISERICORDITER quoque, & facienda ſunt, & patienda, ſi ita ratio & cauſa cogat: & non ſit *illiberale*, id eſt, non malum atque inhoneſtum. ILLIBERALITER.] Injuſte, inclementer, non bene. quia *liberalis*, bonus dicitur.

31. QUAM OB REM?] Delectari magis cupiens Micio, Aeſchinum vult protrahere ad defenſionem ſui.

32. FORE ANIMI MISERO.] Quid de ſe plus diceret, ſi factum fateretur? QUI CUM ILLA CONSUEVIT.] Legitur & ILLAM: & dicebant veteres, *Hanc rem conſuevit*, & συγχωμόνως. ut *Plautus*, *Et clandeſtina ut celetur conſuetudo.* Et majore affectu non amorem allegavit, ſed quod eſt commune cum bonis, & multo juſtius, conſuetudinem.

33. QUI INFELIX.] Non QUI: ſed, QUI INFELIX: & non AMAT: ſed MISERE, dixit. Et ita affectu proditur, qui ut alienus vult loqui.

O B S E R V. I N D O N A T.

9. *Plautus.*] Amph. I. 2. 28. In Mſ. Plauti Boend. eſt *ſuſpicio*, ſed in Mſ. Donati, *conſuetudo*. Ita & edd. veteres habent. Scioppius autem ob iambicum ſenarium recte reſtituit, *conſuetio*. Atque ita citat Feſtus, ſeu Verrius Flaccus: *Conſuetionem Plautus pro conſuetudine dixit.*

C O M M E N T A R I U S.

TER, h. e. indigne viris liberis. Sic ſupra III. 4. 3. Dixit autem, DURITER IMMISERICORDITERQUE, uti Cicero contra, pro P. Sulla, cap. 1. *Lenitatem meam miſericordiamque.*

30. DICENDUM MAGIS APERTE.] Similis locutio, And. II. 6. 23. Adde And. I. 2. 31. Eun. V. 1. 3. Heaut. IV. 3. 24. Phorm. IV. 3. 49.

31. QUID ILLI TANDEM CREDITIS FORE ANIMI MISERO?] Τίνα οἴει ψυχὴν ἔχειν; Vide P. Victor. I. 7. Sic Eun. V. 7. 14. Cic. pro Dejot. 2. *Quid nunc mihi animi ſit.* Virg. Aen. IV. 408.

Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia, ſenſus?

Homer. Iliad. Ω. 368.

Τίς ἄν δή τοι νόος εἴη;
Quae tunc tibi mens eſſet?

32. CUM ILLA CONSUEVIT.] Ita Mſſ. Leidenſes quinque, Traject. Bodl. & Lipſ. Sed Mſ. Mark. & Boend. ILLI CONSUEVIT. quod Graecis eſt, ὁμιλεῖν τινι. Atque ita legunt Muretus, Rob. Stephanus, Pulmannus, Heinſius, & his multo vetuſtiores Libri, in quibus Anonymus. Guyetus κατ' ἀναστροφὴν legit, QUI ILLA CUM SUEVIT PRIOR. Ego Juntas, Aldum, editionem anni 1469. & alias ſequutus ſum. Eſtque Phraſis magis Terentiana. Sic Hec. IV. 1. 40. Phorm. V. 6. 34. probante P. Victorio, Var. Lect. I. 7. Plaut. Ciſt. I. 1. 88.

ſed tu en unquam cum quoquam viro
Conſueviſti?

Caecilius, Plocio:

Ea me, clam ſe, cum *mea* ancilla *ait*
Conſuetum.

Eſt porro vocabulum μίτον, neque tantum de ſtupri conſuetudine, ſed & amore conjugali uſurpatum, pariter uti *conſuetudo*. Vide Parei Lexic. Plaut. Certe h. l. in bonam partem ſumi, vel inde evincitur, quod mox verſu 38. Micio rogat: *Cur duxit alienam?*

PRIUS.] Ita vulgo. PRIOR tamen vincit numero Librorum. Sic Eun. Prol. 6. *quia laeſit prior.*

33. HAUD SCIO AN.] Pro eo, quod vulgo, *Haud ſcio, an non.* Cic. Fam. IX. 15. *Eſt id quidem magnum, atque* haud ſcio, an *maximum.*

Et

Quum hanc ſibi videbit praeſens praeſenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum! pater.
Mi. Qua ratione iſtuc? quis deſpondit? quis dedit?
Cui? quando nupſit? auctor his rebus quis eſt?

Cur

DONATI.

34. Praesens praesenti eripi.] Adjuvant ſignificationem haec ex abundanti addita: ut,

[10] *Illam abſens abſentem auditque videtque.*

Et,

[11] *Fratrem ne deſere frater.*

Sic *Caecilius* in Eratoſthene, *Haec caterva plena gladiatoria, quum ſuum ſibi alius ſauciat: ſocius ſocium.* Et totus hic locus eſt tranſlatus [12] ex *Virgilio*, [13] in IIII. Aeneid.

Quis tibi nunc, Dido, cernenti talia ſenſus?
Quoſve dabas gemitus, quum littora fervere late
Proſpiceres arce ex ſumma, totumque videres
Miſceri ante oculos tantis clamoribus aequor?

36. Istuc?] Deeſt, *Dicis.* Quis desponditt?] Latenter objurgat Aeſchinum, rem ſine patre geſſiſſe. Et dicitur figura ἐπιτροχασμός. Quis despondit?] Qdia non interfuit pater. Quis dedit?] Quia rapuit antequam peteret.

37. Quando nupsit?] Quia nuptiae non factae ſunt. Et Nupsit moleſte additum, quaſi aliena ſit, quae non legibus ducta ſit. Auctor his rebus quis est?] Dativo caſu. non *Harum rerum.* Et [14] *Salluſtius, Qui tunc Romanis imperater erat.* Auctor his rebus quis est?] Iterum objurgat, quia non interfuit pater. Et agit ſic dolens, velut ſibi minus amoris praebitum fuerit, Micio: ut ſe his, quantum amor patitur, videatur ulciſci; quodque ſibi negotium non confiteatut Aeſchinus.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Illam abſens.*] Virgil. Aeneid. IV. 83. Ubi mirum, etiam Rob. Stephanum & Lindenbruchium edidiſſe, *illam*, quum legendum ſit, *illum*.

11. *Fratrem.*] Virg. Aen. X. 600.

12. *Ex Virgilio.*] Ita & Rob. Stephanus edidit. Sed Lindenbruchius & Codd. veteres rectius legunt, *a Virgilio*.

13. *In IIII. Aeneidos.*] Verſu 408.

14. *Salluſtius.*] Jugurth. 7.

COMMENTARIUS.

Et IX. 18. *Extremum illud eſt, quod tu* neſcio an *primum putes.* Idem IX. 14. *Contigit enim ſibi, quod* haud ſcio, an *nemini.* Guyetus praeter rationem verſum hunc expungit.

34. Praesens praesenti.] In Libris quibuſdam eſt, Praesens praesentem. quomodo & Servius legit ad Virg. Aen. IV. 83.

abſens abſentem auditque videtque.

Similis locutio, Hec. III. 2. 15. & IV. 1. 42. Plaut. Moſtell. V. 1. 27.

aſſum praeſens praeſenti *tibi.*

Amph. II. 1. 77.

Vigilantem *ille me jam dudum* vigilans *pugnis contudit.*

Pſeud. IV. 7. 43.

te ipſus coram praeſens praeſentem *vides.*

35. Abduci ab oculis?] H. e. e conſpectu. Phorm. III. 3. 15. Plaut. Caſin. II. 4. 23.

Abin' hinc ab oculis?

Trin. IV. 2. 147.

Abi hinc ab oculis.

Truc. II. 5. 24.

abite ab oculis.

Facinus indignum!] And. I. 1. 118. Plautus paſſim. Virg. Aen. II. 285.

quae cauſa indigna *ſerenes*
Foedavit vultus?

36. Qua ratione istuc?] Haec, & quae ſequuntur, interrogationes, cumulum rationum continent, pro cauſſa Mileſii illius, ſimulque aptae ſunt, ad Aeſchinum, perturbatione miſſa, eo redigendum, ut invicem argumentis agat cum patre. Qua in re mirum Poëtae eſt artificium.

37. Cui? quando nupsit?] Sollicitant hanc lectionem Guyetus & Dacieria. Ille, Quis dedit huic? quando nupsit? Haec: Cui, quando nupsit? legunt. Addit Dacieria, de-

Digitized by Google

Cur duxit alienam? *Aeſ.* An ſedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, expectantem? haec, mi pater,
Te dicere aequom fuit, & id defendere.

Mi.

DONATI.

38. CUR DUXIT ALIENAM?] [15] Utrum filiam? an quae poſſit aliena eſſe? nam omnes alienas filias ducunt. AN SEDERE OPORTUIT.] SEDERE proprie ignavae ceſſationis eſt. ut,

[16] *Sedeant ſpectentque Latini*,

Et,

Quid ſedes, Verres? quid ſpectas?

39. TAM GRANDEM.] GRANDEM, ad aetatem veteres retulerunt, non ad corpus. Et in parte aetatis dicitur *grandis*, non in tota vita, niſi ſi addatur *natu*. ut, *Grandis natu parens adductus ad ſupplicium.* Et *grandis infans*, & *grandis puer*, & *grandis ephebus*, & *grandis virgo* recte dicitur. Et unde ſcit Aeſchinus? an GRANDEM hic fingit ignotam? an quia dixit pater, COMMENTA MATER EST ESSE EX ALIO VIRO, NESCIO QUO, PUERUM NATUM. Ergo & illa *grandis*: & ſerus Mileſius, qui tunc virginem petit, quum jam alteri data ſit, vel [17] rapta ſit alteri. DUM COGNATUS HINC ILLINC VENIRET.] Proverbialiter HINC ILLINC.

41. ET ID DEFENDERE.] Non potuit magis amatorie, & magis pueriliter loqui, quam ut non contentus quod ait, HAEC DICERE TE AEQUUM FUIT: etiam adderet, ET ID DEFENDERE. Patet autem qualis affectus eſt, quum etiam patri ob alienam cauſam blanditur, ut ipſe nunc ſimulat.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Utrum filiam?*] Optimi Codd. ita: *Utrum filiam? an quae poſſit eſſe? nam omnes alienas filias ducunt.*
16. *Sedeant.*] Virg. Aen. XII. 15.
17. *Rapta.*] Ita Rob. Stephanus & Lindenbruchius. vetuſtiores melius cum Mſſ. *Nupta.*

COMMENTARIUS.

ſignari cerimonias nuptiarum. Nihil mutandum. quia enim dixerat verſu 23. & 24.

Commenta mater eſt, eſſe ex alio viro,
Neſcio quo, puerum natum: neque eum nominat,

Nunc commode quaſi confeſſionem ex Aeſchino eliciturus rogat, CUI? QUANDO NUPSIT?

AUCTOR HIS REBUS QUIS EST?] Virgil. Aen. II. 150.

Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? quis auctor?
Quidve petunt?

Eſt vero AUCTOR, de cujus ſententia & conſilio res geritur. Vide And. Prol. 19. Eun. V. 7. 12. Cic. pro A. Cluent. 5. *Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus*, nullis auctoribus, *funeſtis ominibus omnium.* Edir. anni 1469. QUI EST?

38. CUR DUXIT ALIENAM?] Senſus eſt, Cur, qui prior conſuevit cum filia, duxit eam alteri viro ex lege Attica debitam? Quae hic Donatus notat, vix eſt, ut Donato tribui queant.

AN SEDERE OPORTUIT DOMI VIRGINEM TAM GRANDEM.] Reſpicit morem Graecorum, de quo Nepos in Praefatione. Ubi vide Interpretes. Virg. Aen. VII. 52.

Sola domum & tantas ſervabat filia ſedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Sed & *ſedere* notat otioſum eſſe, & exſpectare rei gerendae occaſionem. Cic. Fam. XVI. 7. *Iis enim ventis iſtinc navigatur, qui ſi eſſent, nos Corcyrae non* ſederemus. Dixit autem, VIRGINEM GRANDEM, uti And. IV. 5. 19. *Grandiuſcula.* Plaut. Aul. II. 2. 14.

Virginem *habeo* grandem, *dote caſſam, atque illocabilem.*

Trin. II. 2. 93.

Soror illi eſt adulta, virgo grandis.

40. HUC ILLINC.] Ita eſt in Mſſ. Leidenſibus quinque, Traject. Lipſ. Bodl. & Boenderm. probante Glareano. Sed in Mark. eſt, HINC ILLINC. quomodo & Donatus legit, aitque *proverbialiter dictum*. Priorem lectionem tuentur Juntae, Aldus, Rob. Stephanus in eleganti edir. minimae formae, anni 1540. Muretus; poſteriorem Pulmannus, Manutius, Heinſius,

Mi. Ridiculum: advorſumne illum cauſam dicerem,
Cui veneram advocatus? ſed, quid iſta, Aeſchine,
Noſtra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid eſt?
Quid lacrumas? *Aeſ.* Pater, obſecro, auſculta. *Mi.* Aeſchi-
ne, audivi omnia,

Et

DONATI.

42. Ridicule.] Vocativus eſt caſus, ab eo quod eſt *ridiculus*.

43. Quid iſta, Aeschine, noſtra?] Hic jam ultima deſperatio, & Aeſchinum in confeſſionem protrahet, & in finem fallaciae ſenem deducet. Et bene quidem Noſtra dixit. memor eſt enim ſe reſpondiſſe Aeſchino interroganti, *Tibi vero quid iſtic rei eſt? Nihil mihi quidem*. Totum autem hoc ſenex ad id redegit, non tam ut torqueret Aeſchinum, quam ut majus faceret beneficium ſuum, exponendo [18] id quod pene periculum amor ejus incideret.

44. Quid eſt? quid lacrumas?] Quaſi repente animadverterit flentem, & quaſi cauſam omnem neſciat, ſic inquirit.

45. Aeschine.] Non exhibuiſſet perſonam patris, niſi pietate victus, pati filium nollet confeſſione torqueri, [19] *Virgilius*:

nec plura querentem
Paſſa Venus, medio ſic interfata dolore eſt.

Bene ergo intelligunt, qui ſic accipiunt, perfecturum adhuc fuiſſe Micionem, niſi victus affectu, fallaciam projeciſſet.

OBSERV. IN DONAT.

18. *Id quod.*] Lectio Rob. Stephani & Lindenbruchii, Mſ. Boend. & edd. veteres melius: *In quod pene periculum.*

19. *Virgilius.*] Aeneid. I. 385.

COMMENTARIUS.

ſius, cum multis editionibus vetuſtis; quaſi non de Mileſio illo tantum, ſed de quovis cognato hinc illinc veniente ſermo fit.

42. Ridiculum.] Rob. Stephanus, Manutius, Pulmannus, Heinſius, alii Donati auctoritatem ſequuti Ridicule ediderunt. Sed ſi maxime ita praeſtaret legere, adverbium eſſet, non vocativus. Phaed. III. 4. 5.

Ridicule *magis hoc dictum, quam vere, aeſtimo.*

Advorſumne illum cauſam dicerem, cui veneram advocatus?] Eun. Prol. 10. Phorm. II. 1. 42. Nove id quidam dictum exiſtimant, quum *cauſam dicere* proprie ſit rei & defenſoris. Ergo & nove dixerit Aeſchinus, Haec, mi pater, te dicere aequom fuit, et id defendere. Verum & reus & actor *cauſam dicunt*. Phaed. I. 10. 7. de Lupo & Vulpe:

Uterque cauſam *quum* peroraſſent *ſuam*.

Ad Micionis vero ſententiam accedit illa Plauti, Menaechm. V. 2. 48.

Hinc ſtas, illinc cauſam dicis.

Cic. Off. I. 10. *Si conſtitueris te* cuipiam advocatum *in rem praeſentem eſſe* venturum. Theophraſt. Charact. cap. 5. Περὶ ἀρεσκείας. Καὶ παρακληθεὶς δὲ πρὸς δίαιταν μὴ μόνον ᾧ πάρεστι βούλεσθαι ἀρέσκειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἀντιδίκῳ, ἵνα κοινὸς εἶναι δοκῇ.

44. Quid nobis cum illis?] Supra II. 1. 23. Heaut. IV. 4. 20. Plaut. Menaechm. V. 2. 74.

Quaeſo, quid mihi tecum 'ſt!

Neque aliter Scriptores ſacri. 2. Sam. XVI. 10. מה-לי ולכם בני צריה *Quid mihi vobiſcum, filii Tzerujae?* Evang. Joh. II. 4. Τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; *Quid mihi tecum, mulier?*

45. Aeschine, audivi omnia.] Ita victus pietate & lenitate pater eloqui filium non ſinit, ne confeſſione delicti torqueatur. Non aliter Filius Perditus nihil etiam confeſſus eorum, quae voluerat, blande excipitur a patre. Evang. Luc. XV. 20.

Et ſcio: nam te amo: quo magis, quae agis, curae ſunt mihi.
Aeſ. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admiſiſſe in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. *Mi.* Credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale: ſed vereor, ne indiligens nimium ſies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?

Vir-

DONATI.

46. NAM TE AMO.] Bene addidit, NAM TE AMO, & cetera. nam & invidis, & inimicis [20] moris eſt ſcire, quid agamus.

47. ITA VELIM ME PROMERENTEM AMES.] Quam pie additum eſt PROMERENTEM: tanquam illic ſit votum Aeſchini, quum poſſit pater etiam immeritum amare. Et animadvertendum eſt, UT ſemper ſequi vel ſtatim, vel ex intervallo, maxime in hujuſmodi confirmationibus. Sic [21] *Cicero: Ita velim mihi Deos propitios, ut, quum illius temporis mihi venit in mentem*, &c. VELIM autem, pro *Volo*, antique dicitur.

48. UT ME HOC DELICTUM ADMISISSE IN ME] Me, IN ME, *αὐξητικῶς* adjectum eſt.

49. ET ME TUI PUDET.] Ambiguum quidam hoc dictum putant: ſed apparet adoleſcentem propter ſuum peccatum dicere, [22] non quod quicquam turpe fecerit patri.

50. NE INDILIGENS NIMIUM SIES.] Non ergo ingratus, ſed negligens Aeſchinus: nec negligens, ſed INDILIGENS: nec in alterum, ſed in ſe deliquit. Mirae clementiae genus eſt, aut omnino ignoſcere, aut crimen in levius commutare: nam tota objurgatio ita amica eſt, ut non multum a blandimento diſcrepet: magiſque proficiat apud audientem, ut vult *Terentius*, quam illa aſpera atque praefracta.

51. IN QUA CIVITATE TANDEM TE ARBITRARE VIVERE?] Communem locum inducit a loco, a perſona, a facto, a tempore. IN QUA CIVITATE?] Aliter pronuntiandum eſt, id eſt, preſſe ac leniter: ne faciat [23] illud *Tullianum*, *Pro Di immortales! ubinam gentium ſumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus?* Et TANDEM pro *Tamen*. IN QUA CIVITATE?] Hoc eſt, oblitus es Athenis te eſſe, ubi vivitur legibus? Vide omnes ſententias poni accuſatorias, & [24] nihil amoris. iſti ſunt orationum colores difficillimi: ſed elaboravit *Terentius* Micionem facere leniter accuſantem, & inducere Demeam duriſſime blandientem. IN QUA CIVITATE?] Quod objurgat Micio, magni amoris eſt, & neceſſaria pro perſona aſſentatio: non enim convenit, patrem nimium diligentem filium, ejus praeterire peccata.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Moris eſt ſcire.*] Abr. Wielingius ex conjectura: *amoris eſt, ſcire.*

21. *Cicero.*] Divinat. in Q. Caecil. cap. 13. Ubi Aſconius Pedianus *illius dies* legit. Vide Gruterum.

22. *Non quod quicquam turpe fecerit patri.*] Mſ. Mark. & editi quidam veteres: *Non quod quidquam turpe fecerit pater.* quae vera videtur lectio.

23. *Illud Tullianum.*] Orat. in Catil. I. 4.

24. *Nihil amoris.*] Conjiciebam, legendum eſſe, *Nihil amari*, i. e acerbi. quia continuo dicit, *Micionem leniter accuſantem*. Abr. Wielingius mallet: *Nimis amoris.* Et ſane mox Micionis objurgatio *magni amoris* dicitur.

COMMENTARIUS.

47. PROMERENTEM.] H. e. Bene merentem. And. II. 1. 31. Virg. Aen. IV. 333.

ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo
Promeritam.

Unde & *bene* additur, ſupra II. 1. 47. Phorm. III. 2. 31. Contrarium eſt *commerere*. And. I. 1. 112. Plautus tamen & *promerere* paſſim in malum ſenſum uſurpavit. Vide Amph. II. 1. 20. Menaechm. V. 6. 24. Trin. V. 2. 49.

48. DELICTUM ADMISISSE IN ME.] Sic Phorm. II. 1. 40. & II. 3. 68. Plaut. Amph.

III.

Digitized by Google

Virginem vitiaſti, quam te jus non fuerat tangere.
Jam id peccatum primum magnum: magnum, at humanum tamen:
Fecere alii ſaepe, item boni. at poſtquam id evenit, cedo,
Numquid circumſpexti? aut numquid tute proſpexti tibi,
Quid fieret? qua fieret? ſi te ipſum mihi puduit dicere,

DONATI.

52. VIRGINEM VITIASTI.] Vide & rem dici, & abeſſe tragicam inclamationem, & oſtendi delictum: & ad veniam feſtinari. nam ſtatim dicet: JAM ID PECCATUM PRIMUM EST MAGNUM, AT HUMANUM TAMEN. Et tota pronuntiatio hujuſmodi verbis ſummiſſa debetur.

54. FECERE ALII SAEPE, ITEM BONI.] Moris eſt exemplo lenire, quod purgare non poſſis. FECERE ALII SAEPE, ITEM BONI.] Conſolatio ab exemplo. Et BONI, non quum hoc facerent, ſed alias boni. AT POSTQUAM ID EVENIT.] EVENIT, inquit, non *Commiſſum eſt.* nihil innocentius dici potuit.

55. NUMQUID CIRCUMSPEXTI?] Συγκοπὴ ΗΛΛΗΤΑΝΑCΜΟC* pro *circumſpexiſti. Circumſpicimus* praeſentia, *proſpicimus* futura.

56. QUA FIERET?] Id eſt, qua ratione, quo modo fieret? & *Qua ratione*; id eſt, quibus adminiculis, vel per quas perſonas? SI TE IPSUM MIHI PUDUIT DICERE.] Optime hoc additum eſt: quaſi non debuerit Aeſchinum apud Micionem pudere.

OBSERV. IN DONAT.

25. ΗΛΛΗΤΑΝΑCΜΟC.] Veteres Codices non agnoſcunt hanc vocem, ſed nec editio Rob. Stephani.

COMMENTARIUS.

III. 2. 4. [miſi, *arguit.*
Quae neque ſunt facta, neque ego in me ad-
Plene igitur dixit, quod ἐλλειπτικῶς ſolet efferri, *admittere delictum.*

49. ET ME TUI PUDET.] Senſus eſt, Pudore confundor, propter te, quem offendi graviter, non committens tibi haec, neque credens a principio.

50. INDILIGENS NIMIUM.] H. e. ſocors, uti verſu 61. & Phorm. V. 3. 5.

patris bene parta indiligenter
Tutatur.

Sic Plautus Moſtell. I. 2. 23. & 29. dominum aedium dicit *indiligentem.* Inde igitur JCtis placuit patresfamilias *diligentes* & *diligentiſſimos* vocare, rem tutantes.

51. IN QUA CIVITATE TANDEM TE ARBITRARE VIVERE?] Et ἔμφασιν habet τὸ TANDEM, & id vult, Athenis quam acerrime exercitas fuiſſe leges. Supra verſu 31. & ſaepe alibi. De Athenarum Legibus & Juſtitia vide Meurſium. Cic. pro Mil. 3. In qua tandem urbe *hoc homines ſtultiſſimi diſputant?*

52. JUS NON FUERAT TANGERE.] Vide ad Eun. II. 3. 81. Unde filiam connubio nondum junctam *intactam* vocat Virgilius Aen. I. 345. Idem tamen Micio ſupra, I. 2. 21. dixerat, *flagitium non eſſe, adoleſcentulum ſcortari.*

53. JAM ID PECCATUM PRIMUM MAGNUM: MAGNUM, AT HUMANUM TAMEN] Ita diſtinguo. Plaut. Merc. II. 2. 48.

Humanum *amare eſt.*

In quibuſdam Codd. alterum MAGNUM deſideratur. Quod additum facit tetrametrum brachycatalecticum, vel ecthlipſi neglecta acatalecticum. Reſtituit Muretus velut neglectum a Librariis.

54. FECERE ALII SAEPE, ITEM BONI.] Sic Heaut. V. 2. 4. Plaut. Merc. II. 2. 47. amator decrepitus:

Fecere tale ante alii ſpectati viri.

POSTQUAM ID EVENIT.] Non culpam vocat, nec peccatum commiſſum, ſed fortunae & eventui tribuit pater inepte lenis.

56. QUA FIERET?] Mſ. Mark. QUOMODO FIERET.

Qua reſciſcerem? haec dum dubitas, menſes abierunt decem.
Prodidiſti & te, & illam miſeram, & gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos Deos?
Et illam ſine tua opera in cubiculum iri deductum domum?

Nolim

DONATI.

57. Qua resciscerem?] Qua, id eſt, per quos: & ad omnia ſubauditur, Numquid circumspexti? Qua resciscerem?] Deeſt *Re*, vel *Ratione*. Menses abierunt decem.] Mire abierunt. Quaſi dicat, Te ceſſante, menſes ceſſere: & locus eſt incuſationis a tempore. Et *abire* dicitur, quod paulatim nos deſerit: hoc autem ex partu intelligit.

58. Prodidisti te, atque illam miseram.] Vide feſtivum ſenem, quantum ſe adoleſcenti accommodet: non enim illum, quem cauſa depoſcit, ſed amatorium ordinem fecit, prius dicendo Prodidisti te, quam illam; tum etiam gnatum, ut ex animo amare videatur id quod natum eſt. Prodidisti.] Decepiſti, vel deſeruiſti. ut [26] *Virgilius*,

unius ob iram
Prodimur.

Quod quidem in te fuit.] [27] *Salluſtius*, *Quod in familia noſtra fuit, praeſtitit, ut in omnibus bellis adeſſet vobis.* Et [28] *Cicero*, *Senator P. R. quod in vobis fuit, jacuit & pernoctavit in publico.* Quod quidem in te fuit.] Pro, id quod in te erat; id eſt, quantum in officio tuo ſpei & auxilii partiumque tuarum fuit: vel, quantum ad te ſpectabat. Et hic eſt illud, quod obſequentiſſimus pater vult, omnia per ſe eſſe correcta.

59. Dormienti haec tibi confecturos Deos?] Quam mitis, quam faceta objurgatio! Videtur ſatis Micio ille eſſe, qui antea eſt deſcriptus? Quid? credebas, dormienti haec.] Incerta diſtinctio: nam & per ſe quid? & quid credebas? legi poteſt: & velut hic ſubaccuſatur Aeſchinus, Dormienti haec tibi confecturos Deos? ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Et quae ſint, quae a Diis ceſſantibus praeſtari non poſſint, ſequenti verſu docet, ne videatur de Diis male ſenſiſſe. Dormienti.] Multo melius, quam ſi diceret *ceſſantes*. Et non, *Facturos*: ſed, quod plenum eſt, Confecturos. Et mire Deos ponit in eo negotio, quod ipſe praeſtat: tanquam hic & ſe & Deos excuſet, quod non fecerint Aeſchino quae volebat, etiam dormienti.

60. Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?] Ἀπὸ τοῦ ἄλλου ἀδυνάτου. Ordo, Deductum iri domum.

OBSERV. IN DONAT.

26. *Virgilius.*] Aen. I. 251.
27. *Salluſtius.*] Jugurth. 14.
28. *Cicero.*] Verr. IV. 11. Sed legitur nunc: *In veſtro oppido jacuit, & pernoctavit in publico.*

COMMENTARIUS.

Si te ipsum mihi.] Edit. anni 1469. Si te mihi ipsum.

57. Haec dum dubitas.] Menander apud Hermogenis Scholiaſten:

Ἐμβεβρόντησαι γελοῖον, ὃς κόρης ἐλευθέρας
Εἰς ἔρωθ' ἥκων σιωπᾷς καὶ μάτην ποιούμενος
Περιορᾷς γάμους σεαυτοῦ.

Menses abierunt decem.] Ita non ſine cauſa Micio, puero jam eo menſe nato. Decimo enim menſe perfectum edi partum, ex Hippocrate docent veteres JCti. Vide ſupra III. 4. 29. Sic Eun. II. 3. 49.

Dum haec dicit, abiit hora.
Plaut. Merc. V. 2. 32. *ſol abit.*

58. Prodidisti.] Heaut. III. 1. 70. & IV. 1. 26. Hec. IV. 4. 50. Cic. pro Flacco, cap. 41. *Ego te, Flacce*, prodidero. h. e. perdidero. Vide Gronov. Obſerv. III. 20.

Quod quidem in te fuit.] Plaut. Bacchid. III. 6. 21.

Ille, quod in ſe fuit, *accuratum habuit.*

Glareanus hunc verſum legit: Prodidisti te atque illam miseram, et gnatum, quod in te fuit.

59. Dor-

Nolim ceterarum rerum te ſocordem eodem modo.
Bono animo es: duces uxorem hanc. *Aeſ.* Hem!. *Mi.* Bono
animo es, inquam. *Aeſ.* Pater.
Obſecro! non ludis tu nunc me? *Mi.* Ego te! quamobrem?
Aeſ. Neſcio:
Niſi quia tam miſere hoc eſſe cupio verum, eo vereor magis.
Mi.

DONATI.

61. NOLIM CETERARUM RERUM TE SOCORDEM.] Quam nihil imperioſe ae pro auctoritate patria fit! NOLIM, inquit, TE SOCORDEM CETERARUM RERUM ESSE; non dixit, *ne ſis ſocors.*

62. BONO ANIMO ES.] Apparet flenti haec dicta omnia eſſe: & hoc decuit verecundum adoleſcentem, & ex vi tantae orationis, & metu amittendae puellae. Et ES, modo imperativi modi eſt, temporis praeſentis. nam *eſto*, futuri eſt. DUCES UXOREM.] Datur in ultima objurgatione & breviter, & plena ſecuritas. HEM!] Singultientis fletu & gaudio dixit HEM.

63. OBSECRO! NON LUDIS TU NUNC ME?] Moeſtus amatoris animus ludentem ſerio loqui credidit: vera dicentem, quia optata ſunt, putat ludere nunc. Poteſt & ob hanc cauſam dicere, LUDIS TU ME NUNC? quod numquam eum antea luſerit. EGO TE! QUAM OB REM?] Magna vis pronominum cur non ludat. quibus & acceſſit conſideratio rei. nam primo EGO, deinde TE, deinde cauſae propoſitio. Et recte LUDIS. Eſt enim amantis, in falſum metum conjicere imminente laetitia, qualibet ſententia; inimici vero, in falſum gaudium quemquam impellere, ſub alicujus moeroris adventum. Et ideo negat ſe MICIO in hac parte luſurum Aeſchinum, qui in aliis luſerit. NESCIO.] Religioſe dixit NESCIO: quaſi non ſit ratio, quare non credat patri, quamvis ſubjecerit cauſam.

64. QUIA TAM MISERE HOC CUPIO ESSE VERUM.] Pro nimis: quia nimia miſeria: ut, *Ne quid nimis.* hoc enim putant, qui virtutes mediocritates eſſe dixerunt.

COMMENTARIUS.

59. DORMIENTI HAEC TIBI CONFECTUROS DEOS?] H. e. Socordi & indiligenter rem agenti. Plaut. Aulul. IV. 1. 5. Servus de ſeſe:

Sin dormitet, *ita* dormitet, *ſervom ſeſe ut cogitet.*

Bacchid. II. 3. 6.

Haud dormitandum *'ſt.*

Epid. I. 2. 59.

Non enim nunc tibi dormitandum, *neque cunctandi copia 'ſt.*

Noſter, Heaut. IV. 4. 8.

dormiunt: *pol ego iſtos commovebo.*

Phorm. V. 8. 18.

dum tu dormis.

Videtur autem riſiſſe Terentius illud Menandricum; ἐν τῷ Κεκρυφάλῳ:

Ταὐτόματον ἡμῶν ἀφανὲς ὂν συλλαμβάνει.
Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τὸ συμφέρον
Ῥεῖ, κἂν καθεύδῃς, ἢ πάλιν τοὐναντίον.

Caſus, qui inconſpicuus eſt, nos juvat: res enim ſponte ſua in utilitatem cedunt, ſi dormiveris, aut rurſus in contrariam partem.

60. IN CUBICULUM IRI DEDUCTUM DOMUM?] Vide Hec. I. 2. 60.

61. CETERARUM RERUM TE SOCORDEM.] Locutio Graeca. Ἀμελὴς τῶν ἄλλων πραγμάτων. Sub. περί. Plaut. Cistell. I. 1. 33.

Suique omnium rerum *nos indigere.*

Ubi *omnium rerum* valet *in omnibus rebus.* Vide Gronov. Cic. pro P. Quint. 3. Ceterarum rerum *paterfamilias & prudens, & attentus, una in re paullo minus conſideratus.* Horat. Carm. IV. 9. 35.

Rerumque prudens.

62. HEM!] Guyetus, HANC, cum interrogatione.

63. OBSECRO, NON LUDIS TU NUNC ME?] Sic Heaut. IV. 6. 20. Alii: NUM LUDIS.

QUAMOBREM?] Guyetus in ἀνεκδότοις: *je ne ſçay pas, pourquoy je le ferois.*

64. NISI QUIA.] Ita expreſſi, plurimos & probatiſſimos Codices ſequutus. Et eſt comicum,

Mi. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arceſſas abi!

Aeſ. Quid? jam uxorem? *Mi.* Jam. *Aeſ.* Jam? *Mi.* Jam; quantum potes. *Aeſ.* Dî me, pater,

Omnes oderint! ni magis te, quam oculos nunc amo meos.

Mi.

D O N A T I.

65. Abi domum, ac Deos comprecare.] Magnus inſtitor ſui beneficii eſt, qui a Diis petendum eſſe dicit, quod ipſe praeſtabit. an ideo quia ordinis fuerat, prius rem divinam facere, & ſic uxorem arceſſere? Et bene repetitum eſt Abi: quaſi haerenti morantique: ut, *Vos iſtaec intro auferte: abite.*

66. Quid? jam uxorem?] Acceſſit ad beneficium tempus. Et ideo Jam quaſi geſtiens repetit adoleſcens. Quantum potes.] Aut deeſt *cito*: aut *quantum poteſt eſſe.*

67. Ni magis te, quam oculos nunc amo meos.] Mire Nunc addidit. Et eleganter inventum eſt, quod in ſe amator multum diligat, id eſt, oculos: ut e contrario in Eunucho, *Adoleſcenti ipſi eriperem oculos.* id eſt, ipſos de quibus amat.

O B S E R V. I N D O N A T.

29. *Aut deeſt.*] Immo deeſt, *Tantum.*

C O M M E N T A R I U S.

cum, *niſi quia*, &, *neſcio niſi.* Eun. V. 6. 28.

Niſi quia *neceſſe fuit.*

Heaut. III. 2. 30. neſcio:

Niſi *mihi quidem addit animum.*

Hec. II. 3. 6.

nec, *qui hoc mihi eveniat*, ſcio:

Niſi.

Phorm. III. 1. 10. G. Neſcio. A. *Ah!*

G. Niſi *Phaedria haud ceſſavit pro te eniti.*

Et V. 7. 59. neſcio:

Niſi *me dixiſſe nemini, id certo ſcio.*

Plaut. Truc. IV. 3. 11.

Etiam nunc, quid ſit negotii, falſus incertuſ-
Niſi quia *timeo tamen.* [*que ſum:*

Ciſtell. I. 1. 5.

Neſcio; niſi, *ut meus eſt animus, fieri*
Non poſſe arbitror.

Unde adeo immerito τὸ Nisi reſpuit Faernus.

Eo vereor.] Bona pars Mſſ. & impreſſorum, Ideo vereor.

65. Abi domum, ac Deos comprecare.] Scilicet, rite non contrahebantur nuptiae, niſi re divina prius facta. Ita Megadorus ducturus Euchionis filiam, Plaut. Aul. III. 6. 43.

eo lavatum, ut ſacruficem.

Intelligit vaſa ſupellectilia, quae pure eluebantur. Aul. II. 3. 3.

vaſcula intus pure propera atque elue.

66. Jam uxorem?] Mſ. Mark. Jam ducam uxorem? Mſ. Lipſ. Bodl. Boenderm. cum edit. Anonyma, Anni 1469. & quibuſdam aliis: Jamne uxorem ducam?

Quantum potes.] Gulielm. Canterus, Quantum poteſt. Forte melius. eſtque elegans & plane comica locutio. Sic infra IV. 7. 25. Cic. Fam. I. 2. *Dignitatem noſtram*, ut poteſt *in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus.*

Di me, pater, omnes oderint! ni.] Formula juriſjurandi ſpeciem habens. Vide Briſſon. de Formul. Lib. VIII.

67. Quam oculos] Ita Demea de Aeſchino, infra V. 7. 5. Sapit haec locutio phraſin ſacram. Sic Zachar. II. 8. Gal. IV. 15. & ſaepius alibi. Catullus ad Calvum, Carm. XIV. 1.

Ni te plus oculis meis *amarem,*
Jucundiſſime Calve, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.

Idem ad Quinctium, Carm. LXXX.

Quincti, ſi tibi vis, oculos *debere Catullum,*
Aut aliud, ſi quid carius eſt oculis:
Eripere ei noli, multo quod carius *illi*
Eſt oculis, *ſeu quid* carius *eſt* oculis.

Et ad quendam de Lesbia, Carm. CI. 1.

Credis, me potuiſſe meae maledicere vitae,

Ambo-

Mi. Quid! quam illam? *Aeſ.* Aeque. *Mi.* Perbenigne.
Aeſ. Quid! ille ubi eſt Mileſius?
Mi. Abiit: periit: navem adſcendit. ſed cur ceſſas? *Aeſ.* Abi, pater:
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos, certo ſcio,
Quo vir melior multo es, quam ego, obtemperaturos magis.

Mi.

DONATI.

68. QUID! QUAM ILLAM?] Commendat ſe Micio, & familiariorem amatori facit, mentionem faciendo ſaepius de amica in uxorem ducenda. AEQUE.] Sic infert hoc, quaſi dubitando invenerit. PERBENIGNE.] Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo *benigne*, large, abundeque. QUID! ILLE UBI EST MILESIUS?] Non amat, ſi ſtatim timere deſinit. unde [30] *Virg.*

Omnia tuta timens. eadem impia fama furenti
Detulit armari claſſem, curſumque parari.

69. ABIIT: PERIIT: NAVEM ADSCENDIT.] Facete, ABIIT: ne diceret, mentitus ſum. atque ita dixit, ut infantibus nutrices [31] de terriculis dicere ſolent: quas quum ipſae confinxerint, abolitas volunt, poſtquam illos vident nimium pavere. Et mihi videtur ridens haec dixiſſe: ut intelligat Aeſchinus, Micionem joco fuiſſe mentitum.

71. TIBI OBTEMPARATUROS MAGIS.] Mira ſententia, Deos obſequi bonis, quaſi bonis hominibus multum debeant. Et in excuſationem precandi Deos, vide quae facultas nata ſit patrem ſine aſſentatione laudandi. Non eſt autem injurioſum, ad patrem referre deprecationem Deorum: ſed magis honorabile. nam tale eſt apud [32] *Virgilium*,

Tu, genitor, cape ſacra manu, patrioſque penates.

Ut ipſe patrem portet, hic Deos.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Virgilius.*] Aen. IV. 295.
31. *De terriculis.*] Ita reſtituit, opinor, Rob. Stephanus, quum antea legeretur, *de turriculis.* Eſt autem *terricula* & *terriculum* facies terrendis pueris apta. μορμολύκειον.
32. *Virgilium.*] Aen. II. 717.

COMMENTARIUS.

Ambobus mihi quae carior eſt oculis?

Plaut. Mil. IV. 1. 37.

quae te tanquam oculos *amet.*

Curc. I. 2. 28.

Salve, oculiſſime *homo.*

Idem Fragmento Corniculariae, verſu 7.

Qui amant *ancillam meam Hedylium* oculitus.

Unde *mi ocelle* in blanditiis amantum paſſim apud eundem Plautum.

68. PERBENIGNE.] Formula gratias agentis. Horat. Epiſt. I. 7. 15.

veſcere ſodes.
Jam ſatis eſt. At tu quantumvis tolle. Benigne.

69. ABIIT: PERIIT: NAVEM ADSCENDIT.] Sic Plautus Rud. II. 2. 19.

leno abiit *ſcelestus exulatum*,
In navem adſcendit.

Cic. Catil. II. 1. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Ita autem haec narrat Micio, ut appareat Aeſchino, ſe luſum fuiſſe. Canterus Nov. Lect. IV. 24. NAVEM ADSCENDIT, ABIIT, PERIIT. A Mſ. Mark. abeſt τὸ ABIIT.

71. VIR MELIOR MULTO.] Credebant enim, pietatem parentum auxilio liberis eſſe ſolere. Plaut. Poen. V. 4. 107.

Mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit.

Neque adeo preces improborum exaudiri. Sic Hec. V. 2. 6. de meretricibus:

Nec pol iſtae metuunt Deos: neque has reſpicere Deos opinor.

Plaut. Rud. Prol. 22.

Atque hoc ſceleſti in animum inducunt ſuum,
Jovem ſe placare poſſe donis, hoſtiis.
Et operam & ſumtum perdunt. id eo fit, quia
Nihil ei acceptum eſt a perjuris ſupplicii.
Facilius, ſi qui pius eſt, a Dis ſupplicans,
Quam qui ſceleſtus eſt, inveniet veniam ſibi.

Ovid. Heroid. XIV. 26.

Dantur in invitos impia thura focos.

OBTEMPERATUROS.] Mire de Diis dictum; niſi id voluit, Deos eſſe obnoxios patri ſuo, & facere quaecunque velit. Sic Plaut. Poen. V. 4. 18.

Mi. Ego eo intro, ut, quae opus ſunt, parentur: tu fac, ut dixi, ſi ſapis.
Aeſ. Quid hoc eſt negoti! hoc eſt patrem eſſe? aut hoc eſt filium eſſe?
Si frater, aut ſodalis eſſet, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non geſtandus in ſinu eſt? hem!
Itaque adeo magnam mihi injecit ſua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit. ſciens cavebo.
Sed ceſſo ire intro, ne morae meis nuptiis egomet ſiem?

DONATI.

72. EGO EO INTRO, UT, QUAE OPUS SUNT, PARENTUR: TU FAC, UT DIXI, SI SAPIS.] Hic verſus in quibuſdam non invenitur.

73. QUID HOC EST NEGOTI!] Et mirantis haec, & laudantis oratio eſt. Et bene videtur hujuſmodi patrem *Terentius* probare.

74. QUI MAGIS MOREM GERERET?] Qui, quo modo, qua re, qua ratione, magis mihi indulgeret?

75. HIC NON AMANDUS?] Omnia perfecit hic pater, ut & ametur, & laudetur, & foveatur.

76. MAGNAM MIHI INJECIT SUA COMMODITATE CURAM.] Mira ſententia; mala etiam de bonis nobis naſci. an bonus parens magnae curae eſt filio?

77. SCIENS CAVEBO.] Facere quod nolit ſcilicet.

78. SED CESSO IRE INTRO, NE MORAE MEIS NUPTIIS EGOMET SIEM?] Bene hoc, utpote objurgatus.

OBSERV. IN DONAT.

73. QUI, *quo modo, qua re, qua ratione, magis mihi indulgeret?*] Mſ. Bound. & editi veteres omnes legunt: QUI, *modo qua re, qua ratione.* omiſſis illis, *magis mihi indulgeret?* unde neque Stephanus edidit, nec Lindenbruchius.

COMMENTARIUS.

Omnia faciet Juppiter, faxo; nam mihi eſt obnoxius, & me metuit.

72. EGO EO INTRO.] Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. EGO IBO INTRO. quam lectionem probat Eraſmus, ob jambicum octonarium.

QUAE OPUS SUNT.] Intelligit ſacrificium, vaſorum ſupellectilium lavationem, veſtes candidas, obſonia, vocationem genere proximorum & vicinorum, coquorum conductionem, tibicinas, lampadas, & ſimilia. Guyetus nothum dicit hunc verſum, ſcilicet, quia Donatus in quibuſdam non inveniri ait.

SI SAPIS.] Suadendi formula. Sic Eun. I. 1. 31. IV. 4. 54. Heaut. IV. 4. 26. IV. 8. 31.

73. HOC EST PATREM ESSE?] Plaut. I. 5. 29.

Ehem, illuc eſt patrem eſſe, *ut aequum 'ſt, filio?*

74. SI FRATER, AUT SODALIS ESSET.] Plaut. Ciſtell. I. 1. 3.

ſoror ſi mea eſſes,
Qui magis potueris mihi honorem ire habitum,
Neſcio.

Cic. Fam. X. 11. *Si de filii tui dignitate eſſet actum, amabilius certe nihil facere potuiſſes.*

75. GESTANDUS IN SINU.] Cic. Fam. XIV. 4. *Quid? Cicero meus quid aget? Iſte vero ſit in* ſinu *ſemper, & complexu meo.* Brutus ad Cic. Epiſt. 7. *Bibulum noli dimittere ex* ſinu tuo, *tantum jam virum, ex quanto, crede mihi, poteſt evadere, qui veſtris paucorum reſpondeat laudibus.* Sic Graeci, *ὑποδέχεσθαί τινα κόλπῳ*, *ſinu quem excipere.* Vide Homer. Il. Z. 136. & Σ. 398. atque ibi Euſtathium. Neque aliter Scriptores ſacri. Vide Jeſaj. XL. 11.

76. COMMODITATE.] H. e. Facilitate, obſequio. Sic Heaut. III. 2. 10. Guyetus in gloſſis Mſſ. exponit, *courtoyſie, complaiſance, douceur.* Sic Phaedrus III. 16. 1.

Humanitati qui ſe non accommodat.

77. NE FORTE IMPRUDENS FACIAM.] Sic Heaut. II. 3. 128.

SCIENS CAVEBO.] Confirmatur hoc loco diſtinctio noſtra. Heaut. V. 5. 6.

78. MORAE.] Mſſ. & impreſſi quidam, poſt edit. 1469. MORA.

ACTUS

ACTUS QUARTI

SCENA SEXTA.

DEMEA.

DEFESSUS ſum ambulando. ut, Syre, te cum tua
Monſtratione magnus perdat Jupiter!
Perreptavi uſque omne oppidum: ad portam, ad lacum:
Quo

DONATI.

1. DEFESSUS SUM AMBULANDO.] *Hic exemplum inducitur ſaevi patris ex affectu vere, & ob hoc inviſi omnibus.* [a] *non autem tantum amare vultu, quam ipſa re, inducitur: nam neque ſibi, neque cuiquam alii; ſed filio tantum conſultum cupit* DE autem, *valde* ſignificat. UT, SYRE, TE CUM TUA MONSTRATIONE.] UT, pro *utinam*. Et haec omnia anhelans dixit. TE CUM TUA.] Adhuc non credit in errorem ſe miſſum fuiſſe. TE CUM TUA MONSTRATIONE.] Ἰδιωτικῶς, TE CUM TUA MONSTRATIONE.

3. PERREPTAVI USQUE OMNE OPPIDUM.] Tardus inceſſus, non perambulatio, ſed *perreptatio* dicitur. AD PORTAM, AD LACUM: QUO NON?] Mire propinquiora omiſit, utpote PORTICUM, MACELLUM, CRATINI AEDES, TEMPLUM DIANAE: & ultima poſuit, ut quantum peragraverit, demonſtraret. AD LACUM.] Facete Poëta memorem inducit ſenem, quotum minime opus fuit meminiſſe.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Non autem tantum amare vultu, quam ipſa re inducitur.*] Mſ. Boend. & edd. veteres: *Non autem cum amare vult, quem ipſe amare inducitur.* Corrupte, opinor. Malim, *Non autem tam amare vultu, quam ipſa re inducitur.*

COMMENTARIUS.

1. DEFESSUS SUM AMBULANDO.] Haec Scena integra, paucis mutatis, exſcripta e Plauti Amphitruone, IV. 1.

CUM TUA MONSTRATIONE.] Comicorum eſt, cauſam indigitare per CUM. Plaut. Epid. I. 1. 72. *abi in malam rem maximam a me*
Cum iſtac conditione.

Pſeud. III. 2. 47.

At te Juppiter
Diique omnes perdant, cum condimentis tuis,
Cumque *tuis omnibus* mendaciis.

Sic And. V. 4. 33. Eun. IV. 3. 9. Heaut. IV. 6. 7. Hec. I. 2. 59.

3. PERREPTAVI USQUE OMNE OPPIDUM: AD PORTAM, AD LACUM: QUO NON?] Compendio dixit, quae Plautus pluribus verbis, Epid. II. 2. 13.

per omnem urbem quem ſum defeſſus quaerere:
Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias.
Rogitando ſum raucus factus, pene in curſu concidi.

USQUE INDE, eſt in edit. Anon.

Quo non? neque illic fabrica ulla erat, neque fratrem homo
Vidiſſe ſe ajebat quiſquam. nunc vero domi
Certum obſidere eſt uſque, donec redierit.

DONATI.

4. Quo non?] Duobus dictis, Quo non? addidit: quaſi & ad dicendum laſſus appareat.

6. Certum obsidere est usque, donec redierit.] Proprie obsidere dixit. [2] convenit enim & irato, & repente aggreſſuro. Et ab eo quod eſt *obſideo*, *obſidere* facit, producta media ſyllaba: ab eo quod eſt *obſido*, *obſidere* facit, eadem ſyllaba correpta.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Convenit enim & irato, & repente aggreſſuro.*] Vide Commentarium.

COMMENTARIUS.

4. Neque.] In pluſculis Codd. utrobique eſt Nec.

5. Domi.] Intelligit domum Micionis fratris.

6. Obsidere.] Eſt diu ſedere. Unde *obſeſſor fori* dicitur coquus, qui non conducitur toto die, apud Plautum, Pſeud. III. 2. 18. Donatus non cepit. Eſt autem *obſidere urbem*, fixe & immote circa eam ſedere uſque, donec capiatur. Sic *obduro*, *obfirmo*. & ſimilia.

ACTUS QUARTI

SCENA SEPTIMA.

Micio. Demea.

Mi. Ibo, illis dicam, nullam eſſe in nobis moram.
De. Sed eccum ipſum! te jamdudum quaero, Micio.
Mi. Quidnam? *De.* Fero alia flagitia ad te, ingentia,

Boni

DONATI.

2. Ibo, illis dicam.] *In hac Scena eſt exemplum intempeſtivae objurgationis, ac per hoc ridiculae.* Ibo, illis dicam.] Moris eſt ſecum loqui vel ſenes, vel maxime aliquid ex animo agentes. Illis dicam.] Soſtratae & filiae.

3. Fero alia flagitia ad, te ingentia, boni illius adolescentis.] Magno ſonitu, ac ingenti oſtentatione futurae accuſationis exorſus eſt. magna ſunt enim omnia, & Fero, & Alia flagitia, & Ingentia, & quod εἰρωνικῶς, Boni illius adolescentis, dicit.

4. Nova.

Boni illius adoleſcentis. *Mi.* Ecce autem! *De.* Nova;
Capitalia. *Mi.* Ohe! jam. *De.* Neſcis, qui vir ſit. *Mi.* Scio.
De. Ah ſtulte! tu de Pſaltria me ſomnias
Agere: hoc peccatum in virginem eſt civem. *Mi.* Scio.
De. Ehô! ſcis? & patere? *Mi.* Quidni patiar? *De.* Dic mihi,
Non clamas? non inſanis? *Mi.* Non. malim quidem.

De.

DONATI.

4. Boni illius adoleſcentis.] *Eiρωνεία*, quae ſemper amarius ponitur, quam criminatio manifeſta. Ecce autem!] Ecce dicitur, quum repente triſte aliquid rebus intervenit laetis, aut certe, [1] quum aliud agitur, illud emergit novum: ut [2] *Virgilius*,

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,
Horreſco referens, immenſis orbibus angues.

Et, [3] *Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo Crinibus.*

Et [4] *Cicero*, *Ecce autem repente ebrio Cleomene, eſurientibus caeteris*, &c. Nova] Recentia. an mira & magna? ut,

[5] *Pollio & ipſe facit nova carmina.*

5. Neſcis, qui vir ſit.] *Eiρωνεία.* nam vir, ad laudem ſumi ſolet. ut alibi, *Virum te judico.* Scio.] Satis ridicule, nec quod ille cupit, abnegat Micio: ut conſentiendo, [6] iracundiam Demeae acriorem fieri * poſſibilem ſibi, mitigare queat. nam Scio ad negotii totius geſtionem retulit: non ad illud quod ait, Neſcis, qui vir ſit.

8. Eho! ſcis? et patere?] Jam & illi iraſcitur, [7] non Aeſchino.

9. Non. malim quidem.] Alii volunt Micionem dicere, Malim quidem: alii Demeam.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Quum aliud agitur.*] Codd. veteres rectius, *Quando, quum aliud agitur.*

2. *Virgilius.*] Aen. II. 203.

3. *Ecce trahebatur.*] Aen. II. 403.

4. *Cicero.*] Verr. V. 34. Ubi nunc legitur: *Ecce autem repente, ebrio Cleomene, eſurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves eſſe in portu Ediſſae.*

5. *Pollio.*] Virgil. Ecl. III. 86.

6. *Iracundiam Demeae acriorem fieri * poſſibilem ſibi*] Nullum lacunae indicium in veteribus Codicibus. Et ipſa verba varie leguntur. Mſ. Hulſt. *Nec quod ille cupit Micio vel conſentiendo mitigare ſibi acriorem fieri iracundiam Demeae.* Lego ope Mſ. Boend. & edd. veterum: *Ne quod ille cupit, abneget Micio; vel ut conſentiendo iracundiam Demeae acriorem fieri poſſibilem ſibi mitigare queat.*

7. *Non Aeſchino.*] Lego, *Non ſolum Aeſchino.*

COMMENTARIUS.

4. Nova.] Inaudita, & ſine exemplo horrenda.

5. Capitalia.] Supplicio capitis luenda. Fabrini: *e che chi le fa, merita, che gli ſia tolto la vita.*

Ohe! jam.] Mſſ. & impreſſi quidam, Ohe! jam desine. quod repetitum videtur ex Heaut. V. 1. 6.

6. Ah, stulte!] Variant Libri ſcripti & impreſſi. In aliis eſt, oh, stulte; rurſus in aliis, o stulte. quod magis corripientis eſſe videtur.

Somnias.] Per errorem exiſtimas. Plaut. Pſeud. IV. 7. 91. *quid ſomniatis?* Idem alibi ſaepius.

9. Insanis?] Expoſtulas, debaccharis, convicia jacis. Sic, ſupra IV. 2. 22. & Phorm. IV. 3. 37.

Malim quidem.] Non convenit inter Interpretes, utri haec verba ſint tribuenda, Demeaene, an Micioni; illud maxime Guyetus, hoc Muretus defendit. Donatus dubitat, ob varietatem Mſſ. Videntur autem omnino Micionis eſſe verba, cum quod lenis animi & minime irati indicium faciunt; tum quod mox verſu 19. roganti Demeae, Placet tibi factum, Mi-

De. Puer natus eſt. *Mi.* Dî bene vortant! *De.* Virgo nihil habet.
Mi. Audivi. *De.* Et ducenda indotata 'ſt? *Mi.* Scilicet.
De. Quid nunc futurum eſt? *Mi.* Id enim, quod res ipſa fert:
Illinc huc transferetur virgo. *De.* O Juppiter!
Iſtoc-

D O N A T I.

10. De. Puer natus est. Mi. Di bene vortant!] Hic bono exemplo inducitur Micio iraſcentem juſte Demeam leniter ferre: quia exanimato ob moerorem, non convenit inclementer ire obviam, quum poſſit in tempore objurgari, poſtquam deſtomachatus fuerit. Et vide quam facete: quum ille, Puer natus est, ad argumentum mali attulerit: hic ita reſpondit, quemadmodum ſolent illi, quibus puellam naſci metuentibus, nuntiatur puerum natum eſſe. nam in omnibus [8] quae cupite venerint, Dii bene vortant, dici ſolet: quia ſaepe homines ea optaverunt, [9] quae aliis aliter atque expectaverunt, contigiſſent. quam poteſtatem rerum vertentium ſemet in utramque partem, Vertumno Deo [10] ſupereſſe, veteres exiſtimaverunt. Virgo nihil habet.] Vult rem ſine remedio videri: quia ſcit poſſe nuptiis finiri ſollicitudinem. Et vide amaritudinem Demeae contra omnes, ut nec virgini ipſi parcat.

11. Audivi.] Ἀφελῶς & cum ἐξουθενισμῷ reſpondendum, quaſi leve ſit, quod admiſſum ſit. Et ducenda indotata 'st.] Ducenda ſcilicet, niſi damnandus ſit Aeſchinus. Et hoc verbum, neceſſitatis vim habet: ut,

[11] *pacem Trojano ab rege petendum.*

12. Quid nunc futurum est?] More iraſcentium, quum ipſe ſciverit quid futurum ſit, Micionem interrogat. Et hujuſmodi interrogatio, ſecundum figuram ſuam non habet reſponſionem: ſed Micio ſic reſpondit, quaſi ſimpliciter inquirenti.

13. Illinc huc transferetur virgo.] *Virginem*, quae etiam cum viro fuit, vocat. [12] *Virgilius*,

Ah, virgo infelix.

O Juppiter! istoccine pacto oportet?] O Juppiter, tragice adjecit a Micione verſus. Istoccine pacto, ad ipſum Micionem reſpiciens dixit.

O B S E R V. I N D O N A T.

8. *Quae cupite venerint.*] Forte, *quae cupita evenerint.*
9. *Quae a iis aliter.*] Forte: *Quae illis aliter.*
10. *Supereſſe.*] Abr. Wielingius, *Subeſſe.* Forte, *Semper eſſe.* Malim tamen: *Cui poteſtatis rerum vertentium ſemet in utramque partem, Vertumnum Deum ſupereſſe, veteres exiſtimaverunt.* ut adeo *ſupereſſe* notet *praeeſſe.* Vide Gell. I. 22. Sic Ulp. l. 1. §. ult. ff. de Procurat. *Qui rebus ſuis ipſi* ſupereſſe *vel nolunt, vel non poſſunt, per alios agant.*
11. *Pacem.*] Virg. Aen. XI. 230.
12. *Virgilius.*] Ecl. VI. 47.

C O M M E N T A R I U S.

cio? Hic eodem fere ſenſu reſpondet: Non, si queam mutare: nunc, quum non queo; aequo animo fero. Quod idem jam ante dicturus erat, niſi a Demea interturbatus fuiſſet. Quum enim diceret, Malim quidem, additurus erat, Mutare, si queam, ſed Demea ſermonem abrumpit, dicens: Puer natus est. Conſentit maxima MſT. pars, ſed & optimorum ex impreſſis, poſt edit. anni 1469. Rari Codices legunt, Mi. Non malum quidem. q. d. Ne malum quidem verbum unum propterea dico. Ita Fabrini reddidit: *Non dico pure una mala parola.*

10. Di bene vortant!] Sic Eun. II. 3. 98. Plaut. Aul. II. 3. 5. Et Curc. V. 2. 58.

Deos bene volo vortere
Iſtam rem vobis.

Virgo nihil habet.] Nihil divitiarum poſſidet. Indotata eſt. Sic Eun. II. 2. 12.

Omnia habeo, neque quidquam habeo.

Curt. IV. 1. 25. *Hae manus ſuffecere deſiderio meo:* nihil habenti *nihil defuit.* Dicitur autem Virgo, quae jam peperit. Sic Horat. Carm. II. 8. 21.

Te ſuis matres metuunt juvencis,

Te

Iſtoccine pacto oportet? *Mi.* Quid faciam amplius?
De. Quid facias? ſi non ipſa re iſtuc tibi dolet:
Simulare certe eſt hominis. *Mi.* Quin jam virginem
Deſpondi: res compoſita'ſt: fiunt nuptiae:
Demſi metum omnem, haec magis ſunt hominis. *De.* Caeterum,
Placet

DONATI.

15. SI NON IPSA RE ISTUC TIBI DOLET.] Nunc *Rem* pro *veritate* poſuit.

16. SIMULARE CERTE EST HOMINIS.] Non hoc dixit, quia hominis eſt mentiri: ſed quia ſaepe iracundiae ſimulatio, cuſtodia diſciplinae eſt. JAM VIRGINEM DESPONDI: RES COMPOSITA 'ST: FIUNT NUPTIAE.] Ne diceret, *deſpondi, compoſui, facio.* Et [13] *deſpondet puellam* qui petit: *ſpondet* a quo petitur. Recte ergo ſocer futurus, DESPONDI, dixit.

18. HAEC MAGIS SUNT HOMINIS.] Bene repetit HOMINIS: ille enim dixerat, SIMULARE CERTE EST HOMINIS. CAETERUM, PLACET TIBI FACTUM, MICIO?] Nihil aliud volebat Demea, niſi ut ſaeviret Micio: [14] quod impetrare non potuit, etiam ab eadem ſentiente, de pravitate & peccato Aeſchini.

OBSERV. IN DONAT.

13. *Deſpondet puellam.*] Vide ad And. I. 1. 75.

14. *Quod impetrare non potuit, etiam ab eadem ſententia.*] Legit Doctiſſ. Wielingius: *Quod impetrare ab eo non potuit, etiam eadem ſeptimate.*

COMMENTARIUS.

Te ſenes parci, miſeraeque nuper
Virgines nuptae, *tua ne retardet*
Aura maritos.

Eaedem & puellae dictae. Horat. Carm. III. 22. 1.

Montium cuſtos, nemorumque virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho,
Diva triformis.

Ita Gellius XII. 1. puerperam vocat *puellam defeſſam labore.* Eadem ratione *Vitula* dicitur Virgilio, Ecl. III. 30. quae

Bis venit ad mulctram, binos alit ubere foetus.

11. ET DUCENDA INDOTATA 'ST?] Mirum, id rogare Demeam, qui ipſe dixerat, peccatum eſſe in virginem civem, & puerum natum, ſciebatque Leges Atticas vel matrimonium jubere, vel necem ſtupratoris. Unde Lyconides, poſtquam conſtupraſſet Euchonis filiam, ita futurum ſocerum compellat apud Plautum, Aul. IV. 10. 62.

Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoſcas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent.

Niſi potius, monente Donato, ſine interrogatione pronunciandum, & jungendum illis, VIRGO NIHIL HABET. Eadem ſollicitudo exprimitur. Phorm. I. 2. 69. ſeqq.

15. QUID FACIAS?] Mſſ. Leidenſes quinque, Mark. Bodl. & Lipſ. cum edit. anni 1469. Juntina, Aldina, Rob. Stephani, QUID FACIAS, ROGITAS? Mſ. Traj. & Boend. QUID FACIES, ROGITAS? ita & editio Anonyma, Tarviſiana, Venetae, Lugdunenſis, aliae. Praeterea autem varie hic verſus legitur. Ego Rivium maxime, Faërnum & Georg. Fabricium ſequutus ſum.

17. RES COMPOSITA 'ST.] Sic Hec. III. 5. 29. Phorm. IV. 3. 16. Plaut. Curc. V. 3. 23.

ſi potiſſum hoc inter vos componere:

Virg. Ecl. III. 108.

Non noſtrum, inter vos tantas componere *lites.*

18. DEMSI METUM OMNEM.] Nimirum ex ſtupro. Sic And. II. 2. 2. neque aliter And. II. 1. 4.

poſtquam ademta ſpes eſt.

19. PLACET TIBI FACTUM?] Formula expoſtulandi. Sic Eun. V. 2. 12.

ſatin'

Placet tibi factum, Micio? *Mi.* Non, ſi queam
Mutare: nunc, quum non queo, aequo animo fero.
Ita vita 'ſt hominum, quaſi, quum ludas teſſeris:
Si illud, quod maxime opus eſt jactu, non cadit;
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
De. Corrector! nempe tua arte viginti minae
Pro Pſaltria periere: quae, quantum poteſt,
Ali-

DONATI.

21. QUASI, QUUM LUDAS TESSERIS.] Rectum erat ſi diceret, *Ita vita eſt hominum, quemadmodum teſſeris ludere*, aut, *quemadmodum ludus eſt teſſerarum.* Nota ergo genus locutionis.

22. SI ILLUD, QUOD MAXIME OPUS EST JACTU, NON CADIT.] Utrum, QUOD OPUS EST, JACTU NON CADIT? incerta diſtinctio.

23. ILLUD, QUOD CECIDIT FORTE, ID ARTE UT CORRIGAS.] Ars adhibenda pro fortuna. non enim ſi male jactus ceciderit, deſerendus eſt ludus. Et FORTE nunc pro *Fortuna* intelligendum.

24. CORRECTOR!] Quia dixit, ARTE UT CORRIGAS. Sed moris eſt iratis ab ultimo verbo contradicentis incipere.

COMMENTARIUS.

ſatin' id tibi placet?
Plaut. Amph. I. 3. 16.
Here veniſti, media nocte, nunc abis: hoccine placet?

20. NON QUEO.] Mſſ. & editi quidam, NEQUEO.

21. ITA VITA 'ST HOMINUM.] In Alexidis Thurii ſententiis fertur & haec:
Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν, ὥσπερ οἱ κύβοι.
Οὐ ταὔτ' ἀεὶ πίπτουσιν, οὐδὲ τῷ βίῳ
Ταὐτὸν διαμένει σχῆμα, μεταβολὰς δ' ἔχει.
Talis eſt vita, ut teſſerae. Non eadem ſemper cadunt, neque vitae eadem permanet figura, ſed mutationes habet. Crediderim cum Lipſio, Var. Lect. III. 9. eo reſpexiſſe Terentium. Imitatus Guntherus Ligurin. de Rebus Geſtis Imp. Caeſ. Friderici I. Lib. I. 237.
Nunc igitur, veluti cum luditur alea, prudens,
Si qua male acciderint, ea luſor corrigit arte.
Sic nos humanae luſit quos alea ſortis,
Conſilio fati caſum properemus iniqui
Corrigere, & tanto ſolatia ferre dolori.
Ubi vide quae ex Plutarcho notavit Conr. Rittershuſius. Unum locum adſcribam jam ante mihi obſervatum. Ita igitur ille Libro περὶ τῆς Εὐθυμίας: Κυβείᾳ γὰρ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βαλεῖν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. I. e. *Plato vitam teſſerarum ludo ſimilem fecit, in quo & jacere oportet utilia, & qui jecit, iis quae ceciderunt, recte uti.* Eodem reſpexit Cicero, Fam. VIII. 12. *Quod melius* caderet, *nihil vidi.* Et Fam. XV. 1. *Quid* caſurum *ſit, incertum eſt.* De vi autem particulae QUASI vide Giſan. Ind. Lucret. v. *Quaſi.* Non diſſimilis ſententia Caeſaris, B. C. III. 73. *Si non omnia* caderent *ſecunda, fortunam eſſe induſtria ſublevandam.*

24. CORRECTOR!] Sarcaſmus acerbus. Sic Cic. Philipp. II. 17. *Quoniam criminibus ejus ſatis reſpondi, de ipſo emendatore, &* correctore *noſtro quaedam dicenda ſunt.* Et Orat. 56. *Sed tamen hic* corrector *in eo ipſe loco, quo reprehendit, immittit imprudens ipſe Senarium.* Et pro Balbo, 8. *O praeclarum interpretem juris! auctorem antiquitatis,* correctorem, *atque emendatorem noſtrae civitatis!* Ejuſmodi porro eſt illud ejuſdem Ciceronis in L. Piſonem, 8. *O noſter miſericors! quid facis? quod nulla in barbaria quiſquam tyrannus.*

VIGINTI MINAE PRO PSALTRIA PERIERE.] Plaut. Menaechm. I. 3. 23.
Quatuor minae periere plane.
Daciera optime: *C'eſt par cette belle adreſſe, que l'on a jetté dans l'eau les ſoixante piſtoles, qu'on a donnees*

Aliquo abjicienda eſt: ſi non pretio, at gratiis.
Mi. Neque eſt, neque illam ſane ſtudeo vendere.
De. Quid igitur facies? *Mi.* Domi erit. *De.* Prô Divum fidem!
Meretrix & materfamilias una in domo?
Mi. Cur non? *De.* Sanum te credis eſſe? *Mi.* Equidem arbitror.
De. Ita me Dî ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.

Mi.

DONATI.

27. NEQUE EST, NEQUE ILLAM SANE STUDEO VENDERE.] In ſcopulo verſatur Micio, in quo eligit ineptus potius videri, quam prodat Cteſiphonem patri.

30. CUR NON?] Poſſet dicere, *Non eſt Aeſchini amica:* ſed celanda eſt culpa Cteſiphonis.

31. ITA ME DÎ AMENT, UT VIDEO EGO TUAM INEPTIAM.] Ordo eſt, [15] *Ita me Di ament, te facturum credo, ut habeas, quicum cantites.* Ipſe ſe fallit, non inquirendo [16] ulteriorem cauſam retentae in domo meretricis. Mire autem CANTITES: quaſi turpius ſit cantare ſenem cum pſaltria, quam coire.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Ita me Di ament, te facturum credo.*] Lego, & diſtinguo: *Ita me Di ament, ut te facturum credo.*

16. *Ulteriorem cauſam.*] Mſſ. Hulſt. & Boend. cum edd. quibuſdam vetuſtis, *Interiorem cauſam.*

COMMENTARIUS.

données pour cette chanteuſe.

26. ABJICIENDA.] H. e. vili vendenda. Plaut. Moſtell. III. 3. 2.

nunquam edepol me ſcie
Vidiſſe uſquam abjectas *aedes, niſi modo haſce.*

Phaed. IV. 4. 42.

Agros abjiciet *moecha, ut ornatum paret.*

Adi Gronov. Obſerv. III. 21. Faceſſat igitur & abigatur adeo Guyeti ABIGENDA. Idem *projicere* dixerunt. Cic. Fam. XIV. 2. *Sin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas miſera* projicies? Flor. II. 16. 6. *Quid ſignorum, quid veſtium, quidve tabularum raptum, incenſum atque* projectum eſt! Unde eleganter Dacieria: *Il faut ſe défaire au plûtôt de cette créature, à quelque prix que ce ſoit.*

AT GRATIIS.] Varia lectio: GRATIS; GRATIIS; AT GRATIS; VEL GRATIS; AT GRATIIS; VEL GRATIIS.

27. NEQUE EST.] Haec vix habent, quo referantur, niſi diſtinguas inter τὸ *abjicere* & *vendere*, ut illud ſit vili, hoc juſto pretio vendere. q. d. Micio: Nulla ratione alienanda eſt Pſaltria, certe non abjicienda; neque, ſi maxime poſſim, eam juſto pretio velim vendere.

29. MERETRIX ET MATERFAMILIAS UNA IN DOMO?] Cic. Philipp. II. 41. *Ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur.* Id vero ne fieret, honeſtiores ſollicite cavebant. Unde Periphanes ſervo imperat apud Plautum, Epid. III. 3. 19.

cave ſiris cum filia
Mea copulari hanc; neque conſpicere: jam tenes?
In aediculam iſtanc ſeorſum concludi volo.
Divortunt mores virgini longe ac lupae.

Mſſ. & editi pluſculi: MERETRIX ET MATERFAMILIAS ERIT UNA IN DOMO? quod ex gloſſa additum videtur.

30. SANUM.] Magna Librorum pars legit, SANUMNE.

32. FACTURUM CREDO.] Pro eo Codices quidam, FACTURUM TE CREDO.

Mi. Cur non? *De.* Et nova nupta eadem haec diſcet? *Mi.* Scilicet.
De. Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis. *Mi.* Probe.
De. Probe? *Mi.* Et tu nobiſcum una, ſi opus ſit. *De.* Hei mihi!
Non te haec pudent? *Mi.* Jam vero omitte, Demea,
Tuam iſtanc iracundiam: atque, ita uti decet,
Hila-

D O N A T I.

33. Et nova nupta eadem haec discet?] [17] Alius ſubaudiet *Dicere*. ſed ó magna in verbis elegantia! vide cum quam vim ſignificet Discet. Et ideo non *Uxor*, ſed Nova nupta, quam ad omnia docilem eſſe, ipſum indicat nomen.

34. Tu inter eas restim ductans saltabis.] Luſus eſt natus ab eo tunc, quo introductus [18] equus Durius in Trojam eſt, cum nexis manibus fune, chorum ducunt ſaltantes. Hoc a quibuſdam dicitur, ſed ego puto, manu conſertos choros puellorum puellarumque cantantes, *reſtim ducere* exiſtimari: & id maxime convenire ad exagitandam importunitatem ſenis, veluti pueros imitantis. Simul etiam quia ille connexus manuum laſcivus ac petulans adimit diſcretionem conditionis, dignitatis, aetatis, inter meretricem, novam nuptam, & ſenem. Et hoc, quemadmodum dictum eſt: & quanto ſtomacho jam ab Aeſchino receſſum eſt, & tranſitum ad Micionis luxuriam deſcribendam.

36. Jam vero omitte, Demea.] Mire urbanitatem expreſſit ultro objurgantis, qui objurgatus eſt.

37. Tuam istanc iracundiam.] Tuam istanc dicendo, & ridiculam, & ſupervacuam ſignificat. Et bene Iracundiam: nam [19] *Ira*, de cauſa eſt: *Iracundia* de vitio multum iraſcentis. Atque, ita uti decet, hilarum ac lubentem] Bene addidit Lubentem: multi enim *hilares* ſe ſimulantes, non *lubentes* ſunt. Hilarum.] Vetuſte, non *Hilarem*.

OBSERV. IN DONAT.

17. *Alius ſubaudiet Dicere.*] In Codd. veteribus eſt, *audiet*. Lego ex conjectura: *Pſallere ſubaudi, & reſtim ducere.*

18. *Equus Durius.*] Mſſ. & edd. veteres: *Equus ligneus.*

19. *Ira, de cauſa eſt.*] Vide ad And. I. 1. 121.

COMMENTARIUS.

34. Restim ductans saltabis.] Scilicet amatores ſaltando ſtudebant placere amicae. Plaut. Pſeud. V. 1. 27.

poſtquam exſurrexi, orant med uti ſaltem.
Ad hunc me modum intuli, ut illis ſatisfacerem ex diſciplina: quippe ego
Qui probe Ionica perdidici.

Quis vero ſit ſaltus Ionicus, docet Turnebus ad Plaut. Stich. V. 7. 1. Daceria contendit, *Reſtim ducere* eos dictos, qui manibus invicem junctis longo ordine ſaltarent. Atque ita explicat verba Livii, XXVII. 37. *In foro pompa conſtitit, & per manus reſte ducta virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes, inceſſerunt.* quanquam vulgo *reſte data* legitur. Sed & Horat, Carm. II. 12. 18.

Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus.

Verum neuter locus id ſatis evincit; neque quem laudat e Lucretio II. 629. Clariſſima ſunt Horatii verba, Epiſt. I. 10. 47.

Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius, quam ducere funem.

Ubi vide Jac. Cruquium. Et Plaut. Poen. Prol. 116.

Jamne hoc tenetis? ſi tenetis, ducite.
Cave dirumpatis.

Quod a ſpartea reſte ductum, quae tamdiu trahebatur, donec aut rumperetur, aut altero prehenſionem funis omittente, alter in nates cade-

Digitized by Google

Hilarum ac lubentem fac te in gnati nuptiis.
Ego hos conveniam: poſt huc redeo. *De.* O Juppiter!
Hanccine vitam! hoſcine mores! hanc dementiam!
Uxor ſine dote veniet: intus Pſaltria eſt:
Domus ſumtuoſa: adoleſcens luxu perditus:
Senex delirans. ipſa, ſi cupiat, Salus,

Ser-

DONATI.

40. Hanccine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!] Ἐλλειπτικῶς omnia, utpote ſtomachoſe ſecum loquens. deeſt enim *Eſſe*, aut quid tale.

42. Domus sumtuosa.] Domus, id eſt, homines.

43. Ipsa, si cupiat, salus, servare prorsus non potest hanc familiam.] Σωματοποιΐα. [20] *Plautus, Lubentiorem te faciam, quam ipſa lubentia eſt.* Etenim ὑπερβολὴ eſt, Ipsa salus, si cupiat servare, prorsus non potest hanc familiam. Hinc licet aeſtimare quantum & [21] caloris & gravitatis apud *Terentium* ſit, ad imitationem Caecilianam. Vide quantum creverit a ſuperioribus, ut ſic finiat.

OBSERV. IN DONAT.

20. *Plautus.*] Aſin. II. 2. 2. ſed legitur nunc:
Vt ego illos lubentiores faciam, quam lubentia 'ſt.

21. *Caloris.*] Mſſ. Huld. & Boend. cum nonnullis edd. antiquis, *coloris.*

COMMENTARIUS.

caderet, obſervant ſummi Viri, Joſ. Scaliger & J. Fr. Gronovius. Sed & mirum ni eo reſpexit Tertullianus. Ita ille de Pudic. *Sed non decet ultra de auctoritate Scripturae ejuſmodi funem contentioſum alterno ductu in diverſa diſtendere.* Fabrini dubie reddidit: *E tu tra loro guidando la danza ballerai.* Quod Dacieria expreſſit: *Vous danſerez avec elles, & ce ſera vous, qui menerez le branle.* Plura vide apud Lucian. περὶ Ὀρχήσεως, Meurſ. de Orcheſtra, Iſ. Caſaub. ad Athen. Deipnoſoph. XIV. 6. & 7. Et quae de ſaltationis origine & generibus collegit Cael. Rhodiginus, Lect. Antiq. V. 3. & 4. Mſſ. quidam & impreſſi poſt ann. 1469. Psaltaris.

35. De. Probe?] Haec a multis Mſſ. & editis antiquis abſunt, etiam ab edit. anni 1469. ſed defenduntur a Rivio & Faërno. Nihil autem cauſae eſſe videtur, quare Demea τὸ prorsus repeteret magis, quam quod praeceſſit, Cur non? & Scilicet.

36. Non te haec pudent?] Ἀρχαϊσμός. Veteres enim forma perſonali utebantur. Plaut, Caſ. V. 2. 3.

Ita nunc pudeo, *atque ita nunc paveo.*

38. Hilarum ac lubentem.] Plaut. Perſ. V. 1. 8.

Omnes hilaros, lubentes, *laetificantes faciam ut fiant.*

Ubi notat J. Gulielm. Lubentes convivii verbum eſſe proprium. Vide Parei Lexic. Plaut. v. *Lubentes.* Codices quidam Hilarem legunt, atque in iis editio anni 1469

41. Uxor sine dote veniet.] Proprie. Plaut. Trin. II. 2. 93.

Ly. *Soror illi eſt adulta, virgo grandis: eam cupio, pater,*

Ducere uxorem. Ph. Sine dote? Ly. Sine dote. Ph. *Uxorem?* Ly. *Ita.*

Aul. II. 2. 62.

Dummodo morata recte veniat, dotata 'ſt ſatis.

43. Senex delirans.] Phorm. V. 8. 8. Cicero Catone, cap. 11. *Senilis ſtultitia, quae* deliratio *appellari ſolet, ſenum levium eſt, non omnium.* Plaut, Epid. III. 3. 11.

Profecto deliramus *interdum* ſenes.

Lucret. III. 454.

Claudicat ingenium, delirat *linguaque, mensque.*

 De

Servare prorſus non poteſt hanc familiam.

COMMENTARIUS.

De origine vocis vide G. J. Voſſ. Etymolog.

IPSA, SI CUPIAT, SALUS, SERVARE PRORSUS NON POTEST HANC FAMILIAM.] Plaut. Capt. III. 3. 14.

Neque jam Salus ſervare, ſi volt, me poteſt.

Moſtell. II. 1. 4.

Nec Salus nobis ſaluti jam eſſe, ſi cupiat, poteſt.

Ciſtell. IV. 2. 76. *at vos Salus ſervaſſit.* Sed & maxime ſanum & ſalvum Salute ſaniorem dicebant. Plaut. Truc. II. 2. 5. Cic. pro M. Marcell. 7. *Quem Deum, ſi cupiat, opitulari poſſe reip. credamus?* Idem Verr. III. 57. *Ecquod judicium Romae tam diſſolutum, tam perditum, tam nummarium fore putaſti, quo ex judicio te ulla* Salus ſervare poſſet? Et pro M. Fontejo, 6. Salus ipſa *virorum fortium innocentiam tueri non poteſt.* Talia ſunt, Apollonii Argonaut. IV.

Οὐδ' ἂν Παιήων, εἴ μοι θέμις ἀμφαδὸν ἐνισπεῖν, Φαρμάττοι.

Non etiam Paean, ſi fas eſt dicere, vulnus Curarit.

Virgil. Aen. V. 17.

non, ſi mihi Juppiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere coelo.

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

SYRUS, DEMEA.

Sy. AEDEPOL, Syriſce, te curaſti molliter,
Lauteque munus adminiſtraſti tuum. Abi!

DONATI.

1. AEDEPOL, SYRISCE] *Hic exemplum inducitur licentiae ſervorum ſub miti domino.* AEDEPOL, SYRISCE, TE CURASTI MOLLITER.] Quia detexit Cteſiphonem, jam oportet ut ebrius inducatur Syrus: per cujus fallacias tegatur adeo. Et *Syriſcum* ſe dicit, non *Syrum*, τῷ ὑποκορίσματι. MOLLITER.] Delicate.

2. LAUTEQUE MUNUS ADMINISTRASTI TUUM.] Ut quicquid eſſet belliſſimum, carperes: cyathoſque ſorbillares. Aut MUNUS ſervile, eſſe & bibere.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Quia detexit Cteſiphonem.*] Atqui Syrus nuſquam detexit Cteſiphonem. Primum enim Cteſipho ipſe ſe tegit, ne deprehendatur a Demea, ſupra IV. 2. 12 & 13. Dromo autem deteget, infra V. 2. 1. A Codicibus nihil praeſidii, niſi quod editio Argentina mox legat: *per cujus fabulas tegatur, adeo ut Syriſcum ſe dicat, non Syrum.* Neque aliter fere Guido Juvenalis exhibet. Niſi forte detectum a Syro Cteſiphonem credidit interpres, ſupra IV. 2. 19. ſeqq. Utcunque, *fallacias* ebrio Syro non tribuit ipſe Donatus, ad verſ. 10. & 13.

COMMENTARIUS.

1. SYRISCE.] Blanditur ſibi ſervus plus potus. Ita qui *Lampadio* in Plauti Ciſtellaria, idem & *Lampadiſcus* dicitur. Et in Fragmentis *Lyciſci* ſervi fit mentio. Sed & in Caſina, III. 6. 14. *Olympio* per adulationem *Olympiſcus* dicitur. Ex Catalectis citat Guyetus:

Copa Syriſca *caput Graia redimita mitella.*

TE CURASTI MOLLITER.] Frequens Plauto *curandi* verbum in laetitiis & convivio. Stich. V. 3. 9.

amicos meos curabo *hic advenientes.*

Poen. III. 3. 80.

Ego id quaero hoſpitium, ubi ego curer mollius,

Quam

Abi! ſed poſtquam intus ſum omnium rerum ſatur,
Prodeambulare huc libitum eſt. *De.* Illud ſis vide
Exemplum diſciplinae! *Sy.* Ecce autem hic adeſt
Senex noſter. quid fit? quid tu es triſtis? *De.* Oh! ſcelus.
Sy.

DONATI.

3. Abi!] Verbum vel ſibi, vel alteri cum laudatione blandientis. nam ſic dicunt, qui jam compotes ſunt votorum omnium, perfectique in rebus univerſis.

4. Prodeambulare.] Nota duas praepoſitiones uni dictioni adjunctas. Ut:

² *Pede profubigit terram.*

Et ³ ἀμφιπεριστρωφῶν. Et, optime ad delicias exprimendas hoc verbum convenit. nam ⁴ procedere ſegnem, *Deambulare* ſignificat. nam *deambulare* etiam intus potuit.

5. Exemplum disciplinae!] Quia unus ex multis reliquis. An quia ſenior, & nuper etiam paedagogus, ut ipſe ait, *Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis.*

6. Quid fit? quid tu es tristis?] Mire ſecuritatem ebrii hic expreſſit. numquid enim pertimeſcit interventum ſenis, ut ſolebat, Syrus? aut quicquam praecavet? Subblanditur tantum, & ita rerum oblitus eſt, ut quum eum ſaevum ſciat, cauſam triſtitiae ejus inquirat.

OBSERV. IN DONAT.

2. *Pede.*] Virg. Georg. III. 256.

3. Ἀμφιπεριστρωφῶν.] Videtur junctim protuliſſe, quae Homerus Iliad. B. 105. diviſim, ἀμφὶ περὶ κρήνην. quod in Scholiis ſimpliciter valet, περὶ τὴν κρήνην. neque aliter Euſtathius.

4. *Procedere ſegnem, deambulare.*] Ita Lindenbruchius edidit. Rob. Stephanus & vetuſtiores Codd. omnes barbare: *Producere ſignum * deambulare.* ſcripſerat autem Donatus: *Procedere ſegnem, prodeambulare.*

COMMENTARIUS.

Quam regi Antiocho oculi curari ſolent.

Virg. Georg. IV. 187. De apibus.

Tum tecta petunt, tum corpora curant,

Aen. III. 511.

Corpora curamus: *feſſos ſopor irrigat artus.*

Aen. IX. 157.

Quod ſupereſt, laeti bene geſtis corpora rebus
Procurate, *viri.*

Unde *corporis cura* prandium dicitur Suetonio, Domit. 16. Cicero paſſim ad valetudinem retulit, Livius ceterique hiſtorici ad refectionem militum. Ubi autem Horatius Epiſt. I. 2. 29. inquit:

In cute curanda *plus aequo operata juventus,*

nimia *curatura* intelligitur, quam in matribus circa puellas reprehendit Chaerea, Eun. II. 3. 21.

2. Lautsque munus administraiti tuum.] Magnifice, tanquam de munere publico, quum intelligat de edendi & bibendi provincia. Sic Ergaſilus apud Plautum, Capt. IV. 3. 7.

Nunc ibo in praefecturam, ut jus dicam larido;
Et quae pendent indemnatae pernae, eis auxilium ut feram.

Idem mox Demea, *Quaſi re bene geſta*, vocat.

3. Abi!] Vide Donatum. Et ſupra IV. 2. 25.

4. Prodeambulare.] Προπεριπατεῖν. Libri quidam ſcripti & impreſſi cum edit. 1469. legunt: Porro deambulare.

Vide.] Ita ſolent ſtomachantes. Sic Phorm. II. 3. 11.

5. Exemplum disciplinae!] Varie capitur ab Interpretibus. Fabrini ita: *Vedi, ſe tu vuoi, quello eſſempio di diſciplina. cioè, vedi coſtui, donde gli altri ſervi poſſono pigliare lo eſſempio di quello, che oglino hanno à fare.* Daciera: *le beau modele, pour l'education des enfans!* Poſſit & ſenſus eſſe, In Syro eſſe exemplum & quaſi documentum perditae diſciplinae Micionis fratris ſui. q. d. Ab uno hoc diſcere omnes licet.

6. Oh! scelus.] Mallem, Ohe! scelus. quomodo Libri quidam Mſſ. & impreſſi exhibent. Atque ita venuſtius inferetur mox a Syro alterum Ohe. Sic plane Heaut. IV. 1. 9. In aliis utrobique eſt Eho.

Digitized by Google

Sy. Ohe! jam. tu verba fundis hic ſapientia?
De. Tun'? ſi meus eſſes. *Sy.* Dis quidem eſſes, Demea,
Ac tuam rem conſtabiliſſes. *De.* Exemplum omnibus
Curarem ut eſſes. *Sy.* Quamobrem? quid feci? *De.* Rogas?

In

DONATI.

7. TU VERBA FUNDIS HIC SAPIENTIA?] Utrum SAPIENTIA VERAA? an TU SAPIENTIA? quia dixit ſupra, *Tu, quantus quantus es, nihil niſi ſapientia es.* FUNDIS.] Utrum ſine ulla ceſſatione profers? An *Perdis?* ſecundum illud, *Nam quid tu hic agas, Ubi, ſi quid boni praecipias, nemo obtemperat?*

8. DIS QUIDEM ESSES, DEMEA.] Ab eo quod eſt *Dis*, *ditis*, *Dites* facit: ab eo quod eſt *Dives*, *divitis*, *divites*.

10. QUAMOBREM? QUID FECI?] Nihil nunc in Syro niſi ſimplex & purum ob ebrietatem. Et vide, QUAMOBREM? QUID FECI? dicere, non eſſe ſobrii Syri.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Si quid boni praecipias.*] An ita legerit, an vero e memoria laudarit verba Syri, ſupra III. 3. 79. incertum eſt.

COMMENTARIUS.

7. OHE! JAM. TU VERBA FUNDIS HIC SAPIENTIA?] Inſititium hunc verſum vocat Guyetus. Diſtinxi autem ita, monente Faërno; ut ſenſus ſit: *Ohe! jam deſine.* Rivius FUNDES legit, etiam apud Donatum. Atque ita eſt in pleriſque editionibus antiquis. Dacieriae Donatum ſequutae τὸ SAPIENTIA vocativus eſt, ſcilicet quia idem Syrus ſupra dixerat eidem Demeae: *Tu, quantus quantus es, nihil niſi ſapientia es.* Sed & ita ante Dacieriam Fabrini, vertens: *E che anchora voi, che ſete la ſaviezza del mondo, gettate via qui, dove voi perdete il tempo, le parole?* Plaut. Poen. I. 2. 61. [funditat.

En monſtrum mulieris! tantilla tanta verba

Pſeud. IV. 1. 33. *mera jam mendacia* fundes.

Ovid. Metam. VII. 248.

Verba *ſimul* fundit, *terrenaque numina poſcit.*

8. SI MEUS ESSES.] Plaut. Caſin. III. 6. 15.

tuus ſum equidem.

9. TUAM REM CONSTABILISSES.] Plaut. Capt. II. 3. 92. *edepol* rem *meam*

Conſtabilivi.

Cicero Philipp. XI. 2. *Non ad ſpem* conſtituendae rei familiaris, *quam tenere eum poſſe negant, qui norunt.*

EXEMPLUM OMNIBUS CURAREM UT ESSES.] Similis conſtructio, Heaut. V. 1. 47. Id autem vult, Exemplum in te ederem, quod ceteris documento eſſet, quid ſit pericli herum fallere, gnatum perdere. Sic Eun. V. 5. 4. & 6. Phorm. IV. 4. 7. Liv. II. 5. *Secundum poenam nocentium, ut in utramque partem arcendis ſceleribus* exemplum *nobile* eſſet, *praemium indici, pecunia ex aerario, libertas & civitas data.*

11. IN IPSA TURBA.] Domi Micionis & Demeae orta ob raptum Pſaltriae, & vitium oblatum Pamphilae. Similis exaggeratio ejuſdem peccati eſt apud Demoſth. Orat. πρὸς Ζηνόθεμιν. *Εἰ γὰρ ἐν κακοῖς καὶ χειμῶνι τοσοῦτον οἶνον ἔπινεν, ὥς' ὅμοιον εἶναι μανίᾳ· τί ἐκ ἄξιος ἦν παθεῖν; Si enim in malis & tempeſtate tantum vini potavit, ut ſimilis eſſet inſaniae, quid non dignus erat pati?*

12. SEDATUM.] Quaecunque in motu ſunt, ubi ad priorem ſtatum reducuntur, proprie *ſedari* dicuntur. Sic Phaed. II. 5. 18. de aeſtuante humo, & volitante pulvere. Inde ad turbas, rixas, calamitates, bella paſſim refertur.

POTASTI, SCELUS!] Ita edidi ex Mſſ. quinque Leidenſibus, Markiano, Lipſiano, Trajectino, Bodleiano & Boendermakeriano; atque ita erat in Mſſ. omnibus Boecleri, aliiſque. Sed & ita legunt editiones Venetae, Anonyma, Juntina, Aldina, Lugdunenſis, Plantiniana, Daventrienſis, aliae. Accedunt Auguſtinus Gambarellius in Obſervationibus in Terentium, & Jac. Tollius ad Auſon. Ecl. XXI. Paucae editionum veterum praeferunt, POTASTIS, quam lectionem nuperi quidam editores imitati. Et videtur ſane in nonnuilis Codicibus repetita per errorem prima in

τῷ

Digitized by Google

In ipſa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix ſedatum ſatis eſt, potaſti, ſcelus!
Quaſi re bene geſta. *Sy.* Sane nollem huc exitum.

DONATI.

11. In ipsa turba.] Non minus ridicula importunitas Demeae eſt, quam ebrietas Syri: qui adverſum temulentum tantae gravitatis oratione perſonat, ut ex dicentis vultu & verbis, & ex audientis habitu & ſtupore, magnam voluptatem percipiant ſpectatores. vides enim quanto pondere verborum cum ebrio litiget.

12. Potastis, scelus.] Non quod plus videt ſenex, quam objicitur oculis: ſed oratorie, potastis, dixit, quum unum ebrium cernat: propter illud quod ait, Exemplum disciplinae. quaſi in omnibus ſit, quod in uno nunc aſpicitur. [6] *Virgilius*,

& crimine ab uno
Diſce omnes.

13. Sane nollem huc exitum.] Et hoc dictum argumento eſt, Syrum oblitum omnium rerum nihil reſpondiſſe Demeae per fallaciam: ſed tantummodo poenitere quod exierit.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virgilius.*] Aen. II. 65.

COMMENTARIUS.

τοῦ scelus litera, atque adeo ex potasti factum, potastis. Syrum certe quidem molliter ſeſe curaſſe, ex ipſo audiverat Demea, de conſervis ceteris nihil audiverat. Neque porro, ſi potastis dixiſſet, non addendum fuerat, scelus, ſed, *ſceleſti*. Donatus tamen potastis legit, quod tuetur Rivius. Porro autem, teſte Plauto, Stich. III. 1. 37.

homines ſervulos
Potare, *amare, atque ad coenam condicere.*
Licet hoc Athenis nobis.

13. Quasi re bene gesta.] Scilicet quia dixerat Syrus, *Lauteque munus adminiſtraſti tuum*, reprehendit jactantiam ſervi. q. d. ita te effers, quaſi re in provincia vel bello bene geſta triumphum duxeris, & magnifico epulo ſis exceptus. Plaut. Amph. II. 2. 23.

re geſta bene,
Victis hoſtibus, quos nemo poſſe ſuperari ratu'ſt.

Cic. Fam. X. 30. *Res bene geſta eſt.* Virg. Aen. IX. 157.

Quod supereſt, laeti bene geſtis *corpora* rebus
Procurate, viri.

Eſt enim *Rem gerere* proprie cum hoſtibus confligere, & inſignem aliquam victoriam ex iis referre. Horat. Epiſt. I. 17. 33.

Res gerere, *& captos oſtendere civibus hoſtes;*
Attingit ſolium Jovis.

Nollem huc exitum.] Ita legit etiam Donatus ad And. I. 1. 13. eſtque in pleriſque Mſſ. & editis. Nonnulli legunt: Nollem hunc exitum; ut τὸ exitum nomen ſit, media correpta.

ACTUS

ACTUS QUINTI

SCENA SECUNDA.

Dromo. Syrus. Demea.

Dr. Heus! Syre; rogat te Cteſipho, ut redeas. *Sy.* Abi.
De. Quid Cteſiphonem hic narrat? *Sy.* Nihil. *De.* Eho! carnufex;
Eſt Cteſipho intus? *Sy.* Non eſt. *De.* Cur hic nominat?
Sy. Eſt alius quidam, paraſitaſter parvolus:
Noſtin'? *De.* Jam ſcibo. *Sy.* Quid agis? quo abis? *De.* Mitte [me.
Sy.

DONATI.

1. Heus! Syre.] Quam clare dicat, oſtenditur ex eo quod praemiſit Heus, antequam loqueretur. Ctesipho.] Mire additum nomen eſt: quum aut ſine hoc, aut per pronomen intelligi poſſit Cteſipho. Ut redeas.] Redeas dicendo, oſtendit & illum inter pocula, a quo egreſſus eſt ebrius.

4. Est alius quidam, parasitaster parvolus.] Non alius parasitaster, ſed alius Cteſipho, [1] qui eſt paraſitaſter. Et bene non *alter*, ſed alius: quaſi non duo, ſed multi ſint Cteſiphones. Et hoc ſic pronuntiandum eſt, ut ſimul & quaerat, & dicat Nostin'? Quaſi ſycophanta, nunc addidit, nostin': nam veteratoris eſt, etiam mentientem confidere.

5. Quid agis? quo abis?] Hoc jam ebrio convenit, non illi quem cognovimus Syrum. nam quod retinet ſenem, confeſſionis genus eſt.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Qui eſt paraſitaſter. Et bene non* alter, *ſed* alius.] Haec ante Rob. Stephanum in nullis Codicibus invenio. Edidit autem is, *Et vide non* alter, ſed alius.

COMMENTARIUS.

1. Heus!] Ex aedibus Micionis proſpiciens, nondum egreſſus haec clamat Dromo. In Mſſ. & editis quibuſdam eſt, Heus! heus!

Abi.] Senſus eſt, Abi in malam rem, qui facis mentionem Cteſiphonis, praeſente Demea. Vult igitur, Dromonem occludere aedes, & manere intus, ne quid ſentiat Demea: ita tamen, ut audiatur a Syro.

4. Parvolus.] Petrus Victorius Var. Lect. XXXV. 18. ex Codice Bembino legit Paululus, idque miratur, Faërnum non animadvertiſſe, confirmans porro vocis uſum. Sed & magna Mſſ. pars legit Paululus, quorum duodecim laudat Guyetus. Infra V. 4. 22. eodem ſenſu, *paullo ſumtu*. Et Graeci μικρὸν dixere ὀλίγον.

5. Jam scibo.] Haec cum ſtomacho dicit Demea, ſimul in aedes Micionis introrumpere parans.

6. Manum abstines.] Ita attrectantes & blandiri volentes quaſi abigebantur. Plaut. Amph. III. 2. 22.

potin' es, ut abſtineas manum?

Rud. II. 4. 11. *potin' ut me* abſtineas manum? Vide

Sy. Noli inquam. *De*. Non manum abſtines, maſtigia?
An tibi jam mavis cerebrum diſpergi hic? *Sy*. Abit.
Aedepol commiſſatorem haud ſane commodum,
Praeſertim Cteſiphoni. quid ego nunc agam?
Niſi dum hae ſileſcunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiſcam hoc villi. ſic agam.

DONATI.

6. Non manum abstines? mastigia.] Etiam injeciſſe manum, ut teneret Demeam, ex ipſius verbis cernitur.

7. An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic?] Ut apparet, baculo minatur. Abiit.] Quia prohibere non potuit, demiſſo & deſperanti vultu, quid factum ſit, dicit, & abiiſſe Demeam pronuntiat.

8. Aedepol comissatorem haud sane commodum.] Τῷ ² χλευαστμῷ, tantum inopinatus ſupervenit, ut omnia ſic offendat, quemadmodum qui comiſſatum ingreditur: quia comiſſatoris eſt ſupervenire ad ſcortum, & vociferari aliquid in jocularem ſtrepitum. ³ quare totum falſe, totum ad Demeam contulit.

9. Praesertim Ctesiphoni.] Bona exceptio, ut appareat omnibus incommodum, & in his Aeſchino, ſed praecipue Cteſiphoni.

10. Nisi dum hae silescunt turbae.] Non quae jam ſunt, ſed quae erunt.

11. Hoc villi.] Ὑποκόρισμα eſt *vini*: ut *unus ullus*, *aſinus aſellus*, ⁴ *vanus vallus*, *vinum villum*.

OBSERV. IN DONAT.

2. Χλευαστμῷ.] Rob. Stephanus edidit, τῷ ἐυφημισμῷ.

3. *Quare totum falſe, totum ad Demeam contulit.*] Ita Rob. Stephanus & Lindenbruchius ediderunt. His vetuſtiores Codd. etiam Mſſ. legunt, *quare falſe totum ad Demeam contulit*. lege, *falſe*, & habebis ſcripturam Donati.

4. *Vanus vallus.*] Arbitror ſcripſiſſe interpretem, *vannus vallum*. Vide Varronem R. R. I. 52. & Voſſii Etymolog.

COMMENTARIUS.

Vide ad And. IV. 4. 51.

7. Cerebrum dispergi.] Ita eſt in pleriſque omnibus Mſſ. & editis antiquis, etiam Juntarum, Aldi, Rob. Stephani; itaque legebant Gambarellus & Fabrini. Faerno tamen dispergam, quod eſt in Donato & Codice Bembino, minacius videtur; cujus rei rationem non video. De re ipſa vide ſupra III. 2. 19. IV. 2. 32. & Eun. IV. 7. 33. In magna autem Librorum parte τὸ jam non comparet.

8. Commissatorem.] Guyetus defendit ſuum Commissator, ne τὸ aedepol regat accuſativum, ſcilicet. Ita tamen Plautus Trin. II. 2. 54.

Edepol hominem praedicatum ferme familiariter.

De vocis origine vide G. J. Voſſ. Etymolog. Similis ſententia illa Menandri:

Ὁ σκληρὸς ἀνὴρ ἐστι ἐν νέοις γέρων.

10. Silescunt turbae.] Ita Plautus Mil. II. 6. 100.

Dum hae conſileſcunt turbae, *atque irae leniunt.*

11. Edormiscam hoc villi.] Utrumque dixerunt, *Edormire* & *edormiſcere*. Plaut. Amph. II. 2. 64.

paullisper mane,
Dum edormiſcat *unum ſomnum.*

Rud. II. 7. 28.

Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiſcam *hanc crapulam.*

Ridicule de homine uvidis veſtibus, & mari ſuffuſo, falſiſque poculis nimium invitato. Mſſ. quidam & editi, Hoc vini.

Sic agam.] Ita ſolent poſt deliberationem, quod facere certum ſit, ſtatuentes. Cic. Fam. XIV. 4. ad Terentiam uxorem: *O me perditum! ô afflictum! quid nunc rogem te, ut venias, mulierem aegram, & corpore, & animo confectam? non rogem? ſine te igitur ſim? opinor*, ſic agam.

ACTUS QUINTI

SCENA TERTIA.

MICIO. DEMEA.

Mi. PARATA a nobis ſunt, ut dixi, Soſtrata,
Ubi vis. quiſnam a me pepulit tam graviter fores?
De.

DONATI.

PARATA A NOBIS SUNT, ITA UT DIXI, SOSTRATA, UBI VIS.] *In hac Scena collatio eſt perſonarum, mitis parentis ac ſaevi.*

1. PARATA A NOBIS SUNT.] De verbis abeuntis vult oſtendere Poëta, quam orationem cum Soſtrata habuerit ingreſſus Micio. Et [1] vides quas ἐλλείψεις interpoſuerit. Primo, PARATA A NOBIS SUNT: quae, non dixit: ſed, ITA UT DIXI dicendo, ſignificat ſe dixiſſe omnia. Deinde, UBI VIS, Fiant nuptiae; vel quid tale, aut omiſit: aut dicturus hoc ipſum, audit vehementius fores eſſe pulſatas: & quod agebat, abjecit,

2. QUISNAM A ME PEPULIT.] A ME, modo, id eſt, *Meas.* TAM GRAVITER.] Quia irati omnia concite faciunt, quum pulſandae fores eſſent exituro foras Demeae, ſic eas pulſavit, ut & his ipſis iraſci videretur.

3. HEI MIHI! QUID FACIAM? QUID AGAM? QUID CLAMEM, AUT QUERAR? Ô COELUM! Ô TERRA! Ô MARIA NEPTUNI!] Multum laboravit *Terentius*, ut ἀναλογίαν ſervaret in dolore Demeae: quo major debet in Cteſiphone reprehenſio eſſe, quam in delictis Aeſchini. Et nota, quod ubi non invenit quod dignum loqueretur, ab interjectione cepit, HEI MIHI! Et adhuc quum pro rei magnitudine oratio parva eſſet, QUID FACIAM? inquit. In alieno indignatus eſt: in ſuo QUID FACIAM? inquit. In alieno litigavit: hic ait, QUID AGAM? In alieno clamavit, & queſtus eſt: hic in ſuo relinquitur. Et praeter διαπόρησιν in Aeſchini peccato Micionem accuſavit: in Cteſiphonis, elementa cum Diis omnibus ac toto mundo. Mira αὔξησις, & quam imitatur [2] *Virgilius* in Orpheo, poſt

OBSERV. IN DONAT.

1. *Vides.*] Mſſ. & impreſſi Codd. ante Rob. Stephanum, *Vide.* 2. *Virgilius.*] Georg. IV. 504.

COMMENTARIUS.

Dacieria ex Mſ. Regio h. l. initium Actus V. facit.

1. PARATA.] Micio domo egrediens alloquitur Soſtratam Pamphilae matrem, quae intus manet. quia vero fores cum crepitu extrinſecus aperiebantur, Demea autem pone eas ſtabat, ne proturbaretur in viam, hinc eſt, quod Micio eum non videns in ipſo egreſſu rogat: QUISNAM A ME PEPULIT TAM GRAVITER FORES? Guyetus intelligit de Demea e Micionis aedibus egrediente. ridiculum. qui enim illud ſciebat Micio? aut, ſi viderat exeuntem, cur dixit, QUISNAM? Dicuntur autem & *pelli* fores & *pulſari.* Sic ſupra IV. 5. 4.

tune has pepuliſti fores?

Mſſ. & editi quidam: PARATA NOBIS.

UT DIXI.] In Libris quibuſdam Mſſ. & impreſſis, ITA UT DIXI. Quomodo & Donatus legit.

2. UBI VIS.] Sub. adduci filiam.

3. QUID FACIAM? QUID AGAM?] Varro de L. L. V. ſubtilius diſtinguit inter *agere* & *facere.* unde confici queat, *agere* complecti tria, cogitare,

Digitized by Google

De. Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O coelum! o terra! o maria Neptuni! *Mi.* Hem tibi!

Reſci-

DONATI.

poſt amiſſam rurſus Eurydicen, *Quid faceret?* inquit. (omnia enim conſumſerat primus dolor.) *Quo ſe rapta bis conjuge ferret?* (nam quid praeter omnes terras atque inferos loci remanebat?) *Quo fletu manes:* (per quem fletum manes; quaſi omnes primis luctibus impleverat lachrymis.) *Qua numina voce moveret?* cui nec ira quidem inexperta remanſerat. Et vide hic gradus doloris & iracundiae: [3] in tantum autem, ut jam creſcere non poſſint. quippe in initio Fabulae tantum triſtis eſt Demea. nam ſic audit a Micione, *Quid triſtis es?* & ipſe, *Rogas me? ubi nobis Aeſchinus ſiet? quid triſtis ego ſim?* Inde mox procedit in pejus: adeo ut ſic incipiat, *Diſperii! Cteſiphonem audivi filium una adfuiſſe in raptione cum Aeſchino.* Inde poſtea dicit, *Nae, ego homo ſum infelix!* Ad poſtremum, HEI MIHI! QUID FACIAM? QUID AGAM? Et naturali quodam modo, poſtquam ſummus furor ad extrema pervenit, repente ſenex mutatur, & mitis eſt.

4. O COELUM! ô TERRA! ô MARIA NEPTUNI!] Neptunus, quia medius ſit inter coelum & inferos, [4] dum utriuſque regni particeps habetur, elementorum omnium potiot. nam ideo tridentem habet, pro numero trium elementorum: ut apud [5] *Virgilium* idcirco dicit,

Jam coelum terramque meo ſine numine, venti,
Miſcere!

Et [6] apud *Homerum* ſic idem,

Ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον,
Χερσὶ τρίαιναν ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον.

Et hoc eſt quod ait [7] *Horatius*, in Arte Poëtica,

Interdum tamen & vocem Comoedia tollit.

In haec enim tria, rerum natura dividitur. Ut [8] *Virgilius*,

Principio maria, ac terras, coelumque profundum.

Et per hoc totum mundum accuſavit. O COELUM!

OBSERV. IN DONAT.

3. *In tantum autem.*] Offendit illud *autem.* Crediderim fere, ſcripſiſſe interpretem, *Et vide hic gradus doloris & iracundiae in tantum auctae, ut jam creſcere non poſſit.*

4. *Dum utriuſque regni particeps habetur, elementorum omnium potior.*] In Mſſ. & impreſſis vetuſtis eſt, *Dum utriuſque regni particeps eſt, habetur elementorum omnium potior.* Sed vel ita τὸ *potior* ſuſpectum eſt. An *potitor* legendum, pro eo qui potitur & compos eſt? quomodo quidam legunt locum Plautinum, Caſ. I. 23.

Tun' illam ducas? hercle me ſuſpendio,
Quam tu ejus potitor *fias, ſatius eſt mortuum.*

Ubi tamen Mſ. Boend. legit, *Potior*, quod ex pluribus Mſſ. praeferunt Pareus & Taubmannus.

5. *Virgilium.*] Aen. I. 133.

6. *Apud Homerum.*] Odyſſ. E. 291. Senſus eſt:

Sic loquutus, collegit nubes, & commovit pontum,
Manibus tridente capto: omnes vero concitavit procellas
Omnium ventorum: nubibus utique operuit
Terram ſimul & pontum.

7. *Horatius, in Arte Poetica.*] Verſu 93.

8. *Virgilius.*] Videtur e memoria laudaſſe verſum, Aen. I. 62.

Ni faciat, maria ac terras, coelumque profundum.

COMMENTARIUS.

tare, dicere, facere. atque adeo *agere* quaſi genus eſſe, *facere* ſpeciem. quae diſtinctio non perpetuo obtinet. quod vero *Poëtam facere*, non *agere* fabulam, *actorem agere*, non *facere*, dicit, non ex vi vocum, ſed ex uſu ita volente arceſſendum eſt. Ita nec perpetua diſtinctio inter πράττειν & ποιεῖν obſervatur. A Mſſ. autem atque editis nonnullis, poſt an. 1469. abſunt, QUID AGAM? poſcit autem ſenarius, ut adſit.

4. O COELUM! ô TERRA! ô MARIA NEPTUNI!] Sic Plaut. Trin. IV. 3. 63.

mare, terra, coelum, Di veſtram fidem!

Horat. Epod. XVII. 30.

Quid amplius vis? ô mare! ô terra! *ardeo.*

Plin. Lib. I. Epiſt. 9. O mare! ô litus! *verum ſecretumque* μουσεῖον! Edit. anni 1469. O MARIA NEPTUNIA!

LLL lll 2 5. OMNEM

Reſcivit omnem rem, id nunc clamat ſcilicet:
Paratae lites: ſuccurrendum 'ſt. *De.* Eccum adeſt
Communis corruptela noſtrûm liberûm.
Mi. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
De. Repreſſi, redii: mitto maledicta omnia:
Rem ipſam putemus. dictum hoc inter nos fuit;

Ex

DONATI.

LIUM! Ô TERRA! Ô MARIA NEPTUNI!] Utrum Deos elementa vocavit, quod Diis quoque iraſcitur, qui in iis commorantur, ut dolentes ſolent? An quia Deos eſſe non putat, ideo haec omnia Neptuni dicit: quaſi dicturus eſſet, *Neptunia fiant:* niſi intercederet perſona Micionis: quem videns, ad aliud converſus, deſiit diluvium & interitum rebus optare, objecto fratre, cui maxime iraſcitur, & propter quem deteſtabatur omnia. Tale eſt apud [9] *Virgilium:*

Omnia vel medium fiant mare.

An omnia accuſat, ut indignantes ſolent? Ut,

[10] *Quem non incuſavi amens, hominumque, Deorumque?*

Et ut,

[11] *Atque Deos atque aſtra vocat crudelia mater.*

HEM TIBI!] Τῷ ἰδιωτισμῷ TIBI; nulli enim Micio loquitur.

5. ID NUNC CLAMAT.] ID, ob id. SCILICET: PARATAE LITES.] Videtur & ipſe pertimuiſſe, dicendo SCILICET, & PARATAE LITES. Sed ut rurſus confirmet ſe ipſum, quia SUCCURRENDUM 'ST, ait.

6. SUCCURRENDUM 'ST.] Cteſiphoni ſcilicet.

7. COMMUNIS CORRUPTELA NOSTRUM.] Qui communiter ambos corruperit. COMMUNIS CORRUPTELA NOSTRUM LIBERUM.] Major accuſatio eſt iſta, quam prior: quippe quum jam modo de ambobus accuſetur Micio, non de uno.

8. TANDEM REPRIME IRACUNDIAM.] Mire. Quia reprehendere nequit iraſcentem, nimietatem reprehendit irati. Et [12] *Ira*, de cauſa eſt: *Iracundia*, de moribus. ATQUE AD TE REDI.] Quia *ira*, ab eo quod eſt *Ire* dicitur, quod a ſe eat, qui iraſcitur & furit. Et, AD TE REDI, proprie dixit. [13] *Virgilius:*

Verum, ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In ſeſe redit.

Et [14] *Cicero: Redit ad ſe, atque ad mores ſuos.*

9. REPRESSI, REDII.] Non quid dicatur, ſed quo geſtu dicatur, ſpecta: & videbis neque adhuc repreſſiſſe iracundiam, neque ad ſe rediiſſe Demeam. ſed quam mira eſt atque perſpicua moralitas, in hujuſmodi rebus, apparet.

10. REM IPSAM PUTEMUS.] Videtur paulo citius deſtomachatus, quam res etiam incertae poſcebant. Sed & hoc morale: nam juſte irati, omiſſa ſaevitia, ad ratiocinationes ſaepe feſtinant. Et praeterea illud accedit, quod non invenit jam, quod condigne dicat: ſimul etiam quia increpitus eſt a fratre, quod apud ſe jam

non

OBSERV. IN DONAT.

9. *Virgilium.*] Ecl. VIII. 58.
10. *Quem non incuſavi.*] Virg. Aen. II. 745.
11. *Atque Deos.*] Virg. Ecl. V. 23.
12. *Ira, de cauſa eſt.*] Vide ad And. I. 1. 122. Donat. & Obſ.
13. *Virgil.*] Georg. IV. 443. ubi vulgo, *pellacia.*
14. *Cicero.*] In Q. Caecil. Divinat. 17.

COMMENTARIUS.

5. OMNEM REM.] Pſaltriam non Aeſchini, ſed Cteſiphonis eſſe amicam. id vero uſque adhuc ignorabat Demea.

SCILICET.] Magna Mſſ. & editorum pars ILICET legunt. Sed & ita Donatus, & Servius ad Virg. Aen. II. 424. defenduntque ex Codice Bembi Rivius & Faernus. Guyetus in Scholiis Mſſ. ita: ILICET *autem hoc ſenſu de iis rebus dictum videtur, quae temporis momento aut eripiuntur nobis, aut elabuntur; vel de iis, quae ſubito*

erum.

Ex te adeo eſt ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? reſponde. *Mi.* Factum 'ſt, non nego.
De. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam qui minus
Mihi idem jus aequom 'ſt eſſe, quod mecum 'ſt tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.

Mi.

DONATI.

non ſit per iracundiam vehementem. REM IPSAM PUTEMUS.] Tractemus, purgemus. nam & hinc *putamina*, purgamenta dicta ſunt: ut [15] *Plautus* in Captivis ait,

Nucleum amiſi, retinui pignori putamina.

Et [16] *Virgilius*, *Multa putans,* inquit. *Putare* proprie, eſt falſa & caſſa a veris & utilibus reſecare. unde arborum purgatores, *putatores* dicuntur. Et REM, cauſam ipſam litis oſtendit: ut, *Mitte iſta, atque ad rem redi.*

11. NE TU CURARES MEUM.] *Nam ambos curare, propemodum repoſcere illum eſt, quem dediſti.*

12. FACTUM 'ST.] Apparet, Micionem invitum quidem fateri, ſed facete contemnere objecta.

14. CUR EMIS AMICAM, MICIO?] Inclamatio illa nominis, magnam invidiam ſignificat. Ut,

Regnumne, Aeſchine, hic poſſides?

Et,

[17] *pacem te poſcimus omnes,*
Turne.

NUM QUI MINUS MIHI IDEM JUS AEQUUM 'ST ESSE.] Aut NUM, aut QUI abundat. Et eſt ordo, *Qui minus aequum eſt eſſe idem jus mihi.* Qui ergo, quare vel cur ſignificat.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Plautus in Capt.*] III. 4. 122. ubi vulgo, non *retinui*, ſed *reliqui*, etiam in Ms. Boend.

16. *Virgilius.*] Aen. VI. 332.

17. *Pacem.*] Virg. Aen. XI. 362.

COMMENTARIUS.

erumpunt, ut torrentes. a foro autem metaphora. ubi enim lictor ILICET *dixit, i. e. ire licet, ilico omnes, qua data porta, ruunt, & cum murmure dilabuntur.*

6. SUCCURRENDUM 'ST.] Cteſiphoni, cui lites paratae a Demea; & qui vix ſubſtabit, niſi opem ei tulero. metaphora a militia tranſlata.

ECCUM ADEST COMMUNIS CORRUPTELA NOSTRUM LIBERUM.] Sic Eun. I. 1. 34. Plaut. Aſin. V. 2. 17.

Is apud ſcortum corruptela *eſt liberis, luſtris* [*ſtudet.*

Ita lego. Heinſius *corruptelae* tuetur.

8. AD TE REDI.] Vide ad Heaut. V. 1. 48.

10. REM IPSAM PUTEMUS.] Expendamus, aeſtimemus. Metaphora a calculis & rationibus deducta. Virg. Aen. VI. 332.

Multa putans, *ſortemque animo miſeratus iniquam.*

12. NEVE EGO TUUM?] Niſi interrogationem haec verba habere dicas, multum ex emphaſi peribit. Sed & τὸ RESPONDE evincit, interrogatum fuiſſe Micionem. Illa autem, EX TE ADEO EST ORTUM, parentheſis naturam habent. Fuit autem hoc dictum ſupra I. 2. 58.

FACTUM.] Formula reſpondendi. Sic Eun. V. 2. 12.

14. NAM QUI.] Mſſ. quidam & editi poſt an. 1469. NUMQUID. Alii cum Donato, NUM QUI.

15. QUOD MECUM 'ST TIBI?] Pauci Libri praeferunt, QUAM QUOD MECUM EST TIBI?

16. QUANDO EGO TUUM NON CURO, NE CURA MEUM.] Plaut. Capt. III. 4. 99.

Meam rem non cures, *ſi recte facias. num ego* curo tuam?

Mi. Non aequom dicis; non. nam vetus verbum hoc quidem eſt:
Communia eſſe amicorum inter ſe omnia.
De. Facete! nunc demum iſtaec nata oratio eſt.
Mi. Auſculta paucis, niſi moleſtum eſt, Demea.
Principio, ſi id te mordet, ſumtum filii
Quem faciunt, quaeſo facito haec tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod ſatis putabas tua bona ambobus fore,

Et

DONATI.

17. Non.] Confidenter Non repetivit, non habens rationem quam ſubjiceret: niſi illi proverbium veniſſet in mentem. Nam quia ſe videt in malam cauſam incidiſſe, totum vernaliter & facete agit: & ſubjicit aequitatem, ubi juſto ſe tueri non poteſt. Quod tamen a Demea ſtatim convincitur, dicendo, Nunc demum iſtaec nata oratio, ut oſtendat illum perturbatum contraria protuliſſe dictis ſuis ſuperioribus.

18. Communia esse amicorum inter se omnia.] Inter Pythagoreos ortum dicitur.

19. Facete! nunc demum istaec nata oratio est.] Alii totum jungunt: alii ſeparant. Et bene Nata est: nam ſic dicimus de rebus repentinis: ut ſupra, *E re nata melius fieri haud potuit, quam factum eſt, hera.*

20. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.] In duas partes dividitur [15] tota perſuaſio: nihil paſſurum Demeam damni, nihil corruptelae.

21. Principio, si id te mordet, sumtum filii quem faciunt.] Figurativa locutio eſt: ut,

Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit!

22. Quaeso.] Modo objurgatorium eſt Quaeso.

23. Pro re tollebas tua.] Pro patrimonii tui qualitate.

OBSERV. IN DONAT.

15. *Tota perſuaſio.*] Nulli meorum Codd. ante Rob. Steph. agnoſcunt illud *tota.* Ante τὸ *corruptelae* autem ſuſpicio eſt vocem *filium*, vel *filii* excidiſſe. forte quia ſcriptum erat, *nihil fil.* Librarii recentiores per incuriam poſterius omiſerunt.

COMMENTARIUS.

17. Non aequom dicis; non.] Vehemens negatio. Catull. Carm. XIV. 16.

Non, non *hoc tibi, ſalſe, ſic* abibit.

Sophocles, Ajace, 990.

Θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.
Diis obiit hic, non illis, non.

In quibuſdam Codicibus eſt: Mi. Non aequum dicis. De. Non? Mi. Nam vetus.

18. Communia esse amicorum inter se omnia.] Menander ἐν τοῖς Ἀδελφοῖς:

Τὰ τῶν φίλων κοιν', οὐ μόνον τὰ χρήματα,
Καὶ νοῦ δὲ καὶ φρονήσεως κοινωνία.

Citat Suidas in κοινὰ τὰ τῶν φίλων. Unde conſtat, *vetus* eſſe *verbum*. Cicero Off. I. 16. *Ut in Graecorum proverbio eſt:* Amicorum eſſe omnia communia. Idem de Legib. I. 12. *Unde eſt illa Pythagorea vox:* ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΚΟΙΝΑ. καὶ ΦΙΛΙΑΝ ΙΣΟΤΗΤΑ. Seneca de Benef. VII. 4. *Idem autem me ſcito, & de amicis interrogare. omnia dicitis illis eſſe communia.* Martial. II. 43. 1.

Candi-

Et me tum uxorem credidiſti, ſcilicet,
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conſerva, quaere, parce: fac quam plurimum
Illis relinquas: gloriam tu iſtam obtine.
Mea, quae praeter ſpem evenere, utantur ſine.
De ſumma nihil decedet: quod hinc acceſſerit,
Id de lucro putato eſſe omne. haec ſi voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, & tibi, & illis demſeris moleſtiam.

De.

DONATI.

25. Et me tum uxorem credidisti, scilicet, ducturum.] Ἐπαγωγή.

27. Conserva, quaere, parce: fac quamplurimum illis relinquas.] Hoc ſic pronuntiandum, ut appareat hanc ipſam voluptatem diſplicere Micioni. Conserva Parta. Quaere Nova. Parce Omnibus.

29. Utantur sine.] Aut deeſt, *His*, ut ſit, *his utantur:* aut *mea utantur*, antique locutus eſt.

30. De summa nihil decedet.] Rei tuae ſcilicet.

33. Demseris.] Pro, *demes.*

COMMENTARIUS.

Candide, κοινὰ φίλων, haec ſunt tua, Candide, πάντα.

Et verſu 16.

Das nihil, & dicis, Candide, κοινὰ φίλων?

Vide Eraſm. in Adag.

19. De. Facete! nunc demum istaec nata oratio 'st?] Niſi ita legas & diſtinguas, ſenſum commodum non video. Neque enim id voluit Demea, verbum iſtuc Micionis non eſſe antiquum; ſed poſt multam & variam altercationem, quum Micio demum appoſitiſſimum de bonorum ſocietate verbum protuliſſet, id miratur Demea non prius in mentem veniſſe Micioni.

21. Si id te mordet.] Εἰ τοῦτο σε δάκνει. Sic Eun. III. 1. 21. & 55.

Sumtum filii quem faciunt.] Eadem conſtructio eſt ſupra, Eun. IV. 3. 11.

23. Illos duos.] Servius ad Virgil. Aen. XI. 285. Illos duo legit; quod & Pierius & Cerda firmant, variis exemplis hanc declinationem Graeciſſantem adſtruentes. Idem in ambo accidit. Vide Parei Lexic. Plautin.

Tollebas.] In quibuſdam Libris eſt, tolerabas. Exiſtimatque Faernus, tollebas de filiis adultis proprie non dici. Caeſ. B G. VII. 77. *Eorum corporibus, qui aetate inutiles ad bellum videbantur, vitam* toleraverunt.

26. Eandem illam rationem antiquam obtine.] Sic And. IV. 5. 22. Magna autem Mſſ. pars, ſed & editi quidam praecipui poſt an. 1469. Tibi obtine, legunt.

30. Quod hinc accesserit.] Δεικτικῶς, h. e. a me. Et vim habet accesserit oppoſitam τῷ decedet. q. d. Quod a me acceſſerit ad tuos reditus, quibus tu tollere ſolebas filios ambos.

31. Id de lucro putato esse omne.] Elegans formula. Cic. Fam. IX 17. De lucro *prope jam quadriennium vivimus; ſi aut hoc lucrum eſt, aut haec vita, ſuperſtitem reip. vivere.* Horat. Carm. I. 9. 14.

Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Adpone.

Vide Phorm. II. 1. 16. Hec. III. 1. 7.

34. Con-

De. Mitto rem: conſuetudinem ipſorum. *Mi.* Mane:
Scio: iſtuc ibam. multa in homine, Demea,
Signa inſunt, ex quibus conjectura facile fit;
Duo quum idem faciunt, ſaepe, ut poſſis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is, qui facit.

Quae

DONATI.

34. MITTO REM.] Pecuniam. Et haec exclamatio eſt moralis nimis adverſum tardos, ac non intelligentes homines. CONSUETUDINEM IPSORUM.] *Loquor*, aut quid tale, ſubaudiendum. MITTO REM: CONSUETUDINAM IPSORUM.] Vel ab utilitate ad honeſtatem tranſit: vel a rebus ad illos ipſos, de quibus agitur. Cavetur enim, ne aut rem perdant, aut ipſi pereant. MANE: SCIO: ISTUC IBAM.] Moralis & faceta correptio, continens in ſe latenter blandimentum, [19] quo deliniatur auditor.

35. MULTA IN HOMINA, DAMEA, SIGNA INSUNT.] Obſcuriſſimus ſenſus & re & verbis.

37. DUO QUUM IDEM FACIUNT.] Obſcure locutus eſt, quum hic ſit ſenſus: *Duo idem faciunt, quorum uni licet facere, alteri non licet.* DUO QUUM IDEM FACIUNT.] Nam ambo & ſapiunt, & intelligunt, & loco verentur. non ingenii vitium, ſed aetatis eſt. SAEPE, UT POSSIS DICERA.] Melius eſt SAEPE ad ſuperiora conjungere: nam poſſunt duo idem facere, & caſu, [20] non ut ſimilitudinem facere videantur. tunc ergo erit ſignum, SAEPE IDEM FACIUNT. DICERE autem poſuit, pro intelligere & ſcire: ab eo quod praecedit, id quod ſequitur. ut, *Foeneratum iſtuc beneficium pulchre tibi dices.* Et, *Memorem me dices eſſe & gratum.*

39. NON QUOD DISSIMILIS RES SIT.] An quia huic licet?

OBSERV. IN DONAT.

19. *Quo deliniatur auditor.*] Quare *auditor*? Malim, *Quo deliniatur alter.* Vel potius: *Quo leniatur Demea frater.* An ſcriptum fuit: *Quo De. leniatur frater?*

20. *Non ut ſimilitudinem facere videantur.*] Non minus mihi haec obſcura videntur, quam ipſius Micionis verba. Effingo e conjectura, *non ut ſimili ſtudio idem facere videantur.* Ita oppoſitio erit inter ea, quae *caſu*, & quae *ſtudio* fiunt.

COMMENTARIUS.

34. CONSUETUDINEM IPSORUM.] Sub. Mihi vide. Intelligit autem conſuetudinem eum Pſaltria. Sed & aegre fert conſuetudinem Clitiphonis cum Aeſchino. unde Clitiphonem recipi non vult a Micione.

35. ISTUC IBAM.] Vide ad Eun. I. 2. 44. & 75.

MULTA IN HOMINA.] *Obſcuriſſimum ſenſum & re & verbis* Donatus vocat. Et ſane totus hic Micionis ſermo parum cohaeret. Ubi enim dixiſſet, MULTA IN HOMINE, DEMEA, SIGNA INSUNT, EX QUIBUS CONJECTURA FACILE FIT, ſuſpendit ſermonem, neque addit, quod addendum erat. Illa autem, QUAE EGO ILLIS INESSE VIDEO, quid ſibi velint, non video. Et ſi vel maxime SIGNA intelligas filiis INESSE, quae illa SIGNA? aut cujus rei? Infert tamen Micio, UT CONFIDAM FORE, ITA UT VOLUMUS. Retulerim igitur ad artificium Poëtae, Micionem & veris rationibus argumentiſque pro illa filiorum vita deſtitutum, & nihilominus fratrem Demeam in ſuam ſententiam pertrahere ſtudentem potius quidquid dicere, & verba ſine ſenſu velle fundere, quam committere, ſe ſaevidicis dictis a Demea protelari. Idem accidit Alceſimarcho Plautino, Ciſtell. II. 1.

37. DUO QUUM IDEM FACIUNT.] Videtur tangere iniquitatem judicum & προσωποληψίαν. Unde Anacharſis leges Solonis aranearum telis ſimiles eſſe dixit, in quibus adhaereant muſcae,

majores

Digitized by Google

Quae ego illis ineſſe video, ut confidam fore,
Ita ut volumus. video ſapere, intelligere, in loco
Vereri, inter ſe amare: ſcire eſt liberum
Ingenium, atque animum. quovis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re ſint tamen
Omiſſiores paullo. ô noſter Demea,
Ad omnia alia aetate ſapimus rectius:

Solum

DONATI.

40. Quas ego esse in illis video.] Ordo & ſenſus hic eſt, *Multa in homine, Demea, ſigna inſunt, ex quibus conjectura facile ſit: quae ego illis ineſſe video, ut confidam fore ita ut volumus.*

41. Intelligere, in loco vereri.] Non, In loco intelligere: ſed, In loco vereri.

42. Inter se amare.] Cito dixit Inter se: quud eſt, quum alter alterum invicem amat.

44. At enim metuas.] Ἀντίθεσις ad priorem tractatum pertinens, qui eſt habitus de conſuetudine rei familiaris. Ne ab re sint tamen omissiores paullo.] Quia amant, potant, olent unguenta. At enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paullo.] Ortatorie paullo: nam non paullo omiſſiores fore, Demea, ſed *plurimum* fore credit & metuit. Et Ab re, a patrimonio.

45. Omissiores.] Ἀνειμένοι, ἀνετώτεροι, negligentiores. Sic in Heautontim. *Ubi te vidi animo eſſe omiſſo.* O noster Demea.] Blanda & cum quodam complexu ejus, qui reprehenditur, incuſatio, & de more ſublata. Et ſic hoc dixit, tanquam dicturus eſſet, *Multa te latent, ſimplex homo es.* nam hujuſmodi ſententia latenter quandam dicentis auctoritatem fiduciamque deſignat.

46. Ad omnia alia aetate sapimus rectius.] Praeterquam ad avaritiam. Et per hoc, quod optas liberis, vitium ſenectutis eſt.

COMMENTARIUS.

majores volucres non item. Optime autem Cicero, Off. I. 25. *Cavendum eſt etiam, ne major poena, quam culpa ſit: & ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* Qui ſenſus verborum ſine ſenſu prolatorum, ſi minus placet, poſſit reſpici ingenii & indolis diverſitas, qua fit, ut hujus mores placeant, alterius ſint odio. Confer Fabulam de catello & aſino domino adblandientibus, quae eſt in Append. Fabb. Phaedri, X. Nihil quoque frequentius in duorum procorum ambitu urbanis tincto ſalibus. Non valde diverſum eſt illud Juvenalis XIII. 104.

Committunt eadem diverſo crimina fato.
Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

40. Illis inesse.] Donatus: Esse in illis. Mſſ. quidam & editi, poſt an. 1469. in illis esse.

41. Video sapere.] In Mſſ. quibuſdam & impreſſis cum an. 1469. eſt, Video eos sapere. Sed nec metro poſtulante, nec ſenſu. Priſcianus Lib. XVIII. ter citat, nec eos addit.

42. Inter se amare.] Sic Plaut. Capt. II. 3. 60.

Videas corde amare inter ſe.

Stich. V. 4. 47.

Haec facetia 'ſt, amare inter ſe *rivales duos.*

Cicero ad Q. Fr. III. 3. *Valent pueri, ſtudioſe diſcunt, diligenter docentur, & nos, &* inter ſe amant.

44. Ne ab re sint tamen omissiores paullo.] Vide Heaut. V. 2. 9.

45. Ad omnia alia aetate sapimus rectius.] Menander:

Εἰ τ᾽ ἄλλ᾽ ἀφαιρεῖ ὁ πολὺς ἡμῶν χρόνος
Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ.

Citat Stobaeus, Tit. CXVI.

Solum unum hoc vitium ſenectus adfert hominibus,
Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt:
Quod illos ſat aetas acuet. *De.* Ne nimium modo
Bonae tuae iſtae nos rationes, Micio,
Et tuus iſte animus aequus ſubvortant. *Mi.* Tace:

Non

DONATI.

48. ATTENTIORES SUMUS AD REM OMNES.] Proprie ATTENTIORES reddit *omiſſioribus.* ſupra enim dixerat, *Ne ab re tamen ſint omiſſiores paullo.* QUAM SAT EST.] Quaſi dicat, attentos nos eſſe, [21] non ſtatim crimen eſt.

49. QUOD ILLOS SAT AETAS ACUET.] *Metaφορικῶς*, ACUET. NE NIMIUM MODO BONAE TUAE ISTAE NOS RATIONES, MICIO, ET TUUS ISTE ANIMUS AEQUUS SUBVORTIT.] SI NAE, valde, SUBVORTIT infra legendum eſt: SI NE, pro non, conjunctio eſt, & SUBVORTAT legendum, ita ut ſubaudiamus *Timeo*, vel aliquid tale. ET TUAE & ISTAE quod ait, ſignificationem habent [22] nulliuſmodi rationem & ineptam: nam apparet, non eas probari ab eo, qui ſic loquitur, ut ſupra, *Jam vero omitte, Demea, Tuam iſtanc iracundiam.*

51. TACE: NON FIET.] TACE nunc pro *εὐφημισμῷ* poſitum eſt: quaſi diceret, Non ſubvertet. ne dixeris, quod mali ominis verbum eſt.

OBSERV. IN DONAT.

21. *Non ſtatim crimen eſt.*] Mſ. Boend. cum edd. vetuſtis ante Rob. Steph. *Attentos nos eſſe nimium, crimen eſt.*

22. *Nulliuſmodi rationem & ineptam.*] Forte, *Nulliuſmodi rationum, & ineptarum.*

COMMENTARIUS.

47. SOLUM UNUM HOC VITIUM SENECTUS ADFERT HOMINIBUS.] Caecilius apud Ciceronem, de Senect. 8.

Aedepol, ſenectus, ſi nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cum advenis; unum id ſat eſt,
Quod diu vivendo, multa, quae non vult, videt.

48. ATTENTIORES.] Proprie, quia dixerat, OMISSIORES. Sic infra V. 8. 31. Cicero Fam. IX. 16. *Tum enim, cum rem habebas, quaeſticulis te faciebam* attentiorem. Horat. Epiſt. I. 7. 91.

Durus, ait, Vultei, nimis attentuſ*que videris.*

Senum avaritiam exagitat Cicero, de Senect. 18. *Avaritia vero ſenilis quid ſibi velit, non intelligo. poteſt enim quidquam eſſe abſurdius, quam, quo minus viae reſtat, eo plus viatici quaerere?*

49. QUOD ILLOS SAT AETAS ACUET.] H. e. Hortabitur, urgebit, ſtimulabit. Cicero pro Roſcio Amer. 38. *Illum* acuere: *hos, qui ſimul erant miſſi, fallere: illum identidem monere, ut caveret.* Virg. Georg. I. 123.

curis acuens *mortalia corda.*

NE NIMIUM MODO BONAE TUAE ISTAE NOS RATIONES, MICIO, ET TUUS ISTE ANIMUS AEQUUS SUBVORTANT.] Haec varie leguntur. Mſſ. Leidenſes tres SUBVORTANT. Mſ. Traject. SUBVERTAT. ſed lineola tranſverſa τῷ A incumbente. unde & SUBVERTANT valere queat. Eandem lectionem ex tribus Pall. laudat Pareus. Robertus Stephanus, Pulmannus, Plantinus ediderunt: NAE, NIMIUM MODO BONAE TUAE ISTAE NOS RATIONES, MICIO, ET TUUS ISTE ANIMUS AEQUUS SUBVORTIT. Sed videtur adverſari huic lectioni, quod continuo ſequitur, NON FIET. Editio Anonyma, Juntina, Aldina, aliae melioris notae SUBVORTANT legunt.

52. DA TE MIHI.] Plaut. Aſin. V. 1. 21.

quin te *ergo hilarum* das mihi?

E Sophoclis Philocteta adſcripſerat ſuo Codici Gerard. Falkenburgius: Δός μοι σεαυτόν. Verſus eſt 84. Vide Eun. III. 3. 10.

53. EXPORGE FRONTEM.] Homines triſtes & ſaevi contrahere frontem dicuntur, quod *caperare* dixit Plautus, ſeu a caprorum frontibus criſpis, ſeu a cornuum caprinorum ſimilitudine. Hoc Feſto, illud Nonio videtur. Quorum igitur vultus mutaretur ad ſerenitatem, *porrigere & exporrigere* frontem dicebantur. Plaut. Caſ. II. 4. 3.

Primum

Non fiet. mitte jam iſtaec: da te hodie mihi:
Exporge frontem. *De.* Scilicet, ita tempus fert:
Faciundum eſt. caeterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. *Mi.* Immo de nocte cenſeo:
Hodie

DONATI.

52. DA TE HODIE MIHI.] Accommoda te ipſum voluntati meae. nam ad animum tranſtulit, quod eſt corporis. ut in Eunucho: *Mihi ſeſe dare, ſermonem quaerere.* [23] *Cicero, Cerviculam jactare, & populo ſe accommodare.* DA TE HODIE MIHI.] Si non vis, inquit, propter te: vel propter me mitis eſto.

53. EXPORGE FRONTEM.] [24] Quia *contrahi* in verbo dicitur. Et verbo iſto oſtenditur, quanto conatu opus ſit, ad explicandam tantam contractionem ſenectutis & ſeveritatis. SCILICET, ITA TEMPUS FERT: FACIUNDUM EST.] Vide ſi non hoc ſit, quod Graeci [25] MIPCOK*αλήμερον* dicunt: nam ſic, & ITA TEMPUS FERT, & FACIUNDUM dicendo, oſtendit ſe magis cogi neceſſitatibus, ut paullo ſit tranquillior. Et cum tanta difficultate promittit, tanquam mala ſubiturus ſit. Atque adeo majorem partem ſecum diſputat, neceſſario hoc velit nolit faciendum eſſe, ut ſit laetior: & hoc quia TEMPUS FERT.

54. FACIUNDUM EST.] Satis mire: tanquam neceſſitate cogatur ad gaudendum agreſtis ſenex * [26] ΕΜΙCΟΚΑΛΗΜΕΡΟC. CAETERUM RUS CUM FILIO CUM PRIMO LUCU IBO HINC.] Hoc ideo facit, quaſi gaudere interim non poſſit, niſi ſe vicinae ſaevitiae proximitate ſoletur.

55. CUM PRIMO LUCU.] [27] Ἀποσιώπησις. CUM PRIMO LUCU.] Veteres dicebant *lucum*, pro *luce*, pro ſole ponentes. Ergo CUM PRIMO LUCU, quum primum ſol coeperit illuceſcere. CUM PRIMO LUCU.] Veteres maſculino genere dicebant, [28] *lucem*. IBO HINC.] Tanquam de malo loco. DE NOCTE.] Abundat DE.

OBSERV. IN DONAT.

23. *Cicero, Cerviculam jactare, & populo ſe accommodare.*] Locus eſt Verr. III. 29. ubi Lipſius ex veteri Nannii Codice legendum eſſe dicit: *Cerviculam jactaturum, ac populo, ac coronae ſe daturum.* h. e. coronae ſeu multitudini populi. Unde adeo Donatus ſcripſerit: *Et populo ſe, ac coronae dare.* Vel potius: *Cerviculam jactaturum, & populo ſe, ac coronae daturum.* Mſ. Hulſt. *Cerviculam jactaturum* recte exhibet; cetera male.

24. *Quia contrahi in verbo dicitur.*] Verba ſine ſenſu. Lego vel, *Quia contrahi contrario verbo dicitur*; vel, *Quia contrahi a ſevero dicitur.*

25. MIP OK*αλήμερον.*] Lego, *Μισοκαλήμερον*. i. e. odioſum, ſeverum. ex *μῖσος* odium, & *καλήμερος*, homo feſti diei, ſeu feſtivus & hilaris.

26. ΕΜΙCΟΚΑΛΗΜΕΡΟC.] Lego rurſus, *μισοκαλήμερος*.

27. Ἀποσιώπησις.] Videtur ſcripſiſſe interpres, Ἀγχαίσμός. Agnoſcit enim τὸ IBO HINC.

28. *Lucem.*] Ita perperam omnes Libri, niſi quod Guido Juvenalis legit, *Lucus.*

COMMENTARIUS.

Primum ego te porrectiore fronte *volo mecum loqui.*

Quod Horatius Epiſt. I. 18. 94.

Deme ſupercilio nubem

dixit. Plaut. Pſeud. Prol. 24

Exporgi *melius 'ſt lumbos, atque exſurgier.*

Galli eleganter exporrectam frontem, *un front deridé* vocant. Fabrini reddit, *chiarifica la faccia.* q. d. ſerena vultum.

SCILICET ITA TEMPUS FERT: FACIUNDUM EST.] Ita ſolent, qui poſt longam altercationem vinci ſe patiuntur. Sic Eun. I. 2. 105.

54. CRAS.] Abeſt haec vox a Mſ. Lipſ. & Bodl. & edit. 1469. ſed nequit abeſſe ſine metri damno.

55. CUM PRIMO LUCU.] Ita pleriqne Mſſ. & impreſſi. Pauci, in quibus Mſ. Lipſ. & edit. anni 1469. CUM PRIMA LUCE. Plautinum eſt *cum primo luci*, Ciſtell. II. 1. 49. niſi forte ibi legendum *lucu*, quod Amph. I. 1. 11. Meurſius faciendum cenſet. Cicero Off. III. 31. *Cum prima luce.* Virg. Aen. VII. 130.

&, primo *laeti* cum lumine *ſolis.*

Gr. ἅμα ἕῳ, ἅμ' ἡμέρᾳ, ἅμα τῷ διαυγάζειν. Suet. Caeſ. 52. *Convivia in* primam lucem *ſaepe protraxit.*

Digitized by Google

Hodie modo hilarum fac te. *De.* Et iſtam pſaltriam
Una illuc mecum hinc abſtraham. *Mi.* Pugnaveris.
Eo pacto prorſum illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam ſerves. *De.* Ego iſtuc videro:

Atque

DONATI.

56. FAC TE.] Eodem verbo utitur, quo jamdudum: ut laborem ad laetitiam ſe convertentis oſtendat: id eſt, elabora ut ſis hilaris. ET ISTAM PSALTRIAM UNA ILLUC MECUM HINC ABSTRAHAM.] Vide ſingulas ſyllabas, imbutas amaritudine ruſtica atque agreſti. Nam ISTAM odium ſignificat. PSALTRIAM.] Saevitia in nomine eſt, quam delicioſam eſſe oportet. Et, UNA MECUM: quam cum adoleſcentibus eſſe convenerat. Et ILLUC: ad quem locum pſaltriam ſecum ire compellit? Deinde ne vel in itinere poena ceſſet, CUM FILIO IBO HINC, inquit, ILLAM vero ABSTRAHAM. nam ILLUC eo animo dixit, quo ſupra, IBO HINC. Et apparet illum quaſi mancipium ducturum puellam, non ut fidicinam.

57. MECUM HINC ABSTRAHAM.] Non *abducam*: ſed quod eſt ſaevientis, ABSTRAHAM. PUGNAVERIS.] Magnam rem feceris: Sic *Lucilius*,

Vicimus, ò ſocii, & magnam pugnavimus pugnam.

58. EO PACTO PRORSUM ILLIC ALLIGARIS FILIUM.] Haec cum riſu dicit Micio, Et *ligare*, eſt injicere alicui vincula. Quis vero dicitur *alligari* ad aliquid, ſine quo eſſe non poſſit? Ergo proprie ad amicam alligari adoleſcentem dixit amatorem. PRORSUM autem, certe, recte, ac vere ſignificat.

59. UT ILLAM SERVES.] Acuendum ILLAM: Hoc eſt, non jam filium, ſed ILLAM ſerva, in qua utrumque retinueris. EGO ISTUC VIDERO.] Hoc eſt, *ut illam ſervem.*

60. ATQUE IBI, FAVILLAE PLENA, FUMI, AC POLLINIS, COQUENDO SIT SAXO, ET MOLENDO.] Atqui *molere* prius eſt, quam *coquere*: ſed illud prius poſuit, quo pulchritudo magis foedatur. an quia prius torreatur triticum, ut tundi poſſit? Ut [29] *Virgilius*,

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

OBSERV. IN DONAT.

29. *Virgilius.*] Aen. I. 179.

COMMENTARIUS.

traxit. Multa huc pro PRIMO LOCO congeſſit Guyetus in ἀνεκδότοις.

IBO HINC.] Haec verba in Libris quibuſdam per ἀποσιώπησιν omittuntur; forte ne ſeptenarius verſus poneretur inter ſenarios.

IMMO DE NOCTE.] Faërnus auctoritate Libri Bembini delet τὸ IMMO.

56. HILARUM FAC TE] Supra IV. 7. 38.

57. ABSTRAHAM.] Quaſi invitam & reluctantem. Sic And. I. 5. 8. & III. 2. 39.

PUGNAVERIS.] Rem magnam facere *pugnare* dicebant, ſeu ſerio, ſeu joco. Plautus ſaepius de ingenioſa fallacia uſurpat. Cicero Fam. III. 10. *illud* pugna *& enitere, ne quid nobis temporis prorogetur.*

58. ILLIC ALLIGARIS.] Legitur & ILLUC, & ILLI adverbialiter. Videtur autem potius rus intelligere, quam Pſaltriam. quare mox addit: MODO FACITO, UT ILLAM SERVES. q. d. caveto, ne illa aufugiat, & tuus fortaſſe filius una.

59. EGO ISTUC VIDERO.] Viderit Guyetus, qui τὸ EGO expunctum vult, num VIDERO & *videris* ſine pronomine praemiſſo dixerint veteres. And. II. 6. 25.

ego *iſtaec recte, ut fiant*, videro.

Plaut. Merc. II. 3. 111.

iſtanc rem ego *recte* videro.

60. FAVILLAE PLENA, FUMI, AC POLLINIS.] In Fragmentis Plautinis eſt: *Epeum* fumificum, *qui legioni noſtrae habet coctum cibum.*

61. COQUENDO SIT SAXO, ET MOLENDO.] Labores ancillarum enarrat Plautus, Merc. II. 3. 62.

Nihil

Atque ibi, favillae plena, fumi, ac pollinis,
Coquendo ſit faxo, & molendo: praeter haec
Meridie ipſo faciam, ut ſtipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo 'ſt. *Mi.* Placet.
Nunc

DONATI.

61. Coquendo sit faxo, et molendo.] Ne ametur ſcilicet. Coquendo sit faxo, et molendo: praeter haec.] Ἀπόδοσις octava.

62. Meridie ipso.] Quum ſol vehementior eſt. Et nomen fecit de adverbio. *Meridiem* dixerunt veteres, quaſi *medidiem*, R pro D poſito, propter cognationem harum inter ſe literarum. Ut stipulam colligat.] Quod ſub ſole fieri neceſſe eſt.

63. Tam excoctam reddam, atque atram.] Ἰδιωτικῶς dixit Reddam, pro *faciam*. Et excoctam, ad tenuitatem [30] ſiccati coloris: Atram, ad colorem retulit. Et vide quam aſpera, quamque ingrata clauſula ſit, qua ſaevidici ſenis finitur oratio. Placet. nunc mihi videre sapere.] Non contradicit: timet enim ſuaſor, ne laetitiam rurſus provocet ad jurgium.

OBSERV. IN DONAT.

30. *Siccati coloris.*] Hadr. Junius in Append. legit, *ſiccantis caloris*. Malim: *Ad tenuitatem ſiccatae cuticulae*.

COMMENTARIUS.

Nihil opus nobis ancilla, niſi quae texat, quae molat,
Lignum caedat, penſum faciat, aedes verrat, vapulet;
Quaeque habeat cotidianum familiae coctum cibum.

Medius verſus Lucilii eſt, Satyr. Lib. XXVII. 24. Et verſu 81.

Ea molet, conficiet penſum, pinſetur flagro.

Theophr. Charact. cap. 4. περὶ ἀγροικίας: Κἀτ' ἀλέσας μετ' αὐτῆς (σιτοποιῶ) τοῖς ἔνδον πᾶσι καὶ αὐτῷ τὰ ἐπιτήδεια. Vide Electa Plautina, v. *Piſtrini*. Uti autem haec ruri ſe facturum minatur Demea, ſic ſervus ſervo malum minitatur, ſed ruri. Plaut. Moſtell. I. 1. 4.

Ego pol te ruri, ſi vivam, ulciſcar probe.

Et Merc. III. 1. 10. Paſicompſa durum laborem deprecans ait:

Namque edepol quidem, mi ſenex, non didici bajulare,
Nec pecua ruri paſcere, neque pueros nutricare.

62. Meridie ipso faciam, ut stipulam colligat.] Intelligit ἡμέραν μέσην, ὅταν ὁ ἥλιος τὸ φλογῶδες ἐκλάμπεται. Virg. Georg. I. 297.

At rubicunda Ceres medio ſuccidi tur aeſtu.

Quod idem Georg. IV. 401. vocat,

medios quum ſol accenderit aeſtus.

Scilicet καυμάτων τῶν θερμοτάτων ὄντων. Tibull. I. 10. 13.

Jam mihi perſolvet poenas, pulviſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur ſole capilli:
Deteret invalidos & via longa pedes.

Ovid. Faſt. IV. 705.

Captivam ſtipula foenoque involvit, & ignes
Admovet. urentes effugit illa manus.

Minitatur igitur Demea, ſe Pſaltriam relegaturum ad ſpicilegium, ut Varro ait. *Stipula* vero pro calamis ponitur & ſpicis, καταχρηστικῶς. Alio ſenſu id eſt, quod demeſſo frumento in agris relinquitur. Belg. *ſtoppel*. Gell. V. 14. *Sole medio, rapido & flagrante*. Martial. III. 44. 7.

Non dipſae medio peruſta ſole.

Priſcianus Inſtit. Grammat. Lib. V. *Ipſo meridie ſtipulam colligendo*. Sed Lib. VII. *Meridie ipſo faciam ut ſtipulam colligat*.

63. Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo 'st.] Quod hic a ſole, idem a pugnis ſuis minitatur ille apud Plautum, Poen. V. 5. 9.

Sed mea amica nunc mihi irato obviam veniat, velim.
Jam pol ego illam pugnis totam faciam, ut ſit morula.

Nunc mihi videre ſapere. atque equidem filium
Tum etiam, ſi nolit, cogas, ut cum illa una cubet.
De. Derides? fortunatus, qui iſtoc animo ſies.
Ego ſentio. *Mi.* Ah! pergiſne? *De.* Jam jam deſino.
Mi. I ergo intro, & cui rei opus eſt, ei hilarem hunc ſumamus
diem.

DONATI.

64. Atque equidem filium.] Non ſolum ſuadet laetitiam, ſed etiam ridere cogit invitum.

66. Derides? fortunatus, qui istoc animo sies.] Hoc verbum vultu Demeae ſic proferitur, ut ſubriſiſſe videatur invitus. Sed rurſus Ego sentio, amare ſevereque dixit. Et *Ridet*, qui ſimpliciter ridet: *Deridet*, qui cum alterius irriſione & contemtu ridet. Fortunatus, qui istoc animo sies.] Non laudantis eſt quod ait, Fortunatus; ſed moraliter reprehendentis. ut ſi dicas, quum te aliquid cura offenderit, fortunatos ſtultos qui nihil ſentiant. [31] At hoc quoque dixit in Eunucho:

At ego infelix, neque ridiculus eſſe, neque plagas pati Poſſum.

67. Jam jam desino.] Et hic velut neceſſitatem queritur imponi ſibi.

68. Et cui rei opus est.] Cui rei credis, niſi nuptiis? hoc eſt, ludo atque laetitiae, voto & gaudio nuptiali. Hunc sumamus diem.] Non accipiamus, ſed impendamus, & conſumamus. Unde & *ſumtum* dicimus pecuniam, quae inſumenda eſt.

OBSERV. IN DONAT.

31. *At hoc*] Aut ſuſpicor, Donatum non ſcripſiſſe ea, quae ſequuntur, aut legiſſe, At ego sentio, atque ita ſcripſiſſe: At ego.] *Hoc quoque dixit in Eunucho:*
At ego infelix.

COMMENTARIUS.

Ita replebo atritate, atrior multo ut ſiet,
Quam Aegyptii, aut qui cortinam ludis per [Circum ferunt.
Martial. X. 62. 7.
Toſtamque fervens Julius coquit meſſem.

64. Filium tum etiam, si nolit, cogas.] Pauci Codices Filium tuum praeferunt. quae ſi vera eſt lectio, videtur omnino emphaſis eſſe in Tuum. ſcilicet quia ſupra tanto impetu dixerat Demea: *Cur recipis* meum? Et, *Quando ego* tuum *non curo, ne cura* meum. Sed malim tum legere, Illum tuum; quomodo Demea dixerat ſupra I. 2. 59. *Iſte tuus, ipſe ſentiet poſterius.* Praetulerim tamen Tum, cum ob Codicum numerum, tum quod ſenſus ſit, *Tum, ubi ita habita erit Pſaltria, ut placere amplius non poſſit, cogas filium, ut una cubet cum illa.* Plaut. Bacchid. IV. 9. 86.

Quod cum peregrini cubui uxore militis.

Amph. II. 2. 103.

mecum coenaviſti, & mecum cubuiſti.

Sic Hec. I. 2. 63.

cum virgine una adoleſcens cubuerit.

66. Derides?] Hunc & duos ſequentes verſus expungit Guyetus, mutilans adeo Scenam commodo exitu, & artificio Poëtico.

68. Et cui rei opus est.] Faërnus ex libro Vaticano, Baſilicano & Bembino monet legendum eſſe: Et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem. Sed & ita eſt in Mſ. Lipſ. & edit. anni 1469. Codices alii praeferunt: Et cui opus est rei, ei rei hilarem hunc sumamus diem.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS QUINTI
SCENA QUARTA.

DEMEA.

NUMQUAM ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, uſus, ſemper aliquid adportet novi,

Ali-

DONATI.

NUMQUAM ITA QUISQUAM BENE SUBDUCTA RATIONE.] *In hac Scena exemplum inducitur hominum, qui virtutem taedio deſerunt, [1] ob contemtum ejus quod apud omnes ſaevum eſſe, vitioſum ſit. Et adeo favet Terentius clementioribus ac mitiſſimis patribus, ut hunc quoque adducat ad ſententiam Micionis, non tamen hoc ſentientem, quod ita fieri oportet; ſed quod ita res cogat. Vult enim naturalem meſſe veris patribus acrimoniam: ſed eam ſemper invidioſam eſſe adoleſcentibus.*

1. BENE SUBDUCTA RATIONE.] Bene diſpoſita, bene computata: *Ducere* enim, eſt digitis computare. [2] ſed *Ducere* eſt apud alium & palam: *Subducere*, apud ſe ipſum & ſecreto. quo magis in verbo iſto majoris attentionis & diligentiae ſignum eſt.

2. QUIN RES.] QUIN, modo, *cur non* ſignificat. QUIN RES, AETAS, USUS.] Tria poſuit, ex quibus RES pro experientia ponitur: & hac dicit ſe eſſe mutatum. nam mox dicet, RE IPSA REPPERI, FACILITATE NIHIL ESSE HOMINI MELIUS, NEQUE CLEMENTIA.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Ob contemtum ejus.*] Forte, *Obtentu ejus, quod apud omnes ſeverum eſſe vitioſum ſit.* Lindenbr. *Ob contemtum ejus apud omnes, ſaevumque vitioſum.*

2. *Sed ducere.*] Ita Rob. Stephanus & Lindenbruchius. Sed Mſſ. Hulſt. & Boend. cum edd. vetuſtis, *ſeducere*, & mox, *ſed ſubducere*. Doctiſſ. Wielingius legit, *ſed adducere eſt apud alium & palam.*

COMMENTARIUS.

1. NUMQUAM ITA QUISQUAM BENE SUBDUCTA RATIONE AD VITAM FUIT.] Sententiam quatuor horum verſuum firmant plures. Solonis fertur: γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. *Seneſco multa ſemper diſcens.* Bionis: ἡ οἴησις τῆς προκοπῆς ἐγκοπή. *Opinio praecidit profectum*, Pindari: ἁμέραι ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι. *Dies ſequentes teſtes ſapientiſſimi.* Columella de Cultu Hortorum X. 338.

Ipſa novas artes varia experientia rerum,
Et labor oſtendit miſeris, uſuſque magiſter
Tradidit agricolis, ventos ſedare furentes,
Et tempeſtatem Thuſcis advertere ſacris.

P. Syrus:

Diſcipulus eſt prioris, poſterior dies.

BENE SUBDUCTA RATIONE.] Ratio loquendi a tabulis accepti & expenſi deducta. Plaut. Capt. I. 2. 89.

ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.

Quod vel digitis explicandis & complicandis, vel notis ſcriptis, quas cifras vocamus, fit; ut appareat ſeorſim rationem putando, quid alii nobis, quid nos aliis debeamus. Unde Plautus Curc. Act. III. verſu 1.

Beatus videor: ſubduxi ratiunculam,
Quantum aeris mihi ſit, quantumque alieni ſiet.

Elegan-

Digitized by Google

Aliquid moneat, ut illa, quae te ſcire credas, neſcias:
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies:
Quod nunc mihi evenit. nam ego vitam duram, quam vixi uſque adhuc,
Prope jam excurſo ſpatio mitto: id quamobrem? re ipſa repperi,
Facilitate nihil eſſe homini melius, neque clementia.

Id

D O N A T I.

3. Aliquid moneat.] Σύλληψις eſt per caſus. ſubauditur enim *Quem*.

4. Quae tibi putaris prima.] Ante alia eligenda: quae & primo loco ponenda, ac per hoc optima.

5. Vitam duram, quam vixi.] Ἀρχαϊσμός. ut *Lucilius*,

Magnam pugnavimus pugnam.

Nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc.] Prius dixit quid faciat, quam cur faciat.

6. Prope jam excurso spatio.] Id eſt, ad calcem, propter ipſos decurſus metaſque vivendi. Et eſt μεταφορὰ ſumta a curſoribus. Excurso spatio.] Id eſt, in ſumma ſenectute. Id quamobrem? re ipsa repperi.] Quia ſecum loquitur, ideo multa reticet. Et deeſt, *Faciam?* &, *Si quis quaerat:* &, *Dicam*.

7. Facilitate.] Jam facilem ſe inſert. Inter *Facilitatem* & *Clementiam* hoc intereſt: *Facilis* enim, cujus ira cito ſolvitur: *Clemens*, qui non iraſcitur.

C O M M E N T A R I U S.

Eleganter Cicero Fam. I. 9. *Hic ego, quantum humano conſilio efficere potui, circumſpectis rebus meis omnibus*, rationibuſque ſubductis, *ſummam feci cogitationum mearum omnium; quam tibi, ſi potero, breviter exponam.* Suet. Claud. 21. *Anneram* ratione ſubducta. Citat Nonius in v. *Subducere.*

4. Repudies.] Sic And. IV. 3. 18. Georgius Fabricius laudat C. Fannii ſententiam, ex Annalium primo: *Cum in vita agenda didicimus multa, quae in praeſentiarum bona videntur, poſt inventa multo amplius aliujmodi, atque ante viſa eſſent.*

6. Prope jam excurso spatio.] Haec conſtans fere MſT. lectio. Priſcianus tamen Inſtit. Grammat. Libb. VIII. XI. & XVIII. legit, decurso; ſeu quod diverſo Terentii exemplo uteretur, ſeu quod lectionem hanc ad Plautum reſtituere voluerit. Is ita Merc. III. 2. 4.

Decurſo *in ſpatio, breve quod vitae reliquum ſt.*

Stich. I. 2. 14.

decurſo *aetatis ſpatio.*

Atque ita plures. Lucretius Lib. III. 1055.

Ipſe Epicurus obit, decurſo *lumine vitae.*

Cic. Tuſc. Quaeſt. I. 8. *Nunc video calcem: ad quem quum ſit* decurſum, *nihil ſit praeterea extimeſcendum.* De Senect. 23. *Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec vero velim, quaſi* decurſo ſpatio, *ad carceres a calce revocari.* Pro P. Quint. 31. *Quam honeſtatem in judicium tuum,* prope acta jam aetate, decurſaque *attulit, eam liceat ei ſecum ex hoc loco efferre.* Eodem ſenſu moribunda Dido, apud Virg. Aen. IV. 653.

Vixi, &, quem dederat curſum *fortuna*, peregi.

Optime omnium Paulus Apoſtolus, 2. Timoth. IV. 7. Τὸν δρόμον τετέλεκα. Poſſit autem dubium eſſe, an excurrere pro decurrere, ad finem currere, recte dicatur. Sed & Donatum legiſſe decurso, ſuſpicio eſt. Interpretatur enim, *ad calcem, propter ipſos* decurſus *metaſque vivendi.* ubi *propter* valet *prope*, quomodo Lindenbruchius edidit.

10. Nulli laedere os.] Quod quid ſit, explicat Auguſtinus de Civit. Dei, Lib. I. 9. *Vel cum laboris piget, vel os eorum verecundamur* offendere. De iis, qui alios peccantes admonere metuunt. Gr. Εἰς τὴν κεφαλὴν ἐπιπεῖν. κατὰ τὸ στόμα ἐπιπεῖν. Fit hoc, proferendo verba moleſta, quibus ſe laeſum teſtatur ipſo vultu, in quem dictum eſt.

11. Sibi

Id eſſe verum, ex me, atque ex fratre, cuivis facile 'ſt noſcere.
Ille ſuam ſemper egit vitam in otio, in conviviis:
Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus.
Sibi vixit: ſibi ſumtum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agreſtis, ſaevus, triſtis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miſeriam vidi! nati filii:

Alia

DONATI.

9. Ille suam semper egit vitam.] Hic jam quaſi comparativa qualitas inducitur de utroque: & ut ille in initio Fabulae locutus eſt, ſic in fine hic loquitur.

10. Clemens, placidus, nulli laedere os.] Mira varietas & in locis, & in partibus orationis. Et clemens eſt, qui *colit mentem* ſuam, nec eam vexat iraſcendo. Clemens, placidus.] Clemens eſt circa recte agentes: Placidus etiam circa delinquentes. Et *Clementis* eſt, nulli laedere os: *Placidi*, arridere omnibus. Et clemens animo, placidus vultu. Nulli laedere os.] Id eſt, nullum praeſentem laedere. Et vide ³ quam grate a nominibus verba tranſeant. Nulli laedere os, arridere omnibus.] Voluptatis affectus eſt duplex: Aut enim ex quiete voluptas eſt, aut ex aliquo actu. ergo hic utrumque complexus eſt. Nulli laedere os.] ⁴ Adeo ut nulli ſe contriſtem faciat. Et haec eſt figura ἀναδρομὴ, quum recurrimus per ea quae diximus: & ἐξηγητικῶς omnia repetita ſunt.

12. Ego ille agrestis.] Bene addidit Ille, quaſi jam notus, hoc ipſo quod ferus atque agrestis. Et Saevus factis. Tristis animo: Truculentus vultu. Et aliter dici poteſt, ut Tristis ſit, qui dolet: Truculentus & saevus, qui terret. Et ideo αὔξησις mira per iſta decurrit.

13. Duxi uxorem.] Pendet, Duxi uxorem: ſed *Etiam* cum magno ſignificatu addendum eſt: majore enim pondere ſubtrahitur conjunctio: nam, *Duxi etiam uxorem*, dicendum fuit. Quam ibi miseriam vidi!] Ibi inquit, quaſi uxor locus ſit. Et hoc ſine conjunctione, ut mala quae enumerat, multa videantur.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Quam grate a nominibus verba tranſeant.*] MSſ. & veteres impreſſi, *quam grate*. Abr. Wielingius reſtituit: *quam grate a nominibus ad verba tranſeant.*

4. *Adeo ut nulli ſe contriſtem faciat.*] Non videntur haec a Donato profecta. Guido Juvenalis tamen explicat; *Arridet omnibus*.

COMMENTARIUS.

11. Sibi vixit.] Nimirum uxorem non ducendo, ex cujus more & arbitratu multa fuerint facienda. quam oppoſitionem ipſe Demea facit. Sic And. I. 1. 126.

Omnes bene dicunt.] Vide And. I. 1. 69.

12. Ego ille agrestis.] Hunc deſignat Horatius, Epiſt. I. 18. 5.

Eſt huic diverſum vitio vitium prope majus;
Aſperitas agreſtis *&* *inconcinna graviſque.*

Et Serm. I. 7. 6.

Durus homo, atque odio qui poſſit vincere regem.

13. Quam ibi miseriam vidi!] H. e. Expertus ſum. Virg. Aen. II. 5.

quaeque ipſe miſerrima vidi.

Cic. pro Mil. 36. *Praeclare enim vixero, ſi quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro.* Eſt & ſacra phraſis. Pſalm. XXXIV. 13. אהב ימים לראות טוב Quod Petrus expreſſit I. 3. 10. Ὁ γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾷν, καὶ ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθάς. Menander:

Τὸ γυναῖκα ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων,
Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.

Cujuſmodi dictorum bene magnam partem collegit Stobaeus.

Alia cura. porro autem, illis dum ſtudeo ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quaerendo vitam, atque aetatem meam.
Nunc exacta aetate, hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium. ille alter ſine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt conſilia omnia:
Illum diligunt: apud illum ſunt ambo: ego deſertus ſum.
Illum ut vivat, optant: meam autem mortem exſpectant. ſcilicet

Ita

DONATI.

14. ALIA CURA.] Non *altera*.

17. PATRIA POTITUR.] Accuſativo caſu extulit, quod nos ablativo dicimus. id eſt, *patrio potitur commodo*. *Accius* in Clytemneſtra,

Feras potiuntur plagas.

19. ILLUM DILIGUNT: APUD ILLUM SUNT AMBO: EGO DESERTUS SUM.] Hic oſtendit *Terentius*, verum patrem & moleſtiorem & odioſum eſſe magis adoleſcentibus.

20. ILLUM UT VIVAT, OPTANT.] Σύλληψις. nam ſic veteres loquebantur. Nos vero dicimus *Illi optant*, non *illum*. ILLUM.] Micionem.

COMMENTARIUS.

15. CONTRIVI IN QUAERANDO VITAM.] Plaut. Caſ. III. 3. 4.

contrivi diem,
Dum aſto advocatus cuidam cognato meo.

Bacchid. IV. 6. 11.

Ferratuſque in piſtrino aetatem conteras.

16. EXACTA AETATE] Plaut. Ciſtell. I. 3. 15.

Decumo poſt menſe exacto.

Amph. I. 3. 2.

menſes jam tibi eſſe actos *vides.*

Phaed. I. 18.

actis *menſibus.*

Cic. pro Dejot. 10. *Jam* aetate exacta. Et de Oratore II. 46. *quem* aetate exacta *indigem*
Liberum laceraſti, orbaſti, extinxiſti.
Verba Telamonis. Vide porro Heaut. II. 3. 39.

HOC FRUCTI PRO LABORE AB HIS FERO.] Cicero pro Sext. 31. *Piſo ille, gener meus, cui fructum pietatis ſuae, neque ex me, neque a populo Romano ferre licuit.*

17. ODIUM.] Proprie. Sic Hec. IV. 3. 13.

20. MEAM AUTEM MORTEM EXSPECTANT.] Invidioſe dictum, pro, optant ut moriar. Eodem ſenſu Cicero Parad. VI. 1. *Si teſtamenta amicorum* exſpectas, *aut ne* exſpectas *quidem, at ipſe ſupponis: haec utrum abundantis, an egentis ſigna ſunt?* ut nimirum hereditatem vel legatum adeas. Vide plura ſupra I. 2. 29.

SCILICET.] Delevi majorem diſtinctionem poſt hanc vocem, ſequutus elegantem editionem Rob. Stephani, in forma minima, anni 1540. Si vulgata diſtinctio maneat, τὸ SCILICET affirmandi vim habebit.

21. FECIT SUOS.] Sic And. V. 6. 12. & infra V. 6. 10.

23. AGA.] Verſum hunc ex optimis editionibus, Juntarum, Aldi, Stephani, aliis expreſſi. Sunt tamen, qui legunt: AGE, AGE, NUNC JAM EXPERIAMUR PORRO, ET QUID EGO POSSIEM.

24. BENIGNE FACERE.] H. e. liberalem & munificum eſſe. Cic. Fam. XIII. 72. *Quibuſcunque rebus Caerelliae* benigne feceris. Catull. Carm. LXXI. 3.

Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benigne *eſt.*

QUANDO EO PROVOCAT.] Sunt Libri, in quibus HOC, ſunt, in quibus HUC legitur. Eſt autem locutio a ſingulari certamine tranſlata. Cic. Fin. II. 22. *Cum Gallo apud Anienem depugnavit* provocatus. De A. Torquato.

25. EGO QUOQUE A MEIS ME AMARI, ET MAGNI PENDI POSTULO.] Demea Terentianus Demaenetum Plautinum imitatur. Ita ille, Aſin. I. 1. 49.

Omnes parentes, Libane, liberis ſuis,
Qui mihi auſcultabunt, faciant obſequelam:
Quippe qui mage amico utantur gnato & benevolo:

Atque

Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit ſuos,
Paullo ſumtu. miſeriam omnem ego capio: hic potitur gaudia.
Age age, nunc experiamur contra haec, quid ego poſſiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo provocat.
Ego quoque a meis me amari, & magni pendi poſtulo.
Si id fit dando, atque obſequendo, non poſteriores feram.
Deerit? id mea minime refert, qui ſum natu maximus.

'DONATI.

23. NUNC EXPERIAMUR.] Magis comice pluraliter EXPERIAMUR dixit, quam ſi diceret, *Experiar.*

24. QUANDO EO PROVOCAT.] Non addit quis: ſed intelligimus, Micionem ſignificari.

26. SI ID FIT DANDO, ATQUE OBSEQUENDO.] Bene naturam ſecutus eſt, qui artem ignorat, putans agi veris omnia debere, non DANDO & OBSEQUENDO: SI ID FIT.] Id eſt, Jam a liberis ſi magni pendor. NON POSTERIORES FERAM.] Subaudítur, *Partes*, aut, [5] *Non parvi faciam*, id eſt, non vincar a Micione. Et tranſlatio eſt a partibus hiſtrionum in Fabula. NON POSTERIORES FERAM.] [6] Primus in his ero, inquit, in DANDO, ATQUE OBSEQUENDO.

27. DEERIT? ID MEA MINIME REFERT.] Vide, remanere in Demea non penitus ejectam ſecuritatem.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Non parvi faciam.*] Niſi ſcriptum fuit, *Non p. f.* quod poſſit valere; *non poſteriores feram*, quo modo Guidonem Juvenalem legiſſe adparet, malim cum Doctiſſ. Wielingio *non parvi ſiam.*

6. *Primus in his ero.*] Codices vetuſtiſſimi forte rectius: *Primus in eo ero, inquit, i.e.* DANDO, ATQUE OBSEQUENDO.

COMMENTARIUS.

Atque ego me id facere ſtudeo, volo amari a meis,
Volo me patris mei ſimilem.

Eadem porro conſtructione dixit Cicero, Catil. I. 2. *Cupio, patres conſcripti, me eſſe clementem: cupio in tantis reip. periculis non diſſolutum videri.*

26. NON POSTERIORES FERAM.] Sub. Partes. Senſus eſt, non ero ſecundo in loco ſeu pretio. Contrarium eſt Eun. I. 2. 71. Tranſlatio deſumta a perſonis comicis, in quibus aliae primarum, aliae ſecundarum, aliae denique poſteriorum erant partium. Eun. V. 9. 27. Plaut. Merc. II. 3. 106.

quod poſces, feres.

27. DEERIT? ID MEA MINIME REFERT, QUI SUM NATU MAXIMUS.] Ita diſtinxi, ob majorem emphaſin. Id autem vult, ſibi ſat eſſe viatici, ad conficiendum, quod reliquum ſit ſpatii vitae ſuae. Plaut. Trin. II. 2. 38.

Mihi quidem aetas acta 'ſt ferme: tua iſtuc refert maxume.

Cicero pro M. Coel. 16. *Si egebis, tibi dolebit: mihi ſat eſt, qui, aetatis quod reliquum eſt, oblectem meae.* Att. XIV. 21. *Sed mihi quidem βεβίωται. viderint juvenes.*

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA QUINTA.

SYRUS. DEMEA.

Sy. HEus! Demea, rogat frater, ne abeas longius.
De. Quis homo? o Syre noſter, ſalve! quid fit? quid agitur?
Sy. Recte. *De.* Optime'ſt. jam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam: o noſter! quid fit? quid agitur?

Ser-

DONATI.

HEUS! DEMEA, ROGAT FRATER, NE ABEAS LONGIUS.] *Hic oſtendit Poëta, quam abſurde blandus conetur eſſe, qui non ſoleas: & quam immodica ſit repentina largitas, ubi animus a parcitate nimia in contrarium vitium profuſionis excurrerit.*

1. HEUS! DEMEA, ROGAT FRATER, NE ABEAS LONGIUS] Ut apparet, jam edormivit crapulam Syrus. Et ſatis moraliter dixit, FRATER: nec addidit *Tuus*. [1] FRATER.] Moraliter. nam deeſt *Tuus*.

2. O SYRE NOSTER, SALVE! QUID FIT?] Jam non haec blanda, ſed dura ſunt. nam SALVE dixit ei, non ſolum quem ſaepe viderit, ſed cum quo toties litigaverit. QUID FIT? QUID AGITUR?] Interrogat & quum ſciat, & quum damnet actus ejus.

3. RECTE.] Bene reſpondit RECTE: hae enim interrogationes de ſalute atque incolumitate ejus ſunt, qui interrogatur. HAEC TRIA.] Deeſt *Verba*. JAM NUNC HAEC TRIA PRIMUM ADDIDI PRAETER NATURAM: O NOSTER! QUID FIT? QUID AGITUR?] Hoc preſſius dictum eſt.

4. PRAETER NATURAM.] Plus dicit, quam ſi diceret, *Praeter conſuetudinem*.

OBSERV. IN DONAT.

1. FRATER.] *Moraliter. nam deeſt* TUUS.] Non videntur haec eſſe Donati, quum continuo praeceſſerint. In Codd. antiquiſſimis tantum illa exhibentur, *deeſt Tuus*. Quae ex alio quodam Grammatico huc adſcripta videntur.

COMMENTARIUS.

1. NE ABEAS LONGIUS.] Simulabat enim Demea, ſe vel domum, vel ad forum ire. Sic Eun. IV. 2. 5. Plaut. Menaechm. II. 2. 52.

Proin tu ne quo abeas longius *ab aedibus*.

3. SY. RECTE.] Hunc & ſequentem verſum contra fidem Codicum, & Donati auctoritatem expungit Guyetus. Eſt vero omnis Scenae elegantia in iis, quae ſecum Demea loquitur: JAM NUNC HAEC TRIA PRIMUM ADDIDI PRAETER NATURAM: Ô NOSTER! QUID FIT? QUID AGITUR? Sic mox idem Demea Scena ſeq. cum ſervo altero, Geta loquens, rurſus ſecum: MEDITOR ESSE AFFABILIS; ET BENE PROCEDIT. Et mox: PAULLATIM PLEBEM PRIMULUM FACIO MEAM.

5. SERVOM HAUD ILLIBERALEM PRABEES TE.] H. e.

Digitized by Google

Servom haud illiberalem praebes te; & tibi
Lubens bene faxim. *Sy.* Gratiam habeo. *De.* Atqui, Syre,
Hoc verum 'ſt, & ipſa re experiere propediem.

DONATI.

5. SERVOM HAUD ILLIBERALEM.] Dura & importuna repente commutatio ex tanta vituperatione in laudem Syri, oſtendit contra naturam ſuam niti Demeam. PRAEBES TE.] Id eſt, te oſtendis, factis probas. ET TIBI LUBENS BENE FAXIM.] [1] Et BENE ad quam rem adjectum eſt: an & BENE * hoc addidit. Quis enim credat tam ſubitis poſt ſaevitiam blandimentis, niſi factis quoque vera eſſe oſtendantur? ET TIBI LUBENS BENE FAXIM.] ET additum eſt, ut oſtendat hanc eſſe ſententiam, Non ſolum te laudo, ſed etiam juvo: illud dicendo, hoc faciendo. ET TIBI LUBENS BENE FAXIM.] Poteſt hoc & ſic intelligi, *Bene tibi faxim, & lubens.* multi enim bene, ſed non ex animo faciunt. Omnia ergo addidit, quae *placidum* oſtendant ipſum, atque *clementem.*

6. ATQUI, SYRE.] ATQUI abundat per *παρέλκον.* SYRE.] Aſſeveratio eſt non credentis.

7. HOC VERUM 'ST.] Quaſi falſum fuerit illud, quod jurgabat: & HOC fit VERUM, quod nunc dicit. PROPEDIEM.] Ὑφ᾽ἕν. Nam PROPEDIEM adverbium eſt temporis: ut ſi diceret, *Cito.*

OBSERV. IN DONAT.

1. *Et* BENE *ad quam rem adjectum eſt.*] In Codd. vett. lacunae indicium nullum. Et vulgata lectio a Rob. Stephano eſt. Forte ſcripſit Interpres: *Et bene ad quam rem aptum eſt,* BENE FAXIM *addidit.* ſuadent id ſequentia.

COMMENTARIUS.

H. e. liberaliter ſervis. And. I. 1. 11.

TIBI LUBENS BENE FAXIM.] Plaut. Trin. II. 2. 47.

Bene *volo ego* illi facere, *ſi tu non nevis.*

6. ATQUI, SYRE, HOC VERUM 'ST.] Vix videtur credere Demea, verba ſua Syro fieri veriſimilia, quod contra conſuetudinem, ipſamque naturam eſſent dicta. Sed & videtur Syrus ſubridens & quaſi ſubdubitans reſpondiſſe: GRATIAM HABEO. Unde Demea, volens fidem facere ſuis verbis, ATQUI, SYRE, HOC VERUM 'ST, addit, ET IPSA RE EXPERIERE PROPEDIEM. Sub. quod dico. An ſpes libertatis facta eſt ſervo?

Digitized by Google

ACTUS QUINTI

SCENA SEXTA.

GETA. DEMEA.

Ge. HERA, ego hinc ad hos proviſam, quam mox virginem
Arceſſant. ſed eccum Demeam! ſalvos ſies.
De. O! qui vocare? *Ge.* Geta *De.* Geta, hominem maxumi
Pretii te eſſe, hodie animo judicavi meo.
Nam

DONATI.

1. HERA, EGO HINC AD HOS PROVISAM.] AD HOS, ad Micionem & Aeſchinum ſcilicet. PROVISO duas res ſignificat: procedo & video.

2. SED ECCUM.] Hoc apud ſe.

3. O! QUI VOCARE?] Hac interjectione utimur, ubi ex intervallo notos videmus. O! QUI VOCARE?] Poſt O, nomine vocaturus, non habuit quod diceret: & ideo ſubjecit, QUI VOCARE? [1] *Virgilius*,

O quam te memorem? virgo. namque haud tibi vultus
Mortalis: nec vox hominem ſonat. ô Dea certe,
An Phoebi ſoror? an Nympharum ſanguinis una?

Moris eſt autem inferiores proprio nomine vocari, ſi blandiri velis. ſed hic nominis oblitus, dum dubitat, & inquirit, inhaeſit pronomini.

4. ANIMO MEO.] Hoc eſt, ſecundum animi mei ſententiam, & quantum ad animum meum, pertinet.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Virgilius.*] Aeneid. I. 327.

COMMENTARIUS.

1. HERA.] Alloquitur Soſtratam, quae intus eſt, de via & foras exiens Geta.

5. SERVOS SPECTATUS SATIS.] H. e. Bonitatis probatae, & frugi. Juſtin. I. 1. *Spectata inter bonos moderatio.* And. I. 1. 64. IV. 1. 22, & V. 1. 1. Imitatus Plautum, Menaechm. V. 6. 1.

Spectamen bono ſervo, id eſt, qui rem herilem
Procurat, videt, collocat, cogitatque,
Ut abſente hero, rem heri diligenter
Tutetur, quam ſi ipſe adſit, aut rectius.

Eratque formula antiqua de ſervo frugi & libertatem merito, SPECTATUS SATIS. Non dabatur autem fere libertas, niſi poſt longam & liberalem ſervitutem, atque adeo ſera, & poſtquam candidior tondentibus barba caderet. Horat. Epiſt. I. 1. 2.

Spectatum ſatis, *& donatum jam rude, quaeris,*
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.

8. LUBENS BENE FAXIM.] Scilicet quia praeter naturam Demea meditatur eſſe affabilis, iiſdem fere verbis utitur, quae Syro dixerat ſupra, V. 5. ut appareat, hanc ſibi quaſi formulam affabilitatis & humanitatis praeſcripſiſſe Demeam. quod ridiculum. Coelius Ciceroni, Fam. VIII. 17. *Equidem jam effeci, ut maxime plebs,*

Digitized by Google

Nam is mihi profecto eſt ſervos ſpectatus ſatis,
Cui dominus curae 'ſt: ita uti tibi ſenſi, Geta.
Et tibi, ob eam rem, ſi quid uſus venerit,
Lubens bene faxim. meditor eſſe affabilis;
Et bene procedit. *Ge.* Bonus es, quum haec exiſtimas.
De. Paullatim plebem primulum facio meam.

DONAT. I.

5. NAM IS MIHI EST PROFECTO SERVOS.] In hoc laudando quia non laborat, ſubjecit ſpecialiter merita ejus: aut, ut exiſtimo, nihil habuit quod diceret niſi laudem, ſine ullius facti mentione. ET MIHI, id eſt, quantum ad judicium meum pertinet.

6. CUI DOMINUS CURAE 'ST.] Quum hic *dominas* habeat, *Dominum* dixit: quia praevalet maſculinum. [2] *Virgilius*,

> *Deſcende, ac ducente Deo flammam inter & [hoſtes*
> *Expedior.*

Et praeterea ſententia generalis inducitur, quum nullum ſpecialiter *dominum* ſignificat. ITA, UT TIBI SENSI, GETA.] Maximum delinimentum infert, cum nomine vocans, [3] quod tantum ſuperioribus eſt. Et vide quam grate, [4] poſtquam ipſe dixit, nomine appellavit Getam.

7. ET TIBI, OB EAM REM.] Quid ET TIBI? utrum quemadmodum aliis? an quemadmodum Syro? ET TIBI, OB EAM REM, SI QUID USUS VENERIT.] Defectus quidam ruſtici praeter naturam blandientis, cogit dicta repetere ſine gratia. Hae autem promiſſiones ad hoc praemittuntur, ut quum in ſubjectis agi a Demea hujuſmodi res coeperint, non ſit abſurdum ſpectatoribus, Demeam tam cito eſſe mutatum.

8. MEDITOR ESSE AFFABILIS.] Sic hoc lentius, ut illud ſupra, *Jam nunc tria haec addidi Praeter naturam: O noſter! quid fit? quid agitur?*

10. PAULLATIM PLEBEM.] Moraliter inferiorum turbam, PLEBEM dixit: hoc eſt, ut in urbe vulgus, ita in familia ſervos. Et fit translatio ab iis, qui honores doloſe, ac non pro merito petunt, ambitioſique ſunt. PLEBEM PRIMULUM FACIO MEAM.] Hoc eſt, mihi faventem. Ut e contrario [5] *Virgilius*,

> *Vadimus immiſti Danais, haud numine noſtro.*

OBSERV. IN DONAT.

2. *Virgilius.*] Aeneid. II. 632.
3. *Quod tantum ſuperioribus eſt.*] Lego ex conjectura: *Quod uſitatum in ſuperioribus eſt.*
4. *Poſtquam ipſe dixit.*] Mſ. Hulſt. *Poſtquam audivit, bis nomine appellavit Getam.* Malim: *Poſtquam ipſe dixit nomen, nomine appellavit Getam.*
5. *Virgilius.*] Aeneid. II. 396.

COMMENTARIUS.

plebs, &, qui antea noſter fuit, populus veſter eſſet.

9. BONUS ES.] Notat Barthius Adverſ. VII. 14. Latina conſuetudine quum gratum quis alicui quid dixiſſet, BONUS ES, vice alicujus gratiarum actionis reſponſum.

10. PAULLATIM PLEBEM PRIMULUM FACIO MEAM.] Videtur reſpicere prenſationes ambitioſorum candidatorum, quibus ea diſciplina erat, primulum minutam plebem captare blande dicendo, & benigne pollicendo. Ovid. Arte Am. II. 259.

> Fac plebem, *mibi crede*, tuam: *ſit ſemper in illa*
> *Janitor, & thalami qui jacet ante fores.*

Papin. Statius Achilleid. I. 376. imitatus Noſtrum:

> *Mox propius, propiusque volant, atque aëre in ipſo*
> Paullatim fecere ſuam.

Liv. III. 14. *Paullatim permulcendo tractandoque manſueſecerant plebem.*

Digitized by Google

A C T U S Q U I N T I

S C E N A S E P T I M A.

Aeschinus. Demea. Syrus. Geta.

Aeſ. OCcidunt me quidem, dum nimis ſanctas nuptias
Student facere: in apparando conſumunt diem.
De. Quid agitur, Aeſchine? *Aeſ.* Ehem! pater mi, tu hic eras?
De. Tuus hercle vero & animo & natura pater;

Qui

D O N A T I.

1. OCcidunt me quidem.] *Adoleſcens & Demea inter ſe affabiles, imaginem praebent, & quam dulcis ſit junioribus aſſentatio, & quam ingrata cenſura.* Ἰδιωτικῶς autem dixit Occidunt me, pro *Nimis laedunt & cruciant me.* Occidunt me quidem.] [1] Quidem, pro exſpectatione eſt: tanquam in hac mora nullus alius occidatur, niſi qui amat, id eſt, ego. Dum nimis sanctas nuptias.] Et nimss sanctas ridicule additum eſt in ea ducenda, quae jam peperit. nam *Sanctum* eſt, quod omni obſervatione inviolatum eſt. Et bene additum eſt Nimis: quia *Nimium* pro vitio ponitur: juxta illam ſententiam, qua dicitur: *Ne quid nimis.*

3. Quid agitur, Aeschine?] Jam ipſe docuit, Quid fit? & Quid agitur? blandimentum eſſe. Jam nunc haec tria primum [2] addidit praeter naturam, *O noſter! quid fit? quid agitur?* Ehem! pater.] Non ſine conſternatione reſpondet Aeſchinus: etſi hic blande interrogat, & miti vultu: nam ex improviſo objectus eſt Demea, & inſperanti.

4. Tuus hercle vero et animo, & natura pater.] Totum eripuit Micioni, cui ne animum quidem reliquit.

OBSERV. IN DONAT.

1. Quidem, *pro exſpectatione.*] Robertus Stephanus aſteriſcum poſuit poſt haec verba. Si quid ſollicitandum, legerim ex conjectura: me quidem, *propter exſpectationem dictum eſt.* Guido Juvenalis: *Oſtendit exſpectationem & taedium.*

2. *Addidit.*] Legendum, *Addidi.* ſunt enim ipſius Demeae verba, ſupra V. 5. 3. unde in Mſ. Hulſt. & Boend. ſed & edd. Anon. Tarviſ. Venett. praemittitur, *ut ipſe.* Et recte citantur ſupra V. 6. 8.

COMMENTARIUS.

1. Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias student facere.] Conſtans lectio. Guyetus tamen ex binis ſententiis faciens unam legit, Occidunt me, qui, dum nimis sanctas nuptias student facere, in apparando totum consumunt diem. Sed & ita legit Fr. Sanctius, in Minerva, III. 14. & Fr. Fabricius. Eſt autem ἐμφατικώτερος ſententia gemina. Plaut. Bacchid. II. 3. 79.

occidiſtis me.
Nimio hic privatim ſervaretur rectius.

Dixit autem facere, pro apparare, adornare. Sic And. III. 2. 41. & Heaut. V. 1. 22.

2. Consumunt diem.] Cic. Fam. IV. 12. *Marcellum, collegam noſtrum conveni, eumque* diem *ibi* conſumſi, *ut cum eo eſſem.* Ovid. Faſt. III. 165.

Hic anni modus eſt. in luſtrum accedere debet,

Quae

Qui te amat plus quam hoſce oculos. ſed cur non domum
Uxorem arceſſis? *Aeſ.* Cupio: verum hoc mihi morae 'ſt,
Tibicina: & Hymenaeum qui cantent. *De.* Eho!
Vin' tu huic ſeni auſcultare? *Aeſ.* Quid? *De.* Miſſa haec face;
Hyme-

DONATI.

5. Qui te amat plus quam hosce oculos.] Magis comicum, quam *amo.* Sed cur non domum uxorem arcessis?] [1] Bene ſubjecit, quae volenti eſſe credebat.

6. Verum hoc mihi morae 'st, tibicina: et Hymenaeum.] Hoc eſt quod ait, *Dum nimis ſanctas nuptias ſtudent facere.* Hymenaeum quidam Liberi & Veneris filium dicunt eſſe, qui primus certas nuptias inſtituerit. ideo per laudem cantatur virginalibus nuptiis ob hujuſmodi meritum. Alii, virum fortem Atticum dicunt fuiſſe, qui raptas praedonibus virgines, oppreſſis latronibus, intactas patriae reſtituerit. Alii, quod ὑμὴν dicatur membrana quaedam, qua eſt munita virginitas, quae primo diſrumpitur coitu, Hymenaeum putant, veluti *hymnum* vocari virginalium nuptiarum. Ergo hic accipe Hymenaeum in nuptiis, quemadmodum θρῆνον in funere, vel in ſacris *hymnum.*

8. Vin' tu huic seni auscultare?] Contemſit ſe ipſum dicendo, Huic seni: hoc ſolum afferens cauſae, cur audiendus non ſit, quod ſit ſenex. Et totum hoc apparet laetiſſimo vultu dici.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Bene ſubjecit, quae volenti eſſe credebat.*] Doctiſſ. Wielingius legit: *Quae volenti futura eſſe credebat.* Conjiciebam, ſcripſiſſe Interpretem: *Quae velle Aeſchinum credebat.*

COMMENTARIUS.

Quae conſumatur *partibus*, *una* dies.

4. Et animo et natura pater.] Sic ſupra I. 2. 46. & infra V. 8. 34.

5. Te amat plus quam hosce oculos.] Sententia geſtu adjuvanda. Vide ſupra IV. 5. 67.

6. Mihi morae 'st.] Sic ſupra IV. 5. 78. Plaut. Bacchid. II. 2. 46.

ne mihi ſit morae.

Rud. II. 3. 81.

ne morae illi ſim.

7. Tibicina et hymenaeum qui cantent.] Haec varie leguntur. Sunt Libri praeferentes, Tibicinae; ſunt, in quibus eſt canat, & cantitet. Illud Mſſ. Leidenſes, hoc Traject. exhibent. Et ſane plures Tibicinae requirebantur ad pompam nuptialem, quae quidem *nimis ſancta* diceretur ab Aeſchino. Plaut. Aul. II. 4. 1.

Poſtquam obſonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinaſque haſce.

Catull. Carm. Nupt. LX. 3.

Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas;
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenaeus.
Hymen, o Hymenaee, Hymen ades, o Hymenaee.

Apulej. Metam. IV. *Domus tota lauris obſita, taedis lucida, conſtrepebat Hymenaeum.* De Hymenaeo autem, & cantico illo ſolenni vide Plaut. Caſin. IV. 3. atque ibi Interpretes. Theocr. Idyll. XVIII. 58.

Ὑμὰν, ὦ Ὑμέναιε, γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.
Hymen, o Hymenaee, nuptiis hiſce gaudeas.

Eundem putabant lampada ſeu facem extinguere, mortuo marito vel marita. Bion, Idyll. I. 86.

Αὐτὰν τὰν Κυθέρειαν, ἐπαιάζουσιν Ἔρωτες.
Ἔσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς Ὑμέναιος.
Καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον. οὐκέτι δ' Ὑμὰν,
Ὑμὰν οὐκέτ' ἀειδόμενον μέλος· ᾄδεται αἰ αἰ.
Ipſam Cythaream adlamentantur Amores.
Extinxit totam facem in limine Hymenaeus,
Et coronam nuptialem expandit. non amplius Hymen,
Hymen non amplius cantilena eſt: cantatur ah ah!

Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicinas:
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum poteſt: hac transfer: unam fac domum:
Traduce & matrem, & familiam omnem ad nos. *Aeſ.* Placet;
Pater lepidiſſime. *De.* Euge! jam lepidus vocor.

Fratri

DONATI.

9. Turbas, lampadas, tibicinas.] Bene totum pluraliter: ut qui reprehendit ſic multa. ⁴ *Plautus*, [*nos ſomnias?*
Quos tu mihi paraſitos, luſcos, quos Summa-
Haec igitur vultu pronuntianda ſunt, ut appareat ea diſplicere dicenti.

10. Atque hanc in horto maceriam jube dirui.] ⁵ *Maceria* dicitur paries nunc * alicujus demacerata.

13. Euge! jam lepidus vocor.] Apparet Demeam experiendi cauſa aſſentari, non quod animo faciat.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Plautus.*] Curc. IV. 3. 14. ſed legitur nunc:
Quos tu mihi luſcos libertos? quos Summanos ſomnias?

5. *Maceria dicitur paries nunc * alicujus demacerata.*] Mſ. Hulſt. *Maceria dicitur paries nunc altus demacerata.* Lego: *Maceria dicitur paries non altus e calce macerata.* J. Fr. Gronovius ad Plaut. Truc. II. 2. 50. notat legendum eſſe: *Paries non altus de macerato* (an, *de macerato?*) Et Lindenbruchius e ſuo Mſ. laudat, *non altus.* Noſtram lectionem firmant illa Suetonii Ner. 33. *Buſtum ejus conſepiri, niſi* humili *levique* maceria *neglexit.* quanquam ibi vulgo *materia* perperam legitur.

COMMENTARIUS.

9. Lampadas.] His utebantur in nova nupta domum ducenda. Plaut. Caſ. IV. 4. 16.
tene hanc lampadem.
An huc reſpexit Servator in parabola, Matth. XXV. 1-8. quae *δέκα παρθένοι* Theocrito *Συνομάλικες*, Pindaro *παρθένοι ἑταῖραι* vocantur. niſi per *lampadas* intelligit faces ſeu cereos, novae nuptae praelatos. Plaut. Curc. I. 1. 9.
Tute tibi puer es: lautus luces cereum.
Caſ. I. 30.
Primum omnium huic lucebis novae nuptae facem.
Virg. Ecl. VIII. 29.
Mopſe, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Qui vero ex nuptiis ſine facibus praelatis naſcerentur pueri, *σκότιοι* dicti. Quod indicat Scholiaſtes Homeri, ad Iliad. Z. 24.
σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ.
Σκότιον] Ἐκ λαθραίας μίξεως τὸν λάθρα γεγεννημένον, καὶ οὐκ ἐκ τῆς κατὰ τὸν νόμον γαμηθείσης. τὸν ἐξ ἀδᾳδουχήτου γάμου.
Scilicet qui faces haſce praeferebant, *δᾳδοῦχοι* dicti. Vide Roſinum, V. 37. atque ibi Dempſterum.

10. In horto.] Plaut. Merc. V. 4. 49.
Illac per hortum nos domum tranſibimus.

11. Unam fac domum.] Cic. Amic. 27. Una domus *erat, idem victus, iſque communis.*

14. Turbam domum adducet; sumtum admittet; multa. quid mea?] Ita diſtinxi. Mſ. Mark. Adducet ad sumtum. Alii aliter.

16. Jube nunc jam dinumeret illi Babylo viginti minas.] Torſit hic verſus viros eruditos. Guyetus nodum gladio ſecans, duos hoſce verſus expungit, nec exputare valet, cui & a quo dinumerandae ſint viginti minae. In priore habet ſibi obſequentem Boeclerum. Primum poſtquam Aeſchino dixiſſet Demea: Maceriam jube dirui, idem repetit, dicens, Jube nunc jam, ſub. *maceriam dirui.* Unde mox idem ingeminans Syro, inquit, dirue. Videtur igitur ordine turbatus verſus iſte, Dinumeret illi Babylo viginti minas. quis enim dinumeret? an Micio? atqui hic nominandus erat. Tum, qui juberet Aeſchinus patrem? An igitur data opera fecit Poëta, ut Demeam multa ſimul dicere parantem introduceret? Senſus autem erit, Dinumeret (Micio frater) illi Babylo (lenoni) viginti minas (quas pro Pſaltria ſibi erepta poſtulat.) Quanquam nec ita expe-

Fratri aedes fient perviae: turbam domum
Adducet; ſumtum admittet; multa. quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam. jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.

Syre,

DONATI.

14. FRATRI AEDES FIENT PERVIAE.] Elegantius quam *Fratris*.

16. EGO LEPIDUS.] Irridens adoleſcentis animum, ſic inquit. INEO GRATIAM.] *In gratiam eo*, hoc eſt, amicos comparo. JUBE NUNC JAM.] Inſultantis eſt verbum JUBE, [6] tanquam praeſtet Micioni, hoc dicit Demea. Aut apud ſe dicit hoc. JUBE NUNC.] Quaſi inſultantes dicere ſolemus, nunc minari, nunc aſſiſtere, quem afflictum tenemus: ita & Micioni Demea dicit, JUBE NUNC. JUBE NUNC JAM DINUMERET ILLI BABYLO VIGINTI MINAS.] Nimis morale eſt, quum de abſente tanquam de praeſente agimus. Eſt autem, JUBE NUNC JAM, figura etiam apud *Plautum* frequentiſſima. JUBE NUNC JAM.] JUBE ſic dicit, [7] quemadmodum ſupra ille, qui quum alius nemo adeſſet, alicui diceret.

17. DINUMERET.] DINUMERET dixit, quaſi multum numeret. ILLI.] Cui ILLI? Cteſiphoni? Lenoni? an Aeſchino? an Syro? BABYLO.] Fratrem, *Babylonem* ob nimiam liberalitatem vocat: an *Aeſchinum* nimis prodigum?

OBSERV. IN DONAT.

6. *Tanquam praeſtet Micioni.*] Verba ſine ſenſu. Lego ex conjectura: *Tanquam praeſenti Micioni.* Sic mox: *Ita & Micioni Demea dicit.* &: *de abſente tanquam de praeſente.*

7. *Quemadmodum ſupra ille, qui quum alius nemo adeſſet, alicui diceret.*] MS. Boecl. & edd. vett. *Quemadmodum ſupra. illi cui equus animus nemo adeſſet, alicui diceret.* Per conjecturam effingo: JUBE *ſic dicit, quemadmodum ſupra.* (reſpicit verſ. 10.) ILLI. *Cui? ecquis amicus? nemo adeſt, cui diceret.* Vide Donatum ad verſ. ſeq.

COMMENTARIUS.

expedita ſunt omnia, quia & lenoni nomen erat Sannio, & argentum ei jam dinumeratum erat. Supra III. 3. 15. Daciera legit: DINUMERET ILLIS BABYLO VIGINTI MINAS. Huic igitur BABYLO dicitur Micio, ob regiam opulentiam & liberalitatem; ILLIS valet Syro & Getae. Sed & Turnebo, Adverſ. XX. 31. BABYLO dicitur Micio opulentus & prodigus. Joh. Clericus, Vir Cl. Arte Critica, III. 1. 6. 24. legit: NUMERENT ILLIS AB ILLO, quorum verborum vim & acumen non ſatis capio. Nannius igitur Miſcell. II. 12. τὸ BABYLO ſuppoſititium vocat, & vel legendum, BABYLO, h. e. loquaci, vel BATALO, h. e. molli, vel potius BACELO, h. e. ſtulto. Mirum, non legiſſe BEBELO, q. βεβήλῳ, impuro, profano. Immerito autem Donati frigidas gloſſas reprehendit. Movit Nannium, quod nuſquam alibi hanc vocem BABYLO inveniſſet. Suetonius tamen Ner. 36. de *Babilo aſtrologo* mentionem facit. Magis placet conjectura Barthii, Adverſ. XXI. 7. cui BABYLO caſus rectus eſt, nomenque actoris ſeu diſpenſatoris. Et ſane in pleriſque omnibus Mſſ. eſt ILLE BABYLO vel BABILO. quomodo & edd. opt. Anon. Junt. anni 1469. Ald. plures. Barlando BABYLO nomen proprium eſt trapezitae. J. C. Scaliger BALLIONI legit in Tract. de Comoedia, dicitque *Balliones* dictos lenones; quo ſenſu uſi Alexis, Sophron & Epicharmus. Mihi in tot ſententiarum divortiis tutiſſimum videtur ſtatuere, in verbis Demeae eſſe quaſi μίμησιν verborum Micionis, dicere ſoliti Aeſchino argentum poſtulanti, DINUMERET BABYLO VIGINTI MINAS. Inſultans igitur fratri abſenti, & ſecum loquens, nec Aeſchinum alloquens ait: JUBE NUNC JAM: DINUMERET ILLI (Aeſchino) BABYLO (trapezita) VIGINTI MINAS. q. d. Nae tu, frater, iſtius munificentiae dehinc obſaturaberis, neque ſemper foeneratorem Babylonem Aeſchino cum illa familia viginti minas dinumerare jubebis. In Mſſ. Leidenſibus duobus τοῖς ILLE BABYLO ſupraſcriptum, alteri *ſervus meus*, alteri *meus ſervus*. In Mſ. Lipſ. etiam *ſ. ſervus meus*.

Syre, ceſſas ire, ac facere? *Sy.* Quid ago? *De.* Dirue.
Tu, illas, abi, & traduce. *Ge.* Dì tibi, Demea,
Bene faciant, quum te video noſtrae familiae
Tam ex animo factum velle. *De.* Dignos arbitror.
Quid ais tu? *Aeſ.* Sic opinor. *De.* Multo rectiu 'ſt,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Aegrotam. *Aeſ.* Nihil enim vidi melius, mi pater.
De. Sic ſoleo. ſed eccum, Micio egreditur foras.

DONATI.

18. SYRE, CESSAS IRE, AC FACERE?] ἰδιωτικῶς dicitur. DIRUE.] Hoc vultu dicitur adhortante.

20. QUUM TE VIDEO NOSTRAE FAMILIAE TAM EX ANIMO FACTUM VELLE.] *Ex animo alicui facere*, eſt id facere, quod ille animo ſuo velit: aut certe ex tota mente praeſtare, non perfunctorie. ſed EX ANIMO FACTUM, bene factum intelligere debemus, ut ſit, EX ANIMO, quaſi ex ſententia.

21. DIGNOS ARBITROR.] Multa deſunt, & *Vos*, & *eſſe*, & *Qui ſiant.*

22. QUID TU AIS?] Eo vultu dicitur QUID TU AIS? quo videmus loqui eos, qui interrogant geſticulante vultu, quid ſentiant de conſilio ſuo, quos ſciunt approbaturos eſſe.

25. SIC SOLEO.] Poteſt εἰρωνεία videri: quippe quando tale conſilium probat Demea, quod probaret adoleſcens.

COMMENTARIUS.

18. QUID AGO?] An, quod in quibuſdam Libris eſt, QUID EGO, corruptum ex QUID ERGO?

19. TU, ILLAS, ABI, ET TRADUCE.] Similis trajectio eſt Hec. IV. 4. 64.

Egi, atque oravi tecum, uxorem ut duceres.

Expreſſi editionem Heinſianam. Eundem ſenſum dat lectio Juntarum, Aldi, & Rob. Stephani. Cl. Clericus loc. cit. 9. 9. TU ILLAC ABI, contra fidem Codd.

21. FACTUM VELLE.] H. e. adeo promtum eſſe in adjuvanda familia noſtra. Plaut. Bacchid. III. 3. 91.

Serva tibi ſodalem, & mihi filium. MN. Factum volo.

Symmachus in Epiſtolis ſaepius. Idem *velle cauſſa alicujus* dixit Cicero.

25. SIC SOLEO.] Ita Eun. II. 2. 48.

ACTUS

ACTUS QUINTI

SCENA OCTAVA.

MICIO. DEMEA. AESCHINUS.

Mi. JUBET frater? ubi is eſt? tune jubes hoc, Demea?
De. Ego vero jubeo, & in hac re, & aliis omnibus,
Quam maxume unam facere nos hanc familiam;
Colere, adjuvare, adjungere. *Aeſ.* Ita quaeſo, pater.
Mi. Haud aliter cenſeo. *De.* Immo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxoris eſt mater. *Mi.* Quid poſtea?

De.

DONATI.

1. JUBET FRATER?] *Apparet Micionem dixiſſe*, Cur diruis? *Syrum reſpondiſſe*, Quia hoc jubet frater tuus. JUBET FRATER?] *Dirui maceriam* ſcilicet. TUNE JUBES HOC, DEMEA?] Interrogative pronuntiandum totum. ita erit una perſona. Et oſtenditur breviter ex hujus verbis, quid prior dixerit Syrus. Et mirum initium: ne prooemio opus eſſet Demeae, ad profitendam mutationem voluntatis.

2. HAC RE.] Maceriae disjectione. ET ALIIS OMNIBUS.] Ut nuptiis ſenilibus.

4. COLERE, ADJUVARE, ADJUNGERE.] COLERE, ad nurum pertinet: ADJUVARE, ad Hegionem: ADJUNGERE, ad Soſtratam. Et notandum *Coli* a ſuperiore. ut,

[1] *Poſthabita coluiſſe Samo. hic illius arma.*

COLERE.] Subauditur *Jubeo*, per ζεῦγμα.

5. IMMO HERCLE ITA NOBIS DECET.] [2] Antiqui ſi addebant ſtatim verbum, *Nos decet facere, nos decet dicere:* ſi non addebant, NOBIS DECET, dicebant.

6. PRIMUM HUJUS UXORIS EST MATER.] Incipit a perſuaſione, ſed latenter, ita ut ea quae propoſito conſilio dicenda erant, ante demonſtrarit, quam dicat quid fieri velit. Et hoc ſemper fit ab oratoribus in his rebus, a quibus incipere

OBSERV. IN DONAT.

1. *Poſthabita.*] Virgil. Aen. I. 16.
2. *Antiqui.*] Vide ſupra III. 4. 45. & animadverte, pugnetne ſecum Donatus. Nos DECET per ellipſin effertur, & accuſativus ſequens a verbo infinito regitur.

COMMENTARIUS.

Multus eſt Gabriel Faërnus in ordinando complurium verſuum hujus Scenae metro.

1. JUBET FRATER?] Adparet, Syrum & Getam introiiſſe, illum, ut maceriam dirueret, hunc, ut Soſtratam cum Pamphila per hortum traduceret in aedes; antea vero Micionem certiorem feciſſe de conſilio Demeae; quod ille admirans exit, dicens, JUBET FRATER?

4. COLERE.] Amicitiam, ADJUVARE. Familiam inopem, & Hegionem cognatum, ADJUNGERE. Affinitatem. quod *Adſtringere* dixit Plautus, Trin. III. 2. 73.

De. Proba & modeſta. *Mi.* Ajunt. *De.* Natu grandior.
Mi. Scio. *De.* Parere jam diu haec per annos non poteſt:
Nec, qui eam reſpiciat, quiſquam eſt: ſola eſt. *Mi.* Quam hic rem agit?
De. Hanc te aequom 'ſt ducere: & te operam, ut fiat, dare.
Mi. Me ducere autem! *De.* Te. *Mi.* Me? *De.* Te, inquam. *Mi.* Ineptis. *De.* Si tu ſis homo,

Hic

DONATI.

cipere non oportet, propter turpitudinem, aut incommoditatem rei, quae perſuadenda eſt. Conſidera adeo [3] apud *Virgilium*, ubi perſuadet Iris matribus, ut naves ſuas incendant: & invenies hoc ipſum conſilium ultimum poni poſt argumenta quamplurima,

Quin agite, & mecum infauſtas exurite puppes.

Et initium a poſſibili factum eſt: nam dicit, Hujus uxoris est mater.

7. Proba et modesta.] Proba ſibi: & Modesta apud alios. Et vide laudes conſiliatoribus inventas & uſitatas. Ita ajunt.] Hoc ita reſpondet, quaſi dicat, *Sed quid mea?*

8. Scio.] Adhuc Micio non intelligit, quo res tendat: ſed tamen vultu quodam admirantis, cur hoc dicatur, reſpondet. Parere jam diu haec per annos non potest.] Recte, ne contra filios ſuadere videatur. Parere jam diu haec per annos non potest.] Hoc autem addidit, ne contra filios pater ſuadere videatur nuptias, ſi illis cohaeredes eſſe procreandos ſuadeat. Haec per annos non potest.] Bene Per annos: quia non eſt ſterilis.

10. Hanc te aequom 'st ducere.] Te, Micio, ſcilicet. Et te operam.] Te, Aeſchine. nam ad illum converſus a Micione eſt. Et quare Aeſchinum operam dare aequum eſt? ſcilicet ut proſit ſocrui.

11. Me ducere autem!] Magna vis in pronominibus poſita eſt. nam Me ille ſic dicit, quaſi quem minime deceat. Te.] [4] Ille ſic reſpondet, quaſi quem maxime oporteat. Ineptis.] Verbum eſt, quod facit *Ineptio, ineptis, ineptit.* Si tu sis homo.] Non es *es*, ſed Sis dixit: quaſi in eo ſe hominem ſit Aeſchinus probaturus. Si tu sis homo.] Aeſchine. Si sis, pro, Si eſſe volueris, &, ſi credi homo volueris. Si tu sis homo.] Hic facete & mire coëgit Aeſchinum ad perſuadendum. non enim dixit, Si tu sis homo, *perſuade:* [5] ſed ſic, faciat: ut ab illo non factum, ſed effectum exigeret.

OBSERV. IN DONAT.

3. *Apud Virgilium.*] Aeneid. V. 606. ſeqq.

4. *Ille.*] Malim hic. ut continuo praecedens *ille* notet Micionem, hic Demeam.

5. *Sed ſic, faciat.*] Lego: *Sed,* hic faciat.

COMMENTARIUS.

8. Per annos.] Sic Eun. I. 2. 33.

9. Qui eam respiciat.] Curam ejus gerat. Supra III. 2. 55.

Sola est.] H. e. Deſerta vivit, nec amicum habens, neque patronum. And. II. 3. 7. Eun. I. 2. 67. Supra III. 1. 4.

11. Si tu sis homo.] Formula leviter reprehendendi. Supra I. 1. 27.

12. Hic faciat.] Priſcian. Inſtit. Grammat. Lib. XVIII. Hic faciet.

Tu autem.] Rivius & Glareanus defendunt τὸ Autem, quod abeſt a Mſſ. quibuſdam.

14. Aufer.] Sub. manum & dicta; ad utrumque enim commode refertur, ſi ſtatuas Aeſchinum manu demulcentem, & laeto geſtu oraſſe patrem. Phorm. I. 4. 46. & V. 6. 18.

Plaut.

Hic faciat. *Aeſ.* Mi pater. *Mi.* Quid? tu autem huic, aſine, auſcultas? *De.* Nihil agis:
Fieri aliter non poteſt. *Mi.* Deliras. *Aeſ.* Sine te exorem, mi pater.
Mi. Inſanis? aufer. *De.* Age, da veniam filio. *Mi.* Satin' ſanus es? ego
Novus maritus anno demum quinto & ſexageſimo
Fiam! atque anum decrepitam ducam! idne eſtis auctores mihi?
Aeſ. Fac: promiſi ego illis. *Mi.* Promîſti autem? de te largitor, puer.

De.

DONATI.

12. MI PATER.] Mi vocativus caſus eſt, ab eo quod eſt *Meus.* QUID? TU HUIC, ASINE, AUSCULTAS?] Aptum convicium grandi & fatuo.

13. FIERI ALITER NON POTEST.] A neceſſario. DELIRAS.] Proprio vocabulo uſus eſt, tanquam loquaci.

14. INSANIS? AUFER.] Congrue ſeni DELIRAS: juveni INSANIS. Et AUFER, vel *te*, vel *manum*: nam rogans, manum admovet ſcilicet, dicens MI PATER. AUFER.] Aut *te* deeſt, aut *manum*. aut pro eo quod eſt *Abi*: ut ſit, *Aufer te.*

15. EGO NOVUS MARITUS.] Apud *Menandrum* ſenex de nuptiis non gravatur. Ergo *Terentius* εὑρετικῶς. EGO NOVUS MARITUS ANNO DEMUM QUINTO ET SEXAGESIMO FIAM! ATQUE ANUM DECREPITAM DUCAM!] Hic deeſt & *Quis*, & *Quid*, & *Quando*, & *Quomodo*: ut ſit, *Quis?* EGO. *Quid?* NOVUS MARITUS. *Quando?* ANNO DEMUM QUINTO ET SEXAGESIMO. *Quomodo?* ANUM DECREPITAM DUCAM. ANNO DEMUM QUINTO ET SEXAGESIMO.] Haec aetas eſt, ut *Varro* ait, etiam comicorum ſenum. Et DEMUM, adverbium tarditatis eſt.

16. ATQUE ANUM DECREPITAM DUCAM!] Hoc facete addit, tanquam faciendum hoc eſſet, ſi puella duceretur ſeni. IDNE ESTIS AUCTORES MIHI?] Hoc eſt, perſuaſores. ut [6] *Virgil.*

Auctor ego audendi.

DECREPITAM.] DECREPITAM, aut ſtomacho anili & iracundo: aut DECREPITAM, obtuſi animi & laeſae ſenectutis. aut DECREPITAM, cui ſaepe moribundae [7] crepuerit planctu familia, id eſt, clamaverit.

17. LARGITOR.] Verbum eſt imperativi modi, futuri temporis. DE TE LARGITOR, PUER.] Acutius DE TE dictum eſt, quam *de ſuo.* Et bene in eum, qui promiſerat puellae conjunctionem ſuam.

OBSERV. IN DONAT.

6. *Virgil.*] Aeneid. XII. 159.

7. *Crepuerit.*] Vide Donatum ad Eun. II. 1. 21.

COMMENTARIUS.

Plaut. Truc. IV. 4. 8.

aufer nugas.

DA VENIAM.] Libri quidam Mſſ. & editi: DA VENIAM, QUAESO.

16. IDNE ESTIS AUCTORES MIHI?] Plaut. Pſeud. I. 3. 2.

Quid mihi es auctor?

Adde Poen. I. 2. 1. Mil. IV. 3. 1. Suet. Caeſ. 19. Auctores *Bibulo* fuerunt *tantundem pollicendi.*

17. DE TE LARGITOR, PUER.] Guyetus in his verbis neſcio quam obſcenitatem reperit, quae

De. Age. quid,ſi quid te majus oret? *Mi.* Quaſi non hoc ſit maxumum.

De. Da veniam. *Aeſ.* Ne gravare. *De.* Fac, promitte. *Mi.* Non omittis?

Aeſ. Non, niſi te exorem. *Mi.* Vis eſt haec quidem. *De.* Age; prolixe, Micio.

Mi.

D O N A T I.

19. Da veniam.] Praeſta beneficium, concede quod petitur. Ne gravere.] Ne te difficilem praebeas. quia *gravem ſe* dicitur *praeſtare*, qui id facile non praeſtat in beneficio, quod poteſt. Da veniam, ne gravere. fac, promitte] Altrinſecus agentium, fatigantiumque verba ſunt.

20. Age, prolixe, Micio.] Aut, Age prolixe, id eſt, age benigne; ut ſit Prolixe benigne, ſecundum veteres. aut per ἀσύνδετον, & ἔλλειψιν, Age, correptivum: ut ad Prolixe ſubaudiatur, *Noſter eſto*, aut quid tale: & Micio [7] velut inſuavi dictum ſit.

21. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum.] Pravum, ſi anum ducit nullo commodo ſuo. Ineptum, qui non voto filiorum ducat uxorem. Absurdum, homini qui nunquam duxerit, & numquam ducere voluerit, ſeni duci uxorem, quae adoleſcenti ducta non ſit.

O B S E R V. I N D O N A T.

7. *Velut inſuavi dictum ſit.*] Mſ. Hulſt. & Lind. *Velut inſanis dictum ſit.* Mſ. Roend. cum edit. Anon. Venett. ceteris, *Velut in ſuavi dictum ſit.*

C O M M E N T A R I U S.

quae nulla eſt. Primum enim Demeae, tum patris ad filium verba ſunt, ubi cum maxime τὸ πρέπον obſervaſſe animadvertitur Terentius. Dixit autem, Da te, ut Plautus Menaechm. III. 3. 21.

> An. *Da ſodes*, abs te; *poſt ego reddidero tibi.*
> Me. *Immo cede* abs te.

Pſeud. II. 4. 45.

> *poſſum* a me *dare.*

Cur autem dixit, puer, quum Aeſchinus jam eſſet maritus? ſcilicet eſt blanda objurgatio; notante Nannio ad Virg. Ecl. IX. 66.

> *Deſine plura*, puer.

18. Quid, si quid te majus oret?] Formula perſuadendi, etiam ſacris literis uſitata. Vide 2. Reg. V. 13.

19. Ne gravare.] Ita Mſſ. plurimi, & ex editis Rob. Stephani, Aldi, Juntarum, Baſileenſis, plures optimae notae. Atque ita Plautus, Stich. I. 3. 32.

> *Promitte vero!* ne gravare!

Nuperi tamen editores ne gravere praetulerunt. An quod ita Donatus?

Non omittis?] Libri quidam praeferunt, Non omittitis? forte, quod & Demea & Aeſchinus inſtare ſimul videntur; & ſi Non omittis? dixiſſet; videtur non Aeſchinus, ſed Demea reſpondere debuiſſe.

20. Vis est haec quidem.] Formula, qua utebantur arctius preſſi & oppreſſi. Plaut. Capt. III. 5. 92.

> *Vis haec quidem hercle eſt.*

Sic Caeſar quum videret, ſe peti mucronibus, *Iſta quidem vis eſt*, inquit, apud Suet. Caeſ. 82. Turneb. Adverſ. XIV. 7.

Age, prolixe.] H. e. benigne, liberaliter. Cic. Fam. VII. 5. *Neque mehercule minus ei* prolixe *de tua voluntate promiſi, quam eram ſolitus de mea polliceri.*

21. Alienum a vita mea.] Phaed. Lib. IV. 4. 40.

Ut

Mi. Etſi hoc mihi pravum, ineptum, abſurdum, atque alienum a vita mea
Videtur: ſi vos tantopere iſtuc voltis, fiat. *Aeſ.* Bene facis:
Merito te amo. *De.* Verum, quid ego dicam? hoc confit, quod volo.
Quid nunc, quod reſtat? Hegio his eſt cognatus proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.

Mi.

DONATI.

22. SI VOS TANTOPERE ISTUC VOLTIS, FIAT.] Cur hic non vertitur de voluntate Soſtratae? An quia illam conſentire neceſſe eſt, vel propter pauperiem, vel ob amorem filiae ſuae? SI VOS TANTOPERE ISTUC VOLTIS, FIAT.] Ridicule dixit & comice, uxorem ſe ducere, non quia velit, aut debeat: ſed ut obſequatur jubentibus.

23. HOC CONFIT, QUOD VOLO.] Perficitur, inquit, quod volo: ut ſumtum & turbam domum recipiat Micio, & ego ineam gratiam.

24. QUID NUNC, QUOD RESTAT?] QUOD RESTAT, pro *Quod ſequitur.* An QUOD RESTAT [8] tanquam reliquiarum priorum, ac per hoc minimum? HEGIO HIS EST COGNATUS PROXUMUS.] Commendatio perſonae quaſi notae: etiam Micioni, ob merita ſua. Et bene addidit PROXUMUS: [9] nam multi gradus & veluti rami ſunt propinquitatis in affinitate & cognatione diſpoſiti.

25. AFFINIS NOBIS.] Recte. nam uxoris cognati, marito affines ſunt. PAUPER.] Jam hoc nomine apparet aliquid flagitari.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Tanquam reliquiarum priorum.*] Lectio ſuſpecta. Veram ſuſpicor eſſe: *Tanquam reliquiae rerum peractarum.* quando bene additur, *ac per hoc minimum.*

9. *Nam multi gradus.*] Vide CALPH. ad Heaut. V. 2. 63. atque ibi OBSERV.

COMMENTARIUS.

Ut moribus quid teneas alienum *ſuis.*

23. MERITO TE AMO.] Haec Rob. Stephanus Demeae tribuit. Et ſane requirebatur, ut & is impetrans, quod tantopere expetiverat, gratum animum teſtaretur Micioni. Sic And. III. 3. 42. Simo poſtquam impetraſſet nuptias filiae Chremetis:

Merito te ſemper maxumi feci.

Eun. I. 2. 106. Thais impetrato biduo a Phaedria:

Merito te amo.

HOC CONFIT.] MSſ. Leidenſes tres, Mark. Lipſ. Bodl. & duo Boecleri, HOC CUM FIT. Mſ. Boend. QUUM FIT QUOD VOLO. omiſſo HOC. Videtur autem locus hic expreſſus ex illo And. I. 1. 138.

Sed quid opus eſt verbis? ſin eveniat, quod volo,
In Pamphilo, ut nihil ſit morae; reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt; & ſpero, confore.

Ita & Cicero, Fam. IV. 5. *Per quos ea* (conſolatio) confieri *debet.* Virg. Aen. IV. 115.

qua ratione, quod inſtat,
Confieri *poſſit, paucis, adverte, docebo.*

ubi vide Pierium.

25. AFFINIS NOBIS.] Sic Plaut. Trin. V. 2. 39.

CH. *Spondeo.* CA. *Et ego ſpondeo idem hoc.*
LY. *Oh! ſalvete* affines *mei.*

BENE NOS ALIQUID FACERE ILLI DECET.] Sic ſupra V. 5. 6.

Mi. Quid facere? *De.* Agelli eſt hic ſub urbe paullum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur. *Mi.* Paullum id autem? *De.* Si multum fiet, tamen
Faciundum eſt: pro patre huic eſt: bonus eſt: noſter eſt: recte datur.
Poſtremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene & ſapienter dixti dudum: Vitium commune omnium eſt,

Quod

DONATI.

26. Quod locitas foras.] Foras dixit, locum pro perſona ponens; quaſi diceret, *Neſcio cui alieno.* ſic & nos dicimus, [10] *Audi quid dicit* * *Ecce hac*, pro *Ecce hic.* *Cicero*, *Hic tum alius ex alia parte.* Deeſt ergo aliquid, ut ſit, *Quod locitas foras verſum.* Aut ſi foris: *foris poſito*, id eſt, alieno. Sub urbe est paullum agelli hic.] Totum [11] cum contemtione pronuntiandum.

27. Huic demus, qui fruatur.] Id eſt, qui fructum capiat, non proprietate potiatur. Proprie ergo, & quaſi de jure dixit Fruatur. eſt autem Fruatur, alatur: quia *Frumen* dicitur ſumma gula, per quam cibum lingua demittit in ventrem.

28. Bonus est: noster est: recte datur.] Ἐπιτροχασμὸς hortantis, & ἀσύνδετον multa congerentis. Bonus est.] Potuit reſponderi, *Quid mea?* Bonus est: noster est.] Haec omnia vultuoſe, tanquam invidiam parſimoniae faciat Micioni. Et plus ſignificat Noster, quam ſi addatur, *Quid noſter.* Noster est.] Bene addidit. namque dixit, Pro patre huic est. Recte datur.] Quaſi non quaeratur, an dandum ſit: ſed illud ſolum, an recte.

29. Non meum illud verbum facio.] Nunc Verbum pro ἀξιώματι poſuit, quod uno ſtringitur verbo. Ergo Verbum, brevis ſententia. Non meum illud verbum facio.] Nota Verbum, pro *ſententia.* ut, *Uno verbo dic*, [12] *ſi quid eſt*, *quod me velis.* Et, *Miſeram me! quod verbum audio?* Verbum dixit, veram ſententiam. nam verba eſſe a veritate dicta teſtatur Varro.

OBSERV. IN DONAT.

10. *Audi quid dicit* * *Ecce hac, pro Ecce hic. Cicero: Hic tum alius ex alia parte.*] Mſ. Hulſt. *Ecce hic*, *pro Ecce.* Videntur autem ἀπροσδιόνυσα, nec a Donato profecta, aut certe loco mota, ſubjungenda proxime ſequentibus, Agelli est hic sub urbe paullum. Atque ita olim lectum: *Sic & nos dicimus*, *Audi*, *quid dicit hic.* *Ecce hic*, *pro Ecce.* *Sic & Cicero: Hic tum alius ex alia parte.* Sunt autem verba Ciceronis in Verr. I. 26.

11. *Cum contemtione.*] Mſ. Hulſt. cum edd. quibuſdam vett. *Cum contemtu.*

12. *Si quid eſt.*] E memoria laudavit verba Soſiae And. I. 1. 18. ubi vide Donat.

COMMENTARIUS.

26. Sub urbe.] Periphraſis, pro agro ſuburbano. Plaut. Trin. II. 4. 107.

Philto; eſt ager ſub urbe *hic nobis, eum dabo Dotem ſorori.*

Martial. XI. 18. 1.

Donaſti, Lupe, rus ſub urbe *nobis.*

Foras] Praeſtat haec lectio prae quorundam Librorum Foris. Donatus dubitat.

27. Huic demus, qui fruatur.] H. e. Uſufructuarium conſtituamus, ut annuos fructus & reditus percipiat, ipſo agro manente noſtro. Ita paſſim Cicero & Livius. Feſtus: *Lucus Lucrinus in vectigalibus publicis primus* locatur fruendus. Cicero Fam. XIV. 7. *Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, ſi annona carior fuerit.* Bina haec loca reperi in ſummi

Viri,

Quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus: hanc maculam nos decet
Effugere. dictum eſt vere, & re ipſa fieri oportet.
Mi. Quid iſtic? dabitur; quandoquidem hic volt. *Aeſ.* Mi pater.
De. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo. *Mi.* Gaudeo.
De. Suo ſibi hunc gladio jugulo.

DONATI.

31. HANC MACULAM NOS DECET EFFUGERE.] MACULAM τῷ χλευασμῷ dixit, irridens opinionem Micionis: quia parſimoniam, MACULAM putet. Et ſimul auxit, primo VITIUM, deinde MACULAM dicendo.

35. SUO SIBI HUNC GLADIO JUGULO.] Ἀλληγορία. Et non Suo, ſed Suo SIBI, moraliter, & ut veteres ſolent loqui.

COMMENTARIUS.

Viri, J. Fr. Gronovii Notis Mſſ. Neuter vero de uſufructu, ſed prior de contractu locationis, alter de ipſius dominii effectu accipiendus. Vide Donat. ad And. Prol. 5.

SI MULTUM SIET] Guyetus non cepit vim τῦ SI, reponens, ETSI MULTUM EST. Valet enim Si idem quod ETSI, paſſim apud Comicos & auctores alios.

28. PRO PATRE.] H. e. Loco patris & officio patris functus. Sic Eun. II. 3. 83.

RECTE DATUR.] H. e. tuto; nec eſt, quod metuas, ne agellum tuum in perpetuum perdas, vel, ne quidquam ejus bonitati decedat, ſi huic homini eum fruendum dederis. Sic *recte damus literas*, cui tuto committimus. Cic. Fam. XIV. & XVI. paſſim.

29. NON MEUM ILLUD VERBUM FACIO] Nuperi quidam editores, credo, Guyetum ſequuti, NUNC MEUM ILLUD VERBUM FACIO, expreſſerunt. q. d. Demea, idem nunc ego, quod tu dudum dixiſti, dico. Verum ſi rem recte putes, id vult Demea: poſtremo fac cogites, quid dudum bene & ſapienter dixeris. Tuum id verbum eſt, non meum. quanto magis tibi cavendum, ne dicta factis non reſpondeant. Prima Mſ. Trajectini ſcriptura erat: POSTREMO AUTEM MEUM, ſed mutata in, POSTREMO NON MEUM. Vide ILLUD VERBUM ſupra V. 3. 48.

30. BENE ET SAPIENTER.] Formulae ſpeciem habet.

32. RE IPSA FIERI OPORTET.] Guyetus & Heinſius legunt; RE IPSA FIERI OPORTAT, MICIO. Habet autem repetitio nominis elegantem uſum in perſuaſionibus.

33. QUANDOQUIDEM HIC VOLT.] Locutio magis Terentiana, quam illa quorundam Librorum, DABITUR QUIDEM, QUANDO HIC VOLT.

34. GERMANUS PARITER CORPORE ET ANIMO.] Sic ſupra V. 7. 4. In Mſ. Bodl. eſt, ET ANIMO ET CORPORE. Plaut. Caſ. III. 4 25.

Nunc tu mihi amicus es germanum *in modum.*

35. SUO SIBI HUNC GLADIO JUGULO.] H. e. ſuis ipſius dictis & ſententiis conſtrictum teneo. Unde recte Fabrini non vertens ait: *Queſto è un proverbio, che ſi uſa, quando noi raggionando vinchiamo uno con le ſue ſteſſe parole.* Cic. pro A. Caecina 29. *Aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio; aut noſtro, defenſio tua conficiatur, neceſſe eſt.* Seneca Controv. XXIV. non minus eleganter: *In ſuis illum caſtris cecidit.* Barthius Adverſ. XXXV. 1. laudat Ambroſii dictum: *Loquimur plerumque, quod inimicus excipiat, & quaſi noſtro gladio nos vulneret. Quanto tolerabilius eſt, alieno gladio, quam noſtro perire.* Conjunctio autem vocum ſuo ſibi familiaris eſt Plauto. Sic Capt. I. 1. 13.

Suo ſibi *ſucco vivunt.*

ACTUS QUINTI

SCENA NONA.

Syrus. Demea. Micio. Aeschinus.

Sy. Factum eſt, quod juſſi, Demea.
De. Frugi homo es. ego aedepol hodie mea quidem ſententia
Judico Syrum fieri eſſe aequom liberum. *Mi.* Iſtunc liberum?
Quodnam ob factum? *De.* Multa. *Sy.* O noſter Demea! aedepol vir bonus es.
Ego iſtos vobis uſque a pueris curavi ambos ſedulo:
Docui,

DONATI.

1. Factum est, quod justi, Demea.] Id eſt, diruta eſt maceria.

2. Frugi homo es.] Utilis, ut fruges. Aedepol hodie mea quidem sententia judico Syrum fieri esse aequom liberum.] Hoc eſt quod jamdudum promiſerat Syro: ſed nunc opportune. videtur enim modo meritum praeceſſiſſe. Et, Sententia judico, κυριολογία.

4. Quodnam ob factum?] Jure. aſcribi enim cauſas manumiſſionis, in jure formula eſt. Multa.] Oratorie maluit generaliter dicere, quam quaerere ſpecialiter, quod invenire non poſſit. Et Micio ſingulariter unum quaerit, hic pluraliter multa reſpondet. Aedepol vir bonus.] Jurat bonum: quia praeter opinionem eſt.

5. Ego istos vobis usque a pueris.] Intelligit Syrus, laborantem pro ſe Demeam non habere quod dicat: & ideo ipſe proſequitur ordinem meritorum: [1] ſecundum quem apparet, paedagogum fuiſſe.

6. Docui, monui, bene praecepi.] Ridicule adduntur, [2] & tantum conſuetudine: quia imputantur etiam facta prave, pro bonis. Quae potui, omnia.] Bene Quae potui: quaſi plura vellet.

OBSERV. IN DONAT.

1. *Secundum quem apparet.*] Mſ. Hulſt. & Lind. *Sed apparet.* Mſ. Boend. *Sed quem apparet.* Codices editi pariter varie.

2. *Et tantum.*] Mſ. Boend. & editi ante Rob. Stephanum, *ſed tamen.*

COMMENTARIUS.

1. Factum est, quod jussi.] H. e. Maceria juſſu tuo eſt diruta. In Libris nonnullis eſt, Jussisti.

2. Frugi homo es.] Laus ſervi. Vid. Eun. III. 5. 60. Plautus *ſervum frugi* opponit *ſervo nequam.* Caſ. II. 3. 37. 39.

5. Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo.] Apparet igitur, Syrum fuiſſe paeda-

Docui, monui, bene praecepi ſemper, quae potui, omnia.
De. Res apparet: & quidem haec porro; obſonare, cum fide
Scortum adducere, apparare de die convivium.
Non mediocris hominis haec ſunt officia. *Sy.* O lepidum caput!
De. Poſtremo, hodie in pſaltria hac emunda, hic adjutor fuit,
Hic curavit: prodeſſe aequom 'ſt: alii meliores erunt.

Deni-

DONATI.

7. Res apparet.] Mire irridet Demea, ſic tamen ut ſerio agere videatur.

8. Apparare de die convivium.] Id eſt, repente, neque ante praedictum, nec pridie conſtitutum.

10. Postremo, hodie in psaltria hac emunda.] Et hoc totum ſerio dicitur, ut magis ridiculum videatur. Hic adjutor fuit.] In re bona *Adjutores*, [1] in re mala *Impulſores* dicuntur. Ergo hic adjutor dicitur a non iraſcente: a criminante autem & irato, *impulſor*. Hic adjutor fuit, hic curavit.] De more repetitum eſt hic: quum dicitur, Hic adjutor fuit, hic curavit. Sic enim ſolemus onerare audientem meritis ejus, quem laudamus. Deinde quid non praeſtitit, qui & officium corporis, ut adjutor: & curam animi praebuit, ut conſultor?

OBSERV. IN DONAT.

1. *In re mala impulſores.*] Ita quidem Eun. V. 6. 18. & ſupra IV. 2. 21. non item Hec. IV. 4. 65. Raro aliter Cicero. vid. Nizol.

COMMENTARIUS.

paedagogum. Sic And. III. 4. 17. Heaut. III. 3. 33. Vide Joh. Jac. Claudii Tract. de Nutricibus & Paedagogis.

7. Obsonare, cum fide scortum adducere.] Ita diſtinguere malui cum Juntis, Aldo, Rob. Stephano, Heinſio, pluribus; quam cum aliis, obsonare cum fide, scortum adducere. quaſi ſenſus ſit, ita obſonare, ut non carpſerit furtimve praelibarit quid, ſed emta in foro & macello fideliter domum retulerit. quomodo placebat Cl. Graevio. Eſt autem cum fide scortum, *meretricula fidicina.*

8. Apparare de die convivium.] Id ſemper probro datum, etiam Apoſtolis Petro & Paulo teſtibus; illo Act. II. 15. hoc 1. Theſſal. V. 7. Frugi autem homines coenam auſpicabantur hora nona vel decima, atque adeo non jam affecto, ſed mortuo die; luxurioſi vero de die. quin *de medio die.* Horat. Serm. II. 8. 3.

De medio potare die.

Silius Italicus, de luxu Capuae, XI. 41.

medioque dierum
Regales epulae.

Catull. Carm. XLV. 5.

Vos convivia *lauta, ſumtuoſe*
De die facitis.

Horat. Epiſt. I. 14. 34.

Quem bibulum liquidi media de luce *Falerni.*

Cicero Philipp. II. 34. *Non ſolum* de die, *ſed etiam* in diem *vivere.* Eodem reſpexit Plautus Menaechm. I. 2. 43.

Me. *Clam uxorem ubi ſepulcrum habeamus,*
& hunc comburamus diem.
Pe. *Age ſane igitur, quando aequom oras,*
quam mox incendo rogum?
Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus
mortuus.

Cicero, *tempeſtiva convivia,* & *coenas tempeſtivas* vocat. Eodem ſenſu Curtius VIII. 1. 22. *Sollenni & tempeſtivo adhibetur convivio,* dixit.

9. Non mediocris hominis haec sunt officia.] Subridentem haec dixiſſe Demeam, argumento ſunt Syri verba, quae mox ſequuntur,

10. In Psaltria hac emunda, hic adjutor fuit.] An per jocum laudat in Syro, quod turpitudine non carebat, & Micio jam reprehenderat, objiciens *de ſcorto cum fide?* An quod Micio antea laudaſſet raptum Pſaltriae, Demea quaſi ſerio inde argumentum depromit, quare aequum ſit, Syrum manumitti?

11. Prodesse aequom 'st.] Id vult, ae-

quum

Denique hic volt fieri. *Mi.* Vin' tu hoc fieri? *Aeſ.* Cupio. *Mi.* Si quidem
Tu vis, Syre, eho! accede huc ad me: liber eſto. *Sy.* Bene facis:
Omnibus gratiam habeo: & ſeorſum tibi praeterea, Demea.
De. Gaudeo. *Aeſ.* Et ego. *Sy.* Credo. utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
De. Optumam quidem mulierem. *Sy.* Et quidem tuo nepoti, hujus filio

Hodie

DONATI.

12. DENIQUE HIC VOLT FIERI.] Abutitur Demea ſciens prodigam voluntatem adoleſcentuli.

13. SYRE, EHO! ACCEDE HUC AD ME.] Utrum ut eundem manu emittat, an ut palam fiat, jubet propius accedere, juris publici conſuetudine ludens? Et vide quam comicam manumiſſionem, quam facete induxerit atque condigne.

14. ET SEORSUM TIBI PRAETEREA, DEMEA.] Effecit Demea plus quam volebat. nam qui conabatur amari, praefertur etiam his qui amantur.

15. GAUDEO. AES. ET EGO.] Gratulantium Syro haec verba ſunt: quibus de more ille, CREDO, reſpondet. UTINAM HOC PERPETUUM FIAT GAUDIUM.] Integrum, ſolidum, & nuſquam interruptum.

16. PHRYGIAM UT UXORAM MEAM.] Ut ipſe Syrus, ita uxor Phrygia: ſecundum veteres, qui ſervis nomina a nationibus imponebant. UNA MECUM VIDEAM LIBERAM.] Hoc ſic pronuntiandum eſt, + quaſi gaudeat ſic recordatum Demeae: quod quum ultro cogitat habuiſſe * plene oblitus fuit.

OBSERV. IN DONAT.

4. *Quaſi gaudeat, ſe recordatum Demeae: quod quum ultro cogitat habuiſſe * plene oblitus fuit.*] Mſ. Boend. *Quaſi gaudeat, ſe recordatum Demeae: quod cum ultro cogitat habuiſſe plene oblitus fuit* ſine lacunae indicio. Ita & editio Anonyma, Venetiae annorum 1450. & 1512. Tarviliana 1481. Argentina 1499. ſed Mſ. Hulſt. *Quaſi gaudeat ſe recordatum Demeae: quod cum ultro cogitat habuiſſe, oblitus fuit.*. Fortaſſe ſcripſit Interpres, *Quaſi gaudeat, ſe recordatum, quod Demea, qui tam ultro cogitat habuiſſe, plene oblitus fuit.*

COMMENTARIUS.

quum eſſe operam Aeſchino navatam prodeſſe Syro. Libri quidam legunt: OMNEA PRODESSE.

ALII MELIORES ERUNT.] Senſus eſt, Alii ſervi, ubi videbunt, Syrum libertate donari, & ex virtutibus ſuis ornari, eadem ſpe ducti meliores erunt.

13. SYRE, EHO! ACCEDE HUC AD ME.] Haec audiens Syrus adſilit. unde continuo Micio, LIBER ESTO, inquit. Ritum ſollennem tangit Fabrini, addens: *Dipoi accoſtatogliſi, li metti la mano in capo.* Confer Phaed. II. 5. 21. ſeqq. Plaut. Epid. V. 2. 65.

Ob eam rem liber eſto.

Ibidem Grex, 1

Hic is homo eſt, qui libertatem malitia invenit ſua.

15. PERPETUUM.] H. e. Solidum: quale eſſe non poterat, Syro libero, Phrygia non libera.

16. UNA MECUM VIDEAM.] Mſ. Lipſ. & Boend. UNA VIDEAM, omiſſo MECUM.

18. PRIMAM MAMMAM DEDIT.] [illegible] Plautus Truc. II. 5. 1.

Puero iſti date mammam.

Menaechm. Prol. 18.

Et ſunt nati filii gemini duo,
Ita forma ſimili pueri, uti mater ſua

Non

Hodie primam mammam dedit haec. *De.* Hercle vero ſerio,
Si quidem primam dedit, haud dubium, quin emitti aequom ſiet.
Mi. Ob eam rem? *De.* Ob eam. poſtremo a me argentum, quanti eſt, ſumito.
Sy. Dî tibi, Demea, oro, omnes ſemper omnia optata offerant.
Mi. Syre, proceſſiſti hodie pulchre. *De.* Si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paululum prae manu

Dede-

DONATI.

18. HODIE PRIMAM MAMMAM DEDIT HAEC.] Ridiculum meritum: ſiquidem oportuerit primam eſſe quamcunque. an quia cauſa eſt, quod ingenui dicuntur SERIO a nutricibus liberis educandi? HERCLE VERO SERIO.] Adverbia ſunt confirmantis. παρέλκον.

20. OB EAM REM?] Hoc eo vultu dicit, quo rem veluti excutimus, & oſtendimus momenti eſſe nullius. ARGENTUM, QUANTI EST, SUMITO.] Quanto pretio valet. ARGENTUM, QUANTI EST, SUMITO.] [5] Hoc verbo utimur, ut faciunt qui perſuadere aliquid cupiunt.

21. DII TIBI, DEMEA, ORO, OMNES SEMPER OMNIA OPTATA OFFERANT.] OMNES, OMNIA: antiqua elegantia, & figurata.

22. PROCESSISTI HODIE PULCHRE.] Nunc vere pulchre proceſſit Syrus. SIQUIDEM PORRO, MICIO, TU TUUM OFFICIUM FACIES.] [6] Hoc eſt patroni, ut libertum non deſeras, ſed ut alas manumiſſum. [7] *Plautus*,

Facis melius
Quam pars lenonum, qui libertos habent, &
eos deſerunt.

OBSERV. IN DONAT.

5. *Hoc verbo utimur.*] Ita Mſ. Boend. & edd. veteres. Lindenbr. *Hoc verbo tenus.*

6. *Hoc eſt patroni.*] Ante Rob. Stephanum legebatur, *Hoc eſt, ut patroni eſt.*

7. *Plautus.*] Curc. IV. 5. 15. ſed legitur nunc:

facis ſapientius,
Quam pars latronum, libertos qui habent, & eos deſerunt.

Vide ſupra III. 4. 12.

COMMENTARIUS.

Non internoſſe poſſet, quae mammam dabat:
Neque adeo mater ipſa, quae illos pepererat.

Vide apud Curtium, VIII. 2. poenitentis Alexandri luctum, ob interfectum inter epulas Clitum, cujus ſorore Hellanice uſus nutrice fuerat. Mſ. Bodl. PRIMA MAMMAM DEDIT. Et mox, SIQUIDEM PRIMA DEDIT.

HAUD DUBIUM.] Libri quidam: HAUD DUBIUM EST.

20. QUANTI EST.] H. e. Quanti tibi aeſtimatur Phrygia.

SUMITO.] Accipito. Heaut. III. 1. 56. Plaut. Pſeud. I. 5. 93.

tu mihi hercle argentum dabis:
Abs te equidem ſumam.

21. DI TIBI, DEMEA, ORO, OMNES SEMPER OMNIA OPTATA OFFERANT,] Formula bene precandi. Sic Plaut. Aſin. I. 1. 32.

Di tibi dent, quaecunque optes.

Capt. II. 2. 105,

Di tibi omnes omnia optata afferant.

Ubi itidem *offerant* malim quam *afferant*. Vel, quod eſt in Mſ. Boend. *optata ferant*. atque ita eſt in edit. anni 1469. Horat. Carm. III. 16. 43.

bene eſt, cui Deus obtulit
Parca, quod ſatis eſt, manu

Ex Homero laudat Georg. Fabricius:

Ζεύς τοι δοίη, ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι Θεοὶ ἄλλοι,
Ὅττι μάλιστ' ἐθέλεις, καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ.

23. HUIC ALIQUID PAULULUM PRAE MANU DEDERIS.] Plaut. Bacchid. IV. 3. 9.

patri

Dederis, unde utatur: reddet tibi cito. *Mi.* Iſtoc vilius.
Aeſ. Frugi homo eſt. *Sy.* Reddam hercle, da modo. *Aeſ.* Age,
pater. *Mi.* Poſt conſulam.
De. Faciet. *Sy.* O vir optime! *Aeſ.* O mi pater feſtiviſſime!
Mi. Quid iſtuc? quae res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quae iſtaec ſubita eſt largitas? *De.* Dicam
tibi:

Ut

DONATI.

24. UNDE UTATUR.] UTATUR, vivat: unde *uſura*, vita dicitur. ut, [1] *Unius uſuram horae gladiatori iſti non dediſſet.* An unde alatur, de quo uſumfructum capiat, & cujus tibi ſortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit, REDDET TIBI CITO. ISTOC VILIUS.] Hoc egit *Terentius*, ut converſis officiis uſque adeo prodigum faceret Demeam, donec parcum redderet Micionem. ISTOC VILIUS.] Quaſi *nihil minus*: negatio enim eſt floccum oſtendentis, aut quid tale, cum ἰλλείψει. quia ſubauditur *Quicquam*: &, *Non dabo.*

26. FACIET.] Ne quid negatum in fine Fabulae videatur, addidit Demea FACIET. Et FACIET, quod petis ſcilicet. quod irridens dixit, quaſi de prodigo dicere videatur. Et mire FACIET: quia nec credibile erat ſtatim conſenſurum qui negaverat, & [9] perpetuo negatio eſſe in fine non debuit.

27. QUID ISTUC? QUAE RES TAM REPENTE MORES MUTAVIT TUOS?] Animadvertendum eſt; qua calliditate *Terentius* quaerens finem Fabulae, complere laetitiam per ipſum Demeam nititur in univerſos, qui in tota Comoedia triſtis ac ſaevus interturbavit & vociferatus eſt.

28. QUOD PROLUBIUM?] PROLUBIUM, quod Graeci προθυμίαν, id eſt, promtus animus ad largiendum. SUBITA EST LARGITAS?] Repentina, ac per hoc ipſa eſt ingrata & immoderata: ut evenit, quum ex nimis parcis non largi & liberales, ſed effuſi prodigique redduntur.

OBSERV. IN DONAT.

8. *Unius uſuram horae.*] Cicero Catil. I. 12. ſed legendum: *Unius uſuram horae gladiatori iſti ad vivendum non dediſſem.* Eſt autem exemplum parum conveniens, teſte Gronov. loc. cit. in Comment.

9. *Perpetuo.*] Codd. veteres, *Propterea.* Forte, *perpetua.*

COMMENTARIUS.

patri reddidi
Omne aurum amans, quod fuit prae manu.

24. UNDE UTATUR.] Sic Paulus Apoſtolus Philipp. IV. 16. Ἅπαξ καὶ δὶς εἰς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε. ubi εἰς χρείαν notat *in uſum*, ſeu, unde uterer. Cic. Att. XI. 11. *Atque hoc ipſum jam prope conſumtum eſt. quare id quoque velim cum illa videas ut ſit*, qui utamur. Plura exempla vide apud J. Fr. Gronovium, de Pec. Vet. II. 7.

ISTOC VILIUS.] Plaut. Trin. II. 4. 80.

Decedam ego illi de via, de ſemita,
De honore populi: verum quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longe, *niſi me pugnis vicerit.*

Propert. I. 2. 25.

Non ego nunc vereor, ne ſis mihi vilior iſtis.

Edit. anni 1469. ISTOC LEVIUS. J. Fr. Gronovius ad Plaut. Curc. II. 1. 28. Cum hoc loco componit verba Chariſii Lib. II. *Rex qui vocaras ad coenam, ſi ſibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non poſſet, reſpondit, ut Tranquillus refert: Hoc vilius hodie mihi erit coena.* Explicat igitur ISTOC VILIUS, *Hoc eſt, ob id, quod dicis, non commiſſum illi vilius mihi conſtabit. Satis magno hic mihi conſtat: id quod vis ſi adderem, pluris conſtaret; nam haud dubie, quae darem,* perde-

Ut id oſtenderem, quod te iſti facilem, & feſtivom putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo & bono:
Sed ex aſſentando, indulgendo, & largiundo, Micio.
Nunc adeo, ſi ob eam rem vobis vita mea inviſa eſt, Aeſchine,
Quia non juſta, injuſta prorſus omnia, omnino obſequor:
Miſſa

DONATI.

29. Ut id oſtenderem.] Abundat Id. aut ἔλλειψις eſt, pro *Per id.* Quod te iſti facilem, et feſtivom putant] Multum detraxit Micioni, dicendo Te iſti putant, per quod ſignificatur, errare adoleſcentes, & hunc non eſſe feſtivom. Quod te iſti facilem, et feſtivom putant.] Bene in poſtremo dignitas perſonae hujus ſervata eſt, ut non perpetuo commutata videretur: ut Truculenti apud *Plautum.*

31. Indulgendo.] Attende indulgentiam a Demea culpae adſcribi denuo Et largiundo, Micio.] Severe additum eſt nomen verbis ex animo plorantis.

33. Quia non juſta, injuſta prorſus omnia, omnino obſequor.] Proverbiales ſunt hujuſmodi elocutiones, *fanda nefanda*, *digna indigna*, *velis nolis.*

COMMENTARIUS.

perderem. Quod ad hoc igitur attinet, vilius & minus erit, quod in illum impendi, quoque per illum careo. Sed vereor ut hic ſenſus ſit Poëtae.

25. Post consulam.] Formula blande negantis.

28. Quod prolubium?] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ, Tam repente mores mutavit tuos. Muretus Var. Lect. IV. 13. Proluvium citat ex Caecilio apud Nonium, unde Terentius verſum hunc imitatus ſit. Verba Caecilii in Ὑποβολιμαίῳ:

mea raſtraria,
Quod proluvium, *quae voluptas, quae te lactat largitas?*

Eandem lectionem defendit Dacieria. Adi P. Victor. Var. Lect. XXI. 4. Mſſ. varie. In Lipſ. Boend. Bodl. Mark. & Leidenſium uno eſt Prolubium. Idem ex Libro Vaticano laudat Faërnus. In Trajectino corrupte *proclusu.* In Leidenſibus tribus Proluvium: horum uni ſupraſcriptum *effuſio*, uni, *largitas & effuſio cenſus.* In quinto eſt Profluvium. Prolubium autem magis placet. neque ſane Proluvium erat ſervum cum ſerva manumittere, neque agelli paululum & nummorum aliquid utendum & prae manu dare, ſed largitas & liberalitas mera ex prolubio orta. Quanquam Proluvium exhibent optimae editiones, Anonyma, Rob. Stephani, Aldi, Juntarum, Venetae, Argentina, Tarviſiana, aliae. Sed & ita Gambarellus in Obſerv. Et Nonius Marcellus: Proluvium, *profuſio. Terentius in Adelphis:* Quod proluvium? quae haec subita largitas? Quam lectionem Guyetus multis adſtruit in Gloſſis Mſſ. atque ita legebat Cl. Graevius; forte e ſuo Mſ. Dicitur autem Proluvium a proluo, uti *Diluvium* a diluo. Editio anni 1469. & paucae aliae Prolubium praeferunt. Gell. XVI. 19. Prolubium *audiendi ſubit.*

Quae istaec subita est largitas?] Sic canis ad furem, apud Phaed. I. 23. 7.

iſta ſubita *me jubet* benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

30. Fieri ex vera vita.] Vide Heaut. I. 1. 102. Sic ἀληθινὸς uſurpatur in Evang. Luc. XVI. 12.

33. Justa, injusta.] Καὶ δίκαια, κἄδικα. Sic And. I. 3. 9.

Miſſa facio: effundite, emite, facite, quod vobis lubet.
Sed ſi id voltis potius, quae vos propter adoleſcentiam
Minus videtis, magis impenſe cupitis, conſulitis parum,
Haec reprehendere, & corrigere me, & obſecundare in loco:
Ecce me, qui id faciam vobis. *Aeſ.* Tibi, pater, permittimus:
Plus ſcis, quid facto opus eſt. ſed de fratre quid fiet? *De.* Sino.
Ha-

DONATI.

34. EFFUNDITE, EMITE, FACITE.] EFFUNDITE, ad Aeſchinum pertinet: EMITE, ad Cteſiphonem: FACITE, ad omnes. FACITE QUOD VOBIS LUBET.] Proprie rediit rurſus ad amaritudinem priſtinam. Haec *ἐπιτροπὴ* eſt figura, qua invitos nos permittere oſtendimus quod nolumus fieri.

35. QUAE VOS PROPTER ADOLESCENTIAM MINUS VIDETIS.] Hic oſtendit *Terentius*, magis Demeam ſimulaſſe mutatos mores, quam mutaviſſe.

36. MINUS VIDETIS, MAGIS IMPENSE CUPITIS, CONSULITIS PARUM.] *Εἰρωνεία*, MINUS, MAGIS, PARUM.

37. HAEC REPREHENDERE, ET CORRIGERE ME, ET [10] SECUNDARE IN LOCO.] Tribus tria redduntur: & utraque *αὐξητικῶς*. Illa in malam partem ſuperiora: haec in bonam, quae inferiora ſunt. Non tantum enim culpae eſt, minus providere; quam impenſe cupere: nec tantum mali eſt, impenſe cupere, quantum parum conſulere. Item REPREHENDERE, bonum eſt: melius, CORRIGERE: optimum, SECUNDARE. Nam qui *reprehendit*, non continuo *corrigit*: qui *corrigit*, non ilico *ſecundat*, id eſt, laetiſſimum reddit & [11] fideliſſimum. Alii SECUNDARE, obſequi dictum putant. Et ideo additum eſſe IN LOCO: quaſi non ſemper faciendum ſit. Ergo SECUNDARE, vel in melius convertere, vel obſequi intelligimus.

38. TIBI, PATER, PERMITTIMUS.] Noluit *Terentius* ab amoribus filiorum perpetuo repulſum patrem.

39. SINO. HABEAT. IN ISTAC FINEM FACIAT.] Haec quidem permiſſio eſt: ſed & exceptionem in ſe continet: & cum quodam ſtomacho, & velut minaci denuntiatione profertur.

40. IN ISTAC FINEM FACIAT.] Hoc eſt, aut ne aliam amet, aut ne alteram comparet: ne poſt iſtam [12] luxurietur ulterius.

OBSERV. IN DONAT.

10. SECUNDARE.] Mſ. Hulſt. OBSECUNDARE.
11. *Fideliſſimum.*] Conſtans Librorum lectio. Reſtituo audacter, *Feliciſſimum*.
12. *Luxurietur ulterius.*] Mſ. Boend. cum editis ante Rob. Stephanum, *Luxuriet cura alterius*.

COMMENTARIUS.

34. EMITE.] Quidam Mſſ. & editi vetuſti, EMITTITE.

36. MINUS VIDETIS.] H. e. intelligitis & cavetis. And. IV. 3. 23. Heaut. I. 1. 64. Supra III. 3. 33. Cicero ad Q. Fr. I. 1. *Quod quoniam peccatum meum eſſe confiteor; eſt ſapientiae, atque humanitatis tuae, curare & perficere, ut hoc* minus *ſapienter a me* proviſum *diligentia tua corrigatur.*

37. OBSECUNDARE IN LOCO.] Vide ad Heaut. IV. 6. 22.

40. In

Habeat. in iſtac finem faciat. *Aeſ.* Iſtuc recte. Ω. Plaudite!

CALLIOPIUS RECENSUI.

DONATI.

ISTUC RECTE.] Bene. Et Micio non diſceſſit de propoſito ſuo, qui ut peccaſſe alias oſtenderet fratrem ob nimiam aſperitatem, cum exceptione quadam laudans verba ejus, ISTUC RECTE dixit. Quaſi diceret, *non ut caetera.* Et ſimul repoſuit ei, qui ſupra dixerat, UT ID OSTENDEREM, QUOD TE ISTI FACILEM, ET FESTIVUM PUTANT, ID NON FIERI EX VERA VITA; NEQUE ADEO EX AEQUO ET BONO.

AELII DONATI *V.C. Oratoris Urbis Romae, Comment. in* TERENTI ADELPHOS *explicit.*

COMMENTARIUS.

40. IN ISTAC FINEM FACIAT.] Ovid. Metam. IV. 258.

Veneriſque modum ſibi fecit in illa.

Dixit autem eodem fere ſenſu, quo ſupra III. 4. 62. *utinam hoc ſit modo Deſunctum!*

AES. ISTUC RECTE.] Non obſervare me memini in quoquam Codice haec Micioni tribui; quod facit Donatus.

PLAUDITE!] Pluſculi Codices, VALETE ET PLAUDITE.

FINIS ADELPHORUM.

A01 144754

Digitized by Google

Digitized by Google

E' mancante la figura